This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google books

https://books.google.com

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google books

https://books.google.com

21 C 18
(VIII.)
Pac II/1.

ANNO

F E A P

P L

1713

Digitized by Google

C 18

Národní knihovna ČR
Historické fondy
21 C 18/8 Sa. 6/1
Národní knihovna
1002622727

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ACTA
SANCTORUM
ORDINIS
S. BENEDICTI.

SÆCULUM SEXTUM,

Quod eſt à Chriſto nato undecimum.

diviſum in duas Partes.

Digitized by Google

Digitized by Google

ACTA SANCTORUM ORDINIS S. BENEDICTI

IN SÆCULORUM CLASSES DISTRIBUTA.

SÆCULUM VI.

QUOD EST AB ANNO CHRISTI M. AD MC.

Colligere cœpit Domnus LUCAS D'ACHERY, Congreg. S. Mauri Monachus; D. JOHANNES MABILLON, & D. THEODERICUS RUINART, ejuſdem Congreg. illuſtrarunt, ediderùntque cum Indicibus neceſſariis.

PARS PRIMA.

LUTECIÆ PARISIORUM,
Sumtibus CAROLI ROBUSTEL, via Jacobea, ſub Arbore Palma.

M. DCC. I.

CUM PRIVILEGIO REGIS, ET PERMISSU SUPERIORUM.

Digitized by Google

PRO BIBLIOTHECA MONASTERII PLASSENSIS ORD. CISTERCIENSIS COMPARAVIT
EVGENIUS TYTTL S.O.C. ABBAS DE PLASS S.M.M. AD LEPPAM PRAEP. WELL. ET S. CORO. PATER IHM.

Digitized by Google

IN PRIOREM PARTEM
SÆCULI SEXTI
PRÆFATIO.

1. DIUTURNI, atrociſque belli tempeſtate defuncti, reddito demum litteris, totique commercio Europæ, dudum intermiſſam Actorum noſtrorum editionem jam tandem proſequimur, quam brevi, Deo dante, abſolvemus. Acta hujus ſæculi in duo volumina partiti ſumus, materiæ ampliſſimæ paullo liberius indulgentes, ut penuriam illius temporis monumentorum, quæ eccleſiaſticam & civilem hiſtoriam ſpectant, utcumque ſuppleremus. Quam enim jejuna ſit & ſterilis utriuſque hiſtoriæ pro illo ſæculo materia, probant eccleſiaſtici Baronii annales, probant & Francicæ res, quibus quoddam è rebus noſtris ſupplementum adjicere nobis perjucundum fuerit. In ſequenti ſæculo Acta ſanctorum in pauca redigere conabimur, uno, ſi fieri poſſit, contenti in reliquum tempus volumine: ut decem omnino tomis tota conſtet Sanctorum noſtrorum primaria, ut ita dicam, hiſtoria, quæ ex primigeniis eorum actis conflata eſt. Hujus ſæculi tomi duo.

2. Quantam lucem Cimmeriis ſæculi decimi tenebris attulerint Ordinis noſtri homines, in præfatione ejus ſæculi & in toto Actorum ejus temporis decurſu demonſtratum: at ſequenti undecimo ſæculo longe amplius toti Eccleſiæ lumen affulſit, tum ex variis Congregationibus inſtituti noſtri per ſanctiſſimos viros excitatis, tum ex reſtitutione eccleſiaſticæ diſciplinæ, quæ à Romanis Pontificibus ex Ordine noſtro aſſumtis facta eſt. Numquam enim tot ſummos Pontifices tulit Benedictinus Ordo, adeo ut tum Romana ſedes, quaſi hereditaria ſucceſſione, ad noſtros tranſiiſſe videretur. Teſtes ejus rei adſunt Silveſter ſecundus, Leo nonus, Victor ſecundus, Stephanus nonus, Gregorius ſeptimus, Victor tertius, & Urbanus ſecundus, quorum poſtremi ſex à medio ſæculo undecimo ad finem uſque, parum interrupta ſerie, ſupremam illam ſedem Ejuſdem ſæculi decora & pontifices è noſtris.

Digitized by Google

tenuerunt. His ſæculo inſequenti Paſchalis & Gelaſius, ambo ejus nominis ſecundi, ſucceſſerunt, omnes fere ex una Congregatione Cluniacenſi, quæ ut ſæculi decimi præcipuum ornamentum exſtitit, ita etiam ſæculo undecimo florere perſeveravit ſub ſanctorum Odilonis & Hugonis præfectura. Quantum ornamenti attulerit unus Leo papa nonus, teſtatur reſtituta per eum eccleſiaſtica diſciplina. Ipſe enim eſt, *qui ſanctorum ſcita canonum reſtituere conatus eſt, quæ jam tranſactis temporibus nimis deciderant*, ait [a] Ordericus, *& pæne à notitia hominum defluxerant*. Ipſe eſt qui Remis coacto concilio, *de caſtitate, juſtitiaque miniſtrorum Dei tractavit, & ſalubria decreta, quæ jam antiſtites & presbyteri neſciebant, renovavit*. Quæ hic imperfecta reliquerat, perfecit Gregorius VII. majores corpore animos gerens, quos ſtrenue adhibuit ad reſtituendum in Eccleſiæ miniſtris cælibatum, Simoniam exſtirpandam, abolendaſque inveſtituras Eccleſiæ dignitatum, quas Germanici paſſim imperatores, aliique fere principes, non ſine pretio conferebant.

a Orderic. lib. 1. p. 372.

Abbates regulares in Francia reſtituti.

3. Ab hac labe plurimum immunes fuere Francici reges, maxime tertiæ ſtirpis, quorum primus & caput Hugo, cognomento Capitius ſeu Capito, vulgo Capetus, experimento edoctus, quantum detrimenti attuliſſent monaſticæ religioni ſæculares illorum temporum abbates, monaſteriis omnibus liberam eligendorum regularium abbatum facultatem reſtituit: quod ſubſequentes reges uſque ad ſæculum ſextum-decimum continuarunt. Eorum exemplo plerique Galliarum principes idem præſtitere, in primis Nortmannici duces, qui damna, ſuperiorum ſui generis principum violentia monaſteriis illata, abunde ſarciere, inſtauratis ubique vetuſtis, aliiſque de novo exſtructis cœnobiis, quæ liberaliſſime dotaverunt. Omnibus præivit Guillelmus eo nomine primus, à Longa-ſpata cognominatus, filius Rollonis ac ſucceſſor: cujus ſtudium in monachos ſic æmulatus eſt ejus filius Richardus ſenior, ut [b] *pro ſtudio religionis Pater monachorum appellari meruerit*. Horum veſtigiis inſtitere Richardus ſecundus, Rotbertus itidem ſecundus, (Rollo ſiquidem in baptiſmate Rotberti nomen acceperat) Willelmus Nothus, & alii.

b Orderic. lib. 1. p. 371.

Viri illuſtres.

4. Sub prædictis Pontificibus ac Principibus mirum eſt quantum ubique Ordo noſter floruerit, quantum ramos ſuos, etiam extra Europam, protulerit; denique quot & quantos viros illuſtres iſto ſæculo Eccleſiæ ſuppeditaverit. Primas tenuere Romualdus Camaldulenſium inſtitutor, Abbo Floriacenſis, Odilo & Hugo Cluniacenſes, Willelmus Divionenſis, Richardus ſancti Vitoni, Poppo Stabulenſis, Johannes Vallumbroſanus, Gerardus Silvæ-majoris, Rotbertus Caſæ-Dei, Rotbertus item Moliſmenſis, aliique ſanctiſſimi abbates, quorum plerique non tam rectores peculiarium monaſteriorum, quam novarum Congregationum inſtitutores exſtitere. His addere licet ſanctum Brunonem ſacri Ordinis Cartu-

Digitized by Google

ſienſis, & beatum Stephanum Grandimontenſis auctores, qui ſanctiſſimum patrem Benedictum ducem ac patronum ſuum principio agnoverunt. Non vacat hoc loco recenſere infinitos propemodum alios inſtituti noſtri epiſcopos & abbates, quorum nonnullos in decurſu actorum ejuſdem ſæculi laudabimus.

§. I.

Quibus auctoribus propagata per id tempus doctrina.

5. His auctoribus non tantum refloruit monaſtica religio, ſed etiam doctrinæ ac ſcientiarum ſtudia in monaſteriis, ac fere in tota Eccleſia Latina, denuo excitata ſunt. Id factum præcipue induſtria & ope Gerberti Auriliacenſis monachi, Abbonis abbatis Floriacenſis, Fulberti Carnutenſis, & Notgeri ſeu Notkeri Leodicenſis epiſcoporum. Gerbertus magiſtrum Auriliaci habuit Raimundum, poſtmodum ejus loci abbatem, & quoſdam Hiſpanos, qui ipſum in rebus mathematicis erudierunt, eo ſucceſſu, ut prodigii loco ſuo tempore viſus ſit, & à poſteris imperitis habitus pro mago. Præcipuos Remis auditores, ne quid dicam de Ottone tertio ejus diſcipulo, habuit Rotbertum Hugonis regis filium, qui ab Adelaïde matre piiſſima Remos, ubi Gerbertus ſcholas ſub Adalberone archiepiſcopo regebat, miſſus eſt; Leothericum Senonum archiepiſcopum, Ingonem abbatem monaſterii ſancti Germani Pratenſis; Abbonem Floriacenſem tum monachum, qui liberalibus ſtudiis Floriaci eruditus, Pariſios & Remos diſcendæ philoſophiæ cauſa ſe contulit; Brunonem Lingonenſem, & Gerardum Cameracenſem antiſtites; denique Fulbertum Carnutum epiſcopum, qui & ipſe multos apud Carnutas diſcipulos habuit. Hoc in numero fuere Adelmannus, idemque poſtea ſcholaſticus Leodicenſis, Herbertus Latiniaci abbas, & ipſe Gerberti auditor, nulli in divina & humana ſcientia ſecundus; Ingelramnus Centulenſis monachus, poſtmodum abbas; Berengarius hæreſi circa Euchariſtiam infamis, aliique permulti, quorum nonnullos Adelmannus in rythmis [a] ſuis laudat. Baronius Fulbertum monachum fuiſſe putat, idque inferunt nonnulli ex ejus epiſtola 21. ubi de electione abbatis ſancti Petri Carnutenſis; verum hujus rei examen in aliud tempus reſervamus. Hæc epiſtola inſcripta eſt, *Pleno virtutis, & gratia circumfuſo cariſſimo patri Abboni*, quem uti magnum philoſophum compellat. His magiſtris duo alii paullo poſteriores, & haud ſcio an inſigniores addendi ſunt, Lanfrancus ſcilicet, *quem latinitas, in antiquum ſcientiæ ſtatum ab eo reſtituta tota, ſupremum debito cum amore & honore agnoſcit magiſtrum*, & Anſelmus ejus diſcipulus, ambo ex Italia profecti in Beccenſe monaſterium, ubi florentiſſimam erexere academiam, ex qua plurimi per totam maxime Neuſtriam viri ſcientia inſignes prodiere.

Doctrinæ traditio.

a *Analect. to. 1. p. 420.*

Digitized by Google

Epiſcopi monachi.

6. Hinc factum eſt, ut multi ex Ordine noſtro aſſumti ſint ad epiſcopatum, aliaſque eccleſiaſticas dignitates: adeo ut ipſi quoque epiſcopi, abdicatis honoribus, humilem ſancti Benedicti habitum præferrent. Abſtinemus ab eis recenſendis, ne numerum augere volentes, ipſum minuamus. Ex his fuit epiſcopus ille Cluniaci monachus, cujus mentio fit in litteris [a] Silveſtri ſecundi, qui ordinationes, tametſi *non temere, nec contra catholicam auctoritatem, ſed obedienter & ſimpliciter coëpiſcoporum licentia & ſui abbatis* ab eo factas, nihilo minus non omnino probavit, ea ſcilicet ratione, quod *poſtquam divino amore ductus, honoribus & officiis renuntiaverat ſæcularibus, non ipſi licuiſſet eadem exercere negotia, quæ prius fecerat in communi vita.* Alia ratio erat de monachis factis epiſcopis, non modo illis, qui ad regendas eccleſias promovebantur, ſed etiam iis, qui in monaſteriis reſidebant, ad exercendas epiſcopales functiones conſulto inſtituti: quales fuere Laubienſes principio abbates, aliique quamplures in Galliis: quales etiam in Hiſpania Samonenſes: ex quibus Fatalis epiſcopus & abbas, itemque Novidius exſtitere.

[a] *Bullar. Clun. p.* 11.

7. Ex dictis intelligimus, doctrinæ & eruditionis propagationem hoc tempore factam fuiſſe potiſſimum ab eccleſia Remenſi: ubi Remigius Autiſiodorenſis monachus, diſcipulus Heirici ejuſdem loci cœnobitæ, qui Lupum & Haimonem præceptores habuit è ſchola Rabani profectos; necnon Hucbaldus Elnonenſis monachus ſtudia litterarum, Fulcone archiepiſcopo ſuffragante, excitarunt: quæ à Frodoardo dein exculta, ac demum à Gerberto, per Abbonem & Fulbertum late per totam Galliam, ne dicam Europam, late ſeſe diffuderunt. Nec omittendus hoc loco Notgerus ſeu Notkerus, ex decano ſancti Galli Leodicenſis antiſtes, qui Belgicam ſecundam diſcipulorum ſuorum eruditione illuſtravit. Confer ea quæ in ſuperioris ſæculi præfatione, ſectione tertia, de hoc argumento à nobis dicta ſunt uberius. De hac propagatione agens ſancti Maxentii [b] chronographus, eam, tamquam è fonte, repetit à Girberto ſeu Gerberto monacho Auriliacenſi, qui Fulbertum Carnotenſem docuiſſe dicitur. *Fulbertus* vero, ait ille, *docuit Berengarium canonicum ſancti Martini: qui item Brunonem Remenſem, & alios multos, heredes philoſophiæ reliquit.* quo ex loco nonnulli colligunt, Brunonem, ſacri Cartuſiani ordinis inſtitutorem, Berengarii diſcipulum exſtitiſſe. Verum, præter quam quod illius Maxentiani chronographi auctoritas tanti non eſt, ut id adſtruere valeat; certe ipſa chronographi verba longe aliter interpretanda videntur. Hæc enim verba, *qui item Brunonem Remenſem, &c.* non ad Berengarium referenda ſunt, ſed ad Fulbertum, qui Berengarium docuit, *qui item Brunonem Remenſem.* Deinde ipſamet verba non evincunt, Fulbertum, nedum Berengarium, auditorem habuiſſe Brunonem, ſed tantum Brunonem & alios multos, ſive à Fulberto, ſive à Berengario,

[b] *Labbe t.* 2. *bibl. p.* 205.

S. Bruno an Berengarii diſcipulus.

Digitized by Google

heredes philoſophiæ relictos fuiſſe, à quocumque demum præceptore eruditi fuerint illi, id eſt Bruno, aliique philoſophiæ heredes. Certe Brunonem jam clericum & Colonienſem canonicum, ac proinde litteris excultum, ex urbe Colonia in Remorum civitatem acceſſiſſe conſtat; ac longe veri ſimilius eſt, eum à Notgero Leodicenſi epiſcopo, ejuſve diſcipulis inſtitutum fuiſſe. Hujus rei teſtis eſt locupletiſſimus Manaſſes Remorum archipræſul in apologia [a] ſua, ubi de Brunone, qui ejus moribus adverſabatur, hæc habet. *Bruno, nec noſter clericus, nec noſter natus aut renatus eſt, ſed ſancti Cuniberti in regno Teutonicorum poſiti canonicus eſt, &c.* Id obſervare viſum eſt hoc loco de viro ſanctiſſimo, qui, etſi Berengarii diſcipulus fuiſſet, longe ab ejus errore abhorruit, ut probat ipſius confeſſio de ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento, quam alias [b] retulimus. Sed intereſt verum à falſo diſcernere, & nubeculam illam, ſi qua erat, à tanto lumine removere.

a *Muſei Ital. to. 1. p. 121.*

b *Analect. t. 4. p. 400.*

§. II.

Propagatio noſtri Ordinis in Orientem, & alias regiones, & reformatio Anglicanorum monaſteriorum.

8. PRioribus ſæculis Ordo noſter fere in Latina eccleſia ſteterat: at poſterioribus etiam ad Græcos & partes orientales propagatus eſt. Id jam ſuo tempore factum fuiſſe innuit ſanctus Odo abbas Cluniacenſis ſub finem ſermonis de ſancto patre Benedicto, ubi ait, quod *illius laudes non una vox, non una congregatio, neque una urbs vel provincia proclamat; ſed ubicumque ſancta Eccleſia diffunditur, per tribus, per nationes, per linguas, laus Benedicti frequentatur. Si enim*, inquit, *in multitudine populi dignitas Regis eſt, ut ait Salomon; quantam putamus eſſe dignitatem iſtius Regis, quem tam numeroſus proſequitur exercitus monachorum? Quis umquam Rex aut Imperator in tantis mundi partibus imperavit, aut ex tam diverſis nationibus tantas ſibi legiones conduxit, quantas videlicet cujuſlibet ſexus & ætatis in Chriſti militia voluntarie juratas diſponit?* Quibus verbis clare ſignificatur, regulam ſancti Benedicti jam tum receptam fuiſſe, ubicumque ſancta Eccleſia diffuſa erat, per tribus, linguas & nationes diverſas. Ex eo numero fuere Giſpertus & Rainardus venerabiles monachi, haud dubie Galli, quos Elias Jeroſolymitanus patriarcha anno DCCCLXXXI. in Galliam ablegavit, ad ſubſidia petenda eccleſiæ ſuæ, à Sarracenis magnopere afflictæ. Hic [c] epiſtola ſua commendat prædictos fratres ab ſe miſſos, qui *quietam illic vitam ducere, Deoque famulari remotius* à patria *elegerant*, adeo fideles habiti, quibus Chriſtus *ſua crederet ſacramenta ſeu ſanctiſſima loca.* Hæc epiſtola ſcripta non eſt ad Carolum imperatorem, id eſt Craſſum, ut titulus epiſtolæ in editis fallit, quippe qui nondum Galliæ rex erat; ſed *glorioſiſſimis ex alta ſtirpe progenitis*

Monachi noſtri in Palæſtina.

c *Spicil. to. 2. p. 374.*

Digitized by Google

domini magnificentiſſimi ſummi imperatoris Karoli regibus cunctarum Galliarum, id eſt Ludovico & Carolomanno regibus, necnon epiſcopis, abbatibus, principibus ac ducibus, aliiſque per univerſum mundum conſtitutis. Poſt medium ſæculum undecimum Hugo è noſtris abbas erat ſepulcri glorioſæ virginis Mariæ de Joſaphat, qui per Simonem Criſpiacenſem comitem reliquias ſanctæ Crucis aliaſque ad quemdam noſtri Ordinis abbatem S. miſit, teſtante ejus epiſtola, quam alias referemus. Poſt expeditionem ſacram monachis noſtratibus monaſteria non pauca in locis ſanctis conceſſa fuere, ut poſtea videbimus.

Conſtantinopoli.

9. Latinos itidem monachos ſæculo undecimo Conſtantinopoli habitaviſſe patet in primis ex epiſtola Leonis papæ IX. ad Michaëlem Cerularium, quem dure increpat, quod omnes apud ſe Latinorum baſilicas clauſerint, monachis monaſteria & abbatibus tulerint, donec illorum viverent inſtitutis: cum contra Romana eccleſia Græcorum monaſteria & eccleſias in Urbe à Græcis poſſideri ſinat, nec eos perturbet in obſervatione rituum ſuorum, immo eos ad illos ſervandos hortetur. Perſtitere nihilo minus Latini monachi Conſtantinopoli in cœnobio ſanctæ Mariæ, quos laudat Petrus [a] Damiani in epiſtola, *domno M. venerabili abbati ſanctæ Mariæ in Conſtantinopoli & reliquis fratribus* inſcripta, quod, *dum inter exteras gentes & in peregrinæ linguæ regione* conſiſterent, à catholica tamen fide & piis operibus non exſularent.

[a] Petr. Dam. lib. 6. ep. 13.

In Sardiniam miſſi.

10. Per idem tempus Bareſonus rex Sardiniæ, legatis ad Caſinenſe monaſterium cum muneribus miſſis, Deſiderium abbatem [b] rogavit, ut ex ſacra illa congregatione fratres ad conſtituendum in ea inſula cœnobium tranſmitteret, maximo regni ſui commodo ſimul & ornamento futuros. Regis votis annuens Deſiderius, duodecim fratres cum congrua ſupellectile librorum, & diverſarum rerum illuc deſtinavit, eiſque præfecit Aldemarium, qui poſtea Cardinalitia dignitate inſignitus fuit. Cum illi in inſulam, quæ Lilium vocatur, proſpere appulſi, opportunum navigationis tempus exſpectarent; Piſani, magna in Sardos adducti invidia, inopinato cum armato milite in illam inſulam deſcendunt, monachis indigne habitis, univerſa diripiunt, legationis denique principem patibulo affixuri, niſi ille monaſtico habitu ſe induiſſet. Poſt hæc incenſa navi, quæ monachos in Sardiniam devectura erat, cum veſtimenta ſolummodo noſtris reſtituiſſent, ceteris omnibus onuſti ad propria hilares remearunt. Hoc accepto, Caſinenſes fratres, qui in Lucenſi monaſterio habitabant, diſperſos hac illac noſtros recolligunt, omneſque præter quatuor, qui jam obierant, ad monaſterium ſuum conductis naviculis revehunt: qui demum paullo poſt univerſi, unus poſt alterum, ad ſacrum montem reverſi ſunt. Ita miſſio illa effectu caruit. Piratæ vero ad ſua itidem reverſi prædam inter ſe partiti ſunt. Forte cuidam obtigit portio ſacrarum reliquiarum, quas Caſinates

[b] Chron. Caſin. lib. 3. c. 23.

Digitized by Google

ſecum deferebant. Has cum pirata ille irreligioſe tractaſſet, repentina morte interiit. Reliquiæ ad epiſcopium delatæ, ibique honorifice depoſitæ fuere.

In monte Thabor & alibi.

11. In ſacra expeditione, quæ Urbani ſecundi pontificatu contigit, Latinis monachis magna facta eſt in Palæſtinæ partibus acceſſio. Certe Buamundus, Orderico [a] teſte, quædam monaſteria, unde crudeles Turci religioſos habitatores fugaverant, *Latinis monachis ſeu clericis aſſignavit*, eiſque amplas poſſeſſiones liberaliter tribuit: *ut ſecundum latinitatis uſum divinæ majeſtati ſervitium perſolverent*. Huc ſpectat id, quod Rocchus Pirrus [b] obſervat, principes Nortmannos in civitate Jeroſolymitana templum & cœnobium Benedictinorum nobiliſſima conſtruxiſſe, ſcilicet beatæ Mariæ de Latina, quæ prima Latinorum in ſacra illa urbe ædes fuerit: cui Rogerius Siciliæ comes Meſſanæ duo alia ſanctæ Mariæ de Latina monaſteria ſubjecit. Quin etiam monachi indigenæ ſua ſponte ritus Latinos ſuſceperunt. quos inter monachi, jam quidem Latini, Cluniacenſi congregationi ſeſe addixerunt. qua de re Petrus Venerabilis litteras [c] ad eos ſcripſit, ipſis congratulatus, quod *non ſolum communi fide, non ſolum monaſtica profeſſione, ſed inſuper Cluniacenſis Ordinis ſollicita obſervatione*, ipſius *corpori* nuper *unitos* fuiſſe per quemdam illorum reſciviſſet. Sacri illius montis Prior fuerat ille, qui Conſtantinopolim profectus, litteras pro ſe commendatitias [d] ad imperatorem Conſtantinopolitanum à Ludovico juniori Francorum rege poſtulabat. Eodem fere tempore Amalricus rex Jeroſolymorum litteras ad Alexandrum papam tertium miſit, ut Cluniacenſes monachos inſtitueret in Palmareæ monaſterio, pæne in ſolitudinem redacto, cujus *advocatus*, *patronus*, & *fundator* Gormundus fuiſſe dicitur. qua de re pontifex Palæſtinæ epiſcopis ſcripſit, in Cluniacenſis Ordinis commendationem hæc præfatus. *Quam nobilis celebriſque per orbem eccleſia Cluniacenſis exſiſtat, & quanta gloria præfulgeat meritorum, gratia præemineat ſanctitatis, & fragrantia ſit decorata virtutum; quot etiam ſuæ religionis odore ac bonæ converſationis exemplo ad pie & religioſe vivendum inſtruxerit, univerſus fere mundus agnoſcit.*

a *Orderic. lib.* 10. *p.* 779.

b *Sicil. ſac. to.* 3. *p.* 108.

c *Petr. Ven. lib.* 2. *ep.* 44.

d *Cheſn. to.* 4. *p.* 696.

12. Non prætereundum id, quod Jacobus à Vitriaco [e] tradit de noſtratibus utriuſque ſexus, qui Palæſtinæ ſacra loca ſuo tempore incolebant. *In eccleſiis*, ait ille, *ſeu monaſteriis de Latina & valle Joſaphat, ſunt abbates cum monachis nigris, ſecundum Regulam beati Benedicti Domino ſervientes. In Bethania vero, quæ eſt caſtellum Mariæ & Marthæ & Lazari fratris earum, & diſtat ab Jeruſalem quindecim ſtadiis, ultra montem Oliveti, in declivi ejuſdem montis, eſt abbatia ſancti Lazari, in qua eſt abbatiſſa nigra & moniales, ſancti Benedicti Regulam & inſtituta profitentes... Ejuſdem autem Ordinis & profeſſionis eſt abbatia ſanctæ Annæ genitricis Matris Domini, juxta portam, quæ dicitur Joſaphat, juxta probaticam piſcinam ſita, in quo*

e *Jac. à Vitriaco, hiſt. Orient. cap.* 58.

loco beata virgo Maria nata fuiſſe perhibetur: in qua eſt abbatiſſa cum monialibus nigris. Abbatia inſuper ſanctæ Mariæ monialium in Jeruſalem cum abbatiſſa & monialibus nigris, ſub ſancti Benedicti Regula Deo ſervientibus, tamquam cella aromatica, ſanctis & caſtis & Deo devotis perſonis erat referta: quæ religionis diſtrictionem, vitæ honeſtatem & caritatis fervorem, nulla compellente adverſitate vel paupertate retinuerunt. Denique *in monte Thabor eſt abbatia nigrorum monachorum ſub metropolitano Nazareno.* Hactenus Jacobus à Vitriaco, quibus adde quod Rodulfus [a] miles ſcribit in ſuo itinere, ubi ait, *in pede montis Moyſi fundatum* eſſe clauſtrum Ordinis ſancti Benedicti, *in quo ſunt*, inquit, *centum monachi Græci, quod ædificatum eſt per regem Babyloniæ.* quæ ille ſcribebat anno MCCCXLVI.

[a] *Caniſ. to. 6. p. 314.*

13. Ad alias orbis partes quod attinet, Bononius abbas ante medium undecimum ſæculum in Ægypto quam plurima monaſteria reparaviſſe dicitur, *in quibus abbates & monachos ordinavit, quorum vitam ſecundum Regulam ſancti Benedicti inſtituit*, ut anonymus æqualis ejus in vita tradit. Paullo ante idem Ordo in Boëmiam, Hungariam, & Poloniam permanavit, ſtudio ſancti Adalberti Pragenſis epiſcopi, Gaudentii ejus fratris, & aliorum è noſtris. In Dania poſt mortem Chunuti regis, cum ad ejus tumulum multa per eum miracula divinitus fierent, *ibi* [b] *grande cœnobium monachorum conſtructum eſt, & monaſticus Ordo, ſicut in Anglia apud Coveshamium ſervabatur, conſtitutus eſt.* Non multo poſt Magnus, Olavi Noricorum regis filius, *epiſcopatus* [c] *& cœnobia monachorum, quæ anteceſſores ejus non noverant, in regno Nordico conſtituit.*

[b] *Orderic. lib. 7. p. 650.*

[c] *Id lib. 10. p. 767.*

In Anglia monaſticus Ordo reformatur.

14. Quantum ad inſtaurandum in monaſteriis noſtris rectum ordinem contulerit Willelmus Conquæſtor, teſtatur in primis Ordericus, cujus verba [d] huc referre juvat. *Nam dum paſtor quilibet*, inquit, *completo vitæ ſuæ termino, de mundo migraret, & eccleſia Dei proprio rectore viduata lugeret; ſollicitus princeps prudentes legatos ad orbatam domum mittebat, omneſque res eccleſiæ, ne à profanis diſſiparentur, deſcribi faciebat. Deinde præſules & abbates, alioſque ſapientes conſiliarios convocabat, & eorum conſilio quis melior & utilior, tam in divinis rebus, quam in ſæcularibus, ad regendam Dei domum videretur, ſummopere indagabat. Denique illum, quem pro vitæ merito & ſapientiæ doctrina proviſio ſapientum eligebat, benivolus rex diſpenſatorem & rectorem epiſcopatus vel abbatiæ conſtituebat. Hanc nimirum obſervationem quinquaginta ſex annis cuſtodivit, quibus regimen in ducatu Normanniæ ſeu regno Angliæ tenuit: & inde religioſum morem & exemplum poſteris dereliquit. Simoniacam hæreſim omnimodis abhorrebat: & ideo in eligendis abbatibus vel epiſcopis non tam opes ſeu potentiam, quam ſanctitatem & ſapientiam perſonarum conſiderabat. Probatas virtute perſonas cœnobiis Angliæ præfecit: quorum ſtudio & rigore monachatus, qui jam aliquantulum tepuerat, revixit; & qui defeciſſe videbatur, ad priſtinum robur ſurrexit.* Ejus rei

[d] *Id. lib. 4. p. 516.*

Digitized by Google

rei cauſa novi [a] abbates in quibuſdam monaſteriis ordinati, *& complures cœnobitæ in monaſteriis Gallicis competenter edocti ſunt* : qui regio juſſu Anglicanis poſtea præfecti, regularem diſciplinam reſtituerunt : ex quibus Scollandus abbas, *ſcientia famoſus & bonitate pollens*, qui in monte ſancti Michaëlis educatus fuerat, Cantuarienſi beati Petri cœnobio præpoſitus eſt.

a Ibid. p. 518.

§. III.

De controverſia ſub finem ſæculi x. exorta occaſione profeſſionis, quam epiſcopi ab ordinandis abbatibus exigebant.

15. GRavis & diuturna fuit ab exeunte ſæculo decimo controverſia, orta epiſcopos inter atque abbates nonnullos ob ſubjectionis profeſſionem, quam epiſcopi ab eis, cum ordinandi eſſent abbates, exigebant. De hac agere noſtri eſt inſtituti, non ad renovandas illorum temporum altercationes, quas modo exſtinctas eſſe gaudemus, ſed ad illius controverſiæ hiſtoriam illuſtrandam. Hiſtorico itaque modo ea velim accipi, quæ hoc loco à nobis dicenda erunt, ubi non de jure, ſed de facto agitur.

Floriacenſes abbates de hac profeſſione diſceptant.

16. In primis magna animorum contentione Epiſcopi Aurelianenſes à Floriacenſibus Abbatibus hanc profeſſionem ſubjectionis olim exigere nitebantur; nec minus animoſe reſtitere abbates, præſertim Abbo, & ſucceſſor ejus Gauzlinus. Abbonis hac de re controverſiam paucis exponit Aimoïnus, tum in lib. 1. de miraculis ſancti Benedicti, tum in cap. 8. Vitæ ipſius Abbonis, ubi hæc verba. *Denique cum idem vir Domini paratus eſſet juxta Apoſtoli præceptum ſubdi etiam omni humanæ creaturæ propter Deum; intelligens tamen hoc loco quem regebat, poſſe officere, ſi ei modos ſubjectionis, quos requirebat* epiſcopus, *ad ipſius libitum dependeret; id facere in omni ſua recuſavit vita. Unde idem pontifex, Arnulfus nomine, animadvertens nec ratione, nec divinarum legum eum poſſe convinci altercatione, manifeſtum ſe ei oſtendit inimicum.* Idem auctor in lib. 1. de miraculis ſancti Benedicti cap. 19. *Arnulfus*, inquit, *Aurelianorum epiſcopus, alias ſane bonus, & eccleſiaſticas regulas ſcientia & opere optime ſervans, numquam ad purum prælatos hujus Floriacenſis loci dilexit, ideo quam maxime, quod illi ditioni ſolummodo parentes regiæ, ſubjectionem, qua ipſe ultra modum delectabatur, nequaquam ad ipſius voluntatis dependeret nutum. Qua de re vineas ſancti Benedicti in ſuburbano Aurelianenſis urbis, in loco qui Boaria dicitur ſitas, ut ſui eas pervaderent ſatellites, aſſenſum præbuit.*

17. Eadem lis iterum recruduit inter Fulconem Aurelianorum epiſcopum & Gauzlinum Floriaci abbatem, teſtante Fulberto Carnutenſi antiſtite, qui hac de cauſa duas epiſtolas ſcripſit, unam ad Fulconem jam dictum epiſcopum, quæ eſt 41. in qua hæc legun-

Digitized by Google

tur. *Igitur ſi Abbas ſancti Benedicti de veſtro contemtu culpam ſuam recognoverit, & illam deinceps ſubjectionem promiſerit, quæ vobis canonice debetur; hortor & ſuadeo ut recipiatis: ſacramenta vero & cetera, quæ ad mundanam legem pertinent, propter amorem Regis domini miſſa faciatis; ut religionem magis, quam ſæcularem ambitionem vos ſectari cognoſcat. At ſi Abbas in tantam ſuperbiam intumuerit, ut ipſam quoque ſubjectionem canonicam vobis derogare contendat; ſuperbiæ, cui non parcit Deus, Dei ſervus quomodo parcat neſcio.* Duplicem Fulbertus hic diſtinguit ſubjectionem: unam, quæ Epiſcopo *canonice* debetur, obedientiam ſcilicet ſalvo ordine ac reverentiam, necnon ordinationes, conſecrationes eccleſiarum, aliaque id genus involvens: alteram, *quæ ad mundanam legem pertinet*, ſpectatque ſacramentum & fidem clientelarem ob beneficia domino exhiberi ſolitam. Quid exinde conſecutum ſit, diſcimus ex Fulberti epiſtola 72. ad Gauzlinum Abbatem, quem à Fulcone excommunicatum fuiſſe dicit. *Præſul Aurelianorum*, Fulberti verba ſunt, *qui vos excommunicavit, coëpiſcopos ſuos idem facere poſcit. At ego correctionis veſtræ non expers, tertio Kal. Octobris ei reſpectum*, id eſt inducias, *dedi. Unde nunc, frater, commoneo, ut gradus humilitatis interim vel uſque ad tertium relegens, epiſcopo veſtro ſubjiciamini, ſicut decet: aut ſi vobis non ita faciendum eſſe videtur, cur fieri non debeat, rationem nobis intimare non pigeat. Ego enim neque legem, neque modum ratiocinationis invenire poſſum, quæ vos ab jugo ſubjectionis hujus abſolvat.* Quid ad hanc epiſtolam Gauzlinus reſponſi dederit, ignoramus: at quid in conſimili facto ſcripſerit Goffridus Vindocinenſis, poſtea exponemus.

18. Non in ſola ſubjectionis quæſtione ſtetit Arnulfus Aurelianenſis, ſed ad alia etiam capita, ut fit, ex occaſione ſe convertit: nimirum licere ſibi monachos vagos conjicere in carcerem, eiſque monaſticas veſtes detrahere. qua de re famoſum libellum edidit adverſus Abbonem & monachos Floriacenſes, cujus libelli fragmentum ex mſ. codice huc afferre juvat. [*Monachi quos ex*] *humilitatis gradibus omnibus fore ſubjectos regularis docet profeſſio, utpote à ſæculi actibus alienos, in tantam audaciæ extolluntur ſuperbiam, ut poteſtatem epiſcopis à Deo collatam ſuis traditionibus offuſcare contendant. Cujus præſumtionis peſtifer, ut comperi, exſtat Præpoſitus cœnobii Floriacenſis Ait enim ſub perſona aliorum, non licere epiſcopis monachos monaſteria fugientes, propriis vitiis excommunicatos, & vitam rebus inhoneſtis fœdare gaudentes, cuſtodiis mancipare, eiſque cucullas detrahere, quas ſimulatione religionis in conſpectu hominum gerunt, ſed pravæ converſationis opere impugnant. quam ſententiam non conſulendo auctorizare ſatagunt, verum quaſi hanc poteſtatem propriam ſibi reſervantes.* ſic deſinit fragmentum hujus libelli, quod Stephanotius noſter, recens magno noſtro dolore Romæ mortuus, à venerabili viro Roberto Huberti præcentore ſancti Aniani Aure-

Digitized by Google

lianenſis accepit. Eo ſpectare videtur Abbo ipſe in apologetico ſuo ad Hugonem & Rotbertum, ubi hæc dicit: *Quod excommunicatis me miſcuiſſe aſſerit Arnulfus, ejus exemplo fero, qui filios Belial nocturno latrocinio necem meam graſſantes recepit.* Ex quibus intelligimus, quouſque progreſſa ſit fervens hæc controverſia.

19. Verum non ſolum in Floriacenſe monaſterium hæc tempeſtas exarſit, ſed etiam in alia multa; ex quibus unum eſt Vindocinenſe, à cujus Abbate Goffrido Ivo Carnotenſis epiſcopus ſimilem profeſſionem exigere volebat, reclamante poſtea ipſo Goffrido. Ita enim ſcribit in lib. 2. epiſtola 7. ad Ivonem. *Profeſſum vero veſtrum me vocaſtis. Satis melius fuiſſet, ut à vobis ſacratum dixiſſetis. Quod etſi pro conſecratione profeſſionem, & pro profeſſione ab alodiario beati Petri ſubjectionem vobis vindicaſtis; conſecrationem utique illam gratis minime impendiſtis. Non enim gratis impenditur, per quod homo homini ſubjectus efficitur. In profeſſione ſiquidem illa conſilio veſtro nimia ſimplicitate acquievi: ubi ſi quid aliter actum eſt, vos ſcienter feciſtis; ego autem ignoranter peccavi.* Tum ſubdit, *honorabilis memoriæ Papam Urbanum*, cum per eos tranſiret, ejuſmodi profeſſionem improbaſſe, idque ſibi pro crimine imputaturum fuiſſe, *ſi ignorantiæ ac juventuti ſuæ miſericorditer non peperciſſet.* Porro Pontificem ſanxiſſe, *ne deinceps Abbas monaſterii* Vindocinenſis *epiſcopo profiteretur*; idque *privilegii ſui inretractabili firmitate prohibuiſſe.* quod ſubinde Paſchalis papa *ſua apoſtolica auctoritate firmaverit.* Idem Goffridus in ſequente epiſtola 11. ad eumdem Ivonem, eadem omnino retractat. *Profeſſio quam à me adhuc juvene & novitio extorſiſtis, regularis minime fuit, eamque feciſſe peccatum extitit, & accepiſſe irreligioſum.* Non ſolum autem ſuam ipſius profeſſionem ſubjectionis revocavit Goffridus; ſed etiam univerſim hujuſmodi promiſſiones improbavit Opuſculo 10. *Sunt quidam epiſcopi*, inquit inter alia, *qui pro benedictionibus abbatum ſub nomine profeſſionis ab eis exigunt quod eſt Chriſtianæ profeſſioni valde contrarium. Nam cum profeſſio alia in divina laude ſit, alia pro peccatorum depoſitione: iſta laudem Dei non facit, ſed minuit; nec deponit peccata, ſed apponit. Nec ſacræ fidei profeſſio recto nomine dicitur; ſed exſecranda promiſſio, quæ claves Eccleſiæ agitare, & unicum ac ſingulare ejus oſtium violare conatur. Iſta neque veritate, neque auctoritate inventa, ſed conſuetudine & hominum cupiditate reperta, triplici genere ſimoniæ contra ſanctam Eccleſiam jaculatur.* & infra. *Qui ſic agit, forſitan dicit: Pro benedictione non quæro pecuniam. Immo ſatis amplius exigit, quia hominis perſonam. Divina lege & manifeſta ratione probatur, quia benedictio minime datur gratis, quam præcedit abbatis illa proſcriptio, ut quod deſiderat aſſequatur. Non enim faceret illam, ſi repulſam non pateretur.* Tandem Gaufridus Carnotenſis epiſcopus & apoſtolicæ ſedis legatus, ob papæ interdictum Fromundo & Huberto Goffridi noſtri ſucceſſoribus hanc profeſſionem remiſit, datis

Item Vindocinenſes.

Digitized by Google

a *Nota in Goffr. p. 40.* Huberto litteris, à Sirmondo [a] relatis; quibus ſucceſſores quoque ſuos ad idem præſtandum adſtringit.

S. Anſelmi hac de re ſententia. 20. In eadem ſententia fuit Anſelmus cum Abbas Beccenſis eſſet, ſcribens ad Ernulfum abbatem, quem epiſcopus Bajocenſis ad benedictionem, & conſequenter ad profeſſionem invitabat. *Scimus*, inquit, *quia ſemper profiteri ore, & opere exhibere debemus majoribus noſtris regularem obedientiam; quam ſcripto repetere, quamdiu eam non abnegaſſe cognoſcimur, ſuperfluum certe eſt. Ad quod ſi quis nos vult cogere, cum ad Abbatiæ prælationem promovemur, ſine ulla ratione fieri videtur, &c.*

Ivonis Carnotenſis cōtraria. b *Ivo. ep. 55.* 21. Alia mens fuit Ivonis [b] Epiſcopi Carnotenſis, cenſuitque temere & immerito à quibuſdam carpi abbatem Majoris-monaſterii, quod obedientiam metropolitano ſuo profeſſus eſſet. *Quod calumniantur*, inquit, *non recte vos feciſſe, quod ante benedictionem promiſiſtis obedientiam ſedi metropolitanæ vana & nulla calumnia eſt*; & infra: *Quomodo enim ſibi connexa ad invicem poterunt eſſe membra corporis Chriſti, niſi diſpenſatores monaſticarum vel canonicarum congregationum eam obedientiam exhibeant prælatis ſuis, quam ſibi exhiberi volunt à ſubditis ſuis?* Non dubium quin eadem mens fuerit omnium tunc temporis epiſcoporum: quibus abbates ægre admodum tandem acquievere.

Caſini abbas hanc profeſſionē papæ facere recuſat. c *Chron. Caſin. lib. 4. c. 95.* 22. Nec mirum videri debet quod abbates hanc profeſſionem epiſcopis facere detrectarent, quando Senioredus Caſinenſis abbas ejuſmodi profeſſionem ipſi etiam papæ Honorio ſecundo facere ab eo benedicendus recuſavit, opponens, *hoc* [c] *abbates Caſinenſes numquam feciſſe.* Cum vero Pontifex repoſuiſſet, id ſibi ab eo negari non debere, quod omnes fere epiſcopi, archiepiſcopi & abbates ſibi præſtarent; reſpondit abbas, ab epiſcopis id extortum fuiſſe, quod ſæpius in hæreſim lapſi eſſent, & Romanæ eccleſiæ rebelles extitiſſent: quod Caſinenſi eccleſiæ numquam accidiſſet. Acquievit mollitus eo reſponſo Pontifex: ſed cum non multo poſt Caſinates Anacleto antipapæ adhæſiſſent, abbates Caſinenſes deinceps Innocentio papæ ſecundo, ejuſque ſucceſſoribus obdientiam ac fidem polliceri compulſi ſunt.

Normanniæ duces abbatibus favent. 23. Nec ſolum Abbates ejuſmodi profeſſioni reſtitere, ſed etiam Principes, in quorum ditione monaſteria ſita erant. Exemplo eſt epiſtola Henrici II. Anglorum Regis ad Innocentium papam II. apud quem querelas deponit de Hugone archiepiſcopo Rotomagenſi, quod *perſonæ ſuæ reſpectu inſuper habito*, Ducatum Normanniæ perturbaret, inſolita jura à ſubditis ſuis extorquendo, *in benedictionibus ſcilicet & extortis profeſſionum ſcriptis intra* * *ducatum*, inquit, *meum & provinciam ſuam, ab Abbatibus meis Normanniæ, me inconſulto, vobis in Concilio querimoniis inde propoſitis.* Ita in editis in Spicilegii tomo 2. apud Acherium noſtrum. Quid ad hæc reſponderit Innocentius, docet ſequens ejus epiſtola ad ipſum Hugonem. *Ceterum cariſſimus filius noſter rex Anglorum Henricus, prout*

* *ed.* extra.

Digitized by Google

accepimus; eſt adverſum te graviter indignatus, quod contra conſuetudinem ſuam & aliorum Ducum Normanniæ, à quibuſdam abbatibus profeſſionem & obedientiam ſuſcepiſti. Addit tamen Pontifex, id juſtum fuiſſe, *&* vobis, ait, *in Concilio Remenſi mandatum: ſed pro ejus caritate à rigore juſtitiæ aliquando condeſcendere debemus, & pro tempore ipſius voluntati aſſenſum præbere. ... Unde fraternitatem tuam rogamus atque mandamus, quatenus de abbatibus illis ejus voluntati conſentias; & ſi quem de abbatibus ligaſti, abſolvas.* Itaque novus tunc erat uſus iſte in Normannia, & *contra conſuetudinem* inductus nuper in Concilio Remenſi.

24. Idem probat Ordericus in libro 10. hiſtoriæ ſuæ, ad annum 1099. *Giſlebertus Luxovienſis epiſcopus à monachis Uticenſibus multoties requiſitus fuit, ut abbatem ſuum benediceret. quod ille renuit agere, niſi abbas ſibi cirographum canonicæ profeſſionis exhiberet. Inter eos inde mutua per decem annos altercatio perduravit; & neuter vinci patiens, trophæum quiſque ſperavit. Nam Serlo, qui poſt Mainerium ad abbatiæ regimen electus fuit, cœnobitis duobus annis ſine benedictione præfuit, quia inſolitam Uticenſi eccleſiæ profeſſionem facere recuſavit. Similiter Rogerius Sappenſis pluſquam ſeptem annis fratribus præfuit: ſed Epiſcopo pertinaciter perſiſtente in ſuo ſenſu, paſtoralem cambutam non portavit. Qua de re regalis poteſtas à monachis requiſita jure prævaluit, & pertinaci Epiſcopo imperavit, ut mores quos anteceſſores ejus in Normannia ſub patre ſuo tenuerunt, obſervaret, & abbatem ſine alicujus novitatis exactione conſecraret. Juſſio Regis ab invito Præſule conceſſa eſt, & priſtinus mos cœnobio confirmatus.*

25. Prævaluit tamen, tum Romani Pontificis favore, tum Principum indulgentia, Epiſcoporum in Normannia auctoritas. ſiquidem Arnulfus Lexovienſis epiſcopus in epiſtola 42. ſacramentum *juratæ profeſſionis* objicit Greſtano abbati, quem contra præſcriptum obedientiæ ſibi debitæ egiſſe conqueritur. Idem in epiſtola 69. ipſi Innocentio exponit multiplicem & continuam inobedientiam Abbatis Uticenſis, quem ad ſibi exhibendam obedientiam *vinculo juratæ profeſſionis* adſtrictum fuiſſe dicit: cui profeſſioni tantopere Abbates Uticenſes antea reſtitiſſe ſuperius ex Orderico vidimus. Idem Innocentius graviter [a] increpuit Fontanellenſem abbatem, quod profeſſionem Hugoni Rotomagenſi archiepiſcopo facere detrectaret. qua de re ſcripſit idem pontifex ad Henricum Anglorum regem, cujus præſidio abbas ille ſe tutabatur.

Epiſcopi paullatim vincunt.

[a] *Guibert. not. p. 689.*

26. Sic paullatim deferbuit iſta controverſia, & abbatum plerique omnes, qui privilegiorum expertes erant, profeſſionem ſubjectionis Epiſcopis fecerunt tempore ſuæ benedictionis. Id quod etiam abbatiſſæ præſtiterunt. adeo ut Epiſcopus Pictavenſis abbatiſſam Fontis-Ebraldi, tametſi contrariis munitam privilegiis, huc adegerit, & *contra privilegium conſuetum, abbatiſſam coëgerit profeſſionem ſibi & obedientiam promittere, quam ſibi ſedes Petri retinuit*, ut

Digitized by Google

conqueritur Petrus abbas Cellenſis in lib. 1. epiſtola 3. ad Alexandrum Papam III. ubi quod ait Petrus, ſedem Petri hanc ſibi profeſſionem retinuiſſe, id argumento eſt, abbates abbatiſſaſve, à communi jure exemtos, Pontifici Romano id genus profeſſionis facere ſolitos fuiſſe. qualis eſt profeſſio Nicolai Abbatis Corbeienſis in mſ. codice Corbeienſi ſub hac forma: *Ego Nicolaus, nunc ordinandus Abbas ad titulum S. Petri Corbeiæ, ſubjectionem & reverentiam, à ſanctis Patribus conſtitutam, & obedientiam ſecundum præceptum ſancti Benedicti, ſanctæ Dei Romanæ Eccleſiæ, & domno Papæ Innocentio, ejuſque ſucceſſoribus, in præſentia domni Milonis Tarvanenſis Epiſcopi, perpetuo me exhibiturum promitto, & propria manu firmo.* At inſignis præ ceteris eſt profeſſio Johannis monaſterii ſancti Albani Abbatis, anno MCCXXXV facta, quam refert Matthæus Pariſius in vitis [a] Abbatum. Ceterum qui ejuſmodi promiſſionem Epiſcopis faciebant, crucis ſignum *in principio profeſſionis* ſubſcribebant, eamque lectam *altari ſuperponebant*, ut ex ejuſdem auctoris vitis [b] diſcimus. Denique Abbates Ordinis Ciſtercienſis hanc profeſſionem faciebant ſalvo ordine [c] ſuo. quod Lucius III. ſingulari diplomate confirmavit. Itaque jam inde illius Ordinis abbatibus ſollemne fuit epiſcopo ſuo, dum benedicerentur, promittere *canonicam reverentiam* quo nomine intelligebant ordinationes, conſecrationes eccleſiarum & altarium, immo & cœmeteriorum, Chriſmatis conceſſionem, quæ omnia à diœceſanis epiſcopis accipere debebant, ſimul cum dimiſſoriis litteris, cum extra diœceſim proficiſcebantur.

Abbatum exemtorum profeſſio.

a *Matth. Pariſ. p. 91.*

b *Ibid. p. 49.*

c *Manrique to. 3. p. 131.*

27. Hæc fere hiſtoria eſt ejuſmodi profeſſionum, quarum originem, formam, inſtitutionem, aliaque accidentia accuratius hoc loco inveſtigare quoddam operæ pretium foret, diſquirendo primum, quo tempore cœperint; deinde an omnes abbates ea lex comprehenderit, & quas rationes obtenderint abbates, qui ei repugnabant: tum quinam vere ab ea exemti fuerint: denique an qui temporali Epiſcoporum jure abſoluti erant, etiam in ſpiritualibus eadem libertate gauderent. Verum ne litis materiam ſerere videamur, de duobus tantum primis capitibus hic agere inſtituimus.

Profeſſionis epiſcopalis origo & progreſſus.

28. Ad primum quod attinet, ejus rei originem legere mihi videor in Concilio Cabilonenſi ſecundo, quod imperante Carolo Magno, anno DCCCXIII. celebratum eſt: in cujus canone 13. hæc leguntur. *Dictum eſt interea de quibuſdam fratribus*, id eſt epiſcopis, *quod eos quos ordinaturi ſunt, jurare cogant quod digni ſint, & contra canones non ſint facturi, & obedientes ſint Epiſcopo qui eos ordinat, & eccleſiæ in qua ordinantur. quod juramentum, quia periculoſum eſt, omnes una inhibendum ſtatuimus.* Ex eo itaque tempore Epiſcopi ejuſmodi uſum inducere voluerunt, ut ordinandi ſubjectionem & obedientiam ſibi & eccleſiæ ſuæ promitterent. quod im-

Digitized by Google

probarunt Concilii Cabilonenſis Patres, rati rem periculoſam eſſe, forte ob eam cauſam, quam poſtea obtenderunt Abbates, ne qua Simoniæ ſuſpicio in ordinationem incurreret. At quidquid contra ſenſerit Concilium, ab ea tamen promiſſione exigenda non temperaverunt Epiſcopi plerique; nec dubitem idem eos ab Abbatibus, cum eos benedicerent, ſubinde extorquere cœpiſſe. quod tamen vix in uſum venerit ante poſtrema tempora ſæculi decimi, cum hac de re controverſia inter Epiſcopum Aurelianenſem & Abbatem Floriacenſem exorta eſt. Neque vero citius hæc diſceptatio oriri potuit, cum abbates plerique, non regulares, ſed milites aut Epiſcopi, monaſteriis impoſiti eſſent: qui ſanè ab hac ſubjectione, ſiquidem tentata fuiſſet, facile ſe expediſſent. Quod de ſubjectionis ſacramento jam inde à ſæculi noni initiis ab ordinandis per epiſcopos exigi cœpto mox dicebamus, lucem accipit ex actis Guillelmi Abbatis Divionenſis, qui apud Vercellas cum Leviticum gradum ſuſcepturus eſſet, ad hunc jurandi morem adduci non potuit. Quippe in ea urbe inſoleverat, teſte Glabro, *male arreptæ conſuetudinis uſus, ut nullus Fratrum loci illius (*Luciaci*) Levitici Ordinis gradum prius ſuſciperet, quam ſeſe aſſertione jurandi promitteret ſervaturum fidelitatem Epiſcopo. Hoc vero dum ſuggeſtum fuiſſet Vvillelmo, ut juxta illorum morem faceret, reſpondens dixit, ſe non poſſe ſalubriter perpendere, ut pro his quæ ſolius Dei imperio gratis præſtari debeant, horum miniſtro alicujus ſervandæ fidei aſſertionem ullo modo exhiberet.* Id porro exigebat à Luciacenſibus monachis Epiſcopus Vercellenſis, *quod prædictum monaſterium in Vercellenſis urbis epiſcopio ſitum, ejuſdem Epiſcopi ditioni ſubjacebat.* Jam tum ergo *inſoleverat* apud Vercellenſes hæc fidelitatis proteſtatio, quæ apud alios inſolens erat in ordinandis, non minus quam in abbatibus benedicendis apud Gallos.

29. Secundo loco ex præmiſſis intelligimus, Epiſcopis, ſaltem pleriſque, hanc fuiſſe mentem, ſcilicet Abbates omnes hac promiſſionis lege teneri, etiam qui libertate exemtionis fruebantur. Alias Ivo Carnotenſis hoc ſacramentum à Goffrido Vindocinenſis monaſterii Abbate electo non exegiſſet. E contrario vero principio Abbates omnes adverſus hanc legem reclamavere, opponentes alii conſuetudinem adverſam, alii ſimoniam; alii privilegia libertatis, alii denique unicam Regi ſubjectionem, qualem ſane opponebat Abbo Epiſcopo Aurelianenſi, teſte Aimoino. Goffridus Abbas duo obtendebat, nimirum privilegia monaſterii ſui, & ſimoniam, quam diſerte explicat in opuſculo 10. alii nefas eſſe monachis jurare contendebant. Denique Abbates Normanniæ contrariam conſuetudinem allegabant, ut ſuperius vidimus.

30. Sed victis tandem Abbatibus, qui vel ſolam conſuetudinem, vel etiam ſimoniam proferebant; alii ſtrenue perſtitere in neganda promiſſione: nempe qui privilegia libertatis à Romanis Pontificibus obtinuerant, atque etiam ii qui ſoli Regi ſe ſubditos profitebantur. Exemtos quatenus hæc ſpectabat.

Digitized by Google

In exemtis gravis exorta eſt lis apud Anglos, inter Epiſcopum Lincolnienſem & Abbatem ſancti Albani. Epiſcopus aſſerebat, *ab initio naſcentis Eccleſiæ, eccleſiam beati Albani ſubjectam fuiſſe Lincolnienſi, in tantum, ut omnes Abbates ſancti Albani à domino Lincolnienſi benedictionem accepiſſent, & profeſſionem feciſſent. quæ profeſſio,* inquiebat, *vinculum eſt, quo filia matri obligatur. Unde & in principio profeſſionis crux ſubſcribitur: vera & ſtabilis promittitur obedientia: lecta etiam profeſſio altari ſuperponitur.* Deinde varias profeſſionum formulas proferebat Epiſcopus, atque adeo ipſiuſmet Rotberti Abbatis, in quem diſceptabat. Ad hæc reponebat Abbas, non omnes ejus loci Abbates à Lincolnienſi Epiſcopo benedictionem ſuſcepiſſe: ſe vero *litteras*, quæ afferebantur tamquam ſuæ, *nec ſcripſiſſe, nec ſcribi juſſiſſe; nec crucem ante poſitam propria manu annotaſſe*; ſe tamen eas legiſſe, *non propter obligationem, ſed propter Lincolnienſis eccleſiæ venerationem.* Porro eccleſiam ſancti Albani *non ſolum liberam eſſe, ſed & ingenuam; natales ejus Regem Offanum aureis litteris conſcripſiſſe, ejuſque ingenuitatem* roboraſſe ſucceſſores Anglorum Reges, eamdemque Romanos Pontifices ſuis privilegiis confirmaſſe. In his verbis duo diſtinguuntur monaſteriorum genera, alia *ingenua*, quæ à natalibus ſuis per conditores ſuos à jure communi exemta erant: alia *libera*, quæ procedente tempore hanc prærogativam adepta fuerant. Priorem libertatem Robertus Abbas refundit in litteras Offani regis, quæ monaſterii ſancti Albani *ingenuitatem* aſſerebant. Paris conditionis eſſe Floriacenſe monaſterium contendebat Abbo, qui illud *ditioni ſolummodo regiæ parere* ac ſubditum eſſe aſſerebat: jure an injuria, hic non diſputamus.

Matth. Paris. in Vitis Abb. à pag. 49.

Subjectio hæc in quibus poſita.

31. Antequam hoc argumentum dimittamus, obſervare convenit, quatuor eſſe maxime, quæ à monaſteriis ſibi ſubjectis exigere ſolebant epiſcopi, nempe obedientiam, cenſum annuum, quem *jus ſynodale*, ſeu *circadas* appellabant, procurationes ſeu jus hoſpitii in illis monaſteriis; & proceſſiones ſollemnes, id eſt jus celebrandi miſſas & conventus ſollemnes in eorum eccleſiis. Hæc fere prædictus Lincolnienſis epiſcopus flagitabat à Roberto abbate ſancti Albani. *Debet itaque*, aiebat, eccleſia beati Albani, ſicut ceteræ diœceſeos ejuſdem, *ſubjectionem & obedientiam: ut dominus Lincolnienſis habeat in ea ſollemnes proceſſiones, cum tempus exegerit; debitas refectiones, cum parochiam ſuam circuiverit: ut quibus ſeminant ſpiritualia, ab his metant & carnalia.* Hæc onera erant ſubjectionis epiſcopalis, hæc indicia: quibus ſemel probatis, probata & aſſerta manebat illa ſubjectio; ſublatis & refutatis, hæc ſublata paſſim & refutata cenſebatur. His annexæ erant benedictiones abbatum, monachorum ordinationes, conſecrationes eccleſiarum & altarium, chriſmatis conceſſio: quæ tamen indicia certa ſubjectionis non erant. Sed de his ſatis pro tempore & loco.

§. IV.

Digitized by Google

§. IV.

Pontificalia ornamenta abbatibus conceſſa.

32. POntificalia ornamenta ne quidem epiſcopis [a] omnibus, nedum abbatibus, ſtatim ab initio communia fuere omnia. Mitræ uſus Trajectenſi ad Rhenum epiſcopo, aliiſque nonnullis ſerius conceſſus, nec abbatibus ante ſæculum undecimum. In abbatis ordinatione *baculum & pedules* epiſcopus etiam antiquitus tradebat, ex Theodori pœnitentiali & ordine Romano. Baculum vero abbatialem *more antiſtitum* ſuperne *recurvum* fuiſſe teſtatur [b] Adrevaldus. Ejus tamen uſum abbates canonicorum regularium ſancti Auguſtini initio refutarunt. Anno DCCCCLXX. Diedericus ſeu Theodericus Mettenſis antiſtes à Romano pontifice Johanne XIII. obtinuit, ut abbas [c] ſancti Vincentii Mettenſis dalmatica & ſandaliis uteretur. Sandaliorum etiam uſum Leo IX. Gervino abbati Centulenſi obtulit: ſed ille, ut inſigniter modeſtus erat, hæc ornamenta [d] recuſavit. Eodem pontifice Richerius abbas Caſinenſis Romam profectus, privilegium [e] ab eo, *juxta morem prædeceſſorum ſuorum*, adeptus eſt, quo idem pontifex *uſum ſandaliorum atque dalmaticæ, necnon & chirothecarum* in præcipuis feſtis ad miſſarum ſollemnia, tam illi, quam ejus ſucceſſoribus indulſit. Idem ab ipſo Leone tributum Fulconi abbati Corbeienſi & Warino abbati ſancti Arnulfi Mettenſis, exceptis chirothecis.

a *Tho. Cantipr. lib.* 1. *c.* 6.
b *Adrev. cap.* 22.
c *Spicil. to.* 5. *p.* 142.
d *to.* 4. *Spicil. p.* 597.
e *Chron. Caſ. lib.* 2. *c.* 81.

33. Ex abbatibus vero, quibus mitræ uſus conceſſus ſit, nullum invenio ante Egelſinum monaſterii ſancti Auguſtini prope Cantuariam abbatem, cui Alexander II. id privilegii impertivit [f] *ob ipſius ſcilicet Romanorum alumni & Anglorum apoſtoli dignitatem.* Hic uſus frequentari cœptus Urbano ſecundo pontifice, qui idem privilegium Oderiſio [g] Caſinenſi, & Hugoni [h] Cluniacenſi abbatibus largitus eſt. Petro abbati Cavenſi idem Urbanus in concilio Beneventano [i] uſum mitræ conceſſit; at ille uti noluit, ad reprimendam ſuperbiam aliorum abbatum. Par modeſtia fuit Lantelmi Caſæ-Dei abbatis, cui Lucius tertius ex obedientia injunxit, ut mitram geſtaret. Cum enim Pontifex in Cœna Domini miſſarum ſollemnia celebrans advertiſſet, multos abbates, excepto Lantelmo, mitra ornatos ſibi adeſſe; *nullius ſuggeſtione*, ſed *ipſius honeſtate abbatis* inductus, mitram ei contulit. Poſtulanti vero abbati, ut ab ea deferenda liber eſſet, reſtitit Pontifex, eique *in virtute obedientiæ* præcepit, ut ea in præcipuis ſollemnitatibus uteretur. Hunc uſum non probat Thomas [k] Cantipratenſis, quem uſum nonniſi *in pauciſſimis & ſpecialiſſimis quibuſdam Galliæ monaſteriis, ut in monaſterio ſancti Dionyſii & Cluniacenſi*, antiquis temporibus inoleviſſe tradit. Denique Paulus [l] Langius è noſtris magnopere indignatur Hermanno ſui mo-

f *Thorn. an.* 1059.
g *Chron. Caſ. lib.* 4. *c.* 17.
h *Bibl. Cluniac. p.* 515. & 517.
i *Baron. an.* 1091.
k *Tho. Cantipr. lib.* 1. *cap.* 6.
l *Paulus Lang. an.* 1398

naſterii Citizenſis abbati, ejus nominis ſecundo, qui hæc inſignia à Bonifacio nono prece ac pretio ſibi, ſuiſque ſucceſſoribus comparaverat. ubi ſimilium abbatum vanitatem carpit, qui ejuſmodi inſignia ex ambitione affectabant: non *utentium conſuetudinem*, aut *adinventi ſive conceſſi privilegii conſervationem, ſed ſolum impetrantium curioſam vanitatem ſugillare* volens, exemplo ſancti Bernardi abbatis, Petri Bleſenſis, & Hugonis cardinalis, quos laudat.

34. Non me fugit proferri à nonnullis antiquiora exempla quorumdam abbatum, quibus pontificalium ornamentorum, adeoque mitræ deferendæ privilegium longe ante ſæculum undecimum conceſſum legitur. Verum ejuſmodi privilegia non ſatis explorata nobis videntur. Poſtremis hiſce temporibus jus fere commune abbatum evaſit, quod à medio ſæculo undecimo peculiare privilegium erat. Nondum hoc privilegium obtinuerant Laubienſes, cum venerabilis Goſvinus ad ejus loci regimen electus eſt. Reſtitanti [a] expoſuit magiſter Werimbaldus, præclarus eo tempore orator, illius monaſterii dignitatem, divitias, potentiam, viros ſcientia illuſtres; addiditque, *rectorem loci, minus quidem epiſcopo, ſed eſſe plus abbate: cujus in miſſarum ſollemniis ornaret anulus manum, ſandalia pedes, corpus tunica univerſum.* Verum hæc potius ad dehortandum, quam ad convincendum virum ſanctum valuere. Ceterum cum offenderentur epiſcopi, quod in conciliis & ſynodis abbates, quibus geſtandæ mitræ jus erat, ab epiſcopis non diſtinguerentur, ſtatuit Clemens IV. ut in ſynodis exemti mitris auriphrygiatis, ſed ſine gemmis, laminiſque aureis vel argenteis utantur: non exemti vero ſimplicibus albis & planis. In aliis vero locis utriſque iis uti mitris liceat, quas ſedi apoſtolicæ indulta permiſerint. Ita clariſſimæ memoriæ Jacobus Sirmundus in notis ad Goffridum.

a *Goſvini vita lib. 1. c. 23.*

§. V.

Obſervationes eccleſiaſticæ & monaſticæ.

Habitus monaſticus in extremis.

35. ANtiquus mos erat jam inde à ſæculo ſeptimo receptus, ut ſæculares homines, etiam epiſcopi ceterique clerici majores, in extremis habitum monaſticum in ſignum pœnitentiæ ſuſciperent, deinceps monaſticæ profeſſioni addicti eſſent futuri, ſi revaluiſſent. Id genus exempla retulimus in præfatione ad ſæculum primum, aliaque nonnulla in præfatione prima ad ſæculum tertium, ubi ejuſmodi monachos *ad ſuccurrendum* dictos fuiſſe obſervavimus, atque in præfatione 2. ad ſæculum quartum, ubi fuſius de hoc argumento actum eſt. Innumera ejus rei exempla occurrunt ſæculo undecimo, & ſequenti apud Ordericum Vitalem & alios. Tales fuere Ludovicus comes Alamannorum in Senonenſi monaſterio ſancti Petri, apud Clarium monachum, Gerfridus comes Meritoniæ,

Digitized by Google

Hugo Ceſtrenſis, & Guillelmus Flandriæ comes apud Ordericum: tales ex epiſcopis fuere Hugo & Robertus Autiſiodorenſes, & Robertus Lingonenſis, aliique permulti. Non placuit hæc conſuetudo cuidam epiſcopo tempore Petri Damiani, exiſtimanti atque prædicanti, quod niſi quis ſecundum Regulam diu probatus fuiſſet, *ſi propter ægritudinem aut alio quolibet modo* ad monaſticum Ordinem veniſſet, *liberam redeundi ad ſæculum haberet facultatem.* Hunc epiſcopum talia proferentem graviter exagitat Petrus in opuſculo 15. *Quæ eſt enim illa dementia*, inquit, *quæ væſania, quæ crudelitas! Habet homo diſponendarum rerum ſuarum liberam facultatem: ut ſemetipſum Deo offerat, poteſtatem non habet? Valet hominibus tradere ſubſtantiam ſuam: non habet libertatem Deo reddere animam ſuam?... Si Creator paratus eſt, ut peccatis ignoſcat, quis eſt iſte qui peccatorem converti prohibeat? Quid enim eſt aliud monachum fieri, quam converti? Sed qui hominem non poſſe monachicum ſubire propoſitum in languore corporis conſtitutum denegat; profecto non poſſe converti indubitanter affirmat. quod ſi ſemel admittitur, nulli dubium, quin pœnitentia, quæ ſpes eſt peccatorum & unicum ſalutis remedium, deſtruatur.... Dum ergo monachum fieri hoc ſit utique converti, & converſionis remedium nulla hora reſpuit, nullum tempus excludit: conſtat procul dubio, quia in ægritudine conſtitutus, ſicut converti cum vult, nullius auctoritatis obſtaculo præpeditur; ita etiam ut monachus fiat, abſque ulla refragatione recto jure conceditur... At forſitan inquies, non quidem prohibetur in corporali moleſtia poſitus ad portum monachici ordinis repente confugere: ſed licet, ſi convaluerit, ad priſtinæ converſationis habitum remeare. Sed clamat, immo reclamat ipſa Veritas tam perſpicuæ falſitati, cum dicit:* NEMO *mittens manum ſuam ad aratrum & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei.* Hæc aliaque plura Petrus Damiani.

Puerorum oblatio in monaſteriis olim irrevocabilis.

36. Affinis eſt huic argumento alia quæſtio de pueris in monaſterio Deo oblatis, quos irrevocabili jure voto parentum adſtringi ſanctus Benedictus in Regulæ ſuæ cap. 59. præcipit, probatque Rabanus Maurus libello ſingulari, quem adverſus quoſdam huic Regulæ præſcripto reſiſtentes compoſuit: quem libellum, Deo dante, alias proferemus in lucem. Hunc morem itidem propugnavit Petrus Damiani in prædicto opuſculo 15. qua de re alias egimus, nimirum in ſecunda præfatione [a] ſæculi quarti, & in tomo 2. Analectorum in Adnotationibus [b] ad epiſtolam Rodulfi abbatis Trudoniani, quem Sibertus abbas ſancti Pantaleonis conſuluerat, an & qua ratione liceret aliquid exigere à parentibus pro admiſſione puerorum in monaſteriis. Præclara eſt hanc in rem epiſtola nondum edita Nicolai primi ad omnes epiſcopos *in regno Lodovici* poſitos, de quodam Lamberto clerico, quem ejus pater Atto comes, tunc clericus, in tenera ætate, nempe *inter octavum & undecimum annum*, conſtitutum, proprio arbitrio, citra pueri voluntatem, monaſtica

[a] *Num.* 199.
[b] *Analect. to.* 2. *p.* 530.

Digitized by Google

cuculla donaverat; eumdemque, poſt quoddam temporis ſpatium, Salomon epiſcopus, ſcilicet Conſtantienſis, monaſtico habitu, ut ferebatur, invitum induerat, & ſub hac occaſione fratres ſui eum paterna & materna hereditate privare volebant, & monachum permanere. Lambertus ejus rei cauſa refugit ad pontificem, citatuſque pater ejus Atto affirmavit, ſuæ quidem voluntatis fuiſſe, ut Lambertus monachus fieret: ſed reſiſtenti cucullam fuiſſe impoſitam, & *ab inſequentibus* monachico habitu violenter indutum; inſuper aſſeruit, eum numquam Regulam promiſiſſe, neque cum palla altaris à ſe fuiſſe oblatum. Quibus auditis, Pontifex eum à monaſtica profeſſione liberum & immunem eſſe declaravit, & paternæ maternæque hereditatis nequaquam exſortem. Ceterum idem Petrus Damiani in opuſculo 36. ad Deſiderium abbatem [a] Caſinatibus gratulatur, quod ibi ſcholas puerorum, „ *qui ſæpe rigorem ſanctitatis enervant*, non invenerit, ſed omnes aut ſenes, aut juvenili vivendi decore lætantes. „ Idem ſtatuit eodem tempore in Hirſaugienſi monaſterio Willelmus abbas, quem ea de re laudat Udalricus in epiſtola præfixa libris antiquarum conſuetudinum Cluniacenſium, quos ipſi nuncupavit. *Adeo tritum eſt*, inquit, *& uſitatum, ſi qua diſtrictio hujus ſpiritualis militiæ inter has noſtrorum temporum fæces eſſe poteſt, non eſſe, niſi ubi major eſt numerus, & auctoritas major illorum, qui non ætate laſciva, nec imperio parentum, ſed ſponte ſua & majoris ætatis, ſolo Chriſto imperante, ad ejus obſequium, rebus ſæculi abdicatis, ſe contulerunt.* Attamen pueros in Caſinenſi monaſterio ſæculo tertio-decimo educatos fuiſſe probat exemplum ſancti Thomæ Aquinatis, quem à puero monaſticum illic habitum induiſſe ſacri ejuſdem loci Martyrologium teſtatur. Quin etiam in Cluniacenſi ſex pueri ab initio huc uſque educati ſunt.

Caſini deſita fieri.

a Petr. Dam. opuſc. 36. c. 16.

Principes monachi facti.

37. Ut principes & optimates, adeoque epiſcopi ipſi, honoribus ſæculi abdicatis, ad monaſticum ordinem ſe conferrent, faciebat tum pietas illius temporis monachorum, tum frequens eorum adhortatio. qua de re monachos ſugillat Adalbero Laudunenſis epiſcopus in carmine ad Rotbertum regem, quod Hadrianus Valeſius inſignis hiſtoriographus publici juris fecit. ſic enim de comitibus, qui in urbibus jus dicebant, canit Adalbero.

Juris cuſtodes cogunt portare cucullas:
Orent, inclinent, taceant, vultuſque reponant.

Immo non tantum comites, ſed etiam reges & imperatores ad amplectendum hoc inſtitutum adhortati ſunt, ſanctus Romualdus Ottonem tertium, ſanctus Hugo abbas Cluniacenſis Philippum primum Francorum regem, alii alios. Exſtat hac de re Hugonis epiſtola [b] ad Philippum regem, quem hortatur, ut pœnitentiæ cauſa Cluniacum ſe recipiat: paratos eſſe apoſtolorum principes Petrum & Paulum ad eum recipiendum in domum ſuam, *quam patres noſtri,*

b Spicil. to. 2. p. 401.

inquit, *aſylum pœnitentium nominaverunt*. Verum ubi principum & optimatum cura rei publicæ neceſſaria videbatur, adeo ad monaſticam profeſſionem adhortamentis non inducebantur, ut etiam volentes ab ea revocarentur, ut multis exemplis patet. Unum eſt Guillelmi ducis Nortmannorum, eo nomine primi, à Longa-ſpata cognominati, quem Mainardus abbas à monaſtico inſtituto dehortatus eſt. Alterum eſt Urſi patriarchæ Venetiarum, qui monachus eſſe cupiebat Willelmi abbatis Divionenſis. at diſpendium, quod ex abſentia tanti præſulis Venetis obveniſſet, conſiderans piiſſimus abbas, eum admittere noluit. quod etiam erga multos alios feciſſe dicitur. Tertium exemplum eſt Henrici primi imperatoris, quem Richardus Virdunenſis abbas monachum [a] fieri cupientem ad obedientiam admiſit: at ex obedientia pro rei publicæ bono in ſæculo remanere juſſit. Idem contigit in Gellonenſi monaſterio ſub alio Richardo ejus loci abbate: cui Berengerius vir nobilis, in ſæculari habitu remanens, obedientiam promiſit ſub hac forma. *Anno ab incarnatione Domini* MCLXII. *in nomine Domini ego Berengerius de Mayroſio, volens renuntiare terrenis, & inhiare cæleſtibus, trado in manu domini Richardi abbatis me ipſum, ad monachicum habitum ſuſcipiendum, quando domino abbati placuerit: ſed & in præſentiarum promitto ei obedientiam ſecundum Dei & beati Benedicti Regulam*. Ejus generis fuere Donati & Donatæ, qui in ſæculari habitu monaſteriis addicti erant.

[a] *V. hunc tom. p. 533.*

38. Petrus Damiani [b] tria ſuo tempore in monaſteriis Italicis ſalubriter inſtituta fuiſſe tradit: unum, ut præter cetera pietatis opera, *tres pauperes cum privata menſa juxta ſe ſemper abbas habeat, eiſque ſingulis menſuram cibi, quem quivis habet frater, apponat*; ſicque Regulæ præceptum exſequatur, ſtatuentis, ut abbatis menſa ſemper ſit cum hoſpitibus. Alterum, ut in monaſteriis & eremis decimæ quorumdam proventuum in egenorum uſus aſſignentur. Tertium, ut anniverſariæ octavæ pro carioribus quibuſcumque defunctis fiant. Huc ſpectat commemoratio generalis omnium defunctorum, quam ſanctus Odilo in Cluniacenſi monaſterio inſtituit. In concilio Bituricenſi, MXXXI. ſtatutum, ut abbatibus in ſollemnioribus feſtis non plures [c] quam tres diaconi miniſtrent.

Tria nova abbatum inſtituta.

[b] *Petr. Dam. opuſc. 33. cap. 7.*

[c] *Labbe bibl. tom. 2. p. 794.*

39. Inter varias pœnitentiarum redemtiones, quæ illis temporibus excogitatæ ſunt, maxime frequentatæ fuerunt ſui ipſius ſpontaneæ flagellationes, quas *diſciplinas* vocant. Earum auctores vulgo creduntur Dominicus Loricatus & Petrus Damiani: at rectius propagatores dixeris. ſiquidem ante eos Guido Pompoſianus abbas, aliique eas in uſu habuerunt. De Guidone quidem, anno MXLVI. mortuo, memoriæ proditum eſt, [d] duarum quadrageſimarum diebus, quo tempore in ſilva ſolus degebat, tanta cibi & potus abſtinentia, *tanta virgarum cæde* corpus debile maceraſſe, *ut excepta morte, nihil tormenti amplius poſſet inferre nolenti perſecutor crude-*

Diſciplinarum uſus an probandus.

[d] *Hic p. 513.*

Digitized by Google

a Ibid. pag. 592.

lis. Huic exemplo adde aliud [a] ejuſdem temporis de ſancto Poppone abbate, qui carnem ſuam *jejuniis flagelliſque* ſic *atterebat*, *ut quidquid vitioſum ſua caro adverſus ſpiritum concupiſceret*, *ipſe flagellis*, *propria ſibi manu clam illatis*, *extergeret*. Neuter vero id addiſcere potuerat ab exemplo Dominici Loricati utroque junioris, multo minus Petri Damiani, qui necdum ea de re ſcripſerat. Non dubitem quin plura alia præceſſerint ejuſmodi exempla, tametſi ſcripta non ſint. At omnes ſuperarunt Petrus Damiani & Dominicus. Petrus in epiſtola ad Alexandrum ſecundum ait, „ tria ſcoparum „ millia unum pœnitentiæ annum explere cum modulatione pſalmorum. Stupendum eſt potius quam imitandum probandumve, quod idem auctor memorat de Dominico Loricato, qui duodecim pſalteria continenter, ſcopis ſe flagellando abſolviſſe dicitur. A ſcopis ſeu virgis ad lora & ſcuticas ventum. Talem diſcruciandi corporis modum immodicum, uti furorem & carnificinam quamdam, non immerito fortaſſe, averſati ſunt nonnulli; atque inde flagellationum ſponte aſſumtarum uſum, haud ſcio an temere, univerſim, ut fit, improbarunt, uti rem novam, & ſacris canonibus contrariam.

b Petr. Dam. lib. 5. ep. 8.

Ecce, inquiebant [b], *nova pœnitentia*, & *tranſactis tot ſæculis hactenus inaudita. Si hoc admittitur,... omnes profecto ſacri canones deſtruuntur, antiquorum Patrum præcepta depereunt.* Ad quod Petrus reponit, id licere, quod Chriſtus Dominus, quod Apoſtoli & martyres in ſe ſuſtinuerunt. *An* vero *eamdem*, *quam* & *ab invitis interdum Deus omnipotens exigit*, *ab ultro offerentibus ſuſcipere pœnitentiam recuſabit?* Ad quod illis Chriſtum & ſanctos non à ſe, ſed ab aliis cæſos fuiſſe aiebant. At *veſanum* & *abſurdum eſt credere illud pœnitentiæ genus Dominum in afflictione noſtra deſpicere*, *quod in ſemetipſo dignatus eſt pro ſalute noſtra perferre.* Deinde *ſicut non temeritatis arguendus eſt*, *qui non modo ſacerdotali*, *ſed ſponte jejunat: ita quoque non fruſtra laborare cenſendus eſt*, *qui ſe non alienis dumtaxat*, *ſed & propriis manibus afficiendo caſtigat.* Quippe *nihil differt*, *quibus pœnis caro pœnitentis addicitur*, *dummodo voluptas præcedentis illecebræ vicaria repreſſi corporis afflictione mutetur.* Denique ſi ſæcularibus divitibus peccata ſua eleemoſynis redimere licet, quæ redemtio in antiquis Patrum canonibus minime reperitur; quidni iis, qui nihil proprium habent, quo peccata redimant, ſpontanea corporis afflictatione ea redimere, etſi in canonibus id præſcriptum non eſt, fas non erit? Hæc fere Petrus in epiſtola ad clericos Florentinos.

Petri Damiani adverſarii.

§. 40. Ex his, quos Petrus hac in re adverſarios habuit, unus fuit Petrus monachus, cognomento Cerebroſus, qui hunc uſum ob novitatem [c] arguebat, & ob exceſſum, *non tam diſciplinæ regulam*, *quam longioris diſciplinæ deteſtans inſaniam; nec improbans cum diſciplina dici pſalmum*, *ſed ut continuetur cum diſciplina pſalterium.* qua in re fortaſſe à vero non aberrabat. Alter adverſarius fuit Stephanus [d] ex monacho Caſinate cardinalis, qui hunc uſum ſugillando deridebat,

c Id. lib. 6. ep. 27.

d Id. opuſc. 43. c. 2.

Digitized by Google

effeceratque, ut Caſinates eum abijcerent, quibus antea mos erat, ut qualibet feria ſexta corpus ſuum verberibus affli̇ctarent. Ille vero corpus jejunio [a] atteri non improbabat: ſed turpe nimis & inhoneſtum eſſe cenſebat, *ante tot fratrum intuentium oculos membra nudare*. Non multo poſt Stephanus morte repentina è vita ſublatus eſt. quod Petrus juſto Dei omnipotentis judicio factum putat *propter hujus verbi piaculum*, tametſi eum virtutibus floruiſſe non negat, & *piæ memoriæ* virum dicat. Hinc Caſinates hortatur, ut intermiſſam corpus affli̇ctandi conſuetudinem reſumant.

a Ibid. c. 1.

Diſciplinarum uſus apud Cartuſianos.

41. Hæc controverſia denuo his temporibus non ſemel agitata eſt, eamque nuperrime vir eruditione & doctrina clariſſimus, nobiſque amicus, libro ſingulari revocavit. Hoc in libro merito improbat tum publicos illos flagellantes, è Galliis jure proſcriptos; tum etiam abuſus nonnullos, quos eo in genere à quibuſdam commiſſos fuiſſe dicit. At de re ipſa ut dicam quod ſentio, pace clariſſimi viri, adduci non poſſum ut credam, quod ſcriptura ſacra pueris ad correptionem, quod libri pœnitentiales peccatoribus ad expiationem, quod antiquiores Regulæ monaſticæ ad ſatisfactionem infligendum ſtatuunt, id ſponte aſſumi non licere, aut decere. Quod enim quis animo pœnitentis pati poteſt ex obedientia, quidni amore pœnitentiæ ſibi ipſe imponat? An vero indecorum eſt corpus alteri flagellandum nudare; & nemine conſcio de ſeipſo pœnas ſumere inverecundum & inhoneſtum erit? At mortem, inquies, nocentibus leges civiles infligunt, quam ſibi ſponte conſciſcere nemini licet. Verum hic non agitur de pœnis in criminali foro, ſed in eccleſiaſtico tribunali impoſitis: quas quidem, ſi ex obedientia ſubire Deo gratum eſt, certe ex caritate & pœnitentiæ ſtudio ſponte ſuſcipere non erit ipſi, ut opinor, ingratum. In ſumma, omnia ſatisfactionum & expiationum genera, quæ pœnitentibus à ſacerdotibus imponi poſſunt, & à canonibus ſunt præſcripta, ea ſponte ſibi imponere & infligere licere non dubito. Ut rem paucis finiam, id ſaltem ab undecimo ſæculo non improbarunt, immo ſuis diſcipulis præſcripſerunt viri ſanctitate & purioris diſciplinæ ſtudio celebres, Bruno Cartuſianorum inſtitutor, & Bernardus abbas Claræ vallenſis; denique ſuperiori ſæculo ſanctus Carolus Borromæus, ut de aliis ſanctis ſileam, hoc ipſum pœnitentiæ genus ſibi frequenter impoſuit, & propria manu inflixit, ut ex ejus vita manifeſtum eſt. Hos duces ſequi non inverecundum aut ſuſpectum, immo perquam honorificum & tutum eſſe nemo jure negaverit. Certe venerabilis Guido, ſacri Cartuſienſis Ordinis quintus præpoſitus generalis, etſi *diſciplinas* [b] non eſſe ſuæ inſtitutionis dicat, nullique ſuorum, *niſi Priore ſciente & favente*, eas *facere*, id eſt ſponte ſibi infligere, permittat; id tamen cum Prioris permiſſu licere ſatis innuit, omnino ad mentem ſancti Benedicti, qui quidvis inſolitum, inconſulto abbate, fieri vetat. Hanc vero Guigonis mentem fuiſſe tum ipſa verba mox relata, tum

b. Guig. Stat. c. 35.

Digitized by Google

a Id. c. 65. aliud ſtatutum de fratribus laïcis [a] probat. *In adventu & quinquageſima*, inquit, *per ſingulas hebdomadas, ſinguli ſingulas accipiunt diſciplinas. quod ſi domi non fuerint, ſepties pro diſciplina* PATER NOSTER *cum veniis dicunt.* Id vero ab ineunte Ordine, auctore ſancto Brunone, inſtitutum fuiſſe inde colligi poteſt, quod Guigo primitivos Ordinis ritus in unum corpus redegit, quæ non tam ipſius quam ſancti Brunonis Statuta cenſenda ſunt.

Apud Ciſtercienſes. 42. Non minus res clara eſt de ſancto Bernardo ac de Ciſtercienſibus. Nam Bernardus Guidoni abbati Trium-fontium, qui ex incuria miniſtrantium in Miſſa calicem abſque vino conſecraverat, b Bernard. ep. 69. *pro pœnitentia* [b] injungit ſeptem pſalmos pœnitentiales quotidie „ uſque ad paſcha, ſepties proſternendo ſe, *decantare* ſive recitare; *&* » *ſeptem diſciplinas accipere.* Conſimilem expiationem ob ſanguinem c Pag. 531. Chriſti in miſſa effuſum vide hic [c] in vita beati Richardi abbatis » Virdunenſis. At ejuſmodi, inquis, diſciplinæ non erant ſponta- » neæ, ſed ad delicti menſuram impoſitæ. Quidni etiam ejuſmodi pœnitentiam ſibi ſponte quivis imponat? An jejunium & cilicium, quæ pœnitentibus ſacerdos præſcribere poteſt, etiam ſponte aſſumta valebunt apud Deum; ſpontanea vero illa corporis caſtigatio non » proderit, quæ ab aliis impoſita meritum habet? At non hic mentio » eſt, ais, diſciplinarum propria vapulantium manu inflictarum; ſed » plagarum, flagrione quodam plagoſo diverberante datarum. Atqui recurrit eadem reſponſio; & Bernardi verba, *ſeptem diſciplinas accipere*, alium ſenſum mihi videntur habere, uti & alia quæ ſubſequuntur. *Sane ſi ſermo exiit inter fratres, & ipſi omnes ſinguli*, id eſt ſoli & ſeorſim, *ſingulas accipiant diſciplinas.* Certe *accipere diſciplinam*, tametſi ambiguum eſſe non diffiteor, etiam in vernacula lingua obtinet pro eo, quod eſt ſibi ipſi infligere. Poſtremo, quod de ſpontaneis Ciſtercienſium diſciplinis rem evincit, Faſtredus abbas tertius Clarævallenſis in præclara illa epiſtola ad quemdam ſui Ordinis degenerem abbatem, his verbis eum compellat. *Non ſine pudore dico, quod tamen dicendum: quod multi ſunt in via Dei, ſubditi ſuo abbate, navigantes nauclero, milites duce perfectiores: quodque tuo in monaſterio multi reperiantur, qui eo tempore, quo tu horas noctis cœnis opiparis & ſuperfluis tranſigis, ipſi orationi vacant, & ad expiandas culpas & earum remiſſionem, diſciplinas ſumunt.* quo loco nihil clarius afferri poſſe puto ad probandas ſpontaneas ſui ipſius flagellationes. Sane longe minus indecorum & inhoneſtum eſt, ut jam dixi, propria manu ſeorſim eas ſibi infligere, quam nudatos alteri humeros verberandos exhibere: nec contra honeſtatis leges peccant, qui vel nullo ſpectante ſeorſim, vel in commune nocturnis in tenebris id faciunt. Hæc ad propoſitum de hoc argumento ſufficiant, ad vindicandum priſcum ſanctorum uſum, qui modo non in propatulo, ſed honeſte & moderate fiat, non modo non improbandus eſt, ſed ſanctorum hominum judicio & uſu probandus.

43. Ex

Digitized by Google

43. Ex variis probationum generibus, quæ antiquis uſitatæ fuerunt ad res dubias dirimendas, duæ in primis undecimo ſæculo frequentes erant, ſcilicet probatio per ignitum ferrum pro eccleſiaſticis, & duellum pro ſæcularibus viris. Probatione per ignitum ferrum ſancta Cunegundis imperatrix uſa eſt, ad probandam pudicitiam ſuam, & Petrus monachus ad ſimoniam reprimendam, ob id Igniti cognomen ſortitus. Duellum more veterum Francorum & Germanorum ſcuto & fuſte fiebat, paſſim non ſine cruoris effuſione, quandoque etiam cum cæde. Quæ cauſa fuit, ut eccleſiaſticis maxime interdicta eſſet, tametſi non raro ab ipſis etiam adhibita fuerit. Inſigne ejus rei exemplum affert Sirmundus[a] in notis ad Goffridum Vindocinenſem abbatem, nimirum in cauſa Haimerici Vicecomitis Toarcii cum Theoderico ſancti Albini abbate, à quo ille pro *relevatione equum unum centum ſolidorum*, *aut ſolidos centum* exigere volebat, quod abbas denegabat. In hac contentione abbas vicecomiti optionem dat jus ſuum, *aut calidi ferri judicio ſecundum legem monachorum per ſuum hominem probare, aut ſcuto & baculo juxta legem ſæcularium defendere.* Duellum elegit vicecomes: ſed, ut erat vir pius, ſanguinem aut cædem veritus, *remiſit pugnam, remiſit & conſuetudinem*, modo ut ſocietatis monaſterii fieret particeps. quod facile obtinuit. Alia duo exempla profert Sirmundus ad illuſtrandam epiſtolam Goffridi abbatis ad Petrum Santonenſem epiſcopum, quem rogat, ut prohibeat duellum, cœptum inter Rainaldum Cheſnellum clericum Santonenſem, & Guillelmum monachum ſuum, utpote ſæculi legibus & ſacris canonibus contrarium. Verum ſæculo inſequente eccleſiaſtici etiam facultatem obtinuerunt duellum interponendi per ſuos homines: quos inter Gaufridus Carnotenſis antiſtes, eo nomine ſecundus, à Ludovico ſexto Francorum rege[b] obtinuit, *ut adverſus omnes, tam liberos, quam ſervos, in omnibus cauſis, placitis & negotiis, liberam & perfectam haberet teſtificandi & bellandi licentiam.* Conſimile privilegium ab eodem rege conceſſum Theobaldo Foſſatenſi abbati, *ut ſervi Foſſatenſis eccleſiæ adverſus omnes homines* eamdem facultatem haberent, *& nemo umquam ſervitutis occaſionem eis opponens, in eorum teſtimonio ullam dare præſumeret calumniam.*

Probatio per duellū.

a Sirm. in Goffr. p. 62.

b Analect. to. 2. p. 561.

44. Ad ejuſmodi duella, tamquam ad ludicrum ſpectaculum, concurſus fiebat, eiſque aderant etiam epiſcopi. quod de ſe ipſe teſtatur Hamelinus epiſcopus Redonenſis in litteris à Sirmundo relatis ſuper controverſia quadam, duelloque in prato epiſcopi commiſſo juxta flumen Iſolam, *præſentibus nobis*, inquit, *& comite Conano*, aliiſque. Tempore ſancti Ludovici Francorum regis monomachia hæc adhuc vigebat, eaque admiſſa eſt in controverſia quadam, quam Rex cum Epiſcopo Aurelianenſi habebat. Initum hac de re duellum in quodam allodio Miciacenſis monaſterii: cui Petrus de Eſcancilla ballivus domini Regis, & Adam de Monte-

Digitized by Google

regali ballivus Epiſcopi, ne id in monaſterii præjudicium verteret, fidejuſſorias litteras dederunt anno Domini MCCXLVI. Non omittendæ hoc loco conſimiles litteræ Johannis epiſcopi Pariſienſis, qui celebri duello, quod in pratis ſancti Germani fieri debebat, adeſſe volens, ſequentes litteras ob cautionem dedit.

Noverint univerſi, quod cum nos Johannes Dei gratia epiſcopus Pariſienſis veniſſemus & acceſſiſſemus ad conſilium domini Regis in abbatia ſancti Germani de Pratis, die tertia menſis Decembris, in cujus craſtinum prope dictam abbatiam debebat fieri duellum inter nobiles & potentes viros, dominos ducem Lincaſtriæ & ducem de Breſvic, ut dicebatur: cumque cauſa videndi dictum duellum, nos venerabilem patrem dominum abbatem dictæ abbatiæ rogaſſemus, ut nos hoſpitare vellet, & in ſua abbatia cameram aſſignare, quod nobis duxit gratioſe concedendum; nos nolentes dicto abbati, ejus abbatiæ vel ſucceſſoribus ſuis in futurum, aliquod propter hoc præjudicium generari, nec nobis aut ſucceſſoribus noſtris novum jus propter hoc acquirere; confitemur, dictam conceſſionem ex gratia recepiſſe. Datum ſub noſtro ſigillo in teſtimonium præmiſſorum die prædicta, anno Domini milleſimo trecenteſimo quinquageſimo nono.

Sed forte hic ludus equeſtris erat, quod genus pugnæ duellis prædictis videtur ſucceſſiſſe: tametſi diverſi generis erant ludi illi * equeſtres, qui tantum ad ſpectaculum, & ad ſpecimen dexteritatis exhibendum inſtituti erant: duella vero ad finiendas lites, quæ ſolitis juris formulis finiri non poterant.

* *Tournois.*

Reliquiarum probatio per ignem.

45. His probationum generibus aliud addendum eſt eo tempore uſitatiſſimum, ut ſcilicet ſanctorum dubiæ reliquiæ igni probarentur. Id ſub finem ſæculi ſexti ſtatuerat in Hiſpania concilium Cæſarauguſtanum de reliquiis, quæ in quibuſcumque locis, Ariana hæreſi infectis inventæ fuiſſent. Preces ejus rei cauſa olim fieri ſolitæ, quales retulit noſter Theodericus Ruinartus in notis [a] ad Gregorium Turonenſem. Quod attinet ad ejuſmodi probationum exempla, duo tantum ex priori hujus ſæculi volumine huc afferre ſufficiat. Unum eſt de particula [b] lintei, quo pedes diſcipulorum Salvator exterſiſſe creditur, in Caſinenſe monaſterium à duobus monachis allata. Cum de ea plurimi dubitarent, duo illi fide haud dubia prædictam particulam ignitis turibuli carbonibus impoſuerunt: *quæ mox quidem*, ait Leo, *in ignis colorem converſa, poſt paullulum vero, amotis carbonibus, ad priſtinam ſpeciem mirabiliter eſt reverſa.* Alterum exemplum eſt de corpore ſancti Felicis, à Wolfgango Aquilegienſi patriarcha miſſo [c] ad Meinvvercum epiſcopum Patherbrunnenſem, qui ejus veritatem experiri volens, *rogum maximum in medio clauſtri ſub divo fieri præcepit: in quem cum tertio corpus miſiſſet, totienſque in favillam redactus ignis exſtinctus fuiſſet, cum maxima exſultatione corpus* illud *ſuper principale altare detulit, & omnium venerationi ſollemnem ſanctum illum dein-*

a *Greg. Tur. p.* 1366.

b *Sæc.* 6. *to.* 1. *p.* 101.

c *Ibid. pag.* 590.

Digitized by Google

ceps haberi inſtituit. Exſtat penes nos in monaſterio ſancti Germani inſignis portio veræ Crucis, à ſereniſſima Principe Palatina nobis nuper teſtamento legata, quæ in ardentem conjecta ignem, nullam læſionem paſſa eſt, ſpectantibus principibus viris, quorum nonnulli etiam nunc ſuperſunt. Hic video quid repoſituri ſint nonnulli, nempe indubias ſanctorum reliquias, quales fuere ſancti Martini epiſcopi Turonenſis, ſanctæ Radegundis reginæ, & ſancti Franciſci de Paula, ſuperiori patrum noſtrorum ſæculo in ignem ab hæreticis injectas fuiſſe, & ab igne conſumtas. Verum illa quæ prædiximus miracula olim obtinere potuit Eccleſiæ fides & oratio, quod tunc non meruit impietas.

46. Affinis eſt his alius ritus, deferendi ſcilicet ſacrum illud linteum, quod *corporale* vocamus, ad reſtinguenda incendia. Huc ſpectat Glaber Rodulfus in libro 5. *De chriſmale*, inquit, *quod à quibuſdam corporalis appellatur, plurimum expertum eſt præſtare remedia, ſi fides exigentium non fuerit dubia. Nam contra incendia ſæpius elevatum, aut exſtinguendo compeſcuit, aut retrorſum pepulit, ſeu in partem alteram reverſit.* Id factum refert Aimoïnus[a] in Floriacenſis monaſterii incendio, quo graſſante circumlatum eſt corpus ſancti Benedicti *cum palla, ſuper quam pridie corpus Jeſu Chriſti fuerat confectum.* Idem factum in incendio Tuitienſi, teſte Ruperto abbate. Hinc apud Cluniacenſes ſemper unum corporale in ſcriniolo ſervabatur, ut ad manum poſſet eſſe contra periculum ignis.

Corporale delatũ contra incendia.

a *Aimoïn. lib. 1. de mirac. S. Bened. c. 9.*

§. VI.

De anno Hugonis Capeti obitus, & conſequenter de anno, quo filius ejus Rotbertus monarchiam Francorum adeptus eſt.

47. Mirum eſt quantum auctores, cum veteres, tum recentiores, diſſentiant in aſſignando anno, quo Hugo rex Francorum, cognomento Caputius ſeu Capetus, è vita deceſſit. Sigebertus & duo chronica apud[b] Labbeum, Leodienſe & Maſſilienſe, tertium Kemperlegienſe[c] apud V.C. Baluzium, & fragmentum quoddam hiſtoriæ Francorum ex codice Floriacenſi à Cheſnio[d] editum, ejus obitum anno DCCCCXCVI. conſignant. Plerique alii auctores anno inſequenti: Hugo à ſancta Maria Floriacenſis, & Odorannus Senonenſis monachus anno DCCCCXCVIII. quibus Hadrianus Valeſius in notis ad carmen Adalberonis epiſcopi accedit. De die omnes conſentiunt Hugonem IX. Kal. Novembris obiiſſe. Mihi vero pro certo & explorato eſt, ſupremum ejus fuiſſe annum DCCCCXCVI. idque multis illius temporis inſtrumentis & documentis videtur conſtare. Primum occurrit Archembaldi Turonum archiepiſcopi inſtrumentum, quo monaſterio ſancti Juliani omnia

b *Labbe to. 2. Bibl. p. 337. & 339.*
c *Miſcell. to. 1. p. 521.*
d *Cheſn. to. 2. p. 234.*

Digitized by Google

ſuæ diœceſis altaria, eidem antea conceſſa, libera & à quavis redhibitione immunia declaraſſe dicitur *anno* DCCCCXCVI. *Rodberti regis anno primo.* Alterum eſt Hugonis Autiſiodorenſis epiſcopi pro cœnobio Paredi, quod Lambertus comes ipſius pater in Auguſtodunenſi pago exſtruxerat, datum *menſe Maio, Indictione* XII. *anno incarnationis Domini* DCCCCXCIX. *Rotberto rege, anno* IV. *regni ejus.* quod inſtrumentum Perardus [a] ex authentico vulgavit. Accedit ipſius Rotberti regis diploma, quo Miciacenſi ſancti Maximini monaſterio, Rotberti abbatis rogatu, tuitionem ſuam contra moleſtias regiorum miniſtrorum impertit. *Datum menſe Aprili, in conventu regio, indictione* XIIII. *ſexto anno poſtquam monarchiam regni Rotbertus rex gratia Dei ſortitus eſt. Actum Aurelianis civitate, die paſchæ ſecundo*, id eſt anno Chriſti milleſimo primo, qui ſextus Rotberti monarchiæ non eſſet, niſi anno DCCCCXCVI. Hugoni patri ſucceſſiſſet. Anno inſequente donatio quædam monaſterio ſancti Michaëlis ad Moſam facta eſt in villa comitatus Barrenſis, dicta *Vilercel. Actum anno ab incarnatione* MII. *Indictione* XV. *regnante Rotberto rege anno regni ejus* VIII. qui calculus conſtare non poteſt, niſi Rotbertus Hugoni patri ſucceſſerit anno DCCCCXCVI.

[a] Perard. p. 167. & ſeqq.

48. Id porro luculenter confirmat teſtimonium Aimoïni Floriacenſis monachi, auctoris æqualis, in libro 2. de miraculis ſancti Benedicti cap. 9. ubi Ligeris inundationem contigiſſe teſtatur *anno Incarnationis Domini milleſimo tertio, regni autem Rotberti regis, quo cum patre regnare cœpit, ſexto-decimo, monarchiæ vero ſeptimo.* Hæc inundatio accidit tempore *hiemis ſolito longioris*, ut fidem facit chronicon Floriacenſe à clariſſimo Baluzio [b] editum; ac proinde ſub initium anni milleſimi tertii. nam ſi ſub finem alius anni accidiſſet hæc inundatio, hiems illa *longior* dici non potuiſſet, quippe vix à menſe Novembri incœpta. Ne quis vero dicat, Aimoïnum pro veteri more initium anni ſequentis milleſimi quarti ad præcedentem retuliſſe; occurrit idem chronicon, in quo Gerbertus ſeu Silveſter II. papa eodem anno mortuus dicitur, quem anno MIII. obiiſſe conſtat; & anno ſequenti Abbo abbas martyrio coronatus, & quidem menſe Novembri. Cujus Abbonis martyrium Aimoïnus ipſe, aliique omnes anno MIV. collocant. Cum itaque idem Aimoïnus Hugonem cum filio *per decem annos continuos* regno potitum fuiſſe dicit; de annis incompletis intelligendus eſt. His omnibus adde chartam [c] de reſtauratione vitæ canonicæ in eccleſia Barcinonenſi, datam VII. *Idus Martii in æra* XLVII. *poſt milleſimam, regnante Rotberto rege Francorum* XIII. *anno.* qui calculus ſententiam noſtram egregie confirmat. Hæc obſervatio non levis momenti viſa eſt ad ſtabiliendam epocham, tum Hugonis regis obitus, tum monarchiæ Rotberti ejus filii: quam epocham jam quidem aſſignaveram in libro ſecundo de re diplomatica: ſed quia idoneis non fulta erat argumentis, ea huc conferre viſum eſt quoddam operæ pretium.

[b] Miſcell. to. 2. p. 306.

[c] Marca. Hiſp. pag. 970.

Digitized by Google

§. VII.

De tempore quo Rotbertus Bertam repudiavit, duxitque Conſtantiam.

49\. NOn levis etiam difficultas eſt de tempore, quo Rotbertus rex Bertam, Odonis comitis olim uxorem, ſuamque commatrem, ſibi copulavit, quove tempore eam ob affinitatem repudiare coactus eſt, eaque repudiata Conſtantiam, Willelmi Provinciæ comitis ſeu ducis, & Adalaïdis filiam, matrimonio ſibi conjunxit. De priori certum mihi videtur, Bertam Rotberto haud ante mortem Hugonis regis nupſiſſe: tum quia Hugo vix ſolidum annum Odoni comiti, Bertæ marito, ſupervixit: tum quia hæc conjunctio facta non eſt ante Arnulfi archiepiſcopi reſtitutionem in ſedem Remenſem, quam reſtitutionem Leo abbas à Rotberto rege demum obtinuit *ad confirmandum regis Roberti novum conjugium*, teſtante Gerberto in epiſtola 159. ad Adelaïdem auguſtam, ſcripta paullo ante hanc reſtitutionem, quæ anno DCCCCXCVII. poſt mortem Hugonis proximo facta eſt. Ad Bertæ repudium quod attinet, plerique hoc factum putant ante annum milleſimum; Beſlius [a] anno DCCCCXCVIII. at ne quidem ante annum milleſimum contigiſſe probabilius eſt, ſed tamen ante mortem Abbonis Floriacenſis martyrio affecti anno milleſimo quarto, menſe Novembri: ſiquidem ejus hortatu Rotbertus Bertam à ſuo conſortio removit, teſte Helgaldo. Certe in duobus ejus diplomatis pro Foſſatenſi monaſterio, quorum alterum anno DCCCCXCVIII. alterum anno milleſimo datum eſt, Rotbertus Bertam adhuc conjugem ſuam vocat. Unum ex his diploma exſtat in libro ſexto [b] de re diplomatica, quo rex donationes à Burchardo comite, ejuſque filio Rainaldo Pariſiorum epiſcopo Foſſatenſibus factas confirmavit, *ſuggerentibus ac intervenientibus dilectis noſtris*, inquit, *videlicet dulciſſima genitrice noſtra Adelaïde, atque* CONJUGE NOSTRA BERTA. Alterum eſt confirmatio donationis ab Ermenfredo milite iiſdem Foſſatenſibus factæ, quam Rotbertus ratam eſſe juſſit *ſuæ matris Adelaïdis*, UXORISQUE BERTÆ *ſuggeſtionibus*, ut in libro de vita Burchardi comitis legitur. cujus rei præceptum exſtat in chartario Foſſatenſi, ubi id diſerte exprimitur, datum Pariſiis anno incarnationis Chriſti milleſimo, Rotberti regis duodecimo. Scio equidem Bertam etiam poſt repudium ſe dixiſſe aliquando reginam: at Rotbertus ipſe eam deinceps uxorem ſuam numquam dixit. Et quidem anno inſequente Bertam à Rotberto ſejunctam fuiſſe intelligimus ex quadam ejus charta pro Burgulienſi monaſterio, in qua Berta regina, & filii ſui Tetbaldus & Odo, atque Agnes eorum ſoror, Burgulienſibus confirmant, Gauzberti abbatis rogatu, donationem ab

[a] Beſly Comites p. 297.

[b] Diplom. p. 578.

Digitized by Google

Emma comitiſſa factam de alodis Coldra & Longa villa, ſitis in pago Ebroïcenſi. *Datum Bleſis caſtro menſe Septembri, anno incarnationis* M I. *ſive Rotberti regis* X.

50. Necdum tamen Conſtantia Rotberto nupſerat menſe Auguſto ejuſdem anni milleſimi primi, quo anno Adalax ſeu Adalaïs comitiſſa, ejus parens, Monti-majori prædia quædam in valle Olliería donat una cum filio ſuo Willelmo comite, & *filia ſua Conſtantia*, quæ donatio facta eſt *in menſe Auguſto, regnante Rodulfo rege, indictione* XIIII. quæ indictio à morte Conradi regis Rodulfi patris primum occurrit anno milleſimo primo. His litteris apponitur *ſignum Adalax comitiſſæ, & filii ſui Vuillelmi comitis, & filiæ ſuæ* CONSTANTIÆ, *qui hanc chartam facere juſſerunt.* Erat ergo adhuc in materna domo Conſtantia, ac proinde necdum Rotberto conjugata.

» 51. Aimoïnus in libro 2. de miraculis ſancti Benedicti cap. 8. ſcri-
» bit, Hugonidem Rotbertum uxoriam inire copulam *jam dudum*
» mente tractantem, & ab Arelatenſium partibus aſſumere ſibi con-
» jugem, exercitu congregato ſponſæ jamjamque adventanti obviam
» profectum fuiſſe. Dumque iter agens, ulteriorem Ligeris ripam tene-
» ret, contigiſſe Guillelmum Beleſmenſem, caſtra metandi cauſa, cur-
» tim abbatis Floriacenſis, quæ Abbatis-villa dicitur, ſibi delegiſſe:
» ubi Theoderico monacho ejus loci præpoſito aliqua injuria illata
» ſit, à ſancto Benedicto vindicata. Quo præciſe tempore id acciderit, non exprimit Aimoïnus: at Rotbertum hoc conjugium *jam dudum* meditatum fuiſſe diſertis verbis aſſerit.

52. Nullum vero certius argumentum ad ſtatuendum illius matrimonii tempus nobis occurrit, quam ætas Hugonis, Rotberti & Conſtantiæ primogeniti, qui non ante annum milleſimum ſeptimum natus videtur. Is quippe rex à patre dictus eſt anno [a] MXVII. cum eſſet *puer fere decennis*, teſte [b] Glabro. Atque adeo prædicto anno MVII. natum eſſe oportuit. Mortuus porro eſt anno MXXVI. necdum vicennis. Emendandum proinde ejus epitaphium apud eumdem Glabrum, ubi *annis ter-denis minus duobus* vixiſſe dicitur, ſicque reſtituendum.

Annis florebat mundo juvenilibus;
Bis-denis minus excreverat duobus
Regnorum lumen Hugo, regum maximus.

Ex his intelligitur, Bertam ante finem anni milleſimi quarti repudiatam fuiſſe, Conſtantiam autem Rotberto nupſiſſe ante annum milleſimum ſeptimum, quo anno Hugo eorum primogenitus natus videtur. Certe in altero ejus epitaphio, quod Beſlius [c] ex codice Petaviano primus vulgavit, adhuc *puer* fuiſſe dicitur, cum mortuus eſt.

Celtiber illacrymat, te regem Roma petebat,
O miſerande puer, ſed tumulatus hic es.

[a] Baluz. Miſcell. to. 2. p. 307.
[b] Glab. lib. 3. c. 9.
[c] Beſly pag. 300.

Quamquam, ut verum fatear, *puer* dici potuit neceſſitate metri, qui alias *flos juvenum* in eodem epitaphio dicitur. Ceterum *parvulus* erat, teſtante Odoranno, cum Rotbertus rex Romam profectus eſt, quod iter contigit initio pontificatus Benedicti VIII. ac proinde non ante annum MXII. quo tempore Berta adhuc ſperabat, *faventibus quibuſdam aulicis, decreto apoſtolico* ſe in regium thalamum *reſtituendam* fore. Non me fugit, quod Glaber [a] ſcribit, Rotbertum ſcilicet *circa annum milleſimum* Conſtantiam ſibi in conjugium accepiſſe: at id non ſatis expreſſe dictum, nec certum annum deſignat. Rotbertum Romam [b] euntem comitatus eſt Ingelramnus ſeu Angelramnus monachus, tum adoleſcens, in reditu factus eo curante abbas Centulenſis. quo tempore Rotbertus Bertam denuo reſumere meditabatur, teſte Odoranno. Et re quidem vera Conſtantiam ad tempus à regio conſortio abductam, eique Bertam rurſus adſcitam fuiſſe probat rythmus tunc temporis ſcriptus, qui in tomo 3. Analectorum [c] à nobis vulgatus eſt.

a Glab. lib. 3. c. ult.

b Spicil. to. 2. p. 544.

c Analect. to. 3. p. 534.

53. Plura in præſens dicere ſuperſedeo, cetera, quæ de illo ſæculo dicenda & obſervanda ſuperſunt, in Præfationem voluminis ſequentis reſervans. Hanc vero editionem non tantum curavit noſter Theodericus Ruinartus, ſed etiam Acta hujus ſæculi maxima ex parte notis, & obſervationibus illuſtravit, dum ego Annales Ordinis noſtri proſequor, quos intra biennium, ſi Deus vitam mihi ad id tempus produxerit, in lucem emittere incipiemus. Actis prioribus operam ſuam contulerat, hiſque digerendis operam dare parabat noſter Michaël Germanus; at pro dolor! mors illum præmatura nobis abſtulit anno MDCXCIV. ineunte, poſtquam is per annos amplius viginti, indefeſſo labore operam mihi ſuam in ſtudiis noſtris impenderat peramanter, & in omnibus noctu & interdiu præſto adfuerat. Reddat ei Deus vicem in illa vita, ubi nullum meritum perit. Dum cariſſimi conſodalis & amici recordor, committere non poſſum ut omittam memoriam optimi quondam ſenis, mihique perquam recolendi Domni Lucæ Acherii, cui quantum debeat res publica litteraria, veterum opera ab eo edita, in primis Spicilegii tredecim volumina teſtantur, quæ ille inter continuos languentis valetudinis caſus collegit, & publici juris fecit. Quid vero ad hæc Acta colligenda olim contulerit, à me dictum eſt in Præfatione ad Sæculum noſtrum primum: ubi horum Actorum editionis conſilium, & quibus auctoribus id factum ſit, expoſui. Multum vero ejus in me benevolentiæ me debere profiteor, qui quoad vixit, ſtudia in Congregatione noſtra promovere curavit. Finem vivendi fecit anno MDCLXXXV. menſis Aprilis XXIX. octogenario duobus annis minor. Ceterum hæc otia nobis omnibus fecerunt Præpoſiti noſtri generales, quibus præivit reverendiſſimus Pater Domnus Gregorius Tariſſius, qui ſtudia in Congregatione noſtra primus excitavit, delectoſque à ſe conſodales noſtros adhibuit ad ea omnia colligenda,

Digitized by Google

quæ tum ad Ordinis noſtri ſanctorumque noſtrorum hiſtoriam, tum ad eccleſiaſtica documenta pertinent. Ejus ſtudium in rem litterariam hactenus æmulati ſunt ſucceſſores, quorum veſtigiis utinam ſubſequentes inſiſtant, ſed abſque detrimento, quantum fieri poterit, regularis diſciplinæ, quæ ceteris omnibus præferenda eſt. Hæc in fine tomi ultimi differenda erant: ſed vereor ut ne ad id tempus ſuperſtes ſim ad faciendam earum rerum commemorationem, cui faciendæ me obnoxium eſſe perſentiebam.

Digitized by Google

CHRONOLOGIA BREVIS
AD PRIMAM PARTEM
SÆCULI SEXTI BENEDICTINI.

SUMMI PONTIFICES.

ANNO
CMXCIX. SILVESTER II. ſedit annis 4. menſibus 2. aut 3.
MIII. JOHANNES dictus XVII. menſ. 5.
JOHANNES XVIII. annis 5. menſ. 7. dieb. 28.
MIX. SERGIUS IV. annis 2. menſ. 8. dieb. 13.
MXII. BENEDICTUS VIII. annis fere 12.
MXIII. GREGORIUS *Antipapa ab Imp. ejicitur.*
MXXIV. JOHANNES XIX. annis 9. menſ. 8.
MXXXIV. BENEDICTUS IX. annis 10. &c.
MXLIII. SILVESTER III. & JOHANNES *archipreſbyter Romanæ eccleſiæ, Antipapa.*
MXLIV. GREGORIUS VI. annis 2. menſ. 8.
MXLVI. CLEMENS II. menſib. 9.
MXLVIII. DAMASUS II. diebus 23.
MXLIX. S. LEO IX. annis 5. menſ. 2. dieb. 7.

IMPERATORES.

CMLXXXIII. OTTO III. annis 17. menſe 1. diebus 21.
MII. S. HENRICUS II. Claudus, annis 23 menſib. 5. diebus 16.
MXXIV. CONRADUS II. Salicus, annis 14. menſib. 10. dieb. 22.
MXXXIX. HENRICUS III. Niger, annis 17. menſibus 4.

FRANCORUM REGES.

CMXCVI. ROBERTUS Pius à morte patris annis 33. menſ. 8. aut 9.
MXXXI. HENRICUS I. à morte patris annis 29. diebus 15.

BURGUNDIÆ TRANSJURANÆ REGES.

CMXCIV. RODULFUS III. ad annum MXXXII. adoptato Conrado imperatore, cui regnum reliquit; is poſt biennium ſuperato Odone æmulo coronatus eſt.
MXXXII. CONRADUS Salicus imperator.
MXXXVIII. HENRICUS, præſente Conrado patre coronatus eſt. anno ſequenti Imperio ſucceſſit ad annum MLVI.

BRITANNIÆ INSULÆ REGES.

CMLXXIX. ETHELREDUS Edvvardi frater, annis 37. aut 38.
MXVI. EDMUNDUS Ferreum-latus, menſ. 7. dieb. 7.
MXVII. CNUTO ſeu CANUTUS Magnus, pulſo Eduardo Edmundi fratre annis fere 20.
MXXXVI. HAROLDUS annis 4.
MXXXIX. HARDECNUTUS annis 4.
ALFREDUS ad MXLIII.
MXLIII. EDUARDUS Confeſſor, ad ann. MLXVI.

HISPANIÆ REGES.

CMXCIX. ALFONSUS V. annis 29.
MXXVIII. VEREMUNDUS III. annis 10.
MXXXVIII. FERDINANDUS I. Caſtellæ, &c. rex cognomento Magnus, annis 27.

Digitized by Google

CHRONOLOGIA I. PARTIS SÆC. VI. BENEDICT.

NAVARRÆ REGES.

ANNO CMXCVI.	GARSIAS V. Tremulus, annis 7.
MIII.	SANCIUS IV. Magnus, annis 31.
MXXXV.	GARSIAS VI. ad ann. MLIV.

POLONIÆ REGES.

CMXCIX.	BOLESLAUS annis 26.
MXXV.	MICISLAUS annis 16.
MXLI.	CASIMIRUS monachus, ad MLVIII.

HUNGARIÆ REGES.

CMXCVII.	STEPHANUS annis 41.
MXXXVIII.	PETRUS Stephani ex ſorore nepos.
MXLVII.	ANDREAS ad annum MLIX.

SANCTI & MONASTERIORUM ORIGINES.

ANNO MI.	RAMUOLDUS primus S. Emmerammi Ratiſponenſis abbas, poſt reſtitutam eo in loco abbatialem dignitatem; ubi de AURELIA virgine.
MIV.	FINGENIUS abbas S. Vitoni & aliorum monaſteriorum, ubi de ADALBERONE II. epiſc. Mettenſi, & variis monaſteriis reparatis.
	ABBO abbas ſancti Benedicti Floriacenſis, martyrizatur Regulæ.
MVI.	FROILANUS epiſcopus Legionenſis in Hiſpania, antea abbas Morerolæ monaſterii à ſe conditi, Tabarenſis, aliorumque cœnobiorum fundator aut reparator fuiſſe dicitur.
	ALFRICUS Archiepiſcopus Cantuariæ, antea epiſcopus Wiltunenſis.
MVII.	LIVINI & BRICCII martyrum corpora in Gandavenſe S. Bavonis monaſterium tranſlata.
	PETRUS primus abbas S. Petri in monte-Caprario prope Peruſium.
	AUSTRICUS ſeu ANASTASIUS, primus abbas Breunoviæ in Boëmia, tum S. Benedicti ad radices Montis-ferrei in Hungaria, epiſcopus Colocenſis & archiepiſcopus Strigonienſis.
M....	ZOERARDUS ſeu ANDREAS & BENEDICTUS martyr, monachi in monaſterio Zobor S. Hippolythi in Hungaria, tum eremitæ. Ubi de MAURO epiſcopo Quinqueccleſienſi, ex monacho S. Martini in Pannonia.
MIX.	BRUNO è monacho Magdeburgenſi Ruſſorum archiepiſcopus & apoſtolus martyr.
	ARDUINUS preſbyter in monaſterio S. Gaudentii Arimini.
	ATTILANUS è priore monaſterii Morerolæ epiſcopus Zamoræ ſeu Numantiæ in Hiſpania.
MX.	AUFRIDUS epiſcopus Trajectenſis, fundator monaſterii montis S. Mariæ, & cum uxore HILSVINDA parthenonis Thorenſis, ubi BENEDICTA eorum filia prima fuit abbatiſſa.
circa MX.	MARTIANUS primus abbas S. Euſebii Aptenſis.
MX. &c.	JOHANNES II. abbas Caſinenſis, ubi de abbatibus & viris piis, qui in ſacro Monte floruerunt ad medium ſæculum XI.
MXII.	ELFEGUS archiepiſcopus Cantuariæ & martyr, conditor monaſterii Bathonienſis, cum eo de S. LEOFRONNA abbatiſſa S. Mildrithæ & ſociabus martyribus.
MXIII.	LIBENTIUS ſeu LIEVIZO archiepiſcopus Bremenſis.
MXIV.	Rigomeri confeſſoris corpus ex urbe Cenomannica in monaſterium Malleacenſe transfertur.
circa MXV.	ADELHEIS virgo, prima abbatiſſa monaſterii Vilicenſis, tum S. Mariæ in Capitolio, Coloniæ.
MXVI.	SYMEON eremita in monaſterio S. Benedicti Padolironenſis prope Mantuam.
circa MXVIII.	WLFERIUS monachus Reomaenſis, in monaſterio S. Germani Autiſiodori.
circa MXX.	FIRMANUS abbas S. Savini prope Firmum in Piceno.
MXXI.	WOLBODO epiſcopus Leodienſis, ſepultus in monaſterio S. Laurentii.
MXXII.	FREDERICUS præpoſitus monaſterii S. Wedaſti Atrebatenſis.
	THEODERICUS epiſcopus Aurelianenſis in monaſterio Tornodorenſi ſepultus.
MXXIII.	BURCHARDUS II. abbas S. Galli.
	BERNVVARDUS epiſcopus Hildesheimenſis, monaſterii S. Michaëlis ibidem conditor.
MXXV.	Maximini abbatis Miciacenſis & aliorum ſanctorum corpora inveniuntur, & è terra levantur.
	Saviniani, Potentiani & aliorum corpora elevantur & transferuntur in monaſterio S. Petri Vivi prope Senonas.

Digitized by Google

MXXVI.	BONONIUS abbas Lucediæ in Italia, qui monaſteria in Ægypto condidit.
MXXVII.	ROMUALDUS inſtitutor Ordinis Camaldulenſis, multorum monaſteriorum conditor, &c.
MXXIX.	Euſpicii I. abbatis Miciacenſis aliquot reliquiarum Tranſlatio.
circa MXXX.	ARNULFUS abbas S. Petri Carnotenſis.
MXXXI.	GUILLELMUS abbas S. Benigni Divionenſis, & aliorum multorum reſtaurator, &c.
	DOMINICUS abbas & conditor monaſterii Sorani & aliorum multorum.
	GERARDUS abbas Fontanellenſis, martyr. ubi de GRADULFO & GIRBERTO ejus ſucceſſoribus, & GUNTARDO abbate Gemeticenſi.
circa MXXXIV.	HELVISA recluſa prope monaſterium B. Mariæ Columbenſis.
MXXXV.	SYMEON monachus montis-Sinaï, recluſus Treviris.
MXXXVI.	Meinvvercus epiſcopus Paderbornenſis, monaſterii Abdingoffenſis fundator, aliorum reparator, &c.
MXXXVIII.	GODEHARDUS ex abbate Altahenſi epiſcopus Hildesheimenſis.
	EGELNOTHUS cognomento Bonus, archiepiſcopus Cantuariæ.
MXL.	CHUNIGUNDIS Auguſta, tum ſanctimonialis Confugienſis, ubi de S. HENRICO ejus conjuge, multorum monaſteriorum conditoribus, &c.
MXLII.	HELIAS abbas S. Martini Coloniæ, ubi de WOLPERTO primo abbate Tuitienſi.
MXLIII.	AMNICHADUS recluſus Fuldæ, ubi de CORCRAM & TIGERNAHO abbatibus Hibernis, & MARIANO-Scoto.
	CLARUS recluſus in monaſterio Selginſtadienſi.
MXLV.	BRITVVALDUS epiſcopus Wiltonienſis in monaſterio Glaſtonienſi.
	GUNTHERUS eremita, monaſteriorum Gelingenſis & Rinchnacenſis fundator.
	WIDO ſeu GUIDO abbas monaſterii Caſaurienſis in inſula Piſcaria, ubi & de ADELBERTO ejuſdem loci monacho.
	ANGELRANNUS abbas Centulenſis, ubi de ODELGERO ejuſdem loci priore.
MXLVI.	GUIDO abbas Pompoſianus prope Ravennam.
	RICHARDUS abbas monaſterii S. Vitoni Virdunenſis ac aliorum multorum monaſteriorum pater. Ibi & de Miraculis S. Vitoni ſæculo XI. factis.
MXLVIII.	POPPO abbas Stabulenſis & aliorum multorum monaſteriorum pater. Ibi & de beata ADELVIVVA ejus matre, recluſa.
	OLBERTUS abbas Gemblacenſis & S. Jacobi Leodienſis. Ibi de JOHANNE epiſcopo Italo, & de BURCHARDO epiſcopo Wormatienſi.
	YSARNUS abbas S. Victoris Maſſilienſis. Ibi de B. GUIFREDO ejuſdem loci abbate, &c.
circa MXLVIII.	GERARDUS epiſcopus Canadienſis & martyr in Hungaria.
MXLIX.	ODILO abbas Cluniacenſis.
	REMIGIANI archimonaſterii apud Remos Baſilicæ dedicatio per S. Leonem IX. Papam.
ML.	ALFERIUS abbas primus monaſterii Cavæ prope Salernum.
	GERMANUS prior & alii tres monachi monaſterii Taluerenſis.

INDEX SANCTORUM

PRIMÆ PARTIS

SÆCULI SEXTI BENECTINI.

A

ABBO abbas Floriacenſis, ejus vitam & martyrium ſcripſit Aimoinus ejuſdem loci monachus, 30. ab aliis laudatus, in ſynodo Lemovicenſi 31. Floriaci abbates ſæculo x. 32. Ejus epiſtola ad L. abbatem Fuldæ 33. Romana itinera, auctoritas apud Regem 33. Hugonis regis diploma pro Floriaco 34. Aurelianenſes epiſcopi ſæculo IX. & X. 34. Diſſidia Abbonis cum Arnulfo Aurelianenſi 35. Ejus martyrium & ea de re epiſtola encyclica 35. ſcripta ejus 36. Regulæ monaſterium 36. Ejus Vita 37. Parentes, Floriaci monachum induit 38. ſtudet, Academias luſtrat, ſcribit, 39 In Angliam mittitur 39. Ibi diſcipulos erudit 40 Revertitur, fit abbas, 41. Arnulfo epiſcopo Aurelian. ſubjici non vult, Ejus Apologeticum 42. Concilium S. Dionyſii de Decimis 43. Bernardo abbati monita dat 45. Duplex iter Romam 47. Privilegia obtinet 48. Pallium Arnulfo Remenſi defert, 49. In Ottonis laudes verſus condit 49. S. Odiloni ſcribit, Cyclos corrigit, leproſum ſanat 50. Eccleſiam ornat 51 In Waſconiam vadit bis 52. Regulæ monaſterii ſitus 54. Ibi occiditur 55. Miraculis claret 57.

ADELHEIS prima abbatiſſa Vilicenſis, ejus vita à Bertha ſanctimoniali ejus diſcipula ſcripta, 137. Ejus parentes nobilitate & ſanctitate illuſtres, *ibid.* 139. Religioſa ſecundum inſtitutum S. Hieronymi. fratre ejus occiſo parentes ex parte ipſi debita hereditatis monaſterium Vilicenſe condunt 140. cui Adelheis præficitur, & amplectitur Regulam Benedictinam 141. Suas ad idem præſtandum adducit. Ejus ſollicitudo paſtoralis 142. 143. Megengaudus ejus pater pie obit, 142. Ejus erga pauperes cura 143. ſcholæ in ejus monaſterio, ad S. Mariam in Capitolio Coloniam transfertur 144. Vilicenſes non dimittit, *ibid.* pie obit, Vilicam refertur, miraculis claret 146. *& ſeqq.*

ALFERIUS abbas primus monaſterii Cavenſis prope Salernum, 727. ubi de ejuſdem monaſterii initiis. Alferii & trium ejus ſucceſſorum vitam ſcripſit Abbas Venuſinus anonymus ſubpar. 728. Vir ſanctus in Gallias miſſus, fit monachus Cluniaci, Salernum remiſſus Cavam incolit, 730. diſcipulos illuſtres habet, claret miraculis, prædicit futura 731. & ſui obitus diem 733. moritur. Miraculis poſt mortem coruſcat, 734.

Digitized by Google

ALFRICUS è monacho Abendonienſi epiſcopus Vviltunienſis 61. tum archiep. Cantuariæ, donationes monaſteriis factas confirmavit 62. Æthelredum ad pietatis opera induxit, 63. an ab Alfrico Grammatico diſtinguendus, ejus ſcripta, 63. Ejus mors & cultus 64.

AMNICHADUS monachus in Hibernia, tum Fuldæ recluſus, cui MARIANUS Scotus ſucceſſit, ubi de CORCHRAM & TIOBRNAHO ſanctis abbatibus 471. 472.

ANASTASIUS ſeu AUSTRICUS monachus S. Alexii Romæ. in Boëmiam cum S. Adalberto pergit, ubi Breunoviæ abbas inſtituitur 72. Tranſit in Hungariam, ubi ope S. Stephani regis monaſterium S. Benedicti ad radices montis-Ferrei condit. Ejuſdem regis privilegium monaſt. S. Martini conceſſum 73. Anaſtaſius fit epiſc. Colocenſis, Stephano regium diadema & inſignia apoſtolatus obtinet 74. fit archiepiſcopus Strigoniæ 75.

ANGELRANNUS cognomento Sapiens, ejus vitam ſcripſit Hariulfus in Chronico Centulenſi, inter ſcriptores eccleſiaſticos recenſetur 494. Natus in Pontivo, fit monachus Centulæ 495. ſtudet ſub Fulberto Carnotenſi, Robertum regem in Romano itinere comitatur 496. Fit abbas Centulæ, bona monaſterii auget 497. Ejus conſtantia in reprehendendis vitiis 499. 500. Ejus opuſcula 502, 503. ODELGERI prioris pia mors &c. 502. Angelranni diſcipuli. Ipſe in paralyſim incidit, Fulconi abbatiam ambienti reſiſtit 503. Regem adit. Extremus ejus morbus, 505. obit, 506. Ejus geſta metrice expreſſa 507.

ARDUINUS in monaſterio S. Gaudentii Arimini pie vivit 81. à ſimoniaco epiſcopo ordinatus presbyter quotidie celebrat. Ejus memoria & reliquiæ 82.

ARNULFUS abbas S. Petri Carnotenſis, Magenardo abbati variæ famæ ſubſtitutus 315. 316 Ejus charta in gratiam Roberti archiepiſcopi Rotomagenſis 316. charta Hildegardis Vicecomitiſſæ 317. Richardi comitis Normaniæ fuit confeſſor, à ſuis male habitus 318. ſecedit è monaſterio, redit, pie obit. Ejus epitaphium 319

ATTILANUS, ab alio cognomine diſtinguendus 82. ex monacho Tarraconenſi prior Morerolæ ſub S. Froilano abbate, fit epiſcopus Zamoræ, ſedem dimittit, 83. quam, cognita per miraculum peccatorum ſuorum remiſſione, recipit, ſub Urbano II. canonizatur. Ejus epitaphium 84. Reliquiæ 85.

AUFRIDUS. Ejus vitæ ſcriptores 85. Ejus parentes, comitatus & dignitates. Fit ſpataſerius Ottonis M. 86. Cura erga ſibi ſubditos, beneficia in loca ſacra, monaſterium Thorenſe condit 87. cum ſua uxore HERSUINDA, ibique BENEDICTA eorum filia prima abbatiſſa 87. 88. Utriuſque pia geſta. Herſuindæ morbus 88. Ejus obitus & memoria in faſtis cum Benedicta 89. Aufridus fit epiſcopus Trajectenſis. Pia ejus opera, cæcitatem incurrit 89. monaſterium montis S. Mariæ condit, & eccleſiam S. Martini ditat 90. 91. Pie obit 91. Ejus exſequiæ &c. 92.

B

BERNVVARDUS epiſcopus Hildesheimenſis, ejus vitam ſcripſit Tangmarus ejuſdem eccleſiæ decanus & ſcholiarcha 201. 202. Nobiliſſimis parentibus ortus 202 Ordinibus initiatur 203. Ottonis III. educationem ſuſcipit. Fit epiſcopus Hildesheimenſis 204. vita ejus regularis 205 varias artes callet 203. 205. Barbarorum incurſiones impedit 206. Eccleſiam ſuam exornat 206. 207. Cum Vvillegiſo archiepiſcopo Moguntino diu contendit pro monaſterio Gandersheimenſi 207. *& ſeqq. ad* 225. Ejuſdem loci origo, exinde Hildesheimenſibus epiſcopis (qui ab annis 200. recenſentur) ſubjectus fuit, 208. 209. ambitio Sophiæ Ottonis filiæ rixarum cauſa fuit 209. & monaſterii defectionis ab accurata diſciplina 210. Archiepiſcopus cauſa cadit 210. qui litem renovat 211. obſiſtit Bernvvardus 212. Res ad Papam & Imperatorem defertur 213. Bernvvardus Romam petit, & benigne ab utroque ſuſcipitur 213. Vvillegiſus non cedit, Romæ improbatur 214. Ejus geſta in ſynodo Romæ reſcinduntur 215. Tiburtini Imp. rebelles à Bernvvardo reconciliantur 216. Romanorum protervia 216. 217. Bernvvardus ad ſedem redit 218. Fridericus Papæ legatus Palithi ſynodum congregat 218. Vvillegiſi ibi acta 219. Synodus Francofordienſis ea de re 220. Concilium Tudertinum 221. Ottonis III. mors 223. S. Henricus ſuccedit, eccleſias inviſit, 223. Bernvvardus eccleſias Galliæ viſitat 223 Hildesheimenſis eccleſiæ incendium. Rothegardis abbatiſſæ Hildevvardeshuſenſis pius obitus 224. Vvillegiſus cedit, moritur 225. diſſidia renovantur 226. Bernvvardus monaſterium S. Michaëlis condit 226. Ejus charta de ea re 227. Monaſticam veſtem ſuſcipit, moritur 229. Ejus epitaphium &c. 230. Miracula 230. *& ſeqq.* Cincius Cardinalis in monaſterio Hildesheimenſi hoſpitatus ſuadet ut Bernvvardi canonizatio à Rom. pont. petatur. 239. Theodoricus abbas ea de re Romam legatus 241. obtinet S. viri canonizationem 244. qui è tumulo levatur 245. Bulla Cæleſtini III. de ejus canonizatione 251.

BONONIUS abbas Lucedienſis. Ejus vita à monacho æquali ſcripta 266. Fit monachus Bononiæ apud S. Stephanum, Babylonem petit, monaſteria Ord. S. P. Benedicti exſtruit in Ægypto, 267. Captivos liberat 268. Degit in monte Sinaï. Tum Lucediæ monaſterio abbas præficitur, obit, altare ſupra ejus corpus erectum, quod probat Johannes Papa 269. Miracula quibus vivens coruſcavit, 270. tum mortuus, 273.

BRITVVALDUS epiſcopus Vviltonienſis, 473. Ejus viſio. Non confundendus cum Britvvoldo Vvintonienſi 474.

BRUNO Ruſſorum archiepiſcopus & martyr. Ejus generis nobilitas, Magdeburgi ſtudet, Ruſſorum apoſtolus 79. Ejus geſta ſcribit Dithmarus ejus conſanguineus. Parentes; conſecratur epiſcopus. Ejus martyrium 80. In ejus gratiam ſcribit Otto ad Piligrinum epiſc. Patavienſem 81. Fuit monachus 737.

BURCHARDUS II. abbas S. Galli, monaſterium reparat, 198. ſtudia florent ibi 199. In Italica expeditione obit 199. miraculis claret 200.

C

CHUNEGUNDIS & HENRICUS Auguſti, conjuges & virgines, piis operibus intenti 451. 456. 457. Inſtituunt epiſcopatum Bambergenſem & monaſterium S. Michaëlis, S. Henricus erigit epiſcopatum Bobii, monaſt. Beneventi, ſanatur à S. Benedicto apud Caſinum 452. Ejus dona 453. monachorum pater dicitur, varia dotat monaſteria, viros ſanctos colit 454. monaſtica ejus profeſſio. quo mortuo S. Chunegundis Confugium ſecedit 455. Ejus Vita, Virginitatem ſuam miraculo probat 456. beneficentia in eccleſias 456. 457. ſcribit ad Confugienſes, ibi fit ſanctimonialis, pia exercitia 459. Juttam abbatiſſam reprehendit, ægrotat, divites exſequias reſpuit 460. Obit, ſepelitur Bambergæ, miraculis claret 461. Laudatur ab Innocentio tertio 464. & ab eo canonizatur, 465.

CLARUS recluſus Selgenſtadienſis, 472. non abbas, neque cum Claro Viennenſi abbate confundendus 473.

D

DOMINICUS abbas Soranus à Loricato diſtinguendus. Ejus monaſterii & Caſæmarienſis initia &c. Vitam ejus ſcripſit Albericus ex monacho Caſinenſi Cardinalis 355. Natus Fulingæ, educatur in vicino monaſterio S. Silveſtri ſub Aſeri, fit presbyter. Fit monachus in cœnobio B. Mariæ Petradæmonis, tum vivit ſolitarius 357. Hortante Huberto marchione exſtruit monaſterium S. Salvatoris de Scandrilia; tum hortatu comitum Valvenſium mo-

nasterium

Digitized by Google

naſterium S. Petri de Lacu 358. tum alia monaſteria 359. miraculis coruſcat, obit. 360.

E

EGELNOTHUS, cognomento BONUS, à beato Dunſtano baptizatus, in monaſterio Glaſtoniæ educatus, inde Cantuariæ archiepiſcopus creatus eſt, 447. Corpus S. Elfegi Cantuariam advexit, & Brachium S. Auguſtini Conventriam; Romæ pallium recipit 448. Cnutum regem ad pia opera inducit 448. 449. 450. pie obit. An inter ſcriptores eccleſiaſticos recenſendus, 451.

ELPHEGUS. Ejus Vitæ auctor Oſbernus, 113. quæ à S. Lanfranco auctorizatur 114. Ipſe Elphegus vere martyr, ut evincit S. Anſelmus 114. LEOFRONA abbatiſſa & alii martyres cum Elphego 115. Elphegus fit monachus, monaſterium Bathoniæ condit 116. Fit epiſcopus Vvintonienſis. Auſtera ejus vita 117. Cantuariam transfertur, 118. Urbis ejus direptio per Danos, qui eum capiunt, 119. mira in eos lenitas 120. A diabolo illuſus, reducitur per Angelum 120. 121. occiditur 121. Miraculis coruſcans Londini ſepelitur. 122. Translationis ejus Hiſtoria, eodem auctore 123. fit Cnutone curante ab Agelnotho; invenitur incorruptus 125. Ejus epitaphium 127.

EUSPICII I. abbatis Miciacenſis aliquot reliquiarum Translatio è baſilica S. Aniani Aurelianenſi ad proprium monaſterium, occaſione dedicationis eccleſiæ S. Aniani, cui Robertus rex & multi præſules adfuere 313. *& ſeqq.*

F

FINGENIUS abbas S. Vitoni Virdunenſis, 25. ubi à Berengario epiſc. monachi reſtituti ſunt 26. qui ibi fit monachus, 27. loci ejuſdem abbates 27. Fingenius Scotus primum monachus, tum abbas S. Felicis, poſtea S. Symphoriani Mettis, demum S. Vitoni, ejus obitus & ſucceſſores 28. ADALBERO II. epiſc. Mettenſis monaſterium S. Symphoriani reſtituit, 29. alia ejus præclare geſta *ibid.* obitus & ſepultura 30.

FIRMANUS abbas ſancti Sabini prope Firmum in Piceno, varie appellatus 171. & cum aliis confuſus. Ejus Vita à Theodorico monacho Caſinenſi ſcripta excidit; altaris erectione canonizatus eſt 172. Chartæ Epiſcoporum Firmenſium in ejus monaſterii gratiam, 173.

FREDERICUS præpoſitus S. Vedaſti Atrebatenſis, genere nobiliſſimus 185. Mathildis comitiſſæ, cujus Epitaphium refertur, filius, comes Virdunenſis 186. Comitatum epiſcopo Virdunenſi donat, Remis cum Richardo decano colloquitur, 187. monachi fiunt apud S. Vitonum 188. Frederici mira humilitas 189. præficitur monaſterio S. Vedaſti 190. ubi obit, Virdunum refertur. Ejus epitaphium 191.

FROILANUS multorum monaſteriorum conditor in regno Legionenſi, tum epiſcopus Legionenſis, ſepultus eſt in monaſterio Morerolæ, quod condiderat 59. Ejus diploma, 60.

G

GERARDUS ex Latiniacenſi monacho, abbas Criſpeienſis, tum Fontanellæ, quod monaſterium reſtaurat 361. interficitur 362. GRADULFUS ei ſubſtitutus, in Vicarium Rotomagenſem cum epiſcopi dignitate electus, obit. 362. GIRBERTUS ejuſdem loci abbas ab Orderico laudatus 362. Magontiæ natus cum Maurilio in Italia ſolitarie vivit, in Normanniam veniunt, ubi Girbertus fit abbas 363. Ejus obitus & epitaphium; diſcipuli Ingulfus, &c. 364. & GUNTARDUS abbas Gemetici, ejus virtutes, &c. 364. pius obitus 365.

GERARDUS epiſcopus Canadienſis in Hungaria, non fuit inſtitutor Ordinis Servorum B. Mariæ, nec ex Ordine Carmelitarum. Scripſit aliquot opuſcula, ejus mortis annus, cultus, tranſlatio Venetias 627. Vitam ſcripſit Anonymus. Venetiis natus, fit monachus, Jeroſolymam adiens in Hungaria à S. Stephano rege retinetur, fit epiſcopus Moriſſenus 628. Ejus devotio in B. Virginem. Epiſcopus monaſticam vitam haud dimittit 629. Vvonem tyrannum coronare renuit, ei prædicit exitium 630. cum aliis multis martyrizatur, 631.

GERMANUS prior Taluerenſis. 735. Ermentrudis regina Burgundiæ fama monaſterii Saviniacenſis permota monachos exinde petiit in Taluerenſi monaſterio, quod ideo condidit, locandos. quatuor ab Itherio abbate obtinuit, GERMANUM priorem, RODULFUM ejus fratrem, ISTHMIUM & ISTHMIDONEM, quorum geſta ignota ſunt, ſed eorum ſanctitatem cultus publicus ab annis 600. probat. 736. Eorum corpora tranſtulit S. Franciſcus Saleſius, qui idem monaſterium reformavit. 737.

GODEHARDUS ex Altahenſi abbate epiſcopus Hildesheimenſis. Ejus Vitam alii Vvolfero, alii Arnoldo tribuunt 395. Auctor æqualis, 397. Ejus familia obſcura 398. Monaſterii Altahenſis initia, ubi offertur Godehardus 399. Ordinibus initiatur 400. Fit monachus, tum abbas Altahæ 401. monaſterium Herveldæ reformat 402. tum Tegernſenſe & Chremenſe. S. Guntherum ſuſcipit 403. erudit & ad perfectionem promovet 404. Herveldenſem abbatiam dimittit 405. Fit epiſc. Hildesheimenſis 406. 407. Lis de monaſterio Gandersheimenſi renovatur. 407. 411. 413. In urbem ſuam advenit, ejus virtutes 409. Dæmoniacam liberat 410. Miracula patrat 414. 415. mortem ſuam prædicit, ægrotat 417. 418. 419. Obit 420. Ejus exſequiæ 421. Miracula ad ejus ſepulcrum 422. De ejus canonizatione tractatur 430. quæ fit ab Innocentio II. in concilio generali Remis 433. Corpus ejus elevatur 434. Miracula ſubſequentia 434. *ad* 446.

GUIDO ſeu WIDO abbas monaſterii Piſcarienſis ſeu Caſaurienſis. Ejus vita ex ejuſdem loci Chronico 486. E monacho Farfenſi, agente S. Henrico fit abbas; Privilegium obtinet à Conrado Auguſto 487. Bona monaſterii in placito repetit 488. quæ obtinet 489. Item & campum miraculo 490. Equum occiſum ſuſcitat, 491. Obit 492. Miraculis claret 493. ADELBERTUS ſub eo clarus, monaſteria exſtruit 493. pie obit 494.

GUIDO Pompoſiæ abbas à S. Petro Damiani laudatus. 508. Corpus ejus tranſlatum Spiram 509. Ravennæ ortus, nuptias fugit 509. Romam adit, Ravennam reverſus Martino eremitæ ſe ſubjicit, Pompoſiæ educatur, præficitur monaſt. S. Severi Ravennæ 510. Tum Pompoſiano, 511. Ejus virtutes 512. abbates ſub ſe inſtituit. Ejus auſteritas, miracula 513. moritur in Burgo S. Domnini, Parmenſes corpus retinent 514. Veronam transfertur, tum Spiram 515.

GUILLELMUS abbas S. Benigni Divionenſis. Ejus vitam ſcribit Glaber-Rodulfus, laudes vero multi alii auctores 320. Miraculis clarus 321. Ejus corporis inventio 322. In Italia natus ex nobilibus parentibus, ab Ottone fit catechumenus, à Regina ſuſcipitur, educatur in monaſterio Lucedienſi 323. Patrem ad vitam monaſticam inducit. Ordinandus renuit epiſcopo profeſſionem facere 324. Cum S. Maiolo Cluniacum migrat, ſacerdotium recuſat 325. Monaſterio S. Saturnini ſupra Rhodanum præficitur; tum S. Benigno Divione, Verziaco, Beſuæ 326. Fiſcamno, ſcholas publicas inſtituit in monaſteriis 327, S. Benigni templum exſtruit & S. Martyris corpus invenit. Monaſt. S. Arnulfi Mettis reformat, Romam pergit, ægrotat 328. Fructuariæ monaſterium condit, Redit in Franciam. S. Odiloni ſuadet ut fiat monachus 329. Johanni papæ ſcribit, Principes mites reddit 330. Ejus inſecutores puniti, monaſteriis XL. infinitis monachis præeſt, novam orandi formulam invenit pro idiotis, Officii divini curam habet maximam 331. Eccleſiam S. Benigni dedicari curat 332. Ejus precibus liberatur patibulo appenſus. Ejus caritas in omnes 333. pie obit Fiſcamni 334. Ejus epiſtola ad

Digitized by Google

Johannem papam 335. Ejuſdem Guillelmi vita ex Chronico S. Benigni. Bruno epiſc. Lingonenſis monaſteria ſuæ diœceſis reparat 335. Obtinet à S. Maïolo monachos, tum Guillelmum, quem abbatem inſtituit. Ejus virtutes. 336. Alia ei monaſteria committuntur, Romam petit. Infirmus ob ſeveritatem in viſione corripitur. Eccleſiam S. Benigni conſtruit 337. Ejus deſcriptio 338. Diſcipuli ejus Epiſcopi, abbates, &c. 340. Fructuariæ monaſterium ab ejus nepotibus conditum, Fiſcamno præficitur 341. Monaſteriis variis præficitur, &c. 342. 343. Ejus obitus 343. Mira caritas erga pauperes: Benedicti VIII. epiſtola ad eum, qua jubetur Benigno epiſcopo-monacho hoſtes monaſterii excommunicare, & eidem permittitur ordinare 344. Monaſt. Fructuarienſis fundationis charta, &c. 347. *& ſeqq.* Fiſcamnenſis monaſterii elogium, exemtio, &c. 351. *& ſeqq.*

GUNTHERUS eremita 475. Preſbyteri ſuperbi terribilis punitio 476. *ad* 479. Guntheri vita ab Arnolfo ſcripta 480. A S. Godehardo ſuſcipitur 480. ob retentam poſſeſſionem varie tentatus, & monitus reſipiſcit 481. S. Stephanum regem Hungariæ inviſit, ſecedit in eremum Rinchnach, 482. à Bretiſlao invenitur 484. cui ſuas exſequias commendat, obit 485. Sepelitur Breunoviæ 486.

H

HELIAS Scotus abbas S. Martini Coloniæ, ſanctitate & prophetia clarus 468. S. Heriberto archiepiſcopo obeunti adeſt. 469. Ibi de WOLPERTO primo Tuitienſi abbate 470. ejus pia mors 471.

HELVISA recluſa prope monaſterium Columbenſe ſub abbate Beringerio, nonnulla confert monaſterio. In chartis beata & ſancta dicitur. Ejus feſtum & reliquiæ. 365.

I

JOHANNES II. abbas Caſinenſis, ſenex monaſterii regimen dimittit, 96. ejus obitus & cultus 97. JOHANNES III. ejus ſucceſſor, ex Archidiacono Beneventi 97. In oriente agit 98. monitu S. P. Benedicti reverſus fit abbas, pia ejus opera 99. Monaſteria eo regente Caſino ſubjecta, calamitatibus vexatur, obit, 100. Pulſo Johanne-Rotundulo Athenulfus eligitur, 100. obit Ejus tempore Linteus Salvatoris Caſini receptus, & igne probatus 101. Theobaldus ſuccedit antea S. Liberatori præfectus, à Pandulfo Capuæ principe vexatur 101. obit, 102. Baſilius invaſor pulſus, Richerius fit abbas. Monaſterium à Pontificibus & principibus viſitatur 102. FELIX monachus Caſinenſis Theani colitur, 102. 103. GREGORIUS monachus pie obit, 103. & ANGELUS alter monachus 104. AZZO reſtaurat monaſterium S. Michaëlis, à quo aſſumitur in cælum 104. STEPHANUS ab Agundia in cælum deferri videtur 105. JOHANNES miraculis mortuus coruſcat 105. PAULUM in cælum evolantem ex monaſterio Capuano epiſcopus quidam Gallicanus videt 106. ADAMI viſiones 106. Cellam in monte Clio ſtruit, monaſterium adverſus prædonem tuetur 107. LIUTIUS monaſterium Albanetæ conſtruit 107. ubi obit, 108. RAYNERIUS monachus occiditur, miraculis claret 108. JOHANNES à S. P. Benedicto in cælum deducitur, 109. Monachus herniosſus ad S. P. Benedicti ſepulcrum ſanatus 109. Energumeni liberati, 110. puer patri inobediens terribiliter punitus, & Mancuſus monachus nimium in parentes & patriam affectus, 111. Item alia miracula 112.

L

LIBENTIUS, qui & LIEVIZO à Dithmaro appellatur, ſuos morti proximus adhortatur 128. Ejus geſta ex Adamo Bremenſi canonico. In dignitate epiſcopali ut monachus vivit. Eo vivente variæ calamitates in Saxonia & Dania 130. Miſſiones ad gentes ſeptemtrionales 132. pie obit, 133.

SS. LIVINI epiſcopi & BRICCII pueri martyrum tranſlatio ad monaſterium Gandavenſe S. Bavonis facta 64. Eorum tumuli miraculis clari apud Holtem 65. aperiuntur, miracula 67. corpora Gandavi excipiuntur, 68.

M

MARTIANUS in caſtro Sanione prope Aptam natus, pie educatus, in eremum ſecedit, 94. monaſterium condit, 93. 95. mortuum ſuſcitat, pie obit 95.

MAXIMINI abbatis Miciacenſis, THEODEMIRI & alterius MAXIMINI corporum inventio miraculis illuſtrata 252. Corpora ab epiſcopis tranſlata, & feſtum Inventionis inſtitutum 253.

MEINVVERCUS erga ordinem Benedictinum propenſiſſimus, monaſteriis condendis intentus reliquias ubique comparabat, 382. monaſterium Helmvvardeſhuſenenſe dedicat. Ejus & Hilduvvardeshuſenenſis initia 382. 383. Helmvvardeshuſem S. Meinvverco ſubjicitur 383 Ejus abbates &c. ruina. Corbeïam reformat 384. Herivordiam tuetur, & reſtaurat 385. monaſterium Abdingoffenſe fundat 386. Ejus incrementa 387. Capellas exſtruit 388. à S. Henrico diploma obtinet pro monaſterio ſuo, 389. & varia dona à Conrado, 390. quod dedicatur 390. 391. Privilegium ab ipſo Meinvverco conceſſum 391. Ejuſdem dona 392. à Conrado obtinet privilegium, alias baſilicas condit. Obit, 393. Ejus exſequiæ, monachi qui ei reſtiterat mors 394. Ejus tranſlatio &c. 395.

O

ODILO abbas V. Cluniaci; ejus Elogium 631. Vitam ejus ſcripſit Jotſaldus, ac deinde Petrus Damiani 632. Prodiit ex nobili Mercoriorum familia, 633. Ejus parentes &c. ex duobus chartis 633. 634. quarum altera eſt fundatio monaſterii Voltæ 634. Fit monachus Cluniaci, tum abbas 636. ſimul cum S. Maïolo 637. Verſus de ejus electione 638. cui ægre conſentit 637. 639. Acta varia & donationes ſub ejus regimine 639. *ad* 649. Formula *Regnante* Chriſto ſub Roberto rege 641. Varia monaſteria inſtituit aut reformat 649. Magabrenſe, cujus occaſione renovatur ſocietas cum eccleſia Æduenſi 650. ſubjiciuntur ei monaſt. Beracenſe, S. Mauricii de Maltacenna ſeu Burgeto, Genevenſe S. Victoris, 651. Aureæ vallis ſeu Paredi 652. S. Marcelli Cabilonenſis, Papienſe Cellæ S. Maioli, Thigernum, Valentiola, Lirinum 653. Juliacum, Volta, Molgonenſe S. Johannis, Sarianenſe 654. Vallis, Chavriacum, S. Flori 655. S. Marcelli de Salciaco. S. Laurentii in pago Matiſconenſi 656. S. Salvatoris Nivernenſe, S. Columbæ apud Toloſates, in diœceſi Leodienſi. Alia ab eo reformata, S. Dionyſii &c. etiam in Hiſpania 657. Sancii regis ea de re charta 657. 658. Pontificum & Principum in Cluniacenſes affectus 659. Auctoritas ejus apud Principes &c. 661. monaſterii privilegia tuetur 662. Lugdunenſem archiepiſcopatum ſuſcipere renuit, Caſinum inviſit, 663. Ejus humilitas, 667. 668. 669. lenitas & aliæ virtutes 664. Miſericordia in pauperes. Commemorationem defunctorum inſtituit. Epiſtola ea de re 665. Decretum S. Odilonis 666. Studia apud Cluniacenſes vigent 667. B. Odilonis opera 668. Ejus diſcipuli celebres, viri docti, epiſcopi, abbates &c. 669. VVALTERIUS pius monachus 669. 670. Caſimirus ex monacho rex Poloniæ 670. Virorum illuſtrium erga eum veneratio, Fulbertus epiſc. Carnotenſis &c. 670. 671. Ejus elogia ex variis auctoribus 671. 672. Extremus morbus 672. Silviniacenſium monachorum epiſtola ea de re, & de ejus morte &c. 673. Obit 674. S. Hugonis ejus ſucceſſoris electio. Feſtivitas &c. 675. 676. Ejus corporis tranſlationes 676. 677. Ejus vita exhibetur ex Jotſaldo ad Stephanum epiſc. beati viri nepotem 679. Ejus parentes 680. Privatæ educatur, monachus fit

Digitized by Google

Cluniaci à S. Maïolo, tum abbas 681. Ejus virtutes 682. *ad* 687. Regibus & pontificibus quam acceptus fuit 683. Ejus miſericordia. Famis tempore vaſa ſacra vendit ad alendos pauperes 684. à Fulberto dicitur Archangelus monachorum 686. monaſteria reſtaurat, & exſtruit &c. 687. Romanum iter, extremus morbus 688. pie obit 690. Ejus miracula. Adhuc puer membris debilis curatur 692. Se B. Virgini mancipat 693. Aqua in vinum verſa &c. 694. *& ſeqq.* Apud S. Dionyſium piſces miraculo habentur 697. Romæ vinum multiplicat 698. Vas fractum ſolidat 700. Commemoratio defunctorum inſtituta, 701. Benedictus Papa à purgatorio liberatur 702. Miracula poſt ejus mortem facta 707. *& ſeqq.*

OLBERTUS abbas Gemblacenſis. Ejus vita ex libello de geſtis abbatum Gemblacenſium 596. Monaſterium S. Jacobi Leodii ædificatur monitu JOHANNIS epiſcopi Itali, cujus ibi fit elogium 597. ſepultura, epitaphium. Olberti opuſcula & diſcipuli 598. ex iis celebris BURCHARDUS epiſc. Vvormatiæ 598. Olberti cultus & memoria 599. Ejus patria. Lobiis fit monachus, ſtudia &c. 599. ad Burchardum Vvormatiam mittitur, redux fit abbas Gemblacenſis 600. Ejus prudentia in adminiſtrando, ſtudia inſtituit, res temporales curat 601. Eccleſias conſtruit & dedicari curat 603. Ejus caritas tempore famis, Eccleſias ornat 604. Bibliothecam inſtruit. Ejus ſtudia, 605. pie obit, ejus Epitaphium 606.

P

PETRUS primus abbas S. Petri in monte Caprario prope Peruſium. Ejus monaſterii origo & exemtio 70. miracula 71.

POPPO abbas Stabulenſis. Ejus vitæ ſcribendæ Onulfus provinciam ſuſceperat. quod ab Everhelmo abbate Altimontenſi factum eſt. 569. GONTRANNUS Trudonianus ejus diſcipulus fuit 570. Ejus patria & parentes, ſub militis habitu pia opera 572. Iter Jeroſolymitanum, 573. Romam. Divertit apud S. Theodericum prope Remos 574. nuptias refugit. Secedit in monaſterium S. Theoderici 575. ubi fit monachus, 576. Leproſum ſanat: ſuadente Richardo abbate, Virdunum ad monaſterium S. Viteni tranſmigrat 577. Matrem ſuam ADELVIVVAM ad vitam monaſticam inducit 577. quæ velum ſuſcipit, & Virduni recluſa pie obit. 578. Ejus memoria in faſtis 571. Poppo fit præpoſitus S. Vedaſti Atrebatenſis. Bona monaſterii recuperat, ad Henricum imp. proficiſcitur 579. quem à ſpectaculis avocat, ad S. Vitonum revocatur 580. Monaſterio Belliloci præficitur, quod reparat 581. Fit abbas Stabulenſis, ubi multa patitur; tum S. Maximini Trevirenſis 582. ubi graviora patitur. Ejus vita ad XX. annos prorogatur 583. Pacem inter Conradum & Henricum Francorum regem conciliat. Argentoratenſem epiſcopatum recuſat. Varia reformat monaſteria 584. quibus abbates præficit, ipſe Stabuletum ſecedit 585. Eccleſiam exſtruit & dedicari curat. Ei Malmundarium ſubjectum 587. Abbates ei viventi ſubſtituti moriuntur 588. Monaſterio S. Vedaſti præficitur 589. Marcianis ægrotat 590. Obit 591. Stabuletum transfertur 592. ubi ſepelitur, & miraculis claret 593.

R

RAMUOLDUS primus monaſterii ſancti Emmerammi Ratiſponæ abbas, poſt reſtitutam ibi à S. Wolfgango abbatis dignitatem. monaſterium exornat 3. quo anno mortuus, 4. ſub eo AURELIA recluſa 5. Ejus geſta ex Arnolfo 5. E monaſterio S. Maximini evocatus præficitur Ratiſponenſi, 9. a. Ejus virtutes 12. a. Miſericordia in pauperes, &c. 13. fit cæcus, tum ſanatur divinitus 14. Adverſis exercetur, Ottoni redditur infenſus 18. eum placat 19. & ad meliorem vitam inducit 20. ægrotat 20. ſuos adhortatur 21. pie obit, in ejus exſequiis corpus defertur à S. Henrico 22. Miraculis claret. 23.

REMIGIANÆ Baſilicæ Remis dedicatio. Ejus hiſtoriam ſcripſit Anſelmus monachus Remigianus æqualis, ſub S. *Leonis IX. Itinerarii* nomine; alii auctores de eadem re paſſim ſcripſerunt, 711. quorum teſtimonia referuntur. Hinc feſtum S. Remigii celebre ex Leonis Decreto. 712. Monaſterii Remigiani baſilica ſæpius exſtructa 713. Hanc à Leone IX. dedicari obtinet Herimarus abbas, 715 Pontifex Remos ſynodum indicit, fruſtra nitentibus nonnullis, 716. Remos accedit, celebrat in eccleſia metropolitana, 717. In monaſt. S. Remigii degit, 718. defertur ejuſdem ſancti corpus ad metropolitanam, 719. Dedicat Remigianam baſilicam, 719. ibi concilium celebrat, 720. ſimoniacos exagitat, 721. &c. Canones editi; corpus S. Remigii transfert, 724. miracula, 725. Pontificis epiſtola de feſto celebrando S. Remigii, Privilegium conceſſum ejus eccleſiæ majori altari, 726. Cleri Gallicani epiſtola de feſto S. Remigii. 727.

RICHARDUS abbas S. Vitoni Virdunenſis. Vitam ejus ſcripſit monachus Vitonianus ſubæqualis, tum Hugo Flaviniacenſis abbas in Chronico Virdunenſi 515. Pacem componit inter Robertum regem & S. Henricum. Res temporales monaſterii curat. A variis auctoribus laudatur, an à Petro Damiani condemnatus. Ejus cultus 517. ſepultura & anniverſarii celebritas 518. Ejus patria ac parentes, in Remenſi eccleſia educatur 519. 538. ubi dignitatibus pollet 538. Cum Frederico comite agit de monaſtica profeſſione ſuſcipienda 520. 539. ſuſcipiuntur in monaſterio Vitoniano. Fruſtra repetitur ab archiepiſcopo Remenſi 538. Richardus Fingenio ſufficitur 521. 539. Ope S. Henrici monaſterium reparat, 521. 540. Virdunenſium epiſcoporum multa ſepulcra detegit, 516. 522. 540. Eccleſiam ornat, &c. 541. 542. Lobienſi monaſterio præficitur, 523. 544. Viri nobiles ſepulti apud S. Vitonum 524. 543. 544. Expugnatio Commercei caſtri, unde reliquias obtinet, 525. 536. 542. XXI. monaſteriis præeſt 525. 544. *& ſeqq.* Necem evadit, 547. Non patitur monaſterium Vitonianum in urbe includi 526. ſecedit in ſolitudinem, ubi miraculis claret; revocatur 527. Jeroſolymam iter ſuſcipit, Conſtantinopoli ſuſcipitur à Patriarcha & Imperatore, loca ſacra inviſit 528. 550. &c. Antiochiam venit, ei Simeon monachus jungitur 529. 552. redit 529. 555. miracula 530. Defectus in miſſa ſevere punitur, 531. Hiſtoriæ ſanctorum in officio lectæ 532. S. Henricus ei obedientiam promittit, 533. Bleſis prædicans crucifixi imago aquam è latere emittit 534. Perfecti ſuperioris in eo imago 548. 556. Ejus in benefactores defunctos ſollicitudo. Romanum iter 549. cognominatur Supra-regulam 550. Orandi formulam laïcis tradit. 551. Tempore famis omnia vendit, ut egenis ſubveniret. Bellum civile in Normannia ſedat. 558. Epiſcopatum Virdunenſem recuſat, Treuva Dei inſtituitur 559. Lues maxima, extremus morbus 560. ſacramenta recipit, obit 530. 561. Ejus exſequiæ 530. 562. ſepulcri ornatus 562. Memoria ejus clara 563. 564. Vita & miracula S. Vitoni ab eo ſcripta 565.

RIGOMERUS. Ejus corpus è Cenomannica urbe in monaſterium Malleacenſe transfertur cura Theodelini abbatis & Hugonis comitis 133. Ejus Tranſlationis Hiſtoria à Petro monacho deſcripta 134.

ROMUALDUS inſtitutor ordinis Camaldulenſis. Petrus Damiani, & alii ejus Vitæ ſcriptores. Ordinis Camaldulenſis initia, &c. 277. Romualdus Ravennæ è ducum familia prodit 281. Viſo S. Apollinari fit monachus Claſſenſis 282. ſecedit in eremum ubi vivit cum Marino 283. Petri Urſeoli, &c. converſio 283. 284. In Gallias ſecedunt ſimul 284. Ejus de vigiliis, jejuniis, &c. ſcita. Sollicitudo pro divino officio 285. Olibanum convertit 286. patrem à converſione reſilientem mire reprimit 286. 287. prope Claſſenſe monaſterium degit 288. Diabolo inſultat, à diſcipulis vexatur, monaſteria condit 289. Fit abbas Claſſenſis opera Ottonis III. 290. Venerium in eremo viventem abſque abbatis licentia corrigit, qui pie obit,

Digitized by Google

291. apud Pereum cum aliis vita mirabilis 292. Bonifacius Ruſſorum archiepiſcopus & martyr ejus diſcipulus; ejus pia exercitia, &c. apoſtolatus 292. 293. martyrium 294. Johannes & Benedictus ejus diſcipuli 294. à furibus occiſi miraculis coruſcant 295. Ipſe monaſteria condit, lacrymarum donum obtinet 296. 298. Parentio diſcedit. 297. Bifurci cellas ſplendidiores improbat, monaſterium Vallis de caſtro excitat 298. Simoniacos inſequitur, monaſteria extruit 299. 300. 301. In Hungariam cum diſcipulis prædicaturus ire tentat 300. Potentibus quam terribilis 301. apud Aquam-bellam manet 302. Calumnias patitur 303. 309. ſacris interdicitur, commentarios in S. ſcripturam ſcribit, vitæ auſteritas 304. & ejus diſcipulorum 308. Obit 310. altare ſuper ejus corpus incorruptum erigitur, 311. 312. Nonnulla ſubjiciuntur de Guarino abbate & Olibano. 312. 313.

S

Saviniani, Potentiani, &c. corpora inveniuntur in monaſterio S. Petri Vivi 254. 256. deferuntur Senonas ob metum Normannorum 259. Willelmus archiepiſcopus volens ea retinere punitur 260. referuntur ad monaſterium 261. ſucceſſio epiſcoporum Senonenſium & abbatum S. Petri Vivi 261. *ad* 264. SS. corpora elevantur è cryptis 265. 266. Robertus rex & Conſtantia ſuppeditant ſumtus ad ornatum thecæ, 264. 265. Aliæ Tranſlationes 254. 255. Pontificum indulgentiæ 256.

Simeon eremita. Ejus Vita ex monacho æquali 149. Ejus ætas, an Benedictinus? *ibid.* Natus in Armenia, ibi monachus fuit, tum in eremum ſeceſſit. 151. Fratrem ob inobedientiam mortuum reſuſcitat. Jeroſolymam inviſit. 153. Romæ ſuſpectus hæreſeos abſolvitur 154. Varias Italiæ urbes luſtrat 155. *&c.* Inviſit S. Jacobi eccleſiam in Gallecia 159. In monaſterio Padolironæ prope Mantuam ſedem figit 160. Miraculis coruſcat *ibid. & ſeqq.* Obit 163. Miracula ad ejus ſepulcrum 164. *& ſeqq.* Pontificum litteræ de ejus cultu 168.

Simeon recluſus Trevirenſis, Ejus vitam ſcripſit Evervinus abbas Theologienſis, ſive S. Martini Trevirenſis 367. 368. Ecoliſmam venit, tum Rotomagum, ubi deponit reliquias S. Catharinæ è monte Sinaï allatas 368. ubi vixit. Pro ejus canonizatione ſcribit Poppo archiepiſcopus ad Benedictum IX. 369. quam obtinet. Ejus inventio 370. Ejus patria & parentes. In terram S. peregrinatur, ſolitario adhæret prope Jordanem 372. ſecedit in monaſterium Bethleemitanum, tum in aliud montis Sinaï 373. ſecedit in eremum. In Gallias mittitur 374. multa patitur in itinere 375. Trevirim appulſus ibi recluditur 376. ubi multa patitur 377. ægrotat, obit, more patrio ſepelitur 378. Ejus miracula 379. *& ſeqq.*

T & V

Theodoricus epiſcopus Aurelianenſis. Tres ejus vitæ habentur, 192. nobili genere exortus, 194. in monaſterio S. Petri Vivi educatur 195. 197. Fit epiſcopus, 195. Turbæ in ejus electione, 192. 197. Aurelianis exorta reprimitur, 193. 196. In monaſterium redit. Obit, 196. 198.

Wlferius monachus ſancti Johannis Reomaenſis 169 poſt aliquot viſiones, 170. obit in monaſterio S. Germani Autiſiodorenſis 171.

Wolbodo epiſcopus Leodienſis. Ejus vitam ſcripſit Reinerus monachus S. Laurentii 174. Benedictinus fuit in Ultrajectina eccleſia 175. in qua obtinuit dignitates 177. Leodii epiſcopus factus, 178. Henricum imperatorem ſibi conciliat 179. Et S. Heriberto Colonienſi. S. Jacobi monaſterii curam habet 180. Pacem cum Friſonibus conciliat 181. Sacramentis munitus obit. Ejus epitaphium 182. ſepelitur in monaſterio S. Laurentii quod dotaverat 183. Durandus ejus ſucceſſor. *ibid.* Ob ablatas res S. Laurentii punitur, & obit 184. Miraculis coruſcans, ab his ceſſare jubetur. 185.

Y & Z

Ysarnus abbas S. Victoris Maſſilienſis, 607. monaſterio fiunt variæ donationes, viri ibidem illuſtres, &c. 608. inter quos Guifredus abbas, cultu publico donatus 607. 608. Yſarni vita ab Anonymo æquali ſcripta 607. Cultus 608. Naſcitur in pago Toloſano, vocem habet ſuavem 609. monachus fit Agathæ. In monaſterio S. Victoris Maſſiliæ ſuſcipitur 610. Fit prior à Guifredo abbate, cui poſtea ſuccedit, 611. Ejus virtutes, caritas in pauperes, abſtinentia, &c. 612. à S. Odilone laudatur. Ejus diſcipuli illuſtres 614. Ei adverſantes puniuntur 615. 616. alia miracula 617. &c. Lirinenſes monachos è captivitate liberat 622. Ea de re in Hiſpaniam vadit 623. Obtinet captivos 625. Obit, ejus Epitaphium 626.

Zoerardus ſeu Andreas & Benedictus martyr, eremitæ è Polonia in Hungariam penetrant 75. Eorum vitam ſcribit Maurus epiſcopus Quinquecclesienſis, & ipſe vir ſanctus 76. Zoërardus è monaſterio Zobor in ſolitudinem ſecedit, mira ejus auſteritas 77. 78. Benedictus à latronibus in flumen dejicitur; miracula 78.

INDEX SANCTORUM PRÆTERMISSORUM in hac I. parte Sæculi VI. Benedictini.

A

Aldulfus, ſeu Ardulfus ex abbate Burchenſi, ut ſcribit Vvillelmus Malmeſburienſis lib. 3. de geſtis Pont Angliæ, Eboracenſis ſimul & Vvigornienſis epiſcopus. Tranſtulit oſſa beati Oſvvaldi anno MII. 17. Kal. Maii, ac paullo poſt, ut teſtatur Rogerius de Hoveden, ſexta ſcilicet Maii die, defunctus eſt, ac Vvigorniæ, teſtante Vvillelmo, ſepultus. Nomen ejus cum *beati* titulo exhibent faſti Benedictini.

Alfvvoldus epiſcopus Schireburnenſis in Anglia ineunte ſæculo XI. de quo ſæculo præcedenti ad annum CMLXXVIII. Vide Bollandianos ad 25. Martii, quo ejus feſtum in Martyrologiis recolitur.

Alruna comitiſſa in monaſterio Altaichenſi celebris, ſed nonniſi deſiderio Benedictina fuit. Miraculis claruit, ut auctor eſt Bucelinus in Menologio die 19. Junii, quamvis eam obiiſſe die VI. Kalendas Januarii ſcribat. Obiiſſe creditur circa annum MXL.

Arduinus Italiæ rex ab Henrico imp. profligatus in monaſterium Fructuarienſe ſe recepit, ubi monachus factus vitam pie finivit anno MXVIII. memoratur in faſtis Benedictinis die 2. Martii. De eo plura in obſervationibus ad vitam B. Guillelmi abbatis Divionenſis ad annum MXXXI.

Arnaldus XVI. abbas Caſtrenſis monaſterii, quod poſtea in ſedem epiſcopalem à Johanne XXII. pontifice Romano erectum eſt. Abbatis dignitatem anno MXXX. jam obtinebat Arnaldus, quam ultra annum MXLIII. non poſſedit. Hoc enim ipſo anno Gerebardus abbas erat, ex Chronico epiſcoporum Albigenſium & abbatum Caſtrenſium tomo 7. Spicilegii

Digitized by Google

gii Acheriani pag. 341, Arnaldi geſta ſex verſibus comprehendit laudati Chronici auctor.

Deliciis hominum ARNALDUS *ſatiatus iniquis,*
Intrat Caſtrenſis clauſtra monaſterii,
Pœnitet adverſus Dominum peccaſſe, ſuique
Peccati veniam poſtulat: illa datur.
Infirmos ſanat tactu, mutoſque loquaces
Reddit, contrito hac gratia facta viro eſt.

ATHANASIA abbatiſſa in inſula Ægina celebratur die 14. Auguſti in Martyrologio Romano, quo item die in Menologio Benedictino Bucelini, & apud Arnoldum Vvionem memoratur: ſed ex ejus Vita, quæ habetur apud Surium eadem 14. Auguſti die patet eam ſæculo IX. vixiſſe, ut obſervat Baronius in notis ad Martyrologium Romanum. Nec forte meliori titulo pertinuiſſe dicitur ad Ordinem Benedictinum. Idem dicendum de MATTHIA abbate, qui in eadem Vita memoratur. Eum tamen inter Ordinis noſtri ſanctos laudat Bucelinus in Menologio die 4. Septembris, ſub *Abbatis Augiæ* titulo. Ubi ſicut & Athanaſia ſub annum Chriſti ML. floruiſſe dicitur.

B

BARTHOLOMÆUS abbas Criptæ-ferratæ, diſcipulus ſancti Nili junioris, memoratur in faſtis Benedictinis die XI. Novembris.

BENEDICTUS &c. Martyres in Polonia, de quibus ſæculo præcedenti ex Dubravio dictum eſt in obſervationibus præviis ad Vitam ſancti Adalberti epiſcopi Pragenſis. Huc referre ſufficiat locum ex libro I. Chronici Coſmæ Pragenſis ubi ſic habet. *Temporibus Henrici imperatoris, qui poſt Ottonem tertium rexit Romanum Imperium, in partibus Poloniæ quinque fuere monachi & eremitæ, viri Iſraelitæ,* BENEDICTUS, MATTÆUS, JOHANNES, ISAAC CRISPINUS, alii legunt CHRISTINUS, *& ſextus* BARNABAS, *quorum non eſt inventus in ore dolus, nec in manibus pravum opus. Horum de Vita patrum ſcripturus multa, malui pauca, quia ſemper dulcius ſumitur quæ parcius apponitur eſca. Erat tamen eorum converſatio laudabilis, Deo acceptabilis, hominibus admirabilis & eam ſectari volentibus imitabilis. Hactenus hæc. Paſſi ſunt autem hi fratres quinque anno Dominicæ Incarnationis milleſimo quarto, ſecundo Idus Novembris.* Celebris eſt eorum memoria apud Polonos & Hungaros; ſed plura de eorum geſtis non habent præter ea, quæ ex Dubravio laudata ſunt.

C

COLMANNUS Scotus peregrinus in Auſtria, ſub nomine exploratoris ſuſpenſus, miraculis clarus, ſepultus eſt in monaſterio Mellicenſi, ideoque ejus nomen in faſtis Benedictinis die 13. Octobris inſcriptum fuit. At dubitare licet an umquam monachus fuerit. Martyrium ejus ab Erchinfrido Mellicenſis monaſterii tertio abbate paullo poſt deſcriptum fuit, quod habes apud Lambecium tomo 2. Bibliothecæ Cæſareæ. Paſſus eſt anno MXII.

CONGALLUS *abbas ſacri nemoris Haly-Woode in Scotia, religioſa continentia clarus*, memoratur in Menologio Scotico die XII. Maii. quo apud Bollandianos inter prætermiſſos habetur. ubi laudant catalogum manuſcriptum, qui ſic habet: *Congellus de Sacro-boſco & confeſſor anno* MXIII. Hunc cum celebri Benchorenſis monaſterii abbate nonnulli confuderunt, aut certe unius geſta attribuerunt alteri. Arnoldus Vvion, Ferrarius in catalogo generali & alii Congellum laudant ex vita ſancti Malachiæ, qui tempore ſancti Bernardi floruit, ſed eos falli vel ex ſola vitæ lectione quivis facile advertet.

D E F

DONANUS abbas *in Achterles*, in Scotia, colitur die 17. Aprilis in eccleſia Aberdonenſi. Ejus baculi tactu febres & morbi regii curabantur, antequam ab hæreticis corrumperetur, ut obſervat Demſterus in Hiſtoria eccleſiaſtica Scotorum De eo pauca Bollandiani ad 17. Aprilis. Obiit circa hujus ſæculi medium.

ELFLEDA abbatiſſa monaſterii Rumeſeienſis hujus ſæculi initio. cujus vitæ compendium ex Capgravio habet Mathevvius in Trophæis Angl. Cong. die 29. Octobris, quo memoratur in variis Martyrologiis.

FELIX abbas ſancti Gildæ Ruyenſis in minori Britannia, huc tranſmiſſus à Gauſlino abbate Floriacenſi, ut ibi monaſticam vitam reſtitueret: quod ita egregie præſtitit, ut ſub ejus regimine hoc ineunte ſæculo plures viri ſanctitate celebres brevi enituerint. quales ſunt EOHARNUS, GINGURIANUS & GUNSTANUS, qui omnes in faſtis Benedictinis locum promeruere. Felix die 17. aut, ut dictum eſt in notis ad vitam ſancti Gildæ, 9. Martii. Eoharnus II. Februarii, Gingurianus 27. Septembris, ac tandem Gunſtanus die 27. Novembris celebrantur. De horum geſtis pauca habentur, præter ea quæ de illis retulit auctor vitæ ſancti Gildæ, editæ ſæculo I. Benedictino ad annum DLXV. quæ hic ideo repetere viſum non eſt operæ pretium.

FORTIS eremita & monachus Fontis-Avellani, ex Gabrielliorum familia oriundus dicitur, cujus corpus in cathedralem Eugubinam tranſlatum, hodieque ibi honoratur in peculiari capella, cum hoc epitaphio.

D. O. M.

Divo FORTI *eremitæ, candore animi,*
Summa conſtantia, & Chriſtianæ pietate inſigni.
Anno à Chriſto nato MXL. *ad cæli patriam migravit.*

Ejus imago viſitur in monaſterio Fontis-Avellani cum inſcriptione, in qua *beatus* dicitur obiiſſe IX. Maii, & ea die memoratur in Menologio Benedictino. De eo Ferrarius ad diem VII. ejuſdem menſis, Jacobillus, &c.

FULBERTUS epiſcopus Carnotenſis, obiit anno MXXVIII. ſanctitate & doctrina celeberrimus. nullo tamen cultu publico honoratur apud Carnotenſes, nequidem in monaſterio ſancti Petri, ubi ſepultus jacet. Ejus memoriam cum *beati* titulo celebrat Bucelinus in Menologio Benedictino die X. Aprilis; alii item auctores, ſed recentiores, eum eodem *beati* ſeu *ſancti* titulo donarunt.

G

GREGORIUS, ex abbate SS. Coſmæ & Damiani ad Micam auream Romæ, factus epiſcopus Oſtienſis, in Hiſpaniam miſſus eſt à Romano Pontifice, ubi obiiſſe dicitur anno MXLIV. ac ſepultus. Ejus vitam & miracula ſcripſit Conſtantinus Cajetanus abbas è Congregatione Caſinenſi, quæ edita eſt Romæ anno MDCVI. Eam recudit Tamayus in Martyrologio Hiſpanico, die 9. Maii. Miracula vero ad ejus ſepulcrum apud ſanctum Salvatorem de Piñava facta refert die ſequenti ex Ægidio Cabregenſi, auctore æquali, quæ item à Bollandianis ad diem 9. Maii edita ſunt. De eodem ſancto hoc legitur in vita ſancti Dominici Calciatenſis apud eoſdem Bollandianos 12. Maii: *Quidam epiſcopus, Gregorius nomine, in partes Hiſpaniæ ad prædicandum evangelium* advenit.

I

JOHANNES archiepiſcopus Eboracenſis, cujus Vita data eſt ad annum DCCXXI. in monaſterio Beverlacenſi ſepultus, è ligneo ſepulcro elevatus eſt, ac *in capſa auro argentoque & lapidibus pretioſis opere incomparabili* fabricata depoſitus ab Alfrico archiepiſcopo Eboracenſi, *cum ingenti Cleri plebiſque exſultatione*, anno 1044. die 25. Octobris, quo deinceps tranſlatio prædicta apud Anglos fuit ſollemnis. Hæc Thomas Stubs in actis Eboracenſium epiſcoporum.

M

MACARIUS archiepiſcopus Antiochenus, aliquamdiu in monaſterio ſancti Bavonis apud Gandavum hoſpitatus, ibi obiit & ſepultus eſt an-

Digitized by Google

no MXII. Miraculis poſt mortem clarus, agente Sigero abbate è terra levatus fuit anno MLXVII. Depoſitionis feſtum die x. Aprilis, Elevationis, ſeu tranſlationis IX. Maii ſollemniter celebratur. Ejus vitam duplicem habes apud Bollandianos die x. Aprilis.

MAURUS epiſcopus Cæſenas in Romandiola, cujus ſacrum corpus, crebreſcentibus ad ejus tumulum miraculis, è terra ab Epiſcopis vicinis elevatum eſt hujus ſæculi initio. Ei Montis-Mauri monaſterium prope Cæſenam, nomen & originem debet, quod hodieque ſub Caſinenſi congregatione celebre eſt. Corpus ejus ſacrum, quod ibidem diu ſervatum eſt, poſtea in urbem tranſlatum fuit anno 1340. ut ſcribit Ughellus, atque in eccleſia S. Johannis Evangeliſtæ depoſitum; unde ſæculo ſequenti in cathedralem eccleſiam deportatum fuit, ubi hodieque viſitur. Supereſt in monaſterio tumulus ejus cum hac inſcriptione, quam Ughellus refert.

Hic manet Antiſtes tumulatus marmore ſanctus,
Fulgidus, inſignis, mirandus, nomine MAURUS.

Ejus vitam, ſeu Miracula deſcripſit ſanctus Petrus Damiani, quam inter ipſius opera lege, ſi lubet. Memoriam vero recolunt Benedictini faſti, ſicut & Martyrologium Romanum die 20. Januarii, quem diem ejus eſſe Tranſlationis monet Ughellus, exitus vero 20. Novembris, quo re ipſa die à Ferrario in Catalogo generali ſanctorum Italiæ memoratur.

N

NILUS, Junior dictus, Hegumenus Græcus, qui Caſinum venit ſub Aligerno abbate, à quo accepit monaſterium Vallis-lucii, ubi annos XV. exegit, tum Cryptæ-ferratæ abbas fuit, ibique obiit hujus ſæculi initio. de eo plura videſis in Sæculo præcedenti pag. 645. &c.

NOTGERUS, ſeu NOTKERUS ex præpoſito ſancti Galli epiſcopus Leodienſis, de quo ſæculo ſuperiori ad annum MXII. ubi quoque de Notkero Balbulo, & ſub finem ejuſdem ſæculi de Epiſcopis Leodienſibus egimus.

O & R

OSVVINI regis Tranſlatio facta, die XIII. Kal. Septembris, hujus ſæculi initio. quæ occaſionem præbuit condendo monaſterio Tinumetenſi in agro Northumbrenſi, quod monaſterio ſancti Albani ſubjectum eſt. de eo plura tomo I. Monaſt. Anglicani pag. 333. quæ excerpta ſunt ex vita ſancti Oſvvini & ex ejus tranſlationis Hiſtoria.

REGINBALDUS epiſcopus Spirenſis, qui primus poſt inſtitutos in percelebri monaſterio ſancti Udalrici Auguſtenſi monachos, abbas inſtitutus eſt anno MXII. à Brunone Auguſtano epiſcopo. Hunc poſtea ad Eberſpergenſis, tum ad Lauriſhamenſis monaſteriorum regimen tranſlatum fuiſſe aiunt Hugo Menardus & Bucelinus, priuſquam thronum Spirenſem conſcenderet. quod *populi ſimul & cleri conſenſu* anno MXXXI. factum fuiſſe ſcribit Trithemius in Chronico Hirſaugienſi, ubi de eo ſic habet: *Vir magnificus, amator cleri & doctor populi, multum egregius* fuit, *qui multa bona fecit eccleſiæ ſuæ.* Ejus tempore Conradus Auguſtus majoris eccleſiæ Spirenſis fundamenta poſuit. Coronam cupream deauratam, amplam & magnificam fieri curavit, quæ in chori medio penderet, quales hodieque in pleriſque Belgicæ noſtræ eccleſiis viſuntur, viginti quatuor in ea verſus inſculpi curaverat, ex quibus duos refert Bucelinus in Menologio.

Iſtud non magnum dignanter ſuſcipe munus,
Quod Reginbaldus tibi præſul reddo miſellus.

Obiit anno MXXXIX. die XIII. menſis Octobris; ut habet Hermannus Contractus qui eum *virum vita & habitu monachico verendum* appellat. Hermannum ſecutus eſt Trithemius. Eadem die memoria ejus cum *ſancti* elogio celebratur in Martyrologio Benedictino Hugonis Menardi. Eodem titulo donatur à Bucelino in Menologio die 21. Auguſti, & ab Herſfeldero in Baſilica SS. Aftræ & Udalrici, ubi eum ex Kirburgenſibus comitibus, id eſt ex ipſius ſancti Udalrici gente, ortum duxiſſe ſcribit. Omitto alios auctores, Bruſchium, Stengelium, Raderum &c. qui Reginbaldum pro data occaſione laudaverunt.

S & T.

SERGIUS IV. Pontifex maximus, antea epiſcopus Albanenſis, Petrus dictus, cognomento, ut aiunt, Bucca-porci. Ejus virtutes exponit Epitaphium quod in baſilica Lateranenſi inſculptum eſt, ubi *Eccleſiæ decus, pauperibus panis, nudorum veſtis & populo doctor egregius* appellatur. nullo publico cultu donatus eſt; ejus tamen memoria in Menologio Benedictino legitur die 18. menſis Auguſti.

TARASIA Veremundi II. Caſtellæ regis filia, cum à fratre Aldefonſo nubere invitus coacta fuiſſet Abdallæ Saracenorum regi, & ille à Deo punitus liberam eam dimiſiſſet, Ovetum in ſancti Pelagii monaſterium ſeceſſit, ibique reliquo vitæ ſuæ tempore tranſacto, defuncta & ſepulta eſt, anno MXXXIX. memoratur à Vvione, Dorganio, Menardo ceteriſque faſtorum Benedictinorum ſcriptoribus cum *ſanctæ* titulo, die 25. Aprilis. Ejus epitaphium ex Ambroſio Morales refert Baronius ad annum MX. ubi ſic habetur: *En quem cernis cavem ſaxa teget compago ſacra. Hic dilecta Deo recubans Taraſia Chriſto dicata, proles Beremundi regis & Geloyræ reginæ, genere orta claro parentatu, clarior & merito, vitam duxit præclaram ut continet norma. Hanc imitare velis, ſi bonus eſſe cupis, vel ſi obiit ſub die VII. Kal. Magii, feria quarta, hora media noctis poſt peracta ætate ſæculi porrecta per ordinem mundi ſextam, da Chriſte quæſo veniam. parce, precor, amen.*

TEUTO ſancti Maïoli abbatis diſcipulus, à quo ſancti Mauri Foſſatenſis abbas inſtitutus, poſtea in Remenſem pagum ſeceſſit, ac tandem Cluniacum reverſus obiit circa annum MXX. etiam poſt mortem miraculis illuſtratus. De eo in elogio hiſtorico ſancti Maïoli ſæculo V. pag. 724. In faſtis Benedictinis recolitur die 13. Octobris.

V.

VIGIANUS Scotus monachus Cluniacenſis, tum epiſcopus, qui hujus ſæculi initio ad ſuperos abiiſſe creditur. Ejus natalem Abirbrothi celebrem commemorat Thomas Dempſterus in Menologio ſcotico, die 4. Januarii, & ex eo Ferrarius in Catalogo eorum ſanctorum, qui in Martyrologio Romano non habentur. Uterque narrat crucem ex ejus cœmeterio nulla vi ab hæreticis avelli, neque, licet ligneam, potuiſſe umquam incendi.

Digitized by Google

KALENDARIUM SANCTORUM, quorum Acta in prima parte Sæculi ſexti Benedictini exhibentur.

JANUARIUS.

1. IN monaſterio Fiſcamnenſi S. Guillelmi abbatis ejuſdem & aliorum multorum monaſteriorum. pag. 320.
Eodem die in monaſterio Silviniacenſi S. Odilonis abbatis Cluniacenſis. 631
4. Bremis in Saxonia S. Libentii ſeu Lievizonis ejuſdem urbis archiepiſcopi. 128
6. Atrebati S. Frederici monaſterii S. Vedaſti præpoſiti. 185
17. In monaſterio Glaſtonienſi S. Britvvaldi epiſcopi Vviltonienſis. 473
22. In monaſterio prope Soram, Campaniæ Italicæ urbem, S. Dominici ejuſdem loci & aliorum monaſteriorum conditoris & abbatis. 355
25. In monaſterio Stabulenſi ſancti Popponis ejuſdem loci abbatis. 569
Eodem die Virduni in monaſterio S. Vitoni B. Adelvivvæ matris B Popponis, recluſæ. 571
27. Aurelianis S. Theodorici epiſcopi. 192
30. Fuldæ B. Amnichadi recluſi. 471

FEBRUARIUS.

1. In monaſterio Selginſtadienſi S. Clari recluſi. 472
5. Vilicæ prope Bonnam in Germania, S. Adelheidis primæ ejuſdem loci abbatiſſæ. 137
Eodem die Centulæ V. Odelgeri ejuſdem loci prioris. 495.
10. In monaſterio Columbenſi B. Helviſæ recluſæ. 365.
14. In Ruſſia S. Brunonis archiepiſcopi & martyris Ruſſorum apoſtoli. 79

MARTIUS.

3. Bambergæ S. Chunigundis Auguſtæ & virginis. 451.
4. In monaſterio S. Galli V. Burchardi II. abbatis. 198.
5. Malleaci Tranſlatio S. Rigomeri confeſſoris. 133
6. Fontanellæ V. Gradulfi ejuſdem loci abbatis. 361
8. In monaſterio S. Petri Carnotenſis V. Arnulfi ejuſdem loci abbatis. 315
11. Firmi in Piceno S. Firmani abbatis S. Savini. 171
14. In monte Caſino V. Johannis II. abbatis Caſinenſis. 97
18. Ibidem V. Johannis III. abbatis Caſinenſis. 100
23. Themi in Italia B. Felicis monachi Caſinenſis. 102.
31. In monaſterio Pomposiano prope Ravennam S. Guidonis ejuſdem loci abbatis. 508

APRILIS.

11. Coloniæ in monaſterio S. Martini B. Heliæ abbatis. 468
Eodem die Cavæ S. Alferii primi ejuſdem loci abbatis. 727
14. In monaſterio Tuitienſi V. Wolperti primi ejuſdem loci abbatis. 469
19. Cantuariæ S. Elphegi archiepiſcopi & martyris. 113.
20. Leodii S. Wolbodonis ejuſdem urbis epiſcopi. 174.

MAIUS.

1. In monaſterio S. Hippolyti Zobor in Hungaria SS. Zoerardi ſeu Andreæ, & Benedicti martyris eremitarum. 75
3. Trajecti ad Rhenum S. Aufridi epiſcopi. 85
4. In monaſterio Thorenſi W. Hilſuindis fundatricis, & Benedictæ primæ abbatiſſæ. 89
Eodem die Hildesheimii S. Godehardi ejuſdem urbis epiſcopi. 395

JUNIUS.

1. Treviris S. Symeonis monachi & recluſi. 367
4. Caſini Stephani Venerici, monachi. 105
5. Paderbornæ in monaſterio Abdingoffenſi B. Meinvverci epiſcopi. 382
14. Virduni in monaſterio S. Vitoni B. Richardi ejuſdem loci abbatis. 515
17. Ratiſponæ in monaſterio S. Emmerammi beati Ramuoldi abbatis. 3
Eodem die in monaſterio Miciacenſi prope Aurelianos Tranſlatio reliquiarum S. Euſpicii abbatis. 313
19. In monaſterio Camaldulenſi S. Romualdi ejuſdem ordinis inſtitutoris. 277
Eodem die in Ruſſia S. Bonifacii archiepiſcopi & martyris. 292
28. In monaſterio S. Bavonis Gandavenſis Tranſlatio SS. Livini & Briccii martyrum. 64

JULIUS.

9. In monte Caſino Angeli monachi. 104
10. Peruſii in monaſterio S. Petri de monte Caprario S. Petri ejuſdem loci primi abbatis. 70
14. Bambergæ S. Henrici Auguſti. 451
Eodem die Leodii, in monaſterio S. Jacobi, V. Olberti ejuſdem loci abbatis. 596
25. In monaſterio Miciacenſi prope Aurelianos inventio SS. Maximini abbatis & ceterorum. 252
28. In monaſterio S. Benedicti Padolironenſis prope Mantuam, S. Symeonis Armeni eremitæ. 149
30. In monaſterio S. Mildrithæ in Anglia S. Leofronnæ abbatiſſæ & ſociarum martyrum. 115

AUGUSTUS.

15. Arimini in monaſterio S. Gaudentii, S. Arduini preſbyteri. 81
20. Wormatiæ S. Burchardi epiſcopi. 599
25. Aptæ Juliæ S. Martiani primi abbatis monaſterii S. Euſebii. 93
Eodem die in monaſterio S. Petri Vivi prope Senonas Tranſlatio SS. Saviniani, Potentiani &c. 254
30. In monaſterio Lucediæ in Italia S. Bononii ejuſdem loci abbatis. 266

SEPTEMBER.

4. Fontanellæ V. Girberti ejuſdem loci abbatis. 362
11. Maſſiliæ in monaſterio S. Victoris B. Guifredi ejuſdem loci abbatis. 607
13. In pago Tiburtino Venerii eremitæ. 291
21. Capuæ in monaſterio S. Benedicti, Pauli monachi Caſinenſis. 106
24. Maſſiliæ in monaſterio S. Victoris, S. Yſarni abbatis ejuſdem loci. 607

Eodem die Canadii in Hungaria S. Gerardi epiſcopi & martyris. 617

OCTOBER.

2. Remis dedicatio baſilicæ archimonaſterii Remigiani per S. Leonem IX. papam. 711
3. In monaſterio Morerolæ in Hiſpania S. Froilani epiſcopi Legionenſis. 58
5. Zamoræ ſeu Numantiæ, S. Attilani epiſcopi. 82
7. Virduni in monaſt. S. Vitoni, V. Fingenii abbatis. 25
9. In monaſterio Breunovienſi S. Guntheri eremitæ. 475.
15. Ratiſponæ in monaſterio S. Emmerammi Aureliæ recluſæ. 5
30. Cantuariæ S. Egelnothi, cognomento Boni, ejuſdem urbis archiepiſcopi. 447

NOVEMBER.

2. In monaſterio Camaldulenſi Petri ejuſdem loci prioria. 278. 298
Eodem die in monaſterio Taluerenſi S. Germani prioris ejuſdem loci & trium aliorum monachorum. 735
12. Strigoniæ S. Auſtrici ſeu Anaſtaſii epiſcopi Colocenſis, tum archiepiſcopi Strigonienſis in Hungaria. 72
Eodem die in Polonia Johannis & Benedicti à furibus occiſorum. 295
13. In monaſterio Regulæ S. Abbonis abbatis Floriacenſis & martyris. 30
20. Hildesheimii S. Bernvvardi ejuſdem urbis epiſcopi. 201
23. In monaſterio Caſaurienſi S. Guidonis abbatis, 466.
26. In monaſterio Gemeticenſi V. Guntardi ejuſdem loci abbatis. 364
29. Fontanellæ V. Gerardi ejuſdem loci abbatis & martyris. 360

DECEMBER.

4. Quinquecclesiæ S. Mauri ejuſdem urbis epiſcopi. 76.
5. In monaſterio S. Mariæ de Albaneta, prope montem Caſinum, Pauli monachi. 108
9. Centulæ V. Angelranni, cognomento Sapientis, ejuſdem loci abbatis. 494
11. Autiſiodori in S. Germani monaſterio B. Wlferii monachi Reomaenſis. 169
14. In monte Caſino Adami monachi. 107

INCERTIS DIEBUS MORTUI.

In Apulia Marini inſtitutoris S. Romualdi. 287
In monaſterio Caſaurienſi V. Adelberti monachi. 493
In monte Caſino Azzonis monachi. 104
Ibidem Gregorii monachi. 103
Ibidem Johannis Venetici monachi. 105. 288
Ibidem Raynerii monachi & martyris. 108
Leodii in monaſterio S. Jacobi V. Johannis epiſcopi Itali. 597
In monaſterio S. Liberatoris diœceſis Theanenſis, Johannis monachi. 109

INDEX TOPOGRAPHICUS SANCTORUM
Partis primæ Sæculi ſexti Benedictini.

IN GALLIA.

IN provincia Lugdunenſi prima *Cluniaci* S. Odilo ejuſdem loci abbas. 631

In provincia Lugdunenſi ſecunda *Fontanellæ* V. Gerardus abbas, à ſicario interfectus, Gradulfus & Girbertus, 360. In monaſterio *Gemeticenſi* V. Gontardus abbas 360. In monaſt. *Fiſcamnenſi* S. Guillelmus abbas Divionenſis &c. 320

In provincia Lugdunenſi quarta apud *Senonas* in monaſterio S. Petri-Vivi, Tranſlatio SS. Saviniani, Potentiani &c. 254. Autiſiodori in monaſterio S. Germani B. Wlferius monachus Reomaenſis, 169

Carnuti in monaſterio S. Petri V. Arnulfus abbas, 315. In monaſterio *Columbenſi* B. Helviſa recluſa 365. *Aurelianis* S. Theodoricus epiſcopus 192. Ibidem in monaſterio *Miciacenſi* Inventio SS Maximini abbatis &c. 252. *Ibid.* Tranſlatio reliquiarum S. Euſpicii abbatis. 313

In provincia Belgica prima, *Treviris* S. Symeon monachus & recluſus 367. *Mettis* Adalbero II. epiſcopus 25. *Virduni* in monaſterio S. Vitoni Fingenius abbas 25. Ibidem B. Richardus ejuſdem loci abbas 515. Ibidem V. Fridericus ex comite monachus 185. Ibidem B. Adelvivva mater B. Popponis, recluſa 571.

In provincia Belgica ſecunda, *Remis* Dedicatio baſilicæ archimonaſterii Remigiani per S. Leonem IX. papam 711. In monaſterio *Centulenſi* V. Angelrannus ejuſdem loci abbas, & Odelgerius prior. 494

Atrebati V. Fredericus præpoſitus monaſterii S. Vedaſti 185. *Gandavi* in monaſterio S. Bavonis Tranſlatio SS. Livini & Briccii. 64

In provincia Aquitania ſecunda in monaſterio *Regulæ* S. Abbo abbas Floriacenſis & martyr 30. *Malleaci* Tranſlatio S. Rigomeri confeſſoris. 133

In provincia Narbonenſi ſecunda, *Apta-Juliæ* S. Martianus abbas S. Euſebii. 93

In provincia Viennenſi prima in monaſterio *Taluerenſi* S. Germanus ejuſdem loci prior & tres alii monachi. 735

In provincia Viennenſi ſecunda *Maſſiliæ* in monaſterio S. Victoris, S. Yſarnus ejuſdem loci abbas 607. Ibidem B. Guifredus ejuſdem loci abbas. 607

IN GERMANIA.

In provincia Germania prima *Fuldæ* B. Amnichadus recluſus, & Marianus Scotus, 471. In monaſterio *Selginſtadienſi* S. Clarus recluſus 472. *Bambergæ* SS Henricus & Chunegundis, auguſti, conjuges & virgines 451. *Wormatiæ* S. Burchardus, ejuſdem urbis epiſcopus 599. *Hildesheimii* S. Bernvvardus epiſcopus Hildesheimenſis 201. Ibidem S. Godehardus epiſcopus 395. *Paderbornæ* B. Meinvvercus epiſcopus, 382. In monaſterio *ſancti Galli* V. Burchardus II. abbas, 198.

In provincia Germania ſecunda, *Coloniæ* B. Helias Scotus abbas S. Martini 468. *Tuitii* prope Coloniam V. Wolpertus primus abbas Tuitienſis 469. *Vilicæ* prope Bonnam S. Adelheis prima ejuſdem loci abbatiſſa 137. *Leodii* S. Wolbodo, ejuſdem urbis epiſcopus 174. *Ibidem* in monaſterio S. Jacobi, V. Olbertus ejuſdem loci & Gemblacenſis abbas. 596. *Ibidem* V. Johannes epiſcopus 597. In monaſterio *Stabulenſi* S. Poppo abbas ejuſdem loci. 569

Trajecti ad Rhenum S. Aufridus, ejuſdem urbis epiſcopus 85. In monaſterio *Thorenſi* BB. Hilſuindis & Benedicta. 89

In Bajoaria *Ratiſponæ* in monaſterio S. Emmerammi Ramuoldus ejuſdem cœnobii abbas, 3. *Ibidem* Aurelia recluſa. 5

In

Digitized by Google

In Boëmia. In monaſterio *Breunovienſi* prope Pragam, S. Guntherus eremita. 475

In Saxonia *Bremis* S. Libentius ſeu Lievizo archiepiſcopus Bremenſis. 128

In Hungaria *Strigoniæ* S. Auſtricus ſeu Anaſtaſius epiſcopus Colocenſis, tum archiepiſcopus Strigonienſis 72. In monaſterio *Zobor* SS. Zoërardus ſeu Andreas & Benedictus martyr, eremitæ 75. *Quinqueccleſiæ* S. Maurus epiſcopus Quinqueccleſienſis. 76. *Canadii* S. Gerardus epiſcopus & martyr. 627

In *Ruſſia* S. Bruno archiepiſcopus & martyr, Ruſſorum apoſtolus. 79

IN ITALIA.

Peruſii in monaſterio S. Petri in monte Caprario S. Petrus ejuſdem loci primus abbas. 70. In monaſterio *Padolironenſi* prope Mantuam S. Symeon eremita 149. In monaſterio prope *Soram* in Campania S. Dominicus, ejuſdem loci conditor & abbas. 355

In monaſterio *Pompoſiano* prope Ravennam S. Guido ejuſdem loci abbas. 508

Firmi in Piceno S. Firmanus abbas S. Savini. 171. *Arimini* in monaſterio S. Gaudentii, S. Arduinus preſbyter. 81

In monaſterio *Caſaurienſi* S. Guido abbas 486. Ibidem Adalbertus monachus. 493

In monaſterio *Lucediæ* S. Bononius ejuſdem loci abbas. 266

In monaſterio *Camaldulenſi* S. Romualdus Ordinis Camaldulenſis inſtitutor. 277

Capuæ in monaſterio S. Benedicti B. Paulus monachus Caſinenſis 106. *Theani* B. Felix monachus Caſinenſis, 102. In monaſterio S. Liberatoris diœceſis Theanenſis Johannes monachus. 109

In *monte-Caſino* V. Johannes II. abbas. 97. *Ibid.* V. Johannes III. abbas 100. Ibid. Gregorius monachus 103. Angelus, 104. Azzo, 104. Stephanus Veneticus, 105. Johannes Veneticus, 105. Adam, 107. Raynerius martyr, 108. In monaſterio S. Mariæ *Albanetæ* prope Caſinum Liutius monachus Caſinenſis. 108.

Cavæ S. Alferius primus ejuſdem loci abbas. 727

IN ANGLIA.

Cantuariæ S. Elfegus archiepiſcopus & martyr. 113. Ibidem S. Egelnothus archiepiſcopus 447. In monaſterio *S. Mildritha*, S. Leofronna abbatiſſa & ſociæ martyres 115. In monaſterio *Glaſtonienſi* S. Britvvaldus epiſcopus Wiltonienſis. 473

IN HISPANIA.

Zamoræ S. Attilanus ex priore Moreroiæ ejuſdem urbis epiſcopus 82. In monaſterio *Mererolæ* in Hiſpania S. Froilanus epiſcopus Legionenſis. 58

NOMINA AUCTORUM PRÆCIPUORUM qui hujuſce primæ Partis Sæculi VI. Benedictini Acta ſcripſerunt.

A

ADAM Bremenſis in Hiſtoria ſua ſcripſit vitam S. Libentii archiepiſcopi. 128

AIMOÏNUS ſcripſit vitam & miracula ſancti Abbonis abbatis Floriacenſis ſæculo XI. 30

ALBERICUS monachus Caſini, Cardinalis, ſcripſit hoc ſæculo vitam S. Dominici abbatis Sorani in Italia. 355

ANSELMUS monachus Remigianus ſcripſit ſæculo XI. Itinerarium Leonis IX. Papæ de Dedicatione eccleſiæ ſancti Remigii Remenſis &c. 711

ARNOLDUS ſcriptor vitæ S. Godehardi epiſcopi Hildesheimenſis. 395

ARNOLFUS ex comite de Cham monachus S. Emmerammi ſæculo XI. ſcripſit de memoria B. Emmerammi & cultorum ejus. Liber 2. eſt de vita S. Ramuoldi. 3

B & E

BERTHA ſanctimonialis Vilicenſis monaſterii ſæculo XI. ſcripſit vitam S. Adelheidis primæ ejuſdem loci abbatiſſæ. 137

BURCHARDUS monachus S. Galli ſcripſit de eodem monaſterio ſæculo XI. exeunte. 198

EVERHELMUS abbas Altimontenſis ſcripſit ſæculo XI. ineunte vitam beati Popponis abbatis Stabulenſis. 569

EVERVINUS abbas Theologienſis, ſeu ut aliis placet, S. Martini Trevirenſis, ſcripſit ſæculo XI. vitam S. Symeonis recluſi Trevirenſis. 367

G & H.

GLABER-RODULFUS monachus ſcripſit vitam S. Guillelmi abbatis Divionenſis. 320

HARIULFUS ſcripſit ſæculo XI. exeunte Chronicum monaſterii Centulenſis, in quo inſerta eſt vita V. Angelranni ejuſdem loci abbatis. 494

HUGO Flaviniacenſis ex monacho Vitoniano abbas, ſcripſit Chronicon Virdunenſe ſæculo XI. exeunte, in quo geſta habentur B. Richardi abbatis &c. 515

I & L

JOHANNES BERARDUS ſcripſit ſæculo XIII. vitam S. Guidonis abbatis, in Chronico Caſaurienſis monaſterii. 486

JOTSALDUS monachus Cluniacenſis ſcripſit ſæculo XI. Vitam S. Odilonis abbatis. 632

LEO Marſicanus monachus Caſinenſis tum Cardinalis epiſcopus Oſtienſis ſcripſit Chronicum Caſinenſe, quod PETRUS ejuſdem loci diaconus & monachus continuavit. Ex quibus plura. 96. &c.

M & O

MAURUS ex monacho S. Martini epiſcopus Quinqueccleſienſis ſcripſit vitam SS. Zoerardi & Benedicti ſæculo XI. 75. 76

ODORANNUS monachus S. Petri Vivi Senonenſis ſcripſit Chronicum, & Hiſtoriam Tranſlationum SS. Saviniani, Potentiani &c. ſub Roberto rege. 254. 256

OSBERNUS monachus eccleſiæ Cantuarienſis ſcripſit Vitam & Hiſtoriam Tranſlationis S. Elphegi epiſcopi Cantuariæ ſæculo XI. 113

P & R

PETRUS DAMIANI epiſcopus & Cardinalis Oſtienſis ſæculo XI. ſcripſit vitam S. Romualdi inſtitutoris Camaldulenſium, 277. Item S. Odilonis &c.

PETRUS monachus Malleacenſis ſcripſit ſæculo XI labente Vitam & Hiſtoriam Tranſlationis S. Rigomeri confeſſoris. 133

REINERUS monachus S. Laurentii Leodienſis

Digitized by Google

NOMINA AUCTORUM PRÆCIPUORUM.

ſcripſit ſæculo XII. Vitam S. Wolbodonis Leodienſis epiſcopi. 174

B. RICHARDUS abbas S. Vitoni Virdunenſis ſcripſit vitam S. Vitoni epiſcopi & miracula, quæ ſuo tempore, id eſt ineunte ſæculo XI. ejus meritis facta ſunt. 515

S T & V

SIGEBERTUS ſcripſit libellum de Abbatibus Gemblacenſibus, ubi Vita V. Olberti ejuſdem loci quarti abbatis. 596

TANGMARUS decanus eccleſiæ Hildeshei-menſis vitam S. Bernvvardi ſcripſit eo adhuc vivente. 201

THEODORICUS monachus Caſinenſis ſcripſit vitam S. Firmani abbatis, non exſtat. 172

VICTOR III. in Dialogis ſcribit plura de ſanctis Caſinenſibus ſæculo XI. 96

WOLFERUS ſæculo XI. ſcriptor vitæ S. Godehardi epiſcopi Hildesheimenſis 395. & vitæ S. Guntheri eremitæ. 475

AUCTORES ANONYMI.

Anonymus Abbas Venuſinus ſcripſit ſæculo XII. ineunte vitam ſancti Alferii & trium ejus proximè ſucceſſorum abbatum Cavenſium. 727

Anonymus monachus Lucedienſis ſcripſit ſæculo XI. vitam S. Bononii ejuſdem loci abbatis. 166

Anonymus monachus Padolironenſis ſcripſit ſæculo XI. vitam & miracula S. Symeonis eremitæ. 149

Anonymus monachus S. Pauli Trajectenſis ſcripſit vitam S. Aufridi. 85

Anonymus monachus Vitonianus ſcripſit ſæculo XI. exeunte vitam B. Richardi ejuſdem loci abbatis. 515

Anonymus ſcripſit ſæculo XII. vitam S. Chunegundis Auguſtæ. 455

Anonymus Italus ſcripſit ſæculo XI. vitam S. Guidonis abbatis Pompoſiani. 508

Anonymus ſæculo XI. ſcripſit vitam S. Yſarni abbatis S. Victoris Maſſiliæ. 607

INDEX
RERUM MEMORABILIUM
PRÆFATIONIS PARTIS I. SÆC. VI. BENEDICT.

Cifri ſunt numeri ſectionum initiales.

A B & C

ABBATES regulares reſtituti, *num.* 3. Conceſſa iis pontificalia ornamenta 32. Eorum profeſſiones epiſcopis factæ 15. &c. 23. Exemtorum 26. 29. 30. Exemtionum origo 27. In quo conſiſtebat. 31

S. Albani monaſterii exemtio. 30

Angliæ monaſteria reſtituta. 14

Anſelmi ſententia de profeſſione abbatum. 20

Aurelianenſes epiſcopi exigunt profeſſionem ab Abbatibus. 15. &c. *ad* 31

Benedictinus Ordo in Orientem propagatus 8. 11. 12. In regiones Septemtrionales. 13

Bertæ à Roberto rege repudii epocha. 49. *& ſeqq.*

Bruno Cartuſianus non fuit Berengarii diſcipulus. 7

Caſini abbates Papæ profeſſionem facere renuunt. 22

Cluniacenſes florent 2. In Oriente. 11

Conſtantiæ reginæ nuptiarum epocha. 50

Corbeïenſis abbatis profeſſio. 26

Corporalibus incendia reſtincta. 46

D E & F

DISCIPLINA eccleſiaſtica à Benedictinis pontif. reſtaurata. 2

Diſciplinæ uſus an probandus. 38. *& ſeqq.*

Duellorum probationes 43. Etiam in eccleſiarum cauſis, *ibid.* Iis epiſcopi aſſiſtunt. 44

Epiſcopi exigunt profeſſionem ab Abbatibus 15. &c. *ad* 31. Duellis interſunt 44. Epiſcopi-monachi. 6

Floriacenſes abbates recuſant profeſſionem epiſcopis facere. 15

Fontanellenſis abbatis profeſſio. 25

Fulberti ſententia de profeſſione abbatum. 17

G H & I

GUILLELMI Conquæſtoris ſollicitudo pro monaſteriis. 14

Hugo Capetus abbates regulares reſtituit 3. Ejus mortis epocha. 47

Hugonis Junioris regis ætas, Epitaphium emendatum, &c. 52

Jeroſolymorum ſacra loca à Benedictinis inhabitata. 8. 11.

Ignis probationes. 43

Incendia ſacris corporalibus reſtincta. 46

Ivonis ſententia de abbatum profeſſione. 19. 22

L M & N.

LEO IX. eccleſ. diſciplinam reſtauravit. 4

Lobienſis abbatis dignitas. 34

Mitræ uſus Epiſcopis & abbatibus 32. 33. In ſynodis. 34

Monachi vagi, an ab Epiſcopis puniendi. 18

Monaſteria Jeroſolymis 8. 11. Conſtantinopoli 9. Palmareæ 11. In Palæſtina 12. In Ægypto, in Dania &c. 13

Monaſtici habitus ſuſceptio in extremis. 35

Moribundorum profeſſio monaſtica. 35

Normannorum ducum pietas 3. Abbates tuentur. 23

P R S & V

Pontificalia ornamenta abbatibus conceſſa. 32

Probationes per ferrum & duella. 43

Puerorum oblatio in monaſteriis an obliget. 36

Reliquiæ dubiæ igne probatæ. 45

Remenſis eccleſia, inde propagatio ſtudiorum. 7

Romani Pontifices Benedictini. 2

Rorberti monarchiæ epocha 47. & Bertæ repudii. 49

Scollandus abbas Cantuarienſis. 14

Studiorum reſtauratio. 5

Vercell. epiſcoporum mos in exigendo juramento ab ordinandis monachis. 28

Vindocinenſes abbates profeſſionem an faciunt epiſcopo. 19

Uticenſes abbates profeſſionem epiſcopo facere renuunt. 24

Digitized by Google

MONITUM.

ABſoluta ſuperioris Præfationis editione, cum reſciviſſet vir ille doctrina & eruditione clariſſimus, nobiſque amiciſſimus, cujus mentio à nobis num. 41. facta eſt, improbatam eo loci fuiſſe quorumdam recentiorum ſententiam, qui ſpontanearum flagellationum uſum univerſim damnant, nobis ſignificavit, ſe in illa ſententia non eſſe, ſed tantum improbaſſe id genus flagellationis, quam ille in nova ſui libri editione pag. 7. explicat. Ceterum ſe nullo modo recedere ab ea ſententia, quam de hoc argumento paucis propugnare nobis propoſitum fuit. Ita vir multæ eruditionis Jacobus Boileau Doctor Sorbonicus, qui ſe hoc loco nominari à nobis haud ægre paſſus eſt.

SUMMA PRIVILEGII.

CHriſtianiſſimi Francorum Regis LUDOVICI XIV. Privilegio VII. Kal. Martii, anni MDCLX. conceſſo, & ejuſdem menſis ejuſdem anni V. Nonas in Typographiæ Pariſienſis codicem relato, cautum eſt, ut Congreg. S. Mauri R. P. SUPERIOR GENERALIS Libros ab ejuſdem Congregationis monachis compoſitos, per quem maluerit Typographum, neve alius citra ejus conſenſum, edat, uti uberius diploma ipſum explicat.

Idem R. P. Superior Generalis facultatem, dedit CAROLO ROBUSTEL, *Bibliopolæ Pariſienſi, edendi ſæculum VI. Actorum Ordinis S. Benedicti.*

Digitized by Google

SI juxta divinæ ſententiam Veritatis, lucerna ad hoc accenditur, ut ſuper candelabrum poſita, lumen domum intrantibus præbeat: bene prolatæ ſententiæ virtutem exſequimur, ſi ſanctorum virorum exempla ad minorum formam altius ſublevemus. Ex alto quidem ſuæ revelationis, ad inſtar ignis, quo longius lumen proferunt, invitare eos, quos illuſtrant, melius poſſunt: magna autem cum fecerint, & neſciuntur, magnum, quod habent, lumen non proferunt: quia in imis locis & abditis occultantur. Ex Vitæ S. Alferii prologo.

ACTA

Digitized by Google

ACTA
SANCTORUM
ORDINIS
S. BENEDICTI

SÆCULUM SEXTUM,

Quod eſt à Chriſto nato undecimum.

Digitized by Google

Digitized by Google

VITA BEATI RAMUOLDI

ANN. CH. M I. JUN. XVII.

ABBATIS SANCTI EMMERAMMI apud Ratiſponam.

Auctore ARNOLFO ejuſdem monaſterii monacho, & coæquali.

Ex Tomo 2. Antiquæ lectionis Caniſii.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. ARNOLFUS *ex Comite* de Cham *&* Vochburg *Monachus ſancti Emmerammi, beati Ramuoldi geſta litteris mandavit in libro ſecundo, quem* de memoria beati Emmerammi, & cultorum ejus *inſcripſit. iſtud opus nos hic exhibituros polliciti ſumus in obſervationibus ad vitam ſancti Volfgangi in ſuperiori Sæculo: ſed prius aliqua de beato Ramuoldo præmittenda ſunt ad ejus vitam illuſtrandam. Ramuoldi ortus annum nemo aſſignavit: ſed cùm ille ex omnium conſenſu, ipſiuſque Arnolfi teſtimonio, centenarius obierit, ſi annus* M I. *ejus ſupremus fuerit, ut infra probare conabimur, anno* CMI. *natus fuiſſe cenſendus eſt. Non ita facilè parentes ejus aut patriam detegemus, niſi forte ſententiam amplectamur eorum, qui eum patruelem ſancti Volfgangi Ratiſponenſis epiſcopi fuiſſe aſſerunt, quo pacto eum, ut de beato Volfgango refert ipſius vitæ auctor,* Suevigenam *fuiſſe dicemus, &* ex parentibus ingenuis ortum, qui nec divitias, nec paupertatem patiebantur. *Arnolfus tradit eum Henrici archiepiſcopi Trevirenſis capellanum fuiſſe: quod idem aſſerit auctor vitæ ſancti Volfgangi. At neuter refert utrum id munus ante vel poſt emiſſam profeſſionem monaſticam obierit. Id unum conſtat apud omnes, quod Volfgangus in epiſcopatum Ratiſponenſem evectus, Ramuoldum è monaſterio ſancti Maximini Trevirenſis accerſierit, ut ipſum monaſterio ſancti Emmerammi, quod ob ejus unionem cum epiſcopatu penè corruerat, præficeret. Ramuoldum tunc ſenem fuiſſe aſſerit Arnolfus. Quare libenter Stengelio aſſentior, qui hanc in monaſterio ſancti Emmerammi abbatialis dignitatis reſtitutionem ad annum* CMLXXV. *refert. Quo ſanè anno Ramuoldus jam ſeptuageſimum quintum annum ſuæ ætatis attigerat.*

Scriptor vitæ. Ætas, &c. Fit Abbas.

2. *Quantum monaſterio ſibi commiſſo profecerit, teſtantur non ſolum auctores, verum etiam alia pietatis & curæ ſuæ monumenta, quæ etiam nunc ſuperſunt. Eccleſiæ novam cryptam adjecit, ut ibi Sanctorum reliquias quas è Lotharingia attulerat, collocaret; quam cryptam à beato Volfgango conſecrari curavit, ut ex his verſibus, quæ in ejus veſtibulo leguntur, colligimus.*

Monaſter. exornat.

Conſecrat ædiculam mandrita * Lupambulus iſtam,
Abbas Ramvoldus quam tibi, Chriſte, ſtruit.

* Volfgangus.

Ut diſciplinæ regulari quam in hoc monaſterio reſtituerat ſuppetias ferret, bibliothecæ renovandæ curam adhibuit, cujus rei egregium argumentum ſupereſt in inſigni Evangeliorum

Digitized by Google

Ann. Ch. MI. Jun. XVII. *volumine, etiamnum in theſauro monaſterii aſſervato, cujus opercula renovari fecit, ut ex ejus effigie conſtat, quam cum his verbis & verſibus apponi juſſit.*

RAMUOLDUS INDIGNUS ABBAS.

Hunc librum Carolus quondam perfecit honorus,
Quem mox Emrammo Ramvold renovaverat almo.

De hoc codice, qui curante Carolo Calvo Francorum Rege elegantiſſime ſcriptus eſt, plura videſis in Itinere Germanico tomo 4. Analect.

Exſulat. 3. *Verùm cum totus monaſterio ſuo reſtituendo ſeſe impenderet Ramuoldus, bellum inter Ottonem ſecundum Imperatorem, & Henricum Ducem Bavariæ exarſit, in quo cum à partibus Henrici ſtaret, in Imperatoris manus devenit, à quo in monaſterium Trevirenſe ſancti Maximini relegatus eſt. Ejus rei præter Arnolfum meminit etiam Aventinus libro quinto Annalium Boiorum his verbis:* Rheginoburgi habito conſilio Ramholdus divi Haimerani præſul, quod Hainrico faveret, capitur, Treveros relegatur. *At pacatis poſtea rebus, Abbatiæ ſuæ regimen iterum ſuſcepit, atque poſt aliquot annos virtutibus, meritis, & ætate plenus centenarius obiit, atque in crypta à ſe conſtructa, ſancto Henrico feretrum propriis humeris deportante, ſepultus eſt juxta aram ſancti Gregorii, atque ejus tumulo hoc Diſtichon inſcriptum eſt.*

Signis clareſcit pius hic Ramvoldus humatus,
Cælo fulgeſcit cæleſtibus aſſociatus.

Aliud etiam Epitaphium in ejus honorem editum refert Stengelius in ſuo Monaſteriologio; quod, cum ſit recentioris alicujus auctoris, referre nihil juvat.

Ejus cultus. 4. *Porrò licet in monaſterio ſancti Emmerammi anniverſarium Ramuoldi Abbatis quotannis recolant noſtri, in privatis tamen orationibus ut ſanctus invocatur, & nomen ejus in Martyrologio Benedictino inſertum eſt ad* XV. *Calendas Julii, cujus etiam meminit Hugo Menardus in obſervationibus ad eundem diem. Philippus Ferrarius eidem etiam in Catalogo generali Sanctorum, locum dedit. De eo vide Hundium Tomo 2°. Metropolis Saliſburgenſis. Raderum de ſanctis Bavariæ, Brovverum in Annalibus Trevirenſibus, ac denique Baronium ad annum* MVII. *Non verò hic omittere licet egregium Trithemii teſtimonium ex Chronico Hirſaugienſi novæ editionis, ad annum* MLXVIII. *ubi ſcribit VVillelmum Hirſaugienſis Monaſterii ſanctiſſimum Abbatem ex Monaſterio ſancti Emmerammi, cujus loci ſub Ramuoldo abbate Prior erat, fuiſſe aſſumtum; ſic autem ea occaſione habet:* Claruit his temporibus Ramboldus abbas monaſterii ſancti Emmerammi Ratiſbonenſis in Bavaria, vir multarum virtutum & ſanctiſſimæ converſationis, qui cuſtos regularis diſciplinæ vigilantiſſimus, Monachos verbo & exemplo ad priſtinæ ſanctitatis fervorem revocavit; qui vivus multis claruit virtutibus, & miraculis poſt mortem ſimiliter coruſcavit: ſub cujus magiſterio multi Fratres religioſiſſimi claruerunt. In omni converſatione ſua Domino Deo ſemper placere ſtuduit, & ideo Monachos ad tramitem rectitudinis diligentiſſimè perduxit. Inter alios paternæ ſanctitatis diſcipulos præcipuus fuit VVilhelmus, ejuſdem cœnobii ſub ſancto Ramboldo Prior monaſticus, qui poſt depoſitionem Friderici abbatis hujus cœnobii Hirſaugienſis antiſtes factus eſt duodecimus, vir magnæ religionis, &c. Willelmi *vitam infrà ſuo loco dabimus.*

Annus mortis. 5. *Supereſt ut de ejus mortis anno aliquid dicatur. Baronius Annalium Tomo* XI. *beati Ramuoldi obitum ad annum* MVII. *refert, ratus eum quinquennio poſt Ottonis* III. *Imperatoris mortem accidiſſe. Hundius verò, Stengelius, ceterique omnes annum* MI. *ei ſupremum aſſignant, & rectè quidem, ut ex Arnolfo evidens eſt; cujus verbis non ſatis attendens illuſtriſſimus Cardinalis in errorem impegit. Hæc habet Arnolfus:* Poſt quinquennium quoque Imperialis exitus de civitate Hiatoſpolitana languore diuturno, &c. *Quæ Baronius de Imperatoris morte, quam anno* MII. *accidiſſe probat intelligens, addendo quinquennium* MVII. *annum invenit, at ea de ejus Ratiſponâ exitu dicta eſſe ex iis quæ paullo ſuperius habentur, facile eſt probare. Sic enim loquitur Arnolfus.* Quo dicto, piiſſimus Auguſtus ex more præcedente ſancta & crucifera Imperiali lancea exivit de civitate iſta petiturus Italiam, &c. *Videndum eſt itaque quo anno Otto* III. *diſceſſerit Ratiſpona ad petendam Italiam, ut ei adjunctis aliis quinque annis certum beati Ramuoldi mortis tempus habeatur. Sane ſi ejus obitus anno* MI. *aſſignemus, Ottonis diſceſſus: ad annum* CM. XCVI. *referendus erit, & hoc quidem anno omnes auctores aſſerunt Ottonem in Italiam tranſiiſſe, ubi Romæ à Gregorio V. ſummo Pontifice coronatus eſt. Hanc ſententiam invicte probant quæ de exſequiis beati Ramuoldi narrat Arnolfus: ait enim ipſis affuiſſe multos, inter quos, inquit, erat* Henricus Hypatos, tunc fortè Principatum tenens ſuper Noricos, poſt paucos verò annos Rex futurus, non ſolùm Germaniæ, ſive Galliæ; ſed etiam Imperator totius Italiæ. *Ex his verbis cum*

Digitized by Google

præcedenti Arnolſi teſtimonio conjunctis recte concluditur, nec ante, nec poſt annum MI. *Ramuoldum obiiſſe. Non prius, quia mortuus eſt* poſt quinquennium Imperialis exitus de civitate Hiatoſpolitana, *ſeu Ratiſpona, cum ipſe eſſet* petiturus Italiam, necnon aditurus potentiſſimam urbem Romanam. *Iſte autem diſceſſus non poteſt ante annum* CM. XCVI. *referri, cum eo ipſo anno Otto III. ex omnium conſenſu prima vice in Italiam tranſierit. Non obiit Ramuoldus poſt annum* MI. *Nam Henricus, qui ejus obitus tempore erat tantummodo* ſuper Noricos populos Principatum tenens, *anno* MII. *factus eſt Rex Germaniæ. Nec tandem dicat aliquis eo ipſo anno* MII. *antequam Henricus in regnum eveheretur, ſanctum Abbatem obiiſſe. Id, inquam, dici non poteſt, ſi quidem Ramuoldus obiit 17. Junii, Henricus vero paullo poſt Ottonis mortem, quæ menſe Januario accidit, fuit electus. denique quo ſenſu Arnolfus dixiſſet,* poſt paucos annos Rex futurus? ANN. CH. MI. JUN. XVII.

6. *Ad Ramuoldi tempus revocanda eſt Aurelia, quæ cum eſſet, ut aiunt, Francorum Regis filia, marito relicto, Ratiſponam ad ſancti Emmerammi Monaſterium confugit, quam ſanctus Volfgangus, tunc ejuſdem urbis Epiſcopus, in quadam cellula urbi vicina, quæ nunc ſacellum ſancti Andreæ dicitur, recluſit; ubi poſt exactos complures annos ad cæleſtem vitam emigravit, anno* MXXVII. *ſepulta eſt in clauſtro monaſterii ſancti Emmerammi, hoc Epitaphio donata.* Aurelia recluſa.

Hic pia floreſcit Aurelia virgo ſepulta,
Quæ pœnas neſcit, cæli dulcedine fulta.

Plura diſcimus ex aliis verſibus, ſed qui tamen non ſunt antiqui, in tabella prope ejuſdem Aureliæ ſepulcrum appenſa inſcriptis, quos ex Itinere Germanico ſeu Tomo 4. Analect. hic denuo exhibemus.

Contegor hoc tumulo ſoboles clariſſima Regum,
  Gallia quam genuit, nunc tenet Imbripolis.
Huc profuga adveni, fugiens conſortia ſponſi,
  Servarem ut caſtum, Chriſte, cubile tibi.
Præſtat huic Ramvvoldus opem, dum vita manebat
  Ut pia libarem thura preceſque Deo.
Vin tempus vitæ? Uſa fui vitalibus auris,
  Luſtra decem, his annos inſuper adde duos.
Hic exſpecto tuum diſtrictum, Chriſte, tribunal;
  A dextris ſedeam tunc dabis inter oves.

Huic Aureliæ tumulo impoſitus eſt item lapis cum antiqua inſcriptione Romana, quæ Aureliam veterum Romanorum temporibus conjugatam laudat, ſed ab iſta valde diverſam, ſi verum ſit hanc poſteriorem tempore ſancti Vvolfgangi Ratiſponam acceſſiſſe: nihil quippe de ea habet auctor vitæ iſtius ſancti Pontificis, quam ſæculo ſuperiori edidimus, nec Arnulfus Comes, qui res Monaſterii ſancti Emmerammi, in quo tunc Monachus degebat, accuratè ſcripſit. Aureliæ tamen nomen, quam alii Hugonis, alii Lotharii Francorum regis filiam dicunt, Bucelinus in Menologio Benedictino inſcripſit die 15. Octobris, Arnoldum Vvionem ſecutus, qui in adjunctis ad Lignum vitæ, eam ipſam eſſe cenſuit, quæ apud Argentoratum hac ipſa die in Martyrologio Romano, aliiſque ſacris faſtis celebratur. Aureliam Ratiſponenſem præter hos auctores laudat Hundius in Metropoli Saliſburgenſi. Sed de his ſatis. Jam Arnolſi liber, quem ſub Dialogi forma, interlocutoribus Ammonitio & Collectitio, compoſuit, exhibendus eſt, omiſſis tamen nonnullis, quæ nec ad hiſtoriam Eccleſiaſticam, nec ad vitam Ramuoldi illuſtrandam conducere poſſunt.

ARNOLFI LIBER SECUNDUS
DE MEMORIA BEATI EMMERAMMI ET EJUS CULTORUM.

1. HUMANIS rebus exemto, ut in calce libri prioris deſcripſimus, Michaële Reginopolitano epiſcopo, qualiter Dei omnipotentis miſericordia, ſuper hujus eccleſiæ Clerum & populum vigilaverit, quemve Princeps Paſtorum ſuis ovibus præeſſe voluerit, quemque ad paſtoralem curam in ſecreto ſuo, cui omne cor patet, elegerit, occaſionibus hujuſmodi patefecit. Erat quidam vir genere in- Vvolfgangus monachus.

Digitized by Google

Ann. Ch. M I. Jun. XVII.

genuus, virtute ſtrenuus, natione Alamannus, nomine quidem Vvolfgangus [a], cujus ipſe interpretationem vocabuli in quodam loco Lupambulus juſſit inſcribi. Is primum inter Canonicos ſive Clericos laudabilem & caſtam duxerat vitam; dein artioribus regulis implicari deſiderans, in Suevia apud cœnobitas, qui Solitarii * vocantur, monachum profeſſus eſt. Quem cùm non ſolum fortiter vitiis reſiſtere, ſed etiam virtutibus aſſuefaceret libere inſiſtere, acrius intendens aciem mentis in ſpeculum geminæ dilectionis, videbatur ſibi cum ſimplo & abſcondito talento quaſi vacuus apparere in conſpectu Domini, niſi eo expoſito & duplicato, aliorum quoque conſuleret ſaluti. Cujus rei gratia monaſterium & monachum deſerens, immo ſecundum Apoſtolum majora æmulari chariſmata cupiens, per Alamanniam devenit exſul in Noricum. Ad cujus orientalem partem cum humili comitatu pertendens prædicandi gratia, Pannoniæ petiit confinia. E qua, per Piligrinum Patavienſem epiſcopum evocatus, piæ, ut decuit, humanitatis ab eo ſuſcipitur, & fovetur officio; apud quem etiam rogatus & juſſus manſit aliquot diebus: hoc inter cetera prudenti ſecum tractans mente, quare prohibitus ſit ab adducenda ad Deum Pannoniorum gente. quo commorationis tempore idem Epiſcopus optimè uſus, utpote qui erat apprimè eruditus & genere nobiliſſimus, juxta hoc quod Apoſtolus dicit: *Probate ſpiritus ſi ex Deo ſunt*; clandeſtina & manifeſta divini ſervitii obſervatione, ac aſſidua ſacræ Scripturæ indagatione ſatis probavit, hunc quem ſuſceperat peregrinum, non eſſe gyrovagum, ſed ſtabilem veræ fidei domeſticum. Unde & quoſdam de ſuis familiariter pro eo alloquitur, dicens: O quam felix eccleſia, quæ Deo volente, iſto donabitur ſacerdote! ergo neceſſarium valdè videtur mihi & utile, ut huic famulo Dei petam regimen Ratiſbonenſis epiſcopii: quia optimè convenit ſicubi abundat bona voluntas, ut eam etiam ad bona opera procedere faciat benè collata facultas. Bonum quippe, quod hic vir ſeminare voluit in paratis cordibus paganorum, ad ſalutis obſequium quod repulit cæcitas illorum, quandoque fortaſſis hoc eodem agrum dominicum excolente dabit fructum ſuum in populis Chriſtianorum. Ad hæc quidam reſpondentes dixerunt: Qui fieri poteſt ut iſte pauper & ignotus ad honorem accedat tanti epiſcopatus, cum jam aliquæ alti ſanguinis perſonæ, hunc apud Imperatorem prædiis & pecunia compenſantes, ſibi tentaverint acquirere? Quibus ille refert verba ponderoſa, ſed non adeo moroſa: Divina & humana valde inter ſe probantur diſtare judicia. Hinc ſcrutator cordium & renum ab initio mundi *elegit contemtibilia necnon ignobilia, ut confunderet fortia*; & è contrario, mundus quod ſuum eſt ſuperbè ad horam extollit, ac in brevi cum confuſione diſtollit. Unde operæ pretium cenſeo, quo mittam ad Marchicomitem, cujus conſilio multa ſolet facere Imperator, ut ſuggerat ei, ne per ambitionem aut ſimoniacam hæreſim quemquam epiſcopalem ſinat accipere dignitatem: ſed ob æternam remunerationem, quem humilem & modeſtum ac eruditum invenerit, necnon officiis eccleſiaſticis aptum eſſe probaverit, hunc cujuſcumque ſit conditionis vel parentelæ promoveri faciat ad culmen Eccleſiæ.

* Enſidlen.

1. Joan. 4.

Fit Epiſcopus Ratiſponenſis.

2. Quid plura? per legationem Epiſcopi ac ſuggeſtionem conſiliarii, Cæſar ſuæ & eccleſiaſticæ utilitatis admonitus, immo, quod verius eſt, nutu Dei cujus in manu cor Regis, Princeps bonus Otto II. animo mutatus, omnes qui pro eodem Epiſcopatu adipiſcendo laborabant avertit, & ſe totum ad electionem venerandi viri Vvolfgangi convertit, ſicque

a Vvolfgangi vitam, &c. habes ſæculo ſuperiori ad ann. 994. pag. 811. De Enſidlenſi Monaſterio ubi monaſticum vitam eſt profeſſus, paſſim actum eſt.

Digitized by Google

legatos poſt eum celeriter mittit. Qui ut juſſi fuerant pergentes, invenerunt eum adhuc cum prænominato Epiſcopo commorantem, ſed jam ad patriam repedare cogitantem. ignarus enim erat legationis & ceterarum rerum pro ſe geſtarum, & idcirco animum intendebat aliorſum. Cumque legati quare venerint ei indicarent, primùm recurrit ad ſecretarium cordis, ſe ſuaque Deo commendans in intimis; dein Epiſcopo, cujus caritate ibi detentus erat, cauſam ſuam exponens, id quo gravabatur, temperamento levigabat ſimplicitatis columbinæ ac prudentiæ ſerpentinæ, atque in hunc modum proloquitur, dicens: Hoc novum quod mihi per nuncios Principis venit, caritas tua effecit, cui præmium bonæ voluntatis abſque dubio erit; ſed meæ parvitati timorem incutit, quia neſcio ſi voluntas Dei ſit, & quia mundus ſub ſpecie religionis multos ad vitia trahit. Cui reſpondens Epiſcopus dixit: Quod dicis te timere, hoc mentis eſt providæ. Sed hanc in bonam ſpem erigit Pſalmiſta, qui dicit: *Initium ſapientiæ timor Domini*, & iterum: *Timor Domini ſanctus permanens in ſæculum ſæculi*. Quem & Apoſtolus commendans ait: *Noli altum ſapere, ſed time*. Idem alibi de epiſcopatus deſiderio ait: *Qui epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat*. Unde & tu, ſi cum tua ſalute aliis appetis prodeſſe, bonumque opus in omni loco deſideras adeſſe, ſub timore & humilitate ad epiſcopalem ordinem vocatus ne abnuas accedere, alioquin incidere videris in illud quod David dicit: *Qui noluit benedictionem, elongabitur ab eo*. Quod cavens omnimodis, conare connumerari cum illis, de quibus ſcriptum eſt: *Qui autem docti fuerint fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti; & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates*. Hujus atqui exſecutione officii pervenies ad hoc ut in retributione juſtorum tibi dicat Dominator omnium: *Euge ſerve bone & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui*. Talia quoque Pontifice proloquente, vir venerandus per mentis ſpeculationem diſpenſationis divinæ intuens moderamen, ſubſequitur dicens: Ecce ſervus Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.

Ann. Ch. M I. Jun. XVII. 1. Cor. 1. Pſalm. 110. Pſalm. 18. Rom. 11. 1. Tim. 3. Pſalm. 108. Dan. 12. Matth. 25.

5. Tunc arrepto itinere cum his, qui miſſi erant à Principe, tetendit in partes occidentales Bajoariæ. Cumque perventum eſſet ad [a] Reginam civitatem, Clerus & populus ſecundùm morem eccleſiaſticum, unanimiter epiſcopali facta electione, ad Imperatorem eum miſerunt cum univerſali legatione. Qua clementer ſuſcepta, & beato Viro ab Epiſcopis probato, ac ſermone in præſentia eorum ab ipſo ſapienter prolato, Imperialis eum aſſumens potentia per pediam paſtoralem, honorem ei dedit pontificalem; ſtatimque ut curam ſui, & gregem dominicum illi commiſit, non cum parvo comitatu ad Ratiſbonam eum remiſit: ubi cum multorum fideli & favorabili ſuſciperetur occurſu, primum beato Emmerammo ſe humiliter præſentavit, deinde per ſingula Ratiſbonæ monaſteria ſanctorum petiit ſuffragia; noviſſimè verò ſollemni facta præparatione ſeu proceſſione, ad ſancti Petri Eccleſiam acceſſit, in quam cum canticis lætitiæ & exſultationis voce introductus, atque more Pontificum ſecus altare inthronizatus, à Clero & à populo ſummo Paſtori commendatur, necnon à Friderico archiepiſcopo [*Saliſburgenſi*] & illius ſuffraganeis poſt aliquot dies in Sacerdotem Apoſtolicum ibidem conſecratur. Quam ille conſecrationem nolens vacuo ſecum portare vocabulo, die noctuque Pontificali ſtudioſiſſimè excoluit officio, ut gratiam ſancti Spiritus abundantiùs ſub hoc ordine poſſet habere in cordis hoſpi-

Baculum paſtoralem ab Ottone II. ſuſcipit.

[a] Ratiſpona, quæ primo ſub Auguſtæ Tiberii nomine fundata eſt, poſtea Reginoburgum, Germanis *Regenſpurg*, dicta eſt, vel ab uxore Theodonis I. quæ Reginopirga dicebatur, ut quidam volunt, vel à fluvio Rego ut vult Ferrarius. Id nomen accepiſſe ſub Theodone I. aſſerit Hundius, cum primùm ea Germani potiti ſunt.

Digitized by Google

Ann. Ch. MI. Jun. xvii. tio. Cujus inſpiratione ſuaviter tactus, & ad omnia cautus ac providus factus, ob epiſcopale faſtigium, nequaquam voluit mutare monaſticum habitum, quaſi erubeſceret Monachus eſſe qui fuerat; ſed quam intus habuit humilitatem mentis, foris oſtendit bonis exemplis & mediocribus veſtimentis. Memor etiam Salomonicæ admonitionis, quæ dicit: *Conſtituerunt te Principem? noli extolli, eſto in illis quaſi unus ex illis*], non dominari quærebat in Clero, ſed gregi dominico forma eſſe ſtuduit mane & ſero, prudenter advertens, immo prudentiùs à ſe avertens illud eloquium, quod per Ezechielem prophetam invehitur contra malos paſtores, Domino dicente: *Væ paſtoribus qui paſcebant ſemetipſos & non greges meos.*

Epiſcopus monaſticas veſtes non dimittit.

Eccli. 32.

Ezech. 34.

4. Unde ipſe totus in divina lege devotus, inter cetera paſtoralis curæ miniſteria, ſermone quem ad populum inter Miſſarum ſollemnia fecit ex more, in tantum eccleſias plebem aſſuefecit frequentare, ut per dies ſollemnes vix domi remanere viderentur rei familiaris cuſtodes. Ad prædulcem enim tanti Pontificis exhortationem certatim ſexus utriuſque turba confluxit, quam illuc fragrantia cæleſtium aromatum, ipſo ea qui dedit ventilante adduxit, apium videlicet inſtar, quas poſt ſe trahere videtur mellis odor & nectar. Quibus Pater pius ſummopere deſiderans eſſe utilis & aptus, in diſputando de regno Dei, & calcandis vanitatibus hujus mundi, perplexis & ſophiſticis minimè utebatur ſententiis; ſed ſic melliti oris dulcedinem per quamdam, quam verbis explicare non potero, temperabat auſteritatem, ut ſimplici & optimo genere locutionis tangere videretur intima cujuſque cogitationis, talique arte nonnullorum ex oculis lacrymas eliceret indices cordis. Hanc ſiquidem tam validam à Spiritu-ſancto acceperat gratiam, quod hi qui prædicanti aſſiſterent, & eum intentè audirent, raro aut numquam abſcederent ab ejus prædicatione ſine lacrymarum effuſione. Quo pergrandi bono à largitore omnium bonorum hominibus conceſſo, per malitiam ſuam ſauciatus humanæ ſalutis inimicus, & ei obviam ire conatus, invidiam quam ſemper habebat, quibus poterat viribus exercebat.

Verbo Dei diſſeminando incumbit

5. Nam die quadam, cum prædictus beatæ memoriæ Vvolfgangus epiſcopus ſolito more ad populum ex pulpito vel ambone concionaretur, diabolus aliud non inveniens, Domino prohibente, quo adverſaretur, ſubitò concitavit turbinem & cum turbine tumultuoſam turbationem, ac nihilo minus cum turbatione confuſum murmur & clamorem, necnon ſuper tectum eccleſiæ fragorem dedit ingentem, & intra eccleſiæ receptacula, pulverem diſpergens ac nebulam aliquorum obtutibus caliginem obfudit tenebroſam. Quibus ex improviſo viſis & auditis, populus perterritus, immo, quod pejus erat, pœnè mente alienatus, cœpit concurrere & diſcurrere incertus, confuſis omnibus & turbatis in quam partem ſe tutius ac rectius poſſet convertere. Interim audiebantur voces hinc dicentium: In urbe grande ſævit incendium; inde clamitantium: Ecce ſeditione facta multorum gladiis diſcinduntur jugula. Cumque pro clamoribus hujuſcemodi ſedandis multum, ſed incaſſum laboratum eſſet à ſenſatis, tandem qui erant inimici machinationibus ludificati, tam vehementi excurſu per turmas eruperunt de eccleſia, ut ex tanta multitudine vix pauci remanſiſſe viderentur in illa. Tunc Epiſcopus, quem tanta commotio tempeſtatis juxta conſuetudinem humanæ fragilitatis loco etiam propellere poſſet, ſi Chriſti ſervus non eſſet, quia domum in firma ſolidatam habuit Petra, gradum non movit, ſed ſtabilis & immobilis permanens, magna fide clamavit & dixit: Domine Jeſu Chriſte, ſolitam fidelibus tuis accommodans gratiam concede, ut hodie videant gloriam nominis tui, & confuſionem diaboli. Quæ verba ſecuta

Dæmonis inſidias detegit.

Digitized by Google

ſecuta eſt ſerenitas aëris, & ſerenitatem recurſus in eccleſiam plebis. Cui venerabilis Antiſtes mox aromata & unguenta ſacræ doctrinæ effundens, adeo illa die, ſibi de cælis Deo dulcedinem ſermonis inſtillante, profuit, ut manifeſte inimicum vicerit vel fugaverit, qui perturbationis nimietate pænè omnibus obfuit. Unde & poſtea fidelium devotio hanc conſuetudinem cœpit pro lege habere, quo per ſtationes, Epiſcopum turmatim prævenirent & ſequerentur, ac prædicationis erogationem, ſumma affectione, ut pote Apoſtoli bonum amplecterentur odorem. Per quem idem venerandus Pater ad pietatis exercitia oves Dominicas de die in diem magis magiſque adtrahere ſtudebat, more ſcilicet animalis, quod panther dicitur, qui ut Phyſiologi perhibent, omnibus animalibus amicus, exceptis dracone & ſerpentibus, cuncta animantia quæ in vicinitate ſui ſunt, emiſſo bono odore ad ſe ſolet adducere, atque miro modo amorem ſuum illis ingerere. [Ann. Ch. M I. Jun. XVII.]

6. Igitur beatæ memoriæ Vuolfgangus, Ratiſbonenſis epiſcopus, perſpectis & intellectis rebus epiſcopii diſpenſatione divina ſibi commiſſi, inter cetera quæ ei paſtoralis curæ ſollicitudo procuranda, ſive corrigenda injunxerat, gravius tulit, monachos beatiſſimi martyris Emmerammi eatenus abbate caruiſſe, & quaſi oves errantes ſine paſtore fuiſſe. Hujus rei gratiâ miſit ad Treverenſe monaſterium, in quo beatus Maximinus corpore quieſcit, & inde reverendum ſenem Ramuoldum evocavit, qui quondam ſub Henrico archiepiſcopo ejus capellanus [a] fuit. Quare, inquit AMMONICIUS, tanto tempore ſine abbate fuerant, ſi monachi erant? ſi verò monachi, ſub cujus Regula degebant? Hæc quoque enucleari ipſa ratio poſcit. Hoc eſt, inquam, quod brevi revelatione cognoſcere potes. [b] Fuit quippe priſca conſuetudo in Ratiſbonenſi eccleſia, ut qui antiſtites, iidem eſſent & abbates. Quorum nomina quidam ob temporalia commoda tenebant, non officia. Timebant enim ne, ſi monaſterio abbatem præeſſe facerent, quia à patre monaſterii omnia ſperanda ſunt, ſibi coactum minueretur obſequium. Ob hoc atqui licentiam dabant monachis aliunde acquirere pro victu & veſtitu, quæcumque poſſent, quia ipſi bonis, quæ ad annonam eorum pertinebant, ad ſuum abutebantur ſervitium? [Ramuoldum Ratiſponam evocat.]

7. His dictis, frater * cum quo dialogum cœpi conſerere, uſus nomine ſuo, ammonuit me in aurem, dicens: Loquere cautè, & ſcribito cautius. Nam ſi epiſcopi hæc audierint dicta vel viderint ſcripta, fortaſſis dicent, velle te eos rapinarum & injuſtitiæ notare: ſicque libertatem tuam ſuperbiæ deputabunt; quaſi tu temere eos carpere tentaveris, pro quorum defenſione Scriptura clamat, immo Dominus per Scripturam præcipit, dicens: *Nolite tangere Chriſtos meos.* Et iterum: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* Cui reſpondi lingua & ſtylo. Si epiſcopi ſunt quod dicuntur, non nobis obſunt, ſed valde proſunt, quod & efficere dignetur Princeps paſtorum, in quo plenitudo eſt omnium bonorum. Tibi verò quia ſic placet, immo quia juſtum eſt habeamus pacem cum eis, & ſimus ſubditi illis. Illud autem ſcire te volo, quia non me pœnitet vera dixiſſe, quandoquidem boni non ſolum bonis, ſed etiam malis utuntur ad bonum. Sed jam tempus exigit & deſiderium tuum, ut revertar ad narrationis meæ reliquias. [* Ammonicius.] [*Pſalm.* 104. 11.] [1. *Paralip.* 16.] [*Zach.* 2.]

8. Eſt quoque alia cauſa, per quam non ſunt conſtituti Abbates in prænominato monaſterio. Ex eo quippe tempore, quo primum à beato Boni- [Ratiſponæ epiſcopi, vi-]

[a] Ramuoldus concapellanus fuiſſe S. Vuolfgangi dicitur in ejuſdem Vuolfgangi vita, ſub Henrico archiepiſcopo Trevirenſi, & id quidem ſenſus hujus loci poſtulat.

[b] Hoc annis 145. perduravit, ab anno ſcilicet 830. quo obiit Sigefridus ſeptimus abbas ſancti Emmerammi, uſque ad annum 975. quo Ramuoldus, eidem monaſterio à ſancto Vuolfgango præfectus fuit.

Digitized by Google

ANN. CH. M I. JUN. XVII.

facio Apoſtolicæ ſedis vicario, juxta decreta canonum, in Bajoaria ordinabantur epiſcopi, viciſſim ſibi ſuccedebant in hujus epiſcopatu monachi, atque canonici; ita ut ſi anteceſſor eſſet canonicus, fieret ſucceſſor monachus, & iterum huic anteceſſori ſuccederet canonicus. Hæc conſuetudo uſque ad noſtra permanſit tempora. Epiſcopalis verò ſedes erat apud ſanctum Emmerammum, uſque ad tempora Caroli principis, qui hanc reſtituit in civitatem ubi prius erat. Quod autem percontatus es, ſub cujus Regula degerent, paucis abſolvam. In primis ergo promiſſionem faciebant ſecundum regulam ſancti Benedicti, coram epiſcopo, abbatis vices agente. Dein licentiam dedit eis epiſcopus dandi & accipiendi propter inopiam loci. Lineis camiſiis utebantur ſeniores, qui eas habere potuerunt, ceteri laneis induebantur, ob penuriam ſcilicet cilicinarum veſtium. Præpoſitus & Decanus monaſterium regebant poſt epiſcopum. Qui majoris erant ætatis habebant cellas ſeu caminatas, junioribus inter ſe diviſis propter cuſtodiam. Communiter pauperem annonam habebant, volatilia manducabant, cetera faciebant ſecundum conſuetudines quæ in monaſteriis Regalibus ad id temporis fuerant. Quæ cum diſplicuiſſent prænominato viro, reverendo ſcilicet epiſcopo Vvolfgango, uti prædiximus, Ramuoldum annis & moribus maturum aſſumſit in opus miniſterii divini, & conſtituit eum primùm præpoſitum, dein abbatem monaſterii. Quod ægre ferentes aliqui ex conſacerdotibus & conſiliariis Antiſtitis, dicebant: Ut quid tibi & ſacerdotibus tuis perdis bona ad ſanctum Emmerammum pertinentia? Laudant te multi, ſed in hoc non laudant: immo vituperant. Utere ergo Pontificis ac abbatis officio, ſicut anteceſſores tui facere conſueverant uſque modo, ne carerent quarumdam rerum emolumento; hujuſmodi quoque inſipientia eſt ſapientiæ ſale condienda Quibus ille prudenter reſpondit, dicens: Non erubeſco inſipiens & ſtultus dici propter Deum. Hoc autem ſcire vos volo, quia numquam mihi imponam onus, quod portare non valeo, epiſcopi nomen & abbatis mihi vendicando. Nam ut beatus Gregorius teſtatur, valde incongruum eſt, ſi cum unum ex his pro ſui magnitudine, ſicut oportet, quis „ non poſſit explere, ad utrumque judicetur idoneus. Sufficit enim epiſco- „ po, ut ſumma vigilantia inſiſtat paſtorali officio; & abbati ſatis laborioſum, quamvis multum fructuoſum, providere fratrum ſaluti, & per omnia bene procurare res monaſterii ſui. Unde & ipſe etiam diſtribuere debet inter fratres officia, in quibus non leviter leviget onera ſua; rememorando ſcilicet viri prudentis, quem prænominavimus, dicta & ſcripta, in „ quibus continetur: ſicut indecorum eſt ut in corpore humano alterum „ membrum alterius fungatur officio, ita nimirum noxium ſimulque turpiſ- „ ſimum, ſi ſingula rerum miniſteria perſonis totidem non fuerint diſtributa. Ceterum ut proſequar, quæ propoſuiſtis, beati Emmerammi bona quæ me peſſumdare conqueſti eſtis, perdere nolo, ſed illi cui tradita ſunt ac ſervorum Dei uſibus & noſtræ ſedi omnimodis conſervare volo. Sed longe aliter ſe ſe res habent hujuſcemodi quam cogitatis. Vix etiam pœnas evadere poterimus, qui ſanctorum bona famulatui noſtro deputavimus, non ſolum quantitate majora, ſed etiam qualitate meliora, & illis juſtitia coacti, ſeu ſuperati reliquimus minora, qui viciniores eo quo frequentiores die noctuque familiarius adhærerent Chriſto, laudantes eum in ſanctis ejus electis. Ad hæc reſpondebant qui quæſtionem movebant: Miſericordiam & judicium Domino cantaſti, humanis divina, ut juſtum eſt, prætuliſti, vetera utiliter immutaſti; quid reſtat noſtra parte, niſi ut pariter dicamus; Deo gratias: Amen, feliciter?

Viciſſim canonici & monachi.

Regula Benedictina apud S. Emmerammũ.

Ramuoldus primo præpoſitus S. Emmerammi, dein abbas.

Greg. lib. 3. Epiſt. 11.

Miles ſanctum Vvolfgangum deſ-

9. Venerabilis igitur antiſtes Vvolfgangus, vir inter epiſcopos magnæ auctoritatis, inter canonicos regularis, inter monachos pietate ſin-

Digitized by Google

gularis, humilitate ſublimis, caritate communis, ſecundum Apoſtolum omnibus omnia factus, præcipue eleemoſynarum largitione pollebat. Quarum laudabilium miniſterio, ſeu ceterarum virtutum offertorio, quia placuit Deo, multis, dum adhuc eſſet in præſenti ſæculo, patuit indiciis. Horum unum didici, narrante quodam ſene fideli, cujus narratio talis fuit. Militem ſub me habui, qui quadam die cum aliis affuit * *in baſilica ſancti Pauli*, ubi beatus præſul Vvolfgangus miſſas celebravit. Cumque eum humili veſte primum, utpote monachum adſpiceret indutum, atque dein ſacerdotalibus veſtimentis videret infulatum, plebeia ſtoliditate deſpexit, & cordis ore murmurans dixit: Valde inſipiens fuit Imperator illo tempore, quo pannoſum iſtum ac deſpicalem, in pontificali promotione prætulit potentibus perſonis quæ abundant in regionibus ſuæ ditionis. Quam murmurationem qui novit cogitationes hominum, eodem momento, & clementer increpavit, & evidenter ad emendationem hujus vitii maniſeſtavit: nam ut in evangelio ad cogitata reſpondit, ita hujus hominis cogitatam murmurationem ad tempus abſcondit, quo & ille in præſentiarum corrigeretur, ac murmurationis malum ab aliis in futurum devitaretur. Nimio quippe terrore ſubito correptus, adſtantium ſuſtentatione vix reſidere potuit; quem cum viderem tremebundum & pallidum, ilico accurrens ſciſcitatus[a] ſum, quid haberet vel quid pateretur. Tum ille ſacerdotibus adhibitis confeſſus eſt, quia contra virum Dei male cogitaverit, & ob hoc periculoſo timore perculſus ſit. Quanta vero formido illum ſeu paſſio arripuerit, ſatis probavi, eundem penes me domi retinens aliquot diebus. Cujus curam cum egiſſem, & multipliciter ſalutem ejus quæritaſſem, conſilio preſbyterorum, qui pro eo laborabant, nec orationibus ei ſanitatem reſtituere poterant, reduxi eum in civitatem * Hiatoſpolitanam, ubi contigit illi hoc malum bonum. Ibi quoque ad pedes epiſcopi me humilians, cum vellem hominis ærumnam & meam exponere, vir Dei necdum ſibi cauſam pro qua veni aliquo hominum annunciante, anticipavit quæ dicere volui, dicens: Surge, tace, ſcio quid velis. & converſus ad vicedomnum ait: Frater Tagini, tolle aquam ſacratam juxta lectulum meum, ac ſparge ſuper hominem præ foribus cubiculi ſtantem. Ipſe autem contra oſtium manu crucem pingens, neſcio quid murmurabat, & ſanatus eſt homo in illa horâ.

[Margin:] piciens punitur divinitus.

[Margin:] **Hæc verba in M. S. aliis litteris ſcripta ſunt.*

[Margin:] * Ratiſponam.

Vere, ait Ammonicius, malum converſum eſt in bonum. Nam non ſolum increpatione militis, vindicata eſt injuria pontificis; ſed inſuper etiam ejuſdem ſanitate mirifica, necnon ſpiritus revelatione magnifica, declaratum eſt multis meritum tanti ſacerdotis. Quem valde miror prænominatum vicedomnum adeo dilexiſſe, cum fuerit, ut audivi, iracundus, ac ſupra modum ſeverus, & ob id, pæne omnibus qui in epiſcopio erant exoſus, epiſcopus autem erat manſuetus & pius. Certe, inquam, nec ipſe erat ſine ſeveritate; alioquin minus obſervaret quod Apoſtolus dicit: *Argue, obſecra, increpa.* Virum autem quem dicis ob ſeveritatem pluribus exoſum, accepi ſtrenuum fuiſſe ac ingenioſum. Qui propterea venerando antiſtiti exſtitit carus, quia valde neceſſarius, & quia illum ſi in aliquo reprehenſibilis erat, per immutationem dexteræ Excelſi meliorandum, ſpiritu revelante, agnoverat. Is namque poſt obitum beati præſulis Vvolfgangi, cui fideliter adhæſit, Henrico Imperatori inter fideliſſimos miniſtravit. Quo jubente apud * Parthenopolim archiepiſcopus factus, cum plurigena polleret probitate, magis claruit pia eleemoſynarum dapſilitate, necnon humili corporis caſtitate, & nihilominus laudabili veſtitus mediocritate. Non enim verrebat terram, ſicuti multi facere ſolent, tunicis & pelliciis, magno pretio acquiſitis: ſed, quod uſu mundano rarum

[Margin:] 2. *Tim.* 4.

[Margin:] *Magdeburgum.

a Hinc colligere licet Arnolfi libri hujus autoris ætatem, qui huic miraculo affuit.

Digitized by Google

ANN. CH. M P. JUN. XVII. eſt, forti tenore mentis, contentus ovium veſtimentis, quotidie Miſſas celebrare curavit, atque integrum pſalmodiæ * cenſum devotiſſime perſolvere non ceſſavit. Cujus corpus, anno videlicet ſeptimo poſt reſolutionem ipſius, integrum eſt inventum: gloria reſurrectionis adeo in eo reſplendente, ut adſtantes & intuentes valde mirarentur ejus nitorem atque incorruptionem; cum ſucceſſoris illius veſtimentis etiam conſumtis oſſa tantummodo nuda remanſiſſe viderentur.

* curſum.

Ramuoldi virtutes.

10. Igitur venerabilis pater Ramuoldus commiſſo ſibi regimine monaſterii, quis ante hoc fuerit, ſatis in hujus adminiſtratione declaravit. Nam palæſtra primum ſpiritali ſemetipſum exercens, ac deinde ſubditos virtutibus inſudare aſſuefaciens, omnimodis conabatur facere & docere, quæ noverat eſſe juſta, ſancta, pia & honeſta. Unde & multi etiam nobiles, piis ejus actibus provocati ſæculum reliquerunt, atque illius magiſterio humiliter ſe ſubdiderunt. Inter quos, & cum quibus, quæ gravitas illi, quæ continentia, quæ puritas, quæ largitas in eleemoſynis, quæ cuſtodia humilitatis, qui ſumtus ingenii fuerint, non eſt meæ poſſibilitatis per totum enarrare, & uti dignum eſt prædicare. Cenſerem quippe eruditiſſimis & diſertiſſimis viris relinquendam totam molem ac dignitatem materiæ, niſi ſcirem pauperis devotionem Deo non eſſe deſpicabilem, ſed ſecundum magnam ſuam miſericordiam acceptabilem: qua ſpe animus erigitur: & quamvis tenuis ac ruſticus, confidenter tamen currit ſtylus meus, & calamus geſta ſanctorum ſcriptitans: quia *regnum Dei non eſt in ſermone nec in eloquentia nitore, ſed in opere & veritate.* Præclaras & magnificas virtutes idem vir Dei, ut cœpi dicere, laudabiliter poſſedit, & viriliter excoluit. Tenorem atqui matris virtutum, id eſt diſcretionis, tam ingenue ſuis omnibus præfixit, ut hæc illi de ſupernis quaſi ſingulariter conceſſa videretur. Hac etenim virtute ſuffultus, principalibus quatuor ſic uſus eſt, ut per prudentiam, ignavia hebetudinis abjecta, nequaquam ei è regione ſubreperet verſutia. Juſtitiam quoque juxta quod poſſibile eſt mortalibus, per omnia ſic retinuit, ut nec in plus juſto modum excederet, neque in minus juſto diu ſuccumberet. Per temperantiam vero ſic ligavit paſſibilitatem, ut nullatenus deſiperet per inſenſibilitatem. Fortitudinis autem armis ita fruebatur, quo per eam hoſte ſuperato & timiditate fugata, nuſquam prorumperet protervitatis audacia. His & talibus pater venerandus in viam juſtitiæ directus, & in ſemitam mandatorum Dei, quam ipſe voluit, deductus, dona ſancti Spiritus vaſis virtutum ſeptempliciter infuſa, & diſtributa totis viribus venerabatur: necnon etiam ſollicitus, tam pro ſe, quam pro aliis prudenter obſervabat in omnibus ſecundum Gregorianam ſententiam, ne ſapientia elevaret, ne intellectus dum ſubtiliter curreret aberraret, ne conſilium dum ſe multiplicaret confunderet, ne fortitudo dum fiduciam præberet præcipitaret, ne ſcientia dum noſſet ac non diligeret inflaret, ne pietas dum extra rectitudinem ſe inclinaret intorqueret, &c.

1. Cor. 4.

11. Vere, ut ex parte præmiſi, membrum Chriſti fuit venerabillimus abbas Ramuoldus, cujus membra inhabitator cordis illius, Spiritus ſcilicet almus, in ipſa decrepita ætate, adeo reddidit jocunda & decora, necnon quadam veneratione digna, ut pæne contra naturam in agilitate & puritate ſeptennis pueri gratiam præſtare viderentur. Quod inuſitatum, ſi aliquando aliqua occaſione contigerit in ullo mortalium, non eſt fidelibus niſi in Sanctis & Electis notandum. Transfigurat enim ſe ſatanas in angelum lucis, quem perfecti vix devitare poterunt vel ſuperare. Contra quem Dei vir militiam ſtrenue agens Chriſtianam, inter cetera bonæ conſuetudinis officia, poſt frequens & utile ſilentium, blandum habebat eloquium. Quo in divinis rebus erat ei ſermo copioſus; in humanis quidem brevis non otioſus. Habitus quoque illius mediocris fuit, & abſque ſi-

2. Cor. 11.

Digitized by Google

mulatione monaſticus; victus vero tantillus, ut non ſuperabundaret, ſed refectioni ſufficere poſſet. In hoc ſæpe exſtitit ſibimetipſi parcus, ceteris autem dapſilis & largus. Poſt cibum ſuſtentaculo corporis neceſſarium, quando verba ſolent abundare, pro mille paſſuum deambulatione, exercebatur in pſalmodia ſeu lectione. Maximam autem curam habuit circa pauperes Chriſti; unde & in refectione quotidiana pauperum quinquaginta, exceptis duodecim & tribus, quibus fratres miniſtrabant, quinquagenariam excolens miſericordiam, remiſſionem eodem numero conſecratam promereri ſatagebat, apud ipſum miſericordiæ fontem, qui dicit in evangelio: *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Iſte homo nimis cupiens opere implere quod ſcriptum eſt: *Date eleemoſynam & omnia munda ſunt vobis*, quæ ſibi, utpote ſeni & infirmo ad refocillandum corpuſculum parum delicatiùs præparari juſſerat, frequenter in uſus pauperum converterat; interdum & ipſe aliquantulum ex eis ob humilitatem ſimul & neceſſitatem deguſtans, cetera diviſit inter pauperes & infirmos, qui debilitate & nimia ægrotatione præpediti, ad eccleſiam occurrere non poterant, ubi eleemoſynam accipere debuerant. Hoc opus ſibi percarum injunxerat cuidam familiari & fideli, cui ſpeciale ob id præſtitit beneficium, ut per totam civitatem circumcurſans diligenter inveſtigaret eos, in quibus Chriſtus veſtiretur & paſceretur. Menſa illius ſecundum Regulam BENEDICTI, ſemper erat cum hoſpitibus & peregrinis. O virum laudabilem, qui totus in miſericordiæ viſcera effuſus, Chriſtum in minimis ſuis colligere, paſcere & veſtire curavit, nec ab iis operibus umquam pertæſus ceſſavit. Veſtimenta quoque & alimenta, manibus aliorum, quibus hanc operam commiſit, aliquoties pauperibus dari permiſit; ipſe vero marſupium ſecum portans, unde propriis manibus nummos & obulos egenis & peregrinis tempore opportuno erogaret, ſaccellarius eorum appellari & eſſe non erubuit; certus quod & Chriſtus ſecundum promiſſionem ſuam, eum non erubeſcat coram angelis Dei. Res ergo, quæ ad portam monaſterii adventantibus debuerant miniſtrari, ante ſe minoratas atque ſubtractas, ſuis temporibus ita melioravit, & ampliavit, ut ad exhibenda humanitatis officia, uſque in hodiernum diem, ibi ſatis ſit compendioſum ex una parte xenodochium, ex altera parte miſerorum venerabile noſocomium. Unde & ob frequentiam pauperum, conſolationem ab eo quotidie accipientium, vocitatus eſt PATER PEREGRINORUM, VIDUARUM ET ORPHANORUM. Pro quorum benigna ſuſceptione, necnon multiplici relevatione, quis eſt qui dubitet, hunc ſenem venerandum cum ovibus à dextris collocandum, quibus Rex ſedens in ſede majeſtatis ſuæ dicet: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi, &c.*

Ann. Chr. MI. Jun. XVII.

Ramuoldi miſericordia in pauperes

Matt. 5.

Luc. 11.

Reg. S. Bened. c. 56.

Matth. 25.

12. Sed deſiderium audiendi præclara & utilia, morarum impatiens poſtulat, ut quæ adhuc dilectio tua de viro Dei dicere habet, celeriter proferas, & ſic ad alia ſtrenuus cum ſalute, me comite, tendas: Fiat, inquam, ſi poſſibile eſt, ut à me curſim ſcribatur quod à te tantopere deſideratur. Immo fiat voluntas Dei omnipotentis, ut fragilitas humana abjectis his, quæ vaneſcunt, velit & valeat, quæ vere bona dicuntur & ſunt. Horum ſiquidem affectionibus valde neceſſariis ardenter inhians, ſuis temporibus venerabilliſſimus abbas Ramuoldus, cum ex dono ſancti Spiritus non ſolum in rebus interioribus patrem ſe ſpiritalem exhiberet Chriſti cultoribus, verum etiam in exterioribus diſpenſator exſiſteret prudentiſſimus; ut pote qui per ornatum eccleſiæ, necnon monaſterii neceſſariam ſupellectilem ac multiplicem variarum rerum adminiſtrationem ſeniles annos quodammodo juveneſcere fecerit, & de theſauro ſapientiæ nova cum veteribus protulerit; juxta hoc quod tota præſens vita tentationibus eſt plena, ſæpe

Matth. 13.

Digitized by Google

Ann. Ch. M I. Jun. xvii.

tentatus, & per plura probatus; demum tam gravem ſub vitio pituitæ vel *ſcotomiæ incidit tentationem, quo ceteris membris officia ſua ſat vivide gerentibus, oculorum ſuorum penitus amiſerit lumen. Cujus ad tempus triſtem defectum, ac afflictionis aſperitate confectum, quam patienter vir Dei ſuſtinuerit, quibuſdam perſonis in ſui præſentia ſuper hac re quærentibus, etiam & lacrymantibus verbis hujuſmodi patefecit: Ceſſet homo deflere pro defectivi luminis amiſſione, qui ſemper manentis certitudinem habet in ſpe ex veridica Salvatoris promiſſione. Cæci non ſumus, qui oculos per fidem jam illuminatos habemus; cæcus autem eſt, & in tenebris manet, qui fidem quæ illuminat minime habet; unde & ambulantibus in fide valde indignum videtur, uſum præſentis luminis magni pendere, quod eis cum muſcis ac viliſſimis animantibus etiam ſerpentibus exſiſtit commune. Ergo libet totis viribus intendere in eum, qui dicit: *Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.* cui, ſi placuerit, lumen corporis quod dedit & abſtulit, facile reddet ac præſentabit: quod ſi facere noluerit, abſque murmure benedicendus erit, & ut Rex juſtitiæ ſemper timendus, atque ut pater miſericordiarum ac totius conſolationis, tota mente & tota virtute diligendus.

* In mſ. aliena manu.

Lumen oculorum amittit.

Joan. 8.

Divinitus ſanatur.

13. His dictis & auditis, non illo, quo paullo ante, ſed alio genere cœperunt manare lacrymæ, tanto uberiores quanto utiliores. Recordabantur enim tam ex Pauli ſententia, quam ex probabili viri Dei patientia, in infirmitate virtutem certiſſime perfici. Quod & poſtea in venerabili ſene virtus divina clementer ſimul & potenter dignata eſt declarare. Nam cum ferme biennium in percuſſione cæcitatis cæcus videns expleviſſet, quadam nocte diſcurrens inter altaria, ut ante ſolebat, frequens venipeta[a], labori ſacro vigilanter inſiſtebat, nec ætati decrepitæ prius parcere volebat, quam per ſpiritum gratiam Dei adeſſe cognoſcebat. Tum ante ſanctam crucem proſtratus, necnon lacrymis, & oratione ſatis humiliatus, corporis fatigatione quaſi requiem poſcente; immo Domino, qui non dormit, neque dormitat, opus ſuum clarificare volente, ſoporatus eſt ſubito, corpore non mente. Et ecce imago crucifixi Domini noſtri Jesu-Christi viſa eſt illi deſcendere de cruce, & venire uſque ad ſe, quæ ſtans coram eo utraque manu, ſicut viſum eſt ei, candelas ardentes de candelabro ſuper gradus cominus poſito tulit, & in oculos ſenis violenter inflixit. Qui primum ob Dominicæ deſcenſum iconiæ non parvum ſuſtinens pondus agoniæ, dein per ignem advertens præclarum quiddam deſignari, atque per lumen ſentiens tenebras fugari, ſurrexit lacrymis ac ſudore perfuſus, & è veſtigio convertens oculos in priſtinos uſus, cœpit ſecum mirari, ſimul & altius cum interiori homine ſcrutari, quid ſibi vellet, quod poſt tanti temporis luminum à multis deſperatum receperat viſum. Cumque in brevi ſuper hujuſcemodi re ratio ſatisfaceret homini, & homo rationi, tunc oris officio conjubilante cum cordis hoſpitio magnifice gratias egit Deo, qui ſervum ſuum ita dignatus eſt viſitare, ut & in caſtigatione corporali ſibi eſſet correctio, & oculorum ejus revelatione ad ſancta vel honeſta multorum provocaretur affectio. Cujus rei gratiâ quo tenacius bonorum haberetur in memoria, homo Dei juſſit inter cetera miraculorum ſigna, ſive indicia, oculares circulos ſuſpendi in eccleſia, quæ beati Emmerammi martyris corpore ſacro dotata & meritis, necnon aliorum patrociniis prædita ſanctorum, cæleſti ſpecula mortalibus demiſſa beneficia ſolet miniſtrare quam plurima; ob quorum ſalutarem collationem, ac frequentem de hac venientis famæ volitationem, hic locus gaudet adventantium ſe receptare multitudinem. E quibus alii, qui languorum varietate gravantur, per viſcera miſericordiæ Dei noſtri relevati, alii pro aliis neceſſitatibus dum exaudiun-

[a] Id eſt, ſi non fallor, ſupplex, veniam petens.

Digitized by Google

tur eadem miſericordia conſolati, voce & corde pro communi omnium commoditate gratias clamant ſalutis auctori. Unde & nos, qui hæc ſcribimus, & legimus atque, inter nos de talibus ratiocinando ſermonem ſæpe conferimus, non ſolum ſuper his quæ hic præ oculis & manibus habentur, verum etiam ſuper univerſis donis ac beneficiis illius, pari voto laudem demus Deo.

ANN. CH. M I. JUN. XVII.

14. AMMONICIUS. Dilectionis operationem qui dat, ipſe remunerat: proinde tu ſpem ponens macte in adjutorio miſerationis divinæ, perge viam alacris poſtulatæ narrationis. COLLECTITIUS. Pergam libens ipſum mihi adeſſe omnimodis cupiens. Igitur poſt multa pietatis & æquitatis opera, quibus Deo ſervire ſtudebat, quibuſque eccleſiam ſibi commiſſam regebat, ſæpe nominatus ſæpiuſque nominandus venerabilis præſul VVolfgangus, cum Ratiſbonæ conſtitutus, rerum neceſſaria mutatione poſcente, in Orientalem hujus provinciæ regionem iter ſuum pararet, febricitare cœpit. Quam corporis moleſtiam vir Dei non ſolum vigiliis & orationibus animæ ſuæ fecit eſſe proficuam, ſed etiam eleemoſynis, opus & decus adaugens bonæ voluntatis, totum quod habere potuit per manus pauperum in gazophylacium Chriſti tranſmiſit; ſicque partes Orientis perrecturus, illi qui neſcit occaſum, vitæ ſuæ ſedulis precibus commendavit excurſum. Cum que per Danubii decurſum ventum eſſet in puppi ad locum, qui dicitur *Puppinga*; ultra iter tendere non valebat, quia tempus reſolutionis inſtabat; ibi enim ſuperna ſe viſitante gratia cognovit, cito fore complenda, quæ ſibi per viſionem longe antea fuerant revelata. AMMONICIUS. Cujus rei revelationem acceperit, & ubi aut quando, ſive per quem eam didicerit, admone, ne ſilentio ſupprimas, ſed caritati fraternæ luculenter ediſſeras. COLLECT. Dicam ſcribamve hoc breviter, & ſi non leviter: quia cauma æſtivale facit ex valetudine me dolere. Quodam atqui tempore cum in Alamannia poſitus vir Dei peregre proficiſcendi voluntatem haberet, beatiſſimum Chriſti confeſſorem Otmarum [a], cui ſe ſuaque frequentiſſime commendabat, ſibi in ſomnis adſtare videbat; quem juſſus intendere, ab eo hujuſmodi accepit verba: Quia rogatus à te rogavi Dominum pro te, in quo ſum exauditus, manifeſto nunc tibi futurorum prænuncius. Pauper & inops de hac provincia egredieris; ſed in alia, in qua pro amore Domini exſularis epiſcopatum caducis rebus ſatis locupletem prædeſtinatione divina ſuſcepturus eris, cujus in adminiſtratione ſi fidelem te exhibueris, bona quæ impertæſus ſeminaveris, juxta id quod ſcriptum eſt, *Quæcumque ſeminat homo hæc & metet*, expletis vinginti duobus annis, vitam tranſitoriam eris exiturus, & æternam ingreſſurus. Et hoc proculdubio ſcire te volo, quod animam Conditori redditurus es in loco ubi ſub nomine Chriſti à Chriſtianis memoria mea veneratur & colitur. Quo me in hora exitus tui de Ægypto hujus mundi ſpero adventurum cum ceteris, quos de exercitu Domini bonis meritis ad adjutandum obitum tuum, contra poteſtates aërias & ſpiritales nequitias in cæleſtibus adſciveris & paraveris. His & talibus prolatis in viſione noctis, ſpiritus qui apparuit evaneſcens, virum venerabilem VVolfgangum dimiſit ex parte lætificatum, & ex parte mæſtificatum; lætificatum autem dixerim non ob gloriolam ſæculi, quæ colorata eſt in epiſcopalis dignitate faſtigii, ſed ob jucundam regni promiſſionem æterni; mæſtificatum vero virum Dei ſcripſerim: non ob brevitatem annorum huic vitæ conceſſorum, ſed ob prolongationem terreni incolatûs lacrymabilem, juxta illum verſum pſalmographi, *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt*.

S. Wolfgangi obitus.

* Pupping.

Diu ei antea revelatus.

Galat. 6.

Pſal. 119.

[a] Is fuit abbas S. Galli ſæculo 8. ineunte, cujus vita habetur Sæc. 3. parte 2. ad an. 759.

Digitized by Google

ANN. CH. M I. JUN. XVII.

Wolfgangus obit.

15. Igitur, ut paullo ante dictando narrare cœpi, præſul venerandus, & multum à bonis vel fidelibus amandus, memor admonitionis, quam olim acceperat per revelationem Chriſti confeſſoris, necnon pro certo ſciens principem hujus mundi ad ſe venturum, & cum aëris poteſtatibus contra ſe pugnaturum, ſed in miſericordia Domini in quo non habuit quicquam, per ſuffragia ſanctorum, ſperans animam ſuam humani generis inimicum ſuperaturam, juſſit in agone noviſſimo, ut à fidelibus in oratorium portaretur, & ante altare beati Otmari deponeretur. Quod cum factum eſſet, aliquantulum ex infirmitate convaleſcens, reſedit; & orarium accipiens per confeſſionem primum ſe expiavit. Dein qui aderant, pro fide, ſpe, & caritate ſatis utiliter & luculenter commonefaciens, eos ac omnes ſibi commiſſos, & nihilominus obitum ſuum cum intimis ſuſpiriis, Deo & ſanctis ejus commendavit; ſicque viatico ſumto humo tenus ſe humiliavit. Tunc æditui ſive cubicularii ejicere tentabant univerſos de eccleſia, exceptis familiaribus ibi ex more commanentibus. Quos vir Dei prohibuit dicens: Reſerate oſtia, ſinite omnes, qui hic manere velint adeſſe reſolutioni noſtræ. Non enim nos qui ſumus mortales erubeſcere debemus, niſi ex malis operibus, cum mortis debitum neceſſario exſolverimus: quandoquidem Chriſtus, qui nihil morti debebat, ferme nudus mori non erubuit in cruce pro generis humani ſalute. Aſpiciat quiſque in morte noſtra, quod paveat & non caveat in ſua. Deus miſereri dignetur & mihi miſero peccatori mortem nunc patienti, & cuique eam timide ac humiliter aſpicienti. Hæc cum dixiſſet, reverenter exſpiravit. Mox advenit archiepiſcopus bonæ memoriæ [a] Hartwicus, & Arbo comes quidam ex numero fidelium fideliſſimus, viróque Dei inter laïcos cariſſimus. Hos quoque illo venturos nocte præterita ſpiritu prædoctus venerabilis præſul Vvolfgangus innotuit quibuſdam, poſt longa ſilentia, & corporis relaxata moleſtia, adſtantes terrens, ac ſic ſubito inquiens: Mundate domum, purgate atria, hodie venient nobis boni hoſpites: & ut credatis mihi quia verum dico; hoc vobis erit ſignum ex ore meo: Navis in qua ferebantur bona domini Hartvvici archipontificis, & Arbonis optimi comitis, naufragium atque jacturam in Danubio perpeſſa eſt: ſed per miſericordiam Dei homines ſalvi facti ſunt, & ipſi domini mox poſt obitum meum vobis erunt adventuri. Quid multa? Completis his quæ dicta ſunt à beato Vvolfgango, corpus ejus comitatum ab archiepiſcopo, & à populo fidelium copioſo eſt religioſe tranſlatum, necnon die à tranſitu illius ſeptimo in civitatem Ratiſbonam allatum. Ubi cum Præſul beatus apud ſanctum Petrum eſſet ſuſceptus, ac vigiliarum miſſarumque celebrationibus Deo, cui famulabatur, foret commendatus, in baſilica beati Stephani protomartyris ut vivens præceperat, pontificalibus infulis, in quibus conſecratus erat, induebatur, juxta hoc quod ſcriptum eſt: *Induam te mutatoriis.* Ibi, ut audivi à quodam presbytero ſene ac religioſo, qui eum paramentis amiciebat ad manifeſtandum tanti pontificis meritum, non tantum odor malus aberat, ſed etiam bonus aderat, ſecundum quod Apoſtolus ait: *Bonus odor Deo ſumus in omni loco, aliis ad vitam, aliis ad mortem.* Tunc cum magna reverentia ſuſtollentes corpus beati Viri, tranſportabant illud ad eccleſiam Chriſti martyris Emmerammi, cujus honorem dum vixerat intimo affectu ſummoque ſtudio colebat. Qua miſſarum ſolemniis, & *exſequiarum officiis* * rite peractis, octava luce à pridie kalendarum Novembrium in quibus ille exceſſit de medio, magnifice & honorifice ſepultus eſt parte auſtrali baſilicæ ſancti Emmerammi in ordine pontificum duodecimo, ſatis congrue numero ſacro in tali viro defini-

Corpus ejus Ratiſbonã refertur.

Zachar. 3.

2. Cor. 2.

* Hæc alia manu.

a Hartvvicus Archiepiſcopus Saliſburgenſis, qui obiit anno M X X I I I. poſt annos X X X I I. regiminis.

to, in

to, in quo Dominus miraculis & ſignis potenter poſt manifeſtavit, quia hunc cum principibus populi ſui collocavit.

Ann. Chr. M I. Jun. XVII.

Epiſcopi Ratiſponenſes.

16. Ammonicius. Nunc ergo quia virum Dei in numero epiſcoporum poſuiſti duodenario, ut mihi videtur conveniens eſt, ut qui ante eum hanc eccleſiam rexerint, nominatim ediſſeras, & quos habuerit ſucceſſores, huic operi ex compendio innectas; delectantur quidem nonnulli lectione hujuſmodi. Collectitius.[a] Non habetur certum quis primus in illo loco plantator fuerit divinarum plantationum; ſed tamen, ut potero, dilectioni tuæ obtemperabo. Igitur ſicut eccleſiaſticarum teſtantur ſcripta donationum & traditionum, hæc ſedes habuit epiſcopos, primum * *temporibus Romanorum venerabilem virum cum ceteris non parvi numeri epiſcopis, quorum certa præſulatus regimina legimus, nomina vero invenire non potuimus: dein ſub tempore Regum Francorum, necnon Ducum Noricorum quemdam religioſum Eccleſiæ miniſtrum, nomine* Lupum, *& ſucceſſorem ejus nuncupatum* Ratharium, ante ordinationem, *illam videlicet* beati Bonifacii Moguntiæ archiepiſcopi, quam ille in Norico ex auctoritate apoſtolicæ ſedis juxta inſtituta canonum exercuit ſive diſpoſuit. Poſtea verò præfuerunt hi, quorum nomina ſubſequuntur. In primis præfuit domnus Gaubaldus, vir ſanctus & religioſus, ſub quo corpus beati Emmerammi vere martyris & epiſcopi tranſlatum eſt de loco in quo poſitum fuerat, quando ab Aſcheim huc tranſportatum erat. Poſt hunc Sintpertus catedram pontificalem cum regimine eccleſiaſtico ſuſcepit, qui beato Emmerammo baſilicam novam amplioribus ſpatiis & propenſiore ſumtu conſtruxit, atque ornavit. Quem per ordinem ſequebantur, Adalvinus, Baturicus, Erchanfridus; his ſuccedebat Embricho, homo venerabilis ætate ac merito, uti comperimus chronicorum ſcripto veridico. Tum epiſcopatus Ratiſbonenſis Aſperto provenit, cui ſucceſſit vir magnæ manſuetudinis & pietatis, nomine Tuto, clarus ingenio. Is habuit ſucceſſores, Iſangrimum, Guntharium & Michaëlem. Poſt hos rexit hanc eccleſiam beatus Vvolfgangus, quem ſubſequuti ſunt ordine vicis ſuæ Gebhardus, & item Gebhardus, quibus Orno ſucceſſit; tertius Gebhardus frater Imperatoris, valde præeminens & nobilitate generis & faſtigio pontificalis honoris. Ab illo autem, qui Lupus vocabulo, paſtor officio paſcebat oves Chriſticolas ſub duce qui dictus eſt Dieto, uſque ad iſtum qui nunc Eccleſiam regit[b], fuerunt omnes Epiſcopi hujus ſedis decem & ſeptem. Hos pius Princeps paſtorum collocare dignetur in regno cælorum, & nos peccatores in multitudine ſuarum miſerationum non dedignetur efficere participes æternarum ſalvationum. Ammonicius. Amen.

*Hæc omnia ad marginem alio charactere exarata.

17. Nunc tempus eſt, ut ſtylum convertas ad miracula, quæ ad ſepulcrum beati Vvolfgangi epiſcopi & confeſſoris dignata eſt gratia Omnipotentis operari, qui in ſanctis ejus ſemper eſt glorioſus & mirabilis. Hæc quoque ſcribere te oportet, vel ob hoc maxime, quia ſunt nonnulli, qui quoſdam electos minime credunt eſſe in numero ſanctorum, niſi ad eorum ſepulcra prodigia viderint & ſigna. Coll. Novi & ſcio quia tibi obſequendo multorum moribus deſervio, ideo dilectionem tuam præcedentem per admonitionem paratus ſum ſubſequi per præſentem deſcriptionem.

Miracula ſancti Vvolfgangi

Quidam homo cæcitate multatus, ob id valde contriſtatus, ut ad ſe-

Cæcus viſum recipit.

[a] Nonnulli Paulinum, primum eccleſiæ Ratiſponenſis Antiſtitem faciunt, licet incertum ſit, quo tempore huic eccleſiæ præfuerit. Ceterum in vulgatis catalogis longe plures quam undecim epiſcopi Ratiſponenſes, ſanctum Wolfgangum præcedunt. Et quidem hic tredecim numerantur. An intelligenda hæc ſunt de his ſolummodo qui in eccleſia ſancti Emmerammi ſepulti ſunt?

[b] Igitur ſub Gebhardo tertio Epiſcopo Ratiſponenſi & Conradi Imperatoris fratre, qui anno MXXXVI. hanc ſedem iniit uſque ad annum MLX. quo obiit, hæc ſcribebat Arnolfus comes & monachus, ac proinde beatum Ramuoldum adhuc adoleſcens videre potuit.

ANN. CH. MI. JUN. XVII.

pulcrum beati Vvolfgangi acceſſit, & ibi cum lacrymis preces fudit, recepto viſu, exauditum ſe gratulatus, & inde oppido lætificatus, Deo ac ſancto Pontifici gratias egit, ſicque comite ſalute proprios lares reviſit.

Contracta erigitur.

Alio quoque tempore muliercula quædam, ſub ſpe recuperandæ ſalutis, deportata eſt à ſuis in eccleſiam beati Emmerammi Martyris ac Pontificis, in qua dum ante altaria rependo petitione ſedula ſanctorum efflagitaſſet ſuffragia, tandem ex labore ſeu ægritudine fatigata, ſecus tumbam Chriſti confeſſoris Vvolfgangi reſedit humi. cumque miſella corpore ac mente inclina, venerandi Pontificis adjuvari ſe optaret precibus & meritis, ſubito lateris contractio & ceterorum nodoſa membrorum alligatio eſt ſoluta; & nihilo minus tam vehementer diſrupta, ut ſanguinis effuſio difflueret in pavimento. Tunc mulier primùm exterrita, præ timore cœpit clamare, dein exſiliens grates reddidit ſalvatrici ſanctæ Trinitatis omnipotentiæ, atque ſanctorum ſanitatis impetratrici clementiæ. Itaque ſibi reſtituta, de ſalutiferis eccleſiæ domiciliis repedavit ad ſua. Poſt hæc ad quos hujus rei cura pertinebat, ſcamnellum, quo illa paupercula totis viribus innixa repere potius quàm deambulare ſolebat, ad gloriam nominis divini, & ob memoriam tanti ſigni ſuper fores eccleſiæ ſuſpendebant.

* *al.* dominico.

Debilis ſanatur.

Quadam die, * homuncio pauperculus, & ut veridica relatione didici, Ravennatis Epiſcopi eleemoſynarius, gratia orandi venit in eccleſiam beati Emmerammi. Is dum frequenti oratione ſe liberari ſanctorum meritis poſtularet ab inhærente ſibi diu membrorum debilitate, demum decubuit in loco, qui beati Vvolfgangi dotatus ſimul atque ditatus eſt corpore ſacro. Ibi feliciter ſoporatus, quemdam virum ſtatura procerum & canitie venerandum adſtare vidit, qui ad eum dixit: Ut quid tu hîc, aut cujus rei gratia huc adveniſti? cui ille reſpondit: Domine, propterea huc miſer veni, ut ſaner à languoribus quibus jam per plures annos laboravi detentus. At venerabilis heros virga paſtorali, quam manu geſtare videbatur, tangens ægrotum, ac officiis membrorum deſtitutum miſerabiliter infit: Ecce ſanaberis in nomine ſanctæ Trinitatis. Tunc qui jacebat quaſi mortuus, per merita præſulis reverendi à ſomno ægritudinis excitatus repentè exſilivit, & præ ſtupore ſive tripudio clamans, in quantum potuit, Deum ſanctoſque illius & ipſe laudavit, & alios ad laudandum provocavit.

Hæc itaque tria capitula ob memoriam venerandi Epiſcopi in nomine ſanctæ Trinitatis deſcripta pro teſtimonio duorum vel trium teſtium ſufficere credo his, qui non ſuperbo oculo & inſatiabili corde contradicere tentant nomini trino, pariter & divino, &c.

Ramuoldi innocentia manifeſtatur.

* *al. manu ad marg.*

18. Poſt obitum atqui beati Vvolfgangi pontificis, ſcilicet ſervi Dei cunctipotentis, Ramuoldus egregiæ memoriæ Abbas in regimine monaſterii ſeu procuratione cœnobii, per tentationes varias, adverſitates perpeſſus eſt multas. Quæ in tantum excreverunt, ut ſub *primo* * Gebehardo, ſedis hujus epiſcopo, famulus Dei apud tertium Ottonem imperatorem quorumdam detractionibus ſimul & accuſationibus infamaretur. Unde ad id ventum eſt, quo iiſdem princeps credendo, quod non credere debuit, de religione viri Dei dubius factus & anceps, dum ad ſanctum Emmerammum more Imperatorum veniret, & exacerbatis animis, nec alloqui eum, nec oculos in illum convertere vellet. Cumque ab eo oratum eſſet in ſecretario altaris, coram eo qui fecit machinam cæli, terræ ac maris, acceſſit ad eum deſpoton quidam ſymmiſta ejus, nomine [a] Heribertus, tunc forte Capellanus, poſtea verò Colonienſis Epiſcopus. Is ex conſulto ad eum dixit:

[a] Ex hoc loco aliud item conficitur argumentum contra ſententiam Baronii, mortem Ramuoldi ad annum MVII. referentis. Nam id quod de Heriberto tum Imperatoris Capellano narratur, quinquennio ante Ramuoldi obitum accidit, id eſt, anno MII. ſecundum ejus calculum, & tamen ipſe Baronius Heriberti ordinationem poſt Rupertum ad annum CM. XCVIII. refert.

Digitized by Google

Domine, non oportet vos indignari contra virum Dei. Ad hæc Imperator infit: Cum ſcriptum ſit, *Principem populi tui ne maledixeris*, ſcio quia non convenit hominem Dei mihi detrahere ſive maledicere; præſertim, cum & ego illi nihil umquam fecerim, quod ſit dignum maledictione. Tunc Dominus Heribertus bonus & fidelis conſiliarius, reſpondit: Si principatus Imperii geſtit, ſicut & debet, proſperari, decet in præſentia veſtri venerandum Abbatem coram ſancta congregatione ſuper hac re interrogare, & ita utrum vera an falſa ſint, quæ illi objiciuntur, probari. Credo in Deum & ſpero, quod tam venerabilem ſenem, & ſenectutis maturitas, ac divinitus conceſſa ſapientia & humilitas, numquam permiſerint dixiſſe, qualia ab inimicis dicta ſunt de eo, vel ficta. Tum Imperator remittens animum ad divinæ diſpenſationis nutum, ſecum aſſumtis dilectoribus * paucis intravit clauſtrum humilis & mitis. Ibi videns venerabilem Patrem cum fratribus humo tenus proſtratum, expavit, & dixit: Grande malum fecit mihi qui ex legatione [a] Gebehardi epiſcopi ea referendo indidit auribus meis, quibus me improvidum commoveret adverſus Abbatem iſtum, & ſibi commiſſum ſanctorum collegium. Scio quidem quod vitæ meæ parva non eſt agenda pœnitentia pro iſta falſitatis credulitate incauta. Nunc ergo, quia peccata mea nudaverunt veſtigia veſtra, obſecro, recalciate vos, & ſic redite ad nos. Quo celeriter facto, cum fratribus venerabilis heros Ramuoldus egreſſus, fiducialiter locutus eſt ad Principem, dicens: Novimus quippe, quia quod habetis imperium, deſuper eſt datum atque conſtitutum, & quia cui Deus benedixerit, benedictus ſit. Hujus quoque rei, quia per totum non fuimus inſipidi, immo adhuc ſumus ex parte ſcioli, unde parvitati meæ tanta temeritas, ut ego vilis homulus, menſuram meam penitus oblitus, auderem celſitudini veſtræ maledicere, quam Rex regum & Dominus dominorum jam dignam fecit ſua benedictione? Quocumque ergo judicio Majeſtati veſtræ placuerit, paratus ſum me ex objecto purgare; necnon cunctis adſtipulatione veritatis pro hac re ſatisfacere. Imperator autem reſponſum deliberans hujuſmodi verba proponit: Sicut veritate delectamur, ita è contrario falſiloquiis exacerbamur. unde judicium Dei cenſemus ſuperexaltandum judicio mortalium, qui facile fallunt & falluntur. Malo quidem credere bona de bonis, quam mala de perverſis. Nec enim quemquam decet temere quicquam credere à quoquam. Unde & verbo tenus tuapte prolata objecti excuſatio, eſt mihi à tanto viro permagna ſatisfactio, qua modo æquè ut alterius generis evidenti placatus judicio, ſenior ô dilecte Deo, ſpiritali allocutione pariter & admonitione tui in aliquo * *ſecreto* loco, cupio *conveniri ſeu* conſolari; & onus regni, quod indignus accepi, deſidero per eum relevari, qui dicit in Iſaïa propheta: *Computreſcit jugum à facie olei, &c.*

Ann. Ch. MI. Jun. XVII.
Exod. 22.
* f. pacis.
* alia manu.
Iſaiæ 10.

19. AMMON. Fiat, fiat ſecundum verbum tuum, ut per totum mundum cadat hoc peſtiferum vitium. COLLECTITIUS. Nunc ergo eos, quos mordaciter admonitiuncula tua notavit negligentiarum & vitii vitiorum, liceat his quæ ſubſequuntur, placare. Imperator igitur glorioſus prænominatus & ſæpè nominandus Otto III. in multis religioſus, cum Abbate venerando intravit eccleſiam ſancti Benedicti, ad famulitia divina multipliciter addicti. Qua oppido humiliatus, & per confeſſionis medicinam conſternatus, inter duo altaria ſub ſpecie geminæ dilectionis conſtituta, ac in honore ejuſdem venerabilliimi Patris & præclari martyris Chriſti Kiliani conſecrata, juſſus à ſpiritali patre, velut ſervulus viliſſimus in humili tripedica coram eo ſedit, humilitate comitatus optima matre.

a Is ſancto Vvolfgango ſucceſſit, ac forte monaſterii ſancti Emmerammi bona menſæ Epiſcopali unire voluit, ut Vvolfgangi prædeceſſores fecerant, quamvis difficile crediderim hunc antiſtitem, qui monaſterium ſub ſancti Benedicti Regula inſtituit, voluiſſe beatum Ramuoldum conſulto calumniari.

Digitized by Google

ANN. CH. M I. JUN. XVII.

Ibi audivit multa, quæ ſolent opera deſtruere ſtulta, necnon alia plura, quæ corda ſtolidorum accipere abnuunt cervice prædura. Demum per converſationem alter factus, & per admonitionem hominis Dei intimè tactus, gratiam Dei ſibi adeſſe ſenſit, quæ compunctionem largiſſimam illi contulit, qua exterior homo interiori homini * *non ſolum* ſubtiliſſime concordavit, *ſed etiam utiliſſime*. Cumque hac fragilitati humanæ in id temporis ſatisfaceret, foras egreſſus, ad ſuos dixit: Vere Spiritus-ſanctus locutus eſt per os viri iſtius. Hodie in ſermone illius probavi, verum eſſe illud Salomonis: *Verba ſapientum quaſi clavi in altum defixi.* Mandatum quippe divinum certiſſimè * *ſuis obſervatoribus reddit* liberum animum. Cumque Cæſarem diligenter intuerentur ejus familiares, admirati ſunt ſuper immutatione vultus ejus, dicentes: Domine, quid tibi contigit, quod adeo perfuſus es lacrymis & ſudore? quibus ille reſpondit: Nolite mirari, quod ſim udus ex ſudore, ſed quia vivo præ timore. Numquam me contingat talem quæſtionem incidere, niſi pro animæ meæ ſalute. In iſto ſancto ſenio comperi manifeſte, quantus honor debeat exhiberi ſervis electis Dei. Poſt hæc juſſit epiſcopum Ratiſbonenſem ad ſe accerſiri; & ſtans ante altare ſancti Emmerammi, ſub interminatione ad eum dixit: Cave ne ultra, me vivente, quicquam mali facias Abbati hujus cœnobii & fratribus, Deo ſanctoque Emmerammo hic famulantibus. Sint tibi tua ad Epiſcopatum jure pertinentia: monachorum bona maneant illis vallata ſub omnium bonorum tutela. Quacumque ergo die prævaricatus fueris in his, quæ præſens hauſiſti auribus tuis, procul dubio ſcito, ſive divinitus, ſive humanitus, pro malo tanti piaculi tecum duriter ac acerbiter actitatum iri. Dein converſus Imperator ad Abbatem & fratres, pietate ſolita valedicens illis, ait: Interius & exterius vos ita conſervare dignetur miſerator & miſericors Dominus, ut in orationibus veſtris non ſolum poſſitis memores eſſe noſtri, ſed & totius populi Chriſtiani. Quo dicto, pſalmis & canticis Domino commendatus piiſſimus Auguſtus, ex more præcedente ſancta & crucifera Imperiali lancea, exivit de civitate iſta, petiturus Italiam, necnon aditurus potentiſſimam urbem Romanam, quam quidam vocitare ſolent mundi dominam vel rerum maximam. Hæc autem, id eſt Roma, eo quod & ipſa olim ſequeretur diabolicum errorem & omnium malorum confuſionem, ut beatus Petrus teſtatur, ſortita Babylonis nomen, & ob potentiam imperii tunc vocata domina mundi, ſed poſtea per eumdem Apoſtolum & per ſucceſſores illius humiliata ſub potentia Chriſti, ex civitate diaboli facta eſt civitas Dei, quæ in tantum excrevit in divino cultu, ut pro ruinis murorum & veterum fanorum ſurgant quotidie innumera ædificia eccleſiarum, ſive monaſteriorum. E quorum incredibili numero, ut audivi à quodam ſene, qui ſe dixit nutritum fuiſſe in eadem civitate, viginti poſſidentur à ſanctimonialibus, quadraginta à Monachis, ſexaginta à Canonicis, exceptis his quæ extra civitatem ſunt, & aliis eccleſiis ſive capellis, quæ in urbe abundant.

* al. manu. — Eccle. 12. — * al. manu; — Bona ſancti Emmerammi confirmata. — Romæ ſtatus Auctoris tempore. — 1. Petr. 5.

20. COLLECT. Poſt quinquennium quoque Imperialis exitus de civitate * Hiatoſpolitana, cujus nos incolæ ſumus, languore diuturno beatus abbas Ramuoldus viribus corporis cœpit deſtitui, ſpiritaliter gaudens interiorem hominem per hanc infirmitatem inſtitui, ſecundum Apoſtolum videlicet dicentem: *Quando infirmor tunc fortior ſum* & potens. Hac quidem carnis infirmitate perductus eſt ad noviſſimam præſentis vitæ lucem. Qua die venerabilis heros erigens ſe de lectulo, quem jam per continuos quatuordecim dies præ valetudine non poterat deſerere, tunica ſancti propoſiti amictus, & per ſpiritalem medicinam aliquantiſper de febre relevatus, orario accepto, & agmine fratrum collecto, reſedit in medio, ac potenti ſermone uſus eſt in hunc modum: Deus Pater magna di-

Ramuoldus morti proximus diſcipulos ad virtutes hortatur. — * Ratiſbona. — 2. Cor. 12.

Digitized by Google

lectione atque magno conſilio miſit Unigenitum ſuum, ad ſalvificandum genus humanum. Unde & per prophetam *magni conſilii Angelus* eſt prænominatus. Qui cum per divinam potentiam nos poſſet eripere de poteſtate diaboli, noluit ea per nudum uti ad redemtionem generis humani, ob juſtitiam ſcilicet ſanctæ Trinitati maxime propriam; ſed ineffabili ſua miſericordia hominem, quem cum anima ſuſcepit, incarnatus de Virgine, obtulit Patri, ſuſpenſus in cruce, Deo reconcilians mundum per ſacroſanctum ſanguinem ſuum; hunc etiam in forma humilitatis opponens hoſti antiquo, quem ille ſe jactabat ſuperaſſe, nequiſſimo ſuperbiæ homicidio. Chriſtus etenim in ligno crucis uſque ad mortem factus eſt obediens voluntati Patris; cujus pretioſiſſima obedientia medicata eſt primi hominis vulnifica inobedientia. Hanc virtutem, fratres, obedientiam, qua Chriſtus patravit humanæ redemtionis elegantem continentiam, ſumma devotione diligite, ſectamini, amate. Sanctam Trinitatem, quæ nos condidit ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, intellectu, memoria, & voluntate, diligentiſſima timoris & amoris veneratione laudate. Æmulamini igitur mente devota, ſecundum Apoſtolum, majora chariſmata, & illud Salomonicum corde tenus ruminate: *Deum time & mandata ejus obſerva: hoc eſt omnis homo.* En ego ætate decrepitus, in fide quoque catholicus, &, ut verum fatear, in virtute, quæ huic fidei ſuppeditare debet, permodicus, die vocationis inſtante, viam ingredior univerſæ carnis, ſperans me venturum ad gaudia patriæ cæleſtis, per eum qui eſt liberator mirabilis in miſerationibus ſuis multis. Vos autem in Chriſto viſcera mea, hunc Patrem diligite, cujus paternitas in numero filiorum Dei cum corporibus collocare poteſt animas veſtras. Et hoc vobis futurorum ſignum, quam prolatum per me indignum, quia in loco iſto multa paſſuri eſtis adverſa * poſt diſceſſum meum, quibus in tantum exacerbabimini, ut etiam loco cedere compellamini. Verum tantæ tempeſtatis commotio cito ſedabitur divino ſolatio. Unde conſilium do, ut unuſquiſque veſtrum feſtinet huc reverti in profeſſionis locum, ubi * *deſiduo audiat vel* exerceat harmoniam ſpiritualium vocum. De cetero verò in hoc nunc concluſionem fraternæ admonitionis finem facio, quo ita calliditatem ſerpentis, quæ minor eſt, inter virtutes habere ſtudeatis; ne auream humilitatem columbinæ ſimplicitatis, quæ major eſt, per incautelam amittatis. Sed omnimodis hoc aſſumatis, quod Chriſtus in Evangelio ſuis diſcipulis præcepit, dicens: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes & ſimplices ſicut columbæ.* Tum ſumma humilitate inter Abbatem & fratres alterna facta confeſſione, necnon è cælis petita ſeu imprecata perneceſſaria peccatorum indulgentia, intimis quaſi cælum tangens ſuſpiriis, venerabilis heros, primum ſummo paſtori commendat gregem ſibi commiſſum, deìn fratribus, jam præ lacrymis ac ſingultibus vix fari valentibus, valedicens, ait: Abite, fratres cariſſimi, & præparate vos ad celebrandum divinum officium, atque ſumma feſtinantia concurrite ad complendum ex more ordinem ſacrum; & hoc ultimum ſenis memoriale pro benedictione habetote: In nomine Domini, ſalus omnium noſtri. Cumque omnes communiter, dicerent, Amen, atque exirent mæſti à ſancto *Spiritu verè* paraclito quæſituri ſolamen, vir Dei per ſpiritum præſentiens animam de corpore celeriter diſſolvi, juſſit ſe ab his qui aderant, in oratorium cellæ ſuæ proximum portari, & inter duo altaria deponi; converſus quidem caput ad aram ſancti patris Benedicti, pedes verò ad altare ſancti Kiliani martyris Chriſti. In cujus nomine, ut pote in omnium ſalutis omine, ſpem ſuam ponens firmiſſime, præcepit ibi miſſas cele-

Ann. Ch. M I. Jun. XVII.

Iſaia 9.

Eccl. 12.

Futura prædicit.

*

* *al. manu.*

Matth. 10.

* *al. manu.*

* An id accidit ſub Vvolframmo Abbate Ramuoldi ſucceſſore proximo? Certe injuſte depoſitus dicitur apud Hundium Tomo 2, Metropolis Saliſburgenſis.

Digitized by Google

Ann. Ch. MI. Jun. xvii. Euchariſtia refectus obit.

brari, & Dominicæ paſſionis memoriam intentiſſime agi. Qua peracta, cum ventum eſſet ad communionem, ipſe vir Dei, ut accepit corporis & ſanguinis Dominici Euchariſtiam, mox ad æternam patriam, ex ergaſtulo carnis emiſit animam, ita in agone noviſſimo manus extentas juxta caput tenens, ut ante in oratione facere ſolebat. Tunc Religioſi ſeniores, Gotahardus [a] ſcilicet Abbas monaſterii Altahenſis, atque Adalpertus pater cœnobii * Seunenſis cum fratribus ceteris accurrentes, Deoque hymnos ac laudes devota mente ſolventes, ſpiritum pii patris cum orationibus commendare ſatagebant omnipotentis gratiæ miſerationibus. Quibus rite officioſéque finitis, hi, quorum corda præ ceteris viſitare dignata eſt inſpiratio divina, vocem cum fide attollentes, dixerunt: Domine, uti ſperamus, iſte tuus homo haud nequiquam in præſenti ſæculo conſummavit tot annos vitæ ſuæ conceſſos, quem hodie centenarium per vocationem tuam magis miramur, quam dolemus de medio exemtum.

* *Sihen.*

Ejus exſequiæ.

21. Collectitius. Placet fateor, ô Ammonici, quia me poſt mortem hominis Dei vitam illius perſcribere adhortaris. Hoc enim firmiter tenet lex, pariter & ſpes fidei Chriſtianæ, quod ſancti ſcilicet electi, cum carnaliter mortui fuerint mundo, verè ac ſpiritualiter incipiant vivere Deo. Unde & ad eorum mortua oſſa crebreſcunt miracula, necnon innumera mortalibus per ipſorum pias interceſſiones præſtantur beneficia. Horum quoque commoda, quam luculenter ad tumbam iſtius Confeſſoris, de quo nobis eſt ſermo, è cælis miniſtrata ſint, poſt pauca breviter edicam, quo minus protelem caritatem fraternam, ad hæc & ad alia percipienda non modice avidam. Enimverò fama evolitante virum Dei oppetiiſſe, ex induſtria credentum apud Deum illum vixiſſe, in id rata rerum miniſtratio proceſſit, ut ſub feſtinatione ad exſequias tanti patris concurreretur à multis, cum ſumma devotione cordis. Inter quos erat Henricus Hypatos, tunc forte principatum tenens ſuper populos Noricos & *Karinthios*, * poſt paucos vero annos Rex futurus non ſolum Germaniæ ſive Galliæ, ſed etiam Imperator totius Italiæ, atque Auguſtus Cæſar civitatis Romanæ. Is aſſumto ſecum Gebehardo epiſcopo, qui antea ſancto viro ex parte contrarius fuit, ſed tum, teſte lacrymarum fonte, immutatus mente advenit, ſervo Dei in ſepultura humiliter obſequendo ſe ſervum præbuit ſummo humili dominorum Domino. Nam in unum congregatis, & ad funus pii Abbatis officioſe concinentibus pænè omnibus Ratiſbonæ Deo ſervientibus, ipſe princeps propriis humeris non erubuit feretrum portare, necnon accuratius ſepulturam parare. Demùm introivit foſſam ſepulcri, & ipſe clauſit arcam, quæ jam ſuſcepit corpus viri Dei, ac ſibi claviculam ejuſdem arcæ pro pignore cariſſimo elegit, & nihilo minus poſtea in faſcibus conſtitutus regni, eamdem ſemper ſecum, velut inſigne triumphi, reſervavit ſive retinuit.

* *al. manu.*

22. Nam quod beatiſſimus Abbas Ramuoldus ad tempus compulſus eſt Ratiſbonenſe cœnobium deſerere, ac Treverenſe repetere, cauſa exſtitit civile bellum, quod erat inter Henricum ducem & Perchtolfum marchicomitem, atque inter ceteros optimates principis Ottonis * *tum civitatem Ratisbonenſem obſidentis.* Quo ſedato, & quaſi innuente beato Emmerammo, per loci ſui proviſorem repedatum iri, ſenior venerandus à Treverica civitate Hiatoſpolim eſt reverſus; inde ſecum transferens multas ſanctorum reliquias. Harum quoque ſalutaris allatio exſtitit cauſa cryptæ apud ſanctum Emmerammum ædificatæ: cujus ædificatio per virum Dei ſatis artificioſe ordinata, trifariam necnon quadrifariam ſpeciem intuentibus exhibet, & quia hujus operis auctor ſanctam dilexerit Trinitatem, atque

* *al. manu.*

Cryptæ à S. Viro ſtructæ deſcriptio.

[a] Is poſtea fuit epiſcopus Hildesheimenſis cujus vitam inferius habes ad an. 1038.

Digitized by Google

quatuor Evangeliorum firmiter tenuerit fidem, quaſi quodam teſtimonio credibile perhibet; columnæ verò, quæ eamdem crypticam eccleſiam ſuſtentant, dualitate ſua geminam dilectionem, Dei ſcilicet & proximi, pulcherrimè compingunt. Quinque autem altaria, in quibus totidem pyxides collocatæ cum reliquiis, quas prænominatus heros de Lotharingia tranſtulit, quinque librorum Moyſi principalem obſervantiam in memoria monent teneri, & in quinque ſenſibus corporis hortantur quinariam prudentiam ſemper haberi. Sextum quidem altare, quod dicitur ad pedes, ſenarii perfectione denuntiat omnia concludi. In hac ergo tam typifera baſilica, à beato Vvolfgango in honore ſanctæ & individuæ Trinitatis & omnium ſanctorum dedicata, venerabillimus pater Ramuoldus in ſepulcro, quod ſibi ante quindecim annos jam paraverat, in auſtrali latere ejuſdem cryptæ, ſecùs altare beati Gregorii Papæ eſt depoſitus, atque magnifice ſepultus, adſtante pariter & pſallente clericorum ordine, & nihilo minus concinente monachorum grege, necnon virginum, ſive ſanctimonialium trina concione, animam tanti patris ſummo Patri commendante. Poſt hæc, ô Ammonici, ad temperandum miraculum clauſtri vel claviculæ tanto à principe ob humilitatem arreptæ, ſeu ob religionem abreptæ, ſatisfactionalem unum ſacræ Scripturæ verſiculum caritati tuæ meapte placet ſubnectere. Sic enim dicit Dominus ad quemdam electum ſuum: *In illo die ſuſcipiam te ſervum meum: & ponam te ſicut ſignaculum in conſpectu meo, quoniam elegi te.* AMMONICIUS. Pigmenta cum teruntur, in meliorem uſum convertuntur, ita & tu cum per quæſtionem provocatus fueris, in dictando & in ſcribendo, tibi & proximo utilior eris. Ecce dum parvam conatus es abſolvere quæſtiunculam, non ſolum grandem promoviſti ſententiam, ſed etiam agilitate divinitus conceſſa, adeo eam feciſti feſtivam, ut lapides quodammodo cogeres eſſe loquaces. Proinde quod nunc reſtat, erit ſtrenuè agendum, pedibuſque caritatis * *hoc iter* tuapte incedendum, id eſt, ut miraculum quod perduxiſti ad propheticum ſignaculum, ſequantur miracula & ſigna, quibus poſt mortem probetur hominis Dei vita. COLL. Paratus ſum, Domino concedente, ſecundum petitionem tuam facere, quandoquidem & ipſum me ſcio tibi antea ſpopondiſſe.

ANN. CH. M I. JUN. XVII.

Aggæi II.

* al. manu.

23. Quidam homo venit ad ſanctum Emmerammum petiturus ſuffragia ſanctorum. Is quia erat dæmone poſſeſſus, coram omnibus nimium eſt fatigatus. Tunc fratres qualem patrem noviter ſepeliſſent recordantes, fecerunt hominem duci, immo trahi in cryptam viri Dei corpore dotatam. Ubi diu volutatus & à poſſeſſore *pluſquam malè diſcerptus* cœpit *ſtridere & cum fremitu* clamare, necnon cum conviciis *maledicendo* perſtrepere, dicens: Væ tibi Ranvolt, quia domino meo multa mala feciſti, & per te ſui juris multum perdidit, ob hoc etiam die noctúque laboraſti, ut illi injuriam faceres, & Deo tuo quoſcumque poſſes, colligeres; ac ſuper hæc omnia modo me incendis, & magnam vim ingeris. Cumque ſub hujuſcemodi angoribus demum caput miſeri hominis pavimento tam valide imprimeret, ut eum pæne mortem obire compelleret, accurrentes qui aderant, levaverunt eum, & traxerunt ad tumbam Confeſſoris Chriſti. Ibi quoque ut illum viribus diaboli periculoſe renitentem vix compulerunt caput inclinare, ac ſuper ſepulcrum ponere, gratia Dei liberatus eſt. Quo ſigno lætificati, qui per compaſſionem prius erant mæſtificati, gratias Redemtori retulerunt magnificas, non tantum per hoc, quia homo à poteſtate diaboli eſt ereptus, quantum pro eo quod per præſens magnale revelatum eſt, cujus meriti ſit Pater, qui inibi nuper ſepultus fuerit.

Miraculis mortuus claret.

24. More ſolito peregrinis & civibus ad feſtivitatem ſancti Emmeram-

Cæca viſum recipit.

Digitized by Google

Ann. Ch. M I. Jun. xvii.

mi undique confluentibus, inter ceteros qui accurrerant, quædam muliercula oculorum privata lumine advenit, quæ tempore nocturno felicem cryptam intravit, & ad ſepulcrum confeſſoris Chriſti Ramuoldi adoravit, ac preces cum lacrymis fudit. Tunc omnipotens Dominus volens famulum ſuum clarificare inter mortales, per ineffabile numen, illi, quæ cæca fuerat, reddidit lumen. Mulier autem ſurgens vocavit maritum ſuum in aurem illi dicens: Domine, Deo gratias, quia viſum recepi. Quo non credente, & illa è contrario ſigna certa monſtrante, infit: Silentio factum opprimere debes; quia clanculum tibi & mihi agendum, ut ante lucem egrediamur de civitate. clericus enim ſum, & ideo erubeſco in tanta multitudine tecum conſiſtere. Cumque tenebrarum conſilio conſentiens femina recenter illuminata, cum clerico ſine cautela repedaret ad propria, extemplo per incommodum ſibi valde aliena eſt cæcitate percuſſa.

Iterum punita, facta confeſſione ſanatur.

A m m. Ergo tu, ô Collectici, quia poſt triſtitiam induxiſti lætitiam, & huic denuo ſubjunxiſti mæſtitiam, competens eſt, quod ſi Dominus tam gravi infortunio aliquod remedium in id temporis contulerit, caritas tua jure dialogi otius explanet. C o l l. Redemtoris noſtri gratia remediorum neſcit carere copia, in cujus plenitudine confiſa mulier prædicta, ſub ſpe luminis percipiendi iterum Ratiſbonam devenit; & accedens ad locum ſepulcri, ubi antea magna ſenſit beneficia, per confeſſionem primum ſe coram ſacerdotibus expiavit, & quid illi acciderit manifeſte retulit; dein ſolo tenus proſtrata, & nihilo minus mente humiliata, necnon precibus Deo dilecti Confeſſoris celeriter adjuta, per fontem omnium bonorum recipere meruit male perditum lumen oculorum. Tunc gratias ingentes Deo retulerunt, tam ipſa quam & ceteri qui hæc audierant & viderant; ſicque proprios lares unuſquiſque cum gaudio reviſit, portans ſecum triplex miraculum, quo ſancta Trinitas dignata eſt declarare pium abbatem Ramuoldum ſuum fuiſſe fideliſſimum famulum, utpote qui ſe verum dilexerit Dominum.

Duæ energumenæ liberantur.

25. Alio quoque tempore, fama miraculorum citatæ venerunt duæ feminæ ad ſanctum Emmerammum, ambæ diabolica vexatione permiſeræ; quarum emundationem ſeu liberationem divina pietate à Sanctorum caritate venerando patri Ramuoldo conceſſam fuiſſe, in hoc claruit evidentiſſime, quod eædem mulierculæ **prius ad memorias aliorum ſanctorum adducta nec redemta*, *poſt vero uno eodemque*, *ſed* diverſo tempore famoſam cryptam ingreſſæ, & ad ſepulcrum beati viri exorcizatæ, per unum eumdemque Dominum à peſſimo invaſore ſunt miſericorditer liberatæ, &c.

* al. manu.

Mulier à fuſo volæ adhærente.

26. Tempore quodam cum à Chriſticolis hominibus, non ſolum de ipſa Ratiſbonenſium civitate, ſed ex ejuſdem ſuburbanis locis concurreretur ad eccleſiam ſancti Emmerammi martyris; in ceteris qui convenerant, mulier quædam acceſſit cum pignore miraculi recentis. Adhæſit enim illius manui fuſus, filorum tortione confertus, quem cum nullatenus è vola divellere, nec ullo modo tam grande malum à ſe quiret repellere, anxia demùm venit ad ſepulcrum venerabiliſſimi patris Ramuoldi; ubi cum adoraret, atque cum lacrymis preces funderet, ſub ſpe ſalutis manum tremulam ut primum poſuit ſuper beati viri tumbam, mox per potentiam dominicæ manus homo ſuam inde levavit ſanus. Tum qui fortuitu huic facto intererant, necnon æditui qui accurrerant, gratias agentes Deo & beato viro, ſuſpenderunt eumdem fuſum poſteris ad magnale oſtendendum, in coronula quæ ſuper idem ſepulcrum pendebat argentea. Hoc ſignum ipſi nos vidimus, & manibus noſtris palpavimus, & ſcimus quia verum eſt noſtrum hac in parte teſtimonium, ac non ignoramus quia per hoc recens miraculum, ſicut & per cetera ſanationum beneficia, cunctipotens Dominus mirificare voluit Sanctum ſuum.

27. Te

Digitized by Google

27. Te ſcire volo, ô Ammonici, quia ſanitatis beneficia quæ paullò ante prænotavi ad ſepulcrum beati Ramuoldi Chriſti confeſſoris, expertus ſum in abſumtione propriæ infirmitatis. Nam cum puer eſſem, & in loco requietionis beati viri perplures ſanitati redditos audiſſem, febre nimium affectus, & ob hujus relevationem in pavimento projectus, perſuaſus conſilio cujuſdam Sacerdotis, qui ejuſdem pii Patris dum vixerat exſtitit familiaris, tentavi me ibidem ſomno dare. Cumque aliquantiſper ſoporatus fuiſſem, per ſomnum vidi Patrem reverendum habitu monaſtico indutum, quaſi ſedere à dextris altaris beati Emmerammi martyris. Cujus venerandam canitiem intuitus, mirabar ſuper pulcritudine vultus ejus, necnon ſuper candore ceterorum membrorum illius. Qua viſione valde lætificatus, qui antea fui fatigatus ſurrexi ſanus, Deo gratias referens, quia ſenſi levamen ſalutiferæ manus, &c.

ANN. CH. M I. JUN. XVII.

Ipſe auctor à febre liberatur.

28. COLLECTITIUS. Per caritatem paratus ſum proximi voluntatem ſeu dilectionem ſequi, quæ omni homini Chriſtiano, ſi recto tramite incedit, æternam felicitatem paritura erit. quod Apoſtolus confirmat, dicens: Dilectio proximi malum non operatur. plenitudo ergo legis eſt dilectio. Igitur poſt reverendum patrem Ramuoldum, magnæ ſcilicet memoriæ virum, regimen hujus monaſterii ſuſcepit Abbas VVOLFRAMMUS, & ipſe in manſuetudine, ceteriſque virtutibus Dei ſervus. Hic habuit ſucceſſorem ex collegio fratrum Abbatem electum, nomine RIHBOLDUM. Huic ſucceſſit dominus HARTUVICUS magnæ virtutis amicus, qui ſponte deſerens præſulatum cœnobii, reliquit Abbatiam domino BURCHARDO regendam. Quo defuncto, divina, uti ſperamus, providentia, neceſſitatibus noſtris deſtinavit virum venerabilem, pariter & amabilem, dominum videlicet UDALRICUM, prius in canonica vita plurigena probitate decoratum, nunc autem regulariter & monaſticæ huic congregationi prælatum. Beatus ergo Ramuoldus qui deſiderium ſuum, quod habuit in Dominum, optime prodidit, vocabulo arietem volentis, id eſt, Chriſtum deſiderantis, primus proviſor hujus loci ſecundum regulam exſiſtens, hunc qui modo nobiſcum regimen cœnobii miniſtrat, à ſe numero ſextum, merito demonſtrat ſecundum. Sub quo nobis optamus, ut liceat ſenarium ſacramentum diu celebrare, necnon divina confeſſione, cetera ſtudia pietatis opere & verbo exercere.

1. Cor. 13. Roman. 13.

Abbates S. Emmerammi.

DE V. FINGENIO ABBATE.

ANN. CH. M. IV. OCT. VII.

Ubi etiam de ADALBERONE ſecundo, epiſcopo Mettenſi.

1. *INTER illuſtres Scottos, qui ſeculo X. in Galliam monaſticæ vitæ gratiâ ſe receperunt, unus ex præcipuis fuit* FINGENIUS, *qui poſtea cœnobiorum ſancti Vitoni apud Virdunum, & apud Mettas ſancti Felicis ſeu ſancti Clementis, tum ſancti Symphoriani abbas fuit.*

2. *Monaſterium ſancti Vitoni epiſcopi Virdunenſis, qui ineunte ſeculo ſexto devixit, ſepulcro & nomine illuſtre, jam inde à ſeculo ſeptimo vel octavo Abbates habuit, quos inter* MADALVEUS epiſcopus & abbas *nominatur Caroli M. ineunte principatu. Huic Madalveo incrementum ſuum debet iſta eccleſia,* in qua *ipſe* adoleverat: cui primo paſtor & rector inſtitutus, de qua etiam ad pontificium promotus fuit, *& ubi* ſepulturæ ſuæ locum elegit, *teſtante Hu-*

S. Vitoni monaſterium.

Digitized by Google

Ann. Ch. M. IV. Oct. VII. *Labbe t. 1. pag. 113.*

gone abbate Flaviniacenſi, ejus loci monacho. Licet enim omnium eccleſiarum inſudaret utilitatibus, hanc tamen præ omnibus locis ſacris poſt primam, quæ ſedes eſt epiſcopalis, coluit, amplificavit, & provexit. Quod etiam omnes prædeceſſores ejus feciſſe novimus, utpote qui, exceptis perpaucis, omnes in ea ſedem habent requietionis. Accepit hoc privilegio donum eccleſia ipſa à beato patre, debito cum honore nominando, Sanctino ſuo fundatore, primoque Chriſtianæ religionis & nominis apud ipſam urbem doctore, ut poſt matrem eccleſiam ipſa eſſet caput omnium Virdunenſis diœceſis eccleſiarum, à qua & mater eccleſia ipſa ſubſiſtendi accepiſſet initium: quæ etiam eſt ab antiquo, ab ipſis ſcilicet naſcentis Eccleſiæ primordiis, cœmeterium Epiſcoporum, & reliquorum fidelium Chriſtianorum. Quod privilegium ita permanet & permanſit inconvulſum, ut in ea fere omnes ejuſdem urbis Pontifices leguntur divinis aptati ſervitiis, tonſorati, nutriti, edocti, conſecrati, excepta ipſa inunctione pontificalis dignitatis, quam conſtat eſſe matris eccleſiæ: & frequentiùs qui in ea functi ſunt Abbatis officio, per virtutum ſtudia inthronizati ſunt in ſolio epiſcopali.

Monachis traditur. *Ibid. p. 131.*

3. *An tempore illorum Abbatum in ea eccleſia fuerint monachi, mihi non ſatis compertum eſt: at conſtat clericos ibi exſtitiſſe à ſæculo IX. ſed tandem Berengarius Virdunenſis antiſtes* anno epiſcopatus ſui duodecimo, ab Incarnatione CM. LI. *videns filios ſuos, id eſt clericos, ad perfectionem anhelare*, & dolens quoſdam eorum perfectioris vitæ deſiderio ad vicinas diœceſes commigrare, & monaſticum ordinem, quia in ipſa Virdunenſi urbe non inveniebatur, alibi expetere; communicato cleri procerumque conſilio, in ſæpe fata eccleſia ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli honore dedicata, monachorum delegit turmulam aggregare, qui & propenſiùs divinis deſervirent cultibus, & omnibus Chriſto adhærere volentibus formam darent humilitatis & patientiæ: ut & ſic non cogerentur ad alia ſecedere, qui haberent paratum præ oculis ſpecimen religionis..... Expulſis ergo clericis monachos introduxit, quibus & ex ſua proprietate, & de rebus matris eccleſiæ annuos proventus redituum, & victus veſtituſque neceſſaria præordinavit, & congrua officinarum habitacula præparavit... Abbatem quoque eis inſtituit Humbertum de cœnobio ſancti Apri, virum religioſum, *qui Virdunenſis antea eccleſiæ Canonicus fuerat. Hæc omnia Berengarius ipſe exponit in litteris ea de re conditis, ab Hugone Flaviniacenſi relatis, in quibus hæc leguntur.* Noverit omnium Catholicorum, tam præſentium, quàm futurorum induſtria, quod ego Berengarius, ſanctæ Virdunenſis eccleſiæ nomine non merito epiſcopus, anno meæ ordinationis duodecimo, memor noſtræ eccleſiæ Fratrum, quorum maxima pars Dominica verba ſæpius ſequebatur dicentia, *Vendite quæ poſſidetis, & date eleemoſynam, & habebitis theſaurum in cælo, & ſequimini me;* fugientes terrena, & amantes cæleſtia, noſtræ congregationis locum deſeruêre, & monachicam vitam ſumentes, cœnobia extra noſtram parochiam tentabant adire: ne poſtmodum noſtra eccleſia de proprio theſauro ſuo pateretur damnum, favente ſeniore noſtro glorioſiſſimo Rege OTHONE, ac CONRADO Lotharii regni Duce magnifico, congregatiſque noſtræ eccleſiæ fidelibus clericis & laïcis, pari voto atque communi conſultu decrevimus in noſtro epiſcopio quoddam Monaſterium Domino annuente ſtabilire, in quo noſtræ eccleſiæ Fratres activam vitam fugientes, contemplativæ vitæ ſolatium futuris temporibus valerent invenire. Tunc communi conſilio evocavimus domnum HUMBERTUM religioſum Abbatem, qui ab ipſis infantiæ rudimentis in noſtra eccleſia fuerat educatus, & præbendâ noſtræ Canonicæ perfruitus, noſtri etiam Epiſcopii baptizatus atque parochianus, donec infraſcriptum aliorum Fratrum exemplum ſecutus, pro æterna retributione

Abbas I. Humbertus.

Digitized by Google

monachicam vitam ſumſit, ac communi cleri & plebis concordia, & eorum noſtrorum Canonicorum, qui tunc temporis monachicam alioſum nitebantur accipere vitam, conceſſimus ei quoddam Monaſterium ad conſtituendam congregationem Monachorum in honore ſancti Petri Apoſtolorum principis ſtabilitum, in quo requieſcunt corpora ſanctorum Confeſſorum atque Epiſcoporum Vitoni, Pulcronii, Poſſeſſoris, Firmini atque Madelvei, cum omnibus rebus ad eamdem Abbatiam pertinentibus, &c. *Condita eſt charta* anno Dominicæ Inc. CM. LII. Indict. IX. Concurr. IV, epacta XXII. *cique præter Berengarium & alios ſubſcribunt* Humbertus & Vodo *Abbates.*

Ann. Ch. M. IV. Oct. VII.

4. *Eodem Berengario flagitante Otto M.* fecit privilegium eccleſiæ ſancti Vitoni de omnibus rebus ad eam pertinentibus, juſtè conceſſis & concedendis, & eccleſiam ipſam ſive monaſterium confirmavit Virdunenſi eccleſiæ; ſtatuens atque promulgans, ut filii eccleſiæ Virdunenſis, qui ſæculum deſerere voluiſſent, in eo monaſticum habitum ſuſciperent, nec ad externa monaſteria demigrarent. Quod & ipſe domnus Berengarius adimplere ſtuduit, dum rejectâ prælationis ſarcinâ, ut juſtus juſtificaretur adhuc, monaſticum habitum ſuſcepit in eodem cœnobio, ſerviens Deo in incorruptione modeſti & quieti ſpiritus: & nihilo minùs invigilans ſaluti commiſſarum ſibi animarum pro votis populorum, qui nolebant alteri in vita ejus ſubeſſe. *Hujus ſeceſſus occaſio inde nata eſt, quod cùm is nocturnam ſynaxim prævenire ſolitus, ſanctæ Mariæ principalem eccleſiam frequentaret; aliquando offendit in Bernerium clericum ejuſdem eccleſiæ præpoſitum*, qui tunc fortè ſolo proſtratus matutinarium beatæ Virginis decantabat officium: quem Pontifex ſolo hærentem ſibi non aſſurrexiſſe videns, pede percuſſit: *in cujus facti pœnam, pes ipſi* aruit, ex quo omnibus diebus vitæ ſuæ claudicavit, *prout Hugo fuſiùs ibidem commemorat.* Sed didicit in ipſa ſua infirmitate greſſus rectos facere, ubi quod arrogantia deliquerat, ſtuduit humilitate corrigere, *errati culpam confeſſus* in conventu eccleſiæ. *Tum* paucis admodum interpoſitis diebus, monaſterium petiit Epiſcopus, & humilitatis veſtitus amictu, ſerviebat pauperibus, pauper & ipſe ſpiritu. *Hæc omnia ſtrictim etiam refert in Virdunenſium Epiſcoporum hiſtoria Bercharii continuator, qui Berengarii caſulam*, quâ indutus erat in ſepulcro, *ſe vidiſſe teſtatur. Berengarii obitus contigit ſub annum* CM. LXXXII. *Ei ſucceſſit Vuigfridus epiſcopus*, qui prædeceſſoris ſui imitator factus, in ſuburbio Virdunenſi cœnobium ædificavit, & aggregatâ monachorum turmâ corpus illuc ſancti Pauli epiſcopi (*cujus vitam in Sæculo 2. retulimus*) levatum de loco quo jacebat, in feretro argenteo recondidit, victumque Fratribus, qui loco eodem Domino deſervirent, ex redditibus Epiſcopii providit.

Berengarius monachus. *ibid. p.* 134.

Spicil. t. 12. *p.* 262.

Hugo Flav. p. 157.

5. *Longè ante Berengarium è vivis migravit venerabilis Humbertus abbas ſancti Vitoni à monachorum inſtitutione primus, cujus obitum Hugo Flaviniacenſis collocat anno ab Incarnatione Domini* CM. LXXII. *quo anno* Humbertus abbas obiit prid. Nonas Decembris, & ADELMARUS in locum ejus ſubſtitutus eſt. *Et in parte ſecunda:* Defuncto quoque Adelmaro abbate monaſterii ſancti Vitoni v. Kal. Januarii ADELARDUS ſubſtitutus eſt: & hoc defuncto XIII. Kal. Januarii ERMENRICUS ſucceſſit, qui in quantum valuit, locum ampliavit. Hoc etiam ad ſuperna tranſvecto VI. Kal. Septembris, ROHALDUS ſucceſſit, & Rohaldo LAMBERTUS. Poſt quem raptus eſt de cœnobio ſancti Felicis Mettenſis domnus FINGENIUS Scotorum progenie oriundus, quia locus idem per manum laïcam aliquantulum neglectus erat, ad reſtaurandum eum ibidem Abbas eſt ordinatus: cujus adventum, peregrinationem, & converſionem qui plenius noſſe deſiderat, in vita Theoderici eximii Mettenſis Epiſcopi ſcire poteſt. Et hoc quoque defuncto, cùm jam poſt Adalbertum Virdunenſem epiſcopatum Heimo

Humberti obitus & ſucceſſores. *Hugo Flav. pag.* 136. & *p.* 159.

Fingenius ibidem abbas.

Digitized by Google

ANN. CH. M. IV. OCT. VII.

ſortitus eſſet, domnus Richardus locum illum regendum ſuſcepit, &c. *De Richardo Abbate ſuo loco inferius.*

6. *Magnopere dolendum eſt hanc Theoderici ſeu Diederici Mettenſis epiſcopi, ſub quo Fingenius in Galliam venit, vitam eſſe amiſſam, aut certè in lucem nondum productam: ex qua ſcilicet Fingenii facta reſcire poſſemus. Sed quando nos deficit iſtud monumentum, pauca quæ nobis reſtant, de hoc Abbate hìc dicenda ſunt.*

Mettis antea monachus & abbas apud S. Felicem.

7. *Ex verbis Hugonis Flaviniacenſis conjicere licet, Fingenium ex Hibernia in regnum Lotharii acceſſiſſe tempore Theoderici Mettenſis epiſcopi, & ab eo in illa urbe retentum fuiſſe, ſive à Cadroë tum abbate monaſterii ſancti Felicis, ſeu ſancti Clementis, ipſius Fingenii populari, cujus ſuaſione & exemplo monaſticam vitam in eodem monaſterio profeſſus ſit. Eidem poſtea ſucceſſit Fingenius in abbatiali dignitate, antequam ad regimen ſancti Vitoni accerſeretur. Ejus tempore Otto tertius* ob petitionem domni Fingenii venerabilis abbatis ſub monaſterio ad honorem beatiſſimi confeſſoris Felicis conſtructo, juxta Mettenſem urbem ſito, *confirmat omnes ejus monaſterio poſſeſſiones, talem ei concedens tuitionem,* qualem bonæ memoriæ pater *ipſius* Otto, tempore ſanctæ memoriæ Cadroëlis, jam dicto *monaſterio conceſſerat. Hoc diploma relatum eſt in libro* VI. *de re diplomatica, num.* CXLV. *datum Incarnationis Domini anno* DCCCCXCI.

Item apud S. Symphorianum.

8. *Eodem tempore ab Adalberone ſecundo Mettenſi epiſcopo in monaſterio ſancti Symphoriani, quod idem præſul inſtauraverat, abbas inſtitutus eſt Fingenius, ut legitur in actis ipſius Adalberonis. Idem probat Ottonis tertii præceptum à Meuriſſio relatum. Quippe in civitatem Mettenſem accitus, monaſterii ſancti Symphoriani abbas ab eodem ordinatus eſt, ut legitur in actis ipſius Adalberonis, qui iſtud monaſterium reſtituit. Ottonis tertii ea de re diploma Meuriſſius refert, in quo exponitur,* quomodo Adalbero Mettenſis eccleſiæ *epiſcopus ad ipſum venerit,* dicens, quòd Abbatiam quamdam, foris muros Mettis civitatis ſitam, jam longo tempore deſtructam, pro Dei amore & ſancti Symphoriani martyris noviter cœpit reædificare, humiliter deprecans, ut eadem Abbatia cum ſuis pertinentiis *regiæ* auctoritatis præceptione confirmaretur. *Aſſenſit Otto* ea ratione, ut Abbas primus, nomine Fingenius, Hibernienſis natione, quem ipſe prælibatus Epiſcopus tunc temporis ibi conſtituit, ſuique ſucceſſores Hibernienſes monachos habeant, quamdiu ſic eſſe poterit: & ſi defuerint ibi monachi de Hibernia, de quibuſcumque nationibus ſemper ibi monachi habeantur. Datum VIII. Kal. Februarii, anno Dominicæ Inc. CM. XCII. Indict. V.

Atque S. Vitoni.

9. *Ex monaſterio ſancti Felicis idem Fingenius poſt Lambertum* raptus eſt ad *prælaturam cœnobii ſancti Vitoni, ut ex Hugone Flaviniacenſi jam retulimus. Per id tempus in eum locum accepit Richardum virum piiſſimum, futurum poſt ſe ſancti Vitoni Abbatem, cujus acta inferiùs.* Procedente *ſiquidem* tempore, *domno Fingenio Abbate ad ſuperna evecto* VIII. Idus Octobris, & in monaſterio ſancti Felicis tumulato, electus domnus Richardus conſona omnium voce, *qui* ordinatus eſt anno ab Incarnatione Domini M. IV. *qui proinde Fingenii vitæ extremus cenſendus eſt. In Necrologio ſancti Clementis memoratur* VIII. *Idus Novembris* Fingenius bonæ memoriæ abbas & rector hujus loci, qui jacet ante aram ſancti Johannis in ſiniſtra parte. *De ejus cultu nihil inſtitutum, tametſi ſanctus in actis Adalberonis ſecundi epiſcopi Mettenſis appellatur.*

Obitus ejus.

Succeſſores.

10. *Ergo, ut mox dicebam, Fingenio ad ſanctum Vitonum ſucceſſit Richardus: Mettis verò ad ſanctum Clementem Haimo, ad ſanctum Symphorianum Siriaudus, ut conſtat ex actis Adalberonis ſecundi, non verò Conſtantinus, ut in Gallia Chriſtiana legitur, quem Conſtantinum tertio loco præfuiſſe inde colligimus. Id ſi ita eſt, vitæ Adalberonis ſecundi ſcriptor non alius cenſendus, quàm ipſe Conſtantinus. quod hæc auctoris verba probant, ubi Abbas ab Adalberone ordinatos recenſens, ait duos in quibuſdam cœnobiis, treſve ab eo promotos Abbates,* ut eſt indicio, *inquit,* hic ſacer locus, cui Deo auctore, licet indigniſſimi, præſidemus,

Digitized by Google

dum præcedentibus duobus ſanctis & venerabilibus Patribus, Fingenio ex Hibernia (nam Scoti & reliqui ſancti peregrini ſemper ſibi dulciſſimi habebantur) & domno Siriaudo, *in titulo vitæ* Siviardo, ex Gorziæ ferulis ad regendum abducto, nos qui hæc ſcribimus, benedictione hujus beati Pontificis, tertio loco, regimini ſuccedere compulſi ſumus: ſancto Trudoni duos, ſancto Adelpho duos, ſancto Felici itidem duos, ſancto Martino ultra fluvium duos. *Ex his manifeſtum, tres illos priores, non ſancti Felicis ſeu Clementis monaſterii, quod poſtea nominatur, ſed ſancti Symphoriani Abbates fuiſſe: ac proinde Siriaudum ſecundo loco reponendum, tertio Conſtantinum, ſi non alius præceſſit: qui ſanè vitæ Adalberonis ſecundi ſcriptor cenſendus ſit.* Ann. Ch. M. IV. Oct. VII.

11. *Vita hæc typis apud Labbeum vulgata eſt in Tomo* I. *Bibliothecæ novæ, lectu quidem digniſſima ad res noſtras illuſtrandas. Adalbero* patre Friderico, Galliæ medianæ Duce, matre Beatrice, magni Hugonis filia, progenitus *memoratur.* Scholaribus diſciplinis apud Gurgitenſes (*ſic Gorzienſes noſtros vocat*) caſtiſſimè nutritus & inſtitutus, defuncto memorandæ vitæ Deoderico Pontifice, Meti Præſul conſtituitur XVII. Kal. Novemb. anno Dominicæ Inc. CM. LXXXIV. Indict. XII. Interim benedictio ſacerdotalis uſque in Chriſti Domini natalem differtur. Et quia Dominicus dies ad hoc ſacramentum peragendum à Patribus eſt inſtitutus, V. Kal. Januarii, quo natalis Innocentum celebris veneratur, Dominicali reſurrectione Domini ſacratus, *Adalbero conſecratus eſt.* Servorum Dei, & præcipuè monachorum amator ferventiſſimus, adeo ut à laïcis aſſiduè laceratus ac corroſus, nihil præter monachos curare infamaretur. Conviviis virorum ſanctorum, & monachorum maximè, ſic delectabatur, ut felicem ſe eo die fateretur, quo cum eis prandere contingeret. Adalbero ſecundus.

12. Primordia ac primitiæ actuum ipſius ad divinos uſus, & ad exercendos animos in his quæ pietatis ſunt, ſancti Symphoriani locus exſtitit: qui licet antiquitate nihil præter ruinas & caſus prætenderet, ſitus amœniſſimus vineiſque uberrimus, ac urbis vicinio honorabilis, ſanctorum multiplicitate, & (quod eſt decentius) ſedis Pontificum numeroſis corporibus famoſiſſimus, cor Adalberonis & mentem, *ut locum* in redivivam gratiam *reſtitueret*, induxit. Poſtquam verò locum hunc Deo ſtabilitum reddiderat, & monachorum copiâ pulcherrimâ, quos undecumque collegerat, honeſtiſſimum fecerat, *Romam profectus eſt Johanne* XV. *Pontifice, qui eum honorificè ſuſcepit.* S. Symphoriani monaſterium reſtituit.

13. *Inde reverſus Xenodochium Mettis inſtaurat, ibidemque*, aggregatas ancillas Dei ad laudes perpetuo Creatori omnium celebrandas ditat. *Præterea in* Bliſacenſi pago *monaſteriolum, in ſanctæ Trinitatis honore ab Adventio Epiſcopo cœptum, à Rotberto ejuſdem ſedis Pontifice perfectum, qui locus* corpore ſancti Terentii confeſſoris atque Pontificis Mettenſis inſignis *erat, feminis Deo dicatis tradidit, eiſque* ſumtus ampliſſimos ad vivendum condonavit. *Item* in pago Calvomontenſi locum quemdam inter Moſellam & Pontem, qui in devexa ſui parte caſtrum habens, ex accidenti ruſticorum lingua *Spinal* vocatum, divino famulatui aptum reperiens, *Deodericus* ibi monaſterium conſtruxerat, conſecrans illud Deo & ſancto Goërico, cujus ſacratiſſima oſſa ab urbe Mettenſi *iſtuc* tranſtulit. *Adalbero verò eo in loco primo quidem clericos, deinde* ancillas Chriſti ſub regulari vita & ſub inſtitutione Patris noſtri beati Benedicti bene edoctas *inſtituit.* Miſſas & Sacramenta divina ſine cilicio numquam celebravit. Vigilias Natalis Domini & ſancti Paſchæ, ſanctæque Pentecoſtes, & omnium ſanctorum Apoſtolorum, & præcipuorum Martyrum ſine aliquo cibo ſemper tranſigebat. Quadrageſimæ dies ſine monachis, ſi in patria demorari poterat, numquam celebrabat. quod præcipuè apud Gurgitenſes facere conſueverat, quia locus idem & ſacræ religionis diſtrictione inſignis, & divitiis opulentus, & ſitu amœ- Alia ejus facta.

Digitized by Google

ANN. CH. M. IV. OCT. VII.

nitateque gratiſſimus, ad divinos uſus placidum quietumque otium exhibebat.

Obitus & ſepultura.

14. *Denique mortuus anno* M. V, *in monaſterio ſancti Symphoriani, uti optaverat, ſepultus eſt:* qui locus multis ſanctorum prædeceſſorum ſuorum Pontificum Mettenſium corporibus inſignis & celebris habebatur. *In eadem vita memorantur* ſanctus Æpletius, domnus Papolus, cui ſanctus Arnulfus in epiſcopatu ſucceſſit, qui eidem loco multa prædiorum beneficia contulit: beatus Goëricus, noſtris temporibus, *inquit auctor*, memorabilis miraculorum operator; & ſanctus Godo germanus ejuſdem Pontificis Goërici, qui ſancti Arnulfi etiam ſanguine & carne affines in epiſcopatu ſucceſſerunt: domnus Aptatus, domnus Felix *& alii. Sepultus eſt autem Adelbero* juxta altare ſancti Symphoriani ad lævam, *prout ipſe mandaverat:* quò Sacerdos ad celebranda ſacro-ſancta myſteria menſæ adſtans divinæ ejus jugiter memoretur, cujus tumulus corporis præ oculis venerandus habetur & cernitur. *Monaſterium ſancti Symphoriani per funeſtas bellorum tempeſtates, atque alia ſancti Arnulfi, ſancti Clementis, & ſancti Martini, ſolo aquata, nunc intra urbis muros reſtituta ſunt, excepto ſancti Martini cœnobio, quod penitus exſtinctum eſt. Hac paullo fuſius ex actis Adalberonis retulimus, quod ejus memoriam, cui cum multa debeat Ordo noſter, intactam præterire mihi religio videretur, uti & duorum ejus prædeceſſorum Adalberonis & Diederici, quos ſuis locis celebrare non omiſimus.*

ANN. CH. M. IV. NOV. XIII.

VITA S. ABBONIS ABBATIS FLORIACENSIS.

Auctore AIMOÏNO monacho ejus diſcipulo.

Ex libris editis & codice mſ. Floriacenſi.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Aimoïnus vitæ ſcriptor.

1. *NON facile eſt æſtimare, uter felicior fuerit,* AIMOÏNUS, *quòd magiſtrum ac præceptorem habuerit Abbonem, an* ABBO *ſeu* Abo *ipſe, quòd Aimoïnum Floriacenſem monachum, ſuumque diſcipulum, vita ſua ſcriptorem ſortitus ſit. Aimoïni quippe de Abbone lucubratio ejuſmodi eſt, ut nobis Abbonem ipſum referat, ejuſque dotes ac recte facta egregiè repræſentet. Hac à Johanne de Boſco Cæleſtino primùm typis edita eſt ex mſ. codice Floriacenſi, ad quem denuò libros editos contulimus, reſtituendis quibuſdam locis, quæ apud Boſcium ex difficultate ſcripturæ non parum detrita aut vitioſa erant, aut vacua.*

Alii laudatores.

2. *Præter Aimoïnum varii auctores Abbonem laudibus extulerunt; ſive viventem, ut* FULBERTUS *pòſt Epiſcopus Carnutenſis; ſive mortuum, ut* WILLELMUS *Malmeſburienſis monachus,* ORDERICUS *Vitalis, auctores de geſtis ſancti Oſvvaldi Epiſcopi Vvigornienſis ſuperiùs relati, ac plurimi recentiores. Vvillelmus & Ordericus maximè deprædicant Abbonis*

Abbon's miſſio in Angliam.

miſſionem in Angliam, quæ ſanè miſſio illuſtris fuit, cùm ob reſtitutam monaſticam diſciplinam, tum ob ſtudia litterarum in Anglicanis monaſteriis denuò excitata. Vvillelmus in lib. 3. de Pontificibus Anglorum, ubi de Oſvvaldo: Præterea, *inquit*, litteris excellentes viros in Angliam evocatos munificenter curare, ne illo bono fraudaret patriam, ſine quo cetera bona pæne mihi videntur inania. quorum unus fuit Abbo Floriacenſis monachus, qui multam ſcientiæ frugem Angliæ invexit, qui paſſionem Edmundi martyris, jubente Dunſtano Archiepiſcopo, plenitudini litterarum adjecit. Is domum reverſus poſtea, & ibidem Abbas conſtitutus, ſeveritati religionis ſedulus exſtitit. quem morem cùm in cella quadam cœnobii Floriacenſis, quæ in Waſconia poſita hodieque ad Regulam dicitur, exercere contenderet; non tulit Waſconia, ſed lanceâ exanimatum ſuperis tranſmiſere. *Hæc de ſtudiis Vvillelmus:*

Digitized by Google

Ann. Ch. M. IV. Nov. XIII.

at de monaſtica diſciplina ita ſcripſit Ordericus Vitalis in lib. 4. *pag.* 517. Horum precibus, *nempe Dunſtani, Adelvvoldi, & Oſvvaldi*, Floriacenſis Abbo, ſapiens ac religioſus cœnobita, miſſus eſt trans mare, & monaſticum uſum docuit Rameſiæ & aliis monaſteriis Angliæ, ſicuti tenebatur in Gallia eodem tempore. *Sic Gallia, quæ ſtudiorum doctrinam ab Anglis, Alcuino, aliiſque quondam acceperat, primo quidem per Grimbaldum & Johannem monachos, in Gallicanis cœnobiis inſtitutos, deinde hac ſecunda vice per Abbonem eandem ſcientiæ lucem in Angliam refudit, tertio id præſtitura per Lanfrancum, Anſelmum, alioſque omnes Ordinis ſancti Benedicti commilitones.*

Egregia ejus facta & fama in Gallia.

3. *Neque verò Gallia tanti luminis, quod Abbo tum doctrina, tum pietate circumquaque ſpargebat, potiorem ſibi partem non vindicavit. Non ſolùm enim Floriacenſe, ſed alia etiam circumpoſita monaſteria ab eo illuſtrata ſunt. Unde Fulbertus epiſtolam* 21. *inſcribit* pleno virtutis & gratia circumfuſo cariſſimo Patri Abboni; *atque ejus opem implorat ad componendas factiones, quæ in Carnutenſi ſancti Petri cœnobio ortæ erant de electione Abbatis; tum in fine hæc habet.* Unde jam ad te revertens, venerande Pater, quem ego credo & video ad nitorem à Domino nobis eſſe proviſum, cum Domino meo tuoque fideli Rodulfo, deprecor & obteſtor per ea quæ tibi data ſunt ſapientiæ ſanctæ chariſmata, per dulcedinem fraternæ caritatis, ſi quid potes, impugna hoſtes Domini, fratres alliſos refove, nec perire ſinas inopia ſolatii tui, pro quibus credis eſſe fuſum ſanguinem Chriſti. *Eam ob rem Odolricus Abbas ſancti Martialis Lemovicenſis in Concilio Lemovicenſi de ſancti Martialis apoſtolatu, ait ſe apud monaſterium* ſancti Benedicti per plures annos artibus imbutum liberalibus *fuiſſe, tum ſciſcit quid de ſancto Martiale dixerit.* Pater illius loci Abbo florentiſſimus Philoſophus, quem multi veſtrum, *inquit*, noverunt, & omni divina & ſæculari auctoritate Franciæ magiſter famoſiſſimus, & poſtmodum gladio perſecutoris martyrio coronatus apud Waſconiam. *Sed nihil magis ad ejus elogium facit, quàm ſermo cujuſdam in eadem Synodo Lemovicenſi habitus in dedicatione ſancti Petri. Hunc verò ſermonem vir magnæ eruditionis Stephanus Baluzius, qui mihi ejus fragmentum ex mſ. codice Colbertino communicavit, Ademari Engoliſmenſis eſſe ſuſpicatur. Sic autem habet fragmentum iſtud.*

Perlongum eſt tot patrum rata teſtimonia de ejus (id eſt, ſancti Martialis) ad medium deducere. Unum tamen ex priſcis auctoribus ſuper hoc memoraſſe ſatis ſit, illum certè nominatiſſimum patrem, cui in paſtorali regimine ille totius ſcientiæ vir graviſque auctoritatis ſucceſſit Archiepiſcopus * Bituricenſis, orthodoxæ fidei defenſorem, catholicæ pietatis cultorem, bene noſtis, etſi non viſu, ſed auditu. Jam enim longè antè nos præceſſit, martyrio coronatus, ſanguine fuſo ab impiis paſſus: ad cujus ſepulcrum jam clarere audivimus miracula, verorum teſtimonio comprobata: cujus martyrium etiam in pluribus Eccleſiis more ſanctorum martyrum ſollemniter celebratur. In quo martyre tantum domicilium ſapientia ſibi collocaverat, ut ſui temporis eruditi, quamquam innumeri florerent, præ omnibus tamen auctoritas ejus maximè duceretur, ita ut in tota Gallia & Germania atque Anglorum gente (nam illic quoque famoſiſſimus habebatur) de quacumque ventilaretur quæſtione, ſi quis audiſſe ſe diceret ab illo definitionem, nihil plus auctoritatis requireretur; judicabatur ab omnibus ratum eſſe quod ab ore tanti viri auditum eſſet: qui auctoritate quaſi alter Salomon præcellebat. Et ſi eſſet habitatu vel natu Francus, eloquio tamen Romano clarus, ac ſi alter judicabatur Tullius. In Conciliis patrum coram Regibus & Principibus ſolus propoſita diſcernebat, ſolus omnium magiſter paucis verbis dubitationi finem dabat. Omnes, licèt peritorum peritiſſimi, ex ore ejus pendebant, eo præſente digitum ori ſuperponebant. Ita magnus ſapientia, præterquàm quòd ſeptem columnis liberalium artium fulcitus erat, plenus auctoritatis & gratiæ, omni Eccleſiæ ornamentum erat. Conventus Epiſcoporum decorabat, omnia ſua dicta auctoritate divinarum ſcripturarum approbabat; & quicquid ex ore ejus procedebat, quaſi quodam modo non humanum, ſed divinum ſonabat. Hic in ſuo quodam tractatu Martialis veritatem tacere non potuit, dicens:
Summus pater iſte Martialis in cœna omninò ſat myſtica Chriſto conviva fuit, cæleſtis panis «
ſumens reliquias; cúmque diſcipulorum collegia poſtea ſurgens terſit, lætus ipſe præbuit lin- «
teamina. Neque umquam refugit ſacra contubernia, abſque Thoma piorum ex timida ca- «
terva unus. Quin immo cùm Chriſtus peteret cæleſtia, benedici meruit inter adſtantium «
agmina. Nec choros laudantium ſprevit, ſed cum eiſdem ſancti Spiritus tunc ſuſcepit cha- «
riſmata & linguas multifidas. quibus ſubnixus, tandem Petro comite pervenit Antiochiam, «
ac dehinc urbem Romæ. Qua derelicta, pertranſivit ad Galliam, cujus clara & nobilis eſt «
provincia Aquitania pars magna: ubi perveniens, totius provinciæ fit Apoſtolus per cuncta «
ſæcula. «

* Gauzlinus.

Nihil illuſtrius hoc elogio ad commendationem Abbonis afferri poteſt. Sed jam tandem ad ſingularia ejus facta veniamus, poſtquam cœnobii Floriacenſis ſtatum, qualis decimo ſæculo erat, & Abbatum ejus loci ſeriem expoſuerimus.

Floriaci ſtatus & Abbates.

4. *Poſt ſanctum Odonem Abbatem, quem Floriaci collapſam diſciplinam reſtituiſſe ſuperiùs vidimus in ipſius actis, Floriacum rexit ab anno* DCCCC. XLII. ARCHEMBALDUS *ſeu*

ANN. CH. M. IV. NOV. XIII. Ercamboldus, *qui Oſvvaldum ex Anglia iſtuc profectum monaſtica veſte induit, ex ſancti Oſvvaldi vita. Goſlinus Tulli-Leucorum Epiſcopus, de quo infra, Floriacum venit, & Regulam cum accurato vivendi genere accepit ab hoc Abbate: qui etiam ſancto Cadroa (de quo ſuprà) monaſticum habitum dedit; itemque* regulam monaſticam in monaſterio ſancti Remigii *apud Remos* reſtituit, conſtituens ibi Abbatem HINCMARUM ejuſdem loci monachum, *teſte Frodoardo in Hiſtoria Remenſis lib. 4. cap. 32. Idem præſtitit in Carnutenſi ſancti Petri cœnobio* WLFALDUS *ejus ſucceſſor; duodecim monachis cum Alveo * Abbate eo miſſis, laudatus in lib. 2. de vita ſancti Odonis cap. 11. Sub his duobus vixit* DROGO *monachus, poſtea eremita pietate inſignis, teſte Aimoino in lib. 1. de miraculis ſancti Benedicti cap. 4. Vulfaldo in ſedem Carnutenſem aſſumto ſucceſſit* RICHARDUS *ab anno* DCCCC. LXII. *cujus tempore, id eſt anno* DCCCC. LXXIV. *Floriacenſe monaſterium incendio conflagravit, ex Aimoino, ab eo intra triennium inſtauratum. Richardi tempore Adalelmus Miles beato Benedicto* inſignem crucem argenteam, vultu noſtri Salvatoris inſculptam, *conceſſit cum quodam prædio pagi Senonici, nomine Villari, pro remedio* animæ ſenioris *ſui* incliti Francorum Ducis Hugonis, pro genitore ſuo Rotberto & genitrice ſua Berta, atque Burchardo conſobrino, *aliiſque propinquis ſuis & amicis. Litteris ſubſcribunt poſt Adalelmum & Burchardum* Hugo Dux Francorum, Odo Comes, Albericus, Emmo, Droco, Anſelinus, Gualterius, Erveus, Gualterius & alter Walterius, Hugo, Corbo, Gauſbertus, Rotrocus, Adela Comitiſſa, Milo Comes filius ejus. Actum Pariſii in nobilium conventu publico, VI. Idus Septemb. anno XXI. glorioſi Regis Lotharii Indict. III. *Id eſt anno Chriſti* DCCCC. LXXV. Richardo Abbati (*Aimoini verba ſunt*) AMALBERTUS ſucceſſit, qui benignus natura, benignior etiam exſtitit humilitatis ſibi inſitæ magnitudine. *Ab eo Aimoinus habitum religionis in tenera ætate ſe accepiſſe teſtatur: Amalbertum excepit* OILBOLDUS, *cujus tempore Arnulfus, eo nomine ſecundus Aurelianorum epiſcopus, Floriacenſes ob ſubjectionem, quam ab eis exigebat, plurimum vexavit, ut mox exponemus. Denique Oilboldus anno* DCCCC. LXXXVIII. *ſucceſſorem habuit* ABBONEM, *quem præ manibus habemus. De eo ita Aimoinus in lib. 2. de miraculis ſancti Benedicti cap. 1.* Igitur Oilboldo Abbate in Chriſto quieſcente, Abbo Deo & hominibus vir amabilis, à Fratribus, Hugone annuente Rege, electus, in gradum ſucceſſit monaſtici regiminis. qui præcedente hunc quo hæc ſcribimus anno, qui fuit ab Incarnatione Domini milleſimus quartus, in Vaſconiæ partibus à perfidis illius nationis hominibus, nobis præſentibus, innocenter occiſus, martyrii ſanguine laureatus, ad regna eſt æterna à Chriſto vocatus. In cujus diebus res mirabiles per præeminentiſſimum patrem noſtrum Benedictum ab omnipotente Domino patratas . . . . digerimus ſtilo. *Poſt Abbonem verò Floriacenſibus præfectus eſt* GAUZLINUS, nobiliſſimi Francorum Principis filius manzer, *ut loquitur Ademarus in Chronico pag. 172. id eſt ſpurius*, à puero in ſancti Benedicti cœnobio enutritus, *quem repugnantibus ob natales monachis Abbatem, & poſtea Bituricenſibus item reclamantibus archiepiſcopum Rotbertus Rex impoſuit. De eo intelligendum eſt initium ſuperioris ſermonis de Abbone. Gauzlini ſucceſſores Abbates enumerat Tortarius monachus in libro de miraculis ſancti Benedicti, cum Aimoino editus in tomo ſuperiori, ubi pag. 407. corrigendum eſt quod dixi de Verano*, qui per aliquanta annorum curricula regimen obtinuit Floriacenſium, *teſtante Tortario. quem cùm in vulgatis Abbatum indicibus non invenirem, eum parœciæ Floriacenſis rectorem fuiſſe opinabar. At verè Abbatem cenſendum eſſe probat non ſolum Floriacenſe Necrologium, in quo* Veranus Abbas VIII. Id. Septemb. *obiiſſe memoratur, ſed etiam verſus collectioni canonum, qua auctorem habet Burchardum, præfixi in mſ. codice Floriacenſi, ex quibus hos delibamus.*

* *v. Sæc. 5. pag. 279. & ſeqq.*

Abbatum lumen VERANUS, tale volumen
  Fecit conſcribi, dat Benedicte tibi.
Excubat inſomnis, grex ut ſibi creditus omnis
  Integer & maneat, & vitiis careat.
Scribere Brochardum fecit, non pandere tardum
  Eccleſiæ nodos juſtitiæque modos.
Semper honorari debet, ſemper venerari,
  Qui decorat propriam cultibus eccleſiam.
Quiſquis Zorobabel ſequitur, conjungitur Abel.
  Hic holocauſta facit, hic quoque templa jacit.
Iſtius exemplum ſequeris, condis quia templum
  Regi magnifico fœnore non modico.
Quod te Rex Regum qui dat moderamina legum,
  Conſummare velit: dicere finis erit.

Ex his verſibus patet, Veranum non modò Abbatem fuiſſe, ſed etiam templum condidiſſe. quod intelligendum de Floriacenſi beatæ Mariæ baſilica, cujus vetus opus labente Sæculo XI. deſtruere,

Digitized by Google

deſtruere, & novum inſtaurare aggreſſus eſt Vuillelmus Abbas Verani deceſſor, ex Tortarii capite 25. Sed nunc ad Abbonem redeat oratio. ANN. CH. M. IV. Nov. XIII.

5. *Duplicem ejus Romam profectionem commemorat Aimoïnus in libri ſequentis cap.* II. *unam ad Johannem Papam* XV. *alteram ad Gregorium* V. *Johannem Simoniacæ labis notat Aimoïnus. Verùm Baronius in addendis ad annum* DCCCC. XCII. *poſt tomum* 12. *non in Johannem Pontificem, ſed in Creſcentium ipſi Papæ dominantem in Urbe tyrannum id criminis convertendum eſſe contendit. Quidquid ſit, Abbo ipſe in epiſtola ad L. Abbatem Fuldenſem, de prima ſua profectione Aimoïno atteſtatur. Quis ſit iſte L. Fuldenſis Abbas, nondum addiſcere potui, cùm nullus ab L. littera incipiens per id temporis apud Brovverum reperiatur. Scripta autem eſt epiſtola anno* DCCCC. XCVI. *ut* V. C. *Stephanus Baluzius, qui eam in Miſcellaneorum tomo* I. *publici juris fecit, rectè adnotavit, nempe ipſo anno, quo Gregorius Johanni, Bonifacio pſeudopapa exſtincto, ſuffectus eſt. Sic autem incipit.* Abbonis iter Romam.

Facundiæ prærogativâ cum vitæ merito & ſapientiæ doctrinâ mirabiliter intonanti domno L. ſancti Bonifacii cariſſimorum cariſſimo Abbati, Floriacenſis cœnobii humilis Abbas Abbo, Spiritum Domini qui replevit orbem terrarum, replere illius ipſius ſcientiam & intellectum. Caritas quæ eſt vinculum perfectionis, dum nos ambos Remis poſitos conglutinaret labiis privatæ collocutionis, tot oratorios rivos, tantos ſanctæ Scripturæ favos bono zelo fulminea lingua veſtra eructavit coràm & ſecreto, ut exclamans compellar dicere: *Diffuſa eſt gratia in labiis tuis, &c.* Inter familiaria verborum noſtrorum arcana diſtillavit auribus noſtris unum quoddam eloquium veſtra magnificentia, quod non minùs adimplere (ſi Deus voluerit) ſatago, quàm vitam perpetuam mercari ex voto. Pretioſarum reliquiarum ſancti Patris BENEDICTI inſignia poſtulaſtis vobis dirigi, eo quod indubitatum penitus eſſet, ſanctiſſimam ipſius corporis præſentiam à nobis retineri. ideoque velle enixiùs in honore illius oratorium conſtrui: itemque nobis de ſancto Bonefatio, aut de ſacris artubus ceterorum ſanctorum nobis eadem recompenſari. Adjecit inſuper veſtra incomparabilis bonitas, quòd ſi nos urgueret ſuper re domeſtica aliqua voluntas corroborare noſtra privilegia per Romanæ auctoritatis ſtilum apoſtolicum, vos in omnibus & per omnia noſtri fore fideliſſimum collaboratorem. Hæc autem omnia perficere voti erat, quando magnifica principis Apoſtolorum membra ſupplex adii: ſed Romanam eccleſiam DIGNO VIDUATAM PASTORE, heu prô dolor! offendi. Veſtrâ autem abſentiâ, profiteor, ita affectus ſum, ſicut ſolet affici fetus gallinæ conquerens raucis vocibus abſtractum eſſe unicum matris ſuæ præſidium. Nuper autem audivi nuntium, quod me lætificavit ſuper aurum & topazium: erectum eſſe apoſtolicum decus per quemdam imperialis ſanguinis virum, totum virtutibus & ſapientia compoſitum. Veſter verò reditus intonuit menti noſtræ, velut paradiſiacæ reverſionis ineffabilis concentus. Nunc igitur, ſicut locuti ſumus ad invicem, & hæc epiſtola veſtris aſpectibus ſe præſentat, per hos ſancti patris noſtri Benedicti monachos audire placeat, & audita perficere, velut promiſiſtis cum ſumma fide & devotione. Ipſe autem idem Spiritus, qui inſpiravit omnis eloquentiæ florem Gregorium, inſpiret hujus ſuæ ſanctæ Romanæ eccleſiæ venerabilem Apoſtolicum: vobiſque concedat, ut ſitis eidem ipſi dulciſſimus à ſecretis, ad conſolidandam dejectionem apoſtolicæ auctoritatis. Valete. Epiſtola.

6. *Tria in his litteris obſervanda veniunt. Primum eſt, reliquias ſancti Benedicti petitas fuiſſe à Floriaco, ubi corpus ejus reſidere etiam Germanis tunc perſuaſum erat. Alterum eſt primum Abbonis iter Romam, cujus ſedem* digno paſtore *viduatam fuiſſe conqueritur. Tertium electio Gregorii Papæ V. ex ſtirpe imperiali, de quo ita Chronicon Saxonicum mſ. ad annum* DCCCC. XCVI. Johannes Papa interim obiit. Unde Rex *Otto* in Italia jam poſitus, rumore incitatus, præmiſſis quibuſdam Principibus, publico conſenſu & electione fecit ordinari Apoſtolicum, ſuum nepotem Brunonem, Ottonis filium, qui marcam Veronenſem ſervabat, impoſito nomine Gregorii.

7. *Ad hunc itaque Gregorium à Rotberto Rege miſſus eſt Abbo.* Præcipua verò, *inquit Aimoïnus infra in ejus vita,* earum pro quibus directus eſt cauſarum hæc fuit: quia Arnulfus Remorum Archiepiſcopus, abſque juſta audientia ſede ſua privatus, cuſtodiæque fuerat mancipatus. Ob hoc Gregorius .... toti regno Francorum anathema ſe invecturum comminatus eſt. *Interim dum Abbo publicam rem ſedulo exſequitur, de privatis etiam monaſterii ſui commodis cogitans à Pontifice privilegium impetravit, cujus ſummam Aimoïnus refert.* Alterum ejus iter Romam.

8. *Ex hac maximè legatione intelligitur, quanta fuerit apud Regem Abbonis auctoritas, quod etiam liquido patet ex libera increpatione Rotberto Regi facta ob ejus copulam cum Berta ejuſdemmet conſanguinea & affini. Hoc Abbonis factum comparat Helgaudus in vita Rotberti cum facto Nathanis prophetæ: aitque, ut David ab iſto correptus eſt, ſic* iſtum æque per domnum & venerabilem Abbonem, Floriacenſium à Deo præelectum Abbatem, nunc Chriſti favente gratia, miraculis coruſcum, ſpreta mortis formidine durè increpatum privatim & publicè. cujus ſancti viri increpatio tamdiu perſtitit, donec Rex mitiſſimus reatum ſuum agnoſceret, & quam malè ſibi copulaverat mulierem, prorſus derelinqueret, & peccati Auctoritas apud Regem.

Digitized by Google

ANN. CH. M. IV. NOV. XIII.

maculam grata Deo ſatisfactione dilueret. *Eadem auctoritas intelligitur ex collectaneo canonum Hugoni & Rotberto Regibus porrecto*, in quibus & veſtri, *inquit*, miniſterii ſummam expreſſi; & qualiter vobis fidem ſervare debeant Optimates regni, non tacui. *Collectaneum iſtud habes in tomo 2. Analectorum. Quanti Abbonem fecerit Hugo Rex, manifeſtum facit diploma ab ipſo conceſſum, ex cujus autographo illud eruimus, prout ſequitur.*

Hugonis diploma.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, HUGO gratia Dei Francorum Rex. Mos & conſuetudo Regum prædeceſſorum noſtrorum ſemper exſtitit, ut eccleſias Dei ſublimarent, & juſtis petitionibus ſervorum Dei clementer faverent, & oppreſſiones eorum benignè ſublevarent, ut Deum propitium haberent, cujus amore id feciſſent. Hujus rei gratiâ, auditis clamoribus venerabilis ABBONIS Abbatis monaſterii ſanctæ Mariæ, ſancti Petri & ſancti Benedicti Floriacenſis, & monachorum ſub eo degentium, noſtram præſentiam adeuntium, pro malis conſuetudinibus & aſſiduis rapinis; quas ARNULFUS de Caſtro-Everæ nomine Advocati & Vicarii accipiebat; in poteſtate ipſorum vocabulo Everam; quod antea nullus umquam fecerat; miſi filium meum ROTBERTUM Regem ad ipſam, ut eam ſub defenſione & munitione noſtra revocaret, ut nullus ſuorum, vel ſervus, vel liber, in ea aliquid præſumeret tollere. quod & ipſe haut ſegniter exſecutus eſt. Interea orta contentione ODONIS Comitis adverſus me; inter ceteros neceſſarios & fideles noſtros, quos in apparatu noſtro commovimus, etiam ARNULFUM Epiſcopum Aurelianenſem in adjutorium noſtrum præmonuimus. qua de cauſa petiit, ut prædicto Arnulfo nepoti ſuo redderemus conſuetudines, ſicut priùs ipſe, licet violenter, tenuerat. quem offendere pro ſuo ſervitio nolens, evocans prædictum Abbatem rogavi, ut XXX. modios vini in vindemiis ſolveret de ipſa poteſtate ipſi Arnulfo, quamdiu viveret Epiſcopus avunculus ejus, pro ſalvamento noſtro, ea ratione, ut nullus ſuorum ſervus, vel liber inibi amplius exquireret. Poſt mortem verò ejus nec ipſe Arnulfus; nec aliquis ſucceſſorum ſuorum, vel hoc ipſum, vel aliud aliquid in ipſa poteſtate requirere audeat, aut in ea ingredi aut tollere ulteriùs quidquam præſumat. Ob rei ergo firmitatem & notitiam hoc immunitatis noſtræ præceptum pro ipſa cauſa prædicto loco feci & manu propria ſubterfirmavi, & filio meo Rotberto Regi firmare feci, & anuli mei impreſſione ſignavi, ut nulla umquam ulterius perſona, Epiſcopus, Abbas, Dux, Comes, Vicecomes, Vicarius, Telonearius, vel quilibet publicus exactor, pro aliqua re exigenda noſtris & futuris temporibus in eam ingredi valeat, vel aliquid exigere præſumat: ſed liceat Abbati & congregationi prædicti loci ſub immunitatis noſtræ defenſionem ipſam poſſeſſionem quieto ordine poſſidere: & ſicut ceteræ res prædicti loci per præcepta anteceſſorum noſtrorum Regum Francorum munitæ & defenſæ perſeverant, ita & hæc præſenti auctoritate præcepti noſtri communita & irrevocata permaneat pro animæ meæ & filii mei eleemoſyna & ſtabilitate imperii noſtri perpetua. Actum Pariſius civitate publice, anno Dominicæ Incarnationis DCCCC. XCIII. Indictione VI. anno VII. regnante glorioſiſſimo Rege Hugone & inclito filio ejus Rotberto. Signum glorioſiſſimi HUGONIS Regis. Signum ROTBERTI incliti Regis.

Epiſcopi Aurelianenſes ſæculo X.

9. *Is de quo agitur hoc loco Arnulfus Epiſcopus Aurelianenſis, ipſe eſt qui cum Abbone noſtro graves ſimultates habuit, & adverſus eum ſtetit in cauſa Arnulfi Archiepiſcopi Remenſis in Synodo. Sed intereſt Aurelianenſium per ſæculum X. Epiſcoporum ſeriem hîc repræſentare, quoniam in editis, etiam apud Sauſſeyum, minùs accurata eſt. Eam repetemus præcipuè ex Letaldo Miciacenſi monacho in lib. de miraculis ſancti Maximini Abbatis, vulgato in Sæculo I. Agius Aurelianis præfuit regnante Carolo Calvo, ſucceſſorem ſortitus Vualterium. Poſt Vualterium Trohannus, Berno, Anſelmus, Theodericus* quatuor annis, *Ermentheus, & Ernulfus* nepos ejus *pontificatum rexere. Hæc ex Letaldo. Ernulfus ſeu Arnulfus iſte ſedem iniit anno* DCCCC. LXIII. *ut patet ex diplomate Hugonis Ducis, cognomento Magni, eccleſiæ Aurelianenſi abbatiam ſancti Johannis ſuburbanam reſtituentis* anno Domini DCCCC. LXXV. Indict. III. *Epiſcopo Arnulfo*, anno ſui præſulatus XII. *Diplomati ſubſcribunt* Hugo Dux & Rotbertus filius ejus, Gauffredus Comes & Fulco filius ejus, Henricus Comes, Wauterius Comes, Walterius & Radulfus filius ejus, atque Burchardus Comes cum Burchardo hujus rei amanuenſi. *Ernulfo ſeu Arnulfo ſucceſſit Manaſſes, qui Synodo Senonenſi anno* DCCCC. LXXXI. *interfuit. Huic alterum Arnulfum, Sauſſeyo aliiſque ignoratum, admittere neceſſe eſt, eum nempe, de quo in ſuperiori diplomate mentio facta eſt. De hoc ſecundo Arnulfo Aimoïnus agit in fine libri I. de miraculis ſancti Benedicti, refertque miraculum ipſius Arnulfi occaſione factum tempore Oilboldi Abbatis, qui regimen cœnobii Floriacenſis Abboni morte reſignavit ſub annum* DCCCC. LXXXVIII. *Aimoïni verba hæc ſunt ex cap. 19.* Arnulfus Aurelianorum Epiſcopus, aliàs ſanè bonus, & eccleſiaſticas regulas ſcientia & opere optime ſervans, numquam ad purum Prælatos hujus Floriacenſis loci dilexit, ideo quàmmaximè, quod illi ditioni ſolum modo parentes regiæ, ſubjectionem, qua ipſe ultra modum delectabatur, nequaquam ei ad ipſius voluntatis dependerent nutum. Qua de re vineas ſancti Benedicti in ſuburbano Aurelianenſis urbis, in loco qui Boaria dicitur, ſitas, ut ſui eas pervaderent ſatellites, aſſenſum

Digitized by Google

ANN. CH. M. IV. Nov. XIII.

præbuit, &c. *Laudabilis hoc loco Aimoini modeſtia & æquitas, qui abſque felle ſcripſerit de Arnulfo Epiſcopo, à quo ſciret Abbonem indigna pertuliſſe, immo ab ejus ſatellitibus contumelias & injurias.*

Subjectio negata ab Abbone.

10. *Sed quæ qualiſve fuerit iſta* ſubjectio, *quam Arnulfus à Floriacenſibus exigebat, diſpiciendum eſt. Duplicem monaſteriorum adverſus Epiſcopos ſubjectionem ab Epiſcopis exigi olim ſolitam invenio; unam, quâ Abbas recens ordinatus Epiſcopo ſuo ſollemnem in rebus ſpiritalibus ſubjectionem profitebatur: alteram, quâ monaſteria in rebus temporalibus non regiæ, ſed Epiſcopi diœceſani auctoritati & ditioni obnoxia erant. De hac duplici ſubjectione aptior viſus eſt diſſerendi locus in præfatione ad hunc tomum, ubi hoc Abbonis cum Arnulfo negotium expendimus.*

Decimæ monaſteriis aſſertæ.

11. *Sed aliud non minoris invidiæ negotium Abbonem ſollicitavit, nempe controverſia de decimis, agitata in ſynodo Dionyſiana prope Pariſios. Has Epiſcopi non ſolum laicis, ſed etiam monachis auferre volebant. Reſtitit pro monachis Abbo: ſed laici in Epiſcopos impetu facto, vix ac ne vix quidem ab eorum percuſſione temperarunt. Ejus facti invidia refuſa eſt in Abbonem per Arnulfum Aurelianenſem ipſi infeſtum: ut Abbo ipſe Apologetico ſe purgare coactus fuerit apud Reges Hugonem & Rotbertum, quorum principatu, id eſt ante annum* DCCCCXCVIII. *hæc Synodus habita eſt, ut fusè deſcribit Aimoinus in ſequentis vitæ cap. 9. ex quo uno iſtius Synodi notitiam accepimus. Fallitur quiſquis eſt auctor Schediaſmatis in tomo 9. Conciliorum apud Labbeum col. 771. ubi Abbo* monachos ſancti Dionyſii & ceteros familiares illorum contra Epiſcopos concitaſſe *dicitur. Id enim factum conſtat à laicis præſentibus, quorum maximè intererat decimas ſibi aſſerere. Hoc Abbonis apologeticum cum aliis ejus epiſtolis typis regiis nuper editum eſt cura illuſtriſſimi Claudii Peleterii regni adminiſtri. Huc ſpectare videtur Gerberti * quædam epiſtola ad Arnulfum Aurelianenſem Epiſcopum, ubi monachos ſancti Dionyſii ſacris interdictos dicit, forſan ob illas turbas.*

* *Cheſnii t. 2. pag. 836.*

Abbonis martyrium.

12. *Sed tandem ad Abbonis mortem veniendum eſt, quæ accidit, teſte Aimoino,* anno milleſimo quarto, Indictione ſecunda, die menſis Novembris decimo-tertio. Martyrizatum *dicit Aimoinus, qui à Regulæ opidi incolis tumultuantibus cæſus eſt, non à monachis, ut quidam fabulantur; martyrizatum, inquam, dicit pro more illorum temporum, quibus temporibus ſi quis piam ac innocentem vitam ducens necaretur, pro Martyre habebatur, ut alias non ſemel obſervavimus. Eodem modo loquuntur auctores Aimoini æquales & ſuppares. Glaber in lib. 3. cap. 3.* His ita geſtis, contigit, ut venerabilis Abo, Pater monaſterii ſancti Benedicti, Floriacenſis cognominati, gratiâ propugnandæ religionis monaſticæ in provinciam tranſiret meridianorum Waſconum. Cumque illuc deveniens in quodam moraretur cœnobio, ibique more ſolito ea quæ Dei ſunt ſedulo exerceret; nimio à cunctis venerabatur affectu. Accidit igitur die quadam, ut in atrio ejuſdem cœnobii, exardeſcentibus quorumdam litigioſorum irarum ſtimulis, nimium acer oriretur tumultus. Dumque vir reverentiſſimus, prædictus videlicet Abo, comperiens, ad eumdem tumultum ſedandum pugillares gerens in manibus tabellas cum ſtilo, proceſſiſſet; unus è vulgo, afflatus ſpiritu diabolico, irruens in eum, ejuſque latus lanceâ perforans, CHRISTI MARTYREM fecit, qui etiam, ut fertur, paullo poſt arreptus à dæmone, miſerabiliter vitam finivit. Corpus verò prædicti Patris, tam ſui, quàm ceteri quique fideles ejuſdem provinciæ honorificè ibi ſepelierunt: ubi etiam ad laudem ſui nominis perplura poſtmodum Dominus largitus eſt hominibus beneficia. *Et in Chronico Andegavenſi apud Labbeum in tomo 1. Bibliothecæ pag. 286.* Anno M. IV. domnus Abbo martyrizatus eſt in Aquitania, in monaſterio ad Regulam, prope Caſſinogilum palatium quondam regium, qui cyclos XVIIII. ſcripſit. *Odolrico Abbati in Concilio Lemovicenſi jam laudato,* martyrio coronatus *in Vuaſconia dicitur, nempe in pago Burdegalenſi, qui tunc ad Ducatum Vuaſconiæ pertinebat. Ademarus in Chronico:* Abbo veniens ad ſanctum Petrum Regulatenſis eccleſiæ, quæ eſt poſſeſſio ſancti Benedicti Francorum cœnobii, ibi tumultu Vaſconico occiſus eſt, ibique ſepultus miraculis clareſcere cœpit. Virga ejus paſtoralis remiſſa eſt Franciam. Bernardus Waſconiæ Dux necem tanti viri de interfectoribus punivit, alios ſuſpendio, alios flammis tradens, & omnem illius poſſeſſionem Regulatenſem, quæ antè in lite invadentium erat, ſine lite dehinc monachis Francis ſancti Benedicti paravit vindicandam. *In Necrologio Silviniacenſi notatur* Idib. Novemb. depoſitio domni Abboni Abbatis.

Encyclica epiſtola de ejus morte.

13. *Exſtat in tomo primo Miſcellaneorum Baluzianorum encyclica epiſtola monachorum Floriacenſium de cæde ejuſdem Abbonis, quam epiſtolam huc tranſcribere non pigebit.*

Univerſis Abbatibus Chriſtique fidelibus quoquo locorum habitantibus, Floriacenſis conciola dejecta, & Patre viduata. Fletu pæne abſorptis, dolore contritis, manum porrigite ſpiritalis auxilii, Patres ſanctiſſimi, per affectum fraternæ caritatis. Pane mæroris potuque amaritudinis cibati, veſtris orationibus mereamur recreari, quorum cythara lætitiæ verſa eſt in luctum mæſtitiæ, quorum organum luctuosè ſonat lamentum, & jocunditas vocem tantummodo flentium. Pervenit gladius doloris uſque ad animam, dum deploramus pro

Digitized by Google

ANN. CH. M. IV. NOV. XIII.

ſanctæ religionis ſtudio domnum & Abbatem noſtrum Abbonem exceſſiſſe à ſæculo, coronatum martyrio, qui Waſconum gladiis felix promeruit feliciter beatorum martyrum ſocius fieri. cujus animæ contagia veſtra oratio abſtergat, qui veſtri amator, omniumque Chriſti ſervientium verus ſemper exſtitit dilector. Nobis quoque; quos orphanos reliquit, fraternis ſuccurrite votis, & Deum omnipotentem placate orationum hoſtiis, ut dignetur ſuâ gratiâ gregem decapitatum & pio Patre orbatum conſolari. Obiit Idibus Novembris, die natalis ſancti Brici.

Annus mortis.

14. *Annum ejus mortis ſignat ex Sigeberto Baronius* tertium *poſt milleſimum, cùm libellum de Abbonis vita per Aimoïnum nondum vidiſſet. Sed poſtea edito per Johannem à Boſco iſto libello, in quo Incarnationis annus* quartus, *& Indictio ſecunda diſertè exprimuntur; ita rem componere ſibi viſus eſt, ut diceret annum ab Incarnatione numeraſſe Aimoïnum, & Indictionem ſecundam à Septembri, cùm Sigebertus annum à Nativitate, quæ novem menſibus Incarnatione poſterior eſt, computaſſet. At pace tanti viri dixerim, Aimoïno annos Incarnationis non alios eſſe quàm vulgatos à nativitate: corrigendumque calculum Sigeberti, immo ejus interpolatoris (nam apud Miræum alio charactere expreſſa eſt Abbonis cædes) qui annum tertium pro quarto poſuit.*

Abbonis cultus.

15. *Mirum eſt quàm citò Abbonis cultus receptus ſit in rebus ſacris, adeo ut tempore Lemovicenſis Concilii, id eſt anno* M. XXXI. *ejus* martyrium etiam in pluribus eccleſiis more ſanctorum Martyrum ſollemniter celebraretur, *ut conſtat ex ſermone tunc habito, cujus fragmentum ſuprà num. 3. retulimus. Unde in Kalendario Floriacenſi pervetuſto hæc ſecunda manu ſcripta leguntur:* Id. Novemb. in Vaſconia, apud monaſterium quod dicitur Squirs, paſſio beati Abbonis Abbatis Floriacenſis; *& in alio:* Id. Abbonis Abbatis & martyris IV. lectionum. *Hactenus ejus officium agitur in cœnobio Floriacenſi & in Regulenſi, ubi ejus corpus aſſervatur.*

Regulæ monaſterium.

* la Reolle.

16. *Quod attinet ad Regulæ * Prioratum, auctorem habet Gumbaldum Burdegalenſem Epiſcopum, & Vuillelmum-Sancii Ducem Vuaſconum, ejus fratrem: quorum hac de re inſtrumentum typis editum eſt in tomo 2. Bibliothecæ novæ Labbeanæ pag. 543. Situm dicitur* in partibus Vaſconiæ, in pago Aliardenſi, ſupra ripam Garonnæ fluminis, *nempe decem leucis ſuprà Burdegalam. Datum eſt inſtrumentum* anno DCCCC. LXXVII. Indict. V. *in gratiam Richardi Abbatis monaſterii Floriacenſis, cui iſte locus jam inde addictus eſt,* antiquitus dictus Squirs, modernis temporibus Regula. *Huic chartæ apud Labbeum ſubjectæ ſunt* conſuetudines eccleſiæ de Regula, *quas inter ſtatutum eſt, ut* nemo cultellum, enſem, lanceam, ſpiculum, ſecurim, beſogium, neque gladium in contentione trahat. *quod ſtatutum videtur occaſione cædis Abbonis, qui lanceâ confoſſus in contentione eſt. Subſiſtit Prioratus Regulæ, etiam nunc conventualis ſub Congregatione ſancti Mauri.*

Abbonis ſcripta.

17. *Reſtat paucis agendum de Abbonis ſcriptis, quæ magnam partem exciderunt. Varia enumerat Aimoïnus in ſequenti libello, nempe de ſyllogiſmis, de compoto, de ſolis, lunæ, ac planetarum curſu, in cap. 3. Collectaneum ex Patribus, quod tempore ſuo Floriaci reperiri non potuiſſe, utpote ab exteris ſubreptum, ait Aimoïnus in cap. 7. Et hoc puto eſſe collectaneum canonum, quod ex codice mſ. ſancti Martialis apud Lemovicas à nobis editum eſt in tomo 2. Analectorum. Ad hæc Apologeticum ſcripſit Abbo ad Hugonem & Rotbertum, cujus operis fragmenta refert Aimoïnus in capp. 8. & 9. Varias item ejus epiſtolas commemorat, nempe duas ad Bernardum Abbatem Bellilocenſem in cap. 10. unam ad Gregorium V. in cap. 12. aliam ad Odilonem Abbatem Cluniacenſem, cap. 13. ubi præter acroſtychos verſus ad Ottonem tertium Imperatorem, memoratur ejuſdem Abbonis opus de paſchalibus cyclis, Floriacenſibus ſuis nuncupatum, quod ſane ipſum apud Bedam vulgatum eſt ante Dionyſii cyclos cum præfatione, in qua mentionem facit* de tranſitu ſanctiſſimi Patris Benedicti. *quod Aimoïnus ibidem notat. Aliæ duæ ejuſdem argumenti epiſtolæ ab ipſomet Abbone ſcriptæ exſtant in tomo 3. Analectorum. His adjungenda eſt ejuſdem epiſtola ad L. Abbatem Fuldenſem, à clariſſimo Baluzio impreſſa in tomo 2. Miſcellaneorum, cujus epiſtolæ fragmentum relatum eſt ſuprà num. 5. Papyrius Maſſonus codicem viderat Abbonis epiſtolas continentem, qui codex is ipſe eſt, ex quo nonnullæ Abbonis epiſtolæ cum ejus Apologetico nuper, uti jam obſervavimus, editæ ſunt. Jam tandem Aimoïni de Abbone libellum videamus, cujus hic titulus eſt in codice mſ.*

Digitized by Google

INCIPIT EPISTOLA AIMOINI FLORIACENSIS MONACHI,

ad Herveum ſancti Martini Theſaurarium,

De vita & martyrio ſancti Abbonis Abbatis Floriaci cœnobii.

REverentissimæ vitæ viro domno Herveo [a] Clerico, ſancti Pontificis Martini Theſaurario, Aimoïnus monachorum beati Patris Benedicti, ſenſu minimus, indeficientem æternæ vitæ theſaurum. Quia superni gratia Redemtoris tuam, amantiſſime domne, ſibi vitam pudicam elegit ac placabilem; nos omnes quibus tua benignitas cordi eſt, gaudio gaudemus non modico. Reminiſcimur enim jucundam tuæ pueritiæ indolem, quàm lenis ſodalibus, quàm grata majoribus, ac (quod magis eſt) quàm placita Deo fuerit, ac ſanctis omnibus. Tua quoque ſanctitas memorem ſe fore oſtendit bonorum, quæ in hoc ſacro Floriacenſi cœnobio vidit, ſive audivit, exemplorum. Dúmque, quibus modis altioris vitæ vias incedat, cotidiè comminiſcitur, præceptorum ac aſſiduæ admonitionis nutritoris ſui ſancti Patris noſtri Abbonis haud ſegniter recordatur. cujus erga tuam dapſilitatem ſedulæ dilectionis curam ſuperfluum videtur replicare, cum conſtet, id tuam benevolam haud umquam oblivisci mentem. Unde manu ſanctæ pulſatus caritatis, quia vel ab ipſo es dilectus, vel ipſum tua probatur dilexiſſe devotio, una dierum meam admonere dignatus es parvitatem, uti vitam ejus, ſeu quo ordine ad martyrium pervenerit, litteris mandare ad multorum ſtuderem utilitatem. Verum ego intelligens, hoc opus multorum diſplicere animis; tamen tuæ dilectioni, quæ mihi à puero ſemper dulcis fuit, parere gliſcens, inerti licet ſermone, imperata ſtudui perficere. Et floccipendens linguas derogantium, ad orationis tuæ, quam Deo beneplacitam novi, confugio auxilium: ut tuo interventu, ejus miſericordia pro hoc opere mihi conferat gaudia æterna, præſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum Deo Patre, &c.

INCIPIT PRÆFATIO VITÆ VEL MARTYRII SANCTI ABBONIS ABBATIS.

ANtiquæ Gentilitati id quondam fuit ſtudii, ut eorum quos unicè dilexiſſent, facta, etiam inhoneſta, memorialibus mandarent litteris; & pro illorum benè geſtis, laudes ſuis referrent diis. Nobis verò, qui per Chriſti gratiam eorum evaſimus errorem, idem quidem ſtudium, ſed diſſimili intentione eſt habendum: ut ſcilicet ſanctorum vitas Patrum, ac Martyrum victorias noſtris pandamus ſcriptis poſt nos venturis ſæculis. Verùm hæc ipſa ad laudem noſtri referamus Creatoris, per quem vel bene vivere, vel coronam potuerunt martyrii percipere. Quapropter unius dilecti Domini, ſancti videlicet Patris noſtri Abbonis, vitam, ſeu quo ordine pervenerit ad martyrium, ruſticano licet ſermone, aggrediamur ſcribere. Nec oportet quemquam dubitare, eum verè Martyrem fore, quem conſtat pro veritate, quæ Chriſtus eſt, mortem pertuliſſe. qui etſi non revocabat homines à cultu idolorum, laborabat tamen liberare (quod *Abbo vere martyr.*

[a] De hoc Herveo lege Dialogum Hugonis Archidiaconi Turonenſis in tomo 1. Analectorum à pag. 357. & Glabrum in lib. 3. cap. 4.

Digitized by Google

Ann. Ch. M. XV. Nov. XIII.

majus eſt) à ſervitute vitiorum; quibus qui aſſiduè dediti ſunt, non Deo, ſed dæmonibus ſervire probantur. Quòd verò non diu pœnis tortus eſt, nulla gloriæ ejus vel laudi damna infert: cùm conſtet quoſdam Martyrum, ſola nominis Chriſti confeſſione, etiam abſque baptiſmi perceptione, proprio per ſolam capitalem ſententiam perfuſos ſanguine, regna cæleſtia meruiſſe. Sin autem quiſpiam idcirco ei crediderit derogandum, quòd in vita ſua vix ullum mirabile fecerit ſignum; legat vitas excellentiſſimorum Doctorum Auguſtini & Hieronymi, & in eis non prodigia temporalium ſignorum, quæ faciunt plerumque mali; ſed vitæ puritatem, doctrinæ ſalubris eloquentiam, & fidei inveniet laudari conſtantiam. Licet hic ter beatus in vita ſua non caruerit miraculorum gloria. His ergo contra obloquentes, ſi fortè aſſurrexerint, præmiſſis, juvante nos Chriſti gratia, ac hujus Sancti orationibus, propoſitum aggrediamur opus.

Miracula quidam SS. non edunt.

INCIPIT LIBER.

CAPUT I.

Abbo civis Aurelianenſis.

VEnerabilis igitur ABBO Aurelianenſi ortus eſt in pago: cujus patris vocabulum LÆTUS, matris ERMENGARDIS exſtitit. quos quidem non vana tumens & nobilitate ſuperbus alebat ſanguis; ſed tamen avis atavìſque derivata eos honeſtabat libertas, quodque omnibus ſuperexſtat cauſis, timor Domini moribus adornabat honeſtis. Talibus ergo Abbo ortus parentibus, in Floriacenſi monaſterio ſcholæ clericorum eccleſiæ ſancti Petri obſequentium traditur litteris imbuendus, divina pro certo (ut credimus) id præordinante providentia, ut inde primordia ſumeret litterarum, ubi poſtmodùm pleniſſimè fluenta doctrinæ mentibus erat propinaturus ſapientiam ſitientium; redderetque illis, ſeu eorum poſteris, duplicatum ſuſcepti fœnoris fructum, à quibus ſimplicia tantùm acceperat rudimenta elementorum. Erant in eodem cœnobio duo præcellentes viri, quos carnis affinitas matri ejus propinquos effecerat: unus dicebatur GUNBOLDUS, qui relictis hujus ſæculi nugis, ob Dei timorem, habitum monaſtici ſuſceperat Ordinis: alter vocatus eſt CHRISTIANUS, qui ſub clericali veſte Chriſto ſtudebat deſervire, grave ſibi formidans diſpendium imminere, ſi ejus non ſequeretur pro poſſe mandata, à quo nominis etiam proprii duceret ſtigmata. Ambo amoris Domini igne ferventes, ambo in ordine Preſbyteratus, cum ſacrificio noſtræ redemtionis, ſeipſos quoque Deo in ara immolantes cordis. Horum itaque ferventi admonitione genitores memorati pueri Abbonis ipſum ad ſerviendum Chriſto, & ſancto Patri tradiderunt Benedicto.

Floriaci ſtudet.

S. Benedicto traditus.

II.

Sub Wlfaldo Abbate.

Agebat eodem tempore paſtoralis curam ſollicitudinis in hoc ſacratiſſimo Floriacenſi loco reverendiſſimus Abbas, VULFALDUS vocabulo, Deo carus, & omni populo. Huic igitur à parentibus jam dictus bonæ indolis Abbo puer traditus eſt, ut ejus magiſterio eruditus, Chriſti efficeretur famulus. Ante quem, cùm in conventu Fratrum fuiſſet adductus, ab eo quo vocaretur nomine, eſt inquiſitus. Ille continuò interroganti reſponſum dedit, Abbonem ſe dici aſſeruit. Tum ſanctus vir Vulfaldus, prophetico mox ſpiritu afflatus, alludens ad nomen: Abbo, ait,
» ſi ultima immutetur littera, Patrem ſonat in Achivorum lingua. Et con-
» verſus ad puerum: Hinc jam, inquit, puerorum dulciſſime, talem te
» Chriſto exhibe, ut dignus inveniaris tui nominis appellatione. Annuat
» hoc omnipotens Pater, à quo omnis paternitas in cælo nominatur, &
» terra: teque ſua faciat ſervare præcepta, ut ad gaudia poſſis pervenire
» æterna. Poſt hoc dictum, monachicum ei tradidit habitum, facta priùs per parentes ſollemni traditione, juxta quod in ſancti Patris Benedicti continetur diſcretiſſima inſtitutione. Traditus itaque ſcholis, nulli ſoda-

Epheſ. 3. 15.

Digitized by Google

lium videbatur gravis. Inerat ei columbina ſimplicitas ſerpentinæ copulata aſtutiæ, ut & per manſuetudinem leniret benivolos, & per providæ mentis acumen devitaret ſubdolos. Jam verò litterariæ artis profunda tantâ adhuc puerulus rimabatur inſtantiâ, ut à didaſcalis ſemel audita firmiter intra cordis conderet arcana. Egreſſus pueritiæ tempora, frequenti meditatione adoleſcentiæ ſatagebat reprimere vitia, ſciens ſcriptum: quia frequens meditatio, carnis eſt afflictio. quam idcirco jugi litterarum exercitio domare curabat ut ſpiritui eam ſervire cogeret. Nec tamen, uti à quibuſdam juvenum fieri aſſolet, ob ſtudium lectionis, intentionem deſerebat devotæ orationis. Religionis namque propoſitum monaſticæ, quod habitu portendebat, id tota mentis devotione diligebat: & quaſi pro quodam levamine, poſt precum ad Dominum miſſa libamina, liberalium artium ſumebantur exercitia. Erat ei hoc præcipuum, adhærere lateribus ſenum: & licet certis horis condiſcipulorum gauderet ſocietate ſuorum, incompetentibus [a] temporibus vicinior efficiebatur ſenioribus.

Ann. Ch. M. IV. Nov. XIII.

Cum ſtudiis pietatem conjungit.

III. Cùm verò jam ad tantæ profeciſſet faſtigium ſcientiæ, ut aliis quoque percepti talenti valeret donativum erogare, imbuendis præficitur ſcholaſticis: quos ille per aliquot annorum curricula lectione ſimul & cantilena cum tanta erudivit cura, ut palam ſe gaudere monſtraret, quòd pecuniæ ſibi creditæ lucra augmentare valeret. Verùm ipſe adhuc majora gliſcens ſcientiæ ſcrutari arcana, diverſorum adiit ſapientiæ officinas locorum: ut quia grammaticæ, arithmeticæ, necnon dialecticæ jam ad plenum indaginem attigerat, ceteras ingenio ſuo pergeret ſuperadjicere artes. Quapropter Pariſius atque Remis ad eos qui Philòſophiam profitebantur profectus, aliquantulum quidem in Aſtronomia, ſed non quantum cupierat, apud eos profecit. Inde Aurelianis regreſſus, muſicæ artis dulcedinem, quamvis occultè, propter invidos, à quodam clerico non paucis redemit nummis. Itaque quinque ex his, quas liberales vocant, pleniſſimè imbutus artibus, ſapientiæ magnitudine cunctos præibat coætaneos. Supererant rhetorica, necnon geometria, quarum plenitudinem etſi non ut voluit attigit, nequaquam tamen jejunus ab eis funditus remanſit. Nam & de rhetoricæ ubertate facundiæ Victorinum, quem divinæ interpres legis Hieronymus præceptorem ſe habuiſſe gloriatur, legit: & geometricorum multiplicitatem numerorum non mediocriter agnovit. Sic demùm vivaci mentis ingenio hæc univerſa ſtrenuè aſſecuto, facilis erat eorum operatio. Denique quoſdam dialecticorum nodos ſyllogiſmorum enucleatiſſimè enodavit, compotique varias & delectabiles, ſæcularium in morem tabularum, texuit calculationes. De Solis quoque, ac Lunæ, ſeu Planetarum curſu à ſe editas diſputationes ſcripto poſterorum mandavit notitiæ.

Magiſter ſcholarum Floriaci.

Academias luſtrat.

Scripta edit.

IV. Interea legatio gentis Anglorum ad Floriacenſe venit cœnobium, poſtulans aliquem ſibi ſapientum concedi virorum. Eadem quippe natio ad amorem ſancti Patris Benedicti memoratique loci duabus ex cauſis maximè acceſſit: una quidem, quia beatus Papa Gregorius, miſſis ad eam convertendam fidei Chriſti prædicatoribus, ejuſdem dilecti Domini Benedicti Regulam obſervandam ſpecialius inculcavit: alia quidem, eo quòd vir quidam magnæ apud eos nobilitatis, OSVVALDUS [b] vocabulo, ſpreto ſæculo, ad ſerviendum Chriſto, in memorato Floriaco converſus eſt cœnobio: ex quo ob bonæ vitæ meritum à Rege ipſius provinciæ ad Archiepiſcopatus aſſumtus gradum, Deo, ac patrono ſuo ſancto Benedicto in regione Anglica conſtruxit monaſterium. Ex illo itaque cœnobio

In Angliam mittitur.

[a] S. Benedictus in Regulæ cap. 48. prohibet fratrem ad fratrem jungi *horis incompetentibus*, quo reſpicit iſte locus.

[b] S. Oſvvaldi acta ſuperiùs relata habes ad annum 992. ubi de cœnobio Rameſenſi, de quo infra.

Digitized by Google

ANN. CH. M. IV. NOV. XIII.

hi fuere legati, quos ad Floriacum adveniſſe ſuperior retulit ſermo. Præerat per idem tempus ſanctæ Floriacenſi congregationi reverendus Pater OYLBOLDUS, vir ſecundum ſæculi dignitatem genere ac moribus clarus. qui non tàm imperioſa auctoritate, quàm manſueta verborum lenitate ab hoc beato exegit viro Abbone, quatenus ad inſtruendas ejuſdem nationis hominum mentes divinâ atque humanâ ſapientiâ, quâ ipſe inſigniter pollebat, ire non recuſaret. qui ille, juſſionis haud ſegnis exſecutor factus, obedientiæ ſibi familiaris intuitu, quò mittebatur, proficiſci non diſtulit. Et quamvis invidi ac calumniæ compilatores eidem Dei homini perſuadere conarentur, Abbatem memoratum malo accenſum dolo, ipſum trans maria ideò velle dirigere, ut numquam ampliùs inde valeret redire: ille tamen de Dei fiſus bonitate, illud Apoſtolicum ſemper revolvebat in corde: *Diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum.* (*Rom. 8. 28.*) Verùm aliter ſe rem habere oſtendit apparatus itineris, qui magnificus à domno Oylboldo proficiſcenti collatus eſt. Cumque ad Morinos ventum eſſet, à quibus breviſſimus ad Anglos tranſitus eſt, per unum fermè menſem in litore reſedit, prohibentibus nautis mare turbidum ingredi. Tædio itaque longæ defatigatus moræ, una dierum progreſſus ad portum, evocatum interrogat nauclerum, an tuto mare ingredi poſſit. Cui nauclerus, nunc quidem nequaquam utile fore dixit: ſed ex aurarum ſpiramine ſe intelligere, quòd non diu proſpera abeſſet navigatio. Tunc vir Domini ait: Si, inquiens, omnipotenti Deo, intervenientibus ſanctiſſimi » Patris noſtri Benedicti meritis, placet, ut ego ob aliorum utilitatem hoc » tranſeam pelagus, ventura luce placidum efficiatur mare: ſin alias ſummo » placuerit Opifici, data die retrogrado calle incipiam regredi. Igitur ad hoſpitium regreſſus, monachum quemdam, qui legatis ſe deducentibus præerat, RICULEUM nomine admonet, ut in commune Dominum orarent, quò, ſi illi propoſitum non diſpliceret, iter proſperare dignaretur: ſi verò id reprobaret, cordibus eorum voluntatem ad propria redeundi inſpiraret. Quo annuente, poſt veſpertinam ſynaxim Deo perſolutam, ambo ad orandum ſolo proſternuntur. Finita oratione, quieti membra dederunt: & ecce crepuſculo ſequentis diei affuit nuncius naucleri, magna eos ad proficiſcendum voce inclamans. Itaque aſcenſa navi, comitantibus aliis octo navibus, cùm in altum proceſſiſſent, repentè conſpiciunt marſuppas & porcipiſces in fluctibus ludere, balenas dorſa in modum maximorum tectorum attollere. Hæc omnia indicia imminentis tempeſtatis fore vir Dei à nautis audiens, ad orationum recurrit nota præſidia. Nec defuit effectus ejus precibus. Denique orta tempeſtate, navis in qua homo Chriſti reſidebat, cum aliis duabus, quæ illam ſecutæ fuerant, illæſa ad portum perlata eſt: reliquæ verò ſex, ſimul cum hominibus, procellis & impulſu piſcium quaſſatæ, perierunt. Hoc ſignum per eum Dominus operari dignatus eſt, cùm adhuc Levitarum fungeretur officio.

Naufragium evadit.

Is tum Levita.

V.

Rameſiæ docet duobus annis.

Tandem poſt longos terræ ac maris excurſus, Anglorum intravit fines. Primum itaque omnium Rameſenſe ſancti Benedicti adiit cœnobium; ſic enim appellabatur ille locus, qui à venerabili Oſvvaldo illis in partibus eſt fundatus, cujus ſuperiùs mentionem fecimus. In quo, qui Abbatis fungebatur officio, GERMANUS dicebatur vocabulo, & ipſe ad tanti gradus honorem ex hoc ſacro Floriacenſi aſſumptus monaſterio. ubi dum ſanctus Domini Abbo per duorum fermè annorum moratur ſpatium, aliquos monachorum ſcientia imbuit litterarum. Intra eorumdem ſanè ſpatium annorum Regem adiit Anglorum, ac ejus Ducem HEHELGUINUM [a]. Sed à Rege verba tantùm, à Duce verò condigna ſuæ ſanctitati

a De hoc Duce, Rameſenſis cœnobii auctore, plura in actis ſancti Oſvvaldi. Eſt penes nos Abbonis epiſtola ad Rameſienſes aliosque de rebus grammaticalibus.

ſuſcepit

ſuſcepit munera, atque in magna apud eum, quamdiu cum ipſo fuit, eſt habitus reverentia. Pontificum quoque venerabilium, ſæpe nominati Oſvvaldi, ac beatæ memoriæ Dunſtani, amica ſibi familiaritate uſus eſt. Horum prior Eboracenſium, ſequens Cantuariorum Archiepiſcopus fuit. In quorum vita moribuſque ſibi bene complacuiſſe Chriſti oſtendit gratia, eorum tumulos nunc uſque miraculorum illuſtrando gloria. Hi in tanta admiratione hunc beatum habuere virum, ut in eo retinendo, caritativa, & (ut ita dictum ſit) diſcordi inter ſe diſſiderent concordia.

Ann. Chr. M. IV. Nov. XIII. Omnibus carus.

VI. Floriacum revocatur.

Per idem tempus, à venerabili Abbate ſuo Oylboldo litteras ſuſcepit, paternæ dulcedinis ſollicitudine refertas. In quibus inter alia monetur, ut ad ſua quantocius reditum maturet, ac deſiderantum ſe conſpectibus repræſentet; de quibus nos principium & quædam alia excerpentes, huic inſeruimus volumini. Hoc ergo ipſa epiſtola habebat exordium: « Præſcientia Dei Abbas Oylboldus, & omnis concors Patris Benedicti congregatio, dulciſſimo Fratri Abboni, quidquid pater filio, quidquid amicus amico. Gratiæ omnipotenti Deo, qui tuo inſpiravit cordi, ut in Babylonica captivitate memor eſſes gratiſſimæ Sion. Hoſtiam jubilationis immolamus, quòd per tuas litteras cor noſtrum lætificatum eſt, & quòd de te maximè timebamus, à memoria & mente noſtra expulit. Verè favus diſtillans ſunt labia tua, quæ diſtillaverunt verborum fluenta, ſuper mel & favum gutturi noſtro dulcia, quæ ſuper aurum & argentum recepimus, peneſque nos ſervamus. Atque poſt pauca: Quamdiu tu lucerna ardens & lucens, & ceteri quoque ſoles, domum Domini prudentiæ, juſtitiæ, & temperantiæ ſpeculo irradiaſtis; gaudebant Patres in filiis, lætabatur Pater noſter Benedictus in ſuis alumnis, quos ab ipſis incunabulis educaverat Philoſophiæ alimentis. » Tandem ipſe vir Domini Abbo, juxta commonitionem honorabilis Patris ſui Oylboldi, nativæ faciem ſtatuens reviſere telluris, à memoratis Pontificibus optimis honoratur muneribus. Et à venerabili quidem Dunſtano, magnifica excepit munia in argento, ſancto Patri perferenda Benedicto: à domno verò Oſvvaldo, cum gratia Preſbyteratus, etiam cuncta eidem gradui congrua miniſteria eſt adeptus. Rediens igitur multiplicem ſecum advexit gazam, in ſuis ſpeciebus dignam vitæ ejus continentem ſignificationem. Nam armillæ torqueſque aureæ congruam benefactorum dictorumve ejus ſignificavere remunerationem: veſtes verò ſacerdotales præſentis futuræve gloriæ portendebant nitorem. At aureus Calix, & numeroſum argenti nomiſma, innocentis puritatem vitæ, ac rutilantis præſagiebant eloquii jubar. Quibus omnibus, poſt ſuam ad floridi nominis cœnobium reverſionem, ita mirificè pollebat, ut in multorum, & quos anteà latuerat, notitiam deveniret.

Muneribus ditatus, & Preſbyter factus.

VII. Abbas Floriaci creatur.

Poſtea factum eſt, ut venerabili Abbate Oylboldo humanis rebus exempto, communis Floriacenſium electio fratrum uſque perferretur, hunc ſibi Patrem poſtulantium. Præerat per idem tempus regiæ Francorum aulæ Princeps, Hugo nomine, qui conſenſum præbere non diſtulit. Et quamvis, ut in talibus fieri aſſolet, aliqui ex fratribus huic electioni pervicaciter [a] reniſi eſſent; tamen plurimorum, & (ut poſt patuit) ſanioris conſilii, prævaluit auctoritas. Suſceptum ergo vir Deo dignus Abbo paſtorale officium, uti ille qui quid ſuſcepiſſet intelligeret, irreprehenſibiliter diſponere pro poſſe ſatagebat. Monebat ergo ſubditos, vitiorum abdicatis ſpinis, in areolis cordium divinarum ſerere aromata virtutum. Jam verò contra vitia carnis jugem aiebat debere haberi pugnam; omnique induſtria inveſtigandum, quibuſnam armis quis ejus repugnet oblectamentis. Ad quod explendum, poſt orationum vota, poſt jejuniorum

Monitis optimis ſuos inſtruit.

a De hac contradictione & turbis inde conſecutis confer dicta ſuperius in Elogio ſancti Maioli Abbatis, pag. 776. tomi ſuperioris.

Digitized by Google

ANN. CH. M. IV. Nov. XIII. Ad ſtudendum & ſcribendum hortatur.

virilia certamina, multum prodeſſe cenſebat litterarum ſtudia, maximéque dictandi exercitia. Quarum ipſe perſtudioſus exſiſtens, nullum pæne intermittebat tempus, quin legeret, ſcriberet, dictaretve. Exſtant multa ſcriptorum ejus inſignia, quæ proprio indigeant volumine. Nos interim aliqua, futuris profutura ſæculis, ſuccinctim noſtris inſerimus chartis. Nempe poſt elucidatos (ut prælibavimus) dialecticos ſyllogiſmos, poſt exaratas Compoti calculationes, poſt Solis ac Lunæ viarum declaratas dimenſiones, in divinas quoque animum intendit Scripturas: aſſumptiſque ex plurimorum Patrum auctoritatibus ſententiis, velut prudentiſſima apis, variis favos componens floribus, mellitum defloravit opus. Quod licet ad præſens non [a] reperiatur, partim noſtrorum negligentia, partim extraneorum ſubtractum cupiditate, certum tamen eſt, idcirco eum excerpſiſſe, quò haberet ad manum defenſiones contra Pontificem eccleſiæ Aurelianenſis, non recta quædam ab eo exigentem.

Scripta ejus.

VIII. Denique cùm idem vir Domini paratus eſſet juxta Apoſtoli præceptum, ſubdi etiam omni humanæ creaturæ propter Deum; intelligens tamen loco quem regebat, poſtmodum poſſe officere, ſi ei modos ſubjectionis [b] quos requirebat, ad ipſius libitum dependeret; id facere in omni ſua recuſavit vita. Unde idem Pontifex, ARNULFUS nomine, animadvertens nec ratione, nec divinarum legum eum poſſe convinci, altercatione manifeſtum ſe ei oſtendit inimicum. Qua de re actum eſt, ut ſatellites memorati Pontificis eumdem virum Dei Turonis ad feſtivitatem ſancti Martini properantem noctanter aggreſſi, gravibus afficerent contumeliis, quibuſdam obſequii illius hominibus ad necem uſque vulneratis. Quam rem præfatus Antiſtes cùm in reliquis actibus ſuis, honeſtis ſemper ſe demonſtraret pollere moribus, nequaquam, ut par erat, indignè tulit: verùm propter vulgi famam, aliquos eorum qui hoc perpetraverant ſcelus, quaſi pro ſatisfactione, ut virgis cæderentur, ante eum adduxit. Sed Dei ſervus perpendens hæc non recta fieri intentione, ſimulque memor Domini per ſcripturam dicentis: *Mihi vindictam, & ego retribuam*; quæ offerebantur accipere noluit: & quia vindictam ſumere per ſemet diſtulit, ut à Domino vindicaretur emeruit. Etenim quoſdam ex ipſis morte ſubita interceptos, in lectulis ſuis repertos mortuos; alios in rabiem eſſe verſos, fama vulgante didicimus. Enimvero quia difficile eſt in proſperis invidia carere, à quibuſdam aliis Præſulibus, necnon noſtri Ordinis viris, videlicet monachis, quos nunc nominibus propriis deſignare ſupervacuum fore credidimus, æmulo lacerabatur dente. Quapropter ad dominos rerum, inclytos ſcilicet Franciæ Reges, HUGONEM ac ejus filium ROTBERTUM, à quibus pro ſummæ æquitatis ac veritatis tramite, quam ipſe Dei famulus inoffensè diligens tenebat, quàmmaximè amabatur, Apologeticum ſcripſit librum, cujus hoc exſiſtit exordium.

1. Pet. 2. 13.

Arnulfus Epiſcopus ipſi infeſtus.

Rom. 2. 22.

Abbonis liber Apologeticus ad Reges.

» Sæpè contingit, ut dum nimius inſurgentium calamitatum horror mentem fatigat, ipſo horrore, non ea quæ dicere debuerat, turbatus animus expediat: ſed phantaſmate cogitationum aliorſum raptus, quæ tacenda ſunt dicat, ac, quod eſt conſequens, quæ dicenda taceat. Semper enim ſummæ tranquillitatis quietem diligit, qui veritatis arcanum ratiocinando diſponere geſtit. Quapropter ab ipſis diſciplinarum rudimentis, ſicut cervus deſiderat ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea laborioſum ſpiritualis Philoſophiæ otium: cùm ad multorum utilitatem verterem in honeſtum negotium: cùm meis peccatis præpedientibus, eo relicto, quodammodo ad ſæculi ſollicitudinem ſum reductus, qui ſub cura paſtoralis regiminis cotidie ſuſtentor aqua anguſtiæ & pane tribulationis. Corro-

[a] Hoc ipſum eſſe puto collectaneum canonum, editum in tomo 2. Analectorum à pag. 148.

[b] Lege Obſervationes prævias num. 9. & Præfationem.

Digitized by Google

Ann.Chr. M. IV. Nov. XIII.

dit me canino dente æmulorum ſupplantatrix calliditas, circumlatrat adverſariorum frequens acerbitas: nec aliud contra me immurmurant, niſi quòd monachorum Senatum ſalvum eſſe velim. Noſtræ Reipublicæ augmentum quæſivi, ac cavillationi inſidiantium auctoritate qua valui contradixi. Nec abſcondi omnino miſericordiam & veritatem à conſilio multo. Pro hujuſmodi malis meo inſidiantur ſanguini, me ſuccenturiatis inſequuntur odiis; adeo ut nec regia Majeſtas eos deterreat, quin me clanculum trucident, ſi eis locus tempuſve arrideat. Unde ſedulus in orationibus meis Dominum deprecor, ut judicet, & diſcernat cauſam meam ſolitò, eripiatque ab homine iniquo & doloſo. Hæreticorum autem in hoc eodem libro faciens mentionem, poſt nonnulla alia, hæc interſerit. Omnes, inquiens, hæreſes ita perſecuti ſunt patres noſtri, ut primitus fide expoſita, explorarent in ſuis Conciliis, ne quis ſentiret contrarium ipſis Apoſtolis. qui repertus, abſque ulla dilatione, aut ad corpus Eccleſiæ eſt reductus: aut uſque ad erroris abrenuntiationem, perculſus anathemate, catholica privatus eſt communione. Nec magis ſerpentem tangere vitaverunt orthódoxi, quàm adhærere hujuſmodi lepra contaminatis. Unde in Canonibus prohibemur, ſi nos catholicos eſſe ſcimus, ne cùm eis ſaltem oremus. Nam ſub Marciano Principe, apud Calcedoniam XV. & eo amplius dierum actio de hac re ventilata eſt, reſidentibus Epiſcopis DC. & ut quibuſdam placet, M.CC. quibus omnibus pius Princeps ex ſuarum rerum copia ſumtus abundanter præbuit, quoad omnes hæreticos à ſe repellerent, id eſt eos, qui in verbo vel opere aliter, quàm ſancti Apoſtoli ſenſiſſent. Quo facto, in tantum fidei puritas placuit pio Principi, ut eam ipſe cum ſua conjuge ſub chirographo publicè profiteretur coram illo magno Concilio. Cujus piam religionem imitamini, domni noſtri HUGO & ROTBERTE cariſſimi Reges, ſi in terra viventium, Chriſto vultis eſſe heredes ac coheredes: & de regno veſtro omnem hæreticam pravitatem depellite, ut Deus vos cuſtodiat in æterna pace. Et poſt pauca, inter reliquas hæreſes etiam de * oratione Eccleſiarum in his deflens exſurrexiſſe regionibus, hæc infert. Caveat, inquiens, quicumque vult ſalvus eſſe, eam, haud dubiè quin Eccleſiam, alicujus alterius, niſi ſolius Dei poſſeſſionem credere. Unde Petro principi Apoſtolorum dicitur: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Meam, inquit, non tuam. Et Chriſtus alibi: *Domus mea domus orationis vocabitur.* Pſalmiſta quoque: *Domum tuam, Domine, decet ſanctitudo.* Si ergo Eccleſia non eſt Petri, cujus erit? Aut ſucceſſores Petri audebunt poteſtatem ſibi vindicare, quam non habuit Petrus princeps Eccleſiæ? Certe, cariſſimi Principes, nec catholicè vivimus, nec catholicè loquimur, quando illam Eccleſiam dico eſſe meam, ille alteram dicit eſſe ſuam. Ac veluti quædam jumenta, comparati jumentis inſipientibus, utraſque aliquando venales proponimus, propoſitaſque ab aliis emere non formidamus. Eſt etiam alius error graviſſimus, quo fertur altare eſſe Epiſcopi, & eccleſiam alterius cujuſlibet domini: cùm ex domo conſecrata & altari unum quoddam fiat quod dicitur eccleſia, ſicut unus homo conſtat ex corpore & anima. Videte, æquiſſimi Principes, quò nos ducit cupiditas, dum refrigeſcit caritas.

* f. deſolationem.

Matth. 16. 18.

Matth. 21. 13.

Pſal. 92. 5.

IX. Concilium apud S. Dionyſium de decimis.

In illis ſane diebus, in monaſterio ſancti Dionyſii, haud procul à Pariſius, Concilium aggregatum eſt quàm plurimum Epiſcoporum. qui cùm de fidei puritate, de corrigendis tam ſuis, quàm ſubditorum pravis moribus ſermocinari debuiſſent, juxta vulgare proverbium, cunctum ſuum ſermonem ad Decimas [a] verterunt eccleſiarum. quas laïcis, ac Deo ſer-

[a] Sæculo X. de decimis monaſteriorum itidem controverſiæ emerſerunt in Germania, ex Sæculi 3. parte 2. pag. 29.

Ann. Ch. M. IV. Nov. XIII.

vientibus monachis auferre moliti, reſiſtente eis in hac re hoc venerabili Dei cultore Abbone, promiſcuam in ſe vulgi concitavere manum: ortaque ſubito ſeditione, tantus in Epiſcopos timor irruit, ut publica ſtatione relicta, paſſim quiſque diffugeret: inter quos Sevvinus Senonum Archiepiſcopus, Primatum Galliæ in ea Synodo ſibi uſurpans, primatum quoque fugæ arripuit: & inter fugiendum, ſecuri inter ſcapulas ictus, lutoque à popularibus oblitus, ægrè evaſit. Uni quoque Epiſcoporum timor fugienti tam veloces addidit alas, ut affluentiſſimo prandii apparatu, quem ſibi exſtruxerat, relicto, vicinæ urbis Pariſiorum mœnia fugitabundus expeteret. Totam ergo tantæ calumniam injuriæ, tàm à præfato Arnulfo, quàm à reliquis Pontificibus, ſubſemet devolvi perpendens hic Deo devotus Abbo, in eodem Apologetico non ſolùm ab hoc, verùm & à quibuſdam aliis, hoc modo ſe purgat objectis.

Abbo apologiam texit.

» Nec me veſtro, ait Regibus, aliorúmque ſapientum examini ſubduco, » qui contra Canones ſenſiſſe ſuſpicor. In Epiſcopos manum monachorum » moviſſe accuſor; veſtram benevolentiam proprio Epiſcopo tuliſſe blaſ» phemor, quibuſdam excommunicatis participaſſe criminor. Sed eſto: cui » ſententiæ Canonum contradixi, qui in illo Concilio vix apertum librum » videre potui? aut Concilium illud fuit, ubi conciliati venerunt, & diſcon» ciliati receſſerunt; cùm ibi diſcordes reconciliari debuerint, aut cano» nica diſtrictione multari. Quid in me ſigulariter commiſerunt Epiſcopi, » ut eis ſaltem cogitatione obeſſe voluerim: præſertim cùm non inimicum, » ſed fide & opere amiciſſimum, graviora pericula pertuliſſe contigerit? » Ecce coram Deo in Chriſto non mentior, quia audita inſequentium con» clamatione, ultra quàm dici poſſit indolui, recordatus priſtinæ amicitiæ » & beneficiorum tanti viri, cujus nix venerandum caput oſtendit, excepta » Primatis prærogativa & ſacerdotali infula. Qua ſuggeſtione vos decepi, » ut veſtram benevolentiam optimis auferretis, male meritis conferretis? » Num ego Deus ſum, qui mutat mentes, mutat corda, mutat regna & » tempora? Verè fateor me magicam ignorare, nec aliquid malarum ar» tium didiciſſe. Atque paulò poſt hæc addit. Denique quod excommu» nicatis me miſcuiſſe aſſerit, ejus exemplo utique feci, qui filios Belial » nocturno latrocinio in meam necem graſſantes, recepit: poſtquam eos » anathematizaverat ſuus Archiepiſcopus; ſingularis meriti Sevvinus, » & Odo Carnotenſium epiſcopus, necnon & alii magnæ vitæ & religio» nis viri. Et iniqua indignatus exſurgere judicia, exſecrantis voce procla» mat: O tempora! ô mores! certè qui volunt exſequi in fabrateria men» dacii cupiditates ſuas pravas, ipſi nituntur condere leges iniquas. Ad ultimum ſua non ignorans multis diſplicere ſcripta, Regibus ſeſe commendat, præcipuè domno Rotberto, quem ſcientem litterarum, ac idcirco » diligentem fore noverat ſtudioſorum, ſcribens in hæc verba. Præterea » dominos meos cùm familiariter alloquens bona ſuadeo, multorum ani» mos ſcio contra me concitos, juxta illud Comici: Obſequium amicos, » veritas odium parit. De quorum animoſitate non multum moveor, dul» ce decus meum Rotberte, quem atavis Regibus editum divina pietas » perduxit ad regni faſtigium; ſi poſt Dominum & ſanctos ejus, veſtro ſpe» cialiter ſuſtentor auxilio & conſilio, cujus mentionem in cotidianis ora» tionibus meis numquam prætereo.

Terentius.

X. Bernardo etiam Abbati Bellilocenſium, inter alia, duarum mittit textus epiſtolarum, quarum non putavimus prætermittendam commemorationem. Hunc ſanè Bernardum pater Hugo, haud infimo inter proceres Aquitanicos ortus loco, ex copioſa filiorum caterva Deo obtulerat ad ſerviendum, ac ad Floriacenſe ſancti Patris Benedicti cœnobium miſerat, litteris imbuendum. quem hic totius bonitatis plenus Abbo, ex

Bernardus Bellilocenſis Abbas, clari generis.

Digitized by Google

præcepto Abbatis ſui honorabilis Richardi ſuſceptum, valde dilexit, & in quantum temporis opportunitas adriſit, liberalibus artibus erudivit. Sed idem Bernardus, non longo annorum interjecto ſpatio, à patre ſuo evocatus, Solemniacenſi Abbatia, quam ſanctus quondam conſtruxit Eligius, eſt donatus: ac non multo poſt, Bellilocenſem locum, quem ejus genitor jure belli, armiſque conquiſierat victricibus, eſt adeptus. Cui cùm Vuillelmus Comes Toloſanus Caturcenſem præſulatum, quem nunc regit, committere diſpoſuiſſet; & ob hoc, tàm ipſe Comes, quàm & Archiepiſcopus Bituricenſium, ſub cujus diœceſi eadem eccleſia conſiſtit, non minimam pecuniæ ſummam ab eo exigerent: ad hunc alumnum ſuum ſanctum dirigit Abbonem, quid facto opus eſſet interrogans. Ad quem ille caritativam direxit epiſtolam, ita ſe habentem. Quia te divina pietas ſervum ſuum multis honoribus admodum extulit, quos virtutum prærogativa adeo excolis, ut te imitabilem præbeas pluribus bonis: hortor & admoneo, ut tuæ memor profeſſionis, illos gradus excellentiæ appetas, in quibus Dominum non offendas. Et poſt aliquanta, eos denotans qui gratiam ſancti Spiritus vel vendunt, vel emunt, hæc dicit. Hujuſmodi emtores quaſdam velut telas aranearum texunt, quibus ſe defendunt, quod non benedictionem, ſed res Eccleſiæ poſſeſſuri emunt. Cujus verò poſſeſſio eſt Eccleſia, niſi ſolius Dei? Quis ejus dominus, niſi Deus? Quia etſi præſens Eccleſia indiget duobus advocatis, uno in rebus temporalibus, altero in ſpiritalibus; neutrum tamen habet ut dominum, qui eam vel vendere poſſit, vel emere, quam Chriſtus redemit ſuo ſanguine. Danſque ei conſilium, hujuſcemodi clauſula finem imponit Epiſtolæ. Numquam ergo, inquiens, fieri hæreticus ullo modo acquieſcas, quia inaniter de peccatis pœnitentiam agit, qui eam fidem impugnat, quam ſub ſanctis Apoſtolis catholica tenuit Eccleſia. Verùm Bernardus tandem aliquando bonorum hujus vitæ pertæſus, videns multorum frigeſcere caritatem, & ideo ſuperabundare iniquitatem; deliberavit animo, relictis omnibus quæ poſſidebat, Jeroſolymam petere. quod iter à patre ejus, pœnitentiæ voto, ante omnes fere in hoc tempore Galliæ habitatores cœptum, ac percurſatum fuerat. Nec tamen hoc abſque ſui ſententia didaſcali aut conſilio perficere diſponens, ad Floriacum venit monaſterium, ſecreta cordis ſui huic ſuo totius bonitatis patefacturus magiſtro. Ille, Jeroſolymitano interdicto itinere, ne omnino ejus voluntati contraire videretur, Romam petere, montem Garganum adire conceſſit: paternoque affectu, attributis comitatui ſivè obſequio illius aliquibus ſuorum, cum fraterna eos ſivit abire benedictione. Qui propinquorum ſuorum æquè limina Apoſtolorum adeuntium coactus querelis, dicentium ejus abſceſſu clandeſtina inter ſe conſurrexiſſe bella; Constantinum Preſbyterum, quem ei ut obſequeretur pius magiſter ipſi delegaverat, ex itinere ad eum remittit, mandans ſuorum neceſſitudine ſe domum redire compulſum. Non tamen quippiam ſe ſine ejus præcepto acturum, quin potiùs ei per omnia, uti prius ſpoponderat, pariturum. Simulque quæſtione propoſita, inquirit, utrumnam melius eſſet cuncta relinquere, an ut ſuis præſidio foret, ſæculo ſpecie tenus deſervire? At veritatis amator Abbo, apicibus ad eum directis, & quid ſibi rectius videretur exponit; & quid ipſe tenere mallet, liberam dat eligendi copiam. In quibus, non ſolum ipſum Bernardum Abbatem, ſed etiam univerſos viæ ejus conſortes, aut gravi laboraviſſe incommodo, aut mortem obiiſſe condolens deflet. Inter quos domnus Remigius monachus, qui pòſt Cellæ in qua idem beatus Abbo corpore humatus quieſcit, præfuit, ab eodem Dei viro ad obſequium memorati Abbatis, nunc Epiſcopi, directus, magna vi febrium vexatus eſt. Sed nos memoratos apices, ad de-

Ann. Ch. M. IV. Nov. XIII.

Caturcenſis epiſcopus.

Abbo ei optima dat monita.

Simoniam impugnat.

Primæ Jeroſolymam peregrinationes.

Bernardi iter Romam, &c.

Abbonis alia epiſtola ad ipſum.

Ann. Ch. M. IV. Nov. XIII. monſtrandum hujus hominis Dei benignitatis affectum, ex integro huic volumini inſerere dignum duximus, in reliquis ejus epiſtolis abbreviationi operam daturi. Eſt enim hujuſmodi.

Domno meo Abbatum cariſſimo Bernardo, ſervus ſervorum Dei Abbo. » Suſcepi, venerabilis in Chriſto, vivas tuæ peregrinationis litteras, & ex » pæne mortuo Preſbytero addidici, quid inter fluctus cogitationum ſemi» vivus lugeas, quem concepti voti impotem patriæ calamitas inpræſentia» rum reddit, & innatam devotionem, ut opinor, diſtulit, non funditus » exſtinxit. Quod audiens, fateor nimis indolui, & lacrymando dolori ſa» tisfeci: quandoquidem tui deſiderio gemebat circumſtans fratrum maxi» ma multitudo, & omnibus in commune gementibus, redibat ad memo» riam, quod vir magnæ gravitatis Hugo, tui comes itineris & ſocius la» boris, multis bonis flebilis occidit, nulli flebilior quàm tibi, pro cujus » amore, poſt Dominum, patriam, parenteſque relinquens, exſul vitam » finivit. Cumque ſatis egiſſem mæroris, tandem mihi conſului; quia tibi » abſenti non potui, quem in orationibus interdiu videre videor, dum om» nipotenti Deo ſacrificium ſpiritus contribulati offerre non deſiſto. Siqui» dem id nimium extimui, quod bajulus legationis innotuit, vultum vide» licet veſtrum ita emarcuiſſe, ut vix queatis ſubſiſtere, non ſolum deſtitutus » ſobrietate & amicitia defuncti, verum etiam robore proprii corporis. Vereor » itaque ne inſidiæ diaboli quæ multæ ſunt, & vias ſervorum Dei ſpinis cir» cumſæpiunt, te à via mandatorum Dei avertant, & retro reſpicere com-
Geneſ. 21. » pellant, priuſquam ad Segor parvulam civitatem devenias, in qua tuam » animam ſalvans, ſalvare queas. Scio etenim quod nunc tibi circumſtre-
1. Reg. 6. 12. » punt propinquorum greges, militum phalanges, amicorum multitudines, » & ſuccenturiati declamatoriè perſuadent, quod ſibi, non tibi utile dijudicant. » Sed domi vitulis religatis, noſti quid vaccæ fecerint, quæ mu» gientes arcam teſtamenti portaverunt; & non declinantes ad dexteram » vel ad ſiniſtram, Betſamis pertulerunt. Cujus facti non immemor, recor» dare, quod in ſacrificio jubetur offerri cauda hoſtiæ: nec ulla rei fami» liaris cogitatio ſubrepat, quæ te à recto itinere dimoveat. Nam occur» rit animo quod mecum familiariter locutus es, dum Romam proficiſci » decreviſſes, conſulens, utrum ſcilicet relinqui deberet ſemel ſuſcepta » cura paſtoralis regiminis, & oporteret dare libellum repudii fratribus & » filiis, qui nobis adverſantur in via Dei? Cui cum ego reſpondiſſem, quod » auctoritate Patrum certum noveram, & creditis ovibus mortem præva» lere perſentiſcerem; te infructuoſum ſaltem tibi perſuadere nec auſus ſum, » nec debui, exemplum proponens Pauli Damaſcum fugientis, & beati Pa» tris Benedicti monachorum legiſlatoris. Denique in multis cauſis occaſio » ſe immergit, quæ difficultatem contrariæ legis bono exitu meliorem red» dit. Quis enim non laudet curam paſtoralis regiminis, ſi proſit? Quis » rurſus non laudet in ſe benevolentiam Paſtoris, ſi aliis non proſit? Solet
Leges pro rerum circumſtantiis debent explicari. » nempe eſſe in præceptis divinis, quod & in antiquis reperitur edictis. Lex » eſt: Si quis maſculus templum Veneris fuerit ingreſſus, capite puniatur. » Quidam juvenis præteriens templum Veneris, intus matrem cædi conſ» pexit: & introgreſſus eam eripuit. Accuſatur contra legem feciſſe. De» fendit ſe ille legi paruiſſe, & inter diſſidentes, ſi percuſſori ignorantia non » proſit, juvat ex circumſtantiis occaſio pietatis. Idem eſt in noſtris Evan» geliis, ubi præcipimur non ſolum uxorem relinquere, ſed etiam odiſſe, » propoſito præmio, quod qui hoc fecerit centuplum accipiet, & vitam » æternam poſſidebit. Rurſus qui uxorem dimiſerit, non quidem præmio, » ſed eo ſupplicio dignus ſcribitur, quo mœchi damnari præcipiuntur. Porrò, » & qui matrem eripuit, & qui uxorem dimiſit, uterque præjudicium » patitur, ſi ſupplicio punitur: quoniam inde auctori legis ſe placere putat,

Digitized by Google

unde offendiſſe præjudicatur. Qua propter, dilectiſſime, non bonum ma- «Ann.Ch. M. IV.
lo melius exiſtimes, ſed bonum bono melius credas: & ex contrariis ſen- «Nov. XIII.
tentiis eam eligas, qua vitiis abrenunties, & moralibus virtutum exerci- «
tiis creſcas. Denique dum Abbatis onus portare debeas, an debeas depo- «
nere addubitas. Diſcretionem, qua maximè opus habes, matrem virtu- «
tum aſſumas, & conſcendendo tribunal conſcientiæ, judicio diſcute, «
quid utilius honeſtiuſve ſit animæ tuæ. Nam officium Abbatis implere, «
& lucrum animarum quærere, honeſtiſſimum eſt, cui non impoſſibile eſt: «
cui verò malitiâ ſubjectorum impoſſibile eſt, quid ſupereſt, niſi ut ho- «
neſtius putet divino parere oraculo, quo ſcriptum eſt: *Fili, miſerere ani-* «Eccl. 30. 24.
mæ tuæ placens Deo? Sanè & apud Ezechielem ſpeculator clamans & non «
auditus, animam ſuam liberat: & apud Benedictum Patrem, Paſtor ſpre- «
tus & contemtus abſolvitur, qui omnem curam exhibuit creditis ovi- «
bus. Ceterum, venerabilis Pater, ſaltem in feſtivitate Patris noſtri Bene- «
dicti quod tibi placeat innoteſce, ut certi eſſe poſſimus quantocius de tua «
quam optamus ſalute. «

XI. Abbonis duplex iter Romam.

Interea eximius Abbo condigno apparatu Romam proficiſcitur, privi-
legia eccleſiæ ſibi commiſſæ corroboraturus, immo renovaturus. Sanè
non qualem voluit, aut qualem debuit, ſedis apoſtolicæ Pontificem, no-
mine JOHANNEM, invenit. Nempe turpis lucri cupidum, atque in om-
nibus ſuis actibus venalem [a] reperit. quem exſecratus, perluſtratis oratio-
nis gratiâ ſanctorum locis, ad ſua rediit, emtis optimæ ſpeciei aliquan-
tis holoſericis palliis ornatui eccleſiaſtico congruis. Porrò paucis laben-
tibus annis, occaſio ſe præbuit, ut rogatu ac precibus glorioſi Regis ROT-
BERTI, Romuleam repedaret ad urbem. Præcipua verò earum pro qui-
bus directus eſt cauſarum, hæc fuit: quia ARNULFUS Remorum Ar-
chiepiſcopus, abſque juſta audientia ſede ſua privatus, cuſtodiæque fuerat
mancipatus. Ob hoc GREGORIUS, qui Johanni in apoſtolica ſucceſ-
ſerat ſede, non ſolùm nobilitate generis, verùm etiam probitate clarus
mentis, toti regno Francorum anathema ſe invecturum comminatus eſt.
Hac igitur ex re Italiam repetere ſervus Chriſti Dei cogitur. Et quamvis
mole corporis gravaretur (nam in tranſmarinis regionibus, peregrino-
rum ciborum inuſitata qualitas, decoctæque potionis hauſtus, corpus ejus
pingue reddiderat) nequaquam tamen labore fatigabatur. Nec verò ipſa
ejus pinguedo ullam ei ingerebat dehoneſtationis maculam. Et cupidus
pacis cùm foret, leve ducebat omne genus defatigationis: dummodo eum
reperiret virum, per quem, fama vulgante audierat, ad priſtinum poſſe
ſtatum religionis reſurgere normam. Profectus ergo, Romana iteratò re-
viſit mœnia: ubi eo quem quærebat nequaquam reperto, per concava
vallium, per prærupta montium inveſtigans, tandem in finibus Spoleta-
norum invenit. Cumque ſe invicem duo Eccleſiæ lumina conſpexiſſent,
gaudio ultra quàm credi poſſit gaviſi magno, in mutuos ruunt amplexus. Gregorii Papæ reſ-
Et prior veræ humilitatis cuſtos Abbo ſalutatoria à parte Regis depromit ponſum ad
verba. Tum ſacerdos verè Apoſtolicus, reddita benedictionis recompen- ipſum.
ſatione, ait beato viro: Bene te adveniſſe gaudeo, fili, Eccleſiæ veritatiſ- «
que, ut comperi, cuſtos ardentiſſime. Etenim ſurdus de te rumor meas «
repleverat aures, te tàm divina quàm humana pollere ſapientia, nec qua- «
libet amicitia à jure æquitatis abduci poſſe. Verè fateor me jam dudum «
deſideraviſſe tuum intueri vultum, tuo concupiviſſe amicabiliter perfrui «
alloquio. Fruamur ergo cupitis ſermocinationibus, alterniſque divinarum «
atque mundanarum lectionum aliquamdiu mentem relevemus ſtudiis. «
Porrò unum te volo noſſe, legationem tuam me benignè ſuſcipere, & «

[a] Id eſt Johannes XV. poſt annos pontificatus undecim mortuus anno DCCCC. XCVI. quo ei ſucceſſit Gregorius V. ad quem Abbo à Rotberto legatus eſt.

ANN. CH. M. IV. Nov. XIII.

» quæque ſuaſeris, me facturum fore. Tuum autem erit petere, meum verò
» petitis pro poſſe aſſenſum præbere. Novi namque nihil te contra jus faſ-
» que poſtulaturum: ac ideo me tibi contraire ſcio non eſſe æquum. Poſt
hæc verba, omnibus ei collatis victui neceſſariis, ad hoſpitium ſivit abire.
Sicque octo fermè diebus eum detinens, & frequenter convivio ſuo eum
aſciſcens, cunctis pro quibus ierat libens annuit.

XII. *Privilegia & dona Abboni ab eo conceſſa.*

Tunc verè ſollicitus Paſtor Abbo, memor utilitatis loci quem regebat,
privilegium illi apoſtolicæ utilitatis fieri rogavit. quod Deo dignus Papa
tàm favorabiliter largitus eſt, ut non ſolum nullum pecuniæ quæreret lu-
crum, verùm thymiamate ac planeta, qua inter Miſſarum uteretur ſollem-
nia donatum, eumdem Dei famulum gaudentem ad proprium remiſit ſo-
lum. In eo ſanè privilegio inter alia continetur, ut Epiſcopus Aurelia-
nenſis, niſi invitatus, Floriacum nequaquam adeat cœnobium: neve um-
quam quilibet Pontificum eidem monaſterio divinum interdicat officium,
etiamſi tota Gallia ob populi peccata, anathematis feriatur vindicta à
ſede apoſtolica. Sed ne quis eos, domnum dico Apoſtolicum & Abbonem
ſanctum, exiſtimet in hoc facto contraria regulis ſanctorum ſenſiſſe Pa-
trum: neceſſarium nobis viſum eſt, ex epiſtolis Magni Papæ Gregorii
pauca de pluribus hîc exempla inſerere, in quibus exquirendis pia huic
beato viro ſemper fuit intentio. Sciebat namque, illum numquam vel ſen-
ſiſſe, vel ſcripſiſſe contra Canonum decreta. Scribit ergo idem egregius
» Papa Gregorius Maximiano Ravennati Epiſcopo, inter alia. Quoties pro
» utilitate monaſterii ſui ad Pontificem Romanum Abbas venire vel tranſ-
» mittere fortè voluerit, id ei modis omnibus liceat. Quod verò ab Epiſco-
pis & clericis monaſteria inquietari non debeant, tàm memorato Ponti-
fici, quàm ejus anteceſſori Johanni, frequentibus ſcripſit Epiſtolis. Lumi-
» noſo quoque Abbati de eadem re inter cetera, ſic ait. Caſtorio, inquiens,
» fratri & Coepiſcopo noſtro, noſtra præceptione tranſmiſſa, ei ſucceſſori-
» buſque ejus, à te monaſterioque tuo cunctam læſionem abſtulimus fundi-
» tùs poteſtatem: ut nec ultra in veſtro verſaretur gravamine, nec mona-
» ſterii res deſcribat, nec publica illic debeat eſſe proceſſio. Ad eumdem
» etiam Caſtorium, poſt aliqua ita ſcribit. Miſſas, ait, illic (haud dubium
» quin in monaſterio) publicas per Epiſcopum fieri omnino prohibemus:
» ne in ſervorum Dei receſſibus, popularibus præbeatur ulla occaſio con-
» ventibus, & ſimpliciores ex hoc animos plerumque (quod abſit) in ſcan-
» dalum trahat frequentior quoque muliebris introitus. Quod autem divi-
num officium monaſteriis interdici non oporteat, Johanni Epiſcopo de
» Urbe-veteri ſcribens, ita aſſerit. Agapitus Abbas monaſterii ſancti Geor-
» gii inſinuavit nobis, plurima ſe à veſtra ſanctitate gravamina ſuſtinere:
» & non ſolùm in his quæ neceſſitatis tempore monaſterio aliquod poſſint
» ferre ſubſidium, verum etiam in hoc monaſterio Miſſæ prohibentur cele-
» brari, ſepeliri etiam ibidem mortuos interdicis. Quod ſi ita eſt, à tali vos
» hortamur inhumanitate ſuſpendi, & ſepeliri ibidem mortuos, vel celebrari
» Miſſas nulla ulterius habita contradictione permittas, ne denuo quere-
» lam de his quæ dicta ſunt, prædictus vir venerabilis deponere compella-
» tur. Verùm de his ſatis dictum: nunc cœptæ narrationis ordo repetatur.

Privilegii ſumma.

Arnulfi Archiepiſcopi reſtitutio.

Regreſſus itaque honorabilis Abbo ad Regem, à quo miſſus fuerat,
cuncta pro quibus ierat perfecta nuntiat. Arnulfum Remenſem cuſtodia
[a] exemtum pontificatui reſtituit: pallium illi à domno Papa directum
reddidit. Poſt hæc per internuntios ipſi venerabili Apoſtolico domno
Gregorio amicabiles plenaſque reverentiæ dirigit litteras, in quibus in-

[a] Hinc rectè colligit Coſſartius, Arnulfum non ſtatim à Remenſi Concilio anni 995. ſub Johanne XV. reſtitutum fuiſſe, ſed tantùm ſub Gregorio V. ſub quo hæc legatio contigit. Adi tomum 9. col. 751. & 758.

notefcit,

ANN. CH. M. IV. Nov. XIII.

noteſcit, ſe cuncta uti juſſerat perfeciſſe. quarum iſtud eſt exordium. Domino ſemper in Chriſto venerabili ſanctæ Romanæ & apoſtolicæ ſedis Præſuli, ac ideo univerſalis Eccleſiæ Doctori, ſuus ille, Abbo Floriacenſium rector, in Chriſto ſalutem. Sæpius contingit ut puritas integræ veritatis vacillet ſententiâ malefidi interpretis. Quod ego, venerabilis Pater, cavens, veſtri animi ſenſa fideliter ſimpliciterque, ut præcepiſtis, deprompſi: nec animoſitatem Regis perhorrui, dum fidem quam vobis promiſeram, ex aſſe ſervavi. quandoquidem, nihil addidi, nihil minui, nihil immutavi, nihil reliqui. Horum omnium ipſe Arnulfus, è cuſtodia liberatus & abſolutus, teſtis eſt: cui veſtrum pallium eo tenore [a] obtuli, quomodo illud acceperam ex ſanctis manibus veſtris. Meminit & in fine earum planetæ ab ipſo ſibi datæ, ita inquiens: Nam liberalitatis veſtræ memor, ut ſervus Domino gratias refero, qui inter Miſſarum ſollemnia, munere veſtro uſus planeta, veſtri nullo modo obliviſci valeo in meis oblationibus. Ceterum vobis ſemper parere decrevi, cujus apoſtolatum Deus cuſtodiat in æterna pace.

XIII.

OTTONI quoque Imperatori epiſtolam verſibus conſcripſit hexametris, nullis ſapientum iſtius temporis comparandam carminibus, è porphyriano utique ſibi codice exemplar ſumens, hunc verſum, materiam & quaſi fundamentum totius conſtituit operis.

Otto valens Cæſar, noſtro tu cede coturno.

Is nempe verſus in eadem deſinit littera, qua etiam incipit: ſicque fit, ut ipſe principia verſuum omnium finemque tenens, per medium quoque epiſtolæ erectus, itemque in tranſverſum in modum crucis incedat; ipſe nihilo minus clauſula carminis fieret. Atque hoc modo contingit, ut & ipſe ſexies diverſis modis legatur, & quatuor quadrangulos in epiſtola faciat, in quibus quadrangulis quatuor nomina erectim poſita leguntur: in duobus quidem Otto & Cæſar, in aliis verò Abbo & Abba, quæ minio ſcripta, licet ſeparatim hoc ſonent, tamen cum aliis verſuum litteris in ordine rediguntur, cujus ſeries epiſtolæ hujuſmodi continetur ordine.

Otto valens Cæſar, noſtro tu cede coturno.
Tot felix atavis, quot cælo ſydera lucent.
Te Dominum ſibi Saxo tulit, & Roma notavit.
Orbis & ipſe cupit, ſolo contentus alumno,
Virtutum titulis, & vir cognoſceris actu.
Ac domitor patriæ, pacis ſectator in aula
Lumen ubique micans, jubar lucendo velut Sol,
Ergo Dei ſolita reddentur ſancta benignè.
Nec deerit virtus omnis, qua gratia culmen
Scandit & occultis . . . venia cauſis.
Certe nos omnes tibi Cæſar neſcius & nunc
Auſtraſios qua terra manet ceralis opima
Et fecunda ſecu pollet ſatis ubere gleba,
Summis cara viris, ac ſævis plena colonis,
A patris imperio non abſtitit Iſmahelita.
Rexit eum ſollers & regnans Induperator.
Nunc, Auguſte, tuum ponam venerabile nomen
Otto, valens Cæſar, noſtro tu cede coturno.
Solus enim regnans abſens, ô Cæſaris heres,
Totus avo ſimilis, ſi te nova vita reſignat.
Rex fuit ille potens, Romanæ legis amator,
Omne decus patriæ, ſolio prognatus avito.

[a] Sic reſtituendus hic locus ex mſ. codice difficili, cùm Voſſius legerit, *pallium coopertum.*

ANN. CH. M. IV. NOV. XIII.

Tempora pacis erant, tali dum jure vigeret
Vir tantus, quem ſic duxi deſcribere verſu.
Cur ergo natale tuum, cur contrahis & nunc
Exulis in bellis defers pia debita pompa?
Dum vates bonus opto dari mirabilis iſtud
Expandes opus, ipſe meum tractabilis inde
Cæſar ut invictus ſcuto munitus, & ex hoc
Omnibus utilior, miro datus ante triumpho
Terribilis, clemens tuto diademate riſit
Vultus avi patriſque tui præclarus amictu.
Rurſus uterque fuit diro ſub tempore victor.
Nunc unum vivens dignum cum patre vocamen,
Otto valens Cæſar, noſtro tu cede coturno.

Abbonis epiſtolæ & ſcripta quædam.

Sed & idem venerabilis Abbo ad ODILONEM Cluniacenſium Abbatem venerabilem, ſanæ & religioſæ vitæ virum, ſcribens, quid capitula eræ [a] ſive adnotata, quæ in Evangeliis habentur, inter ſe diſcrepent; quidve de .·.· aperta ſatis enodatione declarat. Exſiſtunt & alia ad alios hujus ſancti Patris ſcripta, quæ ne lectori faſtidium generent, nunc interim tegantur per ſilentium. Unum illud non omittendum: quod cyclos annorum Incarnationis Dominicæ, ab incarnati Verbi initio ad ſua uſque tempora, juxta veracem Evangeliorum fidem correxit, atque ad annos poſtea circiter mille quingentos nonaginta quinque dilatavit. Cujus operis præfatiunculam, [b] Fratribus ac filiis ſuis, nobis ſcilicet Floriacenſibus conſignans monachis, mentionem facit anni tranſitus ſanctiſſimi Patris Benedicti.

XIV. Leproſus ab eo ſanatus.

Sufficiat jam nunc laudem fidelis linguæ ejus, ſtilique politi, quantum poſſibile fuit, deprompſiſſe elegantiam. Illud celebri fama in populos propalare digniſſimum, nequaquam hunc beatum virum à Deo expertem miraculorum relictum, dum adhuc carne præſens incoleret ſæculum. quin potiùs ejus ſibi monſtravit placuiſſe vitam, quam miraculis voluit eſſe inſignem. Eadem autem tempeſtate fuit quidam homo, quem dira lepræ perfuderat macula. Hic admonitus eſt per ſomnium, uti ab hoc Dei homine ſuæ ſanitatis quæreret auxilium. qui veritus per ſeipſum accedere ad eum, quemdam boni teſtimonii optimæque converſationis adiit monachum, nomine ELISIERNUM *, huic eidem ſancto familiariſſimum. Illi ergo ſuæ neceſſitatis exponit cauſam, manifeſtatæque viſionis modum. Revelatum quippe ſibi fuiſſe aiebat, debere eumdem Chriſti famulum aquâ exorcizatâ manus abluere: quam videlicet aquam ipſe æger ſuſcipere deberet, languentiaque membra perfundere. Audiens hæc monachus, primo detrectavit fidem ejus adhibere dictis, ſimulque eum his cœpit objurgare verbis. Cur, inquiens, ô homo, nos tentatum advenis, ſomniorum tuorum deliramenta pro veris inferendo? Noli, noli falſis tuis adulationibus noſtras mentes ſeducere velle. Tum ægrotus perſanctè dejerat, ſe nullam fallaciæ nebulam prætendere, quin potiùs vera allegare. Abiit ergo frater ille ad hunc de quo ſermo vertitur ter beatum: & divinum, quod à languente audierat, ei pandit oraculum. At ille paullò commotior & indignantis vultu expreſſo, pæneque inlacrymans, Non, inquit, hactenus ea vobis contuli exempla, ut me adulationis quis æſtimet deſiderare obſequia. Quapropter ſi meum te vis vocari & eſſe dilectum, cave ex tuo ore iſtud deinceps audiam verbum, præcipuè cum ad iſta me nullatenùs ſciam fore * idoneum, & ſanctorum talia ſint geſta virorum.

* Boſcio male Elizerium.

* Eſſe.

[a] Eræ ſeu heræ interdum ſectiones capitum ſignificant ex tomo 2. Analectorum pag. 458. 459.

[b] De hoc opuſculo actum eſt in obſervationibus prævIis.

Digitized by Google

Cui cùm à fratre objiceretur, non oportere illum gratiam ſibi divinitùs collatam occulere, quæ ſaluti petentium crederetur poſſe prodeſſe, præſertim cùm id ille recta & ſimplici fide, non adulantium perſuaderet voto; tandem ſe vinci paſſus eſt: allataque benedicta aqua, manus lavit, memorato monacho tribuit, ut eam poſcenti infirmo perferret, imperavit. Acceptam ille aquam leproſo perfert, eique infit: „Nunc, inquiens, tua infirmitas palam cunctis eſt. Si ergo tuis nos vis fidem accommodare ſermonibus, poſtquam te his perfuderis aquis, die tertia noſtris temet viſendum repræſenta obtutibus. Fecit æger ut ſibi imperabatur: & ecce ante tranſactos præfati termini ſoles, dudum diſcolor, cunctis naturali viſebatur reinduta * ſpecie. Quod ubi fratri illi perſpicaciter credibile apparuit, mox homini Dei quæ fuerant acta, indicare curavit: à quo ſub terribili Chriſti nominis invocatione interdictum ſuſcepit, ne hoc ulli hominum, ipſe, vel is qui ſanatus fuerat innoteſcerent, quamdiu ipſe ſanctus in corpore maneret. In qua re Domini Chriſti & Redemtoris noſtri imitatus exemplum eſt: qui ſanatum à ſe alloquens leproſum, *Vide*, ait, *nemini dixeris*. Hæc nobis poſt hujus ſanctiſſimi viri tranſitum præfatus domnus Eliſiernus ſub atteſtatione retulit veritatis: quæ nos abſque detrimento veri, augmentove falſitatis, ſimpliciter referre ſtuduimus. Ille venerabilis Eliſiernus ante peractum ex quo iſta nobis retulit annum, laudabilis vitæ diem clauſit ultimum.

ANN. CHR. M. IV. Nov. XIII. — * *l.* reinductus. — *Matth.* 8. 4.

XV. Ornamenta eccleſiæ ab eo facta.

Non abhorrere à recto laudis creditur genere, ſi ea quæ ſub ipſo, vel per ipſum, ad ornatum domus Dei, quæ eſt Eccleſia, geſta ſunt, noſter explicet ſermo: maximè cum inter Salomoniaca præconia hoc præcipuè laudetur, quòd templum Domini magnificis exſtruxerit impenſis. Et quamvis ejus tenues copiæ divitiis nequeant locupletis Salomonis adæquari; tamen quæ, prout pauper quem regebat locus, tempuſque malignum perſuaſere, acta ſunt, ſilentio non ſunt digna obnubilari. Namque anteriorem tabulam altaris ſanctæ Dei genitricis Mariæ, ab anteceſſore ejus domno OYLBOLDO auro conſtrui cœptam, ad perfectum uſque perduxit: duas circumjacentes argento opertas augmentari fecit: &, ut breviter multa perſtringamus, ſex altaria tam ejus, quàm monachorum ſub ipſius regimine conſiſtentium, devota intentione, argenteis ſibi affixis præfulgent laminis: unum videlicet ſub nomine Patris Benedicti Deo dicatum, aliud ſub nomine ſummæ ac individuæ Trinitatis, ſancti quoque Stephani, & ſancti Aniani, necnon ſancti Johannis Evangeliſtæ, fratriſque ejus beati Jacobi. Sed & paries ligneus circa tumulum inclyti Confeſſoris Chriſti Benedicti locatus, ſimili eſt comptus ſpecie metalli, atque in eo quædam miraculorum ejuſdem dilecti Domini cælatoria arte perſpiciuntur expreſſa. Hæc itaque & alia nonnulla ſub egregio Patre Abbone in Floriacenſi cœnobio perfecta ſunt, inſtantia & procuratione honorabilis monachi GAUZFREDI, cui ipſe ſacrorum commiſerat cuſtodiam theſaurorum. cujus etiam Gauzfredi ſollicitudine gazophylacium lapideum eſt conſtructum, ad repellendam ignis, ſi (quod abſit) ingrueret, violentiam ſatis idoneum, eodem de quo loquimur venerabili Patre Abbone ſumptus ſubminiſtrante, de cujus vitæ moribus & ſcriptis, quia multa retulimus, ne faſtidioſi in multiloquio ſimus lectori, ſtilum ad ejus enarrandum vertamus tranſitum.

XVI. Regulæ monaſterium reformaturus adit.

Igitur cùm hic Deo amabilis, hominibuſque venerabilis Abbo per ſexdecim annos continuos in à Deo ſibi commiſſo paſtorali ſtrenuè deſudaſſet officio, Vvaſconiam proficiſcitur. Eſt in illis partibus monaſterium quoddam *Squirs*, ut fertur, antiquitus nominatum: à modernis, contrario nunc vocabulo, Regula vocitatum. Nulla quippe religionis norma, nulla aut rara bonæ converſationis ſaltem veſtigia, uſque ad hæc in eodem loco

Digitized by Google

Ann. Ch. M. IV. Nov. XIII. apparuere tempora. Id Guillelmus Sanctionis filius, Burdegalenſium Comes, ac totius Guaſconiæ Dux, audita fama religioſæ vitæ domni Richardi Floriacenſium Abbatis, ipſi, ſucceſſoribuſque ejus, ad regendum dudum commiſerat: uti in libro [a] quem de vita vel actibus Abbatum noſtri loci ſcripſimus, pleniùs explanatum eſt. In quo loco, tàm ab ipſo venerabili Richardo, quamque à duobus ejus ſucceſſoribus Amalberto ac Oylboldo, diu multumque elaboratum eſt, quo verè is locus, per habitatorum converſationem, vocabulo uteretur ſuo: nec quicquam utilitatis actum. Poſt quos, dum hic vir beatus Abbo regiminis adeptus eſſet gradum, quibuſdam ſibi perſuadentibus, quatenùs eò proficiſceretur, reſpondebat cum joco, ſe illuc iturum, quando eum ſatietas cepiſſet vitæ. Et quamquam id ipſe ludens diceret, tamen ita ſe pòſt rei habuit exitus. Ferebatur denique, nulli prædeceſſorum ejus poſt iter Guaſconiæ diu vivere licuiſſe. Tandem ipſe ad jam dictam pergit patriam, ejus regionis adit Comites, memorati filios Guillelmi, Bernardum & Sanctionem, eumdem locum non pro ſuo, ſed ipſorum diſponit libitu. Et tunc quidem proſperè ad ſua rediit, quibuſdam ſuorum, quaſi ob tutelam loci, relictis. Verùm hi quos relinquebat, perfidiam Guaſconum veriti, & tunc invicti remanſerunt: ac poſtmodum multis à Guaſconibus perpeſſis injuriis, cùm his quos illis veluti adjutores miſerat, ad eum revertuntur. Qui eorum inertiæ culpam fore nactus, alios mittit, qui quod priores neglexerant, corrigere curarent. Illi ſimilia paſſi, legatos ad eum dirigunt, quid paterentur intimant, ac ni maturato ſibi ſubveniatur, locum deſerturos, atque ad propria minitantur ſe regreſſuros. Unum hoc ſibi ex ſententia Comitum notum fore mandant: liberiorem ſibi quàm priùs, affuturam loci poteſtatem ſi ſemel ad eos adeat; & tam Comitibus, quamque Amalguino Vicecomiti, quem ipſe eis advocatum dederat, quid ipſe velit, verbo tenus declaret. Quos manere decreverit, manſuros: quos exire judicaverit, memoratos polliceri Principes, vi ſe expulſuros.

Suos ibi relinquit.

XVII. Tandem talibus impulſus allegationibus, impendente jam ultimo vocationis ſuæ die, ſecundò iter arripit. Hos ex monachis itineris comites aſſumens, ſupra nominatum Remigium, meque qui hæc ſcribo Aimoïnum, cum Guillelmo, ſuæ venerantiæ, juxta Abbatum morem, tum bajulo [b]. Jamque in via conſtitutus, legatis qui pro ſe venerant, imperat ſe antecedere, Comites advocatumque certos de ſuo adventu reddere, ne moram colloquii faciant, dum ipſe ad eos venerit, procurare. Ipſe in nullo negligens utilitatis cœnobii quod regebat, Pictavos pergit, Guillelmum illius urbis adiit Comitem, pro juvamine poſſeſſionis monaſterii ſui, quæ Salx dicitur, calumniis advocatorum valde oppreſſæ, eum rogaturus. A quo die dicta, in qua ſibi poſt ſuam regreſſionem ab eodem Comite juſta deferretur audientia, pro re alia aliquantas perinibi moras nectit. Fortè Abbas monaſterii ſancti Cypriani, in ſuburbio Pictavorum ſiti, eidem ſancto conſanguinitate conjunctus, vocabulo Gislebertus, crimine falſo impetebatur. Is eum humilima detinuit prece, uti ſuæ cauſæ, quam in proximo ventilandam autumabat, intereſſe dignaretur. Sed cùm improbus ſubſediſſet accuſator, manifeſtuſque fieri vereretur; vir Domini Abbo, qui cunctis injuriam patientibus, quantum in ſe erat, opem ferre cupiebat, litteras eidem propinquo ſuo, ex ſua parte Abbati Cluniacenſium Odiloni, cui idem monaſterium ſubjectum

Alterū ejus iter Regulam per Pictavos, &c.

[a] Hunc librum excidiſſe, aut certe alicubi etiamnunc delitеſcere dolendum eſt.

[b] Bajuli Abbatis erant ejus Officiales domeſtici, quales erant Capellanus, Procurator, & ſigilli cuſtos. Adi Gloſſarium ad Matthæum Pariſium. Hic *bajulus venerantiæ Abbatis* videtur eſſe gerulus ſigilli, in quo expreſſa erat imago Abbatis, aut certè Capellanus, qui pedum paſtorale ante eum geſtare ſolebat. Et quidem *ferula* Abbonis poſt ejus mortem in *Franciam*, id eſt Floriacum, remiſſa eſt, teſtante Ademaro monacho in Chronico.

Digitized by Google

ANN. CHR. M. IV. NOV. XIII.

erat, perferendas tradit. quæ videlicet litteræ, & ultimæ epiſtolarum ejus exſiſtunt, & apud nos cum reliquis [a] conſervantur. Ipſe iter quod cœperat maturare contendit. Nos ergo quinta poſtquam ibi adveneramus die, celebrata omnium ſanctorum ſollemnitate, quinta æquè feria inde progreſſi, per Karrofenſe * monaſterium, ad Nantoliacum devenimus cœnobiolum, in honore ſanctiſſimi Patris Benedicti fundatum: unde digredientes ſabbatorum die, Engoliſmam [b] advenimus: à qua urbe, die Dominica egreſſi, dum incerti pro advenientis noctis hoſpitio, ac idcirco mæſti incederemus, oſtendit Dominus nobis, nequaquam ſe oblitum illum ſanctum habere virum, in cujus obſequio iter illud conficiebamus.

*Charroux.

XVIII. *Aubeterre. Domi à Giraldo exceptus.

Nam dum ad caſtrum, cui Alba-terra * nomen eſt, tendere deliberaſſemus, repente dominus ipſius caſtri nobilis vir, nomine GIRALDUS, poſt tergum noſtrum celerrimè adveniens apparuit. qui dum inquireret quinam eſſemus, & beatum patrem noſtrum Abbonem adeſſe cognoviſſet; gaudens ob ejus præſentiam, ait ad eum: Dominum, inquiens, fidemque meam teſtor, me admodum gaudere, quòd te domine videre merui. nam bonitas & ſapientia tua univerſo noſtro pervulgata ſunt orbi. Unde, ſi tuæ placet benignitati, hoſpes tibi ero in hac nocte perliberalis, cuncta victui neceſſaria tribuens. Fecit ut dixerat, & uſque ad noctem permanens, etiam in obſequendo, famuli fungebatur officio. Cumque juxta quamdam ſui juris eccleſiam nobis hoſpitium præbuiſſet, ad memoratum caſtrum incibatus abiit. Poſtero die in ſtatu perſeverans heſternæ benevolentiæ, obviam ei proceſſit, præmittens per internuntios piſcium xenia: eumque aliquot deducens miliaria, tàm ipſi homini Dei, quàm his qui hoſpitii gratia comitabantur, duces viæ largitus eſt. ſic demum benedictione poſtulata atque percepta, gaudens regreditur ad ſua. Hæc ideo retulimus, ut apertè clareat, huic ſancto viro numquam defuiſſe divinum, ubi humanum putabatur defore auxilium. Nec tunc ſolummodo, verùm in omnibus itineribus ejus, ac præcipuè per univerſam, quam ea tempeſtate tenuit viam, ſicut domini à ſervis, ita à cunctis per quos tranſitus fuit, jocundus ipſius præſtolabatur adventus. Porrò nos eadem die qua de Alba-terra promovimus, tranſmeato Ella * flumine, unà cum beato Abbone, in villa, quæ Ad-Francos dicitur, hoſpitati ſumus. Suſcepit nos inibi genitrix mea, memorati militis Giraldi conſanguinea, vocabulo AUNENRUDIS, cum quanta potuit humanitatis exhibitione. Hæc devotionis & obſequii fervore circa eumdem Dei flagrans hominem, obnixè orabat, ut biduo apud eam manere dignaretur. quod ille vehementer abnuit, & die data, ſuis ut viam maturatò capiant imperat. tumque primùm quaſi præſagus brachium, in quò poſt percuſſus eſt, dolere ſibi prædixit.

& à matre Aimoini. * Iſle.

XIX. * la Dordonne. [c] Regulam tandem appellit.

Inde ad Dordonæ * fluenta ventum: quo enavigato amne, Guaſconiæ fines ingrediuntur. Tranſmeantibus Dornoniam, antequam ad præfatum veniatur Regulæ cœnobium, *Droth* [c] torrens occurrit. quem dum tranſire eſſet neceſſe, vir Dei lintrem, quæ perexigua illo habetur in fluviolo, dum aſcendit, ea introrſus à lutoſo litore relabente, cingulo tenus pænè in aquam decidit. Mirum dictu veſtigiis paululùm madefactis, in reliquis indumentis vix tenuis apparuit humor. Tranſmeato ſanè hoc peſſimi occurſus torrente, poſtero die ad monaſterium Regulæ ventum. Et primo quidem die, cum quiete manſerunt: ſecundo ſanè, inter noſtros & Guaſcones jurgium propter cibaria equorum ad veſperum ortum, vixque à majori-

[a] Johannes à Boſco hîc notat Papyrium Maſſonum, qui Abbonis epiſtolas penes ſe habebat, eaſque magno reipublicæ detrimento occultas retinebat: at nunc eas editas habemus ex codice Pithœano.

[b] *In monaſterio S. Eparchii*, vulgo *S. Cybar* Engoliſmæ hoſpitatus eſt, teſte Ademaro ejus loci monacho.

[c] Sic legitur in mſ. codice quo uſus eſt Johannes à Boſco, tametſi *Aroth ſeu Codrot* edidit, dubius ſcilicet, utrum legendum eſſet.

Digitized by Google

ANN. CH. M. IV. NOV. XIII.

bus ſedatum eſt. Quod ubi in craſtinum venerabilis pater Abbo comperit, ſuos vehementer redarguit, cur inermes & inter infenſam ſibi gentem bella cierent: monebatque patientiam ſervare, donec ipſe cum Comite ac loci Advocato colloqueretur, qui jam jamque affuturi credebantur. tum demùm ſuas ſuorúmque quos primitùs ibidem reliquerat, injurias ad libitum ultum iri pollicebatur. His ac ſimilibus verbis ſuorum furibundos ſedare tentabat animos. Erat ea die celebris univerſo orbi beati Pontificis Martini Turonici ſollemnitas: & ſanctus vir magna cordis ac corporis alacritate Miſſarum feſtiva celebravit ſollemnia. qua die & ſequenti, quæ Dominica fuit, idem Dei famulus Abbo, poſt ſancti ſacrificii per ſeipſum oblationem ac corporis refectionem, montem in quo monaſterium ſitum eſt undique perluſtrans, laudare ſimul ac mirari, non ſolùm loci firmitatem, verùm etiam maximorum, quæ inibi fuerant, ædificiorum fundamenta cœpit. Horum itaque locorum ſitum, à ſancto viro laudatum, ſuccinctim litteris mandare opportunum fore credimus.

XX. Regulæ ſitus.

Monaſterium Regulæ, in honore Principis Apoſtolorum Deo dicatum, in monte eſt poſitum. qui videlicet mons à tribus lateribus, orientali, aquilonali, & occidentali, aliis cingitur montibus; à meridie Garonna vallatur flumine, periculoſaque vallis voragine. Ab oriente inter ipſum & alterum montem vallis exſiſtit peranguſta, per quam fons meat, quam incolæ Moſellam nuncupant: ſimili modo ab Occidente alterius fontis rapido alluitur curſu, cui Moſa nomen eſt. Hæc nomina à Francis illis impoſita æſtimantur, qui à Magno KAROLO ad tuitionem provinciæ ibi relicti ſunt. Non longè quippe ibi abeſt palatium ipſius magni principis Caſſinogilum, ſed quaſi tribus miliariis: in quo idem Imperator uxorem ſuam, Ludovici Pii matrem, gravidam reliquit, dum contra Sarracenos expeditionem in Hiſpaniis ageret. quod & HEINARDUS vitæ illius relator ſcribit, & nos in libro miraculorum ſancti Patris Benedicti breviter expreſſimus. Locus ſanè Regulæ ob ſupra dictam poſitionem non facilè hoſtium patuiſſet acceſſui, niſi ab aquilone parva ei adjaceret planities, cui conditor municipii, vel, ut quidam volunt, civitatis, turrim quadris lapidibus exſtructam oppoſuit, quæ nunc ruinarum tantummodo ſuarum indicia præfert. Igitur tam hujus, quàm ceterorum ædificiorum dirutos parietes, & per devexa totius montis latera propter firmam cæmenti tenacitatem dependentes, homo Dei conſpicatus admiranſque, læto nobis adridens vultu, infit: Potentior, inquiens, nunc ſum, domino noſtro Rege Francorum intra hos fines, ubi nullus ejus veretur dominium, talem poſſidens domum. Sed heu prô dolor! aliter quàm ei ac nobis utile fuit, hujus loci parabatur poſſeſſio.

Caſſinogilum.

Regulenſium factio in Abbonem.

Denique malignorum factio, qui illis, quos ipſe ſanctus Pater ad eumdem miſerat locum, irrogaverant injurias, in id jam conſpiraverat, ut ex qualibet occaſione commoto tumultu, tantâ famulos ipſius cædis contumeliâ afficeret, quatenus nec ipſe, nec quilibet alter, eos ulterius adire auderet. Quod verò mortem illius inter dolos machinata ſit, non verè ſcitur, niſi quia is, qui eum percuſſiſſe dicitur, in jurgio noſtris dixiſſe fertur, pro nihilo ſe ducere, ſi lancea ventrem ejus transforaret. Secunda igitur feria, qua ſancti Confeſſoris Bricii agebatur feſtivitas, monachum qui hos eſſe dicebatur machinatus dolos, ſanctus Pater noſter Abbo increpare cœpit, quòd ſine ejus licentia de monaſterio egreſſus, foras manducare præſumpſiſſet. Hic Anezan nomine dicebatur proprio, gente barbarus ac vocabulo. qui dum ſancti viri increpationem ſe patienter ferre ſimulat, ſed circumſtantibus contumaciæ verba reſpondet; ſubitò auditur clamor mulierum juxta morem [a] gentis illius, ubi ſeditio oritur, aut

[a] Hanc vocem eſſe *Biahore* ex Pithæo obſervat illuſtriſ. Petrus de Marca in hiſtoriæ Bearnenſis lib. 3. cap. 11.

Digitized by Google

mors hominis intervenit, conclamantium. Tum ille perfidus ſolo nomine monachus, ad eos qui ſe circumſtabant infit: Nunc, inquiens, dicetur, meo monitu hoc eſſe ortum ſcandalum. Cui quidam ex his qui aderant: Si, ait, id metuis, nobiſcum ad hos ſedandos progredere motus. Verùm eo differente, ad noſtros reprimendos is qui monita dederat, curſim progreditur. Cauſa autem ortæ ſeditionis hæc erat. Tam Francis quàm Guaſconibus ſe alterutrum conviciis laceſſentibus, unus Francorum nimium impatiens convicii domino ſuo illati, conviciatorem baculo inter cervicem & ſcapulas ictum, humi proſtravit. Eo proſtrato, tàm noſtri quam ſeditioſi, ſemet mutuò lapidare cœperunt. Interea vir domini Abbo, intra clauſtrum monaſterii reſidens, & quaſdam computi ratiunculas dictitans, tumultuantium clamore exaudito, foras ab inferiori montis parte progreditur: & ad reprimendos ſuos, qui ſuperiora occupaverant loca, feſtinans, ab uno adverſæ partis ſatellite, lanceâ tàm validè vulneratur in lævo lacerto, ut interiora coſtarum adactum penetraret ferrum. qui percuſſus non clamavit, non titubavit, aut cadentium more loco motus eſt: verùmtamen hoc tantum dicens: Iſte, ait, ſeriò hæc fecit. ad domum ubi ſui famuli hoſpitium habebant, aſſcendere cœpit. Suſtentabat autem eum frater quidam, nomine Guillelmus, cujus ſupra meminimus. Ego veſtigia ejus perſecutus, conſpicio ſuper limen domus, quam vir ſanctus ingreſſus jam erat, partem coagulati ſanguinis. Interroganſque de quo foret, hoc à Dei homine reſponſum accepi: De me, inquit, eſt. Teſtor Dominum, continuò mihi ſtetere comæ; horrorque infuſus corpori rauciſonam reddidit vocem. Nondum enim quiſpiam animadverterat, eum in carne eſſe vulneratum: ſed tantùm indumenta æſtimabamus fuiſſe perforata. Itaque aio ad eum: Quanam in parte, inquam, tibi domino meo illatum vulnus eſt? Tùm eo elevante brachium ut plagam detegeret; repentè ab intimis coſtarum receſſibus unda ſanguinis prorumpens, manica laxioris pelliceæ excipitur. Verùm ipſe nihilo triſtior, nec vultus colore mutato, cùm me trepidare magis magiſque ſenſiſſet tàm ex faciei permutatione, quàm ex verbis querimoniæ, alacri vultu & pænè ridenti ſimilis, ait: Quid tu, inquiens, ageres, ſi ipſe vulneratus eſſes? attamen noli metuere, quin potiùs foras ad noſtros progredere, eoſque ad me venire facito, ut hæ ſedentur turbæ. Quod cùm feciſſem, illique obtemperantes ingreſſi eſſent; ipſe jam exſanguis factus, inter manus diſcipulorum famulorumque ſe ſuſtentantium, Idibus Novembris ſpiritum reddidit. Retulerunt autem qui ejus ſanctum finem videre meruerunt (nam ego ob ſedandos tumultuantes forinſecus remanſeram) hunc ipſius ultimum fuiſſe ſermonem: Miſerere, inquiens, Deus omnipotens animæ meæ, locoque ac congregationi, quam nunc uſque te concedente rexi. Et ille quidem hæc effatus, ut prædictum eſt, animam efflavit.

Ann. Chr. M. IV. Nov. XIII. — *Abbonis plaga.* — *Interitus.*

At ſeditioſi domum, in qua beatus Pater jam defunctus à ſuis lamentabatur, circumdantes, obſeratos ſucciderunt cardines oſtiorum. Sicque furens ingreſſa turba, aliquibus vulneratis, cubicularium viri Dei, vocabulo ADELARDUM, qui caput domini ſui, propriis genibus ſuppoſitum, lacrymis rigabat, ad necem uſque fuſtibus præacutis ac lanceis conciderunt, qui ægrum uſque ad tertiæ feriæ diluculum protrahens ſpiritum, defecit ac mortuus eſt: ſepultuſque in clauſtro monaſterii, juxta quem quoque cuſtos equorum ipſius ſancti poſtea tumulatus eſt. qui tunc quidem vulneratus, uſque ad diem feſtivitatis ſancti Andreæ languit, ſicque obiit. Ceterum tantæ cladis compilatores certiſſimè agnoſcentes beatum obiiſſe Abbonem, certatim cuncti in fugam vertuntur: ita ut terris reddito die, ne mulieres quidem in univerſis forenſibus ipſius villæ invenirentur domibus. Quatriduo poſt obitum ſancti viri morati ſumus, com-

Seditioſorum furor.

Digitized by Google

Ann. Ch. M. IV. Nov. XIII. morante ſemper nobiſcum ob cuſtodiam noſtri quodam honorabili viro, nomine Guillelmo, Orioli filio. qui videlicet Guillelmus gratia beatum virum videndi, eadem die cum quibuſdam aliis ibidem advenerat: eoque viſo, ad metatum ſuum, quaſi miliario ac ſemis diſtans à monaſterio, ſeceſſerat. Is ubi noſtræ miſeriæ nuntium accepit, ad noſtrum auxilium cum ſuis velociter accurrit.

Abbonis funus. Hi ergo corpus beatum, quod adhuc in domo, in qua animam Creatori reddiderat, ſuper nudam pæne humum jacebat, tapeti impoſitum, ad nos uſque pertulerunt, noſtris propter caliginem noctis è clauſtro monaſterii minimè exire audentibus. Dubitatum aliquamdiu eſt, quonam in loco poni deberet. Tunc in commune placuit, ut quando innocenter, ac pro veritate quæ Chriſtus eſt, interemptus erat, in eccleſia poneretur: ubi uſque ad diluculum feriæ quartæ, duabus videlicet noctibus unaque die, eum, cum quanta potuimus pſalmorum & lacrymarum devotione, inſepultum ſervavimus. Referri nequit, qui luctus, quive gemitus, ab his qui ad eum viſendum è propinquis venerant locis, editus ſit, cùm eum quem viventem cernere concupierant, mortuum conſpiciebant. Contemplabantur ſanè vultum ejus adhuc ſudario nequaquam opertum, qui dormientis potius quàm mortui ſpeciem ex rubore præferebat; & lacrymis opplebantur: incredibiléque dum adviveret videbatur, eum tam ingentem poſt obitum, non ſolùm à ſuis, verùm etiam lacrymoſum ab extraneis habiturum planctum. Nam quilibet adveniret, notus ſeu ignotus, ejus viſo corpore, ſive poſt tumulationem ſepulcro, continuo in lacrymas prorumpebat. Matutino ſanè tempore feriæ quartæ, cum ipſis quibus indutus erat veſtimentis, uti mos eſt ſepeliri interemptos, inlotus etiam, lapideo tumulatus ſarcophago, in interioribus cryptæ, ante altare ſanctiſſimi Patris Benedicti. Et quidem ſatis decentiſſimè, ſi non ei tam inſperatus contigiſſet finis vitæ. Sed ſcriptura teſte novimus, quia *Juſtus quacumque morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.*

Sepultura cum ſolitis veſtibus.

Sap. 4. 7.

XXI. Sociorum ejus reditus Floriacum.

Nos igitur quarto à tumulatione ſancti corporis die inde digreſſi, per biduum à Vicecomite AMALUINO, ejuſque uxore ROSEMBERGA detenti caritativo ſumus affectu. Cujus mulieris benigniſſimam erga noſtros compaſſionem, nobis ad concluſionem voluminis tendentibus, breviter memorare congruit. Nam ipſa viro ſuo, ut vulneratos etiam nolentes retineret ſuaſit. Retentis autem ipſa cuncta tribuit neceſſaria, non ſolùm languentibus, verùm etiam eorum ſervientibus, atque equis, qui omnes ſexdecim [a] erant numero. Medicum ipſa quæſivit, eique pro ſanandis ægris ipſa pretium præbuit. A me quoque, ut cum eis remanerem, non ſolùm manſueta prece, verùm quadam imperioſa conſanguinitatis exegit auctoritate. Hi verò, qui ſani evaſere, à procuratoribus ejus, ipſa præcipiente, per omnes ipſius poſſeſſiones, quæ in itinere erant, honorificè ſuſcepti, triſtem tanti doloris nuntium per omne ſpargentes iter, tandem Floriaco cœnobio intulerunt. Quis tunc luctus, quive dolor, totam noſtram ſanctam invaſerit congregationem, ſermo explicare non ſufficit: cùm ab his quoque, quibus ejus gravitas oneroſa videbatur, inconſolabiliter lugeretur. Auxit hunc ingentem dolorem adventus plurimorum Abbatum in imminente ſancti Patris Benedicti ſollemnitate, quæ in menſe colitur Decembri, confluentium. Horum alii ab ipſo, ob quaſdam ordinandas utilitates, erant evocati; alii ſuarum neceſſitatum certis ex cauſis eum conſulturi advenerant: inter quos reverendus Cluniacenſium Abbas ODILO aderat, caritativo laudabilis in Domino familiaritatis glutino ei in omni ſua conjunctus vita. Talium itaque præſentia, & ipſius abſen-

Abbonis mors luctuoſa.

S. Benedicti celebre feſtum Decembri.

[a] Hic erat illis temporibus Abbatum comitatus, qui etiam ſubinde ultra modum auctus eſt.

tia

tia, propter quem venerant, ingerebat mæſtitiam, & noſtris ampliorem addebat dolorem, quòd tali forent Paſtore deſolati, cujus prudens conſilium aliorum expeterent Prælati cœnobiorum.

Hæc de vita, moribus, & actibus, necnon martyrio ſanctiſſimi Patris noſtri Abbonis, partim à fidelibus viris audita, partim à nobis viſa, ad te, reverentiſſime Clericorum Hervee, ut tua ſanctitas petiit, veraci pro poſſe relatu ſcripſimus. Nunc tuam expoſcimus benignitatem, quatenùs pro nobis Domini implores clementiam, ut ſi quid fortè eum in noſtra offendimus narratione, ipſe ſua piiſſima indulgere dignetur miſeratione: & qui ejus ſepulcrum dignatus eſt miraculis illuſtrare, mihi facultatem dignetur conferre, in ſequenti volumine ea ad laudem nominis ſui fidelibus manifeſtare.

MIRACULA S. ABBONIS.

Eodem auctore AIMOÏNO.

1. ANno Incarnationis Dominicæ milleſimo quarto, Indictione ſecunda, die menſis Novembris decimo-tertio, martyrizatus eſt venerabilis abbas Abbo, cujus dies paſſionis, cùm celebri tranſitu ſancti Bricii, tùm etiam feſtivitate cujuſdam ſancti, nomine HERARDI, inſignis habetur: cujus ſancti caput in monaſterio Regulæ; reliquum corporis in quadam ipſius cœnobii cella humatum ſervatur. De quo quis fuerit, quidve egerit, uſque hodie in ſcriptis nil aliud reperire quivimus, quam diem tranſitus ejus. Porrò de honorando Patre noſtro ea quæ per eum Dominus operari poſt ejus tranſitum decrevit miracula, litteris mandare dignum duximus ad notitiam poſterorum. Dum igitur adhuc inhumatum corpus ejus in eccleſia ſervaretur, cuidam debili, quem longa vis febrium maceraverat, per viſum revelatum eſt, ut ſi ſanus eſſe vellet, dexteram manum ejus ablui aquâ poſceret, ipſeque eam in potum ſumeret. quod cùm à domno Remigio monacho, ejus loci poſteà præpoſito, popoſciſſet, ac impetraviſſet, hauſto potu, priſtinæ reſtitutus eſt ſanitati.

[Margin: Mors anno 1004. — Debilis curatur.]

2. Dein verò, die ſecunda obitus ipſius ſancti viri, una ex his mulieribus, quæ clamore ſuo ſeditionem concitaverant, mente capta totoque nuda corpore, per eccleſiam rotabatur. Poſt hæc lepra percuſſa, & à conſortio hominum expulſa, uſque ad finem vitæ non eſt mundata.

[Margin: Mulier efficitur inſana ac leproſa.]

3. Porrò die quarta, dum cuſtos eccleſiæ duas lucernas [a] menſuræ ſemipedalis poſt ſynaxim Completorii accendiſſet, unam ante altare ſancti Petri poſuit, alteram ante ſepulcrum martyris Abbonis. Cumque ad matutinos ſurrexiſſet deſignandos hymnos, eam quam coram altare ſancti Petri poſuerat, arſam reperit: illam verò, quam ad caput tumbæ ſancti viri poſuerat, pænè integram ſe reperiſſe profeſſus eſt: quæ uſque mane ſequentis diei perduraſſe viſa eſt.

[Margin: a — Cereus ad ejus tumulum.]

4. Cæcus quidam erat Petragorici pagi, cui per viſum revelatum eſt, ut ſi videre vellet, ſepulcrum hujus ſancti expeteret, ut ejus interventu à Domino lumen reciperet. qui cùm juxta præoſtenſam viſionem ad locum Regulæ acceſſiſſet, ac ad ſancti tumulum aliquantas pervigiles duxiſſet noctes, viſum recepit. Unde partem hereditatis ſuæ ſancto Petro ac beato Benedicto, necnon ſancto martyri Abboni, illiſque famulantibus largitus, ad propria rediit.

[Margin: Cæcus videt.]

5. Alter quoque cæcus de pago Burdegalenſi, per viſum itidem admonitus eſt, uti monaſterium Regulæ adiret: inibi eſſe ſanctum, per cujus meritum Dominus ei lumen condonaret. qui præcepto parens, locum adiit, ſpatio ferme dierum octo [b] ante ſancti tumbam pernoctavit. Una verò

[Margin: Item alter. — b]

a Lucernæ nomine hîc cereus intelligitur. | | b Nondum ergo novenarum, quas vocant, uſus obtinebat.

Digitized by Google

Ann. Ch. M. IV. Nov. XIII.

noctium, dum Fratres ad matutinos ſurgerent hymnos, puerum ante ſe jacentem excitavit, dicens: Surge, ut pariter matutinalibus poſſimus intereſſe officiis. Cui cùm ille, non ſe habere ubi accenderet lumen, obtenderet: Video, ait, lucernam ante altare ſanctæ Crucis ardentem. Ad hæc, puer: Si vides, inquit, vade, & eam huc defer. Abiit ille, & apprehenſo lumine, in ſuperiora cryptæ ad eos, qui pſalmodiæ inſiſtebant, abſque ductore aſcendit. In craſtinum Fratribus cuncta, quæ ſibi acciderant, referens, ad reddendas Deo laudes eorum mentes accendit. Fidem verbis ejus accommodabat, tàm decora canities, quàm etiam vultus, ac totius corporis honeſtus ſtatus.

Semper qui proprios meritis exornat amicos,
Et dat Floriacos cælo florere patronos,
Præſtans perpetuam poſt carnis funera vitam. Amen.

Ann. Ch. M. VI. Oct. III.

DE SANCTO FROILANO
epiſcopo Legionenſi in Hiſpania.

Froilani primordia.

1. *FROILANI geſta plerique recentiores Hiſpani ſcriptis mandare curarunt, quamvis nemo antiquus, qui quidem notus ſit, ejus vitæ auctor habeatur. Unde quæ de eo ſive in officiis eccleſiaſticis, ſive in variis paſſim auctoribus licuit invenire, in unum colligere viſum eſt, ne tanti viri memoria in Annalibus noſtris deſideretur, qui fertur multorum Ordinis noſtri monaſteriorum Pater exſtitiſſe. Hic* * *Lucæ, quæ Regni Callaciæ non ignobilis eſt civitas, ortum ſuum debet. Patris ejus nomen non tranſivit ad poſteros; matrem vero habuit* FROILAM, *quæ ita perfectè vitæ chriſtianæ partes egit, ut publico cultu in diœceſi Lucenſi celebretur, in cujus eccleſia cathedrali viſitur etiam nunc illius ſepulcrum. Froilanus itaque tam ſanctæ matris opera educatus, mundi pompam adoleſcens cœpit contemnere, at majoris perfectionis actus deſiderio, vix octodecim annos natus monaſticam vitam profeſſus eſt. Lis eſt inter auctores, quo in loco monachum induerit: plerique id in ſancti Petri Sahagontini monaſterio feciſſe arbitrantur,* cum *aliunde* inter ſe decertent, *ut ait Manriques Annalium Ciſtercienſium anno* MCXXXI. monaſteria ſanctorum Claudii & Facundi de tanto filio.

* Lugo.

In eremum ſeceſſit.

2. *Poſt aliquot annos in monaſterio tranſactos, Froilanus artioris vitæ deſiderio in eremum ſeceſſit, minime ibi, contra quam ſibi pollicebatur, permanſurus. Vix enim illam incolere cœperat, cum ecce divina viſione admonitus exire cogitur, ut populis verba divina diſſeminaret. Referunt auctores Hiſpanici, cum ipſe ea de re apud ſe deliberaret, ori ejus advolaſſe columbas duas, ac prunas ardentes ipſi in labiis impoſuiſſe, ut eorum puritatem experiretur, ſed quæ nil illum læſerint. Addunt iidem, quod cum lupus aſellum libros ejus bajulantem dilaniaſſet, lupum ipſum pro bajulo adhibuerit. Sic bruta animalia ſanctis viris imperantibus ſæpe obedierunt. Fama viri tot tantiſque miraculis clari diu latere non potuit. quare multis diſcipulis ad eum concurrentibus, ut ſub ejus magiſterio Chriſto militarent, monaſterium ædificare cogitur (Veſenſe appellat Tamayus ad 3. Octob.) cui ipſe præfuit, Attilianum, de quo paullo inferius agemus, ſub ſe habens priorem. Hiſpania tunc, ut nemo neſcit, variis calamitatibus erat attrita, quæ non minus inteſtinis vexabatur diſſenſionibus, quam Maurorum barbarie, qui illic tunc temporis fere ubique dominabantur. Regnum Legionenſe adminiſtrabat difficillimis his temporibus Ramirus rex, hujus nominis tertius, qui deſperatis quaſi rebus ad Dei præſidium confugere jam tunc ſta-*

Monaſteria condit.

Digitized by Google

fuerat. Quare advocato apud Legionem urbem regiam Froilano, eique multa erogata pecunia, permiſſum dedit, ut ubicumque regni ſui vellet, monaſterium poſſet conſtruere, in quo viri religioſi pro ſedandis regni tumultibus Deum exorarent. Sic ditatus Froilanus domum revertitur, moxque Tabarenſe monaſterium conſtruit. Alia permulta circa Eſtolæ fluvium ſita adjicit Johannes Tamayus, ſed quæ potius à Froilano reſtaurata, quam de novo excitata cum Yepezio crediderim. Verum cum præ anguſtia loci Tabara diſcipulos Froilani capere non poſſet, apud Morerolam ſeu, ut vulgo vocant, Morervellam divertit, ubi excitato percelebri monaſterio fixit ſedem, ibique ducentis ad minus congregatis monachis nihil omiſit, quo minus pium Regis deſiderium exſequeretur. ANN. CH. M. VI. OCT. III.

3. Interim obit Legionenſis antiſtes, cui ſtatim Froilanus licet invitus ſufficitur, agente potiſſimum Veremundo ſecundo, qui defuncto Ramiro, Legionenſe regnum ſuo Callaciano addiderat. Aſſerunt nonnulli, hanc electionem cæleſtibus ſignis approbatam fuiſſe; ſed quidquid ſit, certum eſt nomen ejus tunc temporis in Hiſpania præ ceteris illuſtre fuiſſe, ut patet ex reſcripto Veremundi Regis, dato æra MXXVIII. in cujus fine confirmationes Epiſcoporum habentur ab Athanaſio Lobera regio chronographo fideliter tranſſcriptæ, inter quas hæc legitur: Clarus & magnus Froilanus Legionenſis epiſcopus confirmat. Multis aliis Veremundi Regis diplomatibus ſubſcripſiſſe dicitur Froilanus; ſed præ ceteris inſignem ejuſdem ſancti chartam exhibebimus infra, qua multas poſſeſſiones monaſterio de domnos ſanctos ſe dediſſe teſtatur. Denique expletis ſexdecim circiter ſui pontificatus annis, ac prænuntiato ſui obitus die, ad ſuperos migravit quinto nonas Octobris. Sacrum ejus corpus poſt multas tranſlationes tandem partim in eccleſia Legionenſi, partim in ſuo monaſterio Morerolæ depoſitum eſt, ubi hactenus quieſcit, cujus ibi ſacras exuvias ſe veneratum fuiſſe aſſerit noſter Yepezius. Fit epiſcopus.

4. Lis eſt graviſſima inter auctores circa hujus antiſtitis extremum annum, aliis ejus mortem ad annum DCCCLV. aliis vero inſigni intervallo ad MVI. referentibus. Verum primæ claſſis auctores decepti videntur occaſione Attiliani, Froilani noſtri diſcipuli & Epiſcopi Zamorenſis, quem cum altero Attiliano antiquiore, ejuſdem etiam civitatis epiſcopo, qui ſæculo nono floruit, confundunt. Unde poſterioris ſententiæ auctoribus adhærere ſatius viſum eſt, quibus nunc omnes Hiſpanici ſcriptores conſentiunt. Hanc eamdem ſententiam confirmat ſubſcriptio ſancti Froilani chartæ Veremundi regis ſuperius à nobis laudata, quæ æra MXXVIII. data dicitur, id eſt anno Chriſti CMXC. ſuffragatur etiam charta donationis ejuſdem ſancti Præſulis inferius à nobis exhibenda, quæ facta eſt æra MXXXVIII. Porro mirari ſubit, Baronium ſancti Attiliani mortem ad annum circiter CMXX. revocaſſe in notis ad Martyrologium Romanum, quamquam de eo in Annalibus eccleſiaſticis egiſſet ad annum MXXVIII. ſed in utroque calculo errat. In hoc etiam falſus vir doctiſſimus, quod ſanctum Froilanum ſeu Florianum, ut ſcribit, presbyterum tantummodo, & Attilianum epiſcopum Legionenſem faciat; cum tamen vel ex ipſa totius Hiſpaniæ traditione, Froilanum Legionenſi & Attilianum Zamorenſi eccleſiis præfuiſſe conſtet. quæ ſane omnia ſatis evidenter oſtendunt, doctiſſimum cardinalem de iis quæ ad hos ſanctos pertinent certa inſtrumenta non habuiſſe. Mortis tempus.

5. Ceterum Froilani ſanctitatem præter miracula, quæ vulgo ab Hiſpanicis ſcriptoribus referuntur, probat publicus cultus, quem ei Hiſpaniarum eccleſiæ exhibent. Ejus memoriam cum Martyrologio Benedictino die 3. Octobris celebrant Philippus Ferrarius in catalogo generali ſanctorum, ubi Froilanus Legionenſis civitatis Patronus dicitur, Johannes Tamayus in Martyrologio Hiſpanico, Yepezius, Athanaſius de Lobera, Manriques, aliique paſſim, ex quibus hic pauca ex multis quæ proferunt, delibavimus. Morerolæ autem monaſterium, quod ſub ſancti Jacobi Apoſtoli patrocinio conditum fuerat, poſt ſancti Præſulis mortem ob varios bellorum tumultus pæne everſum, ab Alfonſo, qui vulgo Hiſpaniarum Imperator dicitur, reſtitutum, & variis prædiis locupletatum Ciſtercienſibus traditum eſt, unde beatæ Mariæ, ut cetera Ordinis hujus cœnobia, nomen accepit. Quantæ vero celebritatis deinceps fue- Memoria.

Digitized by Google

Ann. Ch. M. VI. Oct. III.

rit apud Hiſpanos, patet ex geſtis ſancti Petri ejuſdem monaſterii Abbatis, qui ſæculo ſequenti floruit. Sed nunc proferenda eſt charta donationis à ſancto Froilano facta, quam ſuperius polliciti ſumus, ſtylo barbaro, uti ab Antonio Tepezio refertur, exarata.

Charta S. Froilani.

Sub Chriſti nomine glorioſiſſimos, & poſt Deum nobis fortiſſimos dominos & patronos noſtros, ſanctorum Facundi & Primitivi & ſancti Tirſi, in cujus honore fundatum eſt monaſterium in locum, quod vocitant DOMNOS SANCTOS juxta Crimines..... Apoſtoli & Evangeliſtæ & ſanctorum reliquiæ quæ ibidem reconditæ ſunt; ibique VINCENTIUS abba habitante cum magno collegio fratrum, qui ibidem ſunt, vel undecumque advenerint, ſeu & Scemena Deo vota, quæ eſt habitante in ipſa domo ſancti Johannis. Ego humilis & ſervus Chriſti ſub Dei gratia Froylanus epiſcopus paveo præſentiam Domini mei Jeſu-Chriſti, ut ad inſtar bonis operibus nudati, timente inferorumque pœnas, & cupiente perpetuam vitam, evenit in corde & in anima mea juſſio Dei, ſic jubet eloquio dicens: Tua ſunt Domine Deus omnia, & quæ de manu tua accepimus dedimus tibi. Ego Froylanus epiſcopus dono & voluntarie offero, & cartulam teſtamenti facio de dio cenſo, de eccleſiis quæ ſunt juxta flumine Eſtule. In primis dono atque offero Arciſterio, quod vocitant ſanctorum Petri & Pauli in loco prædicto Cremanes, cum omni ſua adjacentia, caſas, terras ortales, linares, pratis, paſcuis, montes, fontes, molinaria, aquaductiles, pumiſſeris * arboribus fructuoſis & infructuoſis, cæſum atque regreſſum, ſicut tenuerunt ipſum in jure ſuo Bermundus & Selanus vel omnes fratres, cui ibidem fuerunt habitantes. Adjicio ibidem eccleſias, quæ vocitant ſancti Martini & ſancti Cypriani, inſuper ſancti Chriſtophori in Curnier, cum omni ſua adjacentia ab integritate, & in illis aliis eccleſiis, quæ ſunt in mandamento de Hiſtole, de termino de campos Candoces, ad ſurſum uſque ad terminos de Saliamen, & de Eigon, & de Siario illa medietate, quæ ad ſancta Maria ad Regula deſerviat, ipſa medietate ab integritate concedo ad ipſo ſacro-ſancto altare Dei, & ad Martyres jam ſuperius nominati, & accepi de te, domna Scemena, in offertione lecto palio valente ſolidos centum, & duos frenos optimos, quæ mihi bene complacui, ita ut de hodie die vel tempore ipſis eccleſiis & ipſa hereditate de meo jure abſterſo, & poſt partem ſancti Facundi & Primitivi & ſancti Johannis ſint confirmata, pro remedio animæ meæ & patrum meorum epiſcoporum, qui Domino adjuvante acquiſierunt, ut ſedeat pro ſuſtentatione pauperum, & utilitate monaſterii juri quietum permaneat. Et ſi aliquis homo contra hoc noſtrum ſcriptum ad irrumpendum venerit, optamus ut ambobus à fronte careat luminibus, & à cœtu matris Eccleſiæ ſit ſtraneatus, & cum Juda Domini proditore teneat ſociatum, & à parte regia componat auri talentum. Factum textum ſcripturæ notum die quod erit decimo-octavo Kalenda Octobris, æra MXXXVIII. regnante rege Veremundus in regnum avorum ſuorum. Ego Froylanus epiſcopus ſub Dei gratia Legionenſis ſedis epiſc. in hanc cartulam teſtamenti, quam fieri volui & legendam cognovi, manu mea confirmavi. Ego Veremundo rex confirmo & roboro. Qui præſentes fuerunt Alvinus abba Conf. Olavius abbas, &c. Ermegildo preſbyter titulavi.

* f. pomiferis.

Digitized by Google

DE S. ALFRICO ſeu ÆLFRICO Archiepiſcopo Cantuarienſi.

1. *HUJUS ſancti antiſtitis nomen variè apud Anglicanos auctores ſcriptum legitur, qui eum Alfricum, Ælfricum, Elfricum, Alvricum, Alvredum, immo & Saxonice* Alrio *quandoque appellant. Genus ipſius, parentes aut patriam nemo commemorat: nobili tamen genere natus dicitur in epiſtola ad Cantuarienſes, quam infra exhibebimus. In Abingdonienſi ſeu Abbendonienſi percelebri monaſterio, quod in agro Berrocenſi ſitum eſt, vitam egiſſe monaſticam aſſerunt omnes, cujus etiam cœnobii Abbas fuiſſe dicitur. Hunc certe ei titulum poſt Vvillelmum Malmesburienſem libro 1°. de Geſtis Pontificum Anglorum, concedunt omnes fere recentiores Hiſtorici, quod tamen infitiatur Henricus Vvarthon tomo 1. Angliæ ſacræ in diſſertatione ſingulari de duobus Elfricis, ubi multa congerit de noſtro Ælfrico ſcitu non indigna; hunc vero ſancti Albani abbatem fuiſſe plus quam probabile exiſtimat. Porro in ejus electionis decreto, quod hic infra exhibebimus, monachus, non abbas appellatur. nec ullus ſcriptis mandavit quid abbas egerit, aut quanto tempore id munus obierit. Multis virtutibus eum floruiſſe in monaſterio Abbendonienſi teſtis eſt epiſtola, quam ex Nicolai Harpsfeldii hiſtoria Anglicana ſæculo decimo, capite ſeptimo, huc proferimus integram.* Alfrici nomen, &c. Monachus Abendoniæ.

Univerſis ſanctæ Cantuarienſis eccleſiæ filiis, Clerus & populus ejuſdem eccleſiæ devotas orationes. Univerſitati veſtræ eſt cognitum, quantum temporis eſt, ex quo accidentibus variis eventibus mater Eccleſia Angliæ ſuo ſit viduata paſtore ac deſtituta rectore. quod non ſolum ad noſtrum, verum & ad veſtrum ac omnis inſulæ hujus detrimentum pertinere dignoſcitur, cum totius patriæ ſollicitudinem Metropolitano conſtat eſſe commiſſam. Propterea elegimus ſanctæ Abendonienſis eccleſiæ monachum, Elfricum nomine, nobis ſufficientiſſime cognitum, natalibus & moribus nobilem, apoſtolica & eccleſiaſtica diſciplina imbutum, fide catholicum, natura prudentem, docilem, patientem, moribus temperatum, vita caſtum, ſobrium, humilem, affabilem, miſericordem, litteratum, in lege Dei inſtructum, in ſcripturarum ſenſibus cautum, in dogmatibus eccleſiaſticis exercitatum, & ſecundum tramitem ſcripturarum, traditionemque orthodoxorum, & Canonum ac decretorum ſedis Apoſtolicæ Præſulum conſtitutiones, ſano ſenſu eccleſiaſticas regulas intelligentem, ſanoque ſenſu docentem atque ſervantem, amplectentem eum qui ſecundum doctrinam eſt ſermonem fidelem, & cum modeſtia corripientem eos qui reſiſtunt, & qui ſanæ doctrinæ adverſantur, eis reſiſtere & redarguere prævalentem; hoſpitalem, modeſtum, domui ſuæ bene præpoſitum, non neophytum; habentem bonum teſtimonium, in gradibus ſingulis ſecundum traditionem eccleſiaſticam miniſtrantem, ad omne opus bonum, & ad ſatisfactionem omni poſcenti rationem de ea, quæ in illo eſt ſpe, paratum. Quem nobis, &c. Epiſtola de ejus electione.

2. *Hanc epiſtolam à Cantuarienſibus ad Abbendonienſes monachos tranſmiſſam fuiſſe aſſerunt Menardus libro 2°. obſervationum in martyrologium Benedictinum, & Harpsfeldius loco ſuperius laudato; quamvis in ejus epigraphe à Cantuarienſi Clero & populo ad Cantuarienſis eccleſiæ filios data dicatur. Ego vero eam Cantuarienſium haud quaquam eſſe ſuſpicor, ſed potius Vviltonenſium ad ipſos Cantuarienſes, ſeu ad Archiepiſcopum Cantuarienſem, poſtulantium ſcilicet ut electionem ab ipſis factam confirmet. Alfricus quippe Vviltonienſis epiſcopus fuit ante adeptam ſedem*

Ann. Ch. M. VI. Auguſt. XXVIII.

Cantuarienſem. Ad ipſos vero Cantuarienſes, ſeu ad eorum Archiepiſcopum, ad quem utpote Metropolitanum, cui, *ſecundum ipſius epiſtolæ verba,* totius provinciæ ſollicitudo commiſſa erat, *decretum electionis erat tranſmittendum. Id eamdem epiſtolam attente legenti patebit, in qua nempe nonnulla occurrunt, quæ Epiſcopo nequaquam, recte autem monacho vel abbati in Epiſcopum poſtulato congruere poſſunt.* Elegimus, *inquiunt iſti,* ſanctæ Abbendonenſis eccleſiæ monachum, Elfricum nomine. *quare eum Epiſcopum non nuncupaſſent, ſi hæc epiſtola de Alfrici è ſede Vviltonienſi ad Cantuarienſem tranſlatione ageret? certum quippe eſt Alfricum è ſede Vviltonienſi in Cantuarienſem tranſlatum fuiſſe. Non minus epiſcopo repugnant quæ in fine epiſtolæ apponuntur,* in gradibus ſingulis ſecundum traditionem eccleſiaſticam miniſtrantem. *quis hæc de homine jam Epiſcopo dixerit? alia denique inſuper loca adduci poſſent, quæ huic ſententiæ favere videntur; quamvis fatendum ſit, quod præter inſcriptionem quæ hanc epiſtolam Cantuarienſibus attribuit, alia etiam occurrant quæ difficultate non carent. Verum cum hæc nihil ad noſtrum inſtitutum attineant, lubens prætermitto. ſufficit enim nobis ex hac epiſtola ediſcere Alfricum noſtrum moribus & natalibus nobilem, multis ac præclaris virtutibus ornatum fuiſſe, quæ ipſi ad epiſcopalem dignitatem adipiſcendam viam paraverunt.*

Epiſc. Vviltonienſis.

3. *Anno* CMLXXXIX. *vel, ut alii volunt,* CMXCI. *Siricio Vviltonienſi antiſtite ad ſedem Cantuarienſem evecto, ut infra probabimus, Alfricus noſter in epiſcopum Vviltonienſem aſſumtus eſt. Quid in ea ſede præſtiterit nullus commemorat. quamvis magnum ſummi ejus meriti ſit argumentum, quod in ſedem totius Angliæ primariam eo tempore tranſlatus fuerit, quo Anglicana Eccleſia ſanctiſſimis Præſulibus abunde ditata erat. Id accidit anno* CMXCVI. *ex omnium fere hiſtoricorum conſenſu, ſedemque decem annis tenuit. de his nulla controverſia. Verum cuinam in ſede Cantuarienſi ſucceſſerit, lis eſt inter auctores, quorum alii Siricium Alfrici ſucceſſorem, alii vero præceſſorem fuiſſe affirmant. Alfricum Siricio præponit Vvillelmus Malmeſburienſis libro* I. *de geſtis Pontificum Anglorum capite de Cantuarienſibus: ceteri vero fere omnes, Siricium inter & Elphegum, noſtrum Alfricum locant; cui poſtremæ ſententiæ libenter ſubſcribimus. Nec enim tanta videri debet unica Vvillelmi auctoritas, qui & ſe ipſe in epiſcopis Vviltonienſibus emendavit, ut id quod ſemel & quidem extra propoſitum protulit, ceterorum omnium ſcriptorum unanimi ſententiæ præponi debeat. Ipſi enim non ſolum opponimus Godvvinum, Henſchenium alioſque recentiores, verum etiam veteres chartas & Hiſtoricos Anglos Alfrico ipſi ſubpares; nempe Rogerium Hovedenium, chronicon Mailroſienſe, quod recens cum Ingulfo Oxonii editum eſt, & Oſbernum, teſtem omni exceptione majorem, qui paullo poſt Alfrici obitum eccleſiæ Cantuarienſis monachus fuit, & alios complures. Oſbernus in vita ſancti Elphegi capite tertio aſſerit, Elphegum anno Chriſti* MVI. *in ſedem Cantuarienſem aſſumtum fuiſſe. quo eodem anno aut præcedenti Alfricus ex omnium confeſſo è vivis exceſſit. Oſberno Gervaſium Dorobernenſem, qui data opera de Archiepiſcopis Cantuarienſibus libellum edidit, adjungimus, ſicut & alios auctores, quos ſingillatim recenſere nihil juvat. quare ad ea properamus quæ Alfricus jam archiepiſcopus fecit.*

Tum Cantuariæ.

Geſta in epiſcopatu.

4. *Alfricum Romam nudis pedibus petiiſſe Pallii Archiepiſcopalis obtinendi cauſa teſtis eſt monachus anonymus auctor chronici Abbendonienſis apud Harpsfeldium; additque penulam qua ſanctus Antiſtes eo in itinere uſus fuerat, in ejus pietatis monumentum Abbendoniæ adhuc ſuo tempore fuiſſe reſervatam. Quanto autem ſtudio æſtuaverit ad res eccleſiaſticas, ſed potiſſimum monaſticas promovendas, probant variæ ejus ſubſcriptiones, quibus vel monaſteriorum libertates confirmavit, vel etiam ad nova conſtruenda operam ſuam contulit. Donationem ab Ethelredo rege factam ſanctimonialibus eccleſiæ ſancti Eduardi Scaftisburienſis anno* MI. *confirmavit monaſtici Anglicani tomo* 1°. *pag.* 217. *Item chartam ejuſdem Regis pro fundatione monaſterii Eyveshamenſis in agro Oxonienſi, quod Ethelmanus ſub Regula ſancti Patris noſtri Benedicti erexit anno* MV. *in honorem ſancti Salvatoris noſtri & omnium ſanctorum. Ipſemet ſe chartam compoſuiſſe affirmat pro erectione alterius monaſterii,*

Digitized by Google

quod ſub eadem ſancti Benedicti Regula Vuilfricus anno præcedenti, ſcilicet MIV. *conſtruxerat apud Burtonium. Hæc charta habetur in monaſtico Anglicano tomo* I. *tum etiam in Chronico Burtonienſi, quod recens cum Ingulfo integro Oxonii editum eſt. Sed præſtantior eſt ceteris charta, qua laudatus rex Ethelredus, expulſis è monaſterio Chriſti clericis, monachos ibi in perpetuum conſtituit. Hîc ejus initium exhibere viſum eſt, quod maxime ad Alfrici noſtri paſtoralem curam commendandam conferat.* In nomine Domini Dei omnipotentis. Ego ÆTHELREDUS dono Dei populorum Anglicorum Rex, & aliarum inſularum circumjacentium Rector, omnibus Anglicis Chriſtianis notum facio, quod venerandus archiepiſcopus Ælfricus ex ſua ſapientia & cura paſtorali me circa præcepta Dei ſæpius occupatum reddidit, & quod ego ipſe quidquid præceptorum Dei, quidquid doctrinæ ſacræ neceſſarium, ſedulo ediſcendum mihi ſtatuo, &c. *Hanc verſionem chartæ Ethelredi, quæ Saxonice data fuerat, debemus Henrico Spelmanno. Sed aliam præterea veterem Latinam exhibet, quæ non minus Ælfricum noſtrum commendat. unde etiam apparet, eam non anno* M VI. *ut habent exemplaria vulgata, ſed aliquot antea annis, ſcilicet* MII. *aut* MIII. *datam fuiſſe. Non ante annum* MII. *quia Godvvinus, qui inter alios antiſtites huic chartæ ſubſcribit, anno* MI. *Roffenſem ſedem adeptus eſt; non multum poſtea, cum Vulfranus qui alius eſt teſtis, anno* MIII. *aut* MIV. *juxta Savilli faſtos è vivis exceſſerit. Porro cum monachi ante Alfrici tempora in Cantuarienſi monaſterio Salvatoris jam conſtituti fuerint, ut vult Vuillelmus Malmesburienſis libro* I. *de Pontificibus Anglorum; hæc charta vel data eſt, ut ea quæ jam prius ſtabilita fuerant, confirmarentur, vel ſane ad expellendos clericos qui fortaſſe monachis exturbatis hanc Eccleſiam occuparant; aut denique; quod veri ſimilius multis videtur, monachi non tunc expulſis clericis hac in eccleſia ſunt inſtituti, ſed monachi ipſi qui ibidem divina perſolvebant, reformati & ad meliorem vitam revocati fuerunt.*

ANN. CHR. M. VI. AUGUST. XXVIII.

5. *Alfricum non ſolum virtutes, ſed etiam doctrina eximia & ſingularis eruditio illuſtrem reddiderunt; unde & nomen Grammatici habuiſſe dicitur à nonnullis, quo nomine locum inter illuſtres Angliæ ſcriptores obtinuit. Ejus opera ex Lelando ſic recenſet Pitſeus in libro de illuſtribus Angliæ ſcriptoribus, ætate undecima.* Grammaticæ librum unum. Sermonum lingua Saxonica centum & octoginta libros duos. Epiſtolam unam de conſuetudine monachorum. Tranſtulit etiam canones Concili Nicæni in linguam Saxonicam. Chronica Saxonica, maxime de Eccleſia Cantuarienſi. Dictionarii Latini librum unum. Tranſlationem in Geneſim librum unum. Super Dialogos ſancti Gregorii Papæ libros quatuor, Tranſlationem Donati librum unum, Excerpta ex Donato & alia *multa, quorum pleraque adhuc extant mſſ. in percelebri bibliotheca publica Cantabrigiæ. Tranſlationem Canonum Nicænorum, quam hic Pitſeus commemorat, non alia videtur eſſe à Canonibus Ælfrici Vulfino Epiſcopo nuncupatis, quos Spelmannus tomo* 1. *Conciliorum Anglicanorum refert pag.* 582. *quoſque, ſicut & Sermonum libros duos, Alfrico noſtro Cantuarienſi vix attribui poſſe contendit. Idem ſentit & probat auctor Angliæ ſacræ tomo* 1. *in diſſertatione ſingulari de duobus Ælfricis, ubi contendit pleraque opuſcula, quæ vulgo Alfrico noſtro tribuuntur, alterius eſſe Alfrici, qui cognominatus fuit Grammaticus. Refragantur alii viri eruditi. Verum ad commendandam Alfrici eruditionem adduci poteſt Prologus, rudi licet calamo exaratus, in vitam ſancti Dunſtani, qui Alfrico noſtro ab auctore coæquali nuncupatus eſt. Initium ejus editum eſt ſæculo ſuperiori in obſervationibus præviis ad vitam ſancti Dunſtani, ubi ſic habetur:* Perprudenti domino Archonti ALBRICO omnium extimus ſacerdotum B. viliſque Saxonum indigena, alta polorum gaudia. Te quidem, Paſtor, præcelſe, ob enormitatem divulgatæ peritiæ, perque magnificam placidam privilegii dignitatem, ad inſuperabilem mihi tuitionem, &c. *De Ethelvoldi vita ab Alfrico ſcripta, vide tomum præced. pag.* 606. *& tom.* 1. *Angliæ ſacræ pag.* 128.

Doctrina,

6. *Expletis annis decem, quibus Alfricus Cantuarienſi eccleſiæ præfuit, è vivis*

Mors, cultus, &c.

Ann. Ch. M. VI. August. XXVIII.

exceſſit die XXVIII. *Auguſti anno* MVI. *cujus corpus in monaſterio Abbendoniæ, ubi monaſticam vitam egerat, ſepultum eſt, poſtmodum Cantuariam relatum. Quæ quidem relatio ſub* depoſitionis *titulo inſcripta videtur in obituali libro Archiepiſcoporum Cantuarienſium tomo* I. *Angliæ ſacræ, ubi pag.* 54. *habetur:* XVI. Cal. Decembris, Cantuariæ depoſitio beatæ memoriæ Alfrici ejuſdem civitatis Archiepiſcopi & Confeſſoris. *Hanc tranſlationem ſub Canuto rege factam fuiſſe traditur in Hiſtoria monaſterii Abbendonienſis, quæ exſtat in tomo laudato Angliæ ſacræ. Ante & poſt obitum Alfricum miraculis claruiſſe aſſerit Menardus libro* 2. *Obſervationum ad Martyrologium Benedictinum. Certe Chronici Abbendonienſis anonymus ſcriptor, quem jam ex Harpsfeldio laudavimus, prolixam habet de ejuſdem ſancti miraculis narrationem, in qua non ſolum ea refert quæ adhuc puer, aut poſtea in vita decurſu patravit, ſed etiam alia multa, quæ ad ejuſdem tumulum in monaſterio Abendoniæ edita fuerunt. hinc miraculis clarus in faſtis Benedictinis celebratur die* 28. *Auguſti. Pitſeus eum virum Pium, & ſupra vulgarem hominum morem eruditum appellat. Ejuſdem meminerunt fere omnes qui de Anglicanæ Eccleſiæ rebus commentarios edidere.*

Ann. Ch. M. VII. Junii XXVIII.

TRANSLATIO SS. LIVINI EPISCOPI ET BRICCII PUERULI MARTYRUM,

In monaſterium Gandavenſe S. Bavonis.

Ex mſ. codice Alnenſi.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *JAM ad annum* DCLVI. *varias reliquiarum ſancti Livini Tranſlationes commemoravimus in obſervationibus ad ejus vitam; ſed ceteris celebrior fuit ea, quæ anno ſeculi hujus ſeptimo facta fuit è pago Holtheimio, ubi primo ſepultus fuerat, ad monaſterium ſancti Bavonis. Ejus hiſtoriam debemus reverendiſſimo domno Innocentio abbati Alnenſis monaſterii Ciſtercienſis ordinis in ditione Leodienſi, qui eam è vetuſto codice deſcriptam ad nos tranſmitti curavit.* [Auctoris ætas.] *Auctoris ætatem nec mſ. codex indicat, nec exprimit narrationis ſeries. Eum tamen ſeculo undecimo exeunte, aut ineunte ſequenti vixiſſe inde colligimus, quod poſt Fulberti mortem vixerit, ut ex num.* 8. *apparet, & ante ſecundam tranſlationem, ſiquidem ejus nuſquam meminit, quæ à Vualtero epiſcopo Tornacenſi facta eſt anno* MCLXXV. *ut Molano videtur, aut certe anno* MCLXXI. *ut exiſtimat Sanderus, ſub Bettone abbate.*

[Briccius puer, quis?] 2. *Porro Briccius puerulus, quem hic cum Livino conjungimus, is eſt ipſe, qui in beati Livini vita ſimul cum illo conditus in eodem loculo dicitur, cujus etſi natale non celebretur, ut obſervat Johannes Molanus, in officio tamen tranſlationis ſanctorum Gandavenſium ejus nomen cum ceteris expreſſum habetur. Quin & cum Cornelius Janſenius Gandavenſis antiſtes, poſt ſedatos Gueuſiorum tumultus, ſacras eccleſiæ ſuæ reliquias viſitaret, ejuſdem parvuli exuvias integras & illæſas reperit, cum hac inſcriptione, quam Molanus in natalibus ſanctorum Belgii refert die* XII. *Novembris.* Hic requieſcit ſanctus BRIXIUS puer, martyr Chriſti pretioſus, ſanctiſſimi LIVINI epiſcopi & martyris in baptiſmate filius. *Ceterum utriuſque ſancti reliquiæ ex Caſtro-novo à Carolo V. Imperatore conſtructo, quo ob furorem Calvinianum fuerant abductæ, in eccleſiam ſancti Bavonis, quæ hodie ſedes eſt epiſcopi, anno* MDLVII. *relatæ ſunt, ubi honorificentiſſime adſervantur.*

[Tranſlat. memoria.] 3. *Tranſlationis ſancti Livini meminit Sigibertus ad annum* MVII. *in Chronico, quod Aubertus Myræus edidit. Eamdem memorant ipſe Myræus in Faſtis Belgicis, Johannes Molanus, Johannes Sanderus in ſuo Gandavo, & alii paſſim rerum Belgicarum ſcriptores. At hic obſervandum venit à Vualtero Tornacenſi, qui ſecundam tranſlationem curavit, fuiſſe ſtatutum, ut utriuſque tranſlationis feſtivitas ſimul celebraretur una die, ſcilicet* IV. *Kalendas Julii, qua prior facta fuerat, quamvis poſterior* V. *Idus Aprilis contigerit. quod ſane cavendum eſt, ne conjunctis in unica celebritate his duabus tranſlationibus, quod in una contigit alteri tribuatur.*

I. HODIERNAM

1. HODIERNAM agentes feſtivitatem adventus in Gandavo ſancti LIVINI martyris, dignis Deo celebrare laudibus oportet & hymnis, & exultare ſollemnibus officiis. Devoti quidem agite, fratres, quod agitis, ſapienter pſallite Deo vocibus & votis, reverenter celebrate quod celebratis; quia reverentia ſanctorum laus & gloria eſt Salvatoris cunctorum. Bene noſtis hunc ſanctum, à Deo ex matris utero ſanctificatum, & datum in terris fideliter invocantibus & pie quærentibus liberatorem piiſſimum; quapropter intente quæramus devoto ſervitio ejus beneficium. Multis igitur retro diebus ante nos facta eſt hujus ſancti tam pretioſa tranſlatio; ſed quia ſemper manet æterna memoria juſti & recordatio, & juſtitiæ juſti numquam in oblivione erunt coram Deo, multorum ideo relatione fidelium noſtra conſtabit oratio. Confer vitæ n. 3.

2. Locus igitur ille ſepulcralis beati Livini Martyris multimodis ſalutarium virtutum clarebat inſignibus, & ſic longe lateque diffuſis odore virtutifero, ſicut agri pleni cui benedixit Dominus, & in quo cæleſtis ſervabatur theſaurus, quotidie frequentabatur à diverſis nationibus circumquaque confluentibus. Optatam itaque recepit ibi ſoſpitatem multitudo languentium, confortabatur ibi vox & animus quorumcumque dolentium, & erat omnium vox conſona Deum in excelſis concinentium. Omnes ergo quotquot venerunt, videntes ſecundum prophetiam ſepulcrum ejus glorioſum, admirati ſunt, & admiratione pleni aliis ad propria redeuntes viſa & experta narraverunt, & ita in commune Deum in ſancto Martyre ſuo glorificaverunt. Summus itaque pontifex, & ſolus veri tabernaculi verus ſacerdos in æternum, glorificans in cælo ſurſum, & in terra deorſum dilectum Martyrem ſuum corpus ſuum cum tumba per ſe quando & quomodo voluit, quia potuit, ſublevavit ſuper terram in aëra libratum, dans manifeſtum cunctis mortalibus, quia jam emeritus miles ſuus, de corruptione mortalium ſecurus, immortalitatem conſecutus regnat in cæleſtibus. Fulget hic juſtus, ſecundum quod ſcriptum eſt, ſicut ſol in cælo, & ſicut ſtella claritatis in æternitatis firmamento, cantans canticum novum coram Deo & Agno, cujus corpus & corporis tumbam angelici ſpiritus concives ſui cuſtodiunt in terris ab omni infortunio. Denique cum Nortmanni & Dani totam Galliam igne & ferro depopulati ſunt, omnem pæne per circuitum villam HOLTEM [a] uſque ad ſolum conſumſerunt, ab illo tamen cæleſti armario perterriti ſemper aufugerunt. In tempore illo præſedit Cameracenſibus epiſcopus THEODERICUS [b], ad cujus dioceſim pertinet ille locus, qui auditis illis miraculorum ſignis & virtutum prodigiis, deſcendit inviſere memoriam ſancti Martyris, ubi expertus majora quam audivit in patria, prædicavit populo, in ſancto ſuo tam mira & ſtupenda Dei magnalia; & quoniam ſanctos ſuos Deus excelſus, ab imo terræ tam potenter exaltavit. Hic ammonitus à fratribus ſancti Bavonis ſanctorum Livini & Bricii pignora cum omni timore & gaudio tranſtulit, & transferens in loco celebri quam decenter collocavit [c].

Sepulcrum S. Livini miraculis illuſtratur.

Corpus è terra levatur.

3. Talium igitur favor magnalium, novitas, & novitatis magnitudo totum pæne pervolat mundum, & per multa annorum curricula perdurans uſque ad tempus Henrici & imperium, qui patri [d] ſuo Ottoni juniori

a Paſſus eſt S. Livinus apud Eſcham, non longe ab *Hauthem*, ubi ſepultus. Eſt autem Hauthem vicus territorii Aloſtenſis, tertio milliari à Gandavo diſtans, ubi idem beatus Livinus degere ſolitus erat dum viveret, qua de re vide ejus epiſtolam ad Abbatem Florbertum, quæ cum vita ſancti Bavonis edita eſt ſæculo 2. ad annum 653.

b Hunc Theodericum veluti ſanctum venerantur Cameracenſes, obiit anno 863. corpuſque ejus poſtea in Germaniam tranſlatum eſt. De eo plura Baldericus in Chronico.

c Anno 842. ut teſtis eſt Molanus in Natalibus ſanctorum Belgii, die 12. Novembris.

d Error auctoris, niſi Henricum Ottonis filium nuncupet, quod ei in Imperio ſucceſſerit.

ANN. CH. M. VII. JUNII XXVIII.

ſucceſſit in regnum, totum ejus perluſtrat & illuſtrat admiratione palatium. Unde Rex ipſe & primates ſui collaudaverunt in ſanctis ſuis mirabilem Deum. Rex ille tunc temporis parabat expeditionem in Gandenſibus oris [a], & hoc agebat privatum cum ſuis conſilium in votis, quatenus cum rediret ſecum aſportaret corpus tanti Martyris. Sed longe aliter Rex cæleſtis de Martyre ſuo fieri diſponebat, quam rex terrenus cum ſuis agere tractabat. Quid multa? venit idem rex cum magno militum tumultu, multoque armatorum ſtrepitu, omnemque Brachatorum [b] terram & regionem perturbavit, & exercitus ejus per vicos, & villas atque caſtella, quaſi locuſtæ in Ægypto diſperſus, incendiis & rapinis omnia diſſipavit, ipſe vero caſtrametatus in villa Sancti-Livini potenter reſedit. Quidam autem de exercitu ſuo malignitatis ſpiritu debacchati, ſuperbe ſancti oratorium, & oratorii atrium irruperunt, depopulantes quæcumque cives ibi ſervanda deportaverunt. Adalbertus vero tunc ibi preſbyter, præbens cunctis & oſtendens ſalutis iter, arguit eos, & increpavit, & ut ab incœpto perverſitatis opere deſiſterent, admonuit, ſed nihil profecit. Et quoniam nullum Deo & ſancto ſuo honorem dederunt, omnes ſubito in oratorio cæcitate percuſſi ſunt; foris autem in atrio denſitas tenebrarum cunctos quaſi Ægyptios induratos oppreſſit; & ita Rex Deus, potentiſſimus regum, injuriam militis ſui deffendit. Fit clamor & tumultus quaſi pereuntium in caſtris, & cauſa facti pervenit ad notitiam Principis; unde Rex nimium turbatus, metuebat ſuper ſe & exercitum ſuum iram & judicium imminere ſuperni Regis. Cognoſcens itaque Dominum Deum ſuper ſe Regem eſſe cælorum, de ſolio ſuo deſcendit; & cum rege Ninivitarum depoſito diademate, prior omnibus ſe humiliavit, & ad memoriam ſancti Livini martyris miſericordiam Dei oraturus intravit. Videns ergo milites ſuos, tam miſerabili pœna multatos, contremuit, contremiſcens condoluit, condolens vero in cinere & cilicio coram ſancto proſtratus, omnibus exemplum humilitatis oſtendit; & ſi non verbis, factis tamen, ut Propheta Deum adoravit: Domine Deus Rex omnipotens, in tua ditione cuncta ſunt poſita, & non eſt qui poſſit reſiſtere voluntati tuæ. Si ſalvare nos decreveris, continuo liberabimur, & non peribimus. Et nunc Domine Rex Regum, Deus patrum noſtrorum, Pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis, miſerere ſupplicantibus nobis, miſerere laborantibus populis tuis; quia ſi tuæ placet pietati & dilecto Martyri tuo, jam ſatis exſolverunt in pœnis. Omnia quidem opera tua præcellit miſericordia, ideo quærimus faciem tuam in confeſſione, ne nos corripias in judicio & ira, ſed tua nos ſolita præveniat indulgentia. Contine manum percuſſionis, ſuſpende gladium ultionis, qui potes ſalvare quem volueris, & perdere quem judicaveris. Videns ergo miſericors Deus coram ſe regem humiliatum, liberavit ab omni plaga populum ſuum, & ita coram rege & omni exercitu ſuo mirificavit ſanctum ſuum. Salvatus eſt autem populus ille de tali judicio, gratias agens Deo, donaria multa offerebat ſupplex ſancto Livino, & Rex & primates ſui repleti ſpirituali gaudio concinebant ſupplici voto, Gloria in excelſis Deo.

Eremboldus de S. Livino transferendo agit.

4. Exſtitit eo tempore in Gandenſi cœnobio ſancti Bavonis abbas dignæ memoriæ ERELMBOLDUS [c], qui magis quæ Domini quam quæ ſunt mundi cogitans, nimium erat humilis coram Deo & timoratus. Hic loco cui præerat aliquam à Deo dignitatis gratiam in diebus ſuis fieri optabat, & ſuper hoc voto conſolationem ſancti Spiritus continuis fletibus & ora-

a Hujus expeditionis meminit Sigibertus in Chronico ad annum 1007 cui conſentit Sanderus.

b Id eſt Brabantinorum, in libro 1. miraculorum S. Bavonis dicitur *terra Brachantiſiorum*, in vita S. Livini *Brachenteſia*.

c Succeſſit Odvvino anno 1003. ac monaſterium uſque ad annum 1017. cum laude adminiſtravit.

Digitized by Google

tionibus exſpectabat. Metuebat ſuperveniſſe cum exercitu Regem, ſed multo diligentius in Regem cælorum ſpem ſuam ponebat & intentionem; & quia locus ſepulturæ ſancti Livini hereditarius erat ſancti Bavonis ex antiquo, timebat ne privaretur regia vi tanti Martyris privilegio, & Gandenſis locus ſpeciali & ſpecialiter ſociali ſanctorum Bavonis & Livini deſtitueretur patrocinio. De talibus igitur ad Dominum anhelanti precum ſuſpiriis, & continuanti diem ac noctem in vigiliis & pſalmodiis, nuntiatur ei tam judiciale miraculum de exercitu Regis, & oſtenſa in Rege tam mira benignitas ſancti Martyris. Gaviſus eſt pater Eremboldus ſuper his ſignis, quæ operabatur in milite ſuo potentia ſuperni Regis. Sed adhuc expavit animoſitatem Henrici, propter experientiam meriti beati Livini, ne forte ideo tolleret ſibi memoriam ſancti; ſed non ita evenit. Rex denique inde digreſſus, ad Gandavum militarem manum direxit, & pacato ſibi Balduino Comite, per aliam viam reverti diſpoſuit. Poſt diſceſſionem vero Regis, ſubito cælitus inſpiratur Abbati, ut creditur, bona cordis intentio, & ex intentione felix & pia cogitatio, quatenus ſine ulla dilatione fieret pignorum ſancti Livini tranſlatio. Et ne hoc ſalubre differret negotium pro minori ſubſtantia, ſuggeſtum eſt ſibi in animo ſubminiſtrari omnia pro ea quam habebat in Deum confidentia.

Ann. Ch. M. VII. Junii XXVIII.

5. Hac inſpiratione confortatus in Domino Abbas, nihil cunctatur, ſed uſus fratrum conſilio, mox ad *Holthem* proficiſcitur, ibique coram loculo ſancti Livini, cum fratribus qui ſecum venerant in orationem proſternitur; diem inſuper & noctem pervigilem ducens, Deo ſemetipſum in ara contriti cordis primo ſacrificavit, dehinc ſalutarem hoſtiam in memoriam Jeſu-Chriſti, ad honorem ſancti ſui, contribulato ſpiritu ſollemniter obtulit, & offerens humiliter communicavit; ſicque Deo convivificatus in ſpiritu, cum omni ſupplicatione ad ſancta ſanctorum ſecurus acceſſit; accedens loculum ſanctorum Livini & Bricii fiducialiter aperuit; aperiens autem pignora eorum omnibus integerrima manifeſtavit; ſicque cum omni honore & gaudio relocata diligenter obfirmavit. O quam pium ſpectaculum, in quo delectatæ ſunt mentes intuentium! O Livinum, beatum Livinum! in cujus tranſlatione conſolata ſunt corda fidelium! O cæleſte donum, per quod multi perceperunt ſalubre beneficium! Nam cum cæleſtem illum ſancti Martyris aperuiſſent loculum, circumdedit atrium & oratorium clara nubes ex alto cælorum, & cæleſtis mira fragrantia perfudit ora præſentium; unde multorum illuminata ſunt corda credentium, & ſanata ſunt corpora languentium. Gaudebant omnes qui aderant, & laudabant Deum in univerſis, quæ per ſanctum ſuum Livinum ibi glorioſe fiebant.

Quod exſequitur.

6. Peractis igitur omnibus cum gaudio, & aſſumto ſecum cæleſti theſauro, reverti ſe parabant ſuo non fraudati deſiderio. Et exeuntes oratorium & oratorii atrium, cum multo tripudio populorum, & clericorum choro concinentium, cum paullulum proceſſiſſent, in itinere juxta quamdam arborem malum, fixis ſubito greſſibus ſubſtiterunt qui portabant ſancti Livini loculum. Tanti ponderis factus eſt ibi Martyr Dei mirabilis, quo ferentes eum ſuſtinere non poſſent in ulnis; verum etiam vix ſua ſalvatione deponentes in terris nimium attoniti ſtarent pleni timoris & tremoris, ubi die & nocte perſtabat immobilis. Propter hoc igitur vocatum eſt nomen loci illius, Malus-ſancti Livini. Stabant igitur omnes in circuitu ſtupefacti, & mirabantur ſuper hoc mirabili facto nimium contriſtati; & illa vox paullo ante in alto pſallentium verſa eſt in vocem flentium, Dei miſericordiam & Livini ſui meritum invocantium. Noctem illam & diem in laudem Dei pervigilant, vigilias in orationibus & lacrymis obſervant; & quia Deum miſericordem contribulatos corde & humiles ſpiritu con-

Miracula.

Digitized by Google

ANN. CH. M. VII. JUNII XXVIII.

ſolari noverant, devotius invocabant & exauditi ſunt: contriſtati inclamabant, & conſolati ſunt. Non enim ibi poterant habere diutius mæror & triſtitia locum, ubi mox divina miſeratio parabat gratiam conſolationis & lætitiæ donum, donum ſcilicet per longa poſt ſæcula pluribus profuturum. Nam inſpiratus Dei gratia abbas, ſanctarum particulas reliquiarum ad ſalutem civium ibi relocavit, & tale pactum cum ſancto Livino compoſuit, quod etiam cum monachis & laïcis publice confirmavit juramenti ſacramento, ad memoriam ſepulturæ ejus, cum omni reverentia reducere eum omni anno: diem vero hujus annualis proceſſionis ſtatuit in vigiliis [a] Apoſtolorum Petri & Pauli, quando facta eſt tam glorioſa tranſlatio ſancti. Data igitur ab Abbate tali ſponſione, ſuſtulerunt mox in humeris ſanctum Domini onus leve, & ſolutis greſſibus cœptum iter inſiſtebant percurrere. Ecce lætabantur cuncti, qui paullo ante fuerant contriſtati. Abbas autem præ omnibus exultatione gaudens ſpirituali, pſalmum Deo dicebat, & hymnum ſancto Martyri. O ſancte Livine, martyr Dei electe, noſtra vota pius ſuſcipe, & in viam ſalutis & pacis nos dirige. Turba vero præcedentium & ſubſequentium clamabat Domino, ut pueri Hebræorum, Hoſanna in excelſis. Benedictus Dominus Deus Iſraël, quia viſitavit & redemit populum ſuum, & mirabiliter hodie magnificavit ſanctum Martyrem ſuum.

S. corpus Gandavi,

7. Talibus igitur à Deo beneficiis jocundati, ſuum iter ſecurius egerunt, & ductor eorum Deus & Dominus opera miſericordiarum faciens, graditur coram eis ubicumque tranſierunt, & juxta villam quæ dicitur *Theſla*, tranſito Scaldis fluvio Gandavum pervenerunt, ubi ſuper montem unum depoſito ſanctorum feretro quieverunt, & inde ille mons dictus eſt, Sancti Livini. Præcucurrit citius fama nuntios ad cœnobium ſancti Bavonis, & qui aderant fratres ornaverunt faciem templi, & domum Domini ad ſuſceptionem tanti hoſpitis ſuperventuri. Exibat enim obviam innumerabilis populorum multitudo, & diverſus clericorum & monachorum feſtivus occurrit ordo. Interea ut obviarent proceſſioni, dum ſcrinium ſancti de terra levare conati ſunt, mirum in modum, ut montem immobilem adhærere monti mirati ſunt. Diſcurrens itaque per populos ſpargitur hæc mirabilis fama, cunctorum impleverat ora hæc res memoriæ digna, ſanctum Dei Martyrem non poſſe levari de terra. Congregatus eſt univerſus Gandenſium populus quaſi vir unus, ad cernendum hoc cæleſte prodigium, commota eſt tota regio per circuitum, laudare Deum, & in Deo ſancti ſui Martyris meritum. Ad quoſcumque igitur pervenerat hic rumor, ſuper omnes cecidit lætitia cordis & timor, & ex timore major diffunditur reverentia ſancti Martyris & honor; abbatem maxime & monachos conturbavit ſollicitudo mentis & pavor. Verumtamen ſalutari conſilio uſi, diſponunt excubias ad feretrum ſancti, & ad monaſterium regreſſi præveniebant in confeſſione & ſatisfactione faciem Domini. Nobiliorem ergo & Deo digniorem meditantur acturi proceſſionem, ut vel tali modo placatum invenirent magnum Dei Martyrem. Jejunabant, flebant, & orabant, totamque noctem illam in laudem Dei vigilabant, & ſequenti die Miſſarum ſollemnia celebrabant, & celebrantes quam humiliter communicabant. Ita igitur purificati in Domino, ſancta ſanctorum humiliter adeunt, dominum & patricium patriæ ſanctum Bavonem [b], magnum totius Flandriæ patronum aſſumunt, ſanctumque Landoaldum archipræſu-

Feſtive ſuſcipitur.

[a] Tamen Molanus eam refert ad v. Calendas Julias.

[b] Sancti Bavonis vita habetur Sæc. 2. ad annum 653 Landoaldus dicitur eccleſiam Trajectenſem per novem annos adminiſtraſſe. qui cum ejus ſorore Vinciana apud *Vvintershove* obiit & ſepultus eſt. Ubi etiam ſepulta erat beata Landrada virgo, abbatiſſa Beliſienſis, unde in monaſterium ſancti Bavonis tranſlati ſunt anno 980. ſub Vvolmaro abbate, ut teſtis eſt Sanderus lib. 4. cap. 4. Horum omnium corpora & aliæ monaſterii hujus reliquiæ etiamnum in eccleſia Cathedrali aſſervantur.

Digitized by Google

lem, & corpora ſanctarum Vincianæ & Landradæ ſuſcipiunt, & cum omni reverentia & religione obviam amico Dei tali proceſſione exeunt. Quid in hac proceſſione virtutis & gaudii fuerit, quid ſalutis & felicitatis in populo contigerit, nullus explicabit. Verum cum ad montem illum pervenerat ordo hujus proceſſionis, protinus ſanctus Martyr elevatus eſt de terris, obviam ſibi advenientibus ſanctis, quaſi acturus eis gratiam ſalutationis, & devotæ viſitationis. Videbantur ſancti ſe invicem hujuſmodi alterna ſalutatione conſolari, & in ſpiritu corporali conventu gratulari, ſignificantes in hoc quanti meriti ſit dilectio Dei & proximi, & quia veri & dilecti fuerant filii Dei. Stabant omnes ad hoc ſpectaculum nimis attoniti & clamantes in excelſo corde & voce ſupplici: Adjuva nos Chriſte fili Dei vivi. & quia ſuperni roris nectare fuerant madefacti, & odoris ſuaviſſimi fragrantia aſperſi, delectabat eos ibi cum ſanctis quaſi cum Domino transfigurato in monte demorari, quoniam perfectum eſt gaudium ſanctorum contuberniis aſſociari. Qualitatem ergo gratiæ & honoris diei hujus conſiderare volo, ſed in ipſa conſideratione deficio, quoniam tam miræ & divinæ collectionis nec modum nec rationem invenio. Certiſſime tamen datur intelligi, Chriſtum Dominum in hoc conventu præſentem haberi, qui per Evangelium in nomine ſuo congregatis, in medio eorum ſe perhibet converſari. Igitur quoniam omnia tempus habent, & tempus omni rei ſub cælo, incipiente Abbate *Te Deum laudamus*, regreditur cum gaudio tam felix ſanctorum proceſſio, & omnis populus, cæleſti potitus beneficio comitatur clamitans in excelſo *Kyrie eleiſon*. Adducunt ergo ad ſuum hoſpitium, Gandenſe ſcilicet cœnobium, ſanctum Dei Martyrem, novum quidem in terris ſuſceptum hoſpitem, ſed à Deo prædeſtinatum ante ſæcula concivem in cælis & conſortem. Relocantur digna cum reverentia ſanctorum corpora in ſanctuario, inthronizatur & hic cæleſtis miles & amicus Dei Livinus, aſſociatus eis in ſuo celebri loco, de quo collegio illuminata ſtabilitur Gandenſium concio, & perpetuali gaudet aucta patrocinio.

8. Facta eſt hæc Tranſlatio Henrico Romanorum imperatore, Roberto Francorum rege, Balduino Marchione, Eremboldo Gandenſium abbate, milleſimo ſeptimo anno Incarnationis dominicæ, cujus regnum, poteſtas & imperium nullo clauditur fine. Abbas ſiquidem Eremboldus, bonæ memoriæ dignus, finiens hanc vitam migravit à corpore, recipiens, ut credimus, à Domino gloriam felicioris vitæ, anno ordinationis ſuæ vigeſimo, poſt adventum ſancti Livini undecimo, & poſt ſuſceptionem ſancti Macarii ſexto, anno ſcilicet Domini milleſimo decimo-ſeptimo.

Tranſlationis tempus.

Eremboldi abbatis obitus.

9. Domini igitur gratia per ſanctorum merita & patrocinia in Gandavo collectorum, ſuccedentibus proſperis, ſuperſtites ejus neglexerunt ſacramentum ſupradictæ ſponſionis, quam celebrare voverunt annuatim ad honorem ſancti Livini martyris. Et quia melius erat eis non vovere quam votum non reddere, cuncti promiſſores multiplici plectuntur promiſſione *, & puniuntur ſententia ſingularis pœnitentiæ. Alius enim capitis ſui dolore, alius oculorum cæcitate, alius interna viſcerum contritione, alius membrorum debilitate, alius longa lectuli ſui detentione detinebatur uſque ad terminum vitæ. Taliter ergo hi omnes exterminati ſunt, & in locum eorum alii ſuccedentes ſimiliter neglexerunt. Multorum igitur decurſis annorum curriculis, ſurrexit in eodem Gandenſi cœnobio abbas FULBERTUS [a], memoriæ laudabilis, anno videlicet milleſimo trigeſimo-nono dominicæ Incarnationis. Hic etenim & reliqui fratres plurimum lætabantur de corporali præſentia ſancti Livini, & multum

Negligentes poſteri puniuntur.

** f. percuſſione.*

a Fulbertus abbas ſancti Bavonis.

a Hic anno 1039. Rumoldo, qui anno præcedenti fuerat exauctoratus, ſubſtitutus eſt. quo ſedente corpus ſancti Macarii anno 1067. è terra ſollemniter elevatum eſt.

Digitized by Google

Ann. Ch. M. VII. Junii XXVIII.

delectabantur in glorioſis miraculorum inſignibus, & de loco ejus ſepulcri, ſed expertis anteceſſorum percuſſionibus videbantur nimium contriſtari. Verùm ſuper hæc utentes conſilio ſalutari, decreverunt efficere votum quod ſanxerunt patres ſui, ne & ipſi punirentur quemadmodum & illi. Exinde ergo omni anno reportatur ſanctus Livinus cum magna reverentia clericorum & devotione laïcorum ad memoriam ejus ſepulcri, ubi plurima præſtantur fidelibus beneficia ad laudem & gloriam nominis Domini, qui vivit & regnat in ſæculum ſæculi. Amen.

Ann. Ch. MVII. Julii X.

DE S. PETRO ABBATE PRIMO ſancti Petri in monte Caprario prope Peruſium.

Vita ſancti Petri.

1. *HUJUS ſancti vitam Ferrarius & alii paſſim auctores ex manuſcripto codice monaſterii ſancti Petri cui ille præfuit laudant; at cum hanc vitam nondum habere licuerit, ne tanti viri memoria in hiſce Actis deſideretur, viſum eſt ejus epitomen ex Catalogo generali ejuſdem Philippi Ferrarii huc tranſſcribere, quam ex vita ipſa mſ. quæ apud monachos ſancti Petri Peruſii ſervatur, ſe adornaſſe teſtatur ad diem x. Julii, quo ſancti hujus viri feſtivitas ſollemniter celebratur apud Peruſinos. Si vero ipſam vitam potuerimus aliquando integram obtinere, eam ad hujuſce voluminis calcem dabimus.*

Monaſteriũ Peruſii.

2. *Monaſterium ſancti Petri, cui primus præfuit abbas Petrus, cathedralis olim eccleſia fuit à primis ejuſdem antiſtitibus exſtructa, & ſancti Herculani epiſcopi & martyris à Gregorio magno laudati ſacris reliquiis ditata. Sed, quod forte extra civitatem ſita eſſet, Rogerius epiſcopus novam in urbe cathedralem excitavit ineunte ſæculo decimo, cujus ſucceſſor Honeſtus, veterem ſancti Petri eccleſiam, ne inculta maneret Petro noſtro dimiſit, data ei licentia monaſterii conſtruendi. Idque ipſe ſtatim exſecutioni mandavit, atque hæc initia fuere celebris monaſterii ſancti Petri in monte Caprario, quod, diu à Cluniacenſibus inhabitatum, Eugenius* IV. *Pontifex, agente Johanne Andrea Peruſino epiſcopo, anno* MCCCCXXXV. *Caſinenſibus congregationis ſanctæ Juſtinæ recenter erectæ monachis attribuit, qui ibi hodieque perſeverant. Habemus apud Ughellum in appendice ad calcem tomi* IX. *Italiæ ſacræ pag.* 918. *ubi nonnulla retractat de Peruſinis epiſcopis, vetera duo inſtrumenta, quibus patet monaſterium ſancti Petri ſub ſpeciali apoſtolicæ ſedis tuitione ab initio poſitum fuiſſe. Primum datum eſt in Synodo Romana anno* MII. *in qua quidem Synodo conqueſtus fuerat ipſe Petrus abbas adverſus Cononem epiſcopum, quo connivente milites armata manu in monaſterium irruperant. Sic enim Petrus ſcriniarius coram pontifice peroraſſe dicitur in laudato inſtrumento:* Domine Papa, hic abbas tuus de Peruſia queritur adverſus Cononem Peruſinum epiſcopum, qui armata manu ſuorum ſatellitum de ſub altare monaſterii tui, cujus ipſe regimen tenet, abſtractus fuerit, & extractus de eccleſiæ janius & fratrum clauſtris, omnia quæ ibi inventa ſunt ad utilitatem fratrum direptioni conceſſerit, &c. *Id ſua voluntate factum fuiſſe pernegavit antiſtes; monaſterium tamen ſuæ ſedi omnino ſubjectum debere eſſe contendit; cumque Pontifex apoſtolicæ ſedi illud privilegiis Gregorii & Johannis ſuorum prædeceſſorum attributum fuiſſe dixiſſet, repoſuit Cono id abſque Peruſinorum epiſcoporum conſenſu factum, irritum omnino debere fieri. Sed cum Romani id ex conſenſu & precibus epiſcopi Peruſini factum fuiſſe probaſſent, Cono juxta Synodi ſententiam monaſterii exemtionem agnovit, ac abbatem in pacis oſculum ſuſcepit. Idem præſtitit in altera charta Andreas Cononis ſucceſſor in alia Synodo Romana, quæ anno* MXXXVI. *ſub Benedicto* IX. *habita eſt, cum tunc Bonizo abbas monaſterio ſancti Petri præeſſet.*

Digitized by Google

3. *Sancti Petri memoriam recolunt Arnoldus Vvion, Hugo Menardus, aliique* ANN. CH.
faſtorum Benedictinorum ſcriptores, die 10. *Julii. quo die à Ferrario in utroque cata-* MVII.
logo celebratur. Eumdem laudant Jacobillus in ſanctis Umbriæ & alii Peruſinæ hi- JULII X.
ſtoriæ ſcriptores. Ejus obitum anno MVII. *contigiſſe aiunt, anno regiminis ſui qua-* Sancti Petri memoria.
drageſimo. ſed jam ejus vitæ epitomen proferamus.

4. Petrus in agro Peruſino natus, Othone II. imperatore, adoleſcens ſacris litteris inſtructus, brevi ad ſacerdotium pervenit, cum vitæ innocentia, caſtitate pietateque in pauperes conſpicuus eſſet. Militibus Imperatoris, qui ex Urbe coronatus remeabat, territorium Peruſinum vaſtantibus, Petrus multorum lacrymis commotus Imperatorem adiit, libereque increpuit, quod regnum ſibi à Deo gubernandum, non deſolandum commiſſum eſſet, eumque diſtrictiſſimam tot malorum à ſuis in pauperes præſertim factorum rationem redditurum. Quem cum Imperator primum rejeciſſet, poſtea cognita ſanctitate, illi accerſitum libenter auſcultavit, multaque correxit. Ab Honeſto epiſcopo Peruſino innocens agnitus eorum, quorum falſo delatus fuerat, eccleſiam beati Petri apoſtoli in monte Calario dirutam, reædificandi cum cœnobio facultatem obtinuit, factuſque monachus, deinde abbas primus ejus cœnobii, à Johanne XIII. pontifice maximo omnia quæ illius olim eccleſiæ fuerant, impetravit. Vitam vero duxit auſteram; nam carne ſemper abſtinuit, jejunium in hebdomada ter perpetuo ſervavit, vino rarius, in Quadrageſima numquam uſus, Horis canonicis in choro ſemper interfuit. (Vitæ epitome.)

5. Multa autem edidit miracula. Cum panis deficeret, eo orante ad januam monaſterii, equi frumento onuſti ab ignoto miſſi adfuere. Cum columna ingens marmorea ſurſum elevata diſruptis funibus caſura eſſet, facto ab eo crucis ſigno ſubſtitit in aëre. Epiſcopus * illi vas electuario plenum ſervandum dederat, quod à Petro pauperibus ægrotis diſtributum cum Epiſcopus repeteret, ille Epiſcopi iram veritus ad orationem confugiens, vas ut ante plenum invenit. Cum cellarius eleemoſynam pauperibus dare juſſus, panem in arca deeſſe diceret, is quinque panes inventos à ſe benedictos canibus projecit, quos cum canes attingere non auderent, pauperibus diviſit. Duos latrones ſuſpendendos à judice ad cuſtodiam ea conditione, ut ſi aufugiſſent, pœnam ipſe ſuſtineret, acceperat, quos cum Petrus recreatos, & indutos eadem nocte à ſe, ne deinceps delicta perpetrarent, admonitos dimiſiſſet; iratus judex pœnam illi remiſſurum pollicetur, ſi canes à ſe benedictos panes non attingerent. Verum Petrus ne Deum tentare videretur, id facere recuſavit. vocatus tamen ad benedicendam Comitis menſam, canes panem porrectum ex menſa benedicta odorantes, non ſine maxima adſtantium admiratione attingentes ululabant. Cum Romam ad limina Apoſtolorum multis comitatus pergeret, multaque de cælo utrinque pluvia decideret, ne gutta quidem illum & comites attigit. Denique ubi multos annos ei cœnobio præfuiſſet, brevi febre correptus obdormivit in Domino VI. Idus Julii. Cujus dies anniverſarius coli cœpit, cum hac die ventus vehemens arbores in agro Peruſino convulſiſſet, & ſegetes vaſtaſſet. (Miracula.)

* Chuno.

6. *His Bucelinus addit in Menologio Benedictino, ex variis auctoribus quos laudat, Petrum ad hæc verba quæ in eccleſia legebantur,* Tollite jugum meum ſuper vos, &c. *quaſi ſibi ſoli dicta fuiſſent, in monaſterium quoddam Cluniacenſe ſeceſſiſſe, ubi cum vita ſanctitate celebris evaſiſſet, ab Honeſto Peruſii epiſcopo repetitum fuiſſe, ab eoque ſancti Petri monaſterii abbatem inſtitutum. Alia etiam præcedentibus ſubjungit miracula. Nam & hominem ex alto muro prolapſum & graviter læſum à beato viro ſanitati reſtitutum ſcribit; molendinum vero monaſterii aquarum impetu abripiendum, ſigno crucis edito ab eodem ſervatum; mulierem denique nobilem in edendo partu periclitantem, ejus precibus liberatam fuiſſe narrat.*

Digitized by Google

ANN. CH. M. VII. NOV. XII.

DE S. ANASTASIO ARCHIEPISCOPO Strigonienſi in Hungaria.

Anaſtaſius S. Adalberti ſocius.

1. INTER *illuſtres Ordinis noſtri viros, qui Religionem Chriſtianam in Hungariæ regno naſcentem fovere ac promovere ſategerunt,* ANASTASIUS, *qui & AUSTRICUS alio nomine appellabatur, merito debet recenſeri. Hic in monaſterio ſancti Alexii ſeu ſancti Bonifatii Romæ vitam monaſticam agebat ſub Leonis abbatis regimine, eo tempore, quo ſanctus Adalbertus Pragenſium antiſtes, in idem monaſterium denuo ſe recepit. Cum vero idem Adalbertus, agente Vvillegiſo archiepiſcopo Moguntino, iterum in Bohemiam ad ſuam eccleſiam redire coactus fuiſſet, ſex monachi Alexiani, inter quos noſter Auſtricus erat, ſeſe ipſi itineris comites adjunxere, eumque in Bohemiam ſecuti ſunt; quod condendo celebri Breunoviæ aſceterio occaſionem præbuit. Rem ſic narrat Dubravius libro ſexto Hiſtoriæ Bohemicæ his verbis.* Boleſlaus, *Pius ſcilicet, Dux Poloniæ, qui Boleſlao ſævo patri ſuo ſucceſſerat,* & Archiepiſcopus Moguntinus, uterque ſuos Romam ad Adalbertum allegat, qui ei reditum in patriam celerem ad recuperandum pontificatum perſuadeant: illoque Romæ manendi propoſitum retinente cum ſodalibus, quorum ſodalitia profeſſione etiam religionis approbavit; ambo rurſus per legatos Romanum pontificem, *Gregorium ſcilicet quintum*, aggrediuntur, orantes ut vel invitum Roma extrudat ad eccleſiam ſuam Adalbertum, ſi bene conſultum Boëmis, qui Romanam religionem affectantur, velit. Ceſſit tandem pontificis Romani auctoritati Adalbertus, diſcedenſque Roma, &c. *Id in Romana Synodo decretum fuiſſe affirmatur in vita ſancti Adalberti Sæculo ſuperiori edita, ſed Dubravium cetera proſequentem quæ magis ad rem noſtram faciunt, audiamus.* Adalbertus comitatu auctior factus, nam ſex præterea fratres contubernales ex contubernio ad divum Alexium Roma digreſſi ipſum apud Hungaros aſſecuti ſunt, nec divelli ab eo ullo modo potuerunt. Cum iis igitur Boëmiam ingreſſus ..... majore honore à Boleſlao excipi non potuit, quam eſt poſt reditum exceptus, locoque ſuo & bonis quibuſdam paternis eſt reſtitutus. Ea illa bona paullo poſt in officia pietatis diſtribuit, & una cum Boleſlao principe cœnobium, quod BREUNOVIAM vocant, ædificavit ac munificentiſſime dotavit, deductis in contubernium ſodalibus, quos ex Italia ſecum adduxit, illique nomine Abbatis propoſito ANASTASIO, qui poſthac apud Hungaros Strigonienſem egit pontificem. *Subjicit Dubravius, monaſterium Breunovienſe tunc viris illuſtribus maxime floruiſſe ſub Auſtrici noſtri moderamine, quem etiam virum tantæ ſanctitatis ac virtutis fuiſſe aſſerit, ut mortuum diſcipulum ſuis precibus revocaverit ad vitam. Unde mirum non eſt, ſi Adalbertus tantopere eorum conſortio delectaretur, ut ſæpius eum in monaſterio, quam in domo pontificali inveniſſes. Quin & ipſemet Boleſlaus ſæpius eos inviſebat, præſertim feſtis diebus, ut eorum conviviis intereſſet; quæ viri illi ſancti* à precibus ſemper incipiebant, & cum precibus finiebant, magna cum modeſtia & diſciplina atque abſtinentia ciborum.

Monaſter. Breunoviæ.

2. *Hic quidem erat tunc Breunoviæ ſtatus, ſed diu non ſtetit tanta proſperitas. Impii quippe homines in Boleſlaum principem, quem plus æquo Chriſtianæ religioni deditum aſſerebant, ſimul & in Adalbertum, quod frequenter eorum vitia reprehenderet, conjurationem inierunt, atque occupato non longe à Praga monte, Chriſtianos quoſque qui in eorum manus veniebant male habere ac eorum bona diripere cœperunt. His permotus Adalbertus, poſt aliquot hominum cædes, iterum invidiæ cedendum ratus,*

ratus, ſuis, quos in Breunovia relinquebat, prius confirmatis, è Boëmia ſeceſſit, uti à ſummo Pontifice Roma diſcedens faciendi veniam acceperat. cujus exemplum ſecutus paullo poſt Auſtricus, in Hungariam cum ſuis diſcipulis perrexit, ubi à beato Stephano tunc Duce benigne exceptus eſt; ac ædificato monaſterio in honorem ſancti Benedicti, non minus ibi quam in Boëmia ſanctitate floruit. Audiendus ea de re eſt Chartuitius epiſcopus, qui in vita ſancti Stephani Hungarorum regis, Auſtrici adventum, ac monaſterii ab ipſo conditi exordium ſic deſcribit. Abbates & Monachi nihil proprii habere cupientes, ſub tam religioſo Principe ſtatuerunt ad ſui inſtituti præſcriptum vivere, in quibus fuit Aſtricus abbas cum diſcipulis ſuis. *Et paullo poſt.* Porro ASTRICUS abbas cum ſuis honorifice acceptus, ad radices Montis-Ferrei cœnobium in ſancti Benedicti honorem conſtruxit, ubi hodieque eſt monachorum congregatio, regulari diſciplina pollens, temporalium rerum copiis ex Ducis liberalitate ſuperabundans, &c. Cum his Dei ſervis Princeps chriſtianiſſimus, modo communiter cum omnibus, modo ſeparatim cum ſingulis colloquia miſcens, &c. *Idem omnino narrat Antonius Bonfinius rerum Hungaricarum libro 1. Decade 2. ubi addit, noſtrorum monachorum* opera ac auxilio *Hungaros à beatiſſimo Rege ad fidem adductos fuiſſe.* Rex, *inquit,* Aſtricum & diſcipulos honorifice excepit, & ad radicem Montis-Ferrei collocavit, ubi divi Benedicti cœnobium magnifico ſumtu exædificare permiſit. Quin & baſilicam illam ingenti donativo multiſque prædiis pagiſque donavit, quo monachi commodius in regulari vita conſiſtere poſſent. Horum conſuetudine, quando viros optimos eſſe intelligebat, mirifice delectabatur; quorum auxilio ac opera Ungaros partim ſponte, partim vi ac metu in lucem veritatis aſſeruit, mandata ſacræ legis, & orthodoxæ fidei axiomata omnes ſcire coëgit, &c.

ANN. CHR. M.VII. NOV. XII.

E Bohemia tranſit in Hungariam.

Monaſt. ibi conſtruit.

3. *Refertur ad calcem Bonfinii Stephani regis privilegium monaſterio ſancti Martini, cui Anaſtaſius abbas præerat, conceſſum: quod, etſi nonnihil vitiatum videatur, hîc tamen deſcribendum eſſe cenſuimus, quod multa habeat ſcitu non indigna, quæ illuſtrare poſſint monaſticam hiſtoriam.*

Privilegium S. Stephani.

In nomine Dei ſummi, STEPHANUS divina providente clementia Hungarorum rex. Credimus & vere ſcimus ſi locis divino cultui mancipatis poteſtates atque honores adaugmentaverimus, id non ſolum laude humana prædicandum, verum divina mercede remunerandum. Quocirca omnium ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelium noſtrorumque præſentium atque futurorum ſollers comperiet intentio, ſignificamus, quod nos interventu, conſilio, & conſenſu domini ANASTASII abbatis, monaſterio ſancti Martini in monte ſupra Pannoniam ſito, à genitore noſtro incœpto (quod nos per Dei ſubſidium, ob animæ noſtræ remedium, pro ſtabilitate regni noſtri, ad finem perduximus) talem conceſſimus libertatem, qualem detinet monaſterium ſancti Benedicti in monte Caſino: quia propter orationes ſanctas Fratrum ejuſdem monaſterii, conſiliante domino Anaſtaſio præſcripto abbate, & jugiter adjuvante, confortati & laureati ſumus. Singulare namque ſuffragium, quod per merita beati Martini in me à pueritia expertus ſum, memoriæ poſterûm tradere curavi. Ingruente namque bellorum tempeſtate, qua inter Teutonicos & Hungaros ſeditio magna excreverat, præcipuè quòd cùm civilis belli ruina urgeret, volente Comitatu quodam, nomine Simigenſi, paterna me ſede repellere, quid fluctuanti conſilii darem, quoque me verterem, tanta tactus verecundia, adſtantibus Ducibus, videlicet Poznano, Cincio, Orthio, dominoque meo Archiepiſcopo, votum vovi ſancto Martino, quod ſi de hoſtibus interioribus aut exterioribus, ejus meritis victor exſiſterem, ſupra nominati Comitatus decimationi de omnibus negotiis, prædiis, terris, vineis, ſegetibus, vectigalibus, vinumque hoſpitum quod in prædiis eo-

Digitized by Google

Ann. Ch. MI. Nov. XII. rum excreſceret, ne parochiano Epiſcopo pertinere videretur, ſed magis Abbati ejuſdem monaſterii, ſub teſtimonio præfatorum Ducum, multorumque Comitum, abſque ulla mora ſubjugare. Dumque poſt cogitatum victoria potirer, quod animo revolveram, operis efficacia complere ſtudui. Needum etiam epiſcopatus & abbatiæ præter ipſum locum in regno Hungarico ſitæ erant. Quod ſi [per] vos fideles licuit mihi, quo volui loco, epiſcopatus & abbates ſtatuere; an non licuit cuipiam loco quod volui, ut facerem? Et ne adhuc eccleſia ſancti Michaëlis * vacua eſſe videretur, vel Epiſcopus parochianus injurias querimoniaſque in collectione decimarum pateretur, ei curtem, quæ vocatur *Corten*, cum hominibus eodem pertinentibus tradidi. Quod ſi ipſe contra mea ſtatuta quid inique agere, vel acquirere voluerit, ante Deum judicem vivorum & mortuorum in die judicii ſe contendere mecum ſciat. Adhuc autem ſubjungens dico, ſit ipſum monaſterium ab omni inquietudine ſemotum; habeantque monachi poſt tranſitum ſui cujuſque abbatis alium abbatem ſecum eligendi [jus] & à quocumque velint Epiſcopo conſecrandi eum: ſitque illis licitum Ordines accipere quovis loco, & à quocumque Epiſcopo. Ante neminem verò abbatum capella incedat, niſi ante Patrem ejuſdem monaſterii, propter reverentiam & ſanctitatem ipſius loci; moreque Epiſcopi in ſandalibus Miſſam celebret. Præcipimus itaque ſub teſtificationibus Salvatoris Domini noſtri Jeſu-Chriſti, ut nullus Archiepiſcopus, Epiſcopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, ſeu aliquis homo magnus, ſive parvus, de jam fato monaſterio aliquomodo ſe intromittere in mancipiis, terris, vineis, decimationibus, piſcationibus, ripis, placitis, ſine conceſſione abbatis ejuſdem monaſterii audeat. Quod qui fecerit, componat centum libras auri optimi, medium Cameræ noſtræ; ac medium præfato monaſterio, ſuiſque rectoribus, maledictioniſque perpetuæ vinculo æternaliter feriatur. Quod ut verius credatur, hanc paginam manu propria roborantes ſigillari juſſimus. Datum anno MI. regni noſtri ſecundo, Indictione decima-quinta.

* al. Martini.

Hactenus regium diploma, cujus Indictio, ut anno M I. *& Stephani Regis ſecundo concordet, Indictio* XV. *à Septembri inchoanda eſt.*

Fit epiſcopus. 4. *Sed ſine paſtoribus diu ſubſiſtere non poterat naſcens Ungarorum Eccleſia, huicque neceſſitati beatus Princeps deſiderans providere, provinciam totam in decem epiſcopatus diſtribuit, atque Colocenſi eccleſiæ, uni ex illis Aſtricum,* quem doctrina & moribus præſtantem eſſe noverat, *ut ait Bonfinius, præfecit,* eumque poſt initum Pontificatum Anaſtaſium appellavit. *Ad eam eccleſiam canonica electione promotum eum fuiſſe aſſerit Chartuitius. Verum hæc omnia non ſatis tuto egiſſe ſibi videbatur beatus Stephanus; niſi accederet ſanctæ ſedis apoſtolicæ auctoritas. quare Anaſtaſium quadriennio poſt patris ſui obitum Romam miſit, tum ut Pontifex naſcenti eccleſiæ benedictionem impertiret, ac novos Epiſcopatus erectos confirmaret, tum etiam ut Regium diadema ſibi concederetur. quanta cum prudentia hanc legationem exſecutus fuerit Anaſtaſius, ipſius rei eventus declaravit. Non enim regium diadema ſolummodo, verum etiam inſignia apoſtolica Principi obtinuit. qua de re audiendus eſt ipſe Chartuitius, qui tertio-decimo Sæculo vixit. Sic autem loquitur.* Præſul Aſtricus ad Pontificem venit, demandatumque officium ſibi prudenter exſequens, ſanctique Ducis res geſtas ordine referens, à ſede Apoſtolica regni coronam petiit: oſtendens dignum eſſe Ducem eo honore & dignitate, quippe qui divina fretus ope multos ſibi populos ſubjugaſſet, multoſque infideles ſua potentia ad Chriſtum convertiſſet. Iis auditis mire exhilaratus Pontifex, *qui jam pridie divinitus monitus fuerat, ut Aſtrici precibus aſſentiretur, quod ſupra præmiſerat Chartuitius,* precibus illis libenter annuit, crucemque ante Regem ceu apoſtolatus inſigne geſtandam adjunxit: Ego, inquiens, ſum Apoſtolicus, at ille merito Chriſti Apoſto-

Romanum iter.

lus dici poteſt, cujus opera tantum populum ſibi Chriſtus adquiſivit; atque ea cauſa quemadmodum divina gratia ipſum docebit, eccleſias Dei una cum populis noſtra vice ei ordinandas relinquimus. ANN. CHR. M. VII. NOV. XII.

5. *Stephanus his inſignibus receptis, quæ Anaſtaſius detulerat, in regem ungitur; & ne fruſtra vices apoſtolicas videretur accepiſſe, edictum cum epiſcopis & regni primoribus promulgavit, quo & ſingulis vitiis parabantur remedia, & eccleſiaſticæ diſciplinæ ordo inſtituebatur. Interea Sebaſtianus, qui ex monacho ſancti Martini archiepiſcopus Strigonienſis factus fuerat, lumen oculorum amiſit, ſicque totius regni metropoli quadamtenus paſtore orbata, periculum erat, ne grex novellus, ducis ſui deſtitutus gubernatione, à recto fidei tramite deflecteret. Ad hanc calamitatem ex Hungaria propulſandam viſum eſt ſanctiſſimo regi Stephano Anaſtaſium noſtrum in ſedem Strigonienſem provehere. quod & re vera annuente pontifice Romano factum eſt. Tanta dignitatis ſplendor Antiſtitis noſtri oculos non effudit, ut ex his quæ paullo poſt geſſit manifeſtum eſt. triennio enim poſtquam hanc ſedem conſcenderat, Sebaſtiano, qui lumen oculorum recuperaverat, ſedem ſuam Anaſtaſius reſtituit, eccleſia Colocenſi contentus. Pallii tamen archiepiſcopalis uſum & prærogativas ſemper habuit, unde eum ſub Ungrorum Archiepiſcopi nomine, privilegio Johannis* XVII. *Papæ pro erectione epiſcopatus Babembergenſis in concilio Francofordienſi ſubſcripſiſſe legimus, quod ex Gretſero Labbeus tomo* IX. *Conciliorum, ad annum* 1007. *edidit.*

Fit archiep. Strigonienſis.

Ejus ætas.

6. *Hæc ſunt quæ de Anaſtaſii ſeu Aſtrici vita ex variis auctoribus excerpere potuimus. Porro ejus obitum die* 12. *Novembris conſignavimus, quo ſcilicet die in Martyrologio Benedictino memoratur his verbis:* Strigoniæ in Hungaria depoſitio ſancti ANASTASII Epiſcopi & Confeſſoris, magnæ ſanctitatis viri. *Annus vero à nullo auctore, qui quidem nobis notus ſit, aſſignatur: ſed viſum eſt nobis ejus obitum ad hunc annum, quo Privilegio ſupradicto ſubſcripſit, referre, quod deinceps nulla ejus mentio occurrat.*

Cultus.

VITA SS. ZOERARDI ſeu ANDREÆ

CONFESSORIS, ET BENEDICTI MARTYRIS, EREMITARUM.

ANN. CH. M.... MAII IX.

Auctore (ut ferunt) MAURO Quinqueccleſienſi epiſcopo.

Ex Maïo Suriano.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. ANASTASIO *adjungimus Zoërardum & Benedictum, qui eodem ac ipſe tempore Hungariam illuſtrarunt, uti refert Bonfinius libro* 1. *Decade* 2. *rerum Hungaricarum, huc allecti tum ſanctitate principis, Stephani ſcilicet, tum fidei diſſeminandæ deſiderio. Zoërardus & Benedictus, eodem teſtante Bonfinio, ex ea* Dalmatiæ parte, quam dicunt Polianam, *in Hungariam acceſſerunt, ex quibus* prior vitæ ſanctitate miracula edidit; Benedictus, cum pro Chriſto ſanguinem effuderit, inter divos Martyres adnumeratus fuit. *Eos è* terra Polonorum *adveniſſe ſcribit Maurus in vita quam infra dabimus, atque à Philippo abbate in monaſterio Zobor, quod ſub ſancti Hippolyti nomine in Nitrienſi territorio ſitum erat, ſuſceptos aliquamdiu degiſſe, priuſquam in eremum ſecederent. Hos tamen ipſos Bonfinius in Hiſtoria Hungarica, & Chromerus libro* 3. *de rebus Polonorum in monaſterio* Montisferrei *ſuſceptos fuiſſe commemorant. Certe, eodem Mauro teſte, Benedictus in eremo degens, ſæpius ad Martinianum monaſterium, quod à Zoborenſi videtur diſtinguere, accedebat. In officio proprio horum ſanctorum quod Poloni recitant, monaſterium in quo vixerunt, ſitum dicitur* in ea Sclavorum & Hungarorum regione, quæ Moraviæ Danubioque confinis, Sarmatia Pannoniæ olim dicta fuit.

Zoërardus & Bened. è Polonia in Hungariam penetrant.

Ann. Ch. M.... Maii I. Eorum ætas.

2. *Falluntur qui Zoërardum, nedum Benedictum, qui ei integro ſaltem triennio ſupervixit, anno DCCCCXC. aut ante ſæculi undecimi initium ex hac vita migraſſe putant. Cum enim illi viri ſancti, nonniſi ſub Stephano rege, proindeque poſt annum* DCCCCXCVII. *in Hungariam penetraverint, nec niſi poſt exactum aliquod in monaſterio tempus in eremum ſeceſſerint, eorum obitus ad ſæculum undecimum differri debet. quo autem anno contigerit, nobis plane incompertum eſt. horum vero vitam ſancti Anaſtaſii elogio ſubjunximus, quod eodem tempore in Hungaria floruerint.*

Vitæ auctor.

3. *Horum vitæ auctor à Surio Maurus epiſcopus Quinqueccleſienſis dicitur, ſub cujus nomine eam die* I. *Maii vulgavit, unde eam deſcripſimus. Et quidem celebris fuit iſtis temporibus Maurus, qui ex monaſterio ſancti Martini ad Quinqueccleſienſem thronum à beato Stephano evectus eſt, poſtquam ejus ſanctitatem miraculis comprobatam per ſe ipſe fuiſſet expertus. Rem narrat Bonſinius, cujus verba huc referre juvat, ex quibus diſcimus primos Hungariæ antiſtites ex noſtris adſumtos fuiſſe. Stephanus, inquit ille, cui ceteri ſcriptores ſuffragantur, rex*, quotannis cœnobia, baſilicas, ædeſque ſacras perluſtrabat. Cum ergo in divi Martini cœnobio Sebastianus ſingulari vita & ſapientia non mediocri præditus eſſet, miro amore à Rege complectebatur, ejuſque favore & auctoritate eo uſque evectus, ut Strigonienſis metropolita crearetur..... Quin & illud minus omittendum, cùm Pater (*Stephanus Rex*) divi Martini cœnobium, quod in monte Pannoniæ inſano (*ut Bonſinio viſum eſt*) ſumtu fundarat, monachiſque compleraț, reviſere decerneret, filium (Emericum) ſecum ducere ſtatuit, haud quaquam ignarus, quanta Dei gratia puer ille polleret. Inito itinere, cùm templo appropinquaſſet, monachi longo agmine obviam prodiere, ut qua decet dignitate Regem acciperent. Contra verò Rex, ut Emerico æque ac cæleſti angelo prodeuntes patres honeſtaret, filium præmiſit. Qui præreverenter ab his exceptus & conſalutatus, tamquam divinitus eſſet admonitus, monachis ne paria quidem oſcula diſtribuit; ſed pro cujuſque meritis impartitus eſt, quoniam huic duo, tria illi, nonnullis quatuor, quinqueve, & pleriſque ſeptem libaſſe dicitur. Pater à tergo, tamquam è ſpecula, cuncta conſiderabat: & quamvis filium nil temere feciſſe confideret, admiratione tamen carere non poterat. Quare ſacris rite peractis Emericum percunctatur, cur inæqualia patribus oſcula diſtribuiſſet. Pro continente, inquit, tempore oſcula dedimus: quibus autem ſeptena oſcula data, hos perpetuæ caſtitatis cultores eſſe ſcito, & ex numero ſeptenario, abſolutiſſimam præpotentiſſimamque virtutum virginitatem eſſe intelligito, quippe quæ ad penetralia cordium uſque penetret, quæ Deo dumtaxat patere ſolent, reconditas quoque hominum mentes intuetur. Rex inde profectus, paucis poſt diebus cùm quieſcere non poſſet, donec rem exploratam haberet, ut evidentiùs hinc auſpicatam filii ſanctitatem cognoſceret, cœnobium duobus tantum accitis comitibus repetit: non ſolùm diurnis, verùm etiam nocturnis ſacris intereſt, ut quinam forent, qui ſeptena oſcula ſuſceperint, exploraret. Poſt matutina ſacra, inter monachos inſinuatus animadvertit, omnes, præter eos, qui cumulatiſſima oſcula nacti fuerant, cubicula repetiiſſe: illos contra in ſacello remanſiſſe, & in ſecretiorem quemque angulum deceſſiſſe, ut ſacros ibi rythmos Deo ſuccentarent, ac reliquum ſpatium noctis in Dei laudem abſumerent. Hos veluti à ſpecula ſingillatim adoritur, conſalutatiſque benedixit: ad Maurum demum pervenit, ſepties oſculatum, à quo anne caſtitatis intemeratæ compos eſſet, neque blanditiis, neque minis, neque quavis artificioſa percunctatione extorquere potuit. In ſequenti die conventum indixit, ubi hunc ex induſtria variis criminibus poſtulatum periclitaretur. At ille nihil objectis calumniis reſpondit, haud inſcius omnes mortalium animos patere Deo. Quare facto periculo, Rex enarrata ſui adventus cauſa, Mauri virtutem publicè approbavit: pauciſque poſt menſibus eum Quinqueccleſienſi epiſcopatui præfecit.

Monachorum varia perfectio.

Cultus.

4. *Zoërardi, ſeu, ut alii molliori voce appellant, Suiradi & Benedicti memoria non in faſtis ſolum Benedictinis celebris eſt. Eos nempe uti patriæ ſuæ patronos recolunt etiam in ſuis tabulis eccleſiaſticis Hungari & Poloni, ſed variis diebus. Menardus, Molanus & Caniſius eos celebrant die* I. *Maii, Poloni die* 16. *Julii, ſequenti die Hungari. Eoſdem laudant Bollandiani die* I. *Maii, ſed inter prætermiſſos, daturi uti pollicentur, eorum acta menſe Julio, quo ſollemnior eſt eorum feſtivitas. Maurum vero Quinqueccleſienſem epiſcopum celebrat Martyrologium Benedictinum die* 4. *Decembris. qua die ejus elogium ex Bonſinio excerptum Surius exhibet.*

a Sub Stephano rege Zoerardus in Hungariam venit.

I. TEMPORE illo, quo ſub chriſtianiſſimi Stephani [a] regis nutu, nomen & religio deitatis in Pannonia rudis adhuc pullulabat, audita fama boni rectoris, multi ex terris aliis canonici & monachi ad ipſum, quaſi ad patrem confluebant, non quidem alicujus cauſa neceſſitatis coacti, ſed ut novum ſanctæ converſationis gau-

a Stephanus poſt mortem Geyzæ Ducis patris ſui, quæ ſub finem anni DCCCCXCVII. contigit, in Regem coronatus anno MI. poſt triginta & ſeptem regiminis annos moritur.

dium ex eorum conventu adimpleretur. Inter quos quidam ſancti Spiritus inſtinctu tactus, ex ruſticitate quaſi roſa ex ſpinis ortus, nomine ZOERARDUS, hanc in patriam de terra Polonorum advenit, & à PHILIPPO abbate, cujus monaſterium, Zobor nominatum, in Nitrienſi [a] territorio ad honorem ſancti Hippolyti martyris ſitum erat, habitu accepto, & ANDREAS nominatus, eremiticam vitam agere ſtatuit. Ibi verò quanta contritione cordis & corporis maceratione afflixerit ſeſe, ex relatione diſcipuli ejus beati BENEDICTI, cum ipſo converſantis, quæ audivi, paucis litteris mandare decrevi. Ego quidem MAURUS, Deo miſerante nunc epiſcopus, tunc autem puer ſcholaſticus, virum bonum vidi: ſed quæ eſſet ejus converſatio, non viſu, ſed auditu percepi. Ad noſtrum ergo monaſterium, in honorem beati pontificis Martini [b] conſecratum, cùm jam dictus monachus Benedictus ſæpe veniſſet, mihi hæc, quæ ſequuntur, de ejus vita venerabili narravit.

ANN. CH. M... MAII I.

Suſcipitur in monaſt. Zobor.

2. Poſtquam idem venerabilis vir Andreas eremi ſolitudinem petiit, magna quidem corporis defatigatione, ſpiritualis autem vitæ corroboratione jejunium ſemper obſervavit. Tribus diebus ab omni re, quæ mandi poteſt, abſtinuit pro dilectione gratiæ ipſius, qui propter homines homo factus, quadraginta diebus jejunavit. Cùm autem Quadrageſimale tempus adveniret, exemplo vitæ regularis, ſub qua ZOZIMAS [c] abbas degebat, ubi quadraginta quinque dactylis quiſque Quadrageſimam deduxit: ipſe à Patre Philippo, à quo habitum religionis perceperat, quadraginta nuces accepit, & eo exſiſtens victu contentus, diem ſanctæ reſurrectionis cum gaudio exſpectavit. Iiſdem verò & aliis diebus, licet eſus ad corpus refocillandum non ſolùm non ſufficeret, verùm etiam ſpiritum ipſum ad defectum perduceret; ipſe tamen excepto tempore orationis, numquam à labore ceſſavit: ſed acceptâ ſecuri, quemdam laboraturus ſilvæ locum ſolitarium intravit. Ubi cùm præ nimio labore & jejunii diſtrictione corpore & ſpiritu deficiente, quadam die præmortuus jaceret, quidam juvenis pulcherrimus adſpectu & viſionis angelicæ advenit, & impoſitum vehiculo ad cellam ejus adduxit. At exſtaſi, in qua erat, decedente, poſtquàm ad ſe reverſus, quid erga ipſum miſericordia Dei egiſſet, agnovit, ſupra dicto diſcipulo ſuo Benedicto, qui mihi hæc narravit, id confeſſus eſt, conſtringens cum juramento, ne ante diem obitus ſui notum cuiquam faceret.

Secedit in eremum.

3. Poſt laborem autem diurnum corpori quietem nocturnam talem adhibuit, quæ magis tormenti & afflictionis, quàm requiei nomen mereatur. Planatum equidem truncum quercinum ſepe circumdedit, & per ipſam ſepem arundines acutas ex omni parte infixit. Ipſe verò in trunco ſedens, tali ſeſſorio uſus eſt artuum reiteratione, ut ſi fortè corpus ſopore gravatum qualemcumque in partem ſe flecteret, arundinum acie ſauciatum graviter evigilaret. Inſuper & ex ligno coronam factam capiti ſuo circumponebat, ad quam in partibus quatuor totidem lapides ſuſpendebat, ut ſi caput ſopitum quocumque inclinaret, lapide percuteretur. O beati viri Andreæ merces, quàm beata & æterna vita, corona centies ornata, quæ in cælo recompenſat, quod in terra graviter emptum fuerat! O inauditum genus confeſſionis, quod precioſius facit regnum promiſſionis! Non cibus, non requies auferre potuit dulcedine vana vitam æternitatis, & nequam ſpiritus aditum invenire nequivit deceptionis. Hæc quæ jam dicta ſunt, diſcipulo ejus Benedicto referente, cognovi;

Nocte quercino trunco aſſidet.

a Nitria urbs eſt Hungariæ ſuperioris, vulgo *Nitracht* appellata, ad fluvium cognominem.

b De Martiniano cœnobio dictum eſt in elogio S. Anaſtaſii epiſcopi Colocenſis ſupra pag. 73.

c De eo Vitæ patrum, & Bultellus noſter in Hiſtoria monaſtica Orientis. Is eſt qui Mariam Ægyptiacam pœnitentem in eremo invenit.

Digitized by Google

ANN. CH. M.... MAII I.

Benedictus ejus ſocius occiditur.

qui & ipſe, patre ſuo defuncto, locum eumdem inhabitare decrevit. Cumque per tres annos exemplo magiſtri diſtrictè vitam ageret, latrones ſupervenientes, & multam apud ipſum pecuniam eſſe ſperantes, ductum ad ripam fluminis *Vvag* [a], jugulaverunt, & in ipſam aquam demerſerunt. Diu verò corpore ejus quæſito & non invento, per integrum annum viſa eſt aquila in ripa fluminis *Vvag*, quaſi quædam obſervatura, ſedere: per quam de corpore certi effecti, quemdam in aquas immergi fecerunt, & ſic integrum, quaſi nuper obiiſſet invenerunt.

Demerſus invenitur.

Conditus eſt autem Benedictus in baſilica beati Emmerammi martyris, in eodem ſepulcro, in quo aſſervabantur oſſa beati Andreæ, ejus ſancti patris. Jam quæ ſequuntur, Philippus Abbas mihi abbati conſtituto narrare conſuevit.

Zoërardi mors.

4. Cùm igitur tempus reſolutionis ſui corporis immineret, indicans eis hoc, qui aderant, ne ab ullo veſtimentorum ſuorum exueretur operimento præcepit, donec abbas Philippus quem miſerat accerſitum, adveniret. Qui pater adveniens, ubi corpus venerabile jam mortuum jacebat lavandum, catenam æream viſcera jam attingentem invenit. O mira res & inaudita! Catena carnes intus putrefaciens, cute foris eſt obducta. Sed neſciri hoc genus martyrii poſſet, niſi ad umbilicum ligati nodus appareret metalli. Solutâ verò catena, dum ex corpore trahitur, ſonus coſtarum eliſarum graviter auditur. Cujus catenæ partem mediam ab eodem patre impetravi, & nunc uſque cuſtoditam, petitioni Ducis chriſtianiſſimi GEISÆ [b], cum deſiderio mihi pro ea inſtanti, negare nequivi. Sepulto quoque beati viri corpore, quæ per revelationem abbatis Philippi cognovi, & cognitu digna eſſe videbantur, memoria notavi. Tempore quodam latrones, quorum collegia maxima ex parte ſolitudinem inhabitant, in ſilva congreſſi ſunt, quibus confligentibus, unus ex eis multùm ſauciatus eſt. Conflictu diremto, cùm hunc ſocii vulneratum nequaquam in ſilva dimittere vellent, conſilio inito, ad cellam ſuperiùs dicti viri Andreæ, cujus fama jam ad omnes circumquaque diffundebatur, eum deferre ſtatuerunt.

Defunctum latronem,

Sed cùm adhuc locus longè abeſſet, latro in via defunctus eſt. Corpore verò ejus ad cellam deportato, & in eadem poſito, media jam nocte cùm oſſa commendare vellent humo, ſubitò ſpiritu reverſo, mortuus reſurgere cœpit. Illis autem qui aderant, valdè perterritis, & præ pavore fugientibus, reſuſcitatus ille revocabat eos, dicens: Nolite fratres formidare, neque fugere: ſanctus enim Zoërardus me à morte ſuſcitavit ad vitam.

Zoërardus excitat.

Illis autem præ gaudio plorantibus, & ut diſcederet cum eis, rogantibus dixit, ſe numquam ab ea cella diſceſſurum, ſed ibi in perpetuum Deo & ſancto Zoërardo ſerviturum. Fecit itaque quod promiſit, & uſque ad obitum ſuum ibi permanſit.

5. Aliud quoque ejus miraculum nequaquam reticere volui, quod eodem Philippo abbate narrante cognovi. In civitate Nitria quidam reus damnatus, ſuſpenſus eſt.

Suſpendio multarum ſolvit.

Qui pòſt ſolutus Dei miſericordiâ, ad abbatem venit Philippum, & qualiter per merita beati viri Andreæ liberatus eſſet, indicavit. Dixit enim, quòd cùm damnatus eſſet, ſemper nomen ipſius imploraſſet: & cùm ſublevaretur in patibulum, ſtatim manibus ſuis beatus vir Andreas eum ſuſtentaverit. At illi, cùm eum omnes mortuum putantes, domum reverterentur, ipſe eum manu ſua ſolutum abire permiſit. O quanti meriti vir ante Deum, qui viſibilis apparens, homines ſolvit, cùm inviſibilis inter angelorum choros locum poſſideat.

a Vvaga fluvius in Pannoniæ montibus oritur, nec emenſo longo terrarum ſpatio Donajecio connectitur, aut potius nomen mutat; indeque ad Opatovicium opidum in Polonia Viſtulæ miſcetur.

b De Geiſis ſeu Geiezis tribus vide Bonfinii chronologiam Regum Hungaricorum: primus, S. Stephani pater, ſub ducis titulo regnavit exeunte ſæculo decimo, ſed qui hîc deſignari non poteſt, ſicut nec tertius qui ſæculo 12. regnum tenuit; ſecundus vero anno MLXXVII. regnum capeſſivit in annos tres, cui forte ante regnum adeptum Maurus catenam, de qua hîc loquitur, tradiderat.

Digitized by Google

DE S. BRUNONE RUSSORUM archiepiſcopo & martyre.

1. *INTER egregios martyres, quos inclyto agmine Benedictina familia Chriſto purpuratos obtulit, non infimum locum obtinet* BRUNO, *Ruſſorum ſeu Ruthenorum Lithuanis atque Pruſſis vicinorum apoſtolus. Is nobili apud Saxones genere ortus, patrem habuit* BRUNONEM, *inter proceres clariſſimum, & Ditmari Merſepurgenſis Epiſcopi conſanguineum; matrem* IDAM *pari nobilitate conſpicuam. Inde celebris Querffurtenſium Baronum ſtirps enata fertur, auctore Paulo Langio in Chronico Citizenſi, quem ferè recentiores exſcribunt. Verum altius videtur Brunonis genus, ob jam dictam cum Ditmaro propinquitatem, qui Reges ipſos atque Imperatores affinitate contingebat. Certiora ſunt quæ habet Chronicum Saxonicum, quod penes nos habemus mſ. ubi ad annum* MIX. *eadem ferme, quæ referemus infra ex Ditmaro, narrat. Sic vero de ejus genere:* Sanctus Bruno, qui & Bonifacius, archiepiſcopus gentium, primum canonicus ſancti Mauricii in Magdaburh XVI. Kal. Martii martyr inclytus cælos petiit. Pater hujus Bruno dicebatur, mater Ida, frater vero ejus Gevehardus dicebatur. Gebehardus genuit Burchardum & Idam. Burchardus genuit Gevehardum patrem Conradi archiepiſcopi Magdeburgenſis. Ida peperit Gebehardum patrem Lotharii imperatoris. — Bruno nobilis.

2. *Ab optimis parentibus Magdeburgenſi ſcholæ traditus Bruno, eum brevi in litteris ac pietate progreſſum fecit ſub Giddone magiſtro, qualem decebat Adalberti in ſtudiis ſucceſſorem, & monaſticæ vitæ martyriique candidatum. Adalberti, inquam, Pragenſis Epiſcopi atque martyris in ſcholæ Magdeburgenſi ſucceſſorem dicere malui, quàm cum Langio, Vuione ac recentioribus pleriſque omnibus, Adalberti archiepiſcopi Magdeburgenſis diſcipulum. Nam præterquàm quod ſub Adalberto Archipræſule Otricus, in Adalberti Pragenſis vita laudatus, & poſt eum Giddo, ejus loci ſcholas moderabantur; certè recentior videtur Bruno, quàm ut ad Adalberti Magdeburgenſis tempora pertinuiſſe cenſeatur.* — Magdeburgi ſtudet.

3. *Inde ab Ottone III. eductus, palatinis aliquamdiu vacavit officiis, quibus mox ſanctioris vitæ ſtudio valedixit. Magdeburgum ergo rediens, monaſticæ religioni nomen dedit, non Caſini, quemadmodum Trithemius, & ex eo Sixtus Senenſis ariolati ſunt, Brunonem noſtrum cum altero, itidem noſtro, Brunone, Caſinenſi monacho, dein Epiſcopo Signienſi confundentes. Hinc varia opera, quæ ſive ad Brunonem Caſinenſem, ſeu ad Brunonem Cartuſiani ordinis conditorem pertinent, ipſi affinxerunt. Quamdiu Magdeburgi Bruno monaſticis inſudarit diſciplinis, haud ſatis liquet: quamquam Ditmarus* converſionis ac inclytæ converſationis annos duodecim ei tribuit. — Monachus ibidem.

4. *Sed antequam Henricus Germaniæ Rex imperii ſumeret inſignia, Bruno ad gentium converſionem Merſeburgi ſacratus Epiſcopus, laboris ac viæ ſocios decem & octo ſibi monachos adjunxit, quibuſcum ad Ruſſos profectus, nullum fecit diſſeminandi verbi Dei finem, dum à paganis acerbiſſima morte cum ſuis plecteretur. Demochares in tomo 2. cap. 25. de ſacrificio Miſſæ, Brunonem ad eos Ruthenos miſſum ſcribit, qui ſunt in Vaſcovia, hodieque Rhodii vocantur, inquit Vuion. At Ruthenorum Lituanis Polonis ac Pruſſis vicinorum, qui ab antiquis Ryxani ſeu Roxolani vocantur, fuiſſe apoſtolum conſtat ex Ditmaro, cujus narrationem inferiùs adducemus. Brunonis elogium Paulus Langius in Chronico Citizenſi texuit in hunc modum.* Bruno Epiſcopus & martyr, & ipſe noſtri ordinis, apoſtolicus exſtitit prædicator. Qui natione Saxo, ex illuſtri Baronum de Querffurt proſapia ge- — Ruſſorum apoſtolus.

Ann. Ch. M. IX. Febr. XIV.

nitus, educatuſque in monaſterio Magdeburgenſi ſub Adelberti cura & magiſterio Archiepiſcopi ſupradicti, crevit in religionis probatiſſimæ & eximiæ virum ſanctimoniæ. Qui denique, amore Dei & animarum lucrandarum zelo ſuccenſus, barbaris & procul exſiſtentibus populis ſementa ſparſit fidei. Qui cùm conſtantiſſimè novis frugibus dominicum locupletare agrum ſatageret, & Chriſtum aſſiduè ingenti ardore memoratis evangelizaret gentibus, in confiniis Ruſciæ ab quibuſdam induratis & furibundis fidei irriſoribus manibus truncatis & pedibus, lingua inſuper præciſa, ac erutis ſancti viri oculis, ad palmam pervenit martyrii.

Scriptores de eo.

5. *De Brunone, præter Baronium in notationibus ad Martyrologium Romanum, plerique agunt rerum Germanicarum ſcriptores, ex quibus nonnulli poſt Marianum Scotum & abbatem Vrsbergenſem paſſionis ejus annum Chriſti anno* M. VIII. *definiunt, alii eam biennio ſerius contigiſſe ſcribunt. Secuti ſumus Chronographum Magdeburgenſem & Sigibertum, qui eam anno* MIX. *die* XVI. *Kalendas Martias conſignant; plerique tamen de eo agunt die* XV. *Octobris, qui forte ob aliquam ejus corporis tranſlationem ipſius memoriæ dicatus eſt. Ditmarus auctor æqualis annum diſerte non exprimit, eum vero die* XVI. *Kal. Martii decollatum fuiſſe aſſeverat. cujus auctoritas eo majoris debet eſſe ponderis, quo res ab ſe partim viſas, partim à teſtibus oculatis acceptas (utinam fuſiori ſtilo) repræſentat. Suis ergo verbis in hiſtoria lib. 6. audiendus hic auctor.*

Vitæ compendium ex Ditmaro.

6. Fuit quidam, BRUN nomine, contemporalis, & conſcholaſticus meus, ex genere clariſſimo editus, ſed divina miſeratione præ ceteris parentibus inter filios Domini electus. Hic ab IDA venerabili matre ſua unicè dilectus, magiſterio GIDDONIS philoſophi traditur, & omne quod habere debuit, cùm abundantia ſuggeritur. Hujus pater erat BRUNO, ſenior egregius, & per cuncta laudabilis, amicus mihi conſanguinitate, & omnibus erat proximus familiaritate. Filius autem ejus & æquivocus, cùm mane ad ſcholam ire debuiſſet, antequam ab hoſpitio exiret, veniam petiit, & ludentibus nobis, in oratione is fuit; otio negotium præpoſuit, & ſic fructificans ad maturitatem pervenit. A tertio deſideratur OTTONE & ſuſcipitur, quem non longè poſt deſerens, ſolitariam quæſivit vitam. *Addit Chronographus Magdeburgenſis*, & de opere manuum ſuarum vivebat.

7. Is verò poſt mortem glorioſiſſimi Imperatoris, regnante tunc ſecundo Domini gratia HENRICO, ad Merſeburg veniens, benedictionem cum licentia domini Papæ epiſcopalem ab eo petiit, & ejus juſſione ab archiepiſcopo TAGMONE conſecrationem; & quod ipſe detulit huc pallium ibidem ſuſcepit. Dehinc ob lucrum animæ laborem ſubiit diverſæ ac grandis viæ, caſtigans corpus inedia, & crucians vigilia. Multa à BOLIZLAVO, ceteriſque divitibus bona ſuſcepit, quæ mox eccleſiis ac familiaribus ſuis & pauperibus, nihil ſibi retinendo, diviſit.

8. In duodecimo converſionis ac inclytæ converſationis ſuæ anno ad Pruſſiam pergens, ſteriles hos agros ſemine divino ſtuduit fœcundare, ſed ſpinis pullulantibus, horrida non potuit facilè mollire. Tunc in confinio prædictæ regionis & Ruſſiæ, cùm prædicaret, primò ab incolis prohibetur; & plus evangelizans, capitur, deindeque amore Chriſti, qui Eccleſiæ caput eſt XVI. Kalendas Mart. mitis ut agnus decollatur cum ſuis decem & octo. Corpora tot martyrum inſepulta jacuerunt, quoad Bolizlavus id comperiens, eadem mercatur, ac domui ſuæ futurum acquiſivit ſolatium. Facta ſunt autem hæc in tempore ſereniſſimi regis Henrici, quem Dominus omnipotens triumpho tanti Præſulis honorificavit, &, ut multum ſpero, ſalvavit. Pater autem prædicti antiſtitis longè poſt infirmatus (ut ipſe mihi narravit) præcepto filii monachicum ſuſcepit habitum, & XIV. Kal. Novembris in pace quievit. *Chronographus Magdeburgenſis*

eum

Digitized by Google

eum cum in confinio Lituæ & Ruſſiæ *prædicaret, martyrio affectum fuiſſe memorat. Addunt Martyrologia vulgata eum abſciſſis pedibus ac manibus capite minutum fuiſſe.* ANN. CH. M. IX. FEBR. XIV.

9. *De eodem Brunone haud dubiè intelligenda Ottonis tertii epiſtola ad Piligrinum Patavienſem * epiſcopum, quam in codice Tegernſenſi reperimus in hac verba.* Ottonis 3. de eo epiſtola. * *de Paſſavv.*

OTTO Dei gratia Imperator Auguſtus, PILIGRINO venerabili Patavienſis eccleſiæ Epiſcopo, ſalutem & gratiam. BRUNONEM Epiſcopum veſtræ mittimus & committimus dilectioni, ut quibuſcumque apud vos indiguerit utenſilibus, abundantiſſimè adjuvetur; & tam veſtris hominibus, quàm & caballis, aliiſque in itinere rebus neceſſariis, quanto propiùs poſſit, Ungrorum confinio honorificè ac cautiſſimè perducatur. Nobis enim illuc erit delegandus, quò Rex eorumdem noſtro quàm propere arbitrio ſit colligandus. Vobis ergo magnopere ſit ſtudium hanc citiſſimè fieri legationem. nam ſi, ut apud nos ſedet, proſperabitur, vobis in hoc veſtriſque omnibus admodum conſuletur. Valete.

Ex qua epiſtola intelligitur, Brunonis etiam operam in revocandis ad Fidem Ungaris adhibitam fuiſſe.

DE SANCTO ARDUINO presbytero Ariminenſi.

ANN. CH. M. IX. AUG. XV.

1. ETSI *monachi titulus Arduino non tribuatur à Baronio, Ferrario aliiſque auctoribus, eum tamen noſtris eſſe accenſendum perſuadent vitæ auſteritas, & mora diuturna in monaſterio ſancti Gaudentii, ubi poſt tranſactam in accurata regulari diſciplina vitam obiit & ſepultus eſt. Hujus vitam laudat Ferrarius, ſed ex mſ. codice Cardinalis Baronii, quam ſi aliquando obtinere potuerimus, proferemus integram. Interim ejus epitomen exhibemus ex Catalogo generali Sanctorum Italiæ Philippi Ferrarii ad diem* XV. *Auguſti, ubi ſic habetur.* Arduini vitæ epitome.

ARDUINUS Arimini natus, mortuo patre, VENERIO presbytero eccleſiæ ſancti Gregorii rectori, viro ſpectatæ vitæ, adhæſit; quocum vigiliis, orationibus, jejuniis, eleemoſynis & aliis piis operibus vacare cœpit. qui ut Deo liberius inſervirent, urbem egreſſi in eccleſiam ſancti Apollinaris ſe recipiunt, ibi in unum orantes, pſallentes ac etiam laborantes; ubi Arduinus adhuc juvenis, ut carnis incendia exſtingueret, ſeſe quoties ardor invaderet, intra urticarum condenſa volutabat, gravioraque remedia adhibebat. Sacris initiatus & denique factus ſacerdos, non tam ætate quam vitæ ſanctitate famaque creſcebat. quare multi ad eum in dies conſilium poſcentes confluebant. quos inſtruebat, & increpabat, in quibus Rodulfum comitem Ariminenſem. Cum multa ſibi in dies donarentur, omnia pauperibus erogabat. Cœnobium ſancti Gaudentii per eos dies paſtore deſtitutum erat, cui cum JOHANNES epiſcopus Venerium tamquam ſeniorem præfeciſſet, iſque onus detrectaret, tandem Arduini hortatu illud ſuſcepit. in quo cœnobio quanta Arduinus humilitate, obedientia, patientia, abſtinentia, vitæque auſteritate fulſerit, vix dici poteſt. Denique vir ſanctus aſſiduis vigiliis & macerationibus confectus migravit è vita XVIII. Kal. Septembris, anno Dominicæ Incarnationis MIX. Henrico juniore imperatore, in eadem eccleſia ſancti Gaudentii ſepultus. ad cujus tumulum plures ægroti & infirmi divinitus ſanati ſunt. In iis puer pe-

Ann. Ch. M. IX. Aug. XV.

dibus contractus, puella paralytica; cæci duo, unus Bononienſis & alter Ravennas, præter dæmoniacos aliiſque morbis laborantes.

Miracula.

2. *Sanctitatem Arduini* ſtupendis *miraculis aſſertam fuiſſe teſtis eſt beatus Petrus Damiani in opuſculo* VI. *capite* 29. *ubi licet ab epiſcopo Simoniaco fuiſſet presbyter ordinatus, obſervat tamen, id teſtante Uberto Ariminenſi epiſcopo, quotidie ſacro-ſanctum miſſæ ſacrificium ab eo oblatum fuiſſe.* Æquivocus, *inquit Ubertus* II. *loco laudato apud Petrum Damianum*, prædeceſſor meus Ubertus epiſcopus in ſacræ ſedis acquirendæ commercio, teſte provincia, nongentas Papienſis monetæ libras appendit, qui tamen poſtmodum beatum Arduinum, per quem omnipotens Deus tot exhibet ſtupenda miracula, in preſbyterum conſecravit. quem cum perquiſiſſem, *Petrus ſcilicet Damiani Ubertum Ariminenſem epiſcopum*, è veſtigio, utrum beatæ memoriæ vir ab offerendo in ſua incolumitate perſtiterit, uſque ad ultimæ decubationis articulum offerendo ſalutaribus hoſtiis ſedulum inſudaſſe reſpondit.

Memoria.

3. *Arduini memoriam celebrat Philippus Ferrarius die* 15. *Auguſti, tam in catalogo generali ſanctorum Italiæ, unde vita ejus epitomen deſcripſimus, quam in altero ſanctorum qui in Martyrologio Romano non habentur. Ejuſdem meminit Baronius tomo* X. *ad annum* CMXCIII. *& tomo ſequenti ad annum* MLII. *Ejus ſacrum corpus ſuo tempore in eccleſia ſancti Gaudentii aſſervatum ſcripſit Caleſtinus ejuſdem loci monachus, in libello quem de ſtationibus & indulgentiis monaſterii ſancti Gaudentii, jubente abbate ſuo Joachimo compoſuit anno* MCCCCXLII. *Hunc libellum refert integrum Ughellus tomo* 2. *in catalogo epiſcoporum Ariminenſium, ubi plura habet de monaſterio ſancti Gaudentii. De Arduino autem hæc habet laudatus libellus.* Quinta ſtatio ſeu locus indulgentiarum ſancti Gaudentii, eſt in capella ſanctæ Coronæ .... in qua capella eſt altare lapideum, & retro junctum cum eo eſt quoddam magnum ſepulcrum lapideum, in quo eſt corpus Coronæ virginis, & corpus ſancti Arduini confeſſoris, qui in eodem monaſterio ſancti Gaudentii vixit, & ibidem ſanctificatus fuit.

C. An. Ch. M. IX. Octob. V.

DE S. ATTILANO EPISCOPO Zamorenſi in Hiſpania.

Attilani duo epiſc. Zamoræ.

I. P*RIUSQUAM beati Attilani Zamorenſis epiſcopi geſta recenſeamus, neceſſario præmittendum videtur, eum ab alio hujus nominis Epiſcopo itidem Zamorenſi diſtinguendum eſſe. quod cum non advertiſſent plerique auctores Hiſpanici, Attilanum noſtrum ſimul cum Froilano Legionenſi antiſtite, ſub cujus magiſterio Attilanum vixiſſe ipſis perſuaſum erat, ad annum* DCCCL. *referre non dubitarunt. Errori locum illis auctoribus præbuere complures chartæ ſub Alfonſo Caſto conſcriptæ, quibus Attilanum Zamoræ ſeu Numantiæ epiſcopum ſubſcripſiſſe legerant. Nos vero non imus inficias Attilanum unum tempore Alfonſi Caſti Numantinæ eccleſiæ præfuiſſe: ſed cum ex duabus chartis, quas in Elogio ſancti Froilani ad annum* MVI. *memoravimus, aliiſque plurimis, quas Athanaſius de Lobera, immo & ipſe Sandovalius ſe vidiſſe atteſtantur, conſtet beatum Froilanum Attilani epiſcopi inſtitutorem floruiſſe ſub Veremundo* II. *qui Podagricus dictus eſt; contendimus alium præter ſeniorem admittendum eſſe Attilanum epiſcopum, qui hujus ſæculi initio Zamorenſi eccleſiæ præfuerit. Attilanum quippe Froilani diſcipulum fuiſſe teſtes ſunt quotquot de rebus eorum geſtis ſcripſere, quod fieri non potuit ſi unicus admittatur ſenior Attilanus, qui tempore Alfonſi vixerit, quippe qui annis pluſquam centum præceſſerit Froilanum. Verum alio item*

Digitized by Google

argumento confirmari poteſt ſententia de duplici Attilano; ex diverſo ſcilicet utriuſque Attilani profeſſionis monaſticæ loco. Probat Sandovalius in fundatione monaſterii Sahaguntini, Attilanum, poſtea epiſcopum Zamorenſem, eo in loco monaſticam vitam duxiſſe, idque ex inſcriptione vetuſtiſſimi codicis ejuſdem monaſterii, ad cujus calcem hæc verba leguntur: Liber de virginitate ſanctæ Mariæ, quem compoſuit ſanctus Ildefonsus, Toletanæ ſedis poſt ſanctum Eugenium epiſcopus, & manu ſua tranſtulit Attilanus monachus de Domnos Sanctos, & poſtea Numantiæ epiſcopus. *Hunc porro Attilanum monaſterio Sahaguntino non invidemus; verum contendimus ipſam inſcriptionem Attilano noſtro attribui non poſſe. quippe qui numquam in monaſterio Sahaguntino vixit. Is enim, ut conſentiunt ſcriptores Hiſpanici, adhuc adoleſcens monaſticam vitam in monaſterio Tarraconenſi profeſſus, ad ſanctum Froilanum pergens, cum eo aut in monte Cuturrino, aut in cœnobio Morerolenſi ſemper egit, priuſquam ad epiſcopatum promoveretur. His in anteceſſum præmiſſis, ea quæ ex variis auctoribus ad hunc ſanctum præſulem ſpectantia colligere licuit, nunc exhibenda ſunt.*

2. Attilanus circa annum CMXXXIX. *Turiaſone in Hiſpania natus eſt ex nobilibus parentibus, quos anno quinto-decimo ſuæ ætatis deſeruit ut Chriſto militaret.* Attilani initia. *Monaſterium quod prope eamdem civitatem conſtructum fuiſſe dicitur, eo conſilio elegit, ubi monaſticam vitam profeſſus aliquamdiu converſatus eſt. At cum ſancti Froilani fama tunc temporis per totam Hiſpaniam ſanctitate & doctrina celebris haberetur; Attilanus petita ab Abbate ſuo facultate, relictiſque fratribus, Froilanum adiit, ut ſe tanti viri magiſterio ſubjiceret, à quo benigne acceptus eſt. Hi binas tantummodo ſibi cellulas primùm ædificavere: ſed affluente poſtea magna diſcipulorum copia, permiſſuque à Veremundo Rege accepto, monaſterii Morerolæ fundamenta jecerunt, ut in ſancti Froilani Elogio retulimus.* Vita monaſtica. *Froilanus monaſterii curam in ſe ſuſcepit abbatis nomine, Attilanus vero Prioris vices exſecutus eſt, ac ſub utriuſque regimine, in eo loco monaſtica vita maxime floruit. Exacto decennio cum vicinæ duæ eccleſiæ Paſtoribus viduatæ fuiſſent, uterque ſanctus in Epiſcopum, Froilanus quidem Legionenſis, Attilanus vero Zamorenſis eccleſiæ aſſumitur.* Fit epiſcopus. *Ferunt cum ambo conſecrarentur die ſancto Pentecoſtes, columbam affuiſſe, quæ inter eos volitans, Spiritum-ſanctum huic ſacræ actioni praeeſſe ſignificabat.*

3. Perpendens autem Attilanus quantum onus ſibi fuiſſet impoſitum, nihil omiſit, ut veri paſtoris munia perfecte obiret. Sedem deſerit. *Verum poſt decennium veritus ne ob quædam peccata quæ adhuc adoleſcens admiſerat, res ſacras indigne tractaret, pœnitentiam de iis agere inſtituit, eoque animo epiſcopatum deſerens, vale dicto ſuis Zamorenſibus peregrinationem ſuſcepit. Urbem egreſſus, anulum quem in digito geſtabat projeciſſe in fluvium dicitur, aſſerendo quod ſi umquam illum anulum poſſet recuperare, tunc de ſuorum peccatorum remiſſione certus epiſcopatum ſuum adminiſtrandum rurſus ſuſciperet. Hanc hiſtoriam quæ ab omnibus Hiſpaniæ ſcriptoribus memoratur, prætermittere religio fuiſſet, unde eam Marinei Siculi verbis libro* V. *de rebus Hiſpanicis poſt Manriqueſium referre viſum eſt.*

Attilanus memor exactæ vitæ, criminumque ſuorum, quæ antea commiſerat, peregre proficiſci ſtatuit. Epiſcopatus itaque reditus pauperibus mandat communes fieri: quod multis rationibus ſuos hortatur, quoniam neceſſitate coactus ſe per aliquod tempus receſſurum dicebat. Quod ſi ſecus mandatum feciſſent, Deus iratus maledictione condemnaret. Hoc audientes qui vitam ejus noverant, clamant dicentes: Te ſequemur quocumque vadis, ô mortalium omnium clementiſſime. quare nos in tanta calamitate relinquis? per Deum unicum quidquid rogas nos facturos teſtamur. Ille autem verbis illorum fidem adhibens, cum eos benedixiſſet, ſtatim diſceſſit. Cumque veniſſet ad pontem prope templum ſancti Laurentii, anulum quem digito geſtabat, de ponte projecit in fluvium, ſic dicens: Quando anulum hunc reviſero, tunc ab omnipotenti Deo delictorum meorum veniam conceſſam exiſtimabo. Inde autem diſcedens

Digitized by Google

ANN. CH. M. IX. OCTOB. V.

cum uno comite quem plurimum diligebat, adeo feſtinavit, ut eum defatigatum reliquerit in itinere. Solus itaque ſe pannis induit quàm viliſſimis, adeo ut à nemine cognoſci poſſet, & duos annos de eleemoſynis vixit. Quem tandem vox in ſomnis audita divinitus ſic admonuit: Attilane, jamjam tuum ad pontificatum perge; tuæ enim exauditæ ſunt preces. ipſeque præcepto audito ſe itineri accinxit.

Venit itaque noctu ad eremum, quæ ſancti Vincentii de Cornu vocabatur, & convicina ſancto ſepulcro, ubi quædam muliercula cum marito ſuo illum in parva domo receperunt, eique cœnam non lautam quidem dederunt. Mane autem maritus & uxor pro piſcibus ad Epiſcopi domum vadunt, ut antea conſueverant: & Attilanum rogant, ut interim domum cuſtodiat. quibus dantur piſces, immemores unius ſcilicet hoſpitis, quem domi reliquerant, reverſi pro eo dederunt eis piſcem majoris ponderis, quos piſces Attilanum rogant ut præparet, donec ipſa pro aqua & maritus pro igne vadunt; quibus Attilanus reſpondit obſequenter. Cumque majorem piſcem accepiſſet, dum ejus viſcera volveret, anulum quem à ponte dejecerat invenit. Tunc repente pronus & genibus flexis Deo gratias egit: & continuo ſponte campanæ ſonitum dederunt, & magna totius civitatis admiratio orta eſt; qua propter per omnes domos & hoſpitia atque hoſpitales perquirunt, nihilque comperiebant. Cum eſſent itaque omnes ſolliciti, tandem vir quidam procurator rei familiaris Epiſcopi, meminit de viro quodam quem muliercula ſibi dixerat hoſpitatum apud ſe, neſcius cujus dignitatis eſſet. Omnes illuc concurrunt ſacerdotes & tota civitas. Attilanus autem in veſte non pretioſa neque nova, ſed vili atque detrita inventus eſt Deo gratias agens. Quapropter omnes ei gratulantes, & Deo gratias agentes cum gaudio magno reduxerunt in civitatem. qui poſtea vixit annos circiter octo, ſanctis ſemper operibus incumbens. *Hæc Marineus, ex quo Surius, & alii auctores eamdem hiſtoriam deſcripſere. Idem fere narratur de ſancto Arnulfo Mettenſium Antiſtite, cujus vita ſæculo 2. edita eſt. Peregrinationem vero ab Attilano ſuſceptam, ſed ſine anuli miraculo commemorat auctor ejus Epitaphii, quod mox exhibituri ſumus; tametſi* cæleſti voce *revocatus ibi dicitur, quod ad miraculum de anulo fortaſſe quis referat.*

Ad ſedem reverſi pia opera. Obitus.

4. *Attilanus itaque ſuo epiſcopatui divinitus redditus, non minus pie ac ſancte quam ante ſuſceptam peregrinationem eum adminiſtravit, ac tandem poſt octo circiter annos obdormivit in Domino anno* M. IX. *vita ſua ſeptuageſimo, Pontificatus autem ſupra decimum-nonum. quem miraculis clarum Urbanus II. labente ſæculo præſenti in ſanctorum catalogum adſcripſit, ut atteſtatur Martyrologium Romanum. Hinc Attilanus ab omnibus ubique pro ſancto habitus eſt. Ejus ſepulcro poſitum eſt epitaphium, quod cum antiquitatem ſapere videatur, & omnia fere hujus ſancti Præſulis geſta perſtringat, hic apponere viſum eſt ex Martyrologio Johannis Tamayi ad* v. *diem Octobris deſcriptum.*

EPITAPHIUM SANCTI ATTILANI EPISCOPI ZAMORENSIS.

Continet hæc foſſa Atilani Præſulis oſſa,
Quem Zamora diu eſt venerata decora.
Iſte ſub Abbatis Froilani nomine, gratis
Dum monachus vivitque, Prioris munus obivit.
Denique Paſtoris baculo exaltatus honoris,
Omnibus ornatus virtutibus iſte Beatus,
Et populum rexit, nec juris ſymbola flexit.
Pauperibus factus pater, cognomina nactus

Digitized by Google

C. An. Ch. M. IX. Octob. V.

Eſt pia; pupilliſque magiſter factus, & illis
Diſtribuens panes, reprimebat robore canes
Omnibus in locis elegantis fulmine vocis.
Et viduis tutamen erat; nam pectora Flamen
Imbuerat tantis dogmatibus inclita ſanctis,
Vixerit ut Præſul chariſmate plenus, & exul,
Ut fieretque Deo gratus, funeſta reatus
Antiquæ vitæ plorans peccamina tritæ,
Tranſegit binos annos, ac denique humanos
Convertens greſſus, cæleſti voceque preſſus,
Amplectenſque bonos, quos mittunt cymbala ſonos
Urbem concedit, ſanctuſque ad munera reddit
Paſtoris grata. Hinc conſcendens aſtra beata
Nobis in hac foſſa, & vota obſeravit & oſſa.

5. *Sancti Præſulis corpus poſtea in theca argentea incluſum in altari majori eccleſiæ ſancti Petri, quæ olim cathedralis erat, repoſitum eſt. In eadem eccleſia beati Hildefonſi corpus Toleto advectum jampridem ſepultum fuerat, ſed ignoto loco. Verum cum poſtea tantus theſaurus detectus fuiſſet, ob facti celebritatem baſilica ſancti Hildefonſi nomen quidem accepit: ſed utrique ſancto, Hildefonſo ſcilicet & Attilano, par honos ſemper eſt delatus. & uterque in argentea theca incluſus. Notat Manriquez ad annum* MCXXX. *Chronicorum Ciſtercienſium, Attilani capſam intra ferream cratem incluſam eſſe, ac unam è tribus clavibus (ſeptem Tamayus numerat), quibus obſerata ſervatur, ab abbate Morerolenſi aſſervari, ſine quo præſente aut ſaltem conſentiente, ſacros cancellos reſerare fas non eſt. Peſtilenti morbo tactis ferre opem ſæpe viſus eſt. inde manavit conſuetudo ejus ſacras reliquias in publicis calamitatibus ſollemni pompa deferendi, quod numquam niſi à ſuis monachis Morerolenſibus fieri licet. Sacrum ejus caput teſte Tepezio Toletum delatum eſt; ubi in majori eccleſia ſumma in veneratione habetur. Celebris eſt in tota Hiſpania Attilani memoria, ubi ipſo die quinto Octobris ejus feſtum recolitur.* Ejus reliquiæ.

DE S. AUFRIDO ſeu ANSFRIDO epiſcopo Trajectenſi ad Rhenum.

Ann. Ch. M. X. Maii III.

1. Q*VAMVIS omnes ferme Belgici ſcriptores Aufridi ſeu Anſfridi, aut Ausfridi memoriam celebrarint, nihil tamen ſupereſt ex ejus geſtis ab antiquis ſcriptoribus exaratis præter fragmenta nonnulla ex Chronico Saxonico, quod penes nos habemus manuſcriptum, tum ex Anonymo monacho monaſterii ſancti Pauli Trajectenſis; qui quidem vitam ſancti Aufridi deſcripſit, ſed eam habemus ſolummodo imperfectam ex codice mſ. ejuſdem monaſterii erutam, quam Godefridus Henſchenius ad diem 3. Maii Bollandiani typis mandari curavit. At in iſto vitæ fragmento neque Aufridi ætas, neque ejus mortis dies aut annus deſignantur. quin & notas quidem chronologicas quaſdam profert, ſed non abſque errore, ſic enim habet:* Anno tertio Henrici imperatoris, Ottonis III. ſucceſſoris, erat apud Brabantium Comes Aufridus, &c. *quæ vera non ſunt, niſi dicamus, auctorem iſtum ad extremos ſolummodo Aufridi epiſcopatus annos attendiſſe. ſiquidem certum eſt eum longe ante iſtud tempus conſcendiſſe thronum Trajectenſem. Haud tamen contemnenda eſt iſtius fragmenti auctoritas, ex quo & Chronographo Magdeburgenſi ea potiſſimum repetemus, quæ de beato Aufrido ſcripturi ſumus, adjunctis iis, quæ ex variis ſparſim auctoribus colligere licuerit.* Vitæ ſcriptor.

Digitized by Google

Ann. Ch. M. X. Maii III. Ætas, parentes, &c.

2. *Aufridum ante ſæculi decimi medium natum fuiſſe ex eo colligimus, quod anno* CMXCIV. *aut ſequenti, ut habet chronicum Magdeburgenſe, jam ſenex epiſcopus Trajectenſis electus fuerit. Patrem ejus ipſi cognominem fuiſſe legitur in laudato Chronico, quem tamen Lambertum Lovanii Comitem, Ragineri primi Hannoniæ Comitis filium vulgati auctores appellant. Certe Ægidius Aureæ-vallis monachus in additionibus ad Anſelmum canonicum Leodienſem, aut ipſe Anſelmus, ut cenſet Aubertus Miræus, in geſtis Pontificum Leodienſium, capite* 53. *ipſummet Aufridum noſtrum comitem Lovanienſem nuncupat. Alii alios ei comitatus tribuunt. Etenim Sigibertus ad annum* CMXCVII. *eum* comitem Bratuſpantium *fuiſſe ſcribit; Melartus & alii*, Hoyenſium; *nonnulli vero iſtorum & aliorum præterea comitatuum poſſeſſorem fuiſſe aiunt; quorum ſententiæ non ſolum favent variæ donationes ex variis dominiorum iſtorum poſſeſſionibus factæ locis ſacris, ſed etiam ipſe chronographus Magdeburgenſis, diſertis verbis aſſerens Aufridi noſtri patrem quindecim ſimul comitatibus fuiſſe potitum. En ejus verba ad annum* CMXCV. *ubi plura habet de ejuſdem beati viri propinquis & pia ejus inſtitutione.* Hic, *inquit*, alto progenitorum germine, cum adhuc eſſet puerulus, tum omni lege mundana à patruo ſuo Rudberto Trevericæ civitatis epiſcopo, tum divina adprime eſt inſtructus. *Robertus ab anno* CMXXX. *ad* CMLVI. *Trevirenſi eccleſiæ præfuit ex Brouvero, libro* 9. *Annalium Trevirenſium, ubi is Robertus Rudolfi Burgundiæ regis filius dicitur & frater Adheleidis, quæ primum Lothario Francorum regi, tum Ottoni Magno nupſit.* Inde, *ut proſequitur Chronographus*, à patre ſuo Anſfrido, quindecim comitatuum ſtrenuo comite, domno Brunoni Agrippinenſi archiepiſcopo traditur ad res militares. Sic bonæ indolis adoleſcens penes ipſum quotidie proficiebat, donec Magni imperatoris Ottonis adverſus Romam exercitum moventis acceſſit ſervitio. cui in initio militiæ Archiepiſcopus injunxit, ut tentorium ſuum, quod adeo pulcrum videbatur, quotidie poneret contra imperiale, & ſpatam ſuam duceret, ut in hoc probaret ſi ſe agiliter palatinis initiaret. Hoc ideo tam gratanter ſuſcepit, quia pſalmos oris ejus dulciſſimos per devia hic ſequens, quaſi aviculis inſidiando delectationis cauſa, ſine detractione frequentare poterat. Cæſare Romam ingrediente, non minimum confiſus in juvene fecit eum ſpataferium ſuum, dicens: Dum ego hodie ad limina Apoſtolorum perorabo, tu gladium continue ſuper caput meum teneto. nam fidem Romanam anteceſſoribus noſtris ſemper ſuſpectam fuiſſe non ignoro. Sapientis enim eſt adverſa quæque longe adhuc poſita cogitando prænoſcere, ne fortaſſe valeant inproviſa ſuperare; deinde redeundo ad Montem-gaudii, quantum volueris orato. *Hæc ille de Aufridi vita initiis. tum agit de monaſterio Tornenſi quod ab eo conditum fuit, ut infra videbimus; ſed prius audiendus eſt Anonymus monachus ſupra à nobis laudatus, qui Aufridi res præclare geſtas exponit his verbis.*

Dignitates.

Anno tertio Henrici Imperatoris, Ottonis tertii beatæ memoriæ Cæſaris Auguſti ſucceſſoris, erat apud Brachbantium comes Aufridus ſummæ juſtitiæ vir, qui neque muneribus, neque donis tranſitoriis ullo modo à rectitudinis calle reflecti poterat. Frequenter enim à conciliis & conventibus ſententiæ ab eo in primis exquiſitæ, ab ore ejus omnes erant pendentes: & quæ ipſe legum decreta ſtatuit, his nulli contradicere fas fuit. Sermo ejus ita mediocritate & diſcretione temperatus erat, ut ſecundum Comici noſtri dictum, Ne quid nimis, ſupergrederetur. Sed & hoc annectendum, quia ex moderatione ſuorum verborum facile compoſitio & honeſtas ejus occulti cordis ab audientibus intelligi potuit. Quidquid vero in jugi & quotidiana confabulatione loquebatur, hoc divinarum Scripturarum exemplis blande leniterque condiebat. Et ſi quando contigit, ut à ſæcularibus negotiis quietus eſſe potuiſſet, aut juſta judicia legum tractabat, aut lectioni tanto ſtudio inſiſtebat, ut à quibuſdam inſi-

Mores.

Digitized by Google

pientibus monachicam vitam illum agere derideretur. Quod ideo minus ſit mirum neceſſe eſt, quia quanto avidiori meditatione ſancti divinis operibus invigilant, tanto amplius viliores mundo fiunt; & ut patientia eorum probetur, à pravis hominibus ex permiſſione Dei plerumque dehoneſtantur, teſte Notario Spiritus-ſancti dicente: Opprobrium inſipienti dediſti me. ANN. CH. M. X. MAII III. *Pſ. 38.*

3. *Hæc tanta virtus, non ſolum nobilium animos Aufrido Comiti conciliavit, verum etiam Imperatori ita acceptum eum reddidit, ut nihil in graviſſimis Imperii rebus componendis ſine ejus conſilio fieret. Non tamen in tanta dignitate, ac Principum favore conſtitutus pauperum curam neglexit, quorum commoda non minus quam ſui ipſius ſollicite procurabat. Hinc pradones publicos etiam vita propria periculo aggredi non dubitavit, ut populorum ſibi creditorum ſecuritati provideret. quæ omnia narrat idem Anonymus.* Summi, *inquit*, etiam & illuſtres viri dum in jure dicendo gravius quid diſceptandum erat, &, ut ſolet fieri, diverſa ſentirent, & variari ſententiæ viderentur, ad eum gratia diſcendi veniebant & interrogandi. Imperialibus quoque ſecretis ſæpiſſime intererat; & quoties de majoribus rebus tractandum erat, tantæ auctoritatis habebatur, ut ſine ipſius conſilio raro aliquid ſtatueretur... Ob hoc à Rege frequenter adſcitus & carus præ ceteris habitus, ejus oratione & primos coërcebat, & regnum per eum in pace gubernabat. Prædonibus quibus regio Brachbant maxime * alebatur infeſtiſſimus erat, & crebris occurſionibus eorum conatus impediebat. Principem quoque eorum, deſperatum hominem, cujus nomen nec dici quidem opus eſt, ſanguine civili adultum, frequenti fuga vix ſe eripientem vehementer premebat, cum ille ſaltubus aut paludibus denſiſſimis arboribus conſitis, præſens evadere periculum cupiens, ſeſe occultaret. Multi præterea triumphi, multa bella feliciter geſta, non ad perniciem civium, ſed ad reprimendam audaciam improborum. Hæc quidem laïcus gerebat. *Tunc* in territorio ſuo Driel apud Bommel reſidere ſolebat, *ut ſcribit Johannes à Leidis*, quia erat dominus fere illius inſulæ

Sibi ſubditis providet.

* *f.* agebatur.

4. *Præter hæc pietatis argumenta, quæ Anonymus enumeravit, pia donationes quas idem Aufridus, etiam ante quam clericatui nomen daret, variis eccleſiis fecit, non parum ejus religionem commendant. Inter alias præcipua videtur Comitatus Hoyenſis conceſſio facta eccleſia Leodienſi, ut patet ex Ottonis III. diplomate dato anno* CMLXXXV. *quo Imperator rogatu Notgeri Leodienſis epiſcopi confirmat in perpetuum comitatum Hoyenſem, quem Aufridus Comes pro Dei honore & ſanctæ Mariæ ſanctique Lamberti veneratione, ipſiuſque Epiſcopi amore, eidem eccleſiæ reddiderat. Hæc charta bis edita eſt ab Auberto Miræo, in Notitia ſcilicet eccleſiarum Belgii cap. 72. & in Codice piarum donationum cap. 41.*

In eccleſiam beneficus.

5. *Sed ſatis viſum non eſt viro ſancto ſua Deo offerre, niſi & ſe ipſum Creatori ſuo omnino conſecraret. quare ut ſpiritualibus exercitiis liberius operam daret, ab uxore ſua Hilſuinde ſeorſim vivere ipſa conſentiente decrevit. Eo conſilio monaſterium in villa* Toren *ſimul conſtruxerunt, ubi aggregatis ſub Regula ſancti Benedicti ſanctimonialibus filiam ſuam Benedictam inſtituerunt primam abbatiſſam. Ibi quoque Aufridi uxor monaſticam vitam profeſſa eſt, ſi credamus Ægidio Aureæ vallis capite 53. jam ſuperius laudato.* Eo etiam tempore à domino Aufredo Comite Lovanienſi, de conſilio & licentia venerabilis Notgeri Epiſcopi, fundatum eſt cœnobium ſanctimonialium beatæ Mariæ in villa de Turne, quam tenet Comes Brabanticus à Leodienſi epiſcopo. Hic itaque Aufredus Comes in Epiſcopum inferioris Trajecti electus, ſuam conjugem, ſanctam videlicet HILSUINDEM, in dicto cœnobio conſtituit, in quo filia eorum ſancta BENEDICTA primo regimen animarum ſub Regula beati Benedicti ſuſcipit, ubi & meruerunt ſepeliri. *Hæc ille, ſed in nonnullis emendandus, uti videtur, ex Chronographo Magdeburgenſi, cujus teſtimonium in-*

Thorenſe monaſter. condit.

Digitized by Google

ANN. CH. M. X. MAII III. *ſra proferemus. Ceterum licet Thorenſe monaſterium ab Aufrido conditum vulgo dicatur, ejus tamen pii operis particeps fuit ejus uxor, ad cujus dotem locus* Thoren *pertinebat, & quidem ex illius potiſſimum bonis novum iſtud monaſterium dotatum fuit. unde & prima conditionis charta ſolum ejuſdem Hilſuindis nomen præfert. Hujus chartæ fragmentum ex Miræo, qui illam integram variis in locis retulit, exhibemus.*

Ego HILZONDIS Comitiſſa terræ de Strien, ſequi cupiens eum qui eſt ſponſus virginum, de conſilio domini mei ANSFREDI eccleſiam conſtruxi in alodio meo de Thorne, ubi ego & filia mea BENEDICTA ſub Regula ſanctæ obedientiæ ita viveremus in hoc ſæculo, ut mereamur in futuro amictæ ſtolis albis inter angelos comparere in diſtrictu juſti judicis. Itaque... attuli ad dictam eccleſiam omne alodium meum, quod in terra mea de Strien glorioſus Rex Zuendiboldus olim perdonaverat; in primis ipſam eccleſiam de Strien, quæ eſt conſecrata in honore Mariæ virginis. Montem litoris ubi beatiſſima Gertrudis corporaliter converſata eſt, & cellam habet à beato Amando conſecratam. Villam Gilleyela cum appenditiis, villam Baërle cum altari in honore ſancti confeſſoris Remigii à me conſtructo, caſtellum Sprundelheim cum omni integritate, &c. prout eadem ego Hilſondis Chriſti famula & parentes mei tenuerunt. Non ſit ullus advocatus, niſi quem fratres & ſorores de Thorne cœnobii elegerint, &c. Datum apud Thorne anno nongenteſimo nonageſimo-ſecundo, Calendis Junii. Teſtes fuerunt Johannes abbas ſancti Pantaleonis, F. Balduinus præpoſitus de Dirha, *& alii. Eidem monaſterio prædia aliquot contulit Notgerus Tungrenſis ſeu Leodienſis antiſtes, quibus Henricus tunc Germaniæ rex, poſtea imperator, mercatum, teloneum, & diſtrictum vici* Thoren *adjecit, ut ex ejus diplomate, dato regni ſui anno quinto, conſtat, apud Miræum in Notitia eccleſiarum Belgii cap.* 78.

6. *Chronographus Magdeburgenſis paucis verbis monaſterii Thornenſis conditionem perſtringit, ſed plura habet de Benedicta prima ejus abbatiſſa, tum de Hilſuinde, quæ omittere non licuit; videtur quippe ea ex antiquiori & coæquali auctore deſcripſiſſe. Nam quæ infra habet,* qui ſicut ipſe nobis retulit, *de ſe ipſo dicere non potuit, qui chronicum ſuum ad medium uſque ſæculum duodecimum protraxit. Sic autem proſequitur:* Igitur à Roma reverſus *Aufridus*, abbatiam, quæ dicitur Torna, de hereditate propria conſtruxit, in qua filiam ſuam abbatiſſam plurimarum Deo devotarum ſanctimonialium aſſenſu pontificis conſtituit, ſanctoque Lamberto pro remedio animæ ſuæ ex integro tradidit. Cujus Dei famulæ, quia mentionem fecimus, quod per eam Dominus operatus eſt ſilentio non præteribimus. Hoſpitalitatis & benignitatis circa peregrinos tantæ erat & egenos, ut quadam die nil de vino ſibi vel ſororibus beneficientiæ communicationiſque cauſa relinqueret. Hoc dum celleraria ſibi nuntiaſſet, ait: Æquo animo eſto, cara, & confortare. Dei enim gratia ſatis nobis poterit dare. Statimque ſolito more ante crucem proſtrata in oratorio ſanctæ Mariæ cœpit orare, vinumque in vaſe funditus pridie exhauſtum creſcere cœpit, quoadusque ſuperfluxit: de quo non tantum ſanctimoniales, ſed alii quamplures diu ad laudem Domini biberunt circummanentes vel adventantes. Interea contigit, ut ejuſdem Comitis reverenda conjunx, nomine HERSUIT, in curte ſua nomine Giliſa cœpit ægrotare. quæ ſtatim velut mortis præſaga futuræ, feſtinavit ire ad Torna. quò dum præ nimio dolore nequiret pervenire, in domo cujuſdam majoris manſit in itinere. qui, ſicut ipſe nobis retulit, nimiæ ferocitatis canes habuit, quorum latratum ægra graviter ſuſtinuit. Hoſpes ut audivit, rogatus ab ipſa hos libentiſſime voluit capere, vel ad ultimum ſi potuiſſet etiam occidere. Horum dum neutrum potuiſſet, mirabiliter accidit, quod nullus eorum quivit latrare, donec ancilla Dei requievit in pace.

Digitized by Google

pace. quam ſecus monaſterium ſui communis laboris comes in ſecretario ſepelivit. Hujus cameraria multis annis fuit hydropica. Huic viſum eſt in vigilia natalis Domini, quod ad ſepulcrum dominæ ſuæ candelas deberet afferre, quod & fecit. Mox dum matutinæ laudes celebrarentur, exivit, ſolutionem habuit, ſana coram omni populo rediit. *Utriuſque, Benedicta ſcilicet abbatiſſa & Herſuendis, memoriam celebrat Fiſenus inter ſanctos Leodienſes, in Paralipomenis, quod nullus dies earum cultui dicatus habeatur.* Herſvvindam abbatiſſam Thorenſem Ruremundæ in Belgio *celebrant cum Ferrario recentiora aliquot Martyrologia die* 4. *Maii. quam primam ejuſdem loci abbatiſſam & ſancti Aufridi filiam fuiſſe ſcripſerunt Bollandiani. Sed fortaſſe auctores illi indicare voluerunt ipſam beati viri uxorem, Benedicta prima hujus loci abbatiſſa matrem. Ceterum monaſterium Thorenſe quod ex primaria ſui inſtitutione duplex fuit, id eſt virorum ac mulierum, ut ex ejus fundationis charta vidimus, modo in Canonicarum nobilium collegium, adjunctis aliquot Canonicis ſæcularibus, qui eis ſacra miniſtrant, converſum eſt, ſitum in ditione Leodienſi infra Trajectum, ſeſquimilliari ab opido Maſeca ſeu Maſaco, ut notat Godefridus Henſchenius. Sed jam ad Aufridum redeamus.*

Ann. Ch. M. X. Maii III.

7. *Poſt monaſterii Thorenſis inſtitutionem, cum jam Aufridus à conjugii vinculis abſolutus eſſet, Balduinus qui tunc eccleſiam Trajectenſem adminiſtrabat, exceſſit è vivis: cui ſtatim Aufridus ſubſtitutus eſt, ac decimus-octavus hanc ſedem obtinuit. Non una eſt auctorum ſententia, utrum Aufridus jam tunc in clerum adſumtus eſſet, cum in epiſcopum electus eſt; plerique enim aſſerunt ipſum ſtatim poſt inſtitutum monaſterium Thorenſe clericalem habitum aſſumſiſſe; quibus favet Sigibertus in chronico, ubi ait eum* depoſito militiæ cingulo tonſuratum in clericum eo provectum *fuiſſe*, ut ordinaretur epiſcopus Ultrajectenſis eccleſiæ. *Illum tamen ex laïco epiſcopum factum fuiſſe diſerte aſſerit Chronographus Magdeburgenſis, qui hanc electionem anno* CMXCV. *contigiſſe ſcribit his verbis:* Baldricus Trajectenſis epiſcopus obiit, cui Ansfridus comes & laïcus bonæ famæ vitæque honeſtæ ſucceſſit. *Qua vero id ratione factum fuerit, exponit paullo inferius.* Poſt deceſſum, *inquit,* hujus dominæ, *uxoris ſcilicet illius,* felix Comes non de terreno caſu deſperatus, ſed in virtutis volatu eo ipſo ſublevatus mente diſpoſuit, ut monaſterialem vitam ſubiret, ſicubi majoris obedientiæ regulam inveniret. quod dum in exordio per intentionem agitur, à Rege * ad epiſcopatum Trajectenſem per Notgerum Leodii pontificem ſumma neceſſitate vocatur. Quod ubi audivit, capellam Aquenſem introiit, & mundi Dominam exoravit, ut ſi eſſet à Deo, canonicè perficeretur; ſi non, clementer adnullaretur. Sed poſtquam Evergerus Colonienſis archiepiſcopus ſuffraganeorum conſenſu, Regi ſibique in medium conſuluit, vellet nollet, ad epiſcopum acclamatur. *Eadem ferme habet Anonymus, quem de hac ipſa electione loquentem audire juvat.* Cum vero Balduinus Sacerdos Trajectenſis vita decederet, nuntiuſque in caſtra veniſſet, Rex Aufridum ſeorſum manu ducens, Sacerdotium illud ei offerre cœpit. Cumque ille reniteretur, jamque ſe ſenem & in militaribus armis omni tempore vitæ ſuæ verſatum, clericatus officia ſuſcipere omnino abſurdum videri contenderet, & Rex vehementer inſtans vi ad ſuſcipiendum compelleret; proſpiciens quia Regi reſiſtere non poſſet, ut cum ſuis deliberaret expoſcit. Qua re impetrata, & à ſuis oratione accepta, quæ Rex imperaret ſe facturum pollicetur, & accepto gladio quo erat accinctus, ſuper altare ſanctæ Mariæ poſuit, dicens: Hactenus hunc terrenum honorem obtinui, & hoſtes pauperum Chriſti & viduarum expuli: nunc deinceps huic dominæ meæ ſanctæ Mariæ, qua virtute honorem & ſalutem animæ meæ obtineam, commendo. Hoc cum diceret, omnium obortis lacrymis ac plauſu eorum qui aderant, dignis ejus meritis tribuitur infula pontificalis. Verſiculos quidam è noſtris de his rebus cecinit, quos etiam huic opuſculo annectere libuit, quo etiam alium in noſtra narratione teſtem haberemus.

Electio in epiſcopum.

* al. Imperatore.

Digitized by Google

ANN. CH. M. X. MAII III.

O bona Trajectum mater prælecta locorum,
Nunc retines dominum generali laude potitum,
Anſfrid pro meritis datus eſt tibi Pontificalis,
Eſt & prælectus Domino, Confeſſor & almus,
Qui prius in bello firmabat regna popello,
Eccleſiæ cuſtos nunc eſt, ſanctuſque Sacerdos.
Vertitur in melius ſic ſic certaminis uſus,
Quondam bellator, nunc autem pacis amator;
Tunc pars bellorum, nunc autem dux animarum,
Quondam pugnabat, populi nunc corda gubernat;
Militis officium, precis obmutavit in uſum;
Veſte ſacerdotis nunc prorſus liber ab armis,
Accepit calicem manibus, liquitque mucronem,
Depoſuit parmam, cœpit levare patenam;
Sprevit vexillum, voluit quia pſallere miſſam:
Nunc miſſam cantat, precibuſque fideliter inſtat.
Iſta ſuo exemplo Petri facit indubitando,
Qui primus cecinit miſſam, barbamque totondit.
Quæ vult ut veniant Deus, omnia protinus adſunt.
De cane fecit ovem Deus hic, ut fecerat olim,
Ad ſe cum Paulum rapuit de ſorte luporum,
Quem poſt Eccleſiæ doctorem juſſerat eſſe.
Nunc eſt ablatus cum ſtemmate glorificatus,
Atque ſtolam portat, virtutis & arma miniſtrat,
Qui prius in multis valuit per bella periclis:
Gloria Paſtoris ſonat in ſermone ſuavis.

Hæc Anonymus de electione Anſfridi, ex cujus verbis diſcimus alium auctorem ipſo antiquiorem ſancti Antiſtitis geſta, ſaltem quædam, verſibus expreſſiſſe: ſed cùm hæc exciderint, quæ noſter Anonymus de geſtis ab Aufrido in epiſcopatu retulit, audiendus eſt. Sic igitur ille proſequitur.

Geſta in epiſcopatu.

8. Sumto Epiſcopatu, aliquando canonicis veſtibus utebatur, non quidem elationis cauſa, ſed ne dedignationis ſuſpicione à ceterorum moribus Sacerdotum videretur diſſentire. Sed quia pius Dominus jam illum ad ſuam ſervitutem advocavit, jamque illi curam Eccleſiæ commiſit; ad hæc plenius ſua conſueta pietate ſibi adjungere diſpoſuit. Nam quamvis impoſſibile ſit vitam ullius ſancti ſine peccatis tranſire; cum tamen illa quæ fragilitate carnis incaute contracta ſunt, largiſſima miſericordia in hoc ſæculo aliqua moleſtia corporali ſoleant purgari, atteſtante Scriptura, quæ dicit; *Flagellat Dominus omnem filium quem recipit*, Anſfridus lumen tenebrarum harum taliter amiſit, quodammodo manente integritate oculorum, ut nihil minus quam aſpiciens & videns putaretur. Defectum quidem in ſe ſuſtinuit, ſed deformitas faciem viri nulla dehoneſtavit. Hoc ex benignitate Salvatoris noſtri credo actum eſſe, ut exſtincto oculorum deſiderio, & excluſa occaſione peccandi, & vultus dignitatem Epiſcopi ſervaret, & ulterius unde concupiſceret non haberet. Neque hoc incommodo accepto umquam ſuperatus vel animo dejectus eſt: ſed eodem vultu, eadem hilaritate, eadem jucunditate cum ſumma patientia permanſit.

Heb. 12.

Fit cæcus.

9. Igitur ex hoc reſpectu Dei in ſe propenſius rediens, ſalutifera cogitatio ſibi incidit, flores hujus mundi, ſordes apud Deum videri; & ea quæ multo ſumtu ad ornatum putreſcendæ carnis captarentur, non ſolum detrimentum, ſed ad perpetuam ruinam animæ pertinere: veſtem delicatiorem depoſuit, indumenta non dixerim vilia, ſed potius angelica ad inſtitutionem ſancti Benedicti ſumſit. Eſt collis Heilgenberg tribus millibus à

Monaſt. condit.

Digitized by Google

Trajecto diſtans, undique circumcluſus; una ex parte flumen limoſum, reliquum ſpatium perpetua palus, eademque latiſſima, ambiendo omnem aditum excludit. Huc adacta navicula, trans flumen illud ferri ſe jubet: & quia orationis cauſa tumultus hominum vitare cupiebat, verticem collis ſuccisis arboribus & fruticibus in planitiem deduxit. In primis oratorium, dein ſibi cellam, poſt aliis conſtructis & clauſtro effecto conventicula monachorum ibidem collocavit, & eis Abbatem præfecit. Huc ſe poſt colloquia Regis, poſt ſynodum, poſt diverſos conventus recipere ſolebat. Hic miſeram curam ſæcularis negotii à ſe removit, viribus totis Dei laudibus & obſequiis inſtitit, orationibus, vigiliis, eleemoſynis ita intentus, ut noſtra ætate ſibi nemo poſſet aſſimilari. ANN. CH. M. X. MAII III.

10. Unam ex ejus innumeris liberalitatem in pauperes Chriſti exhibitam referemus. In ipſa cella quam diximus poſitus, poſt tertiam vigiliam, unum è ſuis miniſtris ad ſe vocat, quid fieri velit oſtendit, & ut nemo id cognoſcat interdicit. Sumit ſitulam, immittit vectem, ſeque ſimul portando miniſtrum ad regendos greſſus ſuos uſque ad flumen præcedere jubet. Aqua hauſta rediit, igne calefecit, in dolium infudit, leproſum cujus corpus miſerabilis ſanies totum obduxerat, pannis exutum in balneum depoſuit, putreſcentia membra manibus perluſtrans diligenter lavit, lotum in lectum ipſius collocavit, & veſtibus novis veſtitum, ante lucanum, ſub teſtatione ne quis id ſciret, abire præcepit. Hic ſi quæras cur iſte tantus vir, tot virtutibus prædıtus, Spiritus-ſancti gratia irroratus, leproſo illi ſolatium curationis non impendit; facili reſponſione has cogitationes obvius excipiam. Legimus namque quod ſigna infidelibus non fidelibus data ſunt, quo in initio naſcentis Eccleſiæ corda gentilium, longa conſuetudine idolorum indurata, viſis tot prodigiis ad credendum emollirentur. Quis enim tunc temporis, mundo in florentibus rebus poſito, prædicanti aliam vitam crederet, niſi ea exhiberentur, quæ antea non viſa nec audita fuerant? Et quæ neceſſitas fuit iſtis noſtris temporibus Eccleſiam Dei ſignis illuſtrari, cum nullus ſit locus quovis gentium, non mons, non ſilva, non vallis infinita, non palus immenſa, non inſula ab orbe remota terræ, quæ non ſint Domini noſtri Jeſu-Chriſti confeſſione repleta? Vir namque Domini inanibus favoribus hominum extolli noluit, qui ſemper intra conſcientiam quod boni egit, ſoli Deo cognoſcendum contegere ſtuduit. *Hic deſinit Anonymi fragmentum. Eadem ferme habet Chronographus Magdeburgenſis de piis Aufridi in monaſterio exercitiis, cujus verba huc proferimus.* In ſenectute ergo ſua, caligantibus jam oculis factus eſt monachus, ſeptuaginta duos pauperes propria manu quotidie pavit; illorum quippe infirmioribus camerario præcedente cæcus ipſe ab imo vallis ad ſumma montis balneum portans præparavit in nocte, & mutatoria ceteraque neceſſaria corporis præbuit, jubens eos in pace recedere, ut ſic ſua opera celare poſſet. In eodem monte monachorum ordinavit congregationem, à quorum prioribus ſcopis eſt ſæpius caſtigatus, dum auderet reſiſtere eorum juſſionibus. Quicquid ad ultimum adquirere potuit, manibus pauperum tribuit. aviculis etiam in hieme manipulos ſuper arbores ad manducandum intuitu pietatis in monte ſuo poni fecit. ſub chlamydis abſconſo continue veſtiebatur cilicio. De cujus felici fine in ſequentibus dicemus. Ejus humilitas.

11. *Piis operibus quæ ab Aufrido in epiſcopatu geſta hic narrantur, adjiciendæ ſunt donationes plurimorum prædiorum, quas variis locis ſacris fecit.* Eccleſiæ ſanctæ Mariæ & ſancti Martini in Trajecto *multa contulit* ad reſtaurandum ibidem ſervitium divinum, *ut habet in ſuo diplomate, quod ex Heda tranſſcripſit Godefridus Henſchenius. Teſtis eſt chronographus Magdeburgenſis quinque ab eo curtes ſancto Martino Trajectenſi paullo poſt ſuam ad epiſcopatum electionem tradi-* Variæ donationes.

Ann. Ch. M. X. Maii III.

tas fuiſſe. Non multo poſt, inquit, quinque curtes de ſua proprietate ter beato Martino tradidit, fideli inquam fidejuſſori talionis earum. Habetur aliud diploma Ottonis III. Imperatoris, quo nonnulla donat, & ab aliis data confirmat eccleſiæ Trajectenſi, interventu & ſupplici rogatu Aufridi ſanctæ Trajectenſis eccleſiæ. Datum eſt anno DCCCCXCIX. quod diploma ſanctus Henricus Ottonis ſucceſſor anno MIII. nonnullis adjectis confirmavit. Fatendum autem eſt, illuſtrius pietatis ejuſdem ſancti viri monumentum fuiſſe monaſterium, quod in honorem beatæ Mariæ, ſanctorum Petri & Pauli ac ſancti Martini, ſui, ut eum vocare ſolebat, ſpecialis patroni, haud procul ab urbe Trajectenſi conſtruxit. De eo, ac piis, quibus ibi inſiſtebat exercitiis, jam nonnulla vidimus ex Anonymo & chronographo Magdeburgenſi. Ejus vero fundationis diploma ab Henſchenio refertur die 3. Maii Bollandiani, unde diſcimus multa ab Aufrido collata fuiſſe huic loco ſacro prædia, ut monachi ſub regula ſancti Benedicti feliciter ibi vivere poſſint. Datum eſt ipſo dedicationis die, ſcilicet XIV. Kalendas Decembris, anno Dominicæ incarnationis MVI. Indictione IV. regnante Henrico III. imperii ſui anno V. Hujus monaſterii primum abbatem Miræus in Originibus Benedictinis, capite 58. appellat Vveringerum, aitque monachos duodecim ex monaſterio ſancti Viti Gladbacenſis huc advocatos fuiſſe, qui ibi regularem vitam & obſervarent, & ad poſteros tranſmitterent. Primum monaſterii nomen fuit Hohorſt, poſtea dictum eſt Heiligenberch, id eſt ſanctus Mons, tandemque Mons ſanctæ Mariæ vulgo appellatum eſt. Situm erat prope Amersfordiam ditionis Ultrajectinæ opidum, ſed anno ML. in ipſam Trajectum urbem tranſlatum eſt ſub Adelberto abbate & Bernulfo epiſcopo, ibique deinceps ſub ſancti Pauli nomine celebre perſeveravit.

An dimiſit epiſcopatum.

12. Porro etſi conſtet Aufridum oculorum luminibus privatum in monaſterio à ſe condito vitam tranſegiſſe, haud tamen certum eſt an unquam, etiam poſt aſſumtam monaſticam veſtem, Trajectenſem epiſcopatum dimiſerit. Certe, uti mox ex Anonymo retulimus, etiam poſt inſtitutum in monaſterio ſuo abbatem, Regum colloquiis ac epiſcoporum ſynodis intererat: & quidem inter alios antiſtites, qui Francofordii privilegio Johannis papæ pro erectione Bambergenſis epiſcopatus anno MVII. ſubſcripſiſſe memorantur, occurrit noſter Aufridus, ut videre eſt in tomo IX. Conciliorum Labbei. Idem confirmat auctor vitæ ſancti Henrici apud Caniſium. Anno MV. uti ex Chronographo Magdeburgenſi diſcimus, interfuit magnæ ſynodo in loco qui dicitur Trotmanni menſe Julio, ubi multa ad diſciplinam eccleſiaſticam ſpectantia decreta fuerunt; & ordinatæ preces, quæ pro Epiſcopis aut principibus defunctis perſolvendæ eſſent.

Annus mortis.

13. Hærent auctores in aſſignando extremo Aufridi anno. Plerique recentiores eum anno MVIII. ad ſuperos abiiſſe ſcripſerunt poſt Johannem de Beka. Miræus annum ſequentem aſſignat. At ceteris præferenda videtur Lamberti Schafnaburgenſis ſententia, Aufridi mortem anno MX. conſignantis. Idem habet auctor vitæ ſancti Meinvverci, qui eum anno MX. Indictione VIII. obiiſſe refert. cujus, inquit, laudum præconia in geſtis ſuis inveniuntur. Conſentit chronographus Magdeburgenſis, qui & ipſe geſta beati Aufridi legiſſe videtur. Certe auctorem ipſi Aufrido æqualem ab eo laudatum fuiſſe jam ſupra obſervavimus. Ex eo autem ſolo chronico

Pie obit.

diſcimus quis fuerit beati viri exitus; ſic rem narrat ad annum MX. Anſfridus epiſcopus Trajectenſis, de cujus vita in priori libro aliqua dicta ſunt, poſtquam Creatori ſuo humiliter obediendo divinis ſe mancipavit præceptis, virtutibuſque enituit inſignis, calcatis terrenis inter angelicos choros æternis fruitur bonis, à natali Domini uſque ad Inventionem ſanctæ Crucis infirmabatur. Appropinquante jam carnis ejus diſſolutione, crucem in feneſtra, quæ ibi poſt caligationem oculorum ejus facta fuit, vidit, & circumſtantibus ſe videre manifeſtavit, laudans Deum, & dicens: In circuitu tuo Domine lumen eſt, quod numquam deficiet. Tandem ſacra Viatici perceptione munitus, doctus tota expectatione judicem diligere, atque, ut ita dixerim, timendo præſentialiter, renuit timere perpetualiter, mul-

Digitized by Google

tum in ſanctæ Dei genitricis interceſſione, cui ſe ſuaque dederat, confiſus, tamdiu ſignaculo ſanctæ crucis ſeſe ſignavit, quoad uſque dormiens in pace, mente ſimul & manu quievit. Poſt cujus obitum Trajectenſes nudis pedibus & armatis manibus venerunt, flentes, orantes, & domeſticis ejus dicentes: Pro Dei nomine date nobis paſtorem noſtrum, quo portetur ad ſedis ſuæ tumulum. Quo contra venerabilis abbatiſſa, ejus videlicet filia ſacratiſſima, cum capellanis & militibus reſpondit: In eodem loco debet ſepeliri, ubi vita præſenti à Deo permiſſus eſt exui. Prope erat ut armati ex utraque parte periculoſiſſime convenire, & plures vita deberent carere. Sed domna abbatiſſa ſe in medio eorum proſtravit, & pacem inter illos ad momentum impetravit. Interea videbatur militibus, quod ex illa parte qua fratrum fuerant officinæ, ab aqua Ema nominata, ad montis ſupercilium ipſius traherent ſarcophagum. Quod dum niterentur, corpus à Trajectenſibus ſuſtollitur, & leviſſime, ſicut ipſi teſtati ſunt, trans aquas ducitur. Sic fortior pars militum deluſa eſt. Poſt tranſlationem corporis ſacri flagrantia miri odoris per viam ultra tria milliaria veracium hominum, ſicut ipſi teſtati ſunt, nares perfudit & pectora. Huic Adelboldus ſucceſſit. Ann. Ch. M. X. Maii III.

14. *Miracula crebra ad Aufridi tumulum facta fuiſſe ſcribunt vulgati auctores, quæ ſanctitatis ejus certa fuere indicia; unde mirum non eſt ſi memoria ejus adeo celebris fuerit apud auctores, potiſſimum Belgicos, qui ejus laudes paſſim proſequuntur. De eo plura Trithemius, Beka, Heda & alii. Celebratur etiam in Martyrologiis Gallicanis, Germanicis, Benedictinis, & aliis eccleſiarum Belgii, die ſcilicet* III. *Maii. quo eum obiiſſe ex verbis Chronici Magdeburgenſis ſupra relatis colligimus.*

VITA SANCTI MARTIANI

Ann. Ch. Cir. MX. Aug. XXV.

ABBATIS APTENSIS.

Ex Benedicto Gonono.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. SANCTI *Martiani vitam ex vetuſto cathedralis eccleſiæ Aptenſis breviario erutam Benedictus Gononus refert libro* 4. *de vitis patrum Occidentis, unde eam deſcripſimus. In ea vero licet tempus diſerte non exprimatur, quo beatus iſte vir ad ſuperos abiit, ipſum tamen ſæculi hujus undecimi initio è vita exceſſiſſe præter Aptenſis eccleſiæ traditionem probant quoque vetera inſtrumenta monaſterii ſancti Euſebii, cujus conditor ac primus abbas fuiſſe memoratur. Certe ipſam* loci donationem *anno* MIV. *factam fuiſſe indicat vetus fragmentum, quod Sammarthani in Gallia chriſtiana ex chartario ejuſdem monaſterii vulgarunt. Sic autem habet.* Donatio loci ſancti Euſebii, cum eccleſiis Deo conſtructis; videlicet eccleſias ſancti Euſebii, ſancti Mauricii & ſancti Juſti confeſſoris, cum vineis, pratis & campis, cultis & incultis, pomiferis non pomiferis, cum ipſis decimis, conſortes de uno latere de via publica, quæ pergit ad vallem, quæ dicitur Marcella, & de alio latere muro cincto, quod pergit ad ipſas valles, de uno fronte via publica quæ pergit ad ipſas eccleſias cum muro cincto, & de alio fronte ipſam vallem, quantum infra ipſas terminationes eſt, ſic donamus ac derelinquimus ad ſanctum Euſebium, ſanctum Mauricium ac ſanctum Juſtum & ad ipſum abbatem & monachos, Robertus & uxor ſua Moigla, Maraco & uxor ſua Aramberto fundatores anno Incarnationis MIV. *Hanc donationem Martiano adhuc vivente factam fuiſſe conjicimus, quod donatores* loci fundatores *dicantur, ii, ſi bene judico, præcipui inter illos, quos laudat vitæ auctor,* fideles, *quorum* adjutus ope *vir ſan-*

Martiani ætas.

Monaſt. ab eo conditum.

ANN. CH. CIR. MX. AUG. XXV.

ctus cœpit conſtruere monaſterium, &c. *Haud tamen diu poſtea vixit Martianus, cum Durandus, qui primus poſt ipſum abbas fuit, anno* MXV. *epiſcopus Vencienſis electus ſit; quare Martiani obitum circa annum* MX. *contigiſſe putamus. Durandi quippe regiminis tempus annis circiter quinque concludimus; brevem enim ejus fuiſſe adminiſtrationem inde conjicimus, quod ad annum uſque ſaltem* MLVI. *eccleſiæ Vencienſi præfuerit. Si quidem ipſe idem ſit qui eo nomine concilio apud ſanctum Ægidium pro confirmanda trenga & pace interfuerit cum aliis viginti & uno diverſarum provinciarum antiſtitibus Gallicanis.*

2. *Vitam pauperem monaſterii Euſebiani incolas in ejus primordiis egiſſe vel ex eo patet, quod ex eleemoſynis viverent, quas beatus abbas oſtiatim emendicabat. Poſtea tamen celebre evaſit. Certe multas villas & alios reditus ſæculo ſequenti poſſediſſe diſcimus ex Anaſtaſii* IV. *pontificis Romani privilegio, quod à Sammarthanis refertur, ſed cum characteribus chronologicis, qui non ſatis ſibi cohærent. Haud minus erratum eſt in aſſignando anno* MLXXXIX. *quo Urbanus II. ejuſdem monaſterii eccleſiam conſecraſſe dicitur, cum certum ſit eo anno Urbanum in Galliis non egiſſe. Non tamen infitiari velim hanc baſilicæ Euſebianæ dedicationem ab Urbano factam fuiſſe, ſed poſt aliquot annos, quando ſcilicet in Gallias advenit, ubi variis præfuiſſe conciliis, ac non paucas eccleſias in diverſis provinciis dedicaſſe paſſim dicitur.*

Reliquiæ, cultus.

3. *Beati Martiani reliquiæ etiamnunc in eccleſia cathedrali Aptenſis urbis religioſe aſſervantur, ubi, ſicut & in tota diœceſi, feſtivitas ejus ſollemniter celebratur die 25. Auguſti. Unde mirum eſt nomen ejus non ſolum in Martyrologio Romano, ſed neque in ullo Benedictino recenſeri. Habetur in Gallicano Sauſſaii, atque in catalogo Ferrarii eorum ſanctorum, qui non habentur in Martyrologio Romano.*

Martiani pueritia & parentes.

1. MARTIANUS, religioſus Benedictinus, vir eximiæ fuit ſanctitatis, qui ortus ex caſtro Sanione, diœceſis Aptenſis, regni Arelatenſis, ex parentibus plurimis opibus, ſed amplioribus virtutibus abundantibus fuiſſe dicitur. Eſt enim Sanio [a] caſtrum olim fortiſſimum & inexpugnabile, & ab Apta circiter duobus diſtans ſtadiis. Parentes igitur ſancti Martiani ſine liberis degentes, virtutibus pollentes, & temporalibus bonis competenter locupletati, continuis precibus prolem potius virtutis, ſpiritualiumque bonorum quam temporalium heredem futurum à Domino crebris orationibus, eleemoſynis, gemitibus & lacrymis popoſcerunt. Et non ſunt fraudati à deſiderio eorum. Nam tandem Martianum nomine, diu optatum, talem qualem decebat ſanctitas & opera eorum merebantur, genuerunt. Erat autem infans Martianus facie rutilans, aſpectu hilaris & jucundus, ſermone & moribus ornatus. Decebat enim, ut eum quem divina perfuderat gratia, interius exteriuſque relucere faceret. Tanta denique præventus erat gratia, tantiſque ornatus gratiis, ut ab omnibus ſingulariter amaretur.

Piis operibus deditus.

2. Tranſactis igitur ablactationis ſuæ, atque puerilibus annis innocenter decurſis, totum ſpiritum ſuum tranſtulit in Deum ſuum. Nemo tempore ſuo in viſitandis liminibus eccleſiarum & ſacrorum locorum attentior, nemo in oratione ferventior & devotior. Scholis adhibitus non ſolum condiſcipulis, ſed etiam magiſtris propter egregium ingenium & ſapientiam ſuperantem ætatem, ſtuporem inferebat. Liberalibus igitur diſciplinis ſufficienter edoctus, cogitavit ex talento duplici ſibi credito, videlicet naturæ & gratiæ, duplicatum illud Domino ſuo referre. Conſiderans autem ſe Domino, ſicut deſiderabat, non ita perfecte poſſe adhærere in ſæculo, captus amore vitæ ſolitariæ, clam relictis parentibus, deſerta loca petivit & incoluit, pauperem & nudum Chriſtum pauper ipſe & nudus ſequi cœpit. Non eſt hujus loci edicere quantos in illis deſertis æſtus frigoris, famis, & ſitis, dæmonumque illuſiones & moleſtias ſuſtulerit; eas meditandas relinquimus iis, qui non ignorant & exper-

Secedit in eremum.

a Sanionis caſtrum eccleſiæ Aptenſi aſſertum eſt variis diplomatibus, quæ in catalogo pontificum Aptenſium à Sammarthanis laudantur. Apta Julia, vulgo *Apt*, in Provincia, urbs eſt nota, cujus epiſcopus in vetuſtis notitiis proximum poſt Metropolim Aquas-ſextias, locum obtinet in provincia Narbonenſi ſecunda.

Digitized by Google

ti ſunt, quanto odio proſequitur diabolus ſolitarios hominum conſortia fugientes, & quodam modo in terris vitam angelicam exercentes. Ann. Ch. Cir. MX. Aug. XXV.

3. Poſtquam vir Dei per multorum annorum curricula ſolus in eremo habitaſſet incognitus, tandem divinitus inſpiratus, conſiderans quod ſibi ipſi ſolummodo prodeſſet, fidelium adjutus ope cœpit conſtruere monaſterium [a]: portabat ipſe lapides, aquam & alia neceſſaria latomis miniſtrabat. Cum ergo ſex monachos religione & ſanctitate conſpicuos ſecum aſſumſiſſet, ſecundum ſancti patris Benedicti inſtituta eos vivere docuit. ipſe vero duriorem & auſteriorem vitæ modum ſectabatur. aſperrimo enim cilicio ſemper utebatur, ſuper nudam jacebat humum, pernoctabat in orationibus, & denique ſolitudinem & ſilentium, aliaſque auſteritates & pœnitentias, quas in eremo exercuerat, in monaſterio non intermiſit. Licet monaſterii pater eſſet, nihilo minus pro victu fratrum cum magno labore ſarcinulam geſtans, eleemoſynam petebat, aliaque vilia & abjecta officia exercere non dedignabatur. Monaſterium conſtruit.

Quadam die cum Aptam proficiſceretur, contigit eum in domo cujuſdam optimæ viduæ hoſpitari [b], quæ elegantem puerum & hunc unicum habebat. quem cum vir ſanctus vidiſſet optime morigeratum, petiit matri quatenus permitteret ut eum monachi veſte indueret. Illa quæ unicum hunc tantum habebat filium, tam elegantem & bonis moribus ornatum, quemque valde diligebat, baculumque ſenectutis fore exſpectabat, honeſte recuſavit. Paucis menſibus tranſactis, dum pro quibuſdam negotiis ad dictam civitatem ſe contuliſſet, contigit puerum infirmari & mori. Mater lacrymabunda & gemens per vicos filii mortem lamentabatur. Verum cum reſciviſſet beatum Martianum eſſe in urbe, non ignorans viri Dei ſanctitatem, fide plena, mortuum puerum in platea poſuit, & cum diu virum Dei quæſiiſſet, tandem eum inveniens, multis lacrymis & precibus coactum, ad locum ubi puer mortuus jacebat, adduxit. At ille dixit ei: Si quando petieram tibi, dediſſes mihi filium tuum, modo non fuiſſet mortuus. Tunc miſeratione motus, præmiſſa oratione cum lacrymis, mortuum vitæ reſtituit, & matri tradidit. Tunc omnes admirari, tunc Deum benedicere & laudare cœperunt, qui tantum miraculum per ſervum ſuum operatus fuerat. Statimque mater, quæ antea viro Dei poſtulanti filium recuſarat, nunc ſuppliciter rogat, ut eum accipiat, & monachorum ei habitum tradat. Quem benigne ſuſcipiens vir Dei, eum ſecum in monaſterium duxit, & tonſurato capite monachum fecit. Mortuum ſuſcitat.

4. Beatus interea Martianus cum multos collegiſſet monachos, & jam ſenex eſſet, ei vires corporis deficere cœperunt. Quadam die cum reverteretur à civitate Aptenſi, ſimplici baculo, ſua onuſtus ſarcina ad victum fratrum ordinata, circiter circa mediam viam conſtitutus, deficere cœpit, & brevi interpolatione facta, in loco qui etiam nunc Petra ſancti Martiani [c] dicitur, feliciter exſpiravit. Qui licet humano ſolatio deſtitutus eſſet, angelorum tamen comitatus eſt choris. Nam & campanæ circiter per tria milliaria ſine humano adminiculo, ſed potius divina actæ potentia perſonuerunt. Concurrunt fratres, ſcire cupientes quidnam eſſet: venienteſque ad locum, patrem mortuum deferre ad monaſterium voluerunt. Tunc ſuperveniunt & Aptenſes cives, ſed corpus à nullo potuit moveri, donec & Aptenſis antiſtes [d] advenit, qui una cum clero in Obit.

[a] In Sanionis caſtri territorio ſub patrocinio ſancti Euſebii, ut diximus in obſervationibus præviis.

[b] Id in ſuburbio, quod hodie ſanctæ Marthæ dicitur, contigiſſe legitur in hodierno Breviario Aptenſi.

[c] Idem Breviarium memorat ibi hodie exſtare ſacellum, ubi vir ſanctus defunctus eſt.

[d] An Stephanus, vir ſanctus, qui anno MX. hanc ſedem iniit, aut certe deceſſor ejus Theodoricus, qui canonicos duodecim communem vitam agentes in eccleſia Aptenſi inſtituit.

Ann. Ch. cir. mx. Aug. xxv. baſilica ſanctorum Auspicii & Castoris [a], ejuſdem civitatis quondam epiſcoporum & martyrum, ſacrum corpus depoſuit. Nec defuere plurima miracula. nam febricitantes, aliique variis languoribus vexati ad ſancti Confeſſoris corpus concurrentes curati ſunt, & plene liberati. Ejus feſtivitatem eccleſia Aptenſis celebrat vigeſima-quinta Auguſti cum octavis & officio proprio. Hic vir ſanctus ſemper virginitatis lilium illibatum cuſtodivit.

Ann. Ch. m x. Martii xxviii.

DE VV. JOHANNE II. & JOHANNE III. ac aliis abbatibus Caſinenſibus & viris piis, qui ab anno M. ad annos quinquaginta in ſacro Monte floruerunt.

Johannes II. abbas.

1. EX CÆCATO *ſub ſæculi præcedentis finem Manſone abbate Caſinenſi, ſubſtitutus eſt ei* Johannes *hujus nominis ſecundus, abbatiæ regiminis abdicatione quam ejus adminiſtratione celebrior. Vix enim unum annum abbas factus compleverat*, cum jam ſenectute pariter & infirmitate gravatus, *inquit Leo Marſicanus libro* 2. *Chronici Caſinenſis capite* 20. tanti regiminis pondus ſe ferre non poſſe perſpiciens, *ſubſtituto ſibi ſucceſſore, in eremum ſeceſſit. Eadem ferme habet Deſiderius abbas Caſinenſis, qui & papa Victor III. in dialogo* 2. *ſed & alteram hujus abdicationis rationem affert Leo, quam ſe à quodam ſene accepiſſe ſcribit loco laudato.* quod *nempe* dum quadam die ſuper municipium monaſterii, vocabulo Pinetarium, cujus habitatores olim rebellare tentaverant, hoſtiliter perrexiſſet, eccleſia quædam juxta idem municipium poſita ab his qui ſecum ierant cum aliquot eorumdem ruſticorum mapaliis igne ſuccenſa ſit.... Et ob hanc cauſam, *uti proſequitur*, in multis ſe maximiſque lamentis dedens, abbatiam hujuſmodi occaſione inventa dimiſit. *Eumdem abbatem* religioſiſſimum *appellat Victor, quem in* vicinam ſilvam *ſeceſſiſſe ſcribit, ibique uſque ad* vitæ ſuæ terminum ſolitarium degentem in omnipotentis Dei ſervitio vitam finiiſſe. *Paullo inferius eumdem* religioſum monachum & ſacerdotem *appellat*, qui, *inquit*, relicto monaſterii regimine ad eremi ſecreta ſe contulit, in hac vicina ſilva uſque ad extremum vitæ ſuæ terminum ſolitarius manſit, ibique jejuniis, vigiliis & orationibus operam dans, ſtuduit omnipotenti Domino ſollicita mente ſervire. *Locum illum* Piretum *ſuo tempore appellatum fuiſſe obſervat Leo, additque* parvulam eccleſiam *ibi à pio abbate conſtructam fuiſſe in honorem ſanctorum Coſmæ & Damiani, eumque quinque fratres ſeceſſionis ſuæ ſocios habuiſſe, quibuſcum* ſolitarius quodammodo degens in ſpiritualibus operibus reliquum vitæ ſuæ tempus exegit.

2. *Hæc illi de vita Johannis abbatis, ſed quæ de ejus morte habent haud minoris ſunt momenti, quippe quæ probant eam in conſpectu Domini pretioſam fuiſſe. Sic ea de re ſcribit Victor.* Hic vero, *inquit*, cum temporibus Theobaldi abbatis ex hac luce migraſſet, monachus quidam, Johannes nomine, in monaſterio beati Laurentii martyris, quod apud Capuam ſitum eſt, ſtudioſiſſime in Dei ſervitio converſabatur, qui dum quadam nocte antequam fratres ad vigilias ſurgerent, de lectulo more ſolito omnipotentem Do-

[a] Auſpicium gentis ſuæ Apoſtolum & primum epiſcopum agnoſcunt Aptenſes, cui poſt Quiatinum ſucceſſiſſe dicitur Caſtor initio ſæculi iv. Eorum reliquiæ hodieque in eccleſia cathedrali aſſervantur.

minum

minum precaturus ſurrexiſſet, dum attenta mente ſtans miſericordem Dominum precaretur, ſubito reſpiciens clariſſimam lucem in aëre, & intra ipſam venerabilis viri Johannis animam cælum penetrare conſpexit. Igitur facto mane certius ſcire volens quod viderat, venit ad ANDREAM, qui cellæ hujus monaſterii, quæ intra eamdem Capuanam urbem ſita eſt, tunc præpoſitus erat, hocque quod viderat per ordinem retulit; & ut ad hoc monaſterium nuntium dirigeret, qui diligentiſſime rem quam viderat inveſtigaret, obnixe popoſcit. Qui ejus voto parere ſtudens, nuntium mox direxit, qui diligenter hæc quæ dicta ſunt cognoſceret; citiuſque reverſus indicare curaret. Tum is qui miſſus fuerat nuntius, dum feſtinanter pergeret, & in ipſo itinere alter à monaſterio veniens occurrit, qui fratribus in prædicta cella Capuæ commorantibus præfati ſervi Dei obitum nuntiavit: à quo ſubtiliter inquirens, invenit prædictum Dei ſervum ea hora ex hac luce ſubtractum, qua eum Johannes religioſus monachus Capuæ poſitus cælum mirabiliter penetraſſe cognovit. Tunc uterque ad eos à quibus miſſi fuerant reverſi, alter ſervi Dei obitum, alter vero viſionem quæ de eo viſa eſt retulerunt. *Eadem ferme iiſdemque verbis habet Leo libri laudati capite 21. Hoc vero miraculum ſe multorum fratrum teſtimonio didiciſſe ſcribit Victor, ſubjungitque quod etſi jam fuiſſet à ſancto Petro Damiani Oſtienſi epiſcopo in ſermone de vigilia ſancti Patris Benedicti celebratum, ipſum tamen etiam ſuo dialogorum libello inſerere voluerit, ut in omnium notitiam facilius perveniat, & qui illud cognoverit*, Deum laudet in mirabilibus ſuis, qui omni tempore novo videlicet cibo alit teneras mentes ſuorum. *Ceterum quis annus Johanni ſupremus fuerit, ſilent prædicti auctores; verum cum ſcripſerint eum ſub Theobaldo abbate vita functum fuiſſe, facilè conjicimus eum complures annos in ſolitudine tranſegiſſe. Theobaldus quippe anno ſæculi hujus vigeſimoſecundo ad annos tredecim Caſinenſi monaſterio præfuit, intra quod temporis intervallum Johannes exceſſit è vita, & quidem* pridie Idus Martii, *ut habet Leo in Chronico libri laudati capite 21. quo die memoria ejus cum* ſancti *titulo in Martyrologio Benedictino, ceteriſque Ordinis ſacris faſtis celebris habetur.* ANN. CHR. MX. MARTII XXVIII.

3. *Johanni ſecundo in eremum ſecedenti ſucceſſit anno* CMXCVII. *alter ejuſdem nominis abbas* JOHANNES, *qui duodecim annis cum aliquot menſibus Caſinenſi monaſterio præfuit. Hunc nobili genere ortum aſſerunt Victor, Leo, aliique poſtmodum auctores, qui ſecuti ſunt. Antequam vero monaſticam vitam amplexus fuiſſet, jam pietate & honeſtate morum ita celebris erat, potiſſimum apud Beneventum, ubi Archidiaconi dignitate pollebat, ut nemo eſſet ex clero & populo, qui poſt Archiepiſcopi mortem, Johannem archidiaconum ipſi ſubſtituendum non peroptaret. Id Victor affirmat initio libri 2. Dialogorum, ubi ejus in monaſterium ſeceſſionis occaſionem deſcribit, qualem Beneventi adhuc laïcus degens à multis acceperat.* Cum eſſem adhuc laïcus, *inquit*, & intra annos adoleſcentiæ ætatem ducerem, quæ à multis in Beneventana civitate degens audivi de Johanne, tunc ejuſdem Beneventanæ eccleſiæ archidiacono, poſtmodum vero hujus ſancti cœnobii abbate, ſilenter non tranſibo. Cum idem Johannes de illuſtri proſapia originem duceret, & quod majus eſt, religioſe vivens omnipotenti Domino omnimodo placere ſtuderet, ita à clero & populo diligebatur, ut omnes ei unanimiter poſt mortem archiepiſcopi ejuſdem urbis ſummum ſacerdotium peroptarent. Alter quidam in eadem eccleſia, Alix nomine, diaconus erat, qui ad adipiſcendum pontificium omni niſu adſpirabat, nec quo ordine id aſſequi poſſet, quidquam penſi habebat: ſed dum idem Johannes archidiaconus ſupereſſet, ad culmen tanti honoris ſe poſſe pertingere deſperabat. Cumque hæc quotidie in animo volveret, vana illum cogitatio haud quieſcere permittebat. Cum quadam die uterque ſecreto in loco conſediſſent, & nemo alius cum eis eſſet, ſermo inter eos orſus eſt de hujuſmodi miſeræ vitæ fragilitate, de cæleſtis ac perpetuæ

Johannes III. abbas.

Ejus converſio.

Digitized by Google

ANN. CH. M X. MARTII XXVIII.

vitæ jucunditate; de pœna peccatorum, ac de gloria ſempiterna juſtorum. Itaque ſtatuerunt inter ſe hujus gloriam mundi relinquere, ac ſanctæ converſationis habitum ſuſcipere; & ut magis fidi eſſe poſſent, juramento quod ſtatuerant firmaverunt. Dein diem decernunt, quo apud caſtrum Caſinum limina beati Benedicti peterent, ac ſub ejus magiſterii regula Jeſu-Chriſto Domino deſervirent. Igitur poſtquam ad ſtatutum diem ventum eſt, quo ab eis aggrediendum erat iter, Alix, qui aliud animo, aliud geſtabat in ore, Johanni archidiacono dixit: Cariſſime frater, quoniam de rebus meis aliquid adhuc ſupereſt, quod ſecundum Deum ordinare cupio, tu, obſecro, præcede, & mox ut ſanctæ converſationis habitum ſuſceperis, mihi nuntium mitte: ego autem his expletis quanto citius te ſubſequi curabo. Archidiaconus vero ad monaſterium beati patris Benedicti veniens, mox ut habitum ſacrum ſuſcepit, nuntium, ut decreverant, ſocio direxit, qui eum ſub ſanctæ inſtitutionis regula jam colla ſubmiſiſſe, & ut ipſe celeriter veniret, ut pollicitus fuerat, nuntiaret. At ille mox ut talia audivit, alacer effectus, quod illum qui ſibi in eccleſia præeminebat receſſiſſe cernebat, omnino ſe ad eum accedere, atque tam arctam ingredi viam poſſe negavit. *Alix aliquanto poſt agente Ottone auguſto Beneventanus epiſcopus conſecratus eſt; at defuncto interim Ottone, ſedem ſuam conſequi nuſquam potuit; & ſic* fecit omnipotens Deus ad vindictam malorum, laudem vero bonorum, *ut ibidem proſequitur Victor*, ut qui cupiditatis honore ductus fraudulenter fratrem ſuum ſtuduit ab Eccleſia pellere, ipſe pulſus patria exſul in alieno ſolo vitam finiret.

In Oriente agit.

4. *Johannis in monaſterium ingreſſus contigit ſub Aligerno abbate, ut ſcribit Leo Marſicanus in Chronico*, ubi cum aliquantos, *inquit ille auctor libro ſecundo cap. 21.* ſub ſanctæ converſationis ſtudio peregiſſet annos, atque poſt Aligerni tranſitum Manſo in abbatiam ſucceſſiſſet, egreſſus hinc Jeroſolymam orationis cauſa profectus eſt, *quod iter petita à ſuo abbate licentia cum aggreſſum fuiſſe obſervat Victor. At innuit Leo Marſicanus libro 2. cap. 12. id ab eo nonnulliſque aliis Caſinenſibus monachis factum fuiſſe, quod poſt Aligerni obitum, ſubſtituto principum ſæcularium favore Manſone in ejus locum, illi potius è monaſterio egredi, quam manere ſub hujus regimine maluerint. Johannes itaque, ut Leo proſequitur*, in monte Syna per ſex continuos annos (in Dei ſervitio, *ut addit Victor*) commoratus; inde vero in Græcia in monte, qui Agionoros vocatur, per aliquot temporis ſpatia converſatus eſt. *Vitam his in regionibus finire decreverat, uti conjicimus ex eo quod nonniſi cæleſti monitu in Italiam remeaverit. Viſionem quam ea de re habuit, paucis verbis enarrat Leo, cui præmittit Victor miraculum urſi cuidam eremitæ, quem Johannes inviſit, miniſtrantis, quod à* LEONE *quodam*, venerabilis, *inquit*, vitæ *viro*, *qui* ante paucos annos defunctus erat, *&* ab aliis veteranis monachis narrantibus *acceperat. His autem illud verbis exponit.*

Quidam namque eremita in eodem monte manens à paucis vel frequentabatur, vel noſcebatur. Dum quadam die frater, qui ei miniſtrabat, & certis diebus victum deferebat, ſupra memoratum Johannem venerabilem virum ad eumdem Dei ſervum duxiſſet, ſicut ipſe poſtmodum diſcipulis ſuis cum lacrymis ſolitus erat referre, benigne, ut decebat, ab eo ſuſceptus eſt; & cum ſermo inter eos de cæleſtis vitæ gaudiis diutius agitaretur, ſervus Dei iis qui advenerant dixit: Venite fratres, quia jam hora eſt, alimenta ſumamus corporis, ne revertentes in via deficiatis. nec enim jejuni à nobis recedere debetis, propter quem tanti ſubiiſtis iter laboris. Et hæc dicens menſam præparat, prandium apponit. Cum denique oratione facta ad menſam conſediſſent, mirabile dictu, immanis urſus è vicina ſilva veniens, ſeſe ante ora prandentium favum melliflui mellis ferens exhibuit. Cumque illi valde perterriti fugam inire tentarent,

Digitized by Google

venerabilis eremita ille eos compeſcuit, & ne terrerentur admonuit, dicens multos eſſe jam annos, quo ſibi omnipotens Deus per beſtiam illam ſæpiſſime hoc melliflui nectaris donum ſua pietate tranſmiſerit. Peracto itaque prandio ſurgentes è menſa, animo ſatiati magis quam corpore, percepta benedictione ad monaſterium ſunt reverſi. ANN. CH. M X. MARTII XXVIII.

5. Poſt non multos vero dies beatiſſimus pater Benedictus eidem Johanni per viſionem apparuit, & dans ei paſtoralem virgam, quam manu geſtabat, ut Caſinum ad ſuum monaſterium quantocius reverteretur, admonuit. Facto itaque mane abbati ipſius monaſterii, religioſo ſcilicet viro, viſionem quam viderat per ordinem pandit. At ille, ut erat vir providus atque diſcretus, voluntatem Dei in hac viſione cognoſcens, intulit dicens: Frater Johannes celeriter ad tuum monaſterium reverti feſtina, ne tanto Patri, qui tibi per viſionem apparuit, eſſe inobediens videaris. decrevit enim, ut mihi videtur, omnipotens Deus te ſuo gregi præponere, &, ut ſuas fideliter paſcas oves, ſua miſeratione elegiſſe. Ille igitur viſioni & admonitioni obtemperans, tranſmarina relinquens arva, Chriſto duce reverſus eſt. In Italiam revertitur.

6. *Johannes Caſinum appulſus, ibique, uti laudati auctores proſequuntur, à* religioſiſſimo viro Johanne, *tunc temporis abbate, de quo ſupra egimus, benigne ſuſceptus, ab eodem ſtatim monaſterii* præpoſitus *inſtitutus eſt*, nec multo poſt tempore, quia idem abbas corpore, *ut ſcribit Victor*, jam debilis erat, atque pondus tanti oneris ferre nequibat, conſilio & electione cunctorum fratrum ab eodem venerabili patre *qui*, ipſe in eremum ſeceſſit, abbas eſt ordinatus. *Hæc anno* CMXCVII. *contigerunt, & quidem poſt menſem Maium. Nam Johannes præceptum Ottonis tertii, quo omnia monaſterii bona confirmantur,* VIII. *Kal. Junii anni ſubſequentis accepit, ut ſcribit Leo Marſicanus, anno ordinationis ſuæ primo. Teſtis eſt idem auctor, Ottonem* dies aliquot *tunc temporis in monaſterio Caſinenſi tranſegiſſe, ac* duas coronas argenteas *obtuliſſe beato Benedicto. Recenſet idem auctor capite 26. varias bonorum commutationes, quas Johannes cum vicinis fecit. Sed monaſterium Caſinenſe pietatis fama ſub ejus regimine celebre fuiſſe multo magis probant variæ donationes tunc temporis eidem loco factæ, quas, cum apud eumdem auctorem laudentur, facileque cuivis ſit eum adire, hic ſingillatim recenſere non viſum eſt eſſe operæ pretium. Ex his vero qui monaſticam ſub eo profeſſionem ſunt amplexati, Landulfum principem Salernitanum nominat, qui res ſuas univerſas quas in comitatu ſanctæ Agathæ poſſidebat, monaſterio contuliſſe ibidem memoratur.* Fit abbas.

7. *Non autem omittere licet ea, quæ ipſe Johannes in ſui monaſterii gratiam feciſſe dicitur apud eumdem auctorem capite* 25. *quod* de operibus ipſius abbatis Johannis *inſcripſit.* Hic Abbas, *inquit*, fecit capſam magnam argenteam inauratam cum ſmaltis & gemmis diverſorum colorum. Fecit & ceroferaria duo magna librarum argenti quindecim, necnon & duo turibula argentea librarum ſex. Codices quoque eccleſiaſticos renovavit *, magnos & pulcros. Totius etiam monaſterii ambitum in circuitu muris turribuſque munivit. Conſtruxit præterea & eccleſiam in honore ſancti confeſſoris Chriſti Nicolai in monticulo, qui ſecus pratum Dominicum eſt, prope civitatem ſancti Germani. quem videlicet æmulatus THEODEBALDUS præpoſitus ipſius, & ipſe nihilominus eidem beato Nicolao baſilicam aptavit apud caſtrum ſancti Petri, quod eſt poſitum ad radicem hujus montis in crypta antiqua, quæ ingentibus ſaxis gentilium opere pulcro in dæmonum honore conſtructa juxta ejuſdem beati Petri eccleſiam ſita eſt. *quæ quidem crypta, ut obſervat Angelus de Nuce in notis ad hunc locum*, unice *ex veteris Caſini ædificiis* nigra, *an* integra *ſcribere voluit, perdurat.* Pia ejus opera. * *al.* fecit.

8. *Eodem ſedente nova aliquot monaſteria excitata fuerunt, quæ Leo data occa-* Monaſt. inſtituta.

Digitized by Google

ANN. CH. MX. MARTII XXVIII.

ſione laudavit in variis capitibus. Ex his unum in territorio Carſeolano *condidit Rainaldus Marſorum comes in caſtro ſancti Angeli, quod exinde mutato nomine* Cellæ *dictum eſt, ab eccleſia ſanctæ Mariæ in Cellis, quam, inquit Leo, prædictus comes* monaſterium fecit. *De eo Lubinus in catalogo Abbatiarum Italiæ, ubi ſitum dicitur prope Talleacotium*, Tagliacozzo, *caſtrum diœceſis Marſorum in ulteriori Aprutio octo circiter paſſuum millibus diſſitum à lacu Fuſſino ſeu Celano, verſus orientem. Alterum monaſterium, quod tempore Johannis abbatis ædificatum à Leone memoratur, ſitum erat juxta portam Sueſſæ urbis in Campania Felice. Originem ſuam debet Johanni & monacho cuidam Caſinenſi. Huic monaſterio, quod ſub beati Benedicti patrocinio conditum fuit, nonnullas poſſeſſiones in comitatu Sueſſenſi ſitas attribuit Johannes, quæ recenſentur capite 27. Tertium monaſterium memoratur in capite præcedenti, ubi* Tranſmundus clericus dives ac nobilis de Aprutio, *dicitur* eccleſiam ſancti Nicolai, quæ conſtructa eſt juxta fluvium Trutinum *, loco Sumuſiano vocabulo, rebus ſuis ditatam, monaſterium eſſe conſtituiſſe, idque per ſuæ oblationis chartulam ſub cœnobii *Caſinenſis* jure contradidiſſe. *Teuto alterius Teutonis filius in eadem Aprutii regione dedit Caſinenſi monaſterio eccleſiam ſancti Johannis* in loco qui dicitur Scorzone, quam rebus propriis ditatam ſanctimonialium monaſterium fecerat. *Idem monaſterium cum ceteris Aprutii diœceſos recenſet Anaſtaſius pontifex in Bulla ad Guidonem ejuſdem urbis epiſcopum, data anno* MCLIII. *quam videſis apud Ughellum tomo* 1. *Italiæ ſacræ col.* 396.

* *Tronto.*

Variis calamitatibus affligitur.

9. *Nec defuere Johanni variæ calamitates, quibus in perferendis patientia haud vulgari opus habuit. Narrat Leo capite* 25. *quod dum pius abbas variis operibus ad ornatum, ſeu etiam ad tutelam monaſterii conſtruendis incumberet*, ingens terræ motus *adeo ſacrum* montem per quindecim & eo amplius dies exagitaverit, ut in aliquot etiam locis eccleſiam ſcinderet, *quod anno ejus regiminis octavo contigiſſe ſcribit. Sed initia hæc fuere dolorum. nam poſtea tot tamque gravibus, ut narrat idem auctor capite* 28. *à vicinis comitibus afflictatus eſt anguſtiis, ut loco cedere coactus Capuam ſeceſſerit; ſed cum ibi moraretur multo majorem ſuſtinere compulſus eſt animi mœrorem, cum ab ipſis filiis quos enutriverat relictus eſt, qui alium ei abbatem ſubſtituerunt, omnem ſpem reditus ſe ei hoc facinore præcludere poſſe rati. ſed eos tamen fefellit opinio. nam ſeptimo poſt novi hujus abbatis electionem menſe, rebus pacatis Johannes ad monaſterium reverſus, dignitatique ſuæ reſtitutus eſt. quam ſenio confectus ſimul cum ipſa vita tandem exuit decimo-quinto Kalendas menſis Aprilis anno* MX. *juxta eccleſiam ſancti Patris Benedicti ſepultus. quo die ejus nomen ſub* beati *titulo in Menologio Benedictino inſcripſit Bucelinus.*

Athenulfus abbas.

10. *Defuncto Johanni* JOHANNES *alter, cognomento Rotundulus, ejus nepos, quem ſibi ipſi adhuc vivens ſubſtituerat, aliquamdiu abbatiam occupavit. Sed id ægre ferentes monachi, Pandulfum principem Beneventanum invitarunt, ut Athenulfum filium ſuum eis præponere vellet, quod pulſo Rotundulo conſentientibus omnibus loci monachis factum fuit anno* MXI. *Athenulfi encomium paucis verbis abſolvit Leo Chronici libro* 2. *capite* 30. ATHENULFUS, *inquit*, abbas triceſimus-primus, ſedit annis undecim, vir quanto nobilis, tanto humilis & humanus. *Puer à patre, ut idem auctor narrat capite præcedenti, Ottoni auguſto obſes traditus fuerat, quem ille in Germaniam abductum enutriendum poſuerat in monaſterio. Poſt aliquod temporis intervallum Athenulfus è monaſterio aufugit in patriam, quod ut ſecurius faceret, monaſticam cucullam induit. Sed medio in itinere gravi afflictus morbo, ſe deinceps ultro geſtaturum, quod ſimulate acceperat, promiſit. quare ad patrem reverſus, cum nec blanditiis umquam, nec verbis in paterno palatio retineri potuiſſet, in monaſterium ſancti Modeſti, quod prope Beneventani epiſcopi domum ſitum erat, ſeſe recepit; ibique uſque dum à Caſinenſibus expetitus, eo quo diximus modo eis præfectus fuerit, converſatus eſt. Ejus regimen initio felix fuit. multa quippe tunc temporis monaſterio Caſinenſi bona aut reſtituta, aut*

Digitized by Google

etiam de novo oblata fuiſſe apud Leonem legimus, quæ libro 2. capite 31. & ſequentibus recenſentur. Monaſteria etiam nonnulla ipſemet reparavit, ac princeps monaſterium ædificiis, ejuſque eccleſiam columnis marmoreis, variiſque donis locupletavit & ornavit. Sed tandem, cum Henricum imperatorem, apud quem proditionis crimine accuſatus fuerat, fugere tentaret, naufragium paſſus in mare ſuffocatus interiit anno MXXII. III. *Kal. Aprilis, quo die ejus memoria in Necrologio Caſinenſi, ut teſtatur Angelus de Nuce, memoratur.* ANN. CH. MX. MARTII XXVIII.

11. *Contigit ejus temporibus res memoratu digna in ſuſceptione Lintei ſacri, quo olim Chriſtus Dominus pedes ſuorum diſcipulorum ablutos terſiſſe dicitur. Eam Leonis ipſius verbis referimus.* His diebus, *inquit capite* 33. monachi quidam ab Jeruſolymis venientes, particulam lintei cum quo pedes diſcipulorum Salvator exterſit, ſecum detulerunt; & ob reverentiam ſancti hujus loci devotiſſime hîc obtulerunt, ſexto ſcilicet Idus Decembris. Sed cum à plurimis ſuper hoc nulla fides adhiberetur, illi fide fidentes protinus prædictam particulam in accenſi turibuli igne deſuper poſuerunt, quæ mox quidem in ignis colorem converſa, poſt paululum vero, amotis carbonibus, ad priſtinam ſpeciem mirabiliter eſt reverſa. Cumque excogitarent qualiter, vel quanam in parte pignora tanta locarent, contigit diſpoſitione divina, ut eodem ipſo die tranſmiſſus ſit in hunc locum loculus ille mirificus, ubi nunc recondita eſt ipſa lintei ſancti particula, argento & auro, gemmiſque anglico * opere ſubtiliter ac pulcherrime decoratus. ibi ergo cryſtallo ſuper poſito venerabiliter eſt locata: moriſque eſt ſingulis annis, ipſo die cœnæ Dominicæ ad mandatum fratrum eam à manſionariis deferri, & in medium poni, duoque candelabra ante illam accendi, & indeſinenter per totum mandati ſpatium ab acolytho incenſari. Demum vero juxta finem mandati à ſingulis per ordinem fratribus flexis genibus devotiſſime adorari, & reverenter exoſculari.

Lintei ſacri apud Caſinum ſuſceptio.

* *f.* anaglypho.

12. *Mortuo Athenulfo Caſinenſi monaſterium aliquamdiu abſque abbate fuit; ſed cum compoſitis rebus Henricus Auguſtus ſimul cum Romano Pontifice Benedicto VIII. ad ſacrum montem acceſſiſſet, monachis permiſſa eſt Abbatis electio: quibus in Theobaldum conſentientibus, poſtridie quo beatorum Petri & Pauli feſtivitas celebrabatur, novus abbas à Papa conſecratus eſt. Præerat antea monaſterio ſancti Liberatoris in comitatu Theanenſi, quod ſicut & Caſinenſe variis ædificiis & donationibus adauxit, quæ à Leone capit. 51. & 52. recenſentur. Ex his fuit* crux argentea ad procedendum diebus dominicis, *præterea* virgam paſtoralem cum titulo nihilominus argenti opere pulcro veſtivit. *Codices quoque varios deſcribi curavit, nempe* Auguſtini de civitate Dei partem 2. Gregorii homilias quadraginta, primam partem Moralium, Auguſtinum ſuper pſalmos diviſum in duo volumina, Claudium ſuper epiſtolas Pauli, Rabanum etymologiarum, Auguſtinum de Trinitate; Itinerarium totius orbis cum Chronica Hieronymi; Hiſtoriam Romanorum, Hiſtoriam Langobardorum, Edictum Regum *. Martyrologium Hieronymi plenarium. Pontificale Romanum, Iſidorum officiorum, Concordiam canonum, Librum canonum, Decreta Pontificum, Bedam ſuper Marcum. Duo etiam hymnaria in choro habenda. *Recenſet poſtea Leo varias donationes, quæ ſedente Theobaldo à viris piis & nobilibus ſacro monti factæ fuerunt. Quin &* RAIMBURGA quædam abbatiſſa de civitate Firmana monaſterium ſuum, vocabulo ſancta Maria, loco Levarino *cum aliis poſſeſſionibus monaſterio obtulit. Hic fuit monaſterii Caſinenſis ſtatus quamdiu vixit Henricus Auguſtus. at eo defuncto Pandulfus princeps Capuæ viciniſque urbibus receptis, Theobaldum ipſum cepit ac Capuæ retinuit, interea ſuſdeque omnia in ſacro monte vertens, impoſitis ad monaſterii regimen aliquot è ſuis, qui monachos vexarent. Hi vero ad tantam penuriam redacti ſunt,* ut in ipſa ſanctæ Dei genitricis adſumtione ad miniſterium altaris vinum defuerit. *Rem ea occaſione narrat Leo quæ memo-*

Theobaldus abbas.

* *al.* legis Langobardorum.

Digitized by Google

ANN. CH. M X. MARTII XXVIII. *ria digna videtur. queritur enim adverſus illos invaſores, quod eo tempore* viliſſimos quoſque de monaſterii familia laïcos in refectorium fratrum, in quod, *inquit*, tunc uſque nemo laïcorum auſus fuerat ingredi, ad panem vinumque menſis imponendum admiſiſſent. *quod viſum eſt fratribus adeo grave piaculum, ut ſeſe invicem adhortati, ſtatim imperatorem adire decreverint, opem ejus imploraturi. Interea Theobaldus Capua aufugiens, ubi annis ferme quatuor egerat, ſeceſſit in monaſterium ſancti Liberatoris in comitatu Theatino ſitum, ibique conſummatis fere quinque annis ſenex obiit, die* III. *Nonas Junii anno* M XXXV.

13. *Creſcebat in dies Pandulfi audacia, nec ulla monachis ſpes affulgebat monaſterium ad meliorem ſtatum revocandi, donec tandem Conradus imperator in Italiam adveniens, ad montem ſacrum ſimul cum conjuge ſua acceſſit anno* M XXXVIII. *Poſt orationem Auguſtus in capitulum introductus eſt; ibi monachi in terram ſemel & iterum proſtrati, expoſitis Auguſto quæ ab annis duodecim à Pandulfo patiebantur, ab eo ut loco ſacro opem ferret efflagitarunt. Reſpondit Auguſtus* jurejurando affirmans, ſe ob eam ſolummodo cauſam ad has partes tranſiiſſe, ſeque locum hunc ex toto corde ſuo honoraturum ac protecturum quamdiu viveret. *Demum* petita benedictione..... ac devotiſſime ſe illorum orationi commendans, poſuit ſuper altarium beati Benedicti coopertorium purpureum valde pretioſum, aureo friſo ad menſuram palmi in circuitu pulcherrime adornatum. *Tum Capuam profectus, pulſo Baſilio, qui favente Pandulfo monaſterium invaſerat, Richerioque in abbatem electo,* (Richerius abbas.) *diploma, quo omnia bona monaſterii confirmarentur, conceſſit. Idem præſtitit Romanus pontifex, ac Richerius iis munitus ad annum uſque* MLV. *quo exceſſit è vita, monaſterium ſapientiſſime rexit.*

(Principum reverentia erga Caſin.) 14. *Qua autem tunc temporis reverentia erga ſacrum hunc locum tenerentur viri principes ac pontifices, patet non ſolum ex variis muneribus quæ monaſterio offerre conſueverant, verum etiam ex eo quod etiam ipſi ſacrum montem adire non gravarentur, vota ſua beatiſſimo patriarchæ reddituri, tum ut ſeſe monachorum ſacri hujus loci orationibus commendarent. Id præſtiterunt hoc ſæculo undecimo omnes fere Romani Pontifices & Imperatores. Conſtantinus Monomachus Græcorum imperator conſtituit,* ut omni anno binas auri libras de palatio ejus *monaſterium Caſinenſe reciperet, idque hortatu Friderici Romanæ eccleſiæ Cancellarii & Humberti Silvæ-Candidæ epiſcopi, quos Leo* IX. *Conſtantinopolim tranſmiſerat, ut paci inter utramque eccleſiam componendæ operam darent. Illi vero legati priuſquam ſeſe itineri committerent, ad monaſterium acceſſerant, ut fratrum ſe ſuaque negotia orationibus commendarent. Mirum eſt quanta cum devotione ſacrarium illud inviſerit ſanctus Odilo, quod Adalbertus aliique viri ſancti ſub extremis ſæculi præcedentis temporibus præſtiterant. Sed de his ſuo loco; nunc pauca proferenda ſunt de viris pietate præcellentibus, qui ibidem ineunte hoc undecimo ſæculo floruerunt. quorum notitiam Victori III. potiſſimum & Leoni Marſicano Chronici Caſinenſis auctori debemus.*

(Pii viri Caſinates. Felix.) 15. *Primus occurrit* FELIX *quidam, de quo ſic loquitur Victor libro* 2. *Dialogorum.* Interea nec ea quæ de Felici audivi, monacho videlicet hujus monaſterii, ſilentio ſunt prætermittenda. Quodam tempore neſcio qua de cauſa ad Teatinam urbem eſſe me contigit, & cum ab Epiſcopo & clericis illius eccleſiæ benigne & amicabiliter ſuſceptus eſſem, atque orationis gratia ad oratorium me duxiſſent, facta oratione ad dexteram eccleſiæ me contuli, ibique ædiculam & altare conſpexi. Cumque Epiſcopum & clericos interrogaſſem, in cujus honorem altare illud conditum eſſet; reſponſum mihi eſt, quod in honorem beati Felicis confeſſoris Chriſti altare illud eſſet dedicatum. Cum autem quis fuerit ille Felix inquirerem, dicebant mihi quod monachus Caſinenſis congregationis fuerit, atque ab abbate ſuo in illis partibus miſſus, ut paſtoribus egregie præeſſet, ibi vitam finivit. Et cum ad corpus ejus omnipotens Deus multa mira-

Digitized by Google

bilia operaretur, à majoribus ſuis de loco, in quo prius jacuerat, levatus, atque in hac eccleſia, ſub hoc, ut cernis, altari conditus fuerit. Igitur quoddam memorabile illo in loco nuper ab eo patratum, omnipotente Domino largiente, narrabatur. Cum quidam cæcus ad cuncta obſtantia pedes offendens, miſericordem Dominum rogaturus, ante ejus altare veniſſet, & proſtratus toto in terram corpore, gemitu ac ſuſpiriis, ut meritis beati Felicis ſui miſereretur oraſſet; mox depulſis cæcitatis tenebris, ita ſanus & incolumis ſurrexit, ut mirantibus cunctis, ipſe ſuis oculis lucem cœperit cernere, quam ſemper ab aliis deſideraverat audire. *Interrogat Theophilus Deſiderium (ii ſunt interlocutores) utrum Felix dum viveret coruſcaverit miraculis. cui reſpondet:* Non quidem hunc venerabilem virum, dum in hoc ſæculo vixit, aliquod indicium ſuarum virtutum dediſſe comperi: verumtamen omnipotens Deus plerumque agere conſuevit, ut illi, qui devota mente illi ſervire ſtudent, licet in carne poſiti nullum ſignum ſuæ ſanctitatis oſtendant, poſt mortem tamen cujus meriti fuerint, celari minime patiatur; ut dum exſtincta illorum corpora ita miraculis coruſcare cernuntur, in ipſius ſervitio humanæ mentes acrius accendantur. *Hujus viri venerabilis meminit Arnoldus Vvion in appendice ad Martyrologium Benedictinum, inter ſanctos quorum dies natalis ignotus eſt; Bucelinus tamen eum die 25. Martii in Menologio Benedictino locavit. Laudatur vero à Petro Diacono aliiſque auctoribus ſubſequentibus. Sed difficile eſt tempus aſſignare quo vixerit. de eo autem hic egimus, quod à Victore laudetur inter eos ſanctos, qui ſuo tempore in monaſterio Caſinenſi floruerunt, quamvis innuat Felicem multo antea vixiſſe. De Gregorio autem ſic proſequitur.* Ann. Chr. MX. Martii XXVIII.

16. Gregorius quidam ſummæ religionis monachus, in hoc cœnobio dictus eſt, qui, ſicut à pleriſque hujus loci fratribus audiſſe me reminiſcor, dum in præſenti vita moratus eſt, ſub monaſticæ diſciplinæ regula omnipotenti Domino ſtuduit ſtrenuiſſime deſervire. cumque expleto vitæ termino ex hoc mundo migraſſet, tanta odoris fragrantia de loco, in quo exanimis jacebat, emanavit, ut omne ſubito monaſterium illius odoris ſuavitas, quaſi unius angulum domatis mirifice reſperſerit. Et dum omnes odoris illius ineffabili quadam ſuavitate recreati mirarentur, ac quid eſſent omnino neſcirent, nuntius repente ab infirmorum domo properans venit, qui Gregorium monachum obiiſſe retulit Voluit itaque omnipotens Deus oſtendere quanti meriti iſte vir fuerit, cujus egrediente anima tam mirifico odore cœnobium omne repleverit. *Idem miraculum refert Leo Marſicanus libro 3. Chronici Caſinenſis capite 51. inter ea quæ ſub abbate Deſiderio contigerunt. At cum ipſe Deſiderius, qui Victor III. papa fuit, de Gregorio ex aliorum relatione ſcripſerit, fatendum eſt illum ante ejus tempora in monaſterio Caſinenſi fuiſſe defunctum. Quod etiam de Angelo & aliis viris piis infra laudandis dicendum eſt, qui à Leone ad Deſiderii tempus ideo revocati videntur, quod eorum geſta ex ipſius Deſiderii dialogis mutuatus ſit. Gregorios duos monachos Caſinenſes laudat Arnoldus Vvion, & poſt eum Hugo Menardus in appendice ad Martyrologium Benedictinum; primum ſcilicet ex Leone Marſicano, & alterum è libro Petri diaconi de ſanctis Caſinenſibus. Sed certius ejus rei argumentum ſuppeditat nobis ipſe Victor, qui præter Gregorium cujus hic obitum narrat, alterum ejuſdem nominis ſanctum virum, adhuc viventem laudat poſtea, de quo in altera hujus Sæculi parte agemus. Interim ipſum de Angelo narrantem audiamus.* Gregorius. Alter Gregorius.

17. Alter quidam, ut fratres qui adhuc ſuperſunt referunt, Angelus, in hoc monaſterio monachus, dictus eſt, cujus profecto vita nomini diſſimilis non fuit. Qui dum infirmitate tactus corporis ultimum diem clauſiſſet, dæmoniacus quidam forte in coquinam intraverat; & ecce ſubito cœpit ſtrepere, ac ſe furibundus à terra diſſiliens in aëra elevare, magniſque vocibus clamans.... O quid nunc mihi modo Benedictus fecit! animam Angelus.

Digitized by Google

ANN. CH. M X. MARTII XXVIII.

Angeli monachi, ob parvum cucullum quod geſtavit in capite, mihi auferens ſecum detulit. Cumque omnes qui aderant, ad verba illius ſtupefacti intenderent, & quid diceret ignorarent, repente ſignum, quo fratrum obitus ſignificari ſolet, inſonuit: ſtatimque fratres omnes feſtinanter ad domum infirmorum pergunt, & Angelum monachum jam defunctum reperiunt. Qua de re aperte monſtratum eſt, quod animam illius in aliquo nocere non potuit, de cujus morte coram fratribus tam triſtem, tam lugubrem ſe antiquus hoſtis oſtendit. *Victori conſentiunt Leo Marſicanus in Chronico Caſinenſi libro* 3. *cap*. 43. *& Petrus Diaconus in libro de ortu & vita Juſtorum Caſinenſium. Hinc Angeli nomen in Appendice ad Martyrologium Benedictinum inſcriptum eſt, ubi ſanctus dicitur &* miraculis clarus: *ſatis fuit Bucelino eum virum venerabilem appellare ad diem* 9. *Julii, quo ejus, neſcio quo fundamento, commemorationem locat.*

Azzo.

18. AZZO etiam, *ut narrat idem Victor*, quidam religioſæ ſatis vitæ monachus fuit, qui eccleſiam beati Michaëlis archangeli in valle, quæ dicitur Regis, à Ludovico chriſtianiſſimo imperatore mirifico opere conſtructam, poſtmodum vero à Sarracenis deſtructam, omni cum ſtudio reſtauravit; ibique fratres ad omnipotentis Dei ſervitium, prout potuit, congregavit. Cumque ibidem in ſervitio Dei compleſſet annos, ultimam jam pæne agens ætatem ad monaſterium noſtrum, ex quo ab abbate ſuo miſſus fuerat, eſt reverſus. qui ſenio morboque confectus, in domo infirmorum in lectulo jacens, extremum vitæ ſpiritum jam moriturus trahebat; multique è fratribus excubantes circa lectum ipſius hymnis & pſalmis vacantes ejus exitum exſpectabant. Quidam vero frater, *appellatus* PETRUS *à Leone Marſicano libro* 2. *Chronici Caſin. cap*. 34. qui adhuc ſupereſt, & nobiſcum in monaſterio converſatur, tunc juvenis, nunc autem ætate moribuſque grandævus, in dormitorio cum ceteris fratribus quieſcebat, cum ecce ſubito nocte intempeſta reſpiciens, vidit per viſionem beatum Michaëlem archangelum, cujus vultum pictura eum docente cognoverat, per dormitorium venientem; cujus alter angelus veſtigia ſubſequens paullo longius gradiebatur. quem intuens dixit: Domine, nonne tu es beatus Michaël archangelus? Et ille: Ego ſum utique. At ille: Quo tendis, inquit, Domine? Ad domum, inquit, infirmorum, ut fratrem Azzonem mecum aſſumam, quia jam tempus eſt, pergo. Et his dictis, viſio quam videbat diſparuit. Qui ſtatim evigilans, ſurrexit, & feſtinanter ad domum infirmorum perrexit, fratremque Azzonem è corpore animam jam exhalaſſe invenit. Qua de re aperte datur intelligi, quod idem beatus Michaël eum ſecum detulerit, qui ad aſſumendum eum ſe veniſſe teſtatus eſt. *Idem ferme habet Leo Marſicanus in Chronico libro* 2. *capite* 34. *ubi monaſterium ab Azzone reſtauratum* Barregenſe *nuncupat, de quo vide Lubinum in Nōtitia abbatiarum Italiæ ſub titulo* ſancti Angeli ad Sangrum. *Porro Azzonem* unum *ſcilicet ex monaſterii* prioribus *laudat idem Leo capite* 65. *qui ſub Baſilio invaſore fratres ſuos excitavit, ut Conradum imperatorem cum uxore ſua ad ſacrum montem accedentem honorifice ſuſciperent. qua quidem occaſio fuit monaſterii in priſtinum ſplendorem reſtituendi. Eumdem quoque laudat Petrus diaconus in libro de ſanctis Caſinenſibus, unde Arnoldus Vuion, Menardus & Bucelinus eum* ſanctitate & miraculis clarum *prædicaverunt.*

Stephanus Veneticus.

19. Frater quidam in noſtro monaſterio, *inquit Victor*, STEPHANUS Veneticus dicebatur, qui ex Venetiæ partibus adveniens in ſanctæ converſationis habitu ſtudioſiſſime vixit: cujus humilitatis, patientiæ ac obedientiæ bonum omnibus, qui tunc in omnipotentis Dei ſervitio ibidem congregati erant, liquidiſſime patuit. Cumque jam tempus eſſet, ut ejus digna converſatio à juſtiſſimo Domino remunerari debuiſſet, moleſtia gravatus corporis, fratribus coram poſitis, diem clauſit extremum. Tunc

quædam

Digitized by Google

ANN. CH. M X. MARTII XXVIII.

Agundia.

quædam religioſiſſima anus, AGUNDIA nomine, virgo mente & corpore, quæ in ſanctimoniali habitu, juxta eccleſiam beatæ Mariæ ſemper virginis, ſitam in civitate, quæ circa radicem Caſini montis eſt condita, manebat, more ſolito antequam clerici ejuſdem civitatis ad reddendas nocturnas Deo laudes ſurrexiſſent, ante prædictam eccleſiam Dei genitricis ſtans gemitu, lacrymis ac ſuſpiriis omnipotentem Dominum precabatur: cum ecce ſubito intempeſta noctis hora reſpiciens, vidit columnam igneam è cella, in qua infirmi fratres quieſcere erant ſoliti, exeuntem, cælumque tendentem. Quæ mox nuntium monaſterium ſubire præcepit, qui ſtudioſe inquireret, ſi aliquis ex infirmis fratribus in cella illa degentibus ex hoc mundo migraſſet. Tum is qui fuerat miſſus nuntius perniciter montem aſſcendit, monaſterium intravit, domum infirmorum adiit, atque Stephanum religioſum monachum defunctum reperit; & ſtudioſius inquirens, invenit eum ea hora emiſiſſe animam, qua columna ignea ab ancilla Dei viſa eſt celſa penetrare polorum.

Johannes Veneticus.

20. Alter quidam in jam dicto noſtro monaſterio JOHANNES Veneticus dictus eſt, miræ patientiæ, obedientiæ ac humilitatis monachus, qui quanti meriti apud Jeſum-Chriſtum Dominum fuerit, ſuum poſt obitum manifeſtiſſime claruit. Cum quidam frater, cujus nomen à memoria excidit, caſu in inguine crepuiſſet, ita ut interiora ejus membrano diſrupto inter carnem & corium dilaberentur, ſepulcrum ipſius adiit, ac ſe ſuper illud proſternens, lacrymis gemitibuſque, ut pro ſe Dominum precaretur, ex intimo cordis poſtulabat affectu, procul dubio credens ejus meritis ſe poſſe ſanitatem recipere, qui in hac vita poſitus omnipotenti Domino totis viribus ſtuduit deſervire. Cum igitur aliquantulum ſuper ſepulcrum ejus orans incubuiſſet, ita reſtitutus eſt ſanitati, ut languoris priſtini nec ullum in eo quidem indicium remanſiſſe videretur. *Utrumque, Stephanum ſcilicet & Johannem, laudant item Leo Marſicanus in Chronico lib.* 3. *capite* 43. *& Petrus diaconus de ſanctis Caſinenſibus. Unde Arnoldus Vvion Stephanum in Appendice Martyrologii Benedictini inſeruit, quem* ſanctitate & miraculis clarum *fuiſſe pro ſuo more ſcribit. de eodem Bucelinus in Menologio, & Bollandiani die* IV. *Junii, inter prætermiſſos. Eum vero circa annum* MCCC. *floruiſſe monet Menardus, ſed errore, uti videtur, librarii, pro* MXXX. *quem annum aſſignat Vvion, cujus verba Menardus in Appendice Martyrologii deſcribere ſolet. Stephanum anno circiter* MLXXX. *conſignat Johannes Marus in notis ad hunc Victoris locum; ſed veri ſimilius eſt eum obiiſſe, antequam Victor ſive Deſiderius abbatiæ regimen ſuſcepiſſet. ſic vero de aliis proſequitur.*

Paulus.

21. De PAULO ſanctæ converſationis monacho, quod à fratribus, qui adhuc in hac præſenti vita vivunt, & eum optime norunt, audiſſe me memini, referre curabo. Cum idem Paulus ſalutis ſuæ cauſa noſtrum ad cœnobium deveniſſet, à Theobaldo abbate, religioſo videlicet viro, qui tunc fratribus honeſtiſſime præerat, devote ſuſceptus eſt. quem venerabilis pater in monaſterio beati patris Benedicti, quod intra Capuanam urbem conſtructum eſt, habitare præcepit: qui poſtquam ad eumdem pervenit, ita ſe ſub ſanctæ inſtitutionis regula conſtrinxit, ut ob hoc omnibus mirabilis haberetur. Sed omnipotens, miſericors ac pius Deus, quantum ſibi ejus digna converſatio in hac vita placuerit, illius poſt obitum oſtendere eſt dignatus. Cum namque in eodem monaſterio religioſam, honeſtam, ac dignam Deo converſationem exercens aliquantos expleſſet annos, infirmitate pulſatus corporis è carnis ergaſtulo jubente Domino exſilivit. Igitur quidam venerabilis vitæ epiſcopus ex Galliæ partibus veniens, orationis gratia ad eccleſiam beati Michaëlis archangeli in Gargano monte conditam properabat. Cum autem ad Capuanam urbem deveniſſet, juxta eccleſiam protomartyris Stephani (*dicitur in Chronico*

Digitized by Google

ANN. CH. M. X. MARTII XXVIII. *Caſinenſi libro 2. cap. 58. ſicut & à Petro diacono in libro de ſanctis Caſinenſibus,* eccleſia ſancti Laurentii) diverſatus hoſpitatus eſt. Denique cum nocte intempeſta è lectulo ſurrexiſſet, ante eccleſiam prædicti Martyris ſtans, vicinas ſibi omnipotentis Dei aures precibus, lacrymiſque reddebat, cum ecce ſubito ad dexteram orientis partem oculos porrexiſſet, vidit inſtar ſolis radii lucem ſplendidam è monaſterio per aëra mirabiliter advolare. Cumque diu lucem quam videbat attonitus miraretur, ſignum in monaſterio inſonuit, quo fratris exitus ſignificabatur. Intellexit protinus è fratrum numero aliquem magni meriti ex hoc mundo migraſſe, ſimulque cum ipſa luce cæli ſublimia penetraſſe. Mox itaque convocatis clericis, quæ viderat enarravit; ſtatimque ad monaſterium nuntium miſit, ut quis ibi defunctus eſſet, agnoſceret. cumque is qui miſſus fuerat, monaſterium intraſſet, invenit Paulum venerabilem monachum è corpore animam emiſiſſe. *Addit Leo Marſicanus in Chronico Caſinenſi libro 2. capite 56. Epiſcopum illum Gallicanum, qui Pauli animam ad cælos tendentem viderat, decreviſſe* Pauli ipſius nomen ſibi quamdiu viveret, intra beatorum nomina memorandum. *An ille cultus publicus fuerit, receptuſque aliquando in Eccleſia, pronuntiare non auſim, cum nomen ejus in faſtis ſacris ſcriptum non reperiatur. De eo tamen agit Petrus diaconus in libro de ſanctis Caſinenſibus, ſeu de ortu & morte Juſtorum Caſinenſium, ex quo & aliis auctoribus laudatis Vvion primo, tum Menardus ei* ſancti *titulum in Appendice ad Martyrologium Benedictinum conceſſerunt. Ejus memoriam Bucelinus in Menologio die 21. Septembris conſignat. Hic addere liceat, in eccleſia parochiali ſancti Nazarii apud Capuam exſtitiſſe porticum, in qua duæ viſebantur imagines, ſub quarum una hæc erat inſcriptio,* S. Johannes primicerius; *ſub altera vero,* S. Paulus præpoſitus, *quem quidem Paulum alium à noſtro non fuiſſe cenſet Michaël Monachus in Sanctuario Capuano.*

Adam. 22. *Laudatur* ADAM *monachus quidam Caſinenſis, qui hoc ſæculo divinis revelationibus & viſionibus illuſtratus eſt. Unam ex his Victor ſeſe didiciſſe à Leone abbate ſancti Pauli Romæ ſcribit ſub finem libri 2. dialogorum, quam his verbis refert.* Dicebat enim quod ſibi Adam reverendiſſimus valde monachus & cuſtos eccleſiæ hujus noſtri monaſterii retulerit, quia quadam die dum idem venerabilis Adam portam monaſterii ad aliquod opus faciendum eſſet egreſſus, duo juvenes in habitu monachi ſibi in ipſo introitu monaſterii obviaverunt; cumque ſalutatos eos, ſtudioſe qui eſſent inquireret; audivit ab eis, quod unus eorum Protus, alter vero Hyacinthus diceretur. At ille obſtupefactus, cur veniſſent cum percunctaretur, illi inquiunt: Ad fratres, qui hodie noſtri memoriam mente devota recolunt, viſitandos venimus. Erat enim ea dies qua pro Chriſto effuſo ſanguine palmam martyrii ipſo donante meruerunt. Cum ergo attonitus paullulum ſubſtitiſſet, ac illi cœpto itinere monaſterium eſſent ingreſſi, ad ſe reverſus, certius quod audierat cognoſcere volens, rapido eos curſu proſequitur. Dumque eos huc illucque per monaſterium ſtudioſe requireret, ac minime invenire poſſet, quoſque ſibi obviantes interrogare cœpit, ubi eſſent monachi qui modo ſecum loquentes monaſterium eſſent ingreſſi. Sed illi nullum in monaſterium introiſſe præter illum ſe audiſſe profeſſi ſunt. Qua de re aperte datur intelligi, eos qui ſibi apparuerunt, ſanctos martyres Protum & Hyacinthum, quorum feſtivitas eo die celebrabatur, veraciter fuiſſe. Quæ omnia eodem ordine à Firmo hujus monaſterii veterano monacho, nepote ſcilicet ipſius Adæ, quæ ille mihi Romæ poſitus dixerat, reverſus ad monaſterium acta fuiſſe percepi. *Eadem viſio refertur in Chronico Caſinenſi libro 2. cap. 48. cui altera præmittitur capite præcedenti de corpore ſancti Benedicti apud Caſinum jacente, quam auctor ex eodem Leone abbate ſancti Pauli per aliquot fratres, qui eam ab ipſo audierant, ſe accepiſſe ſcribit. Laudatur item Adam capite 49. quod* in monte proximo, qui Cariæ adjacet,

Digitized by Google

ANN. CHR. M. X. MARTII XXVIII.

Clia vocabulo, cellam in honore ſancti patris Benedicti *conſtruxerit. Majoris eſt momenti quod refertur de Adamo noſtro capite 61. ubi Adelgiſio cuidam Pandulfi Capuani principis miniſtro, qui ad ſacrum montem ſpoliandæ eccleſiæ cauſa acceſſerat, viriliter reſtitiſſe memoratur. Cum enim aliquot è loci monachis cedendum eſſe cenſerent, ne irato principe pejora perpeti cogerentur,* Adam, qui tunc eccleſiæ curam gerebat: Ego, inquit, hæc quæ requiris, neque tibi, neque alicui hominum daturus aliquando ſum, ſed ea ſuper ipſum beati Benedicti altarium ponam, inde illa qui voluerit aut præſumſerit auferat. Quod cum feciſſet, mox ille præſumtor audacter acceſſit, & cum jam jamque ad altare manus extenderet, mirabile dictu! protinus in faciem corruit, & vehementiſſima ſubito epilempſia pariterque paralyſi correptus, univerſis adſtantibus mirum ac potius miſerum de ſe ſpectaculum præbuit. Et de infirmitate quidem ipſa altera die aliquo modo convaluit, atque ſine effectu reverſus eſt ad principem, diſtorto tamen ore atque oculo uſque ad obitum permanens, cunctis ſe interrogantibus, qualiter hoc illi contigerit, non ſine admiratione audientium maxima referebat. *Adæ nomen Bucelinus die 14. Decembris commemorat in Menologio Benedictino, quod pariter exhibent Vuion & Menardus in Appendice ad Martyrologium.*

Liutius.

23. LIUTIUM *aliis viris piis, qui Caſinum montem hoc ſæculo illuſtrarunt, addere viſum eſt ex Leone Marſicano, de quo nonnulla ſcribit memoratu digna in Chronico Caſinenſi. Eum recenſet libro 2. capite 12. inter celebriores ſacri montis monachos, qui poſt Aligerni abbatis obitum maluerunt è monaſterio egredi, quam ibi vivere ſub regimine Manſonis, Principum vicinorum favore in abbatem recepti.* Unde factum eſt, *inquit*, ut nonnulli de prioribus hujus monaſterii fratribus potius hinc egredi, quam manere ſub illo eligerent. è quibus.... domnus etiam Liutius de religioſis hujus loci monachis ac prioribus unus, *Jeroſolymam profectus eſt cum aliis duobus, Johanne ſcilicet & Theobaldo, qui ambo in abbates poſtmodum electi ſunt; ipſe vero reverſus tempore Athenulfi abbatis, ut habet idem auctor capite* 30. apud Salernitanum principatum in quadam eremo, ubi nunc monaſterium ſanctæ Trinitatis, ad Cavam cognomento, conſtructum eſſe dignoſcitur, aliquamdiu remoratus eſt. ubi à Guaimario principe agnitus, atque in maxima eſt reverentia habitus. Poſtmodum vero in monte hoc, loco Albaneta vocabulo, uſque ad ſuum eſt obitum religioſiſſime converſatus. In quo videlicet loco ante non multum tempus, cum quidam vir Dei manſionem ſibimet remotiorem elegiſſet, atque in ciſterna vetere, quam ibi dirutam repererat, oratorium fabricare diſpoſuiſſet, cogitanti ei, in cujus potiſſimum nomine eccleſiam ipſam conſtrueret, fertur quemdam puerulum ſcholarem ibi tunc ſuperveniſſe, qui à prædicto viro Dei perquiſitus, utrum peritiam cantandi haberet, & ille habere ſe promtule reſpondiſſet, juſſus ab eo cantare eſt quidquid ſibi primum in mentem veniſſet: ſtatutum ſcilicet habens in corde ſuo, ut in cujuſcumque ſancti honore puer ille cantaſſet, in ejus nomine eccleſiam eamdem conſtrueret. Mox puer reſponſorium impoſuit, *Veni electa mea*, totumque illud ſuavi ſatis modulamine cecinit. Valde itaque vir Dei exhilaratus, & intelligens per hoc beatiſſimæ Dei genitrici placere ſuo in loco eodem honorari vocabulum, confeſtim juxta poſſibilitatem ſuam parvulam ibi eccleſiam in honore ejuſdem genitricis Dei ædificavit; ibique uſque ad exitum ſuum ſatis devotus in ejus ſervitio perduravit. Cum autem poſt aliquantum tempus præfatus domnus Liutius ibi veniſſet, & plurimum ſibi locus ipſe complacuiſſet, elegit ibi uſque ad mortem conſiſtere, & in ſervitio Dei genitricis ipſius perſeverare. Reverſus igitur ad principem Guaimarium, prædicti Guaimarii filium, cui dudum & pater ſpiritualis, & familiaris ſuper omnes exſtiterat, multa ab eo & diverſa ornamenta eccleſiaſtica, & codices quamplures,

ANN. CH. M. X. MARTII 1. necnon & aliam ad fratrum uſus non modicam ſupellectilem adquiſivit, libentiſſime illo ac liberaliter cuncta quæ vellet accipere concedente. Mox itaque prædictam Dei genitricis eccleſiam multo ſatis quam erat in omnibus ampliorem efficiens atque depingens, habitacula quoque in circuitu ad diverſos commanentium uſus non modicæ quantitatis ædificavit, ibique cum triginta circiter fratribus religioſiſſime converſari cœpit. Ipſe autem præ ceteris omni vilitate & extremitate contentus, tam humili ſe officio mancipaverat, ut farinam in piſtrino ad panem faciendum famulorum more diſcuteret, cum interim de ore illius Davidica modulatio numquam ceſſaret. In cujus vitæ humilitate, atque nimia abſtinentiæ auſteritate, uſque ad extrema vitæ indefeſſe perdurans, Richerii abbatis tempore in monaſterio iſto defunctus atque ſepultus eſt. *Hæc ille, quem ſecutus eſt Petrus in libro de ſanctis Caſinenſibus. Eumdem Vvion appellat* Lucium, *cujus meminit in Appendice ad Martyrologium Benedictinum, quo item nomine deſignatur à Bucelino in Menologio, ubi ejus commemorationem die* 5. *Decembris conſignavit. Porro de Cavenſi eremo, poſtmodum monaſterio celebri, dicemus ad annum* ML. *ubi de Alferio primo ejuſdem loci abbate agendum. Albaneta vero, cujus hic initia deſcribit Leo, quingentis ferme paſſibus à Caſinenſi cœnobio verſus occidentem diſtat, ubi hodieque exiguum viſitur monaſterium, quod anno* MDLXXXI. *ut obſervat Angelus de Nuce, reſtaurari cœptum, anno* MDCXLVI. *abſolutum fuit, atque exinde ab uno aut altero monacho inhabitatur. Celebre evaſit seceſſu ſancti Ignatii ſocietatis Jeſu inſtitutoris, qui ibi aliquot dies tranſegit, ut ſpiritualibus exercitiis liberius operam daret. in cujus rei memoriam cubiculum, quod tam celebris hoſpes habitavit, in ædiculam ſacram à monachis Caſinenſibus converſum eſt.*

Raynerius martyr. 24. *Martyris titulum Raynerio monacho Caſinenſi nonnulli pro illorum temporum more concedunt, quod innocens à latronibus interfectus ſit. Eum obedientiæ ſimul & patientiæ veluti exemplar proponit Victor ſub finem libri ſecundi, his verbis.* Bonum obedientiæ, quæ inter ceteras virtutes prima eſt, non ſinit nos virtutem cujuſdam fratris, qui eam toto cordis humilitate uſque ad mortem quoque ſectatus eſt, penitus ſilentio præterire: illum videlicet imitans, qui factus obediens Patri uſque ad mortem, obedientiæ nobis pariter ac patientiæ reliquit exemplum. Qui videlicet frater hujus noſtræ congregationis, RAYNERIUS nomine, juvenis quidem ætate, ſed moribus grandævus fuit. cui multi ex fratribus qui adhuc ſuperſunt, & eum optime noverunt, teſtimonium perhibent, quod tantæ humilitatis, tantæque obedientiæ fuerit, ut ex hoc mirabilis ab omnibus haberetur. Cui dum quadam die eſſet ab abbate ſuo injunctum, ad aliquod opus pro utilitate monaſterii peragendum, Theatinum adire territorium; ille læto ut ſemper animo ad obedientiam promtus, juſſa implere feſtinans, iter arripuit. Qui dum pergeret, & aliquanti jam itineris ſpatium profligaſſet, à latrunculis cujuſdam potentis viri ODERISII, qui ex præcepto ejus, ſi quid ex monaſterii hujus rebus diripere poſſent, viam obſervabant, omnibus quæ deferebat ſublatis, interfectus eſt. Cujus quidem corpus, vel propter inimicorum inſidias, vel quia longe erat, ad hoc cœnobium deferri non potuit, ſed in quadam eccleſia juxta poſita humi traditum eſt. Sed quantum illius obedientia omnipotenti Deo fuerit accepta, ad exſtinctum ejus corpus oſtendere eſt dignatus. Cœperunt itaque multi infirmitate detenti ad ejus ſepulcrum properare, & recepta ſanitate ad ſua incolumes remeare. Inter quos ATTO comes, magni ATTONIS comitis filius, præfati quoque Oderiſii gener, cum graviter detentus à febribus fatigaretur, ad ſepulcrum iſtius fama ducente venit; ibique in oratione proſtratus, recedente febre ita ſanus ſurrexit, ut malæ illius valetudinis, qua antea laborabat, nihil prorſus in ſe ſentiret. qui pro recepta ſanitate gratias referens, ob retributionem tanti muneris, optimo

Digitized by Google

ſuper ejus ſepulcrum oblato pallio, gaudens diſceſſit. *Memoratur Raynerius à Vvione & Menardo in appendice ad Martyrologium Benedictinum, ex libro Petri diaconi de ſanctis Caſinenſibus.* ANN. CH. M. X. MARTII XXVIII.

25. *Huc etiam referre juvat quæ Victor ſe* in quadam veteri paginula, imperito ſatis ſtylo exarata *reperiſſe commemorat, de Johanne quodam monacho ſancti Liberatoris, quod monaſterium ad radices montis Majellici in diœceſi Theanenſi ſitum eſſe, & Caſinenſi ſubjectum fuiſſe ſcribit.* Quidam, *inquit*, frater in eodem monaſterio JOHANNES dicebatur, qui ætate ac ægritudine preſſus extremum vitæ ſpiritum trahebat. Cum igitur quadam die aliqui ex fratribus more ſolito decantaturi matutinas laudes ad eum veniſſent, *nota patrum noſtrorum religionem, qui etiam morti proximi, ſi recitare non poſſent officium, ſaltem illud ab aliis recitatum audiebant,* ille eos voce qua potuit, compeſcuit, dicens: Nolo, inquit, ut mihi canonicas horas amplius decantetis, quia dominus abbas cum multis fratribus albis veſtibus indutis ad me modo gratia viſitandi venerunt, mihique matutinale officium decantantes, poſt paullulum ſe huc venturos, meque ſecum aſſumturos eſſe dixerunt. Dum itaque fratres, qui ad eum venerant, ad ejus viſionem intenti, & ſi vera eſſent quæ retulerat, ſollicite præſtolarentur, poſt unius horæ ſpatium frater ille magna cum exſultatione emiſit ſpiritum. Ex quo animadvertere poſſumus beatum patrem Benedictum fuiſſe, qui ei cum illa albatorum concione apparuit, eumque ſecum ut promiſerat aſſumſiſſe. *Hac Victor. qui & alios laudat viros pios, de quibus in altera hujus Sæculi parte diſſeremus.* Johannes.

26. *Huc uſque de viris ſanctitate aut pietate celebribus, qui Caſinenſe monaſterium hoc undecimo ſæculo incunte illuſtrarunt. Jam vero locus eſſet de miraculis fuſius diſſerendi, quæ tunc temporis in eodem monaſterio frequentia contigiſſe ſcribunt Victor in Dialogis, Leo Marſicanus in Chronico, Petrus Diaconus & alii paſſim auctores. ſed ne prolixiores videantur ejuſmodi narrationes, quæ lectoribus faſtidio eſſe poſſint, illuſtriora quædam, potiſſimum è Victoris dialogis ſeligere ſufficiat; præter ea quæ jam à nobis cum geſtis virorum illuſtrium relata ſunt. In iis vero narrandis rerum potius quam temporum ordinem, quod hic nobis non ſatis ſit exploratus, ſequemur. Ea primum narramus quæ ad beati Patris ſepulcrum contigerunt.* Miracula Caſini facta.

27. SMARAGDUS, *inquit Victor libro 2. dialogorum*, monachus, qui adhuc ſupereſt, & in noſtro monaſterio commoratur, retulit mihi quod narro; quod à LEONE venerabili preſbytero, avunculo ſcilicet ſuo, ſe audiſſe referebat de ANTONIO monacho atque preſbytero, qui ſæcularibus ac divinis litteris haud mediocriter eruditus, ab adoleſcentia uſque ad vitæ exitum in ſæpe dicto monaſterio degens, omnibus pæne in hac provincia notus exſtitit. Qui dum quodam tempore, caſu accidente, ſicut prædictus preſbyter ex ore illius accepit, loco in ſecretiori crepuiſſet, & languore creſcente quotidie vehementer fatigaretur, medicum à quo ſecari vel exuri deberet, ſi quomodo poſſet ſanitatem recipere, conducere meditabatur. Timebat tamen ſi ſecaretur à medico, ut multoties evenire ſolet, ne forte moreretur; & rurſus ſi non ſecaretur, ſedulum ſuſtineret dolorem, quod eſt ipſa morte deterius, periculoſius ſibi videbatur. Igitur cum intra ſe hæc diutius agitaret, unum ſibi fore remedium credidit, ut ad ſepulcrum beati Benedicti pergens ipſius miſericordiam imploraret, ſperans ſe ejus patrocinio poſſe ſalvari, ſub cujus magiſterio ſe recedens à ſæculo devotiſſime contulerat. Statim igitur eccleſiam intravit, ac ſe coram altari humiliter proſternens, diutius oravit, ut omnipotens Deus meritis tanti Patris ſalutem ſibi conferre dignaretur. Expleta vero oratione, è pavimento, in quo proſtratus jacuerat, ſurrexit, atque ex crepidine altaris pulverem collegit, & ligans in panno, locum in quo patiebatur ſuperimpoſuit; atque die altero ita ſanus repertus eſt, ut nec ſignum Herniosus ſanatur.

Digitized by Google

ANN. CH. M. X. MARTII XXVIII. quidem præteritæ infirmitatis in eo omnino remaneret. *Hic nihil diccmus de Henrico Auguſto ad ſepulcrum beati Patris ſanato, ut pluribus narrat Leo Marſicanus in Chronico Caſinenſi, quod nempe opportunior videatur eſſe locus ea de re agendi in ipſius ſancti Henrici elegio, quod in præmiſſis ad vitam beatæ Chunegundis ejus ſponſæ dabimus infra ad annum* MXL.

Energumeni liberati. 28. *Dæmoniacos complures paſſim commemorat Victor, qui beati Benedicti meritis incolumes facti ſunt. Unus ex his puer quem dæmon ſub leonis ſpecie invaſerat*, ad eccleſiam ante altare beatiſſimi Benedicti adductus, mirum in modum in pavimento clauſis oculis proſtratus jacens, quicumque monaſterii portam ingrediebatur, mox nomen ejus exprimebat, dicens: Talis, vel talis homo per portam modò monaſterii ingreditur. Quidam autem frater, cum cauſa obedientiæ è monaſterio ad civitatem deſcendiſſet, duodecim à quodam accipiens denarios, eoſque propriæ utilitatis gratia occulte capiens, ſibi in ſinum miſit. Cum autem ad monaſterium reverſus, ad puerum in locum quo vexabatur acceſſiſſet, ſtatim diabolus hoc modo eum per os pueri coram fratribus infamare cœpit, dicens: Monachus iſte contra regulam ſui ordinis duodecim. denarios à tali viro accipiens, cauſa proprii commodi occultatos retinet in ſinu. Igitur cum à fratribus interrogaretur, utrumnam vera eſſent convicia, quæ antiquus hoſtis per os vexati ſibi objiceret, mox ille ſuam clamitans culpam, omnino id ita eſſe profeſſus eſt.

29. Alter quoque frater, cujus nomen ne verecundiam patiatur omitto, ex alio monaſterio ſuæ ſalutis cauſa ad noſtrum deductus, quadam nocte ad nocturnas vigilias, lectionem de veteri Teſtamento in eccleſia, more ſolito fratribus reſidentibus, recitabat, cum forte puer qui vexabatur aderat. Et ecce ſubito diabolus per os ejus exclamans, illa omnia quæ legebantur, ſeſe ad liquidum noſſe, ibique fuiſſe proteſtabatur; & adjungens hujuſmodi lectori verbis exprobrabat: Sed ſi ea, inquit, quæ de te ſcio referre coram præſentibus vellem, magnam profecto tibi verecundiam incutere poſſem. Et revera fratrem illum abunde in ſuo monaſterio ſæculariter vixiſſe compertum eſt. Poſtquam igitur pro vexato puero ante ſepulcrum beati patris Benedicti diutius à fratribus oratum fuiſſet, ita ſanus effectus eſt, ut amplius à maligno ſpiritu vexari minime viſus eſſet.

30. *Puerulus alter ingentem Æthyopem ſupra tectum videns, qui eum inſecutus vexare cœpit, ad beati Patris ſepulcrum adductus liberatus eſt. ut & alter, Johannes nomine, qui* ætate provectus adhuc, *inquit Victor*, ſupereſt, atque in infirmorum domo deſervit. *Tertius* THEODORICI *monachi ac ſacerdotis*, qui adhuc, *inquit idem Victor*, vivit & nobiſcum in hoc cœnobio vitam
» religioſam ducens converſatur, *nepos fuit, in quem dæmon ingreſſus, non eum*
» *aperte vexabat, ſed latenter languorem inferens veluti paralyticum fecit. Ductus*
» *ab avunculo ſuo ad venerabilem virum*, LAMBERTUM *nomine, qui in vici-*
» *na monaſterio ſilva ſolitarius habitabat juxta eccleſiam ſanctorum Coſmæ & Da-*
» *miani, ut ejus benedictione frueretur; mox ut puer* panem ab eo benedictum
» *comedit, dæmon aperte cœpit illum vexare. quare in monaſterium relatus, & in*
» *oratorio poſitus eſt, ut cuncti fratres ſimul pro ejus incolumitate Deum precarentur.*
» *Expleta oratione ac pſalmodia, ceteris ad refectorium euntibus, aliquot cum puero*
» *dimiſſi ſunt, qui cum beati Mauri reliquias ſuper obſeſſi pectus* cum magna devo-
» tione ac ſpe *poſuiſſent, ſtatim ille, dæmone* cum vomitu *exeunte, ſanus evaſit.*
Is autem liberatus à dæmone, *ut proſequitur Victor*, eſt monachus factus, & in hoc monaſterio ceteris cum fratribus in Jeſu-Chriſti Domini noſtri ſervitio perſeverans exſiſtit.

Patri puer non obediens punitur. 31. *Terribile pueri, qui patri non obedierat, exemplum ſubjungit. Ille cum parentibus*, oblationem Domino oblaturis, *ad eccleſiam ſancti Nicolai, cujus feſti-*

vitas celebrabatur, acceſſerat. Expletis ſollemniis, & communione ſacri corporis & ſanguinis Domini *percepta, ad domum ſimul revertuntur. Puer in agrum abeundi licentiam à patre poſtulat, cui ille:* Non eſt dignum, ô fili, in agrum hodie ad agri opus exercendum exire; quia, licet indigni, divina ſacra percepimus, & feſtivitas patroni noſtri, beatiſſimi ſcilicet Nicolai, ab omnibus magna cum devotione ubique recolitur. *Non paruit puer monitis paternis, ſed clam abiit in agrum. ibi cum lignum cecidiſſet, vidit avem nigerrimam in vulturis modum magno cum impetu per aëra ſuper ſe volantem, quæ ſtatim ſibi ſub ſpecie nigerrimi pueri obviavit, qui capillos habens hiſpidos & erectos ſic eum affatus eſt:* Efficere, ô puer, ex toto meus, & una mecum ad hujus proximi fluminis oram accede; ibique auri & argenti magnam copiam tibi tribuam, ut non lignis, ſed auro argentoque domum revertaris onuſtus: quatenus dum ſuperfueris, omnes propinquos, vicinoſque tuos divitiis excellens, nobiliter delicatiori vita fruaris in terris. *Volebat puerum in fluvio enecare. Sed* ille frequenter Chriſti nomen invocans, crucis ſe ſtudebat munire ſignaculo, flebilique voce talia reſponſa reddebat: Abſit à me, abſit, ut alicujus aliquando efficiar famulus, niſi qui me creavit omnipotentis Dei, & qui me generavit patris mei. Cum itaque iterum atque iterum ſignum ſalutis ſibi apponeret, *dæmon varias efformans belluarum voces, fruſtraque iterum tentata pueri religione, ſancti Nicolai virtute fugatus eſt. Puer domum reverſus à dæmone correptus eſt, & ad monaſterium adductus* ad limina beati Benedicti perducitur, *atque* ad ejus venerandum ſepulcrum in dextra parte altaris *proſternitur, ubi obdormiens incolumitatem recepit.* Hæc, *inquit Victor,* omnia per ordinem ex ore ipſius pueri, qui paſſus fuerat, lacrymabiliter referentis audivi. *Hæc fuit inobedientis erga parentes filii punitio. ſed qualis fuerit monachi plus æquo patriam ac parentes amantis videamus, ex eodem dialogo.*

Ann. Ch. M. X. Martii xxviii.

32. Sed neque hoc tacebo, quod de Mancuso monacho fratribus referentibus agnovi, quem ipſe in monaſterio poſitus vidi, noſtroque jam tempore defunctus eſt. Qui cum ex Apuliæ partibus converſionis gratia huc veniſſet, à Richerio abbate noſtro prædeceſſore ſuſceptus, fratrum congregationi ſociatus eſt. Itaque in monaſterio corpore, in ſæculo mente degens, ſemper terrena quæque meditabatur; omne magiſterium regularis diſciplinæ ſibi grave & importabile videbatur. Tunc cœpit ab Abbate licentiam petere, multaſque occaſiones adinvenire, qua patriam parenteſque poſſet reviſere. Cumque ab abbate ſuo ſæpius fuiſſet admonitus, ut viam veritatis, quam ſemel arripuerat, in melius proficiens de die in diem ad finem uſque perducere, depoſita omnis torporis ignavia, ſummopere ſtuderet; ne forte juxta ſententiam Domini, aratrum tenens, retroque reſpiciens, regno cælorum aptus eſſe non poſſet; & ne uxorem Loth imitans, in ſtatuam ſalis verſus, horrendum cunctis ſpectaculum præberet: ille nihilo minus, cujus mens ſemel à maligno obſeſſa fuerat, nullo modo quieſcebat: ſed quotidie Abbatem fratreſque precibus fatigando, ut eum patriam reviſere ſinerent, omnimode poſtulabat. Cumque ſpem redeundi fruſtratam ſibi eſſe conſpiceret, clam de monaſterio egreſſus, more fugacis ſervi nocturnas tenebras captans, ut canis ad ſuum vomitum, ad patriam diabolo inſtigante reverſus eſt, atque in parentum domo manſitans, ſæculariter ibi, ut jam dudum mente conceperat, vivere cœpit. Sed cum ab Abbate ſuo per nuntium ſæpe fuiſſet admonitus, ut ad monaſterii clauſtra rediret, & ille ſalutaria monita parvi pendens, obtemperare negligeret, ab eodem abbate communione privatus eſt. Cum itaque non poſt multos dies paullulum languore correptus in lectulo reſideret, immanem leonem ingredientem oſtium, ac contra ſe aperto ore venientem cernit. At ille ad ingreſſum ferocis beſtiæ territus, cœpit

Monachi affectus in parentes punitur.

Digitized by Google

ANN. CH. M. X. MARTII XXVIII. magnis vocibus clamare, dicens: Currite, currite, quia leo iſte me devorare contendit. Leo vero rugiens irruit in eum, & mordens, coxam illius apprehendens, maximum ex ea carnis fruſtum abſtraxit; ſicque eum ementatum ac ſeminecem relinquens diſparuit. Cumque plures ad clamorem vocis illius obſtupefacti concurrerent, leonem quidem minime viderunt, ſed ementatum ac ſeminecem monachum in terra proſtratum invenerunt. Itaque cum eum à terra elevarent, paullulum recepto ſpiritu, cuncta quæ ſibi acciderant per ordinem pandit, & ut quantocius ſe ad monaſterium reducerent, propinquos ac vicinos obnixe precatus eſt. Propinquis igitur ejus voto obtemperantibus ad cellam hujus noſtri monaſterii, quæ contra Aſculanum opidum ſita eſt, eum portaverunt, ibique poſt paullulum recuperata ſanitate, huc ad monaſterium eſt reverſus, ac ex perpetrata culpa pœnitentia accepta, plures poſtea in ſanctæ converſationis habitu vixit annos.

Specialis S. P. in ſuos cura.

33. *Multa quoque narrat idem auctor, ut probet peculiarem beati patris in ſuos curam continuam fuiſſe. Quodam tempore, cum ab initio Maii ad extremos menſis Julii dies ſiccitas ingens fuiſſet, ruſticus quidam ſtipulas è meſſe reſiduas combuſſit ut facilius terram excoleret; ſed aura flante excitatus ignis ſilvam quæ monaſterio ſubjacet corripuit. Crepitantium flammarum ſonitu excitati fratres, qui meridiano tempore tunc quieſcebant, periculo imminente territi, ad divinam opem beati patris interceſſione implorandam ſeſe convertentes*, alii erectis in cælum manibus, alii proſtratis in terra corporibus, alii flexis genibus, alii in terram demiſſis capitibus omnipotentem Deum precabantur, *nec fruſtra. nam* ſtatim nubecula parva ſe in montis latere colligens, ſupra cacumen ipſius divina imperante potentia dilatavit, quæ mox tantum imbrem ex ſe effundens expreſſit, ut & incendium omne exſtingueret, & omnino monaſterium liberaret. *Hoc ipſum miraculum narravit Petrus Damiani fratribus ſuis in ſermone quem habuit in vigilia ſancti Benedicti. Quieſcebant quodam die fratres ſancti Liberatoris monaſterii, quod Caſinenſibus ſuberat, cum viri cujuſdam venerabilis monitu, ad eccleſiam cito pergere invitati ſunt; quod cum illi feciſſent, ſtatim ruit tota domus, ſicque illi periculum evaſere. Aliis eccleſiæ monaſterii ſanctæ Scholaſticæ apud Cajetam conſtruendæ operam dantibus, unius malleus in mare decidit, quem illi immiſſo in aquas manubrio, beati patris invocatione, ut quondam Gottho contigerat, recuperarunt. Normannus quidam piſces ad refectionem fratrum captos invadere tentans, in aquis ſuffocatus, temeritatis ſuæ pœnas dedit. Latrones monaſterii ſpoliis onuſti nihil quidquam auferre potuerunt. Mira ſunt quæ narrat idem auctor, quæ Deus adverſus monaſterii hoſtes, qui bona ejus diripere non verebantur, fecit. Pandulfus Capuanus princeps pœnis atrociſſimis addictus viſus eſt poſt mortem, quod calicem aureum è monaſterio abſtuliſſet. Plura ejuſdem, vel alterius ipſi cognominis facinora paſſim commemorat, quorum cauſa & in hac & in altera vita divinitus punitus fuit. Nec minori cura ſuos adverſus Normannorum violentias tuitus eſt beatiſſimus Pater. quæ omnia ſi quis fuſius expoſita cupit, adeat ipſum Victorem, aut Leonem Marſicanum in Chronico Caſinenſi, alioſve ſacri Montis hiſtoricos, quos hic indicaſſe ſufficiat.*

VITA

VITA S. ELPHEGI ARCHIEPISCOPI CANTUARIENSIS ET MARTYRIS.

Auctore Osberno ejuſdem eccleſiæ Cantuarienſis monacho fere coæquali.

Ex Aprili Suriano & mſ. codice. Thuaneo.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *BEATUS Lanfrancus Cantuariæ antiſtes, à ſancto Anſelmo tunc Beccenſi abbate perſuaſus, Elphegum archiepiſcopum Cantuarienſem, qui à Danis interfectus fuerat, pro vero & indubitato Martyre poſſe haberi, ut inferius dicturi ſumus, Oſberno Eccleſiæ ſuæ monacho provinciam dedit, ejuſdem ſancti Martyris acta litteris mandandi, ut in officio divino legerentur. Pontificis imperio obtemperavit Oſbernus, ac beati Elphegi vitam non ſolum* pleno dictamine, *ut ait Eadmerus, verum etiam* muſico modulamine ad canendum *edidit. Hanc ex Surio exhibemus, addito ex mſ. codice Bibliothecæ Thuaneæ prologo, quem Bollandiani etiam edidere cum prolixiori vita, quam genuinum Oſberni fetum exiſtimant. Verum cum hæc vita quæ in Aprili Bollandiano publicata eſt, ea ipſa ſolummodo pluribus verbis referat, quæ apud Surium paucioribus exprimuntur, breviorem hic ſufficere viſum eſt. Elphegi vitæ ejuſdem tranſlationis hiſtoriam ſubjungimus, quam idem Oſbernus aliquanto poſt editam vitam conſcripſit, ut ipſe in narrationis exordio atteſtatur. Hane vero ex laudato codice Thuaneo primum deſcripſimus: ſed eam poſtmodum invenimus in Anglia ſacra editam ex mſſ. Anglicanis; cujus ſolummodo fragmentum dederunt Bollandiani, quod imperfecta in eorum codice haberetur.* Scribendæ hujus vitæ occaſio.

2. *Vita ſancti Elphegi non ſolum ab Oſberno auctoritatem habet, ſed etiam à beato Lanfranco, qui eam approbaſſe, & toti Anglicanæ eccleſiæ legendam tradidiſſe memoratur apud Eadmerum, libro 1. de vita ſancti Anſelmi, ubi de Lanfranco ſic loquitur.* Hiſtoriam vitæ ac paſſionis ejus, *ſancti Elphegi ſcilicet*, diligenti ſtudio fieri præcepit, quam quidem hiſtoriam non ſolum plano dictamine ad legendum, verum etiam muſico modulamine ad canendum, à jucundæ memoriæ Oſberno Cantuarienſis eccleſiæ monacho, ad præceptum illius nobiliter editam, ipſe ſua prudentia pro amore illius Martyris celſius inſignivit, inſignitam auctorizavit, auctorizatam in Eccleſia Dei legi cantarique inſtituit, nomenque Martyris hac in parte non parum glorificavit. *Ex hoc apparet, ſancti Elphegi memoriam jam ſæculo undecimo celebrem fuiſſe, utpote cujus feſtum per totam Angliam tunc ſollemne habebatur, quod item ex ipſa ejus Tranſlationis hiſtoria manifeſtum erit. Hujus ſancti Martyris cultus exinde in Anglia perſeveravit uſque ad ejuratam ſub Henrico* VIII. *fidem. Immo non apud Anglos ſolum, verum etiam apud alias nationes celebris fuit ſancti Elphegi memoria, cujus diem feſtum agi in Dolenſi eccleſia apud noſtros Brittones obſervavit Godefridus Henſchenius. Nomen ejus præter Anglicanum Martyrologium & Benedictinum, Romanum etiam, Galeſianum & alia quæ poſt ſæculum* XI. *conſcripta ſunt, repræſentant; idque die* 19. *Aprilis, qui ipſi ſupremus fuit: Ejus vero Tranſlationis feſtum die* 8. *Junii conſignat Oſbernus ipſe in Tranſlationis Hiſtoria. Apud Germanos non ignotum fuiſſe, patet ex ejus elogio quod Trithemius in nova editione Chronici Hirſaugienſis inſeruit ad annum* MXV. *Anno ſequenti conſignat ejus martyrium Chronici Saxonici ſive Magdaburgenſis auctor, ubi beatum hunc virum neſcio qua ratione* Duſtein *appellat, ſic vero habet.* Eodem tempore Nortmanni duce Thurkilo, Cantuariæ civitatis egregium antiſtitem, nomine Duſtein, captum cum ceteris vinculis & inedia more ſuo crudeliter exſtinxerunt. qui humana motus fragilitate, pecuniam promiſit, & inducias popoſcit, ut ſi redemtione acceptabili mortem evadere non poſſet, ſemetipſum gemitibus purgaret. Tranſactis induciis, promiſſum poſcentibus ait: Præſto ſum, paratus ad omnia pro Chriſti amore, ut ſuorum ſervorum exemplum merear fieri. Quod autem vobis mendax videor, non voluntas mea, ſed egeſtas effecit. Illis ſævientibus dux Thurkil accurrens inquit: Ne, quæſo, faciatis, omnia quæ habeo, excepta navi, ne in Chriſtum Domini pec-

Auctoritas. (margin, beside first line of §2)

S. Elphegi cultus. (margin, beside "Ex hoc apparet")

ANN. CH. MXII. APR. XIX.

cetis, libens trado. At illi effrenes boum capitibus & lapidum imbribus innocentem ſanguinem effundunt. Statimque unus de primiceriis membris debilis effectus, agnovit in ſemetipſo quod peccavit in Dei electo. *Ejuſdem ſancti viri meminere omnes, quotquot ſciam, Anglicani ſcriptores, qui ejus acta ex Oſberno deſumſerunt. ſi quid de ſancto Elphego in his occurrit ſingulari memoria dignum, illud per modum notularum ad ejus vitam exhibebimus. Hic monere ſufficiat, ſanctum Elphegum concilio Ænhamenſi generali totius Angliæ præfuiſſe, quod ſub Æthelredo rege die ſancto Pentecoſtes habitum fuit. ad quod Regis edicto, non ſolum totius regni Epiſcopi, ſed & alii Optimates convenerant, ubi multa ad diſciplinam eccleſiaſticam recte inſtituendam ſtatuta ſunt, quæ apud Spelmannum tomo I. Conciliorum Angliæ habentur, & in Conciliorum generalium Labbei tomo IX.*

Inter martyres computatus.

3. *Nemo, ut quidem mihi videtur, infitiari poteſt, ſanctum Elphegum inter veros Martyres eſſe recenſendum, poſtquam ſanctus Anſelmus probavit, non minus ipſi quam ſancto Johanni Baptiſtæ martyris titulum deberi. Id fuſius narrat Eadmerus libro* I. *de vita ſancti Anſelmi, cujus verba huc referre viſum eſt; utpote à multis prætermiſſa: quæ tamen maxime ad ſancti hujus Antiſtitis gloriam cedunt: ſic itaque rem narrat.* Erat Lanfrancus adhuc quaſi rudis Anglus, necdumque ſederant animo ejus quædam inſtitutiones, quas repererat in Anglia. Quapropter complures de illis magna fretus ratione, tum quaſdam mutavit ſola auctoritatis ſuæ deliberatione. Itaque dum illarum mutationi intenderet, & Anſelmum unanimem ſcilicet amicum & fratrem ſecum haberet, quadam die familiarius cum eo loquens dixit ei: Angli iſti, inter quos degimus, inſtituerunt ſibi quoſdam quos colerent ſanctos: de quibus cum aliquando qui fuerint, ſecundum quod ipſimet referunt, mente revolvo, de ſanctitatis eorum merito animum à dubietate flectere nequeo. Et ecce unus illorum eſt in ſancta cui nunc, Deo auctore, præſidemus ſede quieſcens, ELFEGUS nomine, vir bonus quidem, & ſuo tempore gradui archiepiſcopatus præſidens ibidem. Hunc non modo inter ſanctos, verum & inter martyres numerant; licet eum non pro confeſſione nominis Chriſti, ſed quia ſe pecunia redimere non voluit, occiſum non negent. Nam cum illum, ut verbis utar Anglorum, æmuli ejus & inimici Dei pagani cepiſſent, & tamen pro reverentia illius ei poteſtatem ſe redimendi conceſſiſſent, immenſam pro hoc ab eo pecuniam expetiverunt; quam quia nullo pacto poterat habere, niſi homines ſuos eorum pecunia ſpoliaret, & nonnullos forſitan inviſæ mendicitati ſubjugaret, elegit vitam perdere, quam eam tali modo cuſtodire. Quid hinc igitur tua fraternitas ſentiat, audire deſidero. Et quidem ille, ſicuti novus Angliæ civis, hæc ſummatim perſtringens Anſelmo propoſuit.

4. Attamen cauſam necis beati Elphegi hiſtorialiter intuentes videmus non illam ſolam; ſed aliam fuiſſe iſta antiquiorem. Denique non ideo tantum quia ſe pecunia redimere noluit, ſed etiam quia paganis perſecutoribus ſuis, civitatem Cantuariam & Eccleſiam Chriſti in ea ſitam concremantibus, civeſque ſuos atroci morte necantibus, chriſtiana libertate obſiſtere, eoſque à ſua infidelitate convertere niſus eſt, ab eis captus & crudeli exanimatione eſt occiſus. Sed Anſelmus, ut vir prudens, viro prudenti juxta interrogationem ſibi propoſitam ſimpliciter ita reſpondit, dicens: Palam eſt quod is, qui ne leve quidem contra Deum peccatum admittat, mori non dubitat, multo maxime mori non dubitaret, priuſquam aliquo gravi peccato Deum exacerbaret. Et re vera gravius peccatum videtur eſſe Chriſtum negare, quam quemlibet terrenum dominum pro redemtione vitæ ſuæ, homines ſuos per ablationem pecuniæ illorum ad modicum gravare; ſed hoc quod minus eſt Elfegus noluit facere. Multo igitur minus Chriſtum negaret, ſi veſana manus eum ad hoc mortem intentando conſtringeret. Unde datur intelligi, miram pectus ejus juſtitiam poſſediſſe, quando vitam ſuam maluit dare, quam ſpreta caritate proximos ſuos ſcandalizare. Quam ob rem longe fuit ab eo illud Væ, quod Dominus minatur ei per quem ſcandalum venit. Nec immerito, ut reor, inter Martyres computatur, qui pro tanta juſtitia mortem ſponte ſuſtinuiſſe veraciter prædicatur. Nam & beatus Johannes Baptiſta, qui præcipuus martyr & veneratur & creditur à tota Dei Eccleſia, non quia Chriſtum negaret, ſed quia veritatem tacere noluit, occiſus eſt. Et quid diſtat inter mori pro juſtitia, & mori pro veritate? Amplius, cum, teſtante ſacro eloquio, ut veſtra paternitas optime novit, Chriſtus & veritas, & juſtitia ſit; qui pro juſtitia & pro veritate moritur, pro Chriſto moritur; qui autem pro Chriſto moritur, Eccleſia teſte, martyr habetur. Beatus vero Elfegus æque pro juſtitia, ut beatus Johannes paſſus eſt pro veritate. Cur ergo magis de unius quam de alterius vero ſanctoque martyrio quiſquam ambigat, cum par cauſa in mortis perpeſſione utrumque detineat?

Non minus quam S. Johannes Baptiſta.

5. Hæc me quidem, reverende Pater, in quantum perſpicere poſſum, rata eſſe ipſa ratio docet; attamen veſtræ prudentiæ eſt, & me ſi aliter ſentit ab hoc corrigendo revocare, & quid potiſſimum in tanta re ſentiendum ſit, Eccleſiæ Dei docendo monſtrare. Ad quod Lanfrancus: Frater, inquit, ſubtilem perſpicaciam, & perſpicacem ſubtilitatem ingenii tui vehementer approbo & veneror, firmaque ratione tua edoctus, beatum Elfegum, ut vere magnum & glorioſum martyrem Chriſti, deinceps me colere & venerari ex corde, gratia

Digitized by Google

Dei juvante, confido: quod ipſe poſtmodum devote exſecutus eſt, quin & hiſtoriam vitæ ac paſſionis ejus diligenti ſtudio fieri præcepit. Quam quidem hiſtoriam non ſolum plano dictamine ad legendum, verum etiam muſico modulamine, &c. *ut ſupra num.* 2. *Hæc Eadmerus in vita ſancti Anſelmi.* ANN. CH. MXII. APR. XIX.

6. *Porro in eadem Danorum perſecutione, Cantuaria à barbaris occupata, multos martyrio affectos fuiſſe non obſcure tradunt Anglicani ſcriptores, ex quibus* Leofronam *abbatiſſam monaſterii ſanctæ Mildrithæ, cum* multis monachis & ſanctimonialibus *commemorat Martyrologium Benedictinum die* 30. *Julii. Legendus ea de re Rogerius de Hoveden ad annum* MXI. *ubi de hac clade multa habet. ſed jam Elphegi vita proferenda eſt.* Alii martyres.

INCIPIT PROLOGUS

OSBERNI MONACHI.

OMNIBUS in fide Chriſti manentibus indignus ſanctæ Cantuarienſis Eccleſiæ Metropolitanæ filius Oſbernus, gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu-Chriſto, & amborum Spiritu-ſancto.

Si cæleſtis ſententia gravem in illum ſanxit vindictam qui acceptam pecuniam ſudario reponere, quam menſæ nummulariorum maluit apponere; nequaquam mihi ſuccenſendum eſſe exiſtimo, ſi hujus ſententiæ periculum devitans, ea quæ de glorioſo Chriſti martyre Elfego ipſe agnovi, aliis quoque agnoſcenda proponam. Erit autem divinæ providentiæ & me veraciter dicentem, & illos ſalubriter audientes ita retributionis ſuæ beneficio donare, ut neque me laborioſæ aliquantulum narrationis, neque illos uſurariæ pœniteat operationis. Illud quoque non mediocriter ad dicendum me invitat, quod eos plerumque torporis accuſamus; qui res quas ſuis quidem temporibus ad honorem Altiſſimi factas noverunt, dictitandi officio ad ſequentes tranſmittere noluerunt. Quorum nos deſidiam, aut certe vituperare non debemus, aut ipſi ea quæ memoratu digna ſcire potuimus, efferre; ne qua in re præcedentes improbamus, in ea à ſubſequentibus multo maxime improbandi videamur. Sane veritatem rerum ita polliceor, ut nulla me ſublato, ſi quis infuerit, ſplendore verborum dicturum profitear, quæ non aut ab his qui viderunt, aut à videntibus audierunt acceperim, & eis fide ſimul & auctoritate plurimum præſtantibus. Quorum quidem vocabula idcirco ſponte refugio, quoniam dicendi primitias barbaricis appellationibus decolorare nolo. Aliqua tamen de his rebus non incommode ſcripta inveni, quorum ſententias exinde aſſumtas præſenti ſcripturæ congruo ordine inſerenda judicavi. Illius itaque freti auxilio, cujus gratuita bonitate ſumus quicquid bene ſumus, cujus largiflua miſeratione ſapimus quicquid bene ſapimus, tangamus pſalterium, tangamus & cytharam, ut in altero ſempiternam Martyris gloriam exultando prædicemus, in altero corporales ejus paſſiones imitando veneremur; ac quemadmodum præcipiente invictiſſimo totius latinitatis magiſtro Lanfranco Archiepiſcopo, Muſica virum modulatione dudum extulimus, ſic cogentibus his quas diximus rationum cauſis, oratoria eumdem narratione extollamus.

INCIPIT VITA.

1. PRINCIPIUM naſcendi à ſplendidiſſimis natalibus trahens Elphegus, magna prudentia, & ſumma humilitate vitam inſtituit. Cujus animi ingenui atque vitæ innocentiam parentes admirati, litterarum eum ſcientia & Chriſtianæ religionis ſapientia imbuendum tradide- Elphegus monaſticam vitam amplectitur.

ANN. CH. MXII. APR. XIX.

runt. Qui totum philoſophiæ ſtudium convertit ad diligendum Deum, illum noſſe, illi parere, illius jugo mancipare ſe ſemper deſiderans. Tactus itaque majeſtatis ſpiritu, paternæ hereditatis negligens, maternum dolorem cum ab ea unice diligeretur obliviſcens, mundum deſeruit, & in monaſterio nomine [a] DERHIRST, religionis habitum ſuſcepit: ubi privata deſideria propriaſque voluntates cœpit abigere, cunctorum famulatui ſubjacere, omnium ſe quaſi quoddam inſtrumentum exhibere, Deum infatigabiliter diligere, jejuniis & vigiliis vacare. Et quidem quibuſcumque potuit, ſtuduit prodeſſe: quibus autem prodeſſe non potuit, ſaltem non obeſſe conatus eſt. Tranſactis autem in monaſtica religione aliquot annis, cum videret tempus adoleſcentiæ præterire, artioris vitæ ſemitam arripere, ſingulareque cum antiquo hoſte certamen inire contendit. Egreſſus itaque de monaſterio, pervenit ad locum * Bathonia [b] vocatum: ubi aqua calida de terra emergens, balnearum uſum pro voluntate præſtat. Ibi habitaculum conſtruens, ſe incluſit, & rigore incredibili corpus ſuum jejuniis & abſtinentia afflixit. Confluebant ad eum in brevi nobiles quique, ſuarum vulnera animarum detegentes, & conſilium ſalutis ab eo perquirentes. Unde factum eſt, ut non parva monachorum turba intra tempus exiguum ibidem congregata ſit.

** Id eſt Balneum.*

Monaſteriū Bathoniæ conſtruit.

Suos ad perfectiora adhortatur.

2. Culpabat autem non modice vir ſanctus illos, qui ſæcularem habitum mutarent, & vitam non mutarent. Annon, inquit, mendacii tibi plenus videtur, qui quod non eſt, eſſe ſe oſtentat, dum aliud ſimulat in veſte, aliud geſtat in corde? Sanctius eſt enim, veſtem non mutare, quam ſub veſte vitam negligere. Cum autem ampliſſima manſione perfecta, ſobrietatis legem diſcipulis indixiſſet, atque carnales appetitus refrenare docuiſſet, ipſe in anguſta domuncula ſe incluſit; ſummas tamen cauſas & negotia ad eum fratres referebant. Plerique interea monachorum fidei & profeſſionis immemores, laxatis obedientiæ frenis, mediis noctibus furtivos cibos edere, ebrietati operam dare, laſcivire, & prorſus quæ inhoneſta ſunt, quantum latens audacia ſinebat, operari cœperunt. In cujus ſceleris capitalem ira Dei deſævit pariter & occidit. Nocte vero quadam Elphego more ſolito ſacras excubias faciente, voces & ſtrepitus intra monaſterium audivit. Egreſſus autem foras, fratrem quemdam miſere afflictum & jacentem vidit, ſuper quem horrendi adſpectus & ſordidiſſimi amictus homines ſtabant, qui taureis eum atque ignitis ſerpentibus flagellabant. Ejulante autem illo, & præ doloris anguſtia diros ululatus emittente, tortores illi talia improperando dixerunt: Nec tu obediſti Deo, nec nos tibi. Et hæc dicentes, animam de corpore excuſſerunt. Quod videns ſanctus, totus in lacrymas reſolutus, rediit ad cellam ſuam. Videntes autem fratres quæ geſta ſunt, errorem ſuum fatentes, & pœnitentiam agentes, vitam in melius commutarunt.

Fit Epiſcopus Vvintonienſis.

3. Mortuo autem Vvintonienſi epiſcopo Ethelvvoldo, facta eſt non modica contentio pro pontificis electione inter monachos & clericos. Siquidem clerici ejuſdem Eccleſiæ ſceleratiſſimam vitam agentes, contra canonum ſtatuta per omnia viventes, cùm à præfato antiſtite ſæpius cor-

a Alias *Diherſt*, ſeu *Derheſte*. Deorhuſtam appellat Beda, cujus tempore inſignis fuit abbatia; Vvillelmi autem Malmeſburienſis ætate nihil aliud erat quam *inane antiquitatis ſimulacrum*, ut ipſemet loquitur libro 2. Pontificum Anglorum §. de Epiſcopis Vvintonienſibus. Situm erat in agro Glocestrenſi. à ſancto Eduardo rege reparatum, & donatum monachis ſancti Dionyſii in Francia. Elphegus ejuſdem cœnobii profeſſus dicitur in charta Henrici VI. regis. Monaſt. Anglic. tomo I.

b Glaſtoniæ priorem fuiſſe, priuſquam abbas fieret, ſcribunt plerique recentiores, quod cum admittere noluerint Bollandiani ex auctoritate Antiquitatum Britannicarum, id ex Hiſtoria Glaſtonienſi quæ habetur tomo I. monaſtici Anglicani probat auctor Angliæ ſacræ tomo 2. Bathoniæ autem monaſterium quod hîc Elphegus excitaſſe dicitur, diverſum videtur à celebri monaſterio ſanctimonialium quod ſæculo VII. exſtructum fuit, ac poſtea ceſſit canonicis ſæcularibus, ubi ſub Edgaro Rege monachi Benedictini degebant. Niſi dicatur illud à barbaris deſtructum à ſancto Elphego reſtauratum fuiſſe; à Danis iterum deſtructum, & iterum reparatum, tandem in cathedralem eccleſiam mutatum eſſe.

Digitized by Google

Ann Ch. MXII. Apr. XIX.

repti pravos mores corrigere nollent, immò quæ pravè geſſerant pertinaci ſpiritu defendere vellent, regali ſanctione decretum fuit eos expelli, & alios, qui digniores eſſent, eorum vice fungi debere. Itaque clericis in exterminium datis, timentes Dominum monachi admittuntur. Ex quo factum eſt, ut in electione Epiſcopi clerici clericum, monachi monachum, utrique ſuæ voluntatis fautorem vellent. Quod videns ſanctus Dunſtanus, ad orationis refugium ſe contulit, Deum, cui futurorum ſcientia patet, ſuppliciter rogans, quatenus dignaretur oſtendere, quis regendæ eccleſiæ idoneus foret. Cumque preces devotè multiplicaret, apparuit ei beatus Andreas Apoſtolus, tali oraculo uſus: Quid, inquit, cariſſime contriſtaris? quid tam lugubres queſtus lacrymando depromis? Surge, & Elphego Abbati manum impone, & Epiſcopum deſolatæ eccleſiæ conſtitue. Nec te aliquorum potentia prohibeat, quoniam non ab homine, ſed à Deo hæc de illo ſententia proceſſit. Ne autem de me te ſollicitum reddam, ego ſum Andreas, Filii Dei Apoſtolus; tuæque ſalutis diligentiſſimum cuſtodem me eſſe noveris. Sicque relevatus Dunſtanus, Elphegum, ut juſſus fuerat, Epiſcopum conſecravit; & ad ſedem ſuam cum honore remiſit.

Virtutes in Epiſcopatu.

4. Elphegus autem ita ſe omnium moribus conformavit, ut & omnibus carus eſſet, & nemo, quod rarum eſt inter homines, ejus gloriæ invideret. Summæ in omnes exſtitit miſericordiæ; in ſeipſum verò impius videbatur & crudelis [a]. In hyemali enim frigore & glacie, cum ſomnus nocte omnes occuparet, ipſe clam nudis pedibus, ſola tunica indutus, de ſtrato ſurgere, foras exire, & uſque ad auroram orationibus vacare conſuevit. Cùm autem pranſurus ad menſam intraret, tam vacuus ferè à menſa ſurrexit, quàm acceſſit. Unde corpus illius tanta attenuatum eſt macie, ut cùm manus cum Sacramento tenſas in altum porrigeret, per medias palmarum juncturas claritas aëris perſpici poſſet. Omni generi hominum ſuum ſcivit contemperare ſermonem & animum. Nullum parochianorum ſuorum publice mendicare permiſit, nec alterius loci pauperem vacuum abire ſivit, immane horrendumque nefas reputans, ſi quod natura commune conſtituit, hoc velit homo ceu proprium uſurpare. Quapropter nec Dominici corporis membrum eſſe, qui pauperum indigentiis nollet ſubvenire, vigilanter diſputabat. Nam ſi patiente uno corporis membro, compatiuntur cetera: manifeſtum eſt ejuſdem corporis membrum non eſſe, quod patiente alio, compaſſionis affectum neſcit habere. Ubi verò illa defecerunt, quæ ex jure eccleſiæ miniſterio pauperum competere potuiſſent, theſauros eccleſiæ, quos ipſe multiplices paraverat, jubet diſtribui: docens ex hoc ornatiſſima quæque eccleſias poſſidere, ut tempore felicitatis ſint honeſtati, tempore verò neceſſitatis ſint utilitati [b].

Eccleſiæ Theſauros pauperibus diſtribuit.

5. Cum autem beatus Dunſtanus obitum ſibi imminere conſpiceret, & Eccleſiam Dei per malorum ſucceſſionem turbari metueret, ſollicitis obſecrationibus aures divinæ miſericordiæ pulſat, quatenus Elphegum ſucceſſorem habere poſſit. Cui ſtatim exaudito, quod poſtulat, promittitur: quamvis non ſtatim quod promiſſum fuerat, adimpletur. Quod ea re dilatum fuiſſe arbitror, ut & omnibus manifeſtum fieret, quantum Deus Dunſtanum diligeret, cui quod viventi tam benignè promiſerat, hoc defuncto longè poſt tam veraciter exhibebat: & Elphegum illa tem-

[a] Addit Vuillelmus Malmeſburienſis libro 2. de Pontificibus Anglorum §. de Vuintonienſibus Epiſcopis, Elfegum carnibus numquam niſi ægrum uſum fuiſſe, noctibuſque ſolum ad amnem procedere ſolitum, ubi ad ilia demerſus in Dei laudibus excubabat, idque ſuis neſcientibus feciſſe.

[b] Mirum eſt hic nihil de Tranſlatione S. Ethelvoldi memorari, cujus tranſlationis auctor Elfegus apud Vuillelmum Malmeſburienſem libro 2. de Pont. Angl. *Anteceſſoris ſui*, inquit, *oſſa extulit anno duodecimo poſt depoſitionem ejus, ſignis quibuſdam & eis non levibus ad audendum perſuaſus.*

Ann. Ch. MXII. Apr. XIX.

pora invenirent, quæ eum ad martyrii gloriam provehere poſſent [a]. Anno autem Domini milleſimo & ſexto; ab adventu Anglorum in Britanniam, quingenteſimo ſeptuageſimo-octavo, Elphegus anno ætatis ſuæ quinquageſimo-ſecundo, Archiepiſcopus Cantuarienſis effectus eſt. Cumque iter verſus Romam pro pallio habendo arriperet, & quoddam opidum hoſpitandi gratia intraret, opidani hominem incognitum videntes, & avaritiæ ſuæ conſulentes, in domum irrumpunt, res ejus diripiunt, eumque omni ſupellectili privatum verbis & verberibus exire compellunt. At ille injurias ſuas leniter ferens, ſuorum verò mediocriter dolens, via qua venit regreditur. Necdum ab opido longè receſſerat, & ecce horrendæ voces mœnia corripiunt, quæ civibus & ædificiis celerem minantur ruinam. Nec mora, vorax flamma opidum conſumere cœpit: cumque ignis vehementer excreſceret, nec evadendi ſpes aliqua fuiſſet, virum ſanctum adeunt, fatentur delictum, & veniam petunt. Mox ſanctus illis compatiens, preces ad Deum fudit, & ignis moleſtia protinus extincta ceſſavit. Reſtitutis ergo epiſcopo rebus ſuis [b], acceptoque à Papa pallio, domum proſpere regreditur. Pudicitiæ virtus tantum dominabatur in eo, ut nemo illo audiente vel obſcœnum aliquod verbum proferre, vel turpe factum referre auderet. Erat vero etiam pauperum conſolator, oppreſſorum relevator, unicum afflictis refugium.

Cantuariam transfertur.

Dani Angliam devaſtant.

6. Per idem tempus Svvanus & Turkillus Danorum principes nonnullam terræ Anglorum maculam, exigentibus eorum peccatis, intulerunt. Svvano tamen terribiliter divinitus occiſo, Turkillus malignæ hereditatis principatum ſortitus, multas Angliæ provincias cæde & incendio vaſtabat. Rex namque Ethelredus imbellis, quia imbecillis, monachum potius quàm militem actione præ ſe ferebat: homines verò regionis divitiis corrupti, voluptatibus obligati; nec quicquam, præter corporis & ſingulare & privatum commodum, honeſtum putabant. Itaque quiſque dum ſibi & rebus ſuis timet, omnes temperant à bello; nemo pro cauſa omnium certamen experiri tentabat: cùm ea de cauſa certandum eſſet, ut quod quiſque ſuum eſſe vellet, pro eo quam ſplendidè pugnaret. In tanto igitur rerum diſcrimine Elphegus hoſtes adire ſolebat, & verbum vitæ eis prædicabat, captivos dato pretio redimebat, & quos fames opprimebat, ſtudioſè alebat. Unde quantum à fideli populo colebatur & venerabatur, tantum ab infideli contemnebatur, & irridebatur. ſed fidelis ille mallens cum domino Beelzebuth, quàm cum Phariſæo Rabbi vocari, non deſtitit operi incœpto operam dare, fideles in fide confortare, infideles ad fidem vocare.

Quibus ſe jungit Edricus regni præfectus.

7. Quemdam autem Edricum rex totius regni præfectum ſtatuerat, hominem humili quidem genere, ſed cui lingua divitias ac nobilitatem comparaverat, callentem ingenio, ſuavem eloquio, & qui mortales omnes tum invidia atque perfidia, tum ſuperbia atque crudelitate ſuperaverat. Hujus igitur fratrem, primo nobilitati Cantuariorum in præſentia Regis gratuitò maledicentem, deinde ea quæ unicuique ex hereditate proveniſſent, violenta dominatione invadentem, eadem nobilitas interfecit, ædeſque ejus ſuccendit. cujus frater à rege ultionem poſtulat; denegat Rex poſtulata, jure fratrem ejus peremtum pronunciat. Præfectus itaque palatium ingreditur, junctis ſecum decem millibus virorum, fratrem occiſum ulciſci conatur. Sed cùm parum proficeret, Danorum auxilia petit, non ad Cantuaritas ſolos debellandos, ſed ad totius

[a] Poſt adminiſtratam ſedem Vvintonienſem per viginti duos annos, quam anno CM. LXXXIV. inierat.

[b] Omittitur hic quod apud Bollandum, & ab aliis auctoribus refertur, nempe quod Romæ exſiſtens cognoverit mortem Kenulfi, ſui in epiſcopatu Vvintonienſi ſucceſſoris, & antea abbatis Burgenſis, qui ſedem Vvintonienſem nummis mercatus fuerat.

Digitized by Google

Ann. Chr. MXII. Apr. XIX.

Britanniæ fines invadendos, regnumque poſt victoriam æqua ſorte dividendum. Sicque fœdus ineunt, dextras dant & accipiunt, ſacramenta exigunt & porrigunt, Cantuariam vaſtare primò deliberant. Quod audiens Elphegus epiſcopus, convocato populo ait: Forti animo eſtote, Deum præ oculis habete, præter eum qui corpus & animam poteſt perdere in gehennam, nihil formidate, humilitatem & patientiam ſervate. Chriſtus enim cùm Deus eſſet, & omnia illi Pater in manus dediſſet, de inimicis ulciſci ſe noluit, ſed gladium Malchi ſanguine cruentum in vaginam recondi juſſit [a].

Cantuariam expugnant.

8. Obſeſſa tandem à Danis civitate per viginti dies, & quicquid ad uſum vitæ cives paraverant exhauſto, mittitur à pontifice qui Danis ſuggerat, ut ab incœpto deſiſtant, populoque innocenti parcant, caveantque ne divinæ correptionis flagello, pro filiorum caſtigatione ad tempus conceſſo, nimis inſolenter abutantur. Sed Dani mandata prætermittentes, turres exſtruere, arietibus murum ferire, igneas faces jacere conſtanter cœperunt. Et ecce vorax flamma per domos ſuccenditur, ac ſæviente auſtro, ſe dilatando diſpergitur. Tunc miſeranda inter cives facta eſt deliberatio, utrumnam deſertis murorum propugnaculis, ad proprias domos convolarent, an iis neglectis, munitioni urbis incumberent. Vicit communem utilitatem privata affectio, filiorum dulcis recordatio, erga tuendam familiam innata commiſeratio. Currunt itaque & rapiunt de mediis flammis conjuges & caros liberos, hoſtili gladio ſtatim feriendos. Et ecce effracta urbe, exercitus ingreditur, terribilis ſonitus ex clamore vocum & clangore tubarum attollitur, adeo ut omnia civitatis fundamenta concuti viderentur. Alii namque ferro jugulati, alii flammis conſumti, plures à muro præcipites dati, nonnulli per verenda ſuſpenſi deficiunt. Matronæ dum theſauros quos non habebant coguntur prodere, capillis per omnes civitatis plateas diſtractæ, ad ultimum flammis injectæ ſunt. Parvuli à matrum uberibus avulſi lanceis confodiuntur, aut ſuper eos ducto plauſtro, minutatim conteruntur. Sanctus autem Elphegus non ferens tantam ſuorum depopulationem, cùm turba monachorum in eccleſiâ circumſeptus eſſet, repente de manibus tenentium elapſus de eccleſiâ evaſit, currenſque ad locum cadaveribus plenum, inter cuneos hoſtium ſe ingerens, exclamavit; &, Parcite, inquit, parcite, & ſi viros vos eſſe cognoſcitis, innocentem ætatem perſequi ceſſate. Non eſt iſta victoria, qua lactentium perimitur innocentia: nec laudi adſcribitur, quicquid in ſimplices & mites bellando admittitur. En me, qui veſtræ impietatis crimina libero ſemper ore caſtigavi: en qui captivos & à vobis multatos pavi, veſtivi, redemi. In me veſtra potius ira deſæviat.

Miſerabilis Cantuariæ ſtatus.

S. Elphegus captivus in carcerem truditur.

9. Mox itaque capitur, & intercepto manibus gutture, vox loquentis præpeditur, vinculis palmæ innectuntur, genæ unguibus diſſecantur, pugnis & calcibus latera tunduntur. Eccleſiam quoque igni comburunt [b], gregem Domini in ore gladii conſumunt, & epiſcopum ſeptem menſibus in arto carcere cuſtodiunt. Interea cœpit ira Dei in homicidam populum adeo deſævire, ut parvo temporis intervallo duobus eorum millibus per diros viſcerum cruciatus proſtratis, cetera quoque multitudo ſimiliter percuſſa, ſimile exitium exſpectaret. Commoniti ſunt autem à fideli populo, ut de peccatis pœniteant, & Pontifici ſatisfaciant. Sed illi differunt, arbitrantes hoc malum à fortuna eis accidiſſe. Prævaluit inte-

[a] Apud Bollandum adjicitur, ſanctum Elphegum ſuos cives epiſcopali benedictione & ſacræ communionis participatione ad hanc obſidionem ſuſtinendam præparaſſe.

[b] Quatuor tantum monachos, ac viros octingentos in tanto excidio mortem evaſiſſe refert auctor apud Bollandum num. 25. quem alii Anglici ſcriptores ſequuntur. Vide Rogerium de Hoveden, qui ait Ailmaro abbati ſancti Auguſtini poteſtatem factam fuiſſe abeundi.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXII. Apr. XIX.

rim clades ſuper omnem carnem, quæ pontifici mortem inferre nitebatur, & nunc denis, nunc vicenis terribili viſcerum dolore capitiſque abſumtis, magnam formidinem viventibus incuſſit. Citato igitur conſilio, mox ad Epiſcopum currunt, & de perpetrato facinore cum lacrymis veniam petunt; & de carcere eum extrahentes, ad publicos populi conſpectus cum honore deducunt; & ait illis Epiſcopus: Etſi veſtra inſatiabilis crudelitas veniam non promeretur, tamen quid nos facere deceat exemplo Domini edocemur, qui cum ſuorum dignatus fuiſſet lavare pedes diſcipulorum, non illum excluſit, à quo ſe tradendum eſſe præſcivit, immò ipſum ſanctiſſimo pane cibavit; Phariſæorum miniſtros potentiæ ſuæ verbo eliſit, confeſtim eoſdem erigendo ſanavit: & quod magnæ bonitatis inſigne eſt, quos quotidie mandatis cæleſtibus pertinaci animo cernit reſiſtere, eos in cælo ſedens adhuc patitur vivere, immo humanis rebus plus quam ceteros præſtare. Quapropter quoniam exemplorum illius devotus cupio imitator exſiſtere, oblitus incendia civitatis, innocentium cædes, oblitus, inquam, quæ in me acta eſt, præteritæ impietatis; ſicut ipſe Patrem pro ſuis crucifixoribus, ita ego pro meis tortoribus ipſum interpellabo. Afferte ergò panem ſtatim vobis reddendum ſalutarem: quatenus ex hoc refecti, & cupitæ ſalutis beneficium adepti, aut gratias Salvatori reddatis, aut ſceleratiores blaſphemi remaneatis. Et dato omnibus pane à ſe benedicto, omnes de exitiali liberavit clade.

Ejus in perſecutores caritas.

10. Cumque ſanitati redditi eſſent, principes quatuor Epiſcopo mittunt: & primo quidem pro impenſo beneficio gratias agunt: deinde ſi vita & libertate velit potiri, tria millia marcarum ut perſolvat, exigunt. Quod cùm ille facere renueret, eum ligaverunt & inauditis tormentorum quæſtionibus die Dominicæ reſurrectionis affligentes, in carcerem retruſerunt. Cumque in omnibus his laudes Deo ageret, ecce apparuit ei ſpiritus malignus in ſpecie angeli, mentiturque de ſupernis ſedibus ſe deſtinatum, quatenus illum ad communem gentis ſalutem de ſqualore carceris educat. Nec vereatur ignavi militis vocabulo notari, cum neque Petro humilior, neque Paulo eſſet robuſtior: quorum alterum ſporta contexit, alterum vero carcerali ſtridore gravatum angelus abſolvit. Chriſtus quoque, ut lapidantium manus effugeret, de templo exivit, ac fugiendi licentiam Evangelico præcepto ſuis mandavit. His ille ſermonibus veluti unguentis delibutus, carcerem egreditur illum ſequens. Pluribus autem aquarum alluvionibus per obſcuras noctis umbras tranſvadatis, repente malignus diſparuit. Tunc ſanctus peſtiferi ductoris machinas intelligens, ex imo pectoris dolorem attraxit, mediis ſe paludibus injectans, cum maximo fletu Salvatorem implorat, dicens: O vitæ dator, ô ſtirpis Adæ unice miſerator, cur ſenem me tua gratia deſtituit, quem in florida ætate numquam deſtituere conſuevit? Tamdiu miſericorditer ſervatum, in extremo pateris perire abjectum! Quoties te in hujus vitæ naufragio Salvatorem inveni? Experiar nunc, quæſo, conſolatorem in hac dæmonis illuſione, adjutor in opportunitatibus, in tribulatione. Carcer à tergo, à fronte flumen, in gyrum tenebræ, auctor earum juxta, Elphegus omnibus ærumnis incluſus. Tibi ſoli derelictus eſt pauper, pupillo tu eris adjutor.

Quam in eum ingrati.

A diabolo illuditur.

11. His & hujuſmodi divinas aures appellare non ceſſat; & ecce apparuit ei juvenis aureo ſplendore amictus, divini ſignaculi vexilla præferens, & dixit: Quo te tui diſtrahunt pedes? quo impetus fugæ? quo ductoris invidia? Siccine itur ad coronam fugiendo certaminis luctam? Aut quomodo poteſt bravio palmæ fulgere, qui currendi metas in ſtudio noluit apprehendere? Cui cum retuliſſet ſacerdos, non ſe fugere, ſed divini

Reducitur ab angelo.

ANN. CHR. MXII. APR. XIX.

divini [a] nuncii imperio paruiſſe. Non hoc, ait ille, divinitatis imperium fuit, ſed diabolicæ malignitatis commentum: nec tam te ille de carcere educere, quam extra carcerem voluit ſeducere. Urget namque illum præteritæ vitæ tuæ pia operatio, & in tantis tribulationibus præſens tibi ſemper ſancti Spiritus conſolatio: cujus præſentia omnibus conſtantiam donat, conſtantia victoriam, victoria gloriam. Redi ergo ad locum amiſſæ coronæ, cælitus tibi deputatum, ſciturus quod te die craſtino Pater honorificabit in cælo, honore illo maximo, ut in æternum ſis cum ejus Filio.

Tortus in carcere viſitatur à Dunſtano.

12. Elphegus igitur ad locum certaminis ab angelo revocatus, lætus exſpectabat horam qua à Deo coronam perciperet. Sed cum prope fuiſſet, ut carcerem jam intraret, comprehenſus à carnificum turba, plagis afficitur maximis: inſuper cerebro capitis violato, ſemivivus in ergaſtulo recluditur; ubi accenſo foco, & quicquid fœtidiſſimum fumum vel generaret, vel generatum foveret, per ſingulas diei horas injecto, carceris januas claudunt. Tranſacta igitur magna noctis parte, cœpit domus cæleſtis gratiæ participium ſuſcipere, æternæ vitæ odoramenta ſpirare, hymnos mellifluis ſanctorum vocibus ſonare. Quos beatus Elphegus intuitus, cum magna cordis lætitia Dunſtanum quondam archiepiſcopum, vultu & veſte glorioſum, conſpicit aſſiſtentem, protenſiſque ad illum manibus ita dicentem: Ad te, æterni Regis invictiſſime miles, ad te noſtro honorandum obſequio venimus, miſſi ab illo, qui tibi & victoriam præſtitit de inimico, & ſempiternam coronam præparavit in cælo. En, quorum collegio poſt mortem carnis in perpetuum frueris, cives Jeruſalem cæleſtis ac domeſtici Dei: ſi ea, quæ deſunt, paſſionum Chriſti amore in carne tua patienter ſuppleveris. Vidimus namque multiplices urbis labores, Eccleſiarum incendia, filiorum neces, tua cum vinculis opprobria, & poſt impenſa beneficia, duplicata tormenta. Quod ergo reliquum eſt, Deitatis potentia vallatus libens excipe, ſciens non eſſe condignas paſſiones hujus temporis ad ſuperventuram gloriam, quæ revelabitur in te. Unus namque dies ad ſupplicium, ſed jugis ac ſempiternus erit ad præmium.

Iterum tortus ſecuri percutitur.

13. Inter hæc laxantur vincula, & integre omnes corporis ſanantur plagæ: Elphegus pſallens cum pſallentibus, exſultans cum exſultantibus incedit. Mane autem facto, cum armatorum manu non parva de carcere educitur, & ſuper jumentum poſitus, ad judicium pertrahitur. Dixerunt autem ei: Solve aurum, aut mundo hodie eris ſpectaculum. Et ille: Aurum vobis divinæ ſapientiæ propono, ut relicta vanitate, quam diligitis, ad unum vivum & verum Deum ſtudium convertatis. Quod ſi conſilium Dei, per me vobis annunciatum, obſtinata mente ſpreveritis, pejori profecto quam Sodoma morte peribitis, nec in hac terra in perpetuum radices agetis. Tunc diaboli ſatellites in illum proſiliunt, averſis ſecuribus dejiciunt, lapidibus eum obruentes. Qui genua flectens, hanc orationem fudit Deo, dicens: * Altiſſime Dei Patris unigenite Jeſu-Chriſte, qui per uterum intactæ Virginis veniſti in hunc mundum peccatores ſalvos facere, & me in pace ſuſcipe, & iſtis miſerere. Et prolapſus in terram, iterumque reſurgens, denuo ſic ait: Paſtor bone, paſtor ſingularis, filios Eccleſiæ, quos tibi moriens commendo, tuere. [b] Accurrens autem quidam, quem & ipſe de ſacro fonte ſuſceperat, ſecurim capiti ejus infixit. Qui ſtatim in æterna pace requieſcens, victorem ſpiritum cum triumpho ter-

* *Bol.* Altiſſimi Patris Unigenite.

a Jam ſuperius Elphegus dicitur inſidias diaboli intellexiſſe, hæc tamen etiam apud Bollandum eodem modo referuntur.

b Id feciſſe dicitur apud Bollandum *impia pietate motus, cum videret Elphegum diutius laborantem in confinio mortis.* Num. 35. vocatur à Rogero & Willelmo Weſtmonaſterienſi *Trun* ſeu *Trum*, eratque Danus.

ANN. CH. MXII. APR. XIX.

tio-decimo Calendas Maii dirigit ad cælum. Principes autem Danorum, cupientes & ſuum facinus, & Elphegi gloriam obſcurare, corpus illius flumini immergi ſtatuunt, rati ſceleris enormitatem eo facilius contegi poſſe, quo magis ab hominibus ejus memoria tolleretur. Sed quòd Dani ad contumeliam, Chriſtus Elphego paravit ad gloriam. Protinus namque omnis populi multitudo, quæ illo docente errorem abjecerat, armata procedit, malens cum defuncto pariter occumbere, quam illud corpus, cujus miniſterio ſanctificationis ſuſceperat myſterium, aquarum voragini tradere abſorbendum. Itaque corpus à diverſo populo ſervatum, nec mergebatur, nec ſepeliebatur. Veſpere autem utriuſque partis ſenatores conveniunt, ut tantæ contentionis litem ſuis rationibus determinent. Factum eſt autem omnium aſſenſu, ut in commune omnes ſanctum depoſcant, quatenus ſi quid valeat apud Deum ſuum, in hoc ambiguo potentiæ ſuæ virtutem oſtendat. Ecce, inquiunt Dani, ramus de fraxino præciſus, ſucco & cortice omnino nudatus: ſi hunc hujus ſanguine intinctum matutina lux virentem invenerit, juſtum nos & ſanctum occidiſſe conſtabit, & quo illum honore ſepeliatis, penes vos erit. Sin autem in priſtina lignum ariditate permanſerit, erraſſe vos in ejus amore dicemus, noſtrique erit arbitrii, quid de cadavere facere velimus.

Miraculis claret.

14. Cumque omnibus conditio grata & accepta fuiſſet, ut omnibus liquido conſtare poſſet, quod poſt mortem Elphegus viveret, aridum lignum ſub unius noctis tempore cœpit frondere, & quod ſero Dani telluri fixerunt, mane ſurgentes florere viderunt. Nihil ergo contradictionis ulterius habentes Dani, certatim in amplexus defuncti ruere, crebra oſcula figere, cervices ſupponere, lacrymas & ejulatus emittere cœperunt. Sublatum ergo corpus humeris inimicorum, ad arborem ejus triumpho inſignem defertur, comitantibus innumeris ſignorum prodigiis, potenti virtute Dei cælitus oſtenſis. Mox enim ſalus languidis innovatur, cæci illuminantur, ſurdi audiunt, muti loquuntur, claudis greſſus reſtituitur. Ibi etiam orationis domo ſuper illum fabricata, plerique Danorum magnates, in eadem regenerati, ad fidem Chriſti convertuntur. Cum autem hæc omnia Londonienſes per ordinem audiviſſent, multa mediante pecunia, corpus uſque Londonias transferentes, honorificè ſepelierunt. Anno autem Domini MXII. adveſperaſcente Sabbato Paſchalis hebdomadæ, ſanctus Elphegus cùm martyrii corona decimo-tertio Calendas Maii, anno Epiſcopatus ſui ſeptimo, & ætatis ſuæ quinquageſimo-nono migravit ad Dominum. In ejus autem mortis auctores in tantum ira Dei deſæviit, ut quidam dux propria ſe * manu interimeret, alius gutturi ſuo ſtylum infigeret: preſbyter pertinaciter crucem abſcondens martyris, gladio occideretur: alius ejuſdem ordinis, ſandalia Epiſcopi temere portans, à dæmone coram omni populo vexaretur. Et factum eſt, ut tam vehemens cunctos Danorum principes formido invaſerit, ut vix eos terræ teneret; ſed maritimis ſe tempeſtatibus dantes, exiſtimarent in pelago Martyris iram effugere poſſe, quos ab ejus ira tellus tueri non poſſet. Sed mox ut in altum perducti fuere, centum ſexaginta naves, adverſis ventorum flatibus actæ, in profundum maris demerſæ ſunt; porro ſexaginta quinque ad ignotas appulſæ regiones, quaſi qui inſidiarum gratia veniſſent, ab incolis miſerabiliter interfecti ſunt. Remanſit tamen in Anglia peſſimus Turkillus, malorum princeps, pauco tempore prædo futurus, ſed in æternum damnati ſpiritus præda manſurus.

Corpus ejus Londonium transfertur.

15. Non parvo tempore evoluto, venit princeps Danorum Canutus cum multo navigio in Angliam, diſſidenſque ab illo propter quaſdam res male

* Is dicitur Haco in Tranſlationis narratione, quam mox exhibituri ſumus.

Digitized by Google

ac perfidioſe actas, quicquid reſiduum nefandi populi fuit, delevit, ipſum Ducem cum ſex tantum navibus in Daniam fugavit. Qui cum ad terram evaſiſſet, ſuſpectus Danorum principibus, ne inteſtina bella moliretur, ſtatim per cuncta regionis loca agitatus, ad extremum ab ignobili vulgo occiſus, feris & avibus projectus eſt. Poſt hæc vero princeps Danorum Canutus, cùm videret populum ſuum ab exercitu Anglorum ſine intermiſſione cædi, & propter rerum difficultatem ad deditionem fere compelli, accerſitis omnibus, qui ad ſe confugerant ſapientioribus Anglis, conſuluit eos, quid cauſæ eſſet, quod tot ſibi adverſa accidiſſent. Qui omnes uno ore reſpondentes, dixerunt: Prophetia eſt ſancti martyris Elphegi: qui cum à patribus tuis fuiſſet circumventus, prædixit eis, quod in regno Anglorum non perpetuo eſſent radices acturi, ſed pejori quam Sodoma morte perituri. Nunc ergo, ſi vis illum tuis temporibus reddere placatum, promitte illi, ſi felix fuerit rerum ſucceſſus, te reliquias illius ad ſedem ejus honorifice reportandas curaturum. Quod cum firmiter promiſiſſet, poſt modicum pacem obtinuit, poſt pacem regni dimidium, poſt dimidium totum. Cumque ab omni bellorum tumultu requies undique data fuiſſet, recordatus eſt Rex, quid beato Elphego quondam promiſiſſet, & directa legatione, vocavit Egelnothum archiepiſcopum: qui corpus martyris decem annis ſepultum, incorruptum & inviolatum reperientes, Cantuariam cum maximo honore deducunt, in ſarcophago veneranter collocantes. ANN. CR. MXII. APR. XIX.

INCIPIT EJUSDEM S. TRANSLATIO.

Auctore eodem Oſberno, ex cod. mſ. Bibliotheca Thuanea.

1. QUIA venerandam beati Martyris ELFEGI paſſionem litteràlibus quondam monimentis applicavimus, placuit etiam voluntati illorum gratiam præſtare, qui quemadmodum ſacratiſſimum corpus ejus de Lundonia Cantuariam tranſlatum ſit, ardentiſſima cupiunt devotione agnoſcere. Et quidem quod tranſlatum ſit in fine paſſionis illius breviter attigimus, ſed modum Tranſlationis minime expoſuimus. Eum ergo nunc exponemus. Præfatio Auctoris.

2. Anno igitur ab Incarnatione Domini noſtri Jeſus Chriſti milleſimo duodecimo, Indictione decima, adveſperaſcente ſabbato Paſchalis hebdomadæ, & inchoante Dominica die Octavarum Paſchæ, tertio-decimo Kalendas Maii,glorioſiſſimus urbis Cantuariæ pontifex Elfegus glorioſiſſima pro ovibus ſimul & cum ovibus ſibi à Deo creditis, paſſione occumbens, immarceſcibilem æternæ gloriæ coronam ſuſcepit, anno Patriarchatus ſui ſeptimo, nativitatis autem quinquageſimo-nono. Cujus venerabile corpus, ſive gratia ſeu pretio à fideli populo receptum, de loco Martyrii ejus ad urbem Lundoniam delatum, & in Eccleſia beati Pauli Apoſtoli cum innumeris coruſcantis gratiæ prodigiis eſt humatum. Mox denique ſalus languidis innovatur, cæcis lumen clare perfunditur, audiendi munus ſurdis tribuitur, recto greſſu claudi incedunt, omnibuſque fideliter petentibus divina promtiſſime beneficia proveniunt. Sed illos, qui mortis ipſius auctores exſtiterant, non ſine terribili vindicta vindex Dei ira tranſire ſinebat.

3. Ut enim pauca de pluribus prolixa breviter attingam, propono Ducem Haconem proprio ſe mucrone tranſverberantem, vatem Matheſeos diſciplinis intentum gutturi ſuo ſtylum infigentem, Preſbyterum collariam Martyris Crucem pertinaciter abſcondentem, ejuſdem Martyris manibus S. Elphegi mortis auctores puniuntur.

Ann. Ch. MXII. Apr. XIX.

occiſum, aliumque ejuſdem Ordinis virum, ſandalia illius temere portantem, à dæmone invaſum; & quo uſque de pedibus ſuis traherentur, coram omni Lundanæ civitatis populo duriſſime vexatum. Ex quibus rebus tam vehemens cunctos Danorum principes formido invaſit, ut vix eos terra teneret; ſed marinis ſe tempeſtatibus dantes exiſtimabant in pelago Martyris iram effugere poſſe, quos ab ejus ira tellus tueri non poſſet. Sed mox ut in altum ſpumantibus remis eductum fuiſſet, centum ſexaginta naves adverſis ventorum flatibus actæ in profundo maris ſummerſæ ſunt; quadraginta vero, itemque viginti quinque ad exteras regiones atque ignotas appulſæ, & quaſi quæ inſidiarum gratia veniſſent, ab eiſdem miſerabiliter interemtæ. Remanſit tamen in Anglia male audax princeps malorum Turchillus, pauco tempore prædo futurus, ſed in æternum damnati ſpiritus præda manſurus. Nam parvo tempore evoluto venit princeps Danorum Cnut cum multo navigio in terram Anglorum, diffidenſque [a] ab illo propter quaſdam res male ac perfide actas, quicquid reſiduum infandi populi eſſe poterat, ſicut tabulæ ſtylo deleri ſolent, delevit; ipſumque Ducem ſex tantum navibus munitum in Danamarcam fugavit. Qui cum ad terram evaſiſſet, ſuſpectus Danorum principibus, ne inteſtina bella moliretur, ſtatim per cuncta illius regionis loca agitatus, ad ultimum ab ignobili vulgo occiſus, feriſque & avibus eſt miſerabiliter projectus. Sic ergo de terra & mari ſublati ſunt, qui virum ſanctum & cum honore nominandum Elfegum Archiepiſcopum occiderunt.

Tranſlationis occaſio.

4. At Princeps Danorum CNUT, cum videret populum ſuum ab exercitu Anglorum ſine intermiſſione diriſſime cædi, & jam fere propter rerum difficultatem ad deditionem ſe compelli; accerſitis omnibus qui ad ſe confugerant ſapientioribus Anglis, conſuluit eos quid cauſæ eſſet, quod tot ſibi adverſa contigiſſent. Qui omnes uno ore reſpondentes dixerunt: Prophetia eſt venerandi martyris Elfegi, qui cum à patribus tuis crudeli interrogatione circumventus fuiſſet, prædixit eis quod in regno Anglorum perpetuo non eſſent radicaturi, ſed pejori quam Sodoma morte perituri. Nunc ergo ſi vis illum tuis temporibus placabilem facere, hujus te pollicitationis fœdere apud illum conſtringe, ut cum felix rerum fuerit ſucceſſio, venerabiles corporis illius reliquias de loco in quo conditæ ſunt tollas, atque ad ſedem Patriarchatus ſui ſervato more antiquorum transferre ſtudeas. Aſſenſit itaque princeps Senatorum conſilio, conſilium ſequitur divinæ propitiationis declaratio. Non poſt multos etenim dies Cnut pacem obtinuit, poſt pacem Regni dimidium, poſt dimidium totum. Cumque ab omni bellorum tumultu requies undique data fuiſſet, recordatus quid beato Elphego quondam promiſiſſet, directa legatione vocavit Agelnotum, qui tunc temporis ſummum in ſancta Dorobernenſi

Fit curante Cnuto rege.

Eccleſia gerebat ſacerdotium, vir ſanctus & bonus, & Regi propterea quod illum ſacro chriſmate liniſſet, valde acceptus. Qui ſabbato vigiliarum Pentecoſtes Lundoniam adveniens, mandavit Regi in balneas forte deſcendenti ſe adeſſe, & quid velit ipſe ſtatuere in eccleſia beati Pauli Apoſtoli exſpectare. Quo ille accepto, ſine mora de lavacro ſurgit, chlamyde ſolummodo nudum corpus obtegit, ſimplices pedibus ſubtalares inducit, ſicque ad Præſulem impigro gradu tendit, mandans omnibus familiæ ſuæ militibus, quos lingua Danorum *Huſcarles* vocant, ut alii eorum per extremas civitatis portas ſeditiones concitent, alii pontem & ripas fluminis armati obſideant, ne exeuntes eos cum corpore ſancti Lundanus populus præpedire valeat.

a MSſ. Angl. *diffidenſque*. Canutus, primum à Danis Angliam infeſtantibus in patris Svvani locum electus eſt, tum defuncto Ethelredo rege etiam ab Anglorum parte rex agnitus; & mortuo tandem anno MXVII. Edmundo rege, ſolus in Anglia regnavit, qui nonniſi poſt aliquot annos Turkillum exſulare coëgit.

Digitized by Google

5. Ingreſſus ergo Rex eccleſiam, amplexatur Archiepiſcopum oſculans illum; ſtatimque obſeratis foribus, lætabunda ſimul ac tremebunda voce ait: Ecce dies quam fecit Dominus, exſultemus & lætemur in ea. Ecce dies de qua locutus eſt Dominus, ut in ea transferatur theſaurus Reliquiarum domni Elphegi de domo hoſpitii ad domum patriarchatus ſui. Ad quod dictum tremefactus ſupra quam dici poteſt ſacerdos, non enim ſciebat cujus rei gratia à Rege vocatus fuiſſet, in magna animi anguſtia dixit: Non tibi imputet omnipotens Deus, domine mi Rex, quod hoc facere voluiſti, & non indicaſti mihi conſilium animi tui, quatenus inſtructior ac per omnia paratior advenirem, ne in medio civitatis hujus tam magnæ occumberem; aut ſi placuit rem tam difficilem incipere, cur ſaltem non adduxiſti viros, qui hujus operis poſſent miniſtri exſiſtere, cum lapis ad monumenti oſtium poſitus tanti ponderis exſiſtat, ut vix à multis boum paribus valeat moveri, ne dum à duobus qui ſoli præſentes adſunt debeat monachis revolvi? Inepta eſt iſta conſideratio, aliud tempus, & aliæ vires conſideranda ſunt. Cui Rex, in Domino plurimum confortatus, ait: In hoc, Pater ſancte, maxime apparebit, quia nobiſcum beatus ille volet tranſire, ſi quod impoſſibile hominibus eſt, ipſe ſua virtute fecerit eſſe poſſibile. Semper enim difficultas miraculum gignere conſuevit. Veſtra igitur ſanctitas Deo ſe in oratione proſternat, monachi ad aperiendum ſepulcri oſtium fidenter accedant; ego valvarum januis oſtiarius incumbam.

Ann. Chr. MXII. Apr. XIX.

6. Itaque petita atque accepta benedictione Pontificis, Monachi, quorum alteri GODRICUS ejuſdem martyris quondam diſcipulus, ac poſt aliquot annos Cantuarienſis eccleſiæ decanus, à quo etiam hæc omnia quæ narramus diligenter perquiſita accepimus: alter vero ELVVARDUS * cognomento Longus, vocabatur, cui datum eſt magno quondam adhæſiſſe DUNSTANO. Hi ergo accepta benedictione arripiunt ferreum, quod è regione ſtabat candelabrum, molientes effractionem ſuperioris ſtructuræ murali opere firmiſſime agglutinatæ; atque ut illi aſſeruerunt qui teſtem aſſertionis ſuæ Deum invocaverunt, vix leviter manus monachi admoverant, dum minores lapides, cæmentum & quicquid operis deſuper eminebat, quaſi arborum folia ſub prima hyeme agitata, cadebant. Cumque ventum fuiſſet ad lapidem patentis monumenti opertorium, flexis genibus ſolo procumbunt, ſuppoſitis humeris eumdem impellunt, moxque in alteram facili motu partem avellunt. Quod revera ſupra quam credibile eſt admirabile fuit, cum, ſicut prædiximus, quem multa boum paria non traherent, eum bini tantummodo monachi levi impulſu lapidem revolverent. Accurrunt ita admiratione perterriti Rex & Archiepiſcopus, lacrymantibus oculis introrſum aſpiciunt, vident organum quondam Spiritus-ſancti ᵃ incorruptum jacere; nec quippiam putris in toto corpore læſionis ineſſe; & computantes ſeriem annorum, comperiunt illum annum eſſe decimum, ex quo idem ſanctus illic conditus fuerat. Exclamat itaque Rex fortiter præ gaudio, taleſque permixtas lacrymis preces effundit. Pater, inquit, ſanctiſſime, ſuper omne delectamentum ſuaviſſime, Pater beatiſſime, ſuper omnes mundi theſauros pretioſiſſime, hujus peccatoris Regis miſerere, nec mihi obſiſtat vel propria indignitas, vel parentum meorum in te contra juſtum & bonum expleta crudelitas. Ego te potentiſſimum æterni Regis fateor amicum, ac deinceps quoad vivam meum conſtituo advocatum. Salva me, ſalva omnes, tu æterna ſalvatione ſalvate, & nobiſcum magnam filiis tuis facturus lætitiam proficiſci dignare.

Sepulcrum à duobus monachis aperitur.

* al. Alfvvardus.

Corpus incorruptum invenitur.

ᵃ Perſeverabat adhuc ſine corruptione corpus ſancti Elphegi tempore Vvillelmi Malmeſburienſis, ut ipſe aſſerit libro 1. de Pontificibus Anglorum, his verbis: *Quod corpus ejus etiam recentis cruoris præferens veſtigia, labem putredinis ad hunc diem ignoraverit, & alias dixi, & populariter tritum non eget inculcari.*

ANN. CH. MXII. APR. XIX.

7. Accedens autem propius ſummus Dei ſacerdos, ut ſuis manibus venerandum corpus tractaret atque levaret, æſtuabat animo, nuſquam tabulam reperiens, cui ſuppoſitum ad navim deferri valeret. Cumque in magna deſperatione dubius ſtaret, animadvertit ligneam corpori tabulam ſubſtratam, ita ad menſuram corporis per longum & latum extenſam, quaſi ad hoc ſolum primi eam conditores ſuppoſuiſſent, ut inde aliquando ſine aliqua difficultate idem ſanctus intacto corpore levari debuiſſet. Læti ergo ac præter ſpem hilares effecti, accipiunt linteum, quod ad obſequium Pontificis miniſter Godricus ſecum detulerat, & in illo ſacro-ſanctos artus cum ſubjacente ligno pariter involvunt. Sed cum aliqua pars corporis adhuc diſcooperta remaneret, cucurrit præfatus monachus ad altare ſancti Pauli apoſtoli, rapienſque ſindonem deſuper jacentem, dimidiam pro ſindone auri libram repoſuit, rapidoque curſu ad obvolvendum quod reſiduum erat rediit. Tum levato in humeris monachorum pretioſo pretioſi corporis theſauro, deſcendunt anguſto itinere per viam quæ ducit ad flumen Tamiſium, proſequentibus illos Rege & Archiepiſcopo, utroque illorum tota animi vigilantia ad Deum intento. Jamque ad flumen appropinquare cœperunt, cum ecce Regia navis, aureis roſtrata draconibus, armigeris repleta militibus, venienti Martyri obvia offertur. Quam citius dictu Rex inſiliens, expanſis brachiis martyrem ſuſcepit, deinde protenſa dextera pontificem induxit. Mox remota altiore navi, ſedebat Rex gubernaculum tenens, navim ad ripam fluminis contrariam dirigens. Videres ergo magnam Dei potentiam obſequio martyris favere, dum hinc pontem & totas fluminis ripas loricatis ſtratas militibus conſpiceres; illinc per extremas urbis portas ſimulatorias ſeditiones excitatas audires; attenderes Regem navem regentem, remigem nobilem remos trahentem, orantem Archiepiſcopum, & ſanctos monachos obſequium præſtantes.

Transfertur.

Regis erga martyrem devotio.

8. Inde confeſtim apprehenſa tellure, primus de navi Rex egreditur, acceptum corpus vehiculo imponit, poſt hæc valida cum manu militum præmittit. ipſe vero cum Archiepiſcopo in ultimo pontis margine ſedebat, quo uſque hi qui præceſſerant, ab urbe longius remoti exſiſterent; timebat namque civium irruptiones. Deinde ſurgens, & liberalibus jocis Archiepiſcopo alludens: Liberatus es, inquit; & meo munere de periculo mortis, de qua te liberari non poſſe arbitrabaris, jam ſecurus ad ſanctum proficiſcere, atque ut noſtris faveat temporibus humiliter deprecare. Ego vobiſcum pariter irem, ſi magnis, ut noſti, regni negotiis occupatus non eſſem. Regina cum filio meo HARDACNUT Cantiam incolit: illi ut vobis cum tota nobilitate occurrat mandabo. Diviſus ergo à Rege Archiepiſcopus, cum ingenti huſcarlium turba præcedentes ſubſequitur Cumque jam ita prope fuiſſet ut à præcedentibus, oculoſque ſemper poſt tergum deflectentibus pulvis in cælum elatus videri potuiſſet, ſuſpicati idem ipſi qui præcedebant cives de civitate egreſſos, mature cum paucis monachos miniſtros, & martyrem præmittunt. Ipſi autem ad vicum *Plunſtede* venientes, obſident anguſta loca, tribus turmis tria prœlia inſtituentes, animum pro amore beati martyris mori paratum habentes. Sed viſo cominus Crucis vexillo, agnoſcunt ſocios quos timebant adverſarios, & majus quam putaverunt gaudium invenerunt.

Elphegus Cantuariæ ſuſcipitur.

9. Sic ergo gradientibus illis, & eadem nocte in villa quæ dicitur *Earhetha* manentibus, occurrit infinita Cantiæ multitudo, equitibus permixti pedites, mulieres viris, ſenibus adoleſcentes, ſinguli per turmas ſuas choros ducentes, cytharas percutientes, & quaſi arcam fœderis Domini in jubilo deducentes. Credas non aliter filios Iſraël concinere, vel cum eos Propheta Dei Moïſes de medio Rubri maris ſiccis pedibus edu-

Digitized by Google

ANN. CH. MXII. APR. XIX.

xiſſet, vel cum arcam Domini de domo Aminadab in civitatem ſuam rex David transferret. At cives Cantuarini, cum audiſſent quod pater vitæ & ſocius mortis eorum adveniſſet, ſicut Jacob propter Joſeph de gravi ſomno quaſi excitati, & præ gaudio in lacrymas reſoluti, obviam proſiliunt lætantes, quod illum poſſent iterum videre, cujus beneficia tam in vita, quam in morte parentes ſui multiplicia ſenſere. Super omnes homines majorem monachi Chriſti eccleſiæ lætitiam gerebant, dum ſollemni ritu templum ornarent, levitica ac ſacerdotalia veſtimenta induerent: hi crebris motibus crepitantia tintinnabula diducerent, illi lucernas, Evangelia, gemmatas in manibus cruces geſtarent, & canoris vocibus ultra longa civitatis pomœria obvii procederent. Inde cum ineffabili totius Cantuarinæ urbis tripudio ſuſceptus, ad eccleſiam non Doctoris gentium ſicut olim, ſed Salvatoris omnium [a], quam vivens ſemper amore coluerat, virtute corroboraverat, pro quâ etiam, & quacum mortem ſuſtinuerat, tranſlatus, in eadem non quaſi noviter conclamatus, ſed quaſi cum Deo in perpetuum vivens honoratus, collocatus eſt.

Locatur in eccleſia S. Salvatoris.

10. Cumque tertius illuceſceret dies, regina Emma cum omni quæ ſecum erat nobilitate advenit, oblatiſque muneribus in diverſis cararum rerum ſpeciebus, benedixit Deo viventi, qui ad honorem & gloriam nominis ſui in tanta magnificentia illum reduxit, quem ad ejus blaſphemiam cum tanto opprobrio inimicus abduxit. Atque ut aliquam filiis idem ſanctiſſimus pater gratiæ ſuæ micam oſtenderet, poſt ſeptem dies muto cuidam reddidit loquelam, aliumque poſt paullum ferro vinctum, confracto ferro reddit ſolutum. Hæc ſunt gaudia feſtivitatis hodiernæ, iſta ſollemnitas diei, quæ idcirco ſtatuta eſt ſingulis annis in eccleſia Cantiæ ſexto Idus Junii celebrari, ut nulla valeat oblivione deleri, quemadmodum beatus martyr Elphegus de alieno ad ſua dignatus fuerit transferri. Et quamvis diem paſſionis illius cum omnibus in commune celebramus, diem tamen tranſlationis ipſius ſoli præ omnibus celebrare debemus. In illo namque unam ac ſimplicem lætandi cauſam habuimus; in iſto autem duplicis lætitiæ dona ſuſcepimus. Ibi illum in cælum ſublatum prædicamus; hic illum in cælo coronatum, & in terra nobis à Deo donatum. Benedictus Dei Filius, qui illum & in cælo coronavit, & nobis in terra propitius donavit, qui cum Patre & Spiritu-ſancto vivit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Claret miraculis.

Tranſlationis feſtum.

EPITAPHIUM S. ELPHEGI.

Morum nobilitas claro generi copulata
  Nititur hunc ſanctum nobilitare virum.
Præſul hic à puero divinis actibus hærens,
  Commutare ſene jus puerile ſtudet.
Ictum ſecuris expertus, gaudia cæli
  Intrat, cum juſtis gaudet habere polum.
Laus immenſa Deo, qui tot tantiſque triumphis
  Conregnaturos ducit ad aſtra ſuos.

a Cathedralis eccleſia Cantuariæ Chriſto erat dicata, in quam à cathedrali Londonienſi, quæ Paulo gaudebat patrono, tranſlatus fuit ſanctus Elfegus.

ANN. CH. MXIII. JAN. IV.

VITA SANCTI LIBENTII ARCHIEPISCOPI BREMENSIS.

Ex ADAMO Bremenſi Hiſtoriæ Eccleſiæ Bremenſis cap. 71. & ſeqq.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Libentius idem ac Lievizo.

1. *LIBENTII vitam ex Adamo Bremenſi mutuamur, cum nemo ejus acta prolixius ediderit. Eumdem laudat non ſemel Dithmarus, ſed cum illum Lievizonem nominet, Cardinali Baronio occaſionem prebuit unum & eumdem virum in duos diſtinguendi. quorum unum Bremenſem, alterum vero Hammaburgenſem archiepiſcopum facit; quamvis certiſſimum ſit jam ex tempore ſancti Anſcharii binas has ſedes in unum epiſcopatum coaluiſſe. Erudito Cardinali favet quidem nominum diverſitas: ſed quis neſciat eo ſaculo ſatis familiare fuiſſe, aut Antiſtitibus mutare nomen, aut à diverſis diverſe unicum nomen flecti? Sed nihil magis hanc noſtram ſententiam confirmat, quam eorum quæ à Dithmaro referuntur, cum iis quæ de Libentio habet Adamus, ac poſt ipſum ceteri auctores, facta collatio. Libentius quippe Adami, & Dithmari Lievizo, Atheldago ſucceſſit, uterque Unvanum habuit ſucceſſorem, & (quod amplius eſt) nihil de Libentio Dithmarus, nihil de Lievizone Adamus profert. Id unum difficultatem movet, quod Lievizo apud Dithmarum* II. *Non. Februarii anno* MXII. *obiiſſe perhibetur: Libentius vero ex omnium conſenſu anno ſequenti, & quidem* II. *Nonas Januarii ſit mortuus. Verum hæc tanti non ſunt, ut rem adeo certam dubiam efficiant. nam primo quod ad annum attinet, Dithmarus nullum eo loci annum peculiarem aſſignaſſe cenſendus eſt, ſiquidem multa ibi congerit, quæ variis annis contigiſſe conſtat. Id etiam Dithmaro accidere potuit, ut unum annum pro altero vel menſem pro menſe poſuerit. Denique hæc annorum diverſitas, quæ difficultatem facit, eadem eſt pro Unvvami electione, ac pro morte Libentii ſeu Lievizonis; cum hic Epiſcopus tum à Dithmaro, tum ab Adamo Libentio ſeu Lievizoni ſucceſſiſſe dicatur.*

Laudatur à Dithmaro.

2. *His itaque præmiſſis, quid de vita Libentii ex Dithmari ſcriptis haberi poſſit afferendum eſt. Ejus patriam, & itineris in ſeptemtrionales plagas occaſionem his verbis exponit libro* IV. Interea Atheldagus archiepiſcopus Bremenſis obiit, & LIEVVIZO ſucceſſit, qui Papam Benedictum exſulem, à patria ſuimet, quæ ſita in confinio Alpium & Suevorum, huc ſecutus, erga dominum & Regem fide, ad hunc honorem promeruit venire. *Refert paullo poſt eumdem Lievvizonem adfuiſſe ſollemni dedicationi Eccleſiæ Halberſtadenſis, quam Hellibardus exſtruxerat:* Adfuit ibi, *inquit*, tunc Rex cum imperatrice Adheleida avia ejus, & abbatiſſa Mechtildis, & archiantiſtites hi * Willigizus, ** Gizilerus, & Lievvizo cum ſuis confratribus ſexdecim. *Hæc Dithmarus libro* IV. *Chronici; at libro 6. de ejuſdem antiſtitis extremo morbo & felici tranſitu agens, adhortationem quam morti proximus ad ſuos habuit refert, quam hic integram adſcribere viſum eſt.*

* *Mogontiæ.* ** *Magdeburgi.*

Morti proximus ſuos adhortatur.

3. Interim LIEVIZO Bremenſis archiepiſcopus, longa infirmitate depreſſus, diem pius ſollicite præſtolabatur ſupremum, & in hac nocte, quæ ultimum præceſſerat diem, conſocios crebris jam defatigatos vigiliis, talibus mulcebat alloquiis: O dulciſſimi fratres & filii, ne quiſquam veſtrum de ſuprema diffidat clementia; & ut labor veſter, nunc paullulum relevetur, de me exemplum vobis admodum credibile profero. Dominum papam BENEDICTUM in his partibus exſulem quæſivi, & ne ad hunc pervenirem, à multis iterantibus ſæpe tardatus, nullis eorum acquievi blanditiis. Huic dum vixit ſtudioſus adhæſi, & poſt exceſſum ejus Etheldago ſeniori meo ſervi vice famulabar. Hoc ipſe conſiderans, pauperes ſuos fidei commiſit meæ. Dehinc camerarius ejuſdem effectus ſum. ſed cum ille pius, quam ſemper optavit, cæleſtem pergeret ad patriam, veſtra electione communi, & munere regali, huic indignus ſuccedebam. Omne quod invicem peccavimus, amore Chriſti ex corde remittamus, ut cum bona pace nunc ſeparati, mereamur in die ultimo iterum ſociari. Hoc in extremis meimet ſalubre vobis conſilium do, ut * ODDONEM, qui fraternitatis veſtræ eſt particeps, communi noſtrorum conſenſu, ad rectorem noſtræ eligatis eccleſiæ, & ad utilitatem patriæ, divinam ſupplicantes pietatem, in cujus manu cor Regis, quatenus id ſibi placite perficiatur.

* *Ottonem.*

4. Talia

Digitized by Google

4. Talia hortantem omnes exaudivere, & ſui benevolentiam, & procurationem unanimiter laudant. Craſtino Dominica dies illuxit, & ille beatus pater ſummo Paſtori gregem ſibi ſubditum manibus elevatis cum ſpiritu committens, II. Non. Februarii defunctus pergit, quo vivens tendit. Fuerat enim unus ex numero eorum, quos ut nubes & quaſi columbas propheta miratur ſuas volare ad feneſtras. Ille enim ob vigiliarum & jejunii aſſiduitatem, dum adhuc valeret, quaſi mortuus ignotis videbatur. Ad altare Dominicum numquam ſine oblationibus acceſſit, aſſiduus populi monitor, & hilaris omnibus arriſit dator. Is erga Dominum promeruit, quod inter continuas piratæ furentis incurſiones ſedes ſua hactenus permanſit intacta. ANN. CH. MXIII. JAN. IV. Obit.

5. *Porro Dithmarus eo loco narrat mortem Lievizonis die Dominica* II. *Nonas Februarii accidiſſe, quod ex eo deſcripſiſſe videtur Chronici Magdeburgenſis ſeu Saxonici auctor ad annum* MXIII. *at manifeſtum eſt errorem irrepſiſſe in hujus auctoris textum; nam quarta Februarii dies nec anno* MXII. *nec* MXIII. *Dominica fuit. anno quippe* MXII. *dies quarta Februarii cum feria ſecunda concurrebat. Si autem Lievizo obiiſſe dicatur anno* MXIII. II. *Non. Januarii, id eſt quarta hujus menſis die, tunc occurret dies Dominica, quam ipſe Dithmarus extremam Lievizoni aſſignavit. Quin & ex ipſiſmet Dithmari verbis evincimus Lievizonem non obiiſſe menſe Februario. Ipſe enim narrat Imperatorem Epiphaniæ feſtum Alſtidi peregiſſe, indeque Merſburgum acceſſiſſe, ubi Lievizonis obitum didicit; ac deinde Magdeburgum veniens, in ea urbe celebravit beatæ Mariæ Purificationis feſtum. qua ipſa die Otto qui in Lievizonis locum electus fuerat, advenit, ut ab Imperatore ſuæ electionis confirmationem obtineret. Mortuus itaque erat Lievizo ante diem Purificationis, immo circa Epiphaniæ feſtum. quæ omnia optime congruunt quarto Januarii diei, quem cum Alberto Stadenſi, auctore vitæ beati Meinverci, Adamo & ceteris auctoribus aſſignavimus. Sed ipſamet referenda ſunt Dithmari verba, quæ proxime ſequuntur ea, quæ ſupra laudavimus.*

6. Interea, *inquit*, Rex de Alſtidi diſcedens, ubi Epiphaniam Domini celebravit, & Boliſlaus nuntios pacem poſcentes, & confirmationem cum Miſecone ejuſdem filio, fieri promittentes audivit, ad Merſeburg venit, & ibidem prædicti Antiſtitis obitum comperit: & hunc queritur ob præſentem fructum, gratulatur autem propter ſubſequentem interventum, recordationem ejus ſummopere faciens. Poſt hæc tranſit à nobis, & Purificationem ſanctæ Domini Genitricis in Magdaburg celebravit, & in ipſa die prædictus Oddo, clericis comitantibus ac laïcis ſupplex venit, & Regis gratiam, ſicut prius, ad completionem electionis per fidos interceſſores poſtulat. Quos Rex nullatenus audit, ſed capellano ſuimet Unuano cum laude advenientium, etſi non ſpontanea, epiſcopatum dedit, Oddonem per manus ſuſcipiens, & promiſſa ſibi pietate demulcens. *Hæc Dithmarus. Porro iſta Unuani promotio, quæ rejecta Ottonis electione Imperatoris auctoritate facta eſt, occaſionem præbuit nonnullis aſſerendi eam ſimoniaca labe infectam fuiſſe. ſed quis id de ſanctiſſimo Imperatore, qualis fuit Henricus, aut de Pontifice, qui tot egregia facinora in epiſcopatu perpetravit, vel ſuſpicabitur?*

7. *Libentium laudant plerique auctores Germani, ac potiſſimum Albertus Crantzius & ceteri qui de ſeptemtrionalibus populis ſcripſerunt, ſed eorum teſtimonia referre viſum non eſt, cum nihil habeant alicujus momenti præter ea, quæ ex Dithmaro & Adamo hic exhibemus. Nec plura dicemus ex Chronographo Magdeburgenſi, qui Dithmari verba ipſa adoptavit. Johannes Trithemius libro* 4. *de viris illuſtribus Ordinis ſancti Benedicti capite* 3. *ſcribit, Libentium ex abbate Hirsfeldenſi creatum fuiſſe archiepiſcopum Bremenſem, ſed unde id acceperit, non habet, nec nobis licet divinare. In codice privilegiorum archiecclesiæ Hammaburgenſis, qui ab Erpoldo Lindenbrogio cum variis ſeptemtrionalibus hiſtoriis editus eſt, duo Imperatorum diplomata occurrunt in Libentii gratiam data. Primum eſt Ottonis III. quo monaſterium Rameſloh Libentio aſſeritur; alterum vero Henrici, quo eidem antiſtiti ejuſque ſucceſſoribus jus cudendæ monetæ, telonei, mercatus aliæque prærogativæ conceduntur. Datum eſt Gibehildehuſen anno Domini* MIII. *regni vero Henrici I. Libentii memoria in faſtis Benedictinis die* 4. *Januarii recolitur. Idem habent nonnulla alia Martyrologia cum Ferrario in Catalogo generali ſanctorum qui in Martyrologio Romano non habentur. Sed jam ejus acta proferre libet.*

Ann. Ch. MXIII. Jan. IV.

INCIPIT VITA.

Libentius fit Archiepiſcopus Bremenſis.

1. ANNO Domini CMLXXXVIII. Adaldagus Archiepiſcopus Bremenſis migravit ad Dominum IV. Cal. Maii Indictione I. ſacerdotii ſui LIV. ſepultus eſt in eccleſia Bremenſi. cui ſuccedens Libentius, ſedet annis XXV. Pallium ſuſcepit à Papa XV. Johanne, virgam epiſcopalem meruit ab Ottone III. [a] primus omnium conſecratus eſt à ſuffraganeis. Erat itaque vir litteratiſſimus, & omni morum probitate decoratus, ab Italiâ quondam Pontificem ſecutus Adaldagum: cujus etiam vitam æmulatus & magiſterium, ſolus ex diſpoſitione tanti Patris dignus inventus eſt, cui Hammaburgenſis cura parochiæ crederetur. Erat enim vir tantæ caſtitatis, ut rarò ſe mulieribus videndum præbuerit; tantæ abſtinentiæ, ut pallida jejuniis ora portaverit; tantæque humilitatis ac caritatis, ut in [b] clauſtro ſicut unus fratrum vixerit. Multæ nimirum virtutes ejus: quippè contentus acquiſitis, rarò curiam adiit pro acquirendis. Domi ſedens quietus, parochiæ ſuæ curam egit diligentiſſimam, totumque ſtudium ad lucra vertens animarum, diſtrictiſſimâ regulâ omnes congregationes ſuas cuſtodivit. Archiepiſcopus etiam per ſe curam egit hoſpitalis, fratribus & infirmis quotidiano miniſtrans obſequio: ipſe quoque vice ſuâ xenodochium nepoti ſuo commendavit Libentio. Dum verò adhuc pax eſſet in Slavania, Tranſalbianos populos frequenter viſitavit, & matrem Hammaburg paterno fovit amore: legationem ſuam ad gentes, ut prædeceſſores ejus, ſtudioſè exſecutus eſt, licet dierum obſtaret malitia.

b Ut ceteri monachi vivit.

SueinusDanorum rex.

2. Quo tempore cùm magnam Chriſtianorum perſecutionem in Daniâ SUEIN rex exercuiſſet; ſupplicibus Archiepiſcopus Legatis, crebriſque muneribus laborabat, quatenus ferocis Regis animum manſuetum redderet Chriſtianis. Quibus ille rejectis, in ſuâ nimirum crudelitate ac perfidiâ ſævire non ceſſavit: unde & ultio divina Regem Deo rebellem eſt ſubſecuta. Nam cùm contra Slavos bellum ſuſciperet, bis captus eſt in Slaviam ductus, toties à Danis ingenti auri pondere eſt redemtus. Nec tamen adhuc ad Deum reverti voluit, quem primò in morte patris offendit, & deinde in nece fidelium irritavit. Et iratus furore Dominus, tradidit eum in manus inimicorum ejus, ut diſceret non blaſphemare. Tunc potentiſſimus Sueonum Rex HERICUS, collecto innumerabili, ſicut arena maris, exercitu, Daniam invadit, & occurrit ei Suein à Deo derelictus, fruſtrà ſperans in idolis ſuis. Sed cùm utrimque bello navali (ſic enim gens illa confligere ſolet) omnes copiæ eſſent Danorum obtritæ, Hericus Rex victor Daniam obtinuit. Suein ergo depulſus à regno, dignam factis ſuis à Deo zelote recepit mercedem. Et hæc junior nobis in avo ſuo Suein recitavit contigiſſe, juſto Dei judicio, quoniam illum dereliquit, quem pater ejus bonum defenſorem habuit.

Ab Herico vincitur.

Piratæ Saxoniam vaſtant.

3. Ferunt eo tempore claſſem piratarum, quos noſtri Aſcomannos vocant, Saxoniæ appulſam, omnia Freſiæ atque Hatulæ vaſtaſſe maritima. Cumque per Albiæ fluminis oſtium aſſcendentes irrumperent provinciam, congregati Saxonum magnates, cum parvum habuiſſent exercitum, egre-

a Archiepiſcopus Hamburgenſis ſeu Bremenſis ſolebat ab Archiepiſcopo Moguntino conſecrari, quod Hammaburgenſis nullus haberet ſuffraganeos; ſed cum poſtea Adaldagus ab Agapeto papa poteſtatem accepiſſet Epiſcopos ordinandi in Dania & aliis regionibus ſeptemtrionalibus, ipſi Hammaburgenſes metropolitani à ſibi ſubjectis Epiſcopis ordinari cœperunt. Vide Adam cap. 50. & 51.

b Eccleſia Hammaburgenſis ſeu Bremenſis, ſicut & aliæ à noſtris fundatæ, eccleſia cathedralis à monachis incolebatur; at paullatim deficiente diſciplina regulari in Bremenſi eccleſia, partim à Canonicis, partim à monachis occupata eſt, donec tandem Unvvanus Libentii ſucceſſor eam omnino Canonicis ſubjecit. Vide Adamum infra cap. 86.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXIII. Jan. IV.

dientes à navibus apud [a] Stadium barbaros exceperunt, quod eſt opportunum Albiæ portus præſidium: magnum & memoriale, minuſque felix erat illud prœlium, in quo viriliter utriſque certantibus, noſtri tandem minores ſunt reperti. Sueones ergo & Dani totam Saxonum obtrivere virtutem. Capti ſunt ibi Sigafridus Marchio, Thiadericus Comes, & alii illuſtres viri, quos vinctis poſt terga manibus, barbari traxerunt ad naves, pedeſque eorum catenâ ſtrinxerunt, totam exinde provinciam impunè deprædantes. Sed cùm ex captivis ſolus Marchio Sigafridus, cujuſdam auxilio piſcatoris furtim noctu ſublatus, evaderet; piratæ mox in furorem verſi, omnes quos in vinculis tenuerunt, meliores ludibrio habentes, manibus pedibuſque truncaverunt, ac nare præciſâ deformantes, ad terram ſemianimes projecerunt. Ex quibus nobiles quidam viri erant, qui poſtea multo ſupervixerunt tempore, opprobrium Imperio, & miſerabile ſpectaculum omni facti populo. Quam videlicet plagam, mox cum exercitu ſupervenientes dux Benno & Sigafridus marchio, vindicarunt, in tantum ut piratæ omnes, quos apud Stadium egreſſos fuiſſe diximus, ab ipſis auxiliante Domino fuerint contriti. Altera verò pars Aſcomannorum, qui per Vvirraham flumen egreſſi Hahele uſque ad [b] Lieſtmonam deprædati ſunt, cum maximâ captivorum multitudine pervenerunt ad paludem, quæ dicitur Glindeſmor, ubi à noſtris qui ponè ſequebantur offenſi, omnes uſque ad unum obtruncati ſunt; quorum numerus erat viginti millia. Quidam enim eques Saxonum ab eis captus, dum eum ducem ſui facerent itineris, in difficiliora eos paludis loca perduxit, in quâ diu fatigati leviter à noſtris ſunt ſuperati, qui Herivvard nomen habens, perenni Saxonum laude celebratur.

Libentius piratas excommunicat.

4. Ex illo nimirum tempore piratarum hoſtiliſque crebra irruptio facta eſt in hanc regionem. Nam & omnes Saxoniæ civitates grandi metu perculſæ fuerant. Tunc & Brema muro muniri cœpit firmiſſimo. Sed & Libentius Archiepiſcopus theſaurum eccleſiæ, omniaque eccleſiaſtica fecit ad Bucceſem deportari Præpoſituram. Tantus itaque timor in finibus hujus parochiæ omnibus erat. Nam & ipſe Pontifex piratas, qui Epiſcopatum vaſtabant, anathemate damnavit. Quorum [c] unus in Norvvegiâ deficiens per annos ſeptuaginta integrò corpore permanſit, uſque ad domini Adalberti tempora Archiepiſcopi, quando Alvvardus Epiſcopus illuc veniens, defunctum vinculo excommunicationis abſolvit, & mox cadaver in cinerem eſt ſolutum.

Sueinus Rex ab omnibus rejicitur.

5. Poſt vindictam ergo ſcelerum, quæ in eccleſias Dei & Chriſtianos commiſerat Suein rex, victus, & à ſuis deſertus, quippe quem Deus deſeruit, errabundus & inops auxilii venit ad Nordmannos, ubi Thrucco tunc filius Hacquini regnavit. Is licet paganus eſſet, nullâ tamen ſuper exſulem motus eſt miſericordiâ. Ita infelix ille, & à toto rejectus orbe, in Angliam transfretavit, fruſtra ſolatium quærens ab inimicis. Eo tempore Adelrad filius Eggaris Britannis imperavit. Is non immemor injuriarum, quas Dani ex antiquo Anglis inflixerant, exſulem repulit. Quem tandem miſeratus infortunii, Rex Scotorum benignè ſuſcepit, eumque per bis ſeptem annos, quibus exſulavit, ſecum detinuit, uſque ad mortem Herici. Hæc parricidæ avi pericula Suein rex nobis attonitis expoſuit. Deinde ad Hericum victorem reflexit narrationem.

a Scriptor incertus hiſtoriæ Bremenſis poſt Adamum, Stadium recenſet inter alia loca, in quibus ſedes epiſcopales inſtituere voluit Albertus Archiepiſcopus anno MLXVIII.

b Ibi etiam Epiſcopatum voluit inſtituere Albertus, ex eodem auctore.

c Refert Crantzius lib. 3. Metropol. cap. 41. hunc fuiſſe ipſorum Ducem, & libro ſequenti cap. 34. ait cùm ſtupente populò cadaver iſtud incorruptum repertum fuiſſet, Adelvvardum Epiſcopum in ſpiritù cognoviſſe talem hominem excommunicatione teneri, ideoque eum abſolviſſe. Ex quo patet veterem eſſe vulgi opinionem hominum excommunicatorum cadavera non corrumpi.

Digitized by Google

ANN. CH. MXIII. JAN. IV.

Poppo Slevicenſis epiſc.

6. Hericus, inquit, duo regna obtinuit, Danorum Sueonumque, & ipſe paganus, Chriſtianis valdè inimicus. Ad quem miſſus Legatus Cæſaris ac Hammaburgenſis Archiepiſcopi POPPO quidam, vir ſanctus & ſapiens, tunc in Sleſvvicenſem ordinatus Epiſcopum, de regno Danorum ſeu pace Chriſtianorum Cæſaris partes expoſtulavit. Quem etiam aiunt pro aſſertione Chriſtianitatis, cùm Barbari ſuo more ſignum quærerent, nil moratum; ſed ſtatim ignitum ferrum manu tuliſſe, & illæſum apparuiſſe. Dumque hoc facilè omnem gentilibus erroris ambiguitatem tollere videretur, iterum ſanctus Dei pro ſubmovendo gentis illius paganiſmo, aliud æquè magnum oſtendit miraculum. Tunicam ſcilicet indutus ceratam, cùm ſtaret in medio populi circo, in nomine Domini præcepit incendi. Ipſe verò, oculis ac manibus in cælum tenſis, liquentes flammas tam patienter ſuſtinuit, ut veſte prorſus ambuſtâ, & in favillam redactâ, hilari & jocundo vultu, nec fumum quidem incendii ſenſiſſe teſtatus ſit. Cujus novitate miraculi, & tunc multa millia per eum crediderunt, & uſque hodie per populos & Eccleſias Danorum celebre Popponis nomen effertur. Hæc aliqui apud Ripam geſta confirmant, alii apud Sliaſvvig.

Veſte ceratâ exuſtâ manet illæſus.

7. Claruit etiam tunc in Daniâ felicis memoriæ ODINKAR ſenior, de quo ſuprà diximus, qui in Finne, Seland, Sconiâ, ac in Suediâ prædicans, multos ad Chriſtianam fidem convertit. Ejus diſcipulus & nepos fuit alter ODINKAR junior, & ipſe nobilis de regio ſemine Danorum, dives agri, adeò ut ex ejus patrimonio epiſcopatum Ripenſem narrent fundatum. Quem dudum Bremæ ſcholis traditum Pontifex Adaldagus manibus ſuis baptizavit, ſuoque nomine ADALDAGUM vocavit. Is ergo à Libentio Archiepiſcopo nunc ordinatus in gentes, apud Ripam ſedem accepit. Nam & illuſtri vitâ, & ſanctæ converſationis, Deo & hominibus acceptus erat, & Chriſtianitatem in Daniâ fortiſſimè defendit. Hos verò comperimus illo tempore claros in eâ regione, aliis, qui adhuc ſupervixerant à diebus Adaldagi, non otioſis. Qui etiam in Norvvegiam progreſſi populum multum Jeſu-Chriſto collegerunt.

Odinkar Sueonum Danorumque Apoſtolus.

8. *Idem Adamus paullò inferiùs cap. 32. lib. 2. hæc habet.* Eodem tempore venerabilis comes HEINRICUS in Roſafeldan fecit præpoſituram, annuente Libentio archiepiſcopo, & eccleſiam conſecrante. Hæc facta ſunt ultimo tempore ſenioris Libentii, ſub duce Bernardo filio Hermanni, qui populum Slavorum graviter afflixit. Quo etiam tempore contentio Bernarii Ferdenſis Epiſcopi de Ramſolâ coram papâ Sergio [a] eſt terminata. Anno igitur Archiepiſcopi XXII. Benno dux Saxonum obiit, & Ludgerus frater ejus, qui cum uxore ſuâ venerabili Emmâ, Bremenſi eccleſiæ plurima bona fecerunt. Apud Magdaburg vero Giſilario archiepiſcopo Daganus ſucceſſit. Deinde Vvalthardus meruit cathedram. Interea Archiepiſcopus noſter de legatione ſua in gentes ſollicitus, plures ordinavit Epiſcopos, quorum nomina & ſedes incertæ ſunt, quia tempus perſecutionis incubuit. Sicut enim patrum relatione cognovimus, Eſico apud Sliaſvvig Popponi ſucceſſit Odinkar, qui apud Ripam inſignis fuit, ut ſuprà diximus. Et ſermo eſt poſt obitum Adaldagi archiepiſcopi, totam

Henricus comes fundat præpoſituram Roſafeldam.

[a] Ramſola locus eſt in epiſcopatu Verdenſi, quò, à barbaris combuſta Hamaburgi civitate, confugerat S. Anſcharius, ibique in prædio ſibi ab Ixia matrona dato conſtruxerat monaſterium, ac corpora SS. Sixti & Sinicii Remenſium epiſcoporum collocarat, unde ſuam luſtrabat diœceſim. Hæc Adam cap. 19. verum poſt multum temporis Bernarius Epiſcopus Verdenſis hunc locum ſuæ diœceſi reſtituere voluit. Re ad ſedem Apoſtolicam delata, Libentius Odonem legatum ſuum Romam miſit; ibique coram Sergio Papa cauſa cecidit Bernarius, atque Ramzola Libentio confirmata eſt in honorem S. Anſcharii, ut ait Crantzius in Metropoli lib. 3. cap. 48. Ibi poſtea Albertus anno MLXVIII. Epiſcopatum voluit erigere. Ceterum poſtquam hoc monaſterium diutius ſub regulari diſciplina viguiſſet, ad ſæculares tranſiit, ut ibidem refert Crantzius. Inter privilegia Bremenſis Eccleſiæ habetur diploma Ottonis III. quo idem monaſterium Eccleſiæ Bremenſi confirmatum fuit.

Digitized by Google

ANN. CH. MXIII. JAN. IV.

regionem Jutland uſque ad noſtram ætatem in duos epiſcopatus bipartitam eſſe, tertio apud Arhuſam deficiente. In Slavaniam verò ordinavit Archiepiſcopus Folcquardum, deinde Reginbertum, quorum priorà Slavaniâ pulſus, in Sueoniam, vel Nordmanniam miſſus eſt ab Archiepiſcopo, qui multos in Domino lucratus, cum gaudio remeavit. Poſt hæc omnibus benè compoſitis, obiit beatus archimandrita Libentius, unaque Ferdenſis Epiſcopus anno Domini M. XIII. Indictione XI. & ſepultus eſt in medio chori, ante gradus ſanctuarii, pridie Nonas Januarii.

ANN. CH. MXIV. MARTII V.

TRANSLATIO S. RIGOMERI CONFESSORIS IN MONASTERIUM MALLEACENSE.

Auctore PETRO monacho Malleacenſi, ſubæquali.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *CUM cœnobio Malleacenſi recens exſtructo Theodelinus abbas præfectus fuiſſet, non modo de rebus temporalibus monaſterio ſuo comparandis, quibus Aquitaniæ Ducum aliorumque virorum nobilium munificentia affluebat, cogitavit; ſed etiam, & de hoc potiſſimum ſollicitus fuit, qua ratione eccleſia ſibi commiſſa ſanctorum reliquiis locupletaretur. Haud dubium quin aliquas ex urbe Romana advexerit, eo in itinere, quod pro immunitatibus ſuæ eccleſiæ aſſerendis ad limina Apoſtolorum ſuſceperat. Sed nihil magis pii abbatis votis favit, quam tranſlatio corporis ſancti Rigomeri, ex urbe Cenomannenſi ad ſuum monaſterium, annitente Hugone ejuſdem loci comite, facta. Hujus tranſlationis acta deſcripſit Petrus Malleacenſis monachus, auctor ſubæqualis, quippe qui opus ſuum de monaſterii Malleacenſis hiſtoria Goderanno ejuſdem loci abbati, qui hanc eccleſiam anno* MLXX. *regebat, nuncupavit. Hanc porro hiſtoriam duos in libellos diſtinctam, quorum poſterior eſt totus de beati Rigomeri tranſlatione, integram edidit Philippus Labbeus tom. 2. Bibliothecæ novæ, ad quam contulimus Acta quæ hîc proferimus ex mſ. cod. monaſterii Floriacenſis, ubi ad calcem habentur ejuſdem ſancti Rigomeri vitæ, quam ipſe Petrus in præfatione operis apud Labbeum editi, ſe* uſque ad calcem correxiſſe *profeſſus eſt.*

Auctor relationis.

2. *Fuit autem monaſterium Malleacenſe, vulgo* Maillezais, *ſub beati Petri patrocinio conſtructum in diœceſi Pictavienſi anno* MX. *à Guillelmo Aquitaniæ Duce, quod poſtea, anno ſcilicet* MCCCXVII. *Johannes* XXII. *ſummus Pontifex in Epiſcopalem ſedem erexit, Gaufrido Povrellio ex ultimo abbate in Epiſcopum creato. Eccleſia vero cathedralis uſque ad ſæculum noſtrum ſub ſtatu monaſtico perſeveravit; ſed ea ſede Rupellam * tranſlata, ſeu potius Rupellenſi epiſcopatui, qui jam ab aliquot annis inſtitutus fuerat, adjuncta, monachi ad novam ſedem tranſmigrantes anno* MXLVIII. *togam ſæcularem induerunt, profeſſionis ſuæ, cujus ſanctitatem non ſatis noverant, pertæſi, exceptis nonnullis, qui totis viribus aliorum conatibus, quantum fas fuit, ſed incaſſum, obſtiterunt.*

Monaſterium Malleacenſe.

* *La Rochelle.*

3. *Ceterum poſt eam tranſlationem, beatus Rigomerus uti ſpecialis Malleacenſium patronus habitus eſt, cujus feſtum ſollemniori ritu deinceps coluere ejus loci monachi. Quo autem anno, vel qua die peracta ſit, in actis diſerte non habetur expreſſum; ſed annum deſignat Chronici Malleacenſis ſeu ſancti Maxentii auctor tom. 2. Bibliothecæ Labbeanæ, his verbis:* Eo tempore Theodelinus abba MXIV. tranſtulit oſſa ſancti Rigomeri preſbyteri à Cenomannico pago, temporibus Fulconis & Hugonis Comitum. *Dies vero ex actis ipſis eruendus eſt. Notat auctor Malleacenſes cum ſancti reliquiis Andegavum adveniſſe eo die, quo feſtum ſancti Albini celebrabatur, ſequenti vero ad monaſterium Burgolienſe perveniſſe, unde poſtea ſacrum iſtud pignus ad cœnobium ſuum detulerunt. Ex quibus verbis conjicimus, beati viri corpus quinta circiter Martii die in monaſterio Malleacenſi fuiſſe receptum. Primo quippe die Martii, quo feſtivitas ſancti Albini recolitur, nonniſi laſſi omnino & defeſſi Andegavum, & ſequenti Burgo-*

Quo tempore Translatio facta.

Digitized by Google

ANN. CH. MXIV. MARTII V. S. Rigomeri cultus.

lium pervenire potuerunt ; quare reliquum iter , quod pluſquam viginti & quinque leucis conſtat , tribus circiter diebus confeciſſe exiſtimamus. Sancti Rigomeri feſtivitas agitur die XXIV. *Auguſti quo obiiſſe creditur. Eodem die recolitur tum in Gallicano Martyrologio , cum in Catalogo generali ſanctorum Philippi Ferrarii. Notat Bondonnetus monachus ſancti Vincentii Cenomannenſis , cum beati Rigomeri reliquiis , etiam beatæ Treneſtinæ ejus diſcipulæ corpus ex eadem urbe in monaſterium Malleacenſe fuiſſe delatum. Utriuſque memoria apud Cenomannos olim fuit celebris , ſub quorum nomine nonnullas eccleſias conſtructas fuiſſe legimus.*

*Maillezay. [a] Monaſterii Malleacenſis fundatio.

1. POST exſtructum monaſterium * Malliacenſe à GUILLELMO [a] Duce Aquitaniæ anno MX. regnante in Gallia ROBERTO, & GISLEBERTO epiſcopatum Pictavienſem occupante & dignè gerente, dum ad propria remeaſſet Abbas THEODELINUS, cauſa interceſſit, qua eum HUGO Cenomanenſis Comes conveniret; ſiquidem imminebant ipſi permaxima negotia, quæ eo inconſulto (diligebat namque illum caritate libera) ſibi timebat nocitura. Cumque ex omnibus quibus eum conſulturum pararat, egregiè accepiſſet reſponſa, demumque ad invicem familiaria alternarent colloquia; inter hæc & illa Comes, ut videtur, Domino inſpirante, Abbatem rogat, utrum ſibi ad tanti operis ſupplementum boni afflueret ubertas, vel an ſe circumcingeret, ut in recentibus ſæpe accidit, rerum tenuitas? At ille : Plurimis, inquit, ſi de temporalibus diſputas, bonorum ad explendum omnium abundo copiis ; ſed quid mihi ex his ſolaminis, dum ſanctorum pignoribus careo ſacro-ſanctis ! Cumque allegantis modo nonnulla replicaret; ſed quoniam mihi tibique orta eſt hinc fabula, venerabile caput tuum deprecor, latiſſimos memoriæ campos percurrendo retracta, ac ſi quid prævales, præbe unde ſitis meæ ardor capiat refrigeria.

Abbas petit à comite Cenomanenſi Reliquias.

2. Ad hæc admodum attonitus Comes, primùm quidem paullulum verba faucibus occludit; deinde : Quoniam, inquit, nequaquam hæc tui tantùm cauſa petere reor, quin potius multorum commodi gratia; &, ut legimus, plus aliorum quam noſtra quærere nos decet opportuna præſidia. Tale quale poſtulas in quadam juris mei eccleſia, theſaurum meorum progenitorum reſervavit induſtria, quo tua obſtrictus dilectione me exſpolio, tibique hunc libere concedo. Fuit ſiquidem Jeſu-Chriſti ſervus, vocabulo RIGOMERUS, cujus miri leguntur actus, & apud nos multis refulget miraculis, cujus forſan nec famam acceperas hactenus. Mecum itaque aliquem arcani fidum cuſtodem, necnon & religione probatum dirigito ; ego autem ejus aſſignatione ad uſque quo inferendus eſt locum, digno in quantum valuero digniſſimo proſequar obſequio.

Ille promittit S. Rigomeri corpus.

3. His auditis quanto vir venerandus tripudiavit gaudio, quamque feſtine ſummo Domino tantique boni largitori multipliciter innumeras impendit gratias, reticeo, quoniam quidem ſummorum oratorum poëmata his ſuccumbere credo. Deligitur tandem communi conſilio frater quidam, & bonitate celeberrimus, & hujuſmodi negotii, ut ferunt, ordinator peritiſſimus, Comitique longe ſub aliûs operis intimatione aſſociatur. At ubi Cenomanicam urbem ingreſſi ſunt, intimat monacho præfatus Comes, ut à ſui conſortio ſe ſubtrahat, & quoquo potuerit, ac ſi eum à ſe pepulerit, hoſpitandi gratia divertat, rebus nocte decoloratis ad ſui ſuaſionem legati ſe quàm celerrime adeat. Hæc verbis, ille factis, haud aliter ſupplevit iſte. Denique ingrediens ille comitatum, familiaribus ſe aliqua ſanctorum loca expetere velle orationis cauſa ſimulat : ſaginarios [b] demum, itemque ſufficientem apparatum, prout longioris viæ ne-

Quomodo Tranſlatio peracta. [b]

[a] De eo Guillelmo, ac monaſterii Malleacenſis conſtructione præter Petri opuſculum, in obſervationibus laudatum, videndus Beſlius, in Hiſtoria Pictavienſi.

[b] Sic à nonnullis auctoribus vocantur equi ad ſarcinas deferendas deſignati, communius tamen, & quidem melius, *Sagmarii* dicuntur, à Græco σάγμα, quod onus ſignificat. Vide Gloſſarium eruditi Cangii.

Digitized by Google

ceſſitas poſtulaſſet, parari officialibus ſub ejuſdem noctis articulo imperat. Finito autem die, cum omnes ſui monitis parendo opportuna pararent, urbs verò eum peregrinari velle opinarentur, rem nimirum ſubſecuturam nec ullus quidem leviſſimè ſuſpicatus eſt. Clam idem Comes, accerſito ſecundùm ſignificatum fœdus fratre, una cum eo eccleſiam ſancti Rigomeri penetrat, cuſtodes quatenus rem occulant jurejurando obligat. Deinde ſuppliciter præmiſſo oratu ad glebam quæ ſanctiſſimum prælibati Patris retinebat corpus appropiat. Poſtremo patefactis ejuſdem glebæ oſtiis, ſacro-ſanctos artus cum indicibili abſtrahens reverentia, in ſcriniis ad hoc opportunis paratis transfert, omnique diligentia ſignat.

4. Cumque hæc agerentur, ſubitò inopina concrepunt tonitrua, denſiſſimaque coruſcant fulgura, licet paullo ante temperies eſſet quàm ſerena. Mox quoque rei procuratores præter Comitem ac monachum, ſeſe hinc ſubtrahentes metu, correpti conclamabant priori debere reſtitui loco ſancto pignora; alioqui nequaquam evaſuros ejuſmodi diſcrimina, quæ idcirco, ut credimus, divina egit potentia, quatenus is qui conabatur transferre, ſolidiori veneraretur & coleretur diligentia. Enimvero paullo poſt ſereno reddito, Chriſto volente, congruè omnibus quæ res flagitabat diſpoſitis, viri eccleſiam egrediuntur, arreptoque itinere, eodem die ad uſque Andegavenſe opidum mira celeritate proficiſcuntur. Et quoniam ipſa eadem die anniverſariæ ſollemnitatis beati Albini epiſcopi Andegavenſis plebs feſta recolebat, Miſſæ adipiſcendæ voto ſancti theſauri bajuli in baſilica ejuſdem ſancti [a] divertunt, ſcrinia deponunt, officium cujus causâ ædem ſacram adierant expetunt. Sed quid tunc novi per exanimata noſtri Rigomeri membra effecerit Arbiter ſupremus, proferendum quam tacendum erit gratius. Ut namque hinc paullulum ludendo canam:

Virtus tecta parum refert, vitiumque ſepultum.

Porro autem dum ſacro ſancta myſteria præſtolarentur viri, & ſcrinia quæ, ut diximus, ſacris erant pignoribus ditata, quodam eccleſiæ loco expoſita haberentur; protinus quidam paralyticus, pæne omnis corporeæ valetudinis expers, portitoris officio illo adfertur, caſuque ſupra prædicta ſcrinia orandi gratia neſcius quid in ſe retinerent, plus ſolito recubans obrigitur, deinde tot incommodi infeſtationibus agitatur, ut ſibi vitalem flatum amiſiſſe videretur. Paullo poſt verò, mirum dictu! ſtupentibus qui aderant omnibus, adeſt inopina ſalus, ac per mortui membra viventi medela diu præſtolata porrigitur.

Tonitrua in ipſa ſacri corporis relevatione.

Andegavis paralyticus ſanatur.

5. Quo patrato, dum plebs, quæ illuc ſollemnizandi venerat cauſâ, una cum meliorato ægro exſultaret pro miraculo in Domini laudibus, nullusque rei certitudinem agnoſceret præter Comitem ac ſocios ejus: ipſi autem timore Fulconis ejuſdem urbis comitis, ad quem attinebat & Cenomanenſis comitatus, de ſancti Rigomeri deportatione, & ab eo collata ægroto ſoſpitate conticerent, penitus illud prodigium beati Albini laudibus magnificè adſcribitur. Verum ſancti theſauri latores moras omnes rumpentes, acceptum iter ſtudioſe perſequentes, ſequenti die cœnobium petiere Burgolienſe [b]. Et quoniam Theodelinum Abbatem illuc ſuſpicabantur, nam ſpoponderat, occurriſſe, atque adventum eorum operiri valde ſollicitè, apparatum quoque nihilominus tantæ rei ſufficientem vigilanter providere, è ſociis aliquem præmittunt ſe adeſſe, itemque cuncta quæ optarant, auctore Domino Chriſto, gnaviter ſed & ultra quàm ſperarant, qui intimaret compleſſe. Quo vir Dei accepto quanto

Sacrum corpus Burgolium defertur.

[a] Ibi illuſtre monaſterium Ordinis noſtri, quod hactenus ſupereſt Congregationi noſtræ ſancti Mauri unitum.

[b] Burgolium abbatia Ordinis noſtri in diœceſi Andegavenſi vulgo, *Bourgueil*, cum opido cognomini.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXIV. Martii V.

lætificatus eſt tripudio, quantoque exhilaratus jubilo, quando id alicujus expediet etiam Rhetoris oratio. Tandem accerſitis ejuſdem cenobii fratribus rem patefecit, atque ut ſeſe ad ſuſceptionem cæleſtis muneris præpararent ſupplex imploravit. Illi verò hæc exſequentes omni ſtudio receperunt, & in eccleſia Burgolienſi quàm decenter expoſuerunt, felices hos pronunciantes, quibus tale Deus dirigebat patrocinium.

6. Interea Pater Theodelinus ipſa eadem hora quodam citiſſimo nuncio totius negotii ſeriem Malliacenſibus fratribus intimavit, quidque ipſis in procinctu exceptionis providendum & procurandum neceſſariò inſtaret, litteris ordinavit. Cujus Malliacenſes nutibus hauſtis legatarios circumquaque emittunt multorum populorum catervas, itemque monachorum & clericorum non minimum cœtum mira agilitate colligunt. Nocte interim illa, qua emigrata ſacro-ſanctæ gazæ Malliacenſi monaſterio erant inferendæ, quidam fratrum in eo quieſcens, Barcinonis* natione, & Tezo nomine, immenſum luminis ſplendorem ab oriente in ſomnis emergere, deinde pedetentim omne cœnobii corpus complere, nec multo poſt innumeram populorum frequentiam undique concurrere, ac mirum neſcio quid ex eodem lumine ſuſpensè exſpectare, itemque quaſi ſubmurmurando promittere, & ipſum quidem hactenus beati Rigomeri latebat adventus. Si autem mortalium ſomniis noſtra conjectura digne porrigitur, videtur haud abſurde non unius tantum illius diei ſollemnem lætitiam, quin potius bonorum omnium affluentiam, ac ægrotantium non ſolum carne ſed etiam animis conſolationem, quam ad beati Rigomeri ſuffragia concurrentibus confert Dominus portendere optatam.

* Barcelonne.

Viſio monachi de S. Rigomeri adventu.

7. Verùm ubi latores ſupradicti unà cum venerabili Theodelino pretioſiſſimam gemmam Malliacenſi inſulæ intulerunt, clamor ingens utrinque oritur, adeſt ſacer conventus fratrum, hinc quoque & inde multiplex frequentia turbarum laudem Domini undique reſonantium: miniſtri necnon cum crucibus & cereis circumſtantibus aliis humeris ovantes ſanctum corpus imponunt, reliqua verò multitudo flexis poplitibus beati Rigomeri cum multis lacrymis oppido licet exoptarent rogitant patrocinium. Tandem ſane ſupplicatione debita completa, antiphonaque impoſita, Malliacenſi inducunt eccleſiæ jam olim à Domino prædeſtinata chariſmata, undique concrepante lætitia. Et quoniam major ejuſdem eccleſiæ crypta infecta adhuc his diebus manebat, in dextro membro componunt omni cum diligentia, quo ſanctæ Dei Genitricis & perpetuæ Virginis habetur ara. De miraculis ſane deinceps per eum ibidem geſtis, quæ tot ac tanta ſunt, ut ea plene referre nullus hominum, ut aiunt ſufficiat, ad præſens quidem tacemus. Si vitam autem Deus dederit aliquantulum longam, qua vel quanta ſeniorum probatiſſimorum aſſertione de his accepimus, ad laudem Domini noſtri Jeſu-Chriſti, qui fecit quæ futura ſunt, exarare noſtris ſcriptis aggrediemur.

SS. Reliquiæ à Malleacenſibus excipiuntur.

VITA

Digitized by Google

VITA S. ADELHEIDIS VIRGINIS
PRIMÆ ABBATISSÆ VILICENSIS IN GERMANIA INFERIORE.
Auctore BERTHA ejuſdem loci ſanctimoniali, & coæquali.

Ex Surio & Februario Bollandiano.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1\. SANCTAM *Adelheidem, ſeu, ut aliqui contracte loquuntur, Aleidem, generis nobilitate, & virtutibus illuſtriſſimam fuiſſe ex ſubjecta ipſius vita certiſſimum eſt. De ejus majoribus, qui primas in Imperio dignitates obtinuere, fuſius agere ad noſtrum inſtitutum non pertinet. Magni tamen ſunt momenti, quæ de his narrantur in ejus vita, cujus auctoritatem ſæpius adhibuit Andreas Cheſnius in ſuis genealogicis operibus, præſertim ubi de domo Luxemburgica agit. Ceterum Megingaudus ac Gerberga, Adelheidis parentes, vitæ ſanctimoniam generis nobilitati ita feliciter conjunxere, ut in ſanctorum faſtis à nonnullis auctoribus meruerint adſcribi. Nec deſunt qui eumdem titulum Godefrido ejus fratri ac Bertradæ ſorori conceſſere. Ex his Hermannus Grevenius Cartuſianus in additionibus ad Uſuardum hæc habet:* Adheleidis & Bertradæ virginum, & Gerbergæ matris earum. *Fuſius de his agit Ægidius Gelenius in faſtis Colonienſibus die* XIX. *Decembris:* Vilicæ in nobili utriuſque ſexus collegio prope à Rheno ad dextrum fluvii latus ex adverſo Bonnenſis opidi, beati Mengoſi vel Megengoſi, fundatoris ibidem, cujus caput ſolebat ante Truchſeſianum bellum inter reliquias oſtentari. *Poſtea alieno charactere:* Item venerabilis Gerbirgæ uxoris Megengoſi, filiæ Godefridi Ducis Franconiæ, & beati Godefridi eorumdem filii hujus nepotis, qui in bello Bohemico defunctus, apud parentes Vilicæ depoſitus eſt à ſorore ſua ſancta Adelheide prima abbatiſſa. *Eoſdem Megingozum & Girbergam beatos bis appellat Aubertus Miræus in Faſtis Belgicis, primum die quinta Februarii ubi de ſancta Adelheide, tum die 9. Decembris, qua ſpecialem Megingoſi memoriam celebrat. Nolim tamen aſſerere eos omnes cultu publico umquam donatos fuiſſe, ſed Megingozi caput, ut modo dicebamus, inter ſacras reliquias diu aſſervatum fuit, & ejus officium reperitur inter alia Ruremundenſis eccleſiæ propria, quæ Henricus Cuquius ejus urbis epiſcopus anno* MDCV. *Coloniæ vulgavit.* Adelheidis parentes.

2\. *Beata Adelheidis vitam ſcripſit* BERTHA, *quam Molanus cum aliis nonnullis* Bertradam *nuncupat. Hæc ſeſe ipſam ſanctimonialem in Vilicenſi cœnobio fuiſſe paſſim declarat; at ex beati Vuolphelmi vita à Conrado coæquali auctore ſcripta diſcimus, hanc ipſam ejuſdem ſancti Vuolphelmi ſororem germanam fuiſſe, cujus elogium paucis his verbis concludit.* Exſtiterat huic beatiſſimo viro, *Vuolphelmo ſcilicet*, frater germanus, Frumoldus nomine, ſorores ſanctimoniales duæ, quarum una Oſvvenda nomine, miræ ſimplicitatis & innocentiæ fuit femina; altera vero, Berta nuncupata, litterarum plurimum emicuit ſcientia. Hæc vitam beatæ Adelheidis primæ Vilecenſis abbatiſſæ, eleganti ſatis admodum ſtylo conſcripſit, & plurimum religionis vel ſcientiæ ſuæ fructum in eodem loco dereliquit. *Beati Vuolphelmi vitam ex qua hæc deſumta ſunt, integram dabimus ad annum* MXCI. *quo è vivis exceſſit. Adelheidis vero vitam quam Berta ſcripſit, ex Bollando proferimus, qui eam ad ſtylum primigenium, à Surio mutatum, ex codice mſ. monaſterii Corſendocani in Brabantia, reſtituit.* Vitæ ſcriptor.

3\. *Tria ſanctimonialium monaſteria Adelheis vita ſua illuſtravit, duo in urbe Colonienſi; primum ſcilicet ſanctarum Urſulæ & ſociarum, alterum beatæ Mariæ in Capitolio, tertium vero Vilicienſe in eadem diœceſi, prope Bonnam electoratus Colonienſis caput. Hæc autem omnia monaſteria à ſanctimonialibus Benedictinis olim incolebantur; ſed illa eccleſiæ, ſicut & alia multa in Germania inferiori & Belgio, in domicellas ſeu canonicas ſæculares jam pridem commutatæ ſunt. Porro notat Johannes Bollandus, Ferrarium alioſque nonnullos Vilicam beatæ Adelheidis male confudiſſe cum altero ejuſdem nominis opido, quod eſt in inferiori diœceſis Colonienſis parte inter Juliacum & Duiſburgum. Eſt enim Vilicenſe monaſterium, de quo agimus, non procul ab urbe Bonna, ad Sigam fluvium, ubi præter abbatiſſam, duodecim circiter habentur canonicæ, omnes genere illuſtres, & quinque canonici. Idem locus primum à Gebhardo Trucſeſio, qui eccleſia* Monaſteria quibus præfuit. Monaſter. Vilicenſe.

ANN. CHR. CIRC MXV. DIES V. FEBR.

Colonienſi: ſedem fidei catholicæ defectione fœdavit, deinde à Suecis igne concrematus eſt, cui reſtaurando Amœna Margarita de Burſcheidt, loci abbatiſſa, multum inſudavit, ut refert Bollandus. At Adelheidis ſepulcrum, quod in eccleſia eadem hodieque viſitur, reliquiis hinc inde diſtractis, vacuum remanſit; pars tamen earum aliqua in monaſterio Canonicorum regularium Bodingenſium aſſervatur, à quibus Vilicenſes partem brachii obtinuere.

Cultus & feſta.

4. *Adelheidis memoriam recolunt Martyrologia Benedictina Arnoldi Vvionis, Benedicti Dorganii & Hugonis Menardi, item Philippus Ferrarius in Catalogo generali ſanctorum die quinta Februarii. Sed præterea Miræus in faſtis Belgicis, Bucelinus in Menologio Benedictino aliique ſcriptores, potiſſimum Germani, exhibent ejus vitæ compendium, deſumtum videlicet ex vita quam ex Bertha proferimus. Mirum tamen videtur quod apud Colonienſes, ne quidem in collegio ſanctæ Urſulæ, ubi monaſticam vitam primum profeſſa eſt, aut in eccleſia beatæ Mariæ in Capitolio cui aliquamdiu præfuit, nulla ejus habeatur memoria. Ejus tamen feſtum ſacris Faſtis Colonienſibus adſcripſit Gelenius ad diem quintam Februarii, utpote quæ non uno titulo in urbe & tota diœceſi cultum meretur. At Vilicenſes tanta erga ſuam ſanctiſſimam matrem devotione affectæ erant, ut non ſolum ſemel, die ſcilicet ejus obitus quinta Februarii, ejus feſtum celebrarent, ſed etiam ipſum ter aut quater in anno repeterent. quod obſervavit Molanus in Natalibus ſanctorum Belgii. Ejus vero die natalis, ac feria tertia poſt Pentecoſten, loci abbatiſſa panes diſtribuere ſolet, quos incolæ ad morbos pecorum expellendos adhibent. Denique haud procul à monaſterio viſitur fons, ſanctæ Adelheidis puteus dictus, cujus aqua hauſtu febres curari ferunt.*

Quo anno obierit.

5. *Supereſt ut aliquid tandem de anno quo pia hæc abbatiſſa è vivis exceſſit dicamus; ſed ea de re vix aliquid certi ſtatui poſſe ultro fatemur. Ejus obitum ad annum circiter* MXV. *poſt Miræum in Faſtis Belgicis refert Johannes Bollandus, ſed nullo alio fundamento nixus, quam quod ante ſanctum Heribertum Colonienſem archiepiſcopum obierit. Verum, certum quidem eſt eam à beato Heriberto è Villicenſi monaſterio, ad Capitolinam eccleſiam ſanctæ Mariæ regendam, evocatam fuiſſe, atque ſanctiſſimo Antiſtite adhuc vivente, fuiſſe mortuam; at quo anno hæc contigerint, vel quot annis eidem monaſterio abbatiſſa præfuerit, difficillimum eſt aſſignare, cum ſanctus Heribertus eccleſiæ Colonienſi ab anno* CMXCIX. *ad annum* MXXI. *præfuerit. Annum tamen* MXV. *cum laudatis auctoribus retinemus, quouſque aliquid certius ab aliquo alio proferatur.*

PROLOGUS.

1. DOMINO N. Archipræſuli venerando, cunctis Chriſti cultoribus pro merito bonitatis amando, pauper, vilis & peccatrix illa indigna vocari ſui ancilla, præſentis vitæ poſt tædia, æternæ beatitudinis præmia. Confortata exemplo Abrahæ patriarchæ, Deum familiari allocutione ſæpius convenire audentis, adjiciam adhuc loqui ad te dominum meum, fidum imitatorem ipſius Dei omnipotentis, humillime clementiam tuam implorans, ut pro ejus nomine, qui innumeris divitum donariis prætulit duo ærea minuta viduæ, æneum hoc opuſculum gratum tuæ dominationi ſit munuſculum: hocque admonearis, ut mei pauperculæ orata implere non obliviſcaris: quatenus pro te intercedente ſancta Virgine, cujus merita hîc habentur deſcripta, omnia tuæ humanæ fragilitatis deleantur delicta. Nos quidem te, præſulum digniſſime, patrem & dominum appellantes, & loco Chriſti pro noſtrarum virium modulo venerantes; ſicut illi dicimus, cujus erga nos vices geris, Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam; ita poſt illum ad tuum honorem referimus, quicquid geſſerimus laude dignum. Cum enim tum ob noſtra, tum aliorum ſubditorum, vel corrigenda vel etiam propulſanda mala, labores ſuſcipias, jure quoque ex iis, quæ Deo adjuvante recte gerimus, honor ad te redit. Sic pius ille Magiſter, cujus es vicarius, ſeorſim quidem diſcipulos ſuos ſtultos & tardos corde ad credendum, vel aliis id genus modis appellabat; at coram reprehenſoribus, qui eos ſpicas vellentes, vel alia ſimilia facientes, carpebant, invicta ratione tuendos ſuſcipiebat. Itaque hinc ego animata, exiguum hoc tuæ dominationi offero munuſculum, ut ſi qua in eo corrigenda ſint, ea piorum virorum opera emendes. Si quis vero, invidentia ſtimulante, illud calumniari velit, inſtar ejus, quem jam diximus, Magiſtri, defendere ne

Digitized by Google

dubites : ut cujus geris vicem, in ejus quoque veſtigiis gnaviter inſiſtas. Porro ſi quis opus emendatione indigens putet eſſe indignum, quod tantæ dignitatis viro munus offeratur, noverit is, tametſi calami magna eſt ruſticitas, non parvam tamen in ipſa materia utilitatem ineſſe : atque ita quod ſtilus impolitus videtur efficere contemtibile, id inſigni pretio materiæ munus effici gratiſſimum. Jejuno quidem ſermone multa præclare geſta proſequimur, puta beatæ matris ADELHEIDIS vitam : quam cum Dominus admiſerit in beatorum conſortium, qui numquam non pro populo Dominum deprecantur, idque ſignis evidentiſſimis declararit ; quibus meritis ad hoc honoris culmen evecta ſit, tibi in primis, deinde etiam Chriſtianis omnibus noſſe profuerit. Unde etiam curandum eſt prudentiæ tuæ, ut ſive hoc noſtro, ſive quovis alio ſtilo, iſthæc ad omnium notitiam perferantur ; ut ſciant omnes, abſque meritis noſtris, Dei benignitate factum eſſe, ne hæc in oblivionem venirent. Pro qua re tu quoque gratias agere debebis Domino Salvatori, qui cum eſſet Deus, homo fieri dignatus eſt, vivens & regnans cum Deo Patre in unitate Spiritus-ſancti per omnia ſæcula ſæculorum, Amen. a

Ann. Chr. circ. MXV. Die V. Febr.

INCIPIT VITA.

2. INCHOATI operis Spiritus-ſancti gratia adſit exordio, qui operatus eſt quidquid boni à quoquam cœptum vel perfectum eſt à mundi exordio : ut hoc etiam opus perficiatur adminiſtratione ſuorum donorum, in quibus conſiſtit initium & finis omnium bonorum. Conſiderata autem noſtræ parvitatis imperitia, trepidamus tanti operis tentare initia : perſpecta vero divini muneris largitate, mens noſtra non formidat ; quia, teſtante Evangelio, *Spiritus ubi vult ſpirat:* quem ut huic calamo adſpirare ſperemus, in ſanctæ matris noſtræ Adelheidis meritis fiduciam habemus : cujus laudabilis vitæ ſeriem litteris commendare conamur, nos humiles ejus ancillæ, orantes ut fomite ſancti Spiritus flammeſcant in nobis naturalis ingenii ſcintillæ. *Johan. 3. 8.*

3. Cum in primis competens videtur, ut ejus ſummæ nobilitatis tangatur genealogia ; quam ipſius nominis prodit etymologia : deinde præſentibus & futuris ad ædificationem, ejus ſanctæ converſationis ſcriptis innovemus memoriam : Deique in ea mirantes virtutem, ipſi referamus gloriam, qui, ut Apoſtolus teſtatur, *omnia in omnibus operatur.* Pater ejus Comes illuſtris, MEGENGOZ cognominatus, ſapientia, nobilitate, divitiis ; exceptoque regimine & prænomine regni, ut rex ſuo tempore magnus inter principes habebatur & nominatus. Mater vero GERBIRG nuncupata, æque illi nobiliſſimo germine propagata, filia exſtitit ducis cujuſdam, nomine GODEFRIDI, tunc temporis magni & incomparabilis viri. Huic enim nobili matronæ fuerunt quatuor fratres, præſtantiſſimi inter univerſos illius temporis primates : quorum unus paterno nomine & honore ſublimatus obiit, heu ! legitimæ uxoris & liberorum jucunditate numquam lætatus. Alter vero donatus poſteritate nobiliſſimæ prolis, atavus fuit Henrici nuper defuncti Imperatoris. Et univerſos perſpicuos Primates, quibus adhuc Teutonica Francia nobilitatur, à duobus reliquis fratribus lineam nobilitatis traxiſſe vero teſtimonio comprobatur. Præfati igitur conjuges Megengoz & Gerbirg, quatuor filias genuerunt ; quarum binas ſpe poſteritatis nuptui tradiderunt : quæ ambæ & maritali potentia, & omnium bonorum & divitiarum illuſtres exſtiterunt affluentia. Ex quibus

1. Cor. 12.

Adelheidis parentes.

a Poſt hunc Prologum, in codice quo Surius uſus eſt, alius erat ad ſacratas virgines directus, quem tamen ipſe brevitatis cauſa omiſit, ſufficere ratus monere quod in eo Berta teſtaretur ſe ea quæ ſcripſerat, ex relatione earum, quæ Adelheidis adhuc viventis doctrina & exemplis inſtitutæ fuerant, didiciſſe. Tum ſe hunc libellum viris doctis examinandum obtuliſſe, à quibus fuerat approbatus.

ANN. CH. CIRC. MXV. DIE V. FEB.

una, nomine Remyntrudis [a], avia erat Henrici magnifici Ducis, & Atelveronis Mettenſis epiſcopi, & Frederici Ducis, fratrumque ſuorum, magnorum ſcilicet hujus temporis virorum. Altera vero, Alverat nominata, ſcilicet ſuæ poſteritatis præclaris incrementis erat donata. Reliquæ vero binæ, Coloniæ nuncupatæ ſunt ſervituti & legi divinæ, una in monaſterio ſanctæ Dei Genitricis Mariæ [b], quæ tanta promovebatur induſtria morum, obſervantia regularis imperii, ut digne conſtitueretur Domina & Mater illius monaſterii.

Fit ſanctimonialis Hieronymitana.

4. Hæc vero, de qua nobis eſt ſermo, in monaſterio ſanctarum Virginum ſubiit ſuave jugum Domini, ſecundum regularem inſtitutionem ſancti Hieronymi. In qua dulcis præſignabat infantia; quantæ probitatis futura ætas exornanda eſſet præſtantia. Nondum enim tranſſcenſis annis puellaribus, cœpit devotè verſari in prophetiæ laribus: cujus inſtitutione poſtquam ſe cognovit animal rationale, pervigili ſtudio laborabat refici ſapientiæ ſale, quod Dominus, qui non improperando dat omnibus affluenter, fieri permiſit, quia in poſterum hoc multis profuturum prævidit. Tali namque nutrita alimento, tantæ probitatis & virtutis cœpit creſcere incremento, ut annos adoleſcentiæ morum gravitate tranſſcenderet, illamque ſenectutem actu & habitu in ſe præcederet, quæ, ut habetur in ſcriptis, talibus Prophetæ commendatur dictis: *Senectus venerabilis, nec diuturna, neque numero annorum computata.* (*Sap. 4. 8.*)

Fratre ejus occiſo in Bohemica expeditione.

5. Interim cum Godefridus frater ejus proceſſiſſet in robur virile, eſſetque elegantiæ ac ſtrenuitatis miræ, Imperatorem [c] Bohemos cum exercitu adeuntem eſt comitatus, honorifica ſuorum militia, omnique bellico apparatu heriliter ſtipatus: ubi factus belligerator inſignis & fortis, meruit accipere victoriam glorioſæ mortis: cujus cadaver à ſuis, licet multo laboris ſudore, tamen ad patriam, Deo gratias, reductum eſt cum honore. Hac namque adverſa præfati conjuges tacti fortuna, recordati ſunt, quod, teſte Apoſtolo, præterit hujus mundi figura, cœperuntque uti mundo tamquam non utentes, toto deſiderio ad cæleſtem patriam tendentes, quam carentem fine ſcierunt numquam poſſe interire. Omnium igitur rerum, quæ huic filio defuncto rectæ diſtributionis ſorte ceciderunt, Deum fecerunt heredem; ut meliori compenſatione hereditatem meruiſſet in paradiſo deliciarum, id eſt, parte qua matura morte præventus caruit in hac valle lacrymarum. Tunc in loco qui Vilika dicitur, templum honorabile Domino erexit à fundamentis, illud decenter prædiorum vel mancipiorum cumulans ſupplementis. Amboque incolumes & ſani decreverunt, propter Chriſtum disjungi à lege conjugali: quibus tam meliori ſpiritus conjunctioni, & æquali cœpti operis colligatis cura, erat cor unum & anima una. Ille etiam propter frequentiam ſuorum & exterorum, qui illi ut Regi ſemper ingruebant, quaſi ſpecie tenus mundo inſerviebat, prædia ſua luſtrando & præſidendo, Chriſtique gratia mediante omnia prudenter & juſte diſponendo. Si quando vero populo paullulum remoto, aliqua quietis invenit otia, hæc vertere ſtuduit in honeſta negotia, allocutione uſus Capellanorum, ut per eos Teutonice exponerentur lectiones voluminum divinorum: quas ideo tam ardenter audire expetivit, quia præceptum Jacobi apoſtoli factis implere concupivit: *Eſtote factores verbi, & non auditores tantum.* (*Jac. 1. 22.*) Illa vero illuſtris matrona, prorſus à multitudine populi ſemota, ſtabilis manſit in loco ædificandi monaſterii, accelerans opus ſtruc-

Parentes monaſteriū ædificant.

a Harum genealogiarum ſeriem videſis apud Andream Cheſnium, præcipue ubi agit de Lucemburgenſi familia.

b Ea eſt beatæ Mariæ eccleſia in Capitolio dicta, cui poſtea, vel invita, præfuit beata Adelheidis.

c Incertum quo id anno contigerit. Teſtis eſt Lambertus Scafnaburgenſis Ottonem III. Bohemiam devaſtaviſſe anno 986. eamque ſequenti anno ſibi ſubjeciſſe in altera expeditione.

Digitized by Google

turæ inſtantia prudentis magiſterii, ſemperque intenta ſervituti divinæ, jejuniis & orationibus invigilabat nocte ac die. Hæc enim faciendo non eſt dubium quin præcelleret viduas illas, quas merito continentiæ Apoſtolus appellat veras, quæ poſt mariti mortem faciunt ex neceſſitate virtutem: quam & hæc fecit non defuncti mariti neceſſitate coacta, ſed divini amoris igne intrinſecus tacta. *Ann. Chr. circ. MXVI. die V. Febr.*

6. Tunc in prædicto loco adunata Virginum ſedulitate, à quibus divina excolerentur ſervitia; filiam à monaſterio ſanctarum Virginum redimentes prædiis, tradiderunt illi curam regiminis. Tunc namque prudens diſpenſatrix conſtituta in magni Patris-familias domo, cœpit augeri omni ſtudio, & opere bono; maternamque ſubditis adhibens curam, fideliter in tempore ſuo erogavit tritici menſuram. Tunc exultabant in Domino pii parentes, tantum ſuæ prolis ſibique ſubditarum Virginum profectum videntes: cupienteſque eas adhuc excellentiorem arripere viam, rogabant ut mutato habitu, monachicæ converſationis ſubirent vitam. Hæc, quia adhuc juvenis cultum veſtium ſuæ religioni congruentium, ut ipſa aſſeruit, multum concupivit, humili reſponſione illorum petitioni contraivit, affirmans Deum non quærere coacta ſervitia, ſed quod voluntarii cordis ſimplex affert munditia. Cujus humile reſponſum attendentes, ſalva pietate, animum revocabant ab incepta voluntate. Tunc rebus ſatis decenter ornatis illum locum tradiderunt manu Imperatoris, tertii ſcilicet Ottonis, ad perpetuam tutelam regiæ defenſionis. Qui gratia earum dilectionis, illum locum abſolvit ab omni jugo ſæcularis diſtrictionis, donans libertati, ſecundum legem & conſtitutionem monaſteriorum Ganderesheim [a], Quedelenburg, Aſnithæ; ita ſcilicet, ut nullus Judex vel Advocatus inde umquam exigeret ſervitium, aut in ejuſdem loci confiniis ageret placitum, niſi quantum placuiſſet Abbatiſſæ vel congregationi ſibi commiſſæ: & ut in perpetuum libera frueretur poteſtate Abbatiſſam ſibi eligere in ipſa ſororum ſancta ſodalitate. Cujus libertatis donatio, ut in perpetuum rata foret & firma, dabantur teſtamenta Domini Apoſtolici, & duorum Imperatorum, ſcilicet Ottonis & Henrici, manuſcriptione ac ſigilli impreſſione confirmata: quæ adhuc apud nos retinentur cuſtodia fideli, ne poſteros lateat veritas hujus rei. *Cui Adhelais præficitur.*

7. Et non multo poſt domina Gerburg, perſeverantia Catholicæ fidei omniumque bonorum operum, Domino veniente vigilans inventa, ipſo vocante, eſt rebus humanis exemta, nimirum donanda illius beatitudinis præmio, quod vigilanti ſervo Dominus promittit in Evangelio. Tunc matre orbata beatiſſima proles, ad Deum, quem à primæva ætate dilexit, ardentius ſuos convertit mores: & quod utroque parenti de mutando habitu prius contradixit, tunc ſtatuens ante oculos mentis, ſalubri compunctione tacta eſt gratia Dei omnipotentis, & qualiter ad monaſticam religionem pervenire poſſet, ſecum reputabat omnibus momentis. Sapientia vero, quæ in mente ſua habitationem fixit, ne hoc tam ſubito inchoaret interdixit; monens ut neceſſarios virium ſumtus computaret in ſecreto mentis, ſi forte ſufficere poſſet ad ſubeundam Regulam beati Benedicti, ne iis deficientibus caderet in opprobrium Evangelici dicti: *Hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare.* Nam quotidianæ refectionis hora, ſpretis carnibus ceteriſque variis & exquiſitis alimentis, monachilis edulii tantum contenta eſt alimentis; inſciis tamen cunctis circumſedentibus, *Matre mortua, Benedictinam regulâ amplectitur.* *Luc. 12.* *Luc. 14. 30.*

[a] De monaſterio Ganderesheim plura dicenda erunt in vita ſancti Godehardi epiſcopi Hildeshei menſis infra ad annum 1038. ſitum eſt in ducatu Brunſvicenſi, nuncque à Lutheranis poſſidetur. Quindeliburgum eſt in Saxonia ad amnem Budam. Aſnithenſe vero, quod nunc Eſſendia, ſeu *Eſſen* vulgo appellatur, urbs eſt Weſtphaliæ, in qua monaſterium eſt Canonicarum, quarum abbatiſſa urbi & territorio vicino dominatur.

Ann. Ch. circ. MXV. Die V. Feb.

excepta una ſororum, quam bonæ converſationis merito probatam, conſciam habuit ſecretorum. Lineis etiam indumentis foris nitebat ad oculos hominum, ſubtus autem laneæ veſtis aſperitate ſe afflixit propter Deum, edomans corpus nobilis & mollis naturæ ad ſufferendam inſtitutionem legis duræ. Cum enim neceſſarios virium ſumtus per unum annum ita laborans computaret, eoſque ad peragendum laborem inchoati operis ſufficere ſperaret, tamen non ſuis confiſa meritis, ſed gratia Dei, diu deliberatum animi votum confirmavit effectibus rei.

Suas ad idem præſtandum adducit.

8. Tunc vocata venerabili Abbatiſſa, & prioribus de ſancto Dei-Genitricis monaſterio [a], humili devotione illarum ſeſe ſubdidit magiſterio; ut per illarum doctrinam monachicæ converſationis inveniret viam; ſuadens ſubjectis materna pietate, ut hanc eamdem non dubitarent ſecum intrare. Hoc quibuſdam illarum nolentibus, ſed retro poſt ſæculum abeuntibus, illa vehementer condoluit, quia more Apoſtoli omnes ſicut ſeipſam eſſe voluit. Has autem, quas Dei ſuique caritas ne abirent, irretivit, tam mirando ſalutis exemplo præivit, ut quamvis ceteris præeſſet nomine & dignitate magiſterii, ſemetipſam tamen omnibus ſtrinxiſſet, omni difficultate regularis imperii: & alias, ne forte corruiſſent, jejunando & orando, ſuſtentare curavit, ne creſcentis ſanctæ religionis ſuffocarent initia. Nam & maternam ſervans in corde caritatem, & foras exercens judicii ſeveritatem, materno affectu flagella exteriori exhibuit homini, ut ſpiritus ſalvus fieret in die Domini; zelum autem rectitudinis ſemper temperare curavit ſpiritu manſuetudinis; quia illud ſua recoluit paternitas, quod juſtitia, ſi modum excedit, ſit ſeveritas. Sæpe enim correctione peracta, ut mater clementiſſima, compaſſione pia in animo tacta; ſic allocuta eſt provectæ ætatis ſorores, quas ſui alloquio dignas ſancta religio & compoſiti effecerant mores: O quanta miſeratione moveor ſupra filias meas, quia gravi flagello afflixi eas! Ob quod rogo & admoneo, ut veſtrarum piæ admonitiones vel conſolationes illis exhibeantur, ne forte abundantiori triſtitia abſorbeantur; quin potius à pravitate correctæ, Dei meæque filiæ efficiantur electæ. O quam ſuavia verba & benigna, æterna memoria non immerito digna! Sic ſic miſcens temporibus tempora, terroribus blandimenta, duris & obſtinatis ſecundum Apoſtoli præceptum, increpando, obſecrando, arguendo, tamdiu inſtabat, quouſque animas illarum à peſte vitiorum ſanabat.

Pater ejus pie obit.

9. Dominus itaque Megengoz poſt obitum conjugis ſupervixit trium annorum ſpatia, ad cæleſtia tendens, ſapientia & juſtitia duce, Domino vocante, in loco qui *Gelrie* [b] dicitur; migravit ad Dominum ex hac luce, ab eo coronandus procul dubio. Eadem verò nocte ſui obitus beatæ filiæ ſuæ in ſtratu quieſcenti, ut ipſa aſſeruit, nec aperte vigilanti, nec integre dormienti, viſus eſt quidam adſtitiſſe, ejuſque auribus dulciter cantando hæc verba prophetica fudiſſe: *Ecce quomodo moritur juſtus, & nemo percipit corde. Viri juſti tolluntur, &c.* Cumque facto mane hanc viſionem ſororibus veniſſet nuntiare; nondum completo ſermone, nuntius ſuperveniens, eum ex hoc ſæculo migraſſe nuntiavit. Cujus exſequiis à filia peractis, ſtudio religioſi apparatus, in proprio monaſterio una cum conjuge eſt honorificæ ſepulturæ mandatus: qui poſtmodum in ſomnis apparuit cuidam ſororum illius monaſterii, quaſi glorificatus potentia & decore regalis imperii. Quem cum diutius intuita miraretur, & an ipſe eſſet dominus Megengoz percunctaretur; ille reſponſione tali hilariter cœpit illam af-

[a] Non aliud videtur eſſe iſtud monaſterium ab eo, cui, ſupra vidimus, Adelheidis ſororem præfectam fuiſſe, ſanctæ Mariæ ſcilicet in Capitolio apud Coloniam, ubi tunc diſciplina regularis vigebat.

[b] Ex hac urbe nomen accepit tota Provincia Gelriæ, ducatus titulo inſignis, quæ nunc locum obtinet inter ſeptem confœderatas.

Digitized by Google

fari: Hoc nomen mihi erat adhuc corporali mole gravato, nunc vero Megengaudus * vocor vocabulo in melius mutato, quia abſolutus vinculis peccatorum, gaudio perenni fruor in conſortio Patriarcharum & omnium Beatorum.

ANN. CH. CIRC. MXV. DIE V. FEB.

* *Sur.* Megengaudius.

Adheleidis erga ſuas ſollicitudo.

10. Tunc nobiliſſima Virgo, defuncto patre, libera rerum ſuarum potita facultate, ſummo niſu cavebat, ne aliqua occaſione neceſſitudinis obſtaculum fieret iis incedentibus ſemitas rectitudinis, memorque præceptorum ſancti Benedicti pii Patris, factis implevit nomen vel officium Matris; quæque neceſſaria victus & veſtitus voluntarie præbens iis, ne forte in aliquo paterentur detrimenta greges. Hyemis tempore, matutinorum officio completo, dormitorium repetens cum ordine ſororum, lectulos puellarum viſu diligenter luſtravit, pedes ſingularum, donec calori redderentur, piis ipſa manibus fricavit. Nam & infirmas ſorores ſecundum præcepta Regulæ non ſolum prudentibus & ſollicitis ſororibus commiſit, ſed & ipſa, nulla cauſa intercipiente, quotidie reviſit, & ante lectulos humiliter genua flectens, manibus capita clementer erexit, ciboſque ac potus dulciter ad os porrexit: & tam largiter fletibus nobiles perfudit maxillas, ac ſi ex proprio utero genuiſſet illas. Hujuſmodi vigilantia paſtoris à ſæcularibus curis oves expeditæ, tantis excreverunt profectibus regularis vitæ, ut iis fierent virtutis exemplum, quæ prius in eis hujus religionis poſuerunt fundamentum.

Pauperum cura.

Matth. 6. 33.

11. Cum igitur adjuvante Domino tam decenter ordinaſſet interiora; neceſſarioque mentem extendiſſet ad exteriora, memor Dominicæ exhortationis, ſcilicet, *Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis*; regnum Dei quæſivit cum ipſis exterioribus, fidem ſpemque habens de recipiendis majoribus. Nam ex poſſeſſionibus monaſterii curtem unam Domino ſingulariter delegavit, ex cujus annuis fructibus vel redditibus quindecim pauperes veſtiri & cibari perpetuis temporibus mandavit: quibus & annuatim, inſtante Dominico Natali, quindecim ſolidos ſtatuerat dari. Alios etiam quindecim paſcendos inſtituit ex interioribus ſumtibus monaſterii, quibus annuo tempore quadrageſimali præſcriptam pretii commutationem dari, & per annum in feſtivitatibus Apoſtolorum duodecim ſolidos, & in ſingulis diebus jejunii quatuor temporum tres tantum nummos cum plena ceterarum rerum erogatione. De hac conſtitutione convenit ſæpe unanimitatem ſororum, ne umquam ſolvi paterentur temporibus ſui ſucceſſarum; veraciter illis prædicens, ſi quando hujuſmodi conſtitutionis fieret infirmatio, ut uſque felicitatis procul dubio illis afforet imminutio. Quod nunc ideo litteris commendatur, ne umquam per ævum oblivioni tradatur.

Caritas ejus famis tempore.

12. Quodam igitur tempore, cum pæne omnis mundus affligeretur inopia acerbæ famis, comperta tanta largitate, famelici undique ad ipſam confluxerant, quaſi ad ſinum matris, & per plateas & exitus viarum multi ſemivivi jacentes exſpectabant ſolitam diſpenſationem ſui eleemoſynarum. Super quorum neceſſitatibus miſericordia mota, ſingulis conſulere curavit devota: quia ſanis & valentibus ſolidum cibum, id eſt, panem & lardum erogavit; minus vero valentibus miniſtravit olera aut legumina carne curioſe decocta: tumidos autem & pæne deſperatos vita, recreavit ſorbellis mixtis aqua, modica etiam farinula, & ſagina: hoc ſumma procurans diligentia, ne cibis nimia aviditate ſumtis periclitarentur corpora alimentis diu carentia. Hanc namque lampadem pietatis coram hominibus fecit lucere ad gloriam cæleſtis Patris. Sed in abſconſo, neſciente ſiniſtra, tantum ad largitatem eleemoſynarum porrecta erat dextra: ut ſæpe dum ad clamorem pauperum nummos ad manum non habuiſſet, clam extrahens caligas in ſinum pauperis miſiſſet. Hæc & alia quæ in abſconſo,

Digitized by Google

ANN. CH. CIRC. MXV. DIE V. FEB.

Patre ſuo cæleſti vidente, faciebat, ſummo niſu ab omnibus videri cavebat: quæ per ſingula ſi tangere noſtra tentaret narratio, nimirum in infinitum procederet oratio. Qua propter Dominus in ea vere ſententiam confirmavit, ſcilicet, *Omni habenti dabitur, & abundabit.* Habens enim Dei & proximi caritatem, tantam utriuſque hominis meruit felicitatem, ut exterius terrenarum divitiarum bonis, interius ſpiritualium virtutum polleret donis: quæ inſtituit, auxit, & firmavit ſanctam religionem, & ſcholam divini ſervitii, quæ ſemper fuerunt ſumma cura ſui officii. Has cum frequenter ingreſſa, moveret de arte grammatica quæſtiunculas, ſi qua forte ſuæ quæſtioni congruenti reſponſione obviavit, mox illam materne oſculando aliqua mercede donavit, & ſpe ſui profectus, perfuſa eſt ſpirituali lætitia. O caritas magna, cunctiſque aure percipientibus miranda, quæ numquam refrigerata, bono zelo ſemper æſtuavit; quia in eo, Deo gratias, iniquitas non abundavit.

Matth. 13. 12.

Scholæ in monaſterio.

Fit Abbatiſſa Coloniæ.

13. Interim prædicta ſorore ejus Berthrada in Chriſto feliciter obeunte, Archipræſul ſanctus Heribertus, ſciens hanc noſtram matrem ſeptam omnium virtutum munimine, voluit ut defunctæ ſorori ſuccederet in regimine. Sed illa totis viribus renitebatur, ſeque tanti honoris indignam fatebatur. Cum ergo Imperatori Aquiſgrani tunc commoranti nuntiatum fuiſſet, quod neque jubenti, neque petenti Epiſcopo conſenſiſſet; eam imperiali potentia vocabat, defunctæque ſororis honore ſublimabat. Mox annuente Domino declaratum eſt in metropoli civitate Colonienſium, quid prius operaretur in obſcuro Vilikenſium tugurio: & indicio ejuſdem Archipræſulis, ſapientia, religione, omnique ſanctitate cunctis ſui Ordinis decernebatur incomparabilis. Quapropter venerandus Antiſtes tanto amore eſt illi colligatus, ut ejus conſiliis pareret in quacumque divinarum rerum ordinatione, eamque ſumma excoleret veneratione. Erat enim inter eos tam mira caritas, Deoque grata familiaritas, ut in omnibus operibus bonis unius viderentur eſſe moris: & jam non poteſt dubitare omnis homo, quin & nunc habitent in una eademque æternitatis domo. O felix in illis diebus Colonia Agrippina, in cunctis rebus bene ordinata lege divina; dum iſte ſtudioſiſſimus imitator Petri, Doctor ac Rector exſtitit populi & Cleri; & hæc talis ac tanta Virginum choris præfuit religione ſancta!

Vilicenſium curam non dimittit.

Luc. 12. 48.

14. Hæc igitur venerabilis Virginum domina & Mater, quam in pauca fidelem ſupra multa conſtituit cæleſtis Pater, exemplo veri Paſtoris geminato ovili intente invigilabat, omnibus momentis illud Evangeliſtæ ſæpe iterans in ſecreto mentis: *Cui multum donatum eſt, multum quæretur ab eo.* Verumtamen quas in Vilika Domino parturiens lacte ſalutaris doctrinæ nutrivit, ſingularitatem quamdam interni affectus impartivit. Quod nulli mirum videtur, quia quod carius acquiritur, carius & poſſidetur. Nam omnis nitor Colonienſis gloriæ has numquam potuit ejus auferre memoriæ, quin ſemper doleret corporis præſentia eis aliquamdiu abeſſe, quæ tamen ſpiritu omni hora conſuevit adeſſe. Si quando vero filiæ matris reditum meruerunt, ac ſi ipſum Deum præſentem vidiſſent, exſultaverunt. Quia ut pullos ſub alas congregat gallina, ſic omnes ad ſe traxit caritate ac benignitate mira. Vultum, habitum, omnemque ſingularum qualitatem diligenter prævidit: & ſi quæ neceſſariarum rerum defectum ea abſente paterentur, diligenter perquiſivit. Vere enim paſtrix, & non mercenaria, quia numquam patiebatur gregi deeſſe vitæ utriuſque neceſſaria. Plerumque enim clam cellaria, ceterarumque ſororum promtuaria ingreſſa, vinum, carnes, piſces aliaque multa ſibimet ipſi furabatur, quæ diſtribuit puellis minoris ætatis & ſororibus imbecillitate gravatis: ut ſi quid in conſtituta annona defuiſſet, hoc ſuo memorabili furto ſuppleri potuiſſet

Digitized by Google

potuiſſet. Quod ideo furtim fieri decrevit, quia Patris ſui in abſconſo videntis retributionem elegit. Et quia de prodiga diſpenſatione rerum à ſuis frequenter arguebatur, tale furtum fecit. O furtum non immerito laudandum præſentibus, & poſteris jure perpetuo commemorandum; quod cum humano judicio maximum decernatur vitium, admiranda virtus facta eſt per maternæ caritatis officium! Per quod multi vadunt ad tormenta, per hoc illa virtutum & meritorum meruit incrementa. O gemma Virginum pretioſa, quæ animi virtutum ſplendore tam magna exſtitit & glorioſa, ut adhuc converſatam in hujus mortalitatis peregrinatione Dominus clarificaret virtutum operatione! Si qua enim ſororum, quia, ut ſcriptum eſt, *Non omnes poſſumus omnia*, cantanti choro ſonoræ vocis non congruebat harmonia; correpta, vel alapis percuſſa à pia matre, per omne tempus ſequentis vitæ delectabili vocis donata eſt claritate. Eodem modo & ſæpe increpabat longa ægritudine aliquas laborantes, quia inutiliter tempus vitæ expendiſſent manibus non operantes: quæ mox poſt verba increpationis à Domino meruerunt gratiam ſalvationis. Ann. Ch. circ. MXV. die V. Feb.

15. Cellerariam enim aliquando, vinum de cupa producentem, feſtinanter per nuntium accerſivit: quæ in obedientia neſciens moram, ejus præſentiam velociter adivit, ore cupæ non obfirmato, ſed ducibulo ſecum in manibus aſportato. Quod cum in ſemetipſam reverſa attenderet, & de effuſione vini ultra quam credi poſſet timuiſſet, procuratrix ſancta illam confortans pietate materna, clementer prorupit in hujuſmodi verba: Nolo, ſoror, ut contriſteris ob eventum hujus rei, quia hoc damnum recuperabile erit per virtutem & gratiam Dei: verumtamen quid actum ſit videndum eamus, & ſive proſpera ſive adverſa occurrerint, Domino gratias agamus. Quæ cum pari ſollicitudine veniſſent, & nec una ſaltem gutta damnum vel diminutionem inveniſſent; cellelaria humiliter provoluta pedibus Matris, hoc memorabile factum imputabat merito ſuæ ſanctitatis: ſed illa è contrario hoc divinæ potentiæ ſuæque potius adſcribendum judicans obedientiæ, interdixit, ne hoc divulgaret, quamdiu præſens vita ejus corporis artus vegetaret. Illa vero nefas eſſe judicans hoc divinæ virtutis indicium ſilentio tegi, quibuſdam ſororibus ſecretius indicavit pro laude Dei. In iis enim, & in omnibus quæ fecit per illam Dominus, ſemper refugit mundi extolli favoribus, mente revolvens nimis eſſe periculoſum laudare felicitatem navigantis per hoc mare magnum & ſpatioſum, cum animus in dubio ſemper hæſiſſet, ſi forte ad optati portus ſtationem perventura fuiſſet. Sed Pater noſter cæleſtis, qui cujuſque operis in abſconſo perpetrati conſcius probatur & teſtis, hanc lucernam ſub modio latere noluit, ſed ſuper candelabrum poſitam ſplendore bonitatis multis lucere voluit. Quæ tum clarius mundo illuxit, poſtquam eam Dominus à dubio hujus navigii ad certitudinem portus perduxit. Obedientiæ effectus.

16. Sed cum Dominus, qui, teſte Scriptura, *reddit unicuique juxta opera ſua*, ipſam pro meritis vellet remunerare; cœpit paullatim viribus corporis deficere, ſed ſolitis virtutum ſtudiis proficere: quia voce Domini ad Apoſtolum dicitur: *Nam virtus in infirmitate perficitur.* Appropinquante igitur obitus ſui die, cura debitæ proviſionis reviſit monaſterium ſanctæ Dei Genitricis Mariæ, & in feſtivitate ſancti Blaſii martyris poſt veſpertinalem cœnam correpta eſt periculoſo dolore gutturis: quæ poſt Completorium lectulo reclinata, ſignis innotuit cuidam ſorori, Yda nomine, quam in monaſterio proprio regulariter educatam ſecum ſemper ſolebat habere: quæ ſperans nihil eſſe periculi, ſecura reviſit fomenta lectuli. Ipſa vero ſciens ſe hoc reſolvi dolore, pervigilem duxit noctem, timore Matth. 16. 27. In morbum incidit. 2. Cor. 12.

Ann. Ch. circ. MXV. die v. Feb.

mortis, quæ juſto æque & impio timenda conſtat, quia eſt amara & fortis. Quod nulli mirum videatur, quia ipſe Dominus appropinquante morte triſtabatur. Quapropter in ſtratu ſuſtinere non valens noctis moras, petenſque monaſterium, orando prævenire volens matutinales horas, ſicque virtute qua potuit inſiſtendo ſervitio Dei, Miſſam ſibi celebrari fecerat in ipſo crepuſculo ſurgentis diei: in qua ſe Dominici Corporis & Sanguinis Sacramento munivit: ſanctúmque Herebertum de ſe ſuiſque conveniendum adivit, qui ipſa narrante de morte ejus certificatus, ultra quam credi poſſit, eſt mente conſternatus, dolens ſe in morte ejus ab ea ſeparari, cui in vita indiſſolubili caritate conſueverat alligari.

17. Adhuc tamen firmiter retinens maternæ intentionis fidem, ſuas quæ erant in Vilika dilexit uſque in finem; quibus per nuntium innotuit, ſe modicum tantum infirmari, ne illas immoderato mœrore contigiſſet turbari; rogans ut quantocius eam venirent viſendum. Quod heu! neſciæ imminentis miſeriæ, in craſtinum decreverunt differendum. Quo dilationis interſtitio ſancta illa anima carnis ergaſtulo reſoluta, gaudia paradiſi, ad quæ vivens infatigabiliter ſuſpiravit, perenniter cum Chriſto victura, gaudens introivit. Quod dum in Vilika ſuis nuntiandum ſuperveniſſet legatus, quanti tunc gemitus, quantúſque interius & exterius omnium eſſet luctus, piget reminiſci de hac materia: quia magis flere libet, quam aliquid plus dicere de tanta calamitatis miſeria. Sed maximum hujus diſſolutionis fore credebant remedium, ſi ſaltem eam defunctam in hereditarium dignæ fuiſſent ſuſcipere monaſterium: & ideo epiſcopalem adeuntes præſentiam, ſæpius numero pedibus provolutæ, ipſius lacrymabiliter inquirebant clementiam, ut concederet corpus apud illas humari, à quibus ſemper optabat ſe numquam ſeparari. Qui prævidens in Spiritu-ſancto, quid Dominus in proximo per illam eſſet operaturus, contra hæc ad tempus inexorabilis manſit, & durus: & poſtea earum fletibus victus, monente Domino, miſericordia motus movebatur ſuper afflictas, & tandem reddens corpus multis lacrymis exoratum, ſic eas allocutus eſt, fundens largiter ploratum: Si corpus ſanctæ Agathæ virginis, cujus hodie feſtivitas colitur, habere meruiſſem, in præſentia, teſte Deo, nulla mihi inter hoc & iſtud eſſet differentia; quia non eſt dubium quin anima ejus pretioſa ſit apud Deum. Tunc conceſſa Vilikenſibus aſportandi ſecum corporis licentia, ipſe Deo dignus Pontifex, cum utriuſque ſexus ordinibus, & totius urbani populi ſubſecutus eſt frequentia. Et ſancto corpore navi locato cum religioſi apparatus honore, nondum appoſitis remis, ſurſum contra impetum aquæ velociter aſcendit abſque remigii labore: qua mira divinæ oſtenſionis virtute Dominus Colonienſes intelligere voluit, quod ſuas in Vilika ejus ſancto corpore orbari noluit. Tunc exequiis rite celebratis, & anima, non eſt dubium, exſultante in paradiſi pratis; ab ipſa educata filia ſuæ ſororis, Deo volente, ſucceſſit in locum honoris: quæ omni probitate omnique elegantia vultus & ſtaturæ in ſe prætendebat claritatem nobilis naturæ.

Obit.

Corpus in monaſterium Vilicenſe refertur.

18. His itaque digeſtis aggrediamur inſignia miraculorum, per quæ illam Dominus mundo innotuit virtutibus manifeſtis, laudum officia perſolventes illi, cujus munere promeruit quidquid ſibi operata eſt digne. Ante triceſimum ſui obitus diem pauperibus infra clauſtra monaſterii confluentibus ad eleemoſynam, quidam cæcus cum ipſis illò venerat, ad manifeſtandam divinæ virtutis gloriam: qui negligentia ſui ductoris incaute offendens in lapidem, quo tumulus claudebatur, corruit toto corpore proſtratus, ſed mox ejus meritis ſurrexit viſui donatus. Quo facto ſopita modernæ deſolationis triſtitia, in omnibus tabernaculis noſtris ſonuit lætitia.

Miracula ad ejus tumulum.

Cæcus viſum recipit.

Digitized by Google

19. Huic enim gaudio mox majus gaudium ſucceſſit, quod omne funditus abſcidit dubium, quod in priori ſigno corda aliquorum oppreſſit. Mulier quædam, edentis vermis ulcere in cruribus graviter vexata, ambulare nequivit, niſi vix baculo ſuſtentata. Quæ in viſu admonita, ad ſepulcrum diſpoſuit venire, ubi ejus interventu gaudia ſanitatis meruit invenire. Cujus eventum rei cum hæc eadem propalaſſet in laudem Dei, altera quædam derogavit illi, quaſi mentienti; quæ non multo poſt correpta eſt à diabolo: qui multis divinorum verborum exorciſmis exire conſtrictus, virtutes Chriſti, quas per Virginem ſuam Dominus operatus, vel operaturus erat, tandem confeſſus eſt victus; & cum mulier traheretur ad ſepulcri locum, cum nimio vomitu exiens, poſſeſſam reliquerat domum.

Ann. Ch. circ. MXV. die V. Febr.

Mulier ab ulcere ſanatur.

Altera ipſi detrahens punitur.

20. Divulgatis itaque iis aliiſque pluribus ſignis & virtutibus divinis, tantus concurſus populi factus eſt ex longinquis mundi partibus, quantus ex vicinis: quibus pæne clauſtra monaſterii tam parva fuerant facta, ut multum diſturbari videretur quies ſororum, ſanctæ religioni decenter apta. Eadem enim Abbatiſſa adhuc vivens in corpore, memor præcepti Domini, quo in noviſſimo loco recumbere juſſit ad nuptias invitato homini, rogavit ut ſi quando à mundo tranſiret Domino vocante, non in ſacris locis, ſed infra clauſtra monaſterii tumularetur. Sed Dominus reſpiciens humilitatem ancillæ ſuæ, quia potens eſt in damnatione omnis creaturæ, quaſi dixiſſet, Amica aſſcende ſuperius, & erit tibi gloria; hanc honorifice infra muros monaſterii receptam, cum ceteris ſanctis ſuis æterna fecerat celebrari memoria.

E clauſtro in eccleſiam transfertur.

21. Dehinc magis ac magis ubique crebreſcente ſignorum fama, illò tendens omnis qui vel alicujus moleſtiæ laborabat plaga, quaſi certiſſimum ſuæ liberationis confugium ejus frequentare non ceſſaverant tumulum. Inter quos venerat quidam nobilis, pro pœnitentia cujuſdam capitalis criminis ferreis nexibus Apoſtolica auctoritate ligatus: à quibus poſt multa ſanctorum perluſtrata limina, inibi tandem meritis illius tam evidenter eſt relaxatus, ut diſſolutorum, proculque diſſilientium vinculorum tinnitus, omnium tunc in monaſterio conſiſtentium percuſſit auditus. Veneranda igitur Abbatiſſa materteræ ſuæ audita pietate, hunc abſolutum per aliquantum temporis magnæ humanitatis tractabat officio, una cum germano fratre, qui proximum tamquam ſeipſum diligens, caritate non ficta, licet innocens, exceptis vinculis per omnia communicato labore fratris emendavit delicta. Cumque adhibito ſibi tantæ pietatis fomento, emortuæ manus, vel brachia, priſtini vigoris reviviſcerent incremento, adjutis caballis vel veſtimentis repatriare permiſit magna hilaritate mentis.

Pœnitens ligatus abſolvitur.

22. Ad vincula ejus, ſancti Petri ſcilicet ſpecialis patroni, cujus hoc cœnobium dedicatum eſt honori, quidam paralyticus, aurium atque oculorum officio privatus, ad ſacræ tumbam ſanitati eſt donatus. Si quis pauperum aliquam illi oblationem non ex abundantia fecit facultatis, ſed ex intentione promtæ voluntatis, per ejus fideliſſimum interventum deinceps totius neceſſariæ rei meruit augmentum. De quo ne dubius maneat quiſquam fidelis, illi proponimus profectum pauperculæ mulieris, cui hæc fideliſſima remuneratrix apparuit nocturna viſione, ut ſibi ex proprio labore albam afferret potenti admonuit juſſione. Quod cum ſe illa implere non poſſe reſpondiſſet propter nimiæ paupertatis impedimentum, fortiter coëgit, ut ſurgens diluculo à vicinis in nomine ſuo peteret ſupplementum. Quæ cum nil morata, ſed facto mane cives ſuos rogando, ſacræ Virginis curaſſet implere mandatum; tanti illi data eſt copia lini, ut non ſolum albam, ſed etiam neceſſarium indumentum operaretur ſibi. Quam

Sanatur paralyticus.

Ann. Ch. circ mxv. die v. Feb.

poſtquam ad ſepulcrum detuliſſet, tanta totius neceſſariæ rei augmenta promeruit, ut per omne tempus vitæ ſuæ, revolutione temporum anniverſaria, bovem, aut porcum, vel alia quælibet illò detuliſſet donaria.

Contractus ſanatur.

23. Hæc enim, aliaque innumera miracula, quibus eam tunc temporis Dominus fecerat coruſcare, noſtræ tantillitatis ſtilus nequit ſingillatim exarare: de quibus quædam tantum quæ noſtris temporibus facta & audita probavimus, non reticere conamur, ne culpæ ſilentii ſubjacere cenſeamur. Unicus cujuſdam mulieris filius octo annos ætatis, totidemque gerens infirmitatis, excepto lingua & viſu, omnium membrorum deſtitutus erat uſu. Cui ſanctiſſima Virgo in ſomnis quadam nocte viſa eſt adſtitiſſe, omneſque nervorum retractus reſolviſſe. Cumque ex hac membrorum ſolutione magna vociferari cœpiſſet exclamatione, omnes in domo quieſcentes nimio ſtupore perculſi, lectulo ejus advenerunt, omnibuſque naturaliter compoſitis membris & erectis, eum velut exanimem invenerunt. Hic enim poſt unius horæ ſpatium in ſemet reverſus, quid ſibi viſum eſſet circumſtantibus innotuit; ſeque quantocius cum oblatione ad tumulum ſacræ Virginis deferri, patrem matremque inſtanter admonuit. Qui de ſanitate filii gaudentes, in parando oblationem moram neſcierunt: ſed puero animali impoſito, ipſi feſtinanter ambulando iter carpſerunt. Tunc Deus, qui eſt in ſanctis ſuis verè mirabilis, ipſis iter agentibus occurrere permiſit infortunium mali lacrymabilis: ut dum ex hoc ſublevarentur, mira opera ejus eò plus manifeſtarentur. Cujuſdam enim fluminis pontem tranſeuntibus jumentum geſtans puerum de ponte proſiliit, & una cum puero aquis immerſum per unam fere horam nuſquam comparuit. Cumque irremediabiliter de filii perditione ejulatum emitterent ex anima cordiſque contritione, ſanctamque Adelheidem clamarent impiam & crudelem, nulliuſque meriti apud Deum; ſubito viderunt jumentum una cum ſeſſore ſuo ad litus perveniſſe illæſum. Tunc ejulatu flentium mox verſo in hilarem vocem gaudentium, cœptum peragentes iter, in feſtivitate ſancti Gereonis, dum ſonaretur primum matutinalis officii, Vilikam venerunt: qui mox in ipſo introitu mirabilia Dei propalaverunt. Quæ cum publice prædicarentur, ipſo die ſanctæ ſodalitatis caterva gloriam Deo canebat hymnum ſpiritualis melodiæ.

Et in flumine demerſus liberatur.

Pluribus miraculis coruſcat.

24. Quidam à diabolo captivus ad ejus tumulum eſt liberatus, qui quotquot annos ſupervixerat, pro indicio ſuæ ſanitatis cenſum illò detulerat. Quid plura? Omnibus ſignis, & virtutibus, quibus, excepta reſuſcitatione mortuorum, ullum ſibi electum Dominus mirificavit, etiam hanc mundo manifeſtavit. Ipſi laus, & gloria per infinita ſæculorum ſæcula, Amen.

Digitized by Google

VITA S. SYMEONIS MONACHI ET EREMITÆ IN MONASTERIO S. BENEDICTI DE PADOLIRONA.

Auctore monacho ANONYMO ſubæquali.

Ex codd. ejuſdem monaſterii.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

S. Symeon an Benedictinus.

1. INVITAT nos auctorum etiam exterorum, qui de rebus Benedictinis ſcripſerunt, exemplum, ut beatum Symeonem noſtris accenſeamus. Enimvero licet facile crediderim numquam ab eo Benedictinæ Regulæ profeſſionem emiſſam fuiſſe, multis tamen titulis locum inter beati Benedicti alumnos obtinere debet. Quidni enim Benedictinis accenſeretur, qui non ſolum tam diu inter eos tamquam unus ex ipſis commoratus eſt, verum etiam Abbati ceteriſque fratribus ita obediebat, ut abſque eorum permiſſu è cella exire ſibi non eſſe licitum exiſtimaret? ſtatis diebus fratrum parabat refectionem, atque cum eis ad refectorium commune accedebat, pro more Ordinis noſtri recluſorum; & ſi quid in gerendis monaſterii negotiis difficultatis emergeret, ipſe præſto aderat ad ceterorum fratrum labores ſublevandos. quæ omnia ex ejus Vita colligimus. His accedit ejus ſepultura in monaſterii noſtri Ordinis eccleſia, quam poſtea innumeris prope modum miraculis condecoravit.

Vitæ auctor.

2. Vitam beati Symeonis ab Arſenio patriarcha Jeroſolymitano accurate deſcriptam fuiſſe tradit Ughellus tomo I. Italiæ ſacræ, ubi de Mantuanis epiſcopis; ſed hæc vita ignota eſt. Eam enim diverſam eſſe ab epiſtola Arſenii inferius exhibenda colligimus ex ipſa ejuſdem vita, quam ab auctore æquali ſcriptam inferius dabimus, ubi parentes Symeonis ex Arſenii vita laudantur, de quibus tamen nihil habet epiſtola Arſenii laudata. Tertiam item vitam ab Hilarione monacho Benedictino ſcriptam laudat Baronius in notis ad diem 26. Julii, quam cum non viderit, eam ipſam eſſe ſuſpicatus eſt, quæ in Vaticano codice mſ. num. 709. habetur; at ex Arnoldo Vvione libro 3. Ligni vitæ ad eamdem diem 26. Julii, diſcimus tertiam illam vitam recentiorem eſſe, cum ejus auctor alius non ſit ab Hilarione monacho, qui Jacobi de Voragine legendam auream edidit, in cujus operis ſupplemento vitam beati Symeonis à ſe exaratam inſeruit. Quam vero huc proferimus multo antiquiorem, & ab auctore coæquali aut ſaltem ſubpari deſcriptam, ex multis ipſius vitæ locis colligimus, ubi res quas ipſe auctor viderat, aut ab aliis hominibus fide dignis acceperat refert. Eum autem monachum Benedictinum fuiſſe patet ex cap. 5. miraculorum, ubi beatum Benedictum, almificum patrem noſtrum appellat; immo & ſe ex iis unum fuiſſe, qui Romam legati fuere ad procurandam beati viri canonizationem, aperte declarat capite ultimo, quod ſic incipit: Tempore quo pro canonizando ejuſdem ſancti Symeonis glorioſo corpore ſanctam Apoſtolicam ſedem acceſſimus, &c.

Benedictinus.

3. Hæc autem vita, ſed paullo contracta, edita fuerat cum ejuſdem ſancti viri officio, Venetiis anno MDLII. quam integritati ſuæ redditam, cum eodem officio ad novi Breviarii regulas exacto, anno MDCXVII. Gregorio de Caſtilione abbati Padolironenſi nuncupatam, in lucem protulit domnus Symeon Baſcheria ejuſdem loci monachus, ex quo eam deſcripſimus. Exſtat etiam manuſcripta in duobus codicibus, uno ſcilicet Mantuano, altero cœnobii Padolironenſis.

Symeonis ætas.

4. Sub Benedicti pontificatu Symeonem Romam adveniſſe certum eſt ex vita cap. 5. At an id de Benedicto VII. qui ab anno CMLXXV. ad annum CMLXXXIV. ſedit, an de Benedicto VIII. qui ſedere cœpit anno MXII. intelligi debeat, difficultas eſt, quam ex Synodo in Lateranenſi eccleſia eo tempore quo Romæ Symeon verſabatur habita, diſſolvere non poſſumus. Sub utroque enim Pontifice Lateranenſes Synodi haberi potuerunt, nec fuit ſub utroque eo Pontifice Concilium aliquod adeo celebre, quod ceteris prætermiſſis abſolute concilium Lateranenſe appellari queat. Ut id tamen ad prioris Benedicti tempora revocemus, non ſolum facit diuturna Symeonis mora apud Padolironenſe monaſterium, ubi aliquot annis poſt ejus in Italiam adventum, ac poſt peragratas varias Occidentales provincias ſtetiſſe ex vita colligitur; ſed id potiſſimum deducimus ex capite 22. vitæ, in quo Symeon Parmam attigiſſe dicitur hoc ipſo tempore, quo Sigifredus

Digitized by Google

Ann. Ch. MXVI. Jul. XXVI.

ejuſdem loci epiſcopus beatæ Feliculæ corpus tranſtulit. Sigifredus quippe ſedente Benedicto VII. *Parmenſi eccleſiæ præfuit; mortuus antequam Benedictus* VIII. *thronum apoſtolicum conſcenderit, ut ex Ughello Italiæ ſacræ tomo 2. conſtat, ubi Elbunus ſeu Elburgus in privilegio quodam Sergii Papæ pro Nonantulenſi monaſterio, epiſcopus Parmenſis appellatur. Henricus vero ejuſdem Elbuni ſucceſſor privilegio Fructuarienſi in Synodo Romana anno* MXV. *ſubſcripſit. Synodus itaque Lateranenſis, quam ſub Benedicto papa celebratam fuiſſe memorat vitæ auctor, cum Symeon Romam advenit, ea ipſa eſſe potuit, quæ teſte Dithmaro pro cauſa Giſeleri Magdeburgenſis archiepiſcopi diſcutienda, anno* CMLXXXIII. *habita eſt, cui Synodo V. C. Stephanus Baluzius in notis ad librum 6. de Concordia Sacerdotii & Imperii, decretum Benedicti papæ contra Symoniacos latum attribuit.*

5. Conjicimus itaque Symeonem anno CMLXXXIII. *in Italiam adveniſſe, indeque colligimus eumdem poſt varias peregrinationes, decem circiter annis, id eſt à monaſterii fundatione, inter noſtros ſub abbatis Padolironenſis obedientia vixiſſe. Obiit quippe anno* MXVI. *die 26. Julii, ut ex vitæ auctore conſtans eſt.* (Annus mortis.) *Sanctitatem ejus haud minus poſt mortem, quam dum viveret crebra miracula declaraverunt. Quare non multo poſt ipſius obitum, Bonifacius Mantuæ Marchio, qui beatum virum probe noverat, à Benedicto* VIII. *papa facultatem obtinuit, eccleſiam in ejus honorem conſtruendi.* (Canonizatur.) *Benedicti decretum confirmarunt ſubſequentes Pontifices ſanctus Leo* IX. *& Alexander* II. *quorum epiſtolas ea de re ſcriptas inferius proferemus ex codice mſ. Bibliothecæ Padolironenſis; quamquam duæ ex eis jam ab Arnoldo Vvione excuſæ fuerint.*

6. Cum autem adeo celebris fuerit beati Symeonis canonizatio, mirum non eſt memoriam ipſius variis in Martyrologiis inveniri. Eam celebrant poſt Martyrologium Romanum faſti tum Benedictini, tum Italici die 26. Julii, qua ipſum obiiſſe ex vita capite ultimo diſcimus. Plura de eodem ſancto habent varii auctores, potiſſimum Benedictini & Itali, qui de rebus Mantuanis ſcripſere. De his fuſe Arnoldus Vvion Padolironenſis monachus libro tertio Ligni vitæ, ubi obſervat Symeonem ſub altari ipſius nomini dicato jacere in ſiniſtra parte eccleſiæ Padolironenſis, ubi etiam nunc miraculis coruſcat. (Ejus reliquiæ.) *In ejuſdem monaſterii theſauro, eodem auctore teſtante, ſervatur capſula, in qua præter cilicium aliaſque beati Symeonis reliquias, habentur epiſtola Arſenii epiſcopi Jeroſolymitani, Novum teſtamentum & pſalterium, Armenicis characteribus conſcripta. Epiſtolam hanc, in latinum ut ipſi videtur tranſlatam, exhibet idem auctor, & poſt eum Daniel Papebrochius in Hiſtoria chronologica epiſcoporum Jeroſolymitanorum tomo 3. Maii Bollandiani, qui ejuſdem epiſtolæ auctoritate Arſenium inter patriarchas Jeroſolymitanos recenſet, licet in vulgatis catalogis non occurrat.* (Epiſtola Arſenii Jeroſolymitani.) *Sed eam dicit à tranſlatore interpolatam, quod in ea nonnulla occurrant de Symeonis peregrinationibus, quæ ab Arſenio ante Symeonis diſceſſum dici non potuerint. At ſupra probavimus num. 1. epiſtolam Jeroſolymitani epiſcopi, quam auctor vitæ laudat, à vulgata diverſam fuiſſe. Si vero quis epiſtolam Armenicis litteris ſcriptam in theſauro Padolironenſi diligentius inſpiceret, lis iſta facilius fortaſſe componeretur. Denique lectorem monere viſum eſt, Papebrochium memoria lapſum, loco laudato, ubi ſcribit beatum Symeonem Mutinæ defunctum, & Varini ejuſdem urbis epiſcopi ac Bonifacii Marchionis cura à Bonifacio* VIII. *pontifice Romano canonizatum fuiſſe. tot enim ſunt errata quot verba. Symeonem quippe in monaſterio ſancti Benedicti de Padolirone prope Mantuam vixiſſe, ibique defunctum fuiſſe ac ſepultum, narrat ſubæqualis vitæ auctor: idem teſtantur ejuſdem cella ibidem adhuc reſidua, ſacellum in quo etiamnum ſepulcrum ejus viſitur, & quotquot ſuperſunt ea de re monumenta. Idipſum diſerte aſſerunt Martyrologia, quibus omnes prorſus exteri ſimul & domeſtici auctores adſtipulantur. Symeonem vero à Benedicto* VIII. *petente Bonifacio Mantuæ Marchione cultu publico donatum fuiſſe aperte declarant epiſtolæ inferius referendæ; & quidem Varinus Mutinenſis epiſcopus ſæculo* XI. *Bonifacius vero papa* VIII. *ſæculo decimotertio exeunte Romanus pontifex renuntiatus eſt. Sed Bonifacii nomen loco Benedicti in libellum officii de eodem ſancto Mantuæ editum irrepſiſſe deprehendimus, quod forte viro erudito errandi occaſionem præbuit. Sed jam beati Symeonis vita proferenda eſt, cui ſubjiciemus ex cod. mſ. Padolironenſi Arſenii epiſtolam commendatitiam in Symeonis gratiam, tum Pontificum Romanorum litteras de ejus cultu publice in Eccleſia celebrando.*

Digitized by Google

INCIPIT VITA SANCTI SYMEONIS MONACHI ET EREMITÆ.

HIC vir glorioſus, Symeon dictus nomine, in partibus Armeniæ [a], patre Hectore, matre Felice natus, monaſticæ Religionis ab ineunte ætate propoſitum regulariter tenuit: ad Diaconatus officium provectus, poſtmodum virtutibus greſſibus viriliter ad altiora conſcendens, diebus plurimis Eremi cultor fuit. Hujus denique parentes non novimus, ſed ſicut reverendiſſimus Hieroſolymorum patriarcha [b], ſibi notus, & familiariſſimus nobis per epiſtolam retulit, ex clara nobilium ſtirpe prodiens, Magiſtri militum filius fuit. Hic ſiquidem intra pueriles annos, mira & magnifica cœpit agere, voluptatis libitum moderationis freno reſtringere, corpus jejuniis edomare, ſpiritu prophetiæ aliquando pollere, orationibus aſſiduè inſudare. Cumque jam adoleſcentiæ tempus ſub hujuſmodi converſationis ſtudio tranſegiſſet, & jam illud immineret, quo juvenilis ætas carnali ſolet implicari connubio: pater ſuus, licèt invitum, ſecundum ſæculi dignitatem, uxoris eum copulavit conjugio. Quid dicam? Quid referam? dolori, & mæſtitiæ ſervi Dei compati, & conſulere volo: ſed anxietatem, & mærorem cordis ejus retexere penitus ignoro. Quid ageret ſervus Dei? anxius, trepidus excogitare diu cœpit in animo, qualiter ſe diſſolveret ab uxoris conjugio. Si illam teneret, corporis integritatem violare timebat: ſi eam dimitteret, infamis in patria turpiter vivere perhorrebat. Tanta igitur, ac tali anxietudine die, noctuque exæſtuans, exterius corpus attenuans, interius mentem excrucians, tandem divino animatus oraculo, illud Evangelicum ſæpè revolvebat in animo: *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Et iterum: *Qui non renunciat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Talibus itaque Redemptoris evangelicis dictis vir Domini roboratus patriam, parenteſque deſeruit, cunctis hujus ſæculi pompis abrenuncians, & uxorem propriam, Stellam nomine, ſervata integritate, dereliquit, atque naufragium hujus ærumnoſi ſæculi ceu procelloſi maris tempeſtate quaſſatus, nudus evaſit.

CAPUT I.

Nubere cogitur.

II. Catholicæ fidei clypeo munitus, freno caſtitatis præcinctus, gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei, frequenter ignitus, Domino gubernante monaſterium petiit [c]: in quo cœnobialis vitæ tramitem prudenter amplectens, jejuniis, vigiliis, & orationibus die noctuque Chriſto infatigabiliter ſerviens, in ſanctitatis operatione ſinceriter vixit. Pluribus inde diebus monaſtico cultu ſancti patris Baſilii regula approbatus, probis moribus apprimè exornatus, ad eremi [d] campum præliaturus exivit. Ubi frequenter ab antiqui hoſtis inſidiis laceſſitus, crebro cum eo conflictum iniens, adverſus tandem ejus impetus triumphalem victoriæ palmam obtinere promeruit. Quodam hyemali tempore dum vir Dei in Eremi ſolitudine cum duobus fratribus angelicam vitam ageret, tanta deſuper nivium moles erupit, quæ omnem cellulæ, in qua manebant ita aditum circumcluſit, quod nemo illorum per ſeptem dies aliqua cogente neceſſi-

Fit monachus.

Secedit in eremum.

[a] In lectionibus officii natus dicitur in urbe *Arſamote* ſeu Arſamoſota. Hujus nominis urbem celebrem olim in Armenia celebrem fuiſſe ſcimus, at nunc ignota eſt.

[b] In altera editione dicitur Arſenius.

[c] In altera editione dicitur monaſterium ampliſſimum in ſolitaria paluſtrique regione circa Euphratem ſitum.

[d] Vitam eremiticam ad ripas Araxii fluminis eum duxiſſe teſtatur altera vitæ editio.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXVI. Jul. XXVI.

tate foras egredi potuit. Videntes autem Dei ſervi ſeſe nivium muro exterius circumdari, interius fame cruciari, cum humano nequeunt ſe juvare ſolatio, divinum feſtinanter cœperunt implorare ſubſidium. Hac ergo tanta, ac tam mira nivis magnitudine undique circumſæpti, cæleſtia arma confidenter arripiunt, elevatis in cælum oculis, extenſas ſurſum manus cum clamoribus ad ſidera tollunt, flexis genibus pugnis pectora percutiunt, fuſis lacrymis omnipotentis Dei miſericordiam voce flebili expetunt. Quo fletu Chriſti ſervus Symeon vehementer commotus, hujuſcemodi orationem ad Dominum lacrymabiliter fudiſſe perhibetur. Omnipotens, æterne, & altiſſime Deus Sabaoth, qui cuncta ex nihilo creaſti, qui hominem cum non eſſet, ad imaginis tuæ ſimilitudinem mirabiliter condidiſti, atque ad obtinenda æternæ beatitudinis gaudia conditum mirabilius reformaſti; qui Iſraëliticum populum de Ægyptiaca ſervitute liberatum Rubrum mare ſicco veſtigio tranſvexiſti, & eumdem in deſerti regione fame laborantem, cæleſti pane ex ſupernis imbribus porrecto affluenter ſatiaſti; quique etiam ſitis ariditate fatigatum aqua ex petra producta clementer potaſti: ſuccurre nobis miſeris in hac ſolitudinis anguſtia conſtitutis, nivis, & glaciei rigore conſtrictis, nimia famis tribulatione afflictis: releva nos clementiſſimæ tuæ ſolitæ pietatis auxilio, & ne ſinas nos hic exſtingui ſub acerbæ famis periculo. Hac igitur oratione completa, ilico cervus miræ magnitudinis, & formoſitatis ante oſtium cellulæ nivium molibus inhærens apparuit, qui cervice deflexa humiliter niſu quo poterat fratribus famulari demonſtrans, ſeſe illis in cibum ſponte divino nutu præbuit. Qui videntes beſtiam illuc accedere inſolitam, mirifica Dei virtute ſe viſitari crediderunt, ac magnificam ejus clementiam diu percunctando ſimul mirari cœperunt. Tunc glorioſus vir Dei Symeon diu mente pertractans, à fundo cordis cœpit diligenter exquirere, quidnam hæc inſueta beſtiæ viſitatio taliter indicaret. Cujus quidem animus inter dubia divolutus, fluctuando cœpit hinc inde diſcutere, utrum divina clementia ad refocillanda corpora, an antiqui hoſtis fraudulenta calliditas ad ſubvertendas animas illam cervi ſpeciem ante oculos eorum adduceret. Plurima ac diverſa Dei famulus inde diſcutiens, tandem ſagaci mente deliberat, quod ſuperna pietas ad expellendum famis periculum prædictum ſibi cervum ex ſua largitate tranſmiſerat; ne pius Dominus ultra permitteret ſervos ſuos diuturnæ famis interire exitio: qui Danielem ſervum ſuum in lacu leonum quondam pavit per Angelum. Is denique cervus multoties eſt expulſus ab oſtio, ne pro acerbitate famis fieret illis in comedendo prævaricationis occaſio. qui quanto durius expellebatur, tanto frequentius revertebatur. Sed Chriſti ſervus Symeon verus Iſraëlita, in quo dolus non fuit, quem nulla ventris ingluvies tetigit, quem nulla gaſtrimargia polluit, quem ſolus ferarum agreſtium paſtus uſualiter aluit, cibum ſibi divinitus oſtenſum, ſicut ei cælitus fuerat imperatum, humiliter ſuſcepit, atque ſuſceptum fratribus comedere perſuaſit. Nec mora. Tunc viri anachoritæ, Dei voluntate jam cognita, venationem nullo modo ex induſtria petitam, nullo labore quæſitam, ſed à Deo ſibi collatam occiderunt, & famelica corpora jam diuturna eſurie ſauciata, ſobrietate retenta, carnis pabulo refecerunt. Unde refecti, proſtrati in faciem divinam protinus majeſtatem adoraverunt, ejus clementiam collaudantes, & pro tantis ſuis beneficiis debitas ſibi gratias retulerunt.

Ubi miraculo paſcuntur.

III. Unus autem ex fratribus, Stephanus nomine, ſancti viri Symeonis verbis reſtitit dicens, hoc eſſe grave ſcelus: ejus conſilio in quo valuit derogavit. Miſer, quoniam beati viri ſalubri conſilio credere renuit, ejuſque juſſis obedire contemſit, repentinæ mortis pœnam citius pro vindicta ſuſtinuit

Frater inobediẽs morte punitur.

Digitized by Google

ſtinuit. Mira res, cum frater, ſub eodem momento, quo viri Dei verbis fidem præbere noluit, occulto Dei judicio, percuſſus interiit. De cujus repentino interitu mox Jeſu-Chriſti ſervus Symeon admodum triſtis effectus, gravi mærore collapſus, terræ tenus totum ſe proſtravit in gemitum; ubi ſe tantis in lamentis conſtrinxit, eo uſque divinæ pietatis auribus precibus pulſavit, quouſque ſuperna clementia ejus mota clamoribus, animam Stephani à mortis faucibus ereptam, corpori miſerando reſtituit. qui vitæ redditus, quo ivit, vel qualiter tam ſubito ab hac luce migravit interrogatus, fertur tale fratribus dediſſe reſponſum. Cum me, inquit, omnipotentis Dei juſſu, ut vidiſtis, repentino incurſu ab hac vita migrare contigiſſet, confeſtim mihi Angelus nivei candoris apparuit, qui me ſuo ducatu ad Beatorum ſedes altas ſuſtollens, ad tribunal Judicis præſentavit, ubi pluribus offenſis ab antiquo hoſte ad medium prolatis, ſola me inobedientiæ, ac derogationis culpa damnavit. Tunc diſtrictus Judex æquo libramine judicium penſans, quia præceptis patris mei Symeonis obedire contemſi, tenebris infernorum me pœnas luere meritò deſtinavit. Cumque inde plures dæmonum ſpiritus rapaciter inhiarent, ut ad inferni clauſtra me raperent, ecce unus ex cæleſti militia nuncius nimio fulgore rutilans in medium micuit, qui clara voce Beatorum ſpiritibus circumſtantibus dixit: Reddite animam Stephani lacrymis Symeonis, quia divinæ Majeſtatis aures indeſinenter compellit luctuosè gemitu plorationis. Qua voce prolata ilico priſtinæ vitæ ſum redditus, & quanta ſit obedientiæ, ſeu caritatis virtus, per cuncta Eremi loca enarrare firmiter à Deo ſum monitus. Et ſancto Symeoni inquit: Tuis nempe, beate Pater, precibus ſuſcitatus amiſſam recepi animam, & mandata Dei, quæ mihi pandere juſſa ſunt, ac viſa inferni ſupplicia, quæ audita non credidi, viventibus ſuperis terribiliter pandam. Hæc Stephanus retulit, & pluribus quamdiu vixit in mundo, ſicut ſibi contigit, reſeravit.

Ann. Chr. MXVI. Jul. XXVI.

Reſuſcitatur.

IV. *Jeroſolymam petit.*

Cumque jam longo exacto tempore ſupernæ pietati placuiſſet, ut beatus Chriſti confeſſor Symeon vaſtam ſolitudinem deſereret, atque diverſas mundi partes per lucis exempla miraculis illuſtraret, Eremum deſeruit, Chriſto ſibi ducatum præbente Hieroſolymam petiit. Et bene Hieroſolymam, quæ interpretatur Viſio pacis, quia vir pacis amator plures inter ſe, & à Chriſto diſcordes ad unitatem fidei, & ad pacis gratiam revocavit. Quam cum vir beatus humili cultu ingrederetur, quamdam domum horroris plenam introivit, ubi ſeptem humana corpora ſeptem nequiſſimis mancipata ſpiritibus reperit, quæ ab ipſis adeò veſaniæ torquebantur furore, quod ſi quilibet ea niterentur contingere, confeſtim eos lacerosis morſibus molirentur diſcerpere. Quibus vir Dei divina fretus virtute, conſtanter imperans, protinus ab obſeſſis corporibus illos nequam ſpiritus increpando fugavit.

V. *Romam.*

Non multo poſt tempore ſervus Dei Symeon exacto jam eremiticæ converſationis prœlioſo tyrocinio, quia ſibi divinitus revelatum eſt, ſolitudinis antra deſeruit, & orationis ſtudio Romam peregrinus expetiit. Cumque ſanctorum multa corpora circumeundo viſitaret, quem nullus in orando labor vix aliquando ſuperaret, tandem ad oratorium ſancti Johannis Baptiſtæ Lateranenſis eccleſiæ applicuit, ubi ſanctæ Romanæ eccleſiæ pontificem, Benedictum nomine, cum multis religioſis Epiſcopis orthodoxis viris in congregata Synodo reſidere invenit. In quo cum devotè orationis moram, ut ei ſemper conſuetudo fuerat, diu in longum protraheret, unus ex clero nequitiæ ac ſuperbiæ furore plenus, Symeonem virum ſanctum & catholicum omnibus in Synodo reſidentibus ore polluto infamavit hæreticum: & ut eum morti traderet, atque ad necandum eum populum concitaret, talia adverſus virum Dei verba polluto ore delatrabat, di-

Ubi hæreſeos ſuſpectus.

ANN. CH. MXVI. JUL. XXVI.

cens : Nonne, inquit, omnes videtis in viſu, in inceſſu, & totius corporis geſtu hominem hunc pravum, & impoſtorem hæretice agere? Inſurgamus ergo in eum, & ut ceteri contremiſcant, aut lapidibus obruamus, aut vivum igni comburamus. Hæc flagitioſus aiebat, & ejus flagitio plures adjuncti ſunt unanimiter conſpirantes, qui, inſtigante diabolo, virum ſanctum, juſtum & pium, toto conamine occidere moliebantur. Qua de re Romanus Pontifex cum univerſo Epiſcoporum collegio turbabatur, & quibus indiciis hoc verè cognoſci potuiſſet, diligenter ſciſcitabatur. Aderat tunc ibi quidam religioſus & reverendus Epiſcopus, qui ab Armeniæ finibus peregrè Romam petens, conſilio & ſapientia præditus, reverentia ſanctitatis habebatur egregius. Qui dominum Papam humiliter adiens, hiis dulcedinis verbis illum exhortabatur, dicens: Tua, beate Pater, jubente auctoritate, furor populi conquieſcat, & quis vir ille ſit, vel cujus profeſſionis, ſeu qualiter Catholicam fidem excolit, me percunctante, tua Paternitas recognoſcat. Cujus ſapienti conſilio reverendus Papa credidit, eoque jubente populi ſeditio conquievit. Tum vero ſupra memoratus Epiſcopus virum Dei Symeonem aggreditur, & lingua, qua utebatur, ita eum alloquitur. Qui es? Unde es? Cujus es? Dic ergo, frater monache; & ſi catholicæ fidei cultum tenes, per me iis omnibus innoteſce? Ad hanc vocem ſervus Dei Symeon, qui erat Deo plenus, nuſquam verò à ſapientia vacuus, denuoque interroganti prudenter reſpondens, Catholicæ & Apoſtolicæ fidei perfectionem ita confitendo perdocuit, qualiter per univerſum orbem Apoſtolorum ſymbolum, in Nicæna ſynodo peroratum, clara voce perſonuit. Quod cum peregrinus Epiſcopus audiſſet, famulum videlicet Dei Symeonem plenum fide & ſanctitate veraciter cognoviſſet, magno repletus gaudio pro reverentia ſanctitatis, ejus pedibus ſe proſtravit humiliter obſequio. Poſtquam ergo plura inter ſe Armenica lingua contuliſſent ad invicem, ad extremum peregrino Epiſcopo totum de ſervo Dei quod quærebat innotuit; quod protinus Papæ ac omnibus qui aderant, virum, ſcilicet Symeonem, veræ fidei profeſſorem, juſtum & ſanctum, æternæ Trinitatis cultorem, omnipotentis Dei adoratorem palam omnibus declaravit. Sed quia Deus omnipotens ultionum Deus eſt, qui nihil quod injuſtè culpatur inultum abire permittit; Clericum, qui ad necandum ſervum Dei populum concitaverat, eadem hora ſpiritus malignus arripuit, ac pro illata ſervo Dei contumelia diutiſſimè volutando vexavit. Videntes autem Romanus Pontifex, ac totus Clerus, univerſuſque populus tanta Dei magnalia, & mirifica opera, elevatis in cælum manibus ſimul cum clamoribus, omnipotenti Deo laudes & gratias referebant, qui non permittit ſervum ſuum innocentem perimi ſub iniquorum præjudicio, nec interfectorem ejus abire ſine vindictæ præmio. Tunc ſervus Chriſti Symeon cernens perverſum clericum ab ultore ſpiritu crudeliter dementari, memor Evangelici dicti, quo dicitur: *Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos.* & alibi: *Orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos*, compatitur miſerrimo Clerico; elevataque ſuper illum manu, ſignum Crucis increpando edidit, moxque malignus ſpiritus per os vexati turpiter exclamans ululando evanuit. Eadem verò hora liberatus ab hoſte Clericus, pedibus viri Dei Symeonis provolutus corruit, ac ingenti gemitu diutiſſimè plorans, ſe reum, ſe culpabilem multum accuſans, de perpetrato ſcelere veniam poſtulavit. Quem Jeſu-Chriſti famulus Symeon, ut erat ſemper pietate & miſericordia plenus, corde proſtratum, corpore ac mente ſanavit: deinde pænitentia ducto relaxatum ſibi ſcelus clementer indulſit. At verò præfatus Pontifex, totus Clerus, ac univerſus populus, ſanctum Symeonem glorioſum confeſſorem læto corde ſuſcipiunt, intra eccleſiaſtica mœnia, honorabili in loco aptum ſibi habitaculum tribuunt. Ad

Catholicus agnoſcitur.

Digitized by Google

quem plures ægri, diverſiſque languoribus oppreſſi certatim properant. qui ſanitate per impoſitionem manus ſancti viri recepta, incolumes cum gaudio ad propria redeunt, plurima ei dona, ac diverſa munera offerentes: quæ Dei ſervus peregrinis, indigentibus, viduis, orphanis, pauperibuſque diſpertiens, per illorum manus in cæleſtem gazam recondendo tranſmiſit. Valdè nimirum metuens, ne favorabilis aura, aut populi rumor, ejus facta longè lateque extollendo protenderet, nocte Romam deſerens ad Tuſciæ fines per devia quæque progreſſus ſecretò ſeceſſit. ANN. CHR. MXVI. JUL. XXVI.

VI. Roma exit.

Hiis denique ita peractis, pluribuſque virtutum ſignis per ejus merita ibi declaratis, beatus Symeon Roma diſcedens, maritima loca pertranſiens, ad quoddam monaſterium [a] caſu venit, ubi fortuna ſervata ſuæ naturæ vice proſpera in adverſa mutavit. Nam fratres ſcilicet, qui fratrem debuerant ut Chriſtum ſuſcipere, cœperunt crudeliter verberibus perſequendo percutere. Quod ſcelus dum Epiſcopo civitatis manifeſtè innotuiſſet, Monachos, qui Domini famulum Symeonem percuſſerant, comprehendi, & in obſcurum carcerem retrudi juſſit. Sed verus Chriſti diſcipulus, illius magiſtri veſtigia ſequens, qui à Judæis comprehendi, flagellari, conſpui, lancea perforari, poſtremo crucifigi pro mundi ſalute non horruit, pravorum opprobria non reſpuit, quæcumque flagella illi fratres ſibi intulerant patienter ſuſtinuit. Ecce nunc pietate quanta redundat Dei cultor Symeon. nam intempeſtæ noctis ſilentio ſurgens, incluſos monachos tacitè adiit, clauſtra fuſis ad Deum precibus aperuit, ac confidenter exire admonens, & impunitos abire permittens, liberos foras excluſit. Egreſſi quidem ad pedes viri Dei velociter currunt, ubi reatum ſuum, diutius flentes ſe deliquiſſe, nequiter erraſſe accuſantes, peccata quæ in ſancto Dei commiſerant, lacrymis puniunt. Quos Chriſti famulus benigno, ut ſemper erat, animo arguendo, obſecrando, increpando monuit Deum, & proximum diligere, caritatem habere, hoſpitem tamquam Chriſtum ſuſcipere, per omnia & in omnibus ſanctæ Regulæ [b] præceptis firmiter obedire. Qua exhortatione ſalubriter admoniti, à priſtinis vitiis curati, ac per ejus dulcia verba in melius reformati, quod quidem uſu pravitatis didicerant, poſtmodum ad honeſtæ moralitatis uſum permutare ſtuduerunt. Audiens autem ſupra memoratus Epiſcopus tantam viri Dei humilitatis conſtantiam, tantamque patientiam, ad ſe quantocius illum exhiberi juſſit, tumque ſecum quo ad viveret pro ſuæ ſanctitatis reverentia obnixis precibus manere rogavit. Qui omnino renuens, ad deſtinatum iter, ſicut ei divinitus erat imperatum, animum dirigens, ſe ibi manere non poſſe omnino denegans, accepta benedictione diſceſſit.

Eximia ejus caritas.

VII. Piſam advenit.

Tum beatus Symeon inde progrediens, ad civitatem, quæ Piſa nominatur, recto tramite greſſum flectens, diabolum quaſi leonem rugientem obvium habuit. qui ei dixit: Quo tendis monache? Cui ſanctus ait: Quo me Chriſtus ducere voluerit. Quod cum diabolus audiſſet, ab oculis ejus velut fumus evanuit: Dei verò ſervus abſque pavore iter quod cœperat intrepidus tenuit. Ingrediens autem prædictam civitatem, cujuſdam pauperis domumculam hoſpitio habuit, fatigatum laſſitudine corpus, ut ei ſemper conſuetudo fuerat, pomis & aqua refecit. Mane autem facto, inde exiens, non longè à civitate quemdam hominem cum aſino ad inſedendum præparato in itinere reperit, qui ei ita dixit: Aſſcende, domine peregrine, meum aſſcende aſinum, ut ad perficiendum cœptum iter aliquod tibi valeat eſſe ſuffragium. Quod cum dixiſſet, ilico Jeſu-Chriſti ſervum ſuprà impoſuit, ipſe quoque aſinum capiſtro ducens, ad Lucanam civita- Tum Lucam.

[a] Hoc monaſterium in Tuſciæ finibus ſitum fuiſſe dicit altera editio, ad quod *per oras maritimas* pervenerat vir ſanctus. at nomen non indicat.

[b] Hic Regulam S. P. Benedicti laudare videtur, quæ adeo hoſpitum ſuſceptionem commendat cap. 53.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXVI. Jul. XXVI.

tem advenit, ibique in cujuſdam Judæi domo, divina providentia procurante, hoſpitatus quievit. Hominem ſiquidem, ſicut dictum eſt, cum aſello præparato ad ſe ſubvehendum Chriſti famulus invenit, ſed à quo ſibi miſſus fuerat penitus ſcire nequivit.

VIII. Edentibus autem illis, cœpit ſervus Dei Symeon ſalutis verbum prædicando affluenter diffundere, atque de incarnatione unigeniti Filii Dei cum Judæis conflictum habere. Ad quem plures Judæorum tunc convenerunt, qui Chriſtum Dei filium de intemeratæ Virginis utero humanam carnem ſumſiſſe negantes, eumdem Dominum noſtrum Jeſum-Chriſtum hujuſmodi blaſphemiæ ultorem in propatulo perſenſerunt. Horum namque unus dum Redemptorem noſtrum ex Maria Virgine natum exſecrando negaret, coram cunctis qui aderant, ſpiritum vlulando emiſit. Tunc Judæi ibi circumſtantes, & hoc Dei terribile judicium contuentes, illum infelicem, & repentina morte necatum tulerunt, & in eadem domo ſub ipſa nocte, ſicut conſuetudo illorum exigit, occultè ſepelierunt. Mane autem facto ex tota illa civitate quicumque Hebræi pavore concuſſi in unum conveniunt, & exhortante illos Chriſti viro Symeone in Chriſtum Dei filium crediderunt, atque catholicæ fidei ſymbolo ſe velle doceri, unanimiter ſpoponderunt. Nulla igitur interveniente mora, Jeſu-Chriſti ſervus Symeon una cum Judæorum populo ad Chriſtum converſo, ejuſdem civitatis Epiſcopum, qui tunc temporis ſanctæ Lucenſis eccleſiæ regimen gubernabat, feſtinanter adiit, quatenus quos relicto errore Chriſto credere, & ſub aſſertione veræ fidei profiteri fideliter noverat, ſacri baptiſmatis unda perfunderet. Audiens hæc reverendus Pontifex, ingenti repletus gaudio, utraſque manus erexit ad ſidera, ac ſalvatoris Jeſu-Chriſti cœpit inceſſanter laudare magnalia. Tum verò per omnes civitatis eccleſias pulſatis ſignis, confeſtim tam admirandæ novitatis rumor inſonuit. Ubi collecta innumera utriuſque ſexus, ac diverſarum ætatum populi multitudine, cœpit idem Epiſcopus omnipotenti Deo, pro Judaïca turba ad Chriſtum meritis & interceſſione ſancti Symeonis converſa, laudes & gratias agere, ipſumque Chriſti confeſſorem, ut fidelem cooperatorem, pro tanta Dei gloria ſumma honorare reverentia. Deinde reverendus Antiſtes infidelitatis erutos Catechumenos faciens, ſacri baptiſmatis abſolutione perfundens ad æternitatis gloriam innovavit, atque per adoptionis gratiam ſanctæ Eccleſiæ gremio copulavit. Hiis itaque peractis, Epiſcopus cum toto Lucano populo ſanctum Dei Symeonem, ut ſecum ibi maneret, magnis precibus rogare cœperunt, ſed ipſe eorum vocibus non acquieſcens, ſummo diluculo inde diſceſſit.

Ubi miraculo Judæos convertit.

IX. Sub eodem quoque tempore beatus Symeon tranſiens per Lucenſium civitatis fines, in quemdam vicum hoſpitandi gratia venit, in quo multos languidos, ac febricantes aquam illis ſolummodo benedictam impertiens curavit. Inde egrediens in Lunenſem [a] civitatem applicuit, ibique prope eamdem urbem hoſpitium extra habuit, in quo infirmum quemdam, multo jam tempore corporea infirmitate detentum, languere invenit: cui cum Jeſu-Chriſti ſervus portiunculam unius pomi cum benedictione tribuiſſet, priſtina ſanitate recepta, coram cunctis adſtantibus, de ſtratu ſuo ſtatim ſanus exſiliit. Inde quoque progreſſus, ſimul cum conviatore ſuo per Bardonem montem iter faciens, tandem ad Baſilicam ſancti Moderaminis [b] itinerando divertens, orandi ſimul & hoſpitandi gratia ſtudiosè ibi excubare curavit. Mane autem oratione cum matutinalibus hymnis

Ægrum Lunæ ſanat.

[a] Luna urbs erat vetuſtiſſima ad oſtia Macræ fluvii, nunc exciſa, cujus ſedes epiſcopalis Sarſanam haud longe diſtantem tranſlata eſt.

[b] Legendum *Moderamni*. Hic quippe auctor loqui videtur de eccleſia ſancti Remigii de Berceto, in qua Moderamnus ſepultus miraculis claruit. Vide Sæc. 3. parte 1. pag. 517.

Digitized by Google

peracta, Dei ſervus eccleſiam exiit, & prædictum ſocium unà cum aſino ad ſubvehendum ſibi præparato, foris ſe præſtolari invenit. Qui dixit ei: Nunc tibi, venerabilis Pater, ſecretum noſtri itineris pandam, quod nunc uſque ne tibi moleſtum videretur aperire pertimui. Quadam, inquit, nocte dum in civitate Piſana in lectulo meo ſopitus quieſcerem, voce mihi de ſupernis prolata divinitus à Domino juſſum eſt, quatenus te hoc meo aſino huc uſque ſubveherem, & laborem tui itineris tecum pariter ſupportarem. Da igitur mihi nunc benedictionem tuam, qua tutus ad domum meam cum gaudio redire valeam. Qui elevans ad cælum oculos cum manibus fuſis lacrymis glorificavit Dominum, & mente devota benedixit ſocium. Qui auctus benedictione, roboratus lætitia, per iter quò venerat propero reditu feliciter remeavit ad propria; paſſim reſerando mira & magnifica Chriſti prodigia, quæ per ſervum ſuum ſecum gradientem fieri viderat.

Ann. Chr. MXVI. Jul. xxvii.

X. *Placentiam venit.*

Paucis ibidem moratus diebus, pluribuſque virtutum miraculis declaratis, beatus Symeon à finibus illis egreſſus, viribus corporis, quibus poterat paullatim eundo, Placentiam acceſſit ad urbem, ubi mira quæ Deo cooperante peregit ſubinferam: & quia digna relatu videntur, fidelium auribus intimare non pigeat. Quam cum fuiſſet ingreſſus, & aſſiduis orationibus vacans ſanctorum corporum limina orandi gratia circuiret, antequam mediæ noctis terminus incumberet ad beati Sixti papæ & martyris, Chriſto ducente, properavit eccleſiam [a]. Cujus foribus dum devotus exſiſteret, & modulatis vocibus odas dulciſonas decantaret, cuſtodes eccleſiæ qui aderant, ilico ſurrexerunt ad audiendas mellifluas melodias, & excubare cœperunt. Quibus laudibus una ex ancillis Dei, Maria nomine, ſacriſta ejuſdem eccleſiæ, vehementer exterrita ad baſilicæ januas cucurrit, & quas vectibus, & ſeris obfirmaverat, quia apertas invenit, mirata obſtupuit. Sed Chriſti ancilla in actu & operatione beati Symeonis claro perpendit, quòd verus Chriſti eſſet diſcipulus & fidelis ſervus, & quòd nemo ei eccleſiæ valvas, niſi mira Dei potentia reſeraſſet: mox quia vexatione febrium ipſa nimium torqueretur, citius ejus pedibus appetiit, & ut pro ea Dominum exoraret fuſis lacrymis eum proſtrata rogavit. Proinde hæc ita ſubintulit: Signa me, inquit, beate Pater, tua dextera, & ab ardore febrium tuis me ſanctis orationibus adjuva. Qui ſtatim erecta manu ſignum ſanctæ Crucis ſuper eam impoſuit, & febricitantem Dei famulam à febrium valetudine liberavit. Ut vero clara dies eſt reddita terris, Dei ancilla à febribus erepta, totius Congregationis ſpiritualem matrem, cunctaſque ſorores præ gaudio lacrymando adſcivit, & qualiter à viro Dei in nocte ſanata fuerat omnibus patefecit. Sed quia juxta Redemptoris veridicam ſententiam, *Non poteſt abſcondi civitas ſupra montem poſita*, per cuncta urbis mœnia ſancti viri percrebuit fama. Unde ad videndum eum innumera populi multitudo confluxit. Sed Chriſti ſervus, qui mundanæ felicitatis pompam contemſit in ſæculo, ut dives fieret in cælo, præclara virtutum ſigna omnino contegi malens, honorari ab hominibus omnimodo reſpuit, & populi rumorem fugiens, crepuſculo clam urbem deſeruit, clamque diſceſſit.

Ubi febricitantem ſanat.

Matth. 5. 14.

X I. *Hinc digreſſus.*

Plures inde ſibi peregrinos aſſocians, Padum flumen petiit, ubi navigium, quo flumen tranſmearet nullum invenit: ſed mira Dei clementia ſolito ſibi mirabiliter affuit, quæ illi navem extra flumen poſitam, ſine ullo hominis juvamine, abſque ullo remigio ad transfretandum celeri curſu direxit. Quam vir Dei cum peregrinis ſecum comitantibus confidenter intravit, & decurrentem fluvium ſolo cum baculo tranſnavigavit.

[a] Monaſterium ſancti Sixti tunc monialium, paullo poſt à monachis Ordinis noſtri inhabitatum, etiamnunc perſeverat ſub Congregatione Caſinenſi. V. Iter Italicum ad diem 28. Maii pag. 269.

Digitized by Google

ANN. CH. MXVI. JUL XXVI.

Tranſiens inde per vicum, qui Cuniolus dicitur, ad monaſterium ſanctæ Chriſtinæ virginis venit, ubi apud quamdam pauperculam viduam, cujus filius paralyticus languebat, hoſpitium accepit. Cognita denique ibi Chriſti famuli ſanctitatis virtute, precibus aſſiduis ſupplicabat, medelam filio cum lacrymis depoſcebat. Tunc vir ſanctus, qui ſemper miſericordiæ viſceribus inundabat, poſtquam pietate motus ſacra manu paralytica membra tetigit, diuturna paralyſi maceratus, eadem hora ſanus de lecto ſurrexit. Res mira; qui uſque id præ dolore nimio non valebat nec ſe in latus aliud vertere, nec manum ad os ducere, propriis reſtitutus greſſibus cœpit eundo huc illucque gratulabundus diſcurrere, & Dei magnalia apertis vocibus laudabiliter proclamare. Prædicta namque vidua de ſalute filii admodum læta, quæcumque ſibi obſequia potuit exhibere ſtuduit; juxta ſuæ facultatis modulum menſulam appoſuit, cibum ſibi ſedula miniſtravit. O mira Chriſti pietas, ô mira clementia, quibus laudibus ejus ſunt extollenda præconia, dum virtutum curationes, quas per ſemetipſum corporaliter exhibuit, per ſervos ſuos longè lateque clarere diſpoſuit! Duobus ibidem tantum peractis diebus, Dei cultor Symeon Papiam urbem expetiit, ubi plures ægrotos ſola manus impoſitione, invocato Jeſu-Chriſti nomine, per divinam virtutem priſtinæ ſanitati reſtituit.

Paralyticum curat.

XII. Dum quadam die, ut ſolitus erat, ſanctorum eccleſias, atque venerabilia monaſteria viſitando circumquaque orationis gratia circuiret, ac fatigatum præ laſſitudine corpus in cujuſdam religioſi viri domo cum peregrinis ſecum comitantibus diſcumberet, mulier quædam dæmonio plena, per civitatis plateas multorum manibus trahebatur ad ſancti Syri eccleſiam. Cum autem appropinquaret domui, in qua Chriſti diſcipulus Symeon hominibus incognitus manebat, cœpit idem dæmon greſſum figere, ac turpibus vocibus per os feminæ clamare, dicens: Hic unus ex diſcipulis veſtri Chriſti occultus latitat, qui me catenis igneis ligat, & ne ulterius hoc pervaſum corpus dilacerem, ejus me timor excruciat. Quod illi qui dæmoniacam ducebant audientes, ſub conjurationis violentia cœperunt diligenter exquirere, quo vocaretur nomine, ſeu in cujus hoſpitaretur domo. Qui conjuratione conſtrictus, & nomen ſancti pandit, & domum in qua haberetur oſtendit. Quo audito, Dei ſervus ſancti Syri baſilicam petiit, ibique intra cryptam, juxta ſanctum corpus procumbens, tacitus latuit. Tunc viri omnes ſicut audierant cœperunt Dei famulum diligenter quærere, ſed quia jam inde abierat nuſquam poterant invenire. Pergentes igitur ad beati Syri eccleſiam, & virum Dei è veſtigio ſequentes, cum eadem dæmonioſa quam ſecum duxerant introierunt, & beatum Symeonem intra cryptam latitantem, & orantem, ſicut idem malignus ſpiritus prodiderat, invenerunt. Cumque totis annisi viribus illam vexatam ad beati Syri corpus conarentur trahere, cœpit idem nequam ſpiritus rabida, & condita voce ſanctum virum ita depromere: Veſtri Chriſti diſcipulus, qui me nunc ligavit, hic abſconditus latitat, cujus me timor vehementer excruciat, cui quoque conceſſum eſt, ut me ex hoc ſubjecto corpore violenter ejiciat. Audiens itaque Chriſti confeſſor, hoc prolato nomine, ſe nullo modo poſſe contegi, nulla abſconſione celari, divino numine fretus dæmonio viriliter imperat, & diu obſeſſum corpus ab immundo ſpiritu liberat.

Papiæ.

Dæmoniacum liberat.

XIII. His denique rite peractis, quia vir Dei Symeon in Galliarum partes ad ſanctorum corpora inviſenda recto calle cœptum iter direxerat, paucis ibi moratus diebus, Papia diſcedens cum aſcitis ſibi ſociis Vercellim properavit ad urbem. Ea verò die, qua ab urbe egrediebatur, dum per Ticini pontem tranſitum haberet, invenit ibi quemdam ſenem flentem, ac præ

Digitized by Google

ANN. CH. MXVI. JUL. XXVI.

Equum curat.

mærore nimio jacentem. Cujus equus in ponte delapſus ita cecidit, quod ejus coxam duorum lignorum ſtrictura fractam contrivit. Qui videns ſenem nimis dolentem, ac perditi equi damnum plorantem, ejus dolori compaſſus, ita percontatus eſt, dicens: Quo modo tendis, vel cur ploras, miſerande ſenex? Cui ille: Romam, inquit, beate pater, adire cupio, ſed heu me quia equus meus in hoc ponte colliſus jacet, ulterius incedere nequeo. Cujus equi coxam mox ut vir Dei tetigit, mirabile dictu! ſanatum equum flenti ſeni redidit; ſupra quem impoſitum cum gaudio abire dimiſit. Quod viri & feminæ, qui illic ægroti jacebant, ſeu qui ab illo ſanitatis donum acceperant viderunt, & ſoſpites redditi, ſicut cognoverant, per tota urbis mœnia laude glorifica retulerunt. Inde Vercellas attigit, ubi dum plures virtutum curationes, quas dinumerare longum eſt, infirmis corporibus infunderet, duos pueros invenit, quorum unum ab ardore febrium, alterum vero à ſqualore vulnerum ſanavit. Quos qui vidit, retulit; & qualiter à beato viro curati ſunt, poſteris declaravit.

Varia miracula.

Ab hinc quoque per Palæſtricum Burgum beatus Symeon iter faciens, XIV.
quemdam leproſum reperit, cujus tugurium intrans, ſolo manus tactu à lepræ fœditate mundavit.

Ex inde Tornienſium [a] fines appetens, in ponte Duræ fluminis cæcum XV.
obviam habuit, cui crucis ſignaculo oculorum lumen reſtituit.

A Tornienſi urbe cum adjunctis ſibi ſociis diluculo exiens, per Siguſa- XVI.
niam vallem deſcendens, ad ſancti Petri cœnobium, quod Lucis-novæ dicitur, licet nimium fatigatus, venit; ubi Chriſti famulus diù corporea infirmitate detentus debilis jacuit. Cumque tribus in infirmitate decurſis menſibus à Deo bene curatus, deſtinatum iter quod cœperat carpere niteretur, ad quemdam decurrentis aquæ fluvium venit, ſolo ſibi adminiculante baculo, nullo ſecum comitante ſocio. Quem juxta cæcum quemdam cum puero, ſcilicet ſui ductore ſedere reperit, quem intuitus ſic eum alloquitur dicens: Nunc frater mi cariſſime lavemus manus, & facies, & ſic ad audiendam Miſſam citius properemus, quatenus noſtrum iter Deo ducente expeditius peragamus. Cui cæcus obediens, ad abluendas ſibi manus cum viro Dei rivulo acclivus procubuit. In cujus vultum ſanctus lympham manibus ſpargens claram oculis lucem protinus reddidit. Qui ſerenos oculos ad cælum, cum manibus elevans, celebres Deo laudes retulit, atque mox illuminatori ſuo comes effectus, eum per vitæ ſpatium non deſeruit.

Cæco reſtituit viſum.

His peragratis finibus, intravit Aquitaniam, dehinc petens Guaſco- XVII.
niam penetravit Hiſpaniam, pervenit in Galliciam, eccleſiam ſancti Jacobi apoſtoli petiit orationis gratia. Quibus in partibus ſummus & æternus opifex Deus per fidelem famulum ſuum multa & præclara peregit ſigna virtutum, quæ quia innumera ſunt, & ſub deſcriptionis compendio determinare nequimus, competentius omittere cenſemus, quam per diffuſa narrationis ſpatia longius evagemus. Ut autem viri Dei opinio per diverſa Galliciæ loca inclaruit, atque ſanctitatis fama Regi illius provinciæ innotuit, ſumma cum veneratione Chriſti ſervum excoluit; ipſe vero ſanctus filiam ipſius Regis ab immundo ſpiritu arreptam ſuis precibus liberavit. Pro cujus liberatione Rex ſibi plurima auri, & argenti dona obtulit. Ex quibus omnibus nihil ſibi niſi ſervulum unum, Johannem nomine, accepit. Quem non ut ſervum, ſed ut fratrem diligens ut beatus Martinus agebat, ita iſte ſuo verſa vice humiliter miniſtrabat.

Miraculis claret in Hiſpania.

[a] Altera editio habet: *Cum per Nervios apud quos tres totos menſes ægrotavit tranſiret.* Sed qui ſint illi mihi incompertum eſt. Certe hic deſignatur locus in Pedemontio, quod exigit tum itineris diſpoſitio, tum Duræ ſeu potius *Duriæ* fluvii Pedemontani mentio. Ceterum pro *Tornienſium* legendum puto *Taurinenſium*, & cap. ſeq. *Taurinenſi.* & infra *Seguſianam.*

Digitized by Google

ANN. CH. MXVI. JUL. XXVI.

XVIII. Poſt hæc quidem beatus Chriſti confeſſor Symeon, viſitatis ſanctorum corporibus, exinde rediens, per Britanniam tranſitum habuit. Ingreditur Franciam, Turonum adiit, ibique beati Martini magni & incomparabilis viri oratorium petiit; ubi jam non multis tranſactis diebus Italiam venit. Quam circumquaque perluſtrans, Mantuanæ tandem provinciæ confinia attigit. Ubi juxta flumen Padum monaſterium in honore almi patris Benedicti à Theudaldo Marchione, Alberti filio conſtructum, ac probis fratrum moribus digniter exornatum reperit, in quo ſanctitatis converſatione Chriſto duce ſui corporis quietem elegit. Quem reverendus abbas, Venerandus nomine, totaque fratrum religioſa Congregatio ſumma cum caritate ſuſceperunt, ſibique humile habitaculum juxta ſui competentiam in loco quem ipſe elegerat conſtruxerunt. Ubi cælibem agens vitam atque ſanctis orationibus aſſiduè vacans, Chriſto Domino placabiliter ſerviebat, atque per totius moralitatis ſtudia omnibus complacebat. Erat enim verus Dei cultor, pacis & caritatis amator, oris ad ſilentium cuſtos; eleemoſynarum largus diſtributor, in vinea Chriſti idoneus cooperator; in inceſſu humilis, in eloquio dulcis, in fide conſtans, in oratione perſeverans, in jejunio aſſiduus, in vigiliis ſedulus. Qui nimirum domino Duci Bonifacio, ejuſque glorioſæ conjugi, cunctiſque ſuis militibus, necnon univerſis Italiæ Principibus pro tanta morum honeſtate ita carus erat, ut quæcumque ab eis promerenda peteret, facillime impetraret. Quorum omnium dilectione & benevolentia amabiliter eſt dilectus, ac intra palatinas ædes, ſi quando cauſa exigebat, honorificè eſt ſuſceptus. Si pro ſtatuenda pace aliquando foras egredi Dei famulo placuiſſet, prius à monaſterii Patre, & à fratribus benedictionis licentiam petebat, ac ſic ad perficiendum pacis opus fideliter incedebat. Dona vel exenia pravorum hominum veluti ſtercora aſpernando exhorrebat: quæ vero à bonis, & honeſtis viris aliquando coactus accipiebat, pauperum neceſſitatibus impendebat. Quis valet lingua exprimere, qua carnis mortificatione in diebus ſanctis Quadrageſimæ macerabat corpus? Quantos per licentiam ſpiritualis Patris inopes alebat, quantos nudos veſtibus tegebat, in quibus ſæpè non niſi ter, & ut ita dicam bis in hebdomada aridum corpus tantum veſpertino tempore vili edulio recreabat. In ultima quoque ejuſdem Quadrageſimæ hebdomada nullum omnino cibum, vel potum ſumebat, neque cum hominibus colloquium habebat, præter Cœnam Domini, quam cum Fratribus in refectorio juxta ſuæ præparationis modulum decentiſſimè exornabat, tribuens unicuique cum omni veneratione, & caritate Chriſti cocta legumina, quæ ſuis manibus diligentiſſimè præparans, olei unguedine condiebat. In ipſa verò feria Paraſceve ſub exemplo Redemptoris noſtri acetum acerrimum poſt ſolis occaſum lacrymando bibebat: dehinc totam noctem cum ſequenti Sabbato in mærore, & afflictione pervigilans, uſque ad ſanctæ Reſurrectionis diem nullam ſuo corpori quietem, aut oculis ſomnum accommodabat.

In monaſterium ſecedit prope Mantuam.

XIX. Hoc quod ſubſequor, ſatis nobis videtur laudabile quantum perpenditur, & venerabile. Dum quadam die vir ſanctus ejuſdem præfati monaſterii, in quo degebat, exigente cauſa de cella exiret, & ad glorioſum Ducem Bonifacium properans, per cujuſdam ſilvæ ſolitudinem iter haberet, atque horrida nivis & glaciei aſperitas tanta ingrueretur, ut vix aliquis de ſub tecto exire præſumeret, cuidam pauperculo ferè nudo, & nudis cruribus incedenti obviavit. Cui miſerando compatiens, caligas, quas in cruribus habebat, confeſtim abſtraxit, & nudo pauperculo miſerans tribuit, eique ne alicui eas venderet adjuratione prohibuit. Quas pauper alacriter ſuſcepit, & beatus Symeon iter quod cœperat gaudenter peregit. Felix felicem imitatus Martinum, qui parte ſuæ veſtis in porta Ambianenſium

Mira ejus caritas.

Digitized by Google

biantenſium nudum veſtivit, & in nocte Jeſum-Chriſtum eadem parte veſtitum, qua pauperem texerat, videre promeruit. Sic quoque iſte verus Dei diſcipulus nihil in ſe deformitatis metuens egit, & unde ſua gaudenter exuit, inde pauperis crura miſericorditer contexit. Cum autem jam ante dictum Ducem Bonifacium ita nudis cruribus adveniſſet, intuens eum Dux, inquit: Cur ſic inepte ſine caligis & calciamentis incedis, domine Pater? Cui ille: Caligas, inquit, quas habebam, Jeſu-Chriſto dedi, qui dixit: *Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Quod dominus Dux audiens præ admiratione obſtupuit; & confeſtim duas hircorum pelles afferri, inde ſibi alias conſui juſſit. Quas ille recipere renuit, quia à remuneratore omnium bonorum Deo eas ſe accepturum aſſeruit.

ANN. CH. MXVI. JUL. XXVI.

Matth. 25. 40.

XX. Peracta autem cauſa pro qua ierat, ad monaſterium unde venerat rediit. Ubi ſicut prius, quotidie ad altiora conſcendens in contemplatione ſupernæ vitæ ſinceriter vixit. Non multo poſt exacto tempore, à domina jam dicta Richelda nomine, domini Bonifacii conjuge, beatus Symeon rogatus Mantuam venit. Ad quem videndum plurima populorum turba concurrit. Qui ſiquidem eccleſiam ingrediens, ibique prolixius orationis moras diutius protrahens, atque pluribus ſanitatis beneficia præbens, tandem foras exivit; & palatium petiit. Cumque ex aula Principis, quæ quadratæ cuidam ac peramplæ imminebat curiæ, egrederetur, & ad monaſterium redire vellet, leonem ex illis unum, quos Princeps magnificentiſſimo alebat ſumtu ac pompa, obviam habuit. Is enim fracta catenarum torque, qua invictus detinebatur, adeò efferè curſuque concitato ac furibundo, per forum illud diuagabatur, ut omnes, qui tunc præſentes aderant, exanimati præcipitanter in fugam verterentur, clauſiſque tabernis opifices ſuæ ſaluti conſulerent in tectis. Tum Symeon tam ingenti periculo civium commotus, fretuſque ſolito Dei favore, contra feram horrendam, anhelantem, rugientemque progreditur, manumque illius faucibus multa commiſta rabie ſpuma terrificis admovens, ita horribilem actutum ſedavit illius immanitatem, ut agnum dixiſſes: ſicque à ſancto viro tam effera bellua brevi cicurata, ad conſueta ſtabula ingenti omnium ſtupore ac plauſu manſuetè reducta eſt. Symeon autem, actis publice gratiis Deo, ad ſuum reverſus eſt lararium.

Leonem indomitum mitem facit.

XXI. Neque hoc ſilentio ſupprimo, quod fidelium relatione probatum recolo. Quoddam namque tempore dum vir Dei Symeon ad Burgum ſancti Domnini iter ageret, contigit quemdam languidum, qui decennio & amplius corporea infirmitate detinebatur, ad eum deduci. Qui tres ficorum fructus ſibi cum benedictione tribuit, quos acceptos ut comedit, mox viribus receptis ſanus de lecto ſurrexit, atque ad exhibendas Deo laudes celeriter feſtinavit. Quod loci illius incolæ cernentes magna cum veneratione ad eum venerunt, plurima ei ac diverſa munera fideliter obtulerunt. Quæ licet invitus acciperet, omnipotenti tamen Deo non ſuis meritis gratias retulit, & cuncta pauperibus, & indigentibus erogavit. Ab illo ergo die à cunctis ejuſdem loci habitatoribus in magna admiratione eſt habitus, ac virtutum ejus ſignis per vicina loca jam cognitis à pluribus eſt dilectus.

Languidum ſanat.

XXII. Per idem quoque tempus inde digrediens, dum civitatem Parmam attingeret, & ejuſdem urbis epiſcopus, Sigifredus nomine, beatæ Feliculæ virginis corpus à loco, in quo quieſcebat, glorioſa celebritate transferens, in eccleſia ſancti Pauli decentiſſimè conderet, Dei nutu contigit beatum Symeonem eidem tranſlationi intereſſe. Qua in celebritate Chriſti ſervus à præfato reverendo Epiſcopo honorificè ſuſceptus, dum intra Miſſarum ſollemnia juxta altare ejuſdem beati Pauli apoſtoli orationi incumberet, ad hujuſmodi feſtum quædam mulier, nobilibus orta na-

Digitized by Google

ANN CH. MXVI. JUL XXVI. talibus de pago, qui Monticulus dicitur, quam paralyſis totam læſerat; propinquorum ulnis ſublata, atque ibi juxta altare, ubi vir Dei orabat, poſita fuerat. Quæ lacrymis profuſa, ſanctæ virginis Feliculæ implorabat auxilium. Dehinc beati viri provoluta pedibus, colliſo corpori depoſcebat remedia. Intuens autem illa vir Dei, dixit: Surge filia, ſigna te ſanctæ Crucis ſignaculo. Cui illa reſpondit: Signare me, domine Pater, penitus nequeo, quia peccatis meis exigentibus totis corporis viribus careo. Nec mora ilicò Chriſti ſervus appropinquans, accepta ejus manu dextera erexit eam, & dixit: Surge filia, & eſto incolumis, confirma te ſignaculo Crucis, quia Chriſtus Dominus per ſanctæ virginis Feliculæ merita te ſanavit. Quæ continuò ſana ſurrexit, ac ſi nullam prius in corpore læſionem tuliſſet. Currere autem viri & feminæ undique cœperunt, manus ejus, ac pedes certatim oſculantes, magnis etiam precibus, ut apud illos aliquamdiù maneret, adprecantes. Alii in domos ſuas rapere, plurimi dona, vel quæque juxta facultatem munuſcula ſibi offerre conabantur. Quæ omnia Chriſti miles ubi acceperat, pauperibus, & indigentibus tribuebat, nihilque ſibi ad ſuæ utilitatis uſum in proprium reſervabat.

Ut paralyticum.

XXIII. Poſt hæc quidem à præfato urbis Præſule benedictione percepta, multoque ſecum comitante populo, ad caput Lurini venit. Ubi navim ingreſſus, per Parmæ fluvium in Padum deſcendit, ac ſic per Padi alveum ad monaſterium, in quo manere delegerat, curſum direxit. Unde cum navigarent, confeſtim flantibus ventis, tanta eos in flumine procelloſi turbinis tempeſtas involvit, quòd tota navis, in qua erat exſurgente fluctu, inter undarum cumulos pænè videretur demergi. Nautæ vero timore perterriti, elevatis vocibus clamaverunt, dicentes: Serve Dei ora pro nobis, in ſupremo poſiti periclitari incipimus. Jam enim nobis intentant omnia mortem. Quibus ipſe: Confidite, inquit, fratres, confidite, & nolite timere, voſque ipſi mecum Chriſti miſericordiam implorate. Qui ſtatim erecta dextera, contra ventorum impetum ſignum crucis faciens, dixit: Recedite venti contrarii, recedite. Jeſus-Chriſtus vobis imperat, abite. Quibus verbis citiùs dictis, omnis ventorum fragor conquievit, totaque contrarietas: factaque illis magna tranquillitate, ilico rediit clara ſerenitas. Inde navigantes, cum jam Mantuanis appropinquarent paludibus illis, quibus iter erat ad monaſterium, relicta ad ripam navi, Gonzagam opidum non tam celeberrimum, quam ob frequentes venationes Principum delicioſum & amœnum, profectus eſt; ubi vir ſanctus unum quod egit miraculum refero: & quia eſt memoria dignum, non eſt prætereundum. In eodem loco erat quædam puella habens guttur adeò conflatione concluſum, quòd neque loqui, neque quicquam cibi deglutire ullo modo poterat. Quæ ſancti Symeonis audito adventu, acceſſit ad eum, deprecans, ut ſua pietate ei miſereretur, ita ſcilicet ut ſua ſacra manu tumidum guttur tangere dignaretur. Quod cum vir ſanctus agere differret, & miſerendi moram diù in longum protraheret, miſerabilis puella acri dolore fatigata, voce qua poterat ita dicendo à precibus non ceſſabat: Domine piiſſime adjuva me. Qui pietate commotus, ſuper inflatum guttur ſignum Crucis edidit tertio ita dicendo: Sanet te Jeſus-Chriſtus. Quæ mox dolore fugato, mirabiliter eſt ſanata, atque inflatione ſubducta in priſtinum decorem reformata.

XXIV. Horum quoque duorum miraculorum, quæ ſubſequor, non unum teſtem ſubinfero, quia in his tot teſtes denuntio, quot eidem rei interfuiſſe, mihique illud retuliſſe recolo. Quadam namque die, dum fratres ejuſdem monaſterii cum viro Dei Symeone poſt dulcia cæleſtis vitæ colloquia in cella conſiſterent, & ligneum vaſculum, in quo erat oleum, quo Chriſti

Auctoris ætas.

Digitized by Google

ſervus in ſuis eduliis utebatur, præ nimia vetuſtate conſumtum, fractiſque circulis diſſolutum cernerent, ſic Sancto inquiunt: Cur, pater Symeon, oleum quo veſceris perditum ire contemnis? nonne vaſculum in quo habetur, diſſolutis compagibus eliſum cernis? Jam pater impera, ut vaſculum iſtud circulis conſtringatur, aut oleum quòd intus habetur in aliud transfundatur. Quibus ſanctus taliter reſpondiſſe fertur: Sinite, inquit, fratres illud, ſinite. Chriſtus-Jeſus, qui omnibus in ſe credentibus victum tribuit, ipſe ſuo ligamine hoc vaſculum ſtringit. Quod ita dimiſſum tota hyeme, & futura æſtate ſola divina virtute ſine circulis manſit, & numquam inde vel una olei gutta ulterius exiit. ANN. CH. M XVI. JUL. XXVI

Alio quoque tempore, dum quidam frater ejuſdem monaſterii, Andreas nomine, cum alio quodam fratre, nomine Proſpero, ſicut debilibus mos eſt, ad menſam manducans ſederet, caſu accidente, os piſcis in ejus gutture ita verſatum eſt, ut nec illud deglutire, nec foras eicere valeret. Qui nimia præfocatus anguſtia, totum ſe videntibus moribundum præbebat, ac velut moriens revolutis oculis extremam ſe exhalare credebat animam. Quid dicam? Per totum monaſterium rumor intonuit, ad morientem monachum tota fratrum congregatio de Andreæ morte mæſta cucurrit. Qui videntes fratrem ferè jam mortuum, ad Virum Dei, qui in cella degebat, ſub celeritate miſerunt. Qui cum veniret, & fratrem Andream jam præmortuum videret, erectis in cælum oculis, Chriſti miſericordiam flebiliter implorans, elevata manu ſignum crucis ſupra laceratum guttur impoſuit, & confeſtim redivivus monachus parciolam, quæ faucibus ejus inhæſerat, cum ſanguine mixtam evomuit. Qui ſanus factus omnipotenti Deo gratias retulit, & quo ipſe aduixit, per ſancti Symeonis virtutem ſe ſanatum pariter aſſeruit. XXV.

Quia igitur Vir ſanctus ſpiritu prophetiæ claruit, ſi de præteritis prophetaſſe dicendum ſit, in hiis quæ ſubſequimur expedire non piguit. Quodam denique tempore domina Richelda, quam ſupra memoravimus, dum Chriſti ſervum Symeonem, quem pro ſuis ſanctis actibus ſæpè ſibi adeſſe gaudebat, orationis ſtudio ſecum Romam duceret, una dierum in nocte quæ præceſſerat, ſibi matrem ſuam migraſſe atteſtatus eſt. Quod ſicut per ſpiritum quo pollebat cognovit, ita memoratæ dominæ, pluribuſque aliis plorans innotuit. Altera quoque die ejuſdem Comitiſſæ filiam ſibi matri mortuam nunciavit, multaque alia, quæ ſicut ab ipſo prophetico ſpiritu ſunt prolata, ita ſunt in veritate comperta. Qui cum præfixum diem uni preſbytero, Dominico nomine, retuliſſet, certumque diem & horam computando notavit, ac ita puellam ſub ejuſdem diei articulo defunctam reperit, quo vir Dei longe poſitus ſibi & matri mortuam nunciavit. Hæc de beati Symeonis virtutibus, quas vivens in ſæculo geſſit, quas etiam in cedulis ſcriptas invenimus, ſeu quas à veridicis referri audivimus, hucuſque digeſſiſſe ſufficiat. Nunc verò nos ad experienda ea, quæ in loco ubi ejus ſanctum corpus quieſcit, ejus ſanctitatis amor, ſeu caritatis ardor accendat. XXVI. Prophetico ſpiritu pollebat.

Poſtquam igitur hic vere Chriſti diſcipulus per multa annorum curricula ſancte & juſte vivendo plurimas virtutum operationes declaravit in ſæculo; jam decurſo præſentis vitæ ſpatio, devictoque carnalium vitiorum certamine, ſub ſeptimo Calendarum Auguſti diem clauſit extremum. Cujus beata anima, poſtpoſito hujus ſæculi deſiderio, Chriſtum Dominum vitæ auctorem ſemper amavit, relicto carnis pondere, ad cæli palatium feliciter properavit; anno Dominicæ Incarnationis M. XVI. Indictione XIV. Romani Imperii monarchiam obtinente Henrico primo Auguſto, Ducatus quoque principatum triumphante Bonifacio glorioſo Duce ac Principe, remunerante ei laboris ſui mercedes Domino noſtro Jeſu-Chri- XXVII. Pie obit.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXVI. Jul. XXVI. ſto: qui cum Patre, & Spiritu-ſancto vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

DE MIRACULIS EJUS POST OBITUM.

PER diverſa quoque intervalla temporum in eodem loco, ubi ejuſdem ſancti Viri pretioſa membra quieverunt, plurima miracula, ut novimus, claruerunt. Quæ Deus omnipotens ad incrementum fidei oſtendere dignatus eſt fidelibus ſuis, quatenus ſanctitatis ejus meritum tanto certius illis innoteſceret, quanto virtutum ſigna crebriùs apparerent.

CAPUT I. Dæmoniaca liberatur. Quadam namque die mulier immundo arrepta ſpiritu, ad ſepulcrum ejus à parentibus deducta eſt, quam nequiſſimus ſpiritus adeò miſerabiliter agitabat, ut niſi eam aliquando nexibus ſtringerent, quoſcumque attingere poterat, cruentis morſibus laniaret. Hæc autem dormire nequibat, quia eamdem crudeliſſimus hoſtis die, noctuque collidere non ceſſabat. Ad cujus tumulum cum ducta fuiſſet, cœpit eam dæmon acriter infligere, mirum in modum ſinuoſis revolutionibus crudeliter diſtorquere, ac ita per os illius luctuoſis vocibus turpiter exclamare: Symeon me ejicit, Symeon me expellit. Atque crebro hac repetita voce, de obſeſſo corpore violenter expulſus exivit. Tum propinqui & omnes qui aderant, hoc viſo miraculo manus ad Deum cum clamoribus extulerunt, dehinc cum filia à dæmone liberata, ac ſanitati reddita, alacres cum gaudio & lætitia ad propria redierunt.

II. Curatur paralytica. Huic miraculo aliud ſubinfero: & quia à veris teſtibus prolatum cognovimus, dignum fore memoria exiſtimavimus. Mulier quædam de loco, qui Mulus nuncupatur, quia proprio privata greſſu per ſe incedere nullo modo valebat, aliorum manibus ad ſancti Viri corpus ſubvecta eſt. Eam autem peſtifera paralyſis ita diſſolverat, quòd in toto ſuo corpore nullum ſui membrum proprium officium explere valebat. Ibi dum ducta eſſet, & terræ-tenus toto corpore proſtrata jacens, nihil aliud agere niſi tantum labia movere quiret, non longa interveniente mora ſancti Symeonis ſibi ſenſit adeſſe ſuffragia. Propriis tunc erecta greſſibus, nullius ſublata juvamine, cuncta eccleſiæ altaria cum laudibus & luminaribus alacriter cœpit expetere. Quod cuncti qui aderant intuentes, omnipotenti Deo laudes gaudenter referunt, atque cum ea ſaluti reſtituta ad loca unde venerant alacriter remearunt. Quæ poſtea pluribus vixit annis, & de facultatibus ſuis ſancti Symeonis corpus viſitare ſæpè curavit.

III. Item leproſa. Aliud quoque de ſancto Viro miraculum his prælibatis ſubjungimus. In eadem villa, quæ monaſterio ſubjacet, quædam mulier degebat, quam lurida lepræ ſuffuſio ita obduxerat, quòd nullus locus corpori ineſſe videbatur, quem non obtegeret lepræ varietas. Cumque pluribus ſibi adhibitis medicaminibus, & in nullo eorum ſibi prodeſſe conſpiceret, hoc unum conſilium menti occurrit, quod ſibi fore remedium credidit, ſi videlicet cilicium ſancti Symeonis aqua ablueret, & ex eadem corpus ſuum perfunderet, confeſtim tabida cutis priſtinum decorem reciperet. Illa verò quod mente tractavit, opere implere non diſtulit. Mox autem ut cilicii particulam lavit, & exinde corpus perunxit, morbida caro priſtinæ ſaluti eſt reddita, & cutis prius deformis proprio decori eſt reſtituta. Quæ mulier ſicuti ſibi accidit & ſcriptum eſt, retulit, ac ſuæ curationis teſtimonium atteſtando perhibuit.

IV. Cæca viſum recipit. Per idem tempus cæca quædam ad ſancti Viri corpus deducta eſt, quam populi multitudo ob audita plurima ſancti Viri ſigna è veſtigio ſecuta eſt. Cumque propè ſancti Viri tumulum poſita, lacrymis & orationibus inceſſanter inſiſteret, à Deo eſt citius exaudita, qui pauperum preces non

Digitized by Google

deſpicit, & à ſancto Symeone clementer adjuta, lumen quo diutius caruit, celeriter adipiſci promeruit. Alia deinde cæca de pago, qui Barbaſium dicitur, ſancti Symeonis fama excitata, ad eum properare ſtuduit, quæ, annuente Deo, jam per ſeptennium oculorum lumen amiſerat. Sed cum jam nimio mærore confecta illuminationis auxilium ab eo expeteret, ſicut ſibi ſenſerat expedire, non minima ſecum ex eodem pago turba comitante ad beati Viri corpus feſtinanter cucurrit. Ubi triduo cum hiis, qui ſecum venerant, vigiliis, & orationibus lacrymabiliter excubavit. Quo mulier gaudenter recepto, ad loca unde venerat, cum toto populi comitatu omnipotenti Deo, & ſancto Symeoni gratias agens, feliciter rediit: & quæ prius ad ſanctum aliorum ducatu inceſſerat, nunc reddito ſibi viſu ſine ductore redibat.

ANN. CH. MXVI. JUL. XXVI.

Item altera.

V. Paralyticus ſanatus.

Quod nunc ſubjungimus, ad fidelium notitiam proferri operæ precium duximus: quodque tanto verius conſtat quoſque fideles credere, quanto certius eoſdem teſtes, qui ſe hoc vidêre fatentur, adhuc novimus ſupereſſe. Quidam ex ejuſdem eccleſiæ familia, Martinus nomine, eo tempore fuerat, quem diutius languor jam per novennium ita contraxerat, quòd nullo modo incedere niſi duobus ſubnixus baculis valebat. Quadam autem nocte almifici patris noſtri Benedicti ſanctæ feſtivitatis, dum monachorum cœtus matutinale officium ſollemniter celebrarent, prænominatus languidus viribus, quibus ſe ſuſtentare poterat, eccleſiam laborioſo conamine appetebat. Ad tumbam ſervi Chriſti Symeonis irrepens, ibi toto extento corpore gemebunde procubuit; atque multas inibi orando fundens lacrymas, tandem ſopore depreſſus obdormivit. Cui dormienti beatus Chriſti confeſſor Columbanus cum ſancto Symeone in viſu apparuit, inter quos glorioſus vir Domini Benedictus ſpecioſi habitus, claritate decorus medius adſtitit. Beatus itaque Columbanus ad ſanctum Symeonem vertens intuitum, ſic eum reverenter alloquitur: Cur, inquit, frater Symeon, huic ægroto ſalutem conferre denegas, quam ſibi præberi tibi contulit divina clementia? Ad hæc vir ſanctus, ut ſemper erat, aſpectu angelicus taliter beato Columbano reſpondit, dicens: Quia in domo ſancti patris Benedicti tumulatus jaceo, ſanitatis donum ſine illius juſſu ſibi impendere non præſumo. Cui vir Domini Benedictus beato Symeoni ita ſubjunxit, dicens: Curationis beneficium, quod à Deo tibi collatum eſſe frater non dubitas, huic languido ulterius largiri ne differas, quia jam ex longo tempore per te Chriſti miſericordiam interpellat. Hiis dictis protinus ambo ad ægrum accedunt, manibus injectis fovendo contingunt, oſſibus & nervis inſolidatis, membra diutino rigore conſtricta, priſtinæ ſanitati reſtituunt. Qui ſoſpitati redditus, in propriis greſſibus reformatus, totam deambulando circuivit eccleſiam; atque hymnidicas laudes Deo referens, voce qua poterat & qua noverat, ſancti Symeonis glorifica depromſit magnalia. Tunc in eadem eccleſia ad ſerviendum Deo devota mente ſe tradidit, ac exinde per diverſas diſcurrens provincias cuncta munuſcula, quæ circumquaque acquirere prævalet, ad utenſilia eccleſiæ conſtruenda congregare non deſinit. Qui adhuc ſupereſt, & gaudenter annunciat, quanta circa eum ſanctus Symeon peregit beneficia.

VI. Item alius.

Alius quidam vir, Heribertus nomine, adhuc ſupereſt, & in eadem villa, quæ monaſterio adjacet, vivit & habitat, quem paralyticus languor ſub noſtro tempore graviter deprimebat. Qui cum longa corporis ægritudine maceratus, nullum ſuæ curationis remedium inveniret, tandem divino animatur conſilio, ut ſancti Symeonis ſepulcrum expeteret, quatenus ab eo corporis medelam perciperet. Et qui per ſe ingredi nequibat, aliorum manibus ad ſanctum corpus in propatulo ſe ſupportari juſſerat. Tunc pura mentis devotione lacrymis inſiſtens ac precibus, om-

ANN. CH. MXVI. JUL XXVI. nipotenti Deo & ſancto Symeoni dona ſpopondit, quatenus ſi illum à corporali moleſtia erigeret, votum quod voverat proculdubio annualiter redderet. Qua voce prolata, mox æger, mirabile dictu! de ſtratu ſuo lætus ſurrexit, dehinc peractis dignis Deo laudibus, ac reparatis ſibi greſſibus, domum unde venerat incolumis rediit.

VII. Et mulier ægrota. In eodem vico, qui Viculus nominatur, quædam mulier fuerat, quam corporalis ægritudo omnino demerſerat. Quæ auditis ſancti Symeonis virtutibus navigio eſt poſita, & ad ſanctum corpus celeriter eſt adducta. Ubi non multis diebus ante ſanctas reliquias decubans, cum orationibus indeſinenter perſiſteret, quæ puro expetiit deſiderio celeri eſt conſequuta effectu. Quæ dum inter preces aliquantas morulas faceret, & ſancti Symeonis imploraret ſuffragia, ſuis ibidem obſequiis decenter exhibitis, continuo ſaluti eſt reddita: ad locum unde venerat ſanitate recepta cum gaudio eſt reverſa.

VIII. Non multo poſt tempore ex prædicto loco puella tunc venerat, cujus Dei nutu manus aruerat. Quæ ad ſancti Symeonis corpus acceſſit, & munus quod oblatura Deo erat, mentis puritate flebiliter obtulit, quod fideliter petiit efficaciter impetrare promeruit. Mox autem ut ad Miſſæ celebrationem cum matre & parentibus devotè inſiſteret, ac juxta morem candelam Preſbytero offerret, manum aridam, quam cum lumine preſbytero porrexit, ariditate repente exſtincta, ſanam recepit.

IX. His ita peractis, aliud memorandum de ſancto Viro ſupponimus, quod cuidam monacho in eodem monaſterio quondam contigiſſe audivimus. Frater quidam in eodem monaſterio, Vuido nomine, quodam tempore habebatur, cujus vita & converſatio ſatis idonea eſſe probatur. Qui dum una dierum ad menſam cum fratribus communiter ederet, os piſcis ita gutturi ejus infigitur, quòd ex eadem infixione ſpiritum emittere penitus credebatur. Qui nimia præfocatus anguſtia, tanto acrius cruciabatur dolore, quanto ſibi vicinius ſenſerat periculum imminere. Quid ageret ut mortem evaderet? A menſa protinus concitus ſurrexit, & ad ſancti Symeonis loculum magnis jam clamoribus moribundus cucurrit. Jam jamque ita eum repentina mors nexibus ſtrinxerat, quod revolutis oculis, omnes illum vitam exhalare credebant. Ubi aliquamdiu provolutus, tandem ſancti Symeonis pietas ita fratri ſubvenit, quòd piſcis ſpinaculum, quod tenaciter gutturi inhæſerat, cum ſanguine violenter ejecit.

X. Dæmoniaca quædam de loco, qui Ariole dicitur, ſub eodem tempore fuerat, quam nequam ſpiritus ita diſtorſerat, quòd tota ejus membra diſcerpendo contriverat. Hanc aliquando incomtis rictibus, ac multimodis deformitatibus in modum follis inflando ſic deformaverat, quòd humanitas formam inſtar alicujus informis monſtri turpem reddebat. Ad corpus igitur ſancti Symeonis ducta, ibique diebus ac noctibus jejuniis, & orationibus vigilanter pernoctata, continuò horridus dæmon ſancti viri terrore concuſſus, de obſeſſo corpore territus exiit, atque in vacuas auras expulſus evanuit.

XI. Cum inter innumera ſancti Viri miracula plurimos ex diverſis partibus virtutum ejus fama ad obtinenda ſalutis remedia excitaret, & Paduanus populus eumdem ſanctum Dei ſumma cum devotione ex more expeteret, atque prope monaſterium, in quo ejus glorioſa membra quieſcunt, jam ſe adeſſe gauderent, invenerunt quemdam fluvium, Roverinam nomine, adeò inundare, quòd illum nullo quoque ingenio poterant tranſmeare. Hac igitur difficultate comperta, in ulteriorem ripam affixam navim eminus conſpexerunt, quam licèt neceſſariò optarent, illam tamen ad tranſferendam nullo ducente habere non potuerunt. Cumque diutius huc illucque circumſpicerent, & neminem qui ſibi navim porrigeret uſquam

Digitized by Google

adeſſe viderent, humano deſtituti ſolatio, ſancti Symeonis unanimiter implorare cœperunt auxilium. Res mira! navis quæ extra fluvium affixa tenebatur, ſe eadem hora diſſolvit, atque prædictos homines ita veloci curſu ſine remige petiit, ac ſi eamdem aliquis gubernaculo remigando dirigeret. Tranſito inde fluvio ad ſanctum corpus venerunt, ubi omnipotenti Deo, & ſancto Symeoni pro impetratis beneficiis gratias cum laudibus referentes, per viam qua venerant alacres redierunt. ANN. CH. MXVI. JUL. XXVI.

In Parmenſi diœceſi in villa, quæ ſanctæ-Eulaliæ nuncupatur, quidam vir, nomine Britius, noſtro tempore fuerat, qui ingruente capitis moleſtia per triennium oculorum lumen amiſerat. Qui ademto lumine aſſiduè in luctu & mærore ſedebat, & crebris precibus ut lumen recipere mereretur, Chriſti clementiam implorabat. Sed auditis ſancti Symeonis virtutibus, ad ſanctum corpus ejus, ſolo puerulo ſeu ductore contentus, properare ſtuduit, quatenus ſuæ cæcitatis ſolamen aliquod, ſicut ex multis audierat, impetraret. Ubi triduo vigiliis & orationibus excubans, cum poſt Miſſæ celebrationem monachorum cœtus, ut mos eſt, Deo gratias agerent, ipſe ſurſum erectis oculis, quæcumque ſibi oppoſita clarè videre aſſeruit, atque ilico recepto viſu in laudem Dei ſe totis viribus extulit. Aliquantis ibi peractis diebus ad patriam rediit, & qui prius alterius ductu venit, poſtmodum lumen adeptus ductorem ſuum lætus præceſſit. XII.

Tempore quo pro canonizando ejuſdem ſancti Symeonis glorioſo corpore ſanctam Apoſtolicam Sedem acceſſimus, quoddam de eodem ſancto Viro miraculum claruit, quod ad fidelium notitiam huic opuſculo dignè ſummitere placuit. Puer quidam ex Cremonenſium finibus gravi languore correptus, ſed ejuſdem ſancti Viri fama excitatus, quia pedes incedere nequiverat, ad ſanctum corpus navigio eſt adductus. Quo cum navis, quæ eum adduxerat, applicuiſſet, unus eorum, qui eum adduxerant, pietate commotus, illum flentem à navi propriis ſcapulis ſuſtinuit, atque ante Symeonis tumulum miſerando depoſuit. Cumque inibi manibus terræ ſolo hærentibus, ſuperior pars corporis ad ilia tota procumberet, poſterior verò nervorum contractione colliſa, huc illuc debilia poſt ſe crura traheret, vix ibi per trium horarum ſpatia queruloſis vocibus jacuit, tandem per altaris gradus paullatim rependo progrediens, loculo in quo ſancta membra quieſcunt ejulando inhæſit. Ubi votis ac precibus, quibus Deum rogare noverat, eatenus flebiliter implorare non deſiit, quouſque per ſancti Symeonis meritum medelam ſibi divinitus fuiſſe collatam celeriter ſenſit. Mox autem parva interveniente mora, nervorum quos paralytica peſtis contraxerat, crepitus patenter auditur, ac debilis puer diu obſtrictus ſalutis greſſibus protinus reſtituitur. Ad quod videndum populorum turmæ catervatim confluunt, atque pro tanto miraculo omnipotenti Deo, & ſancto Symeoni gratias referunt cum jubilo; & ibi pura cum devotione aliquamdiu immoratus, poſtmodum verò ſanitati redditus, ad ſua cum gaudio eſt reverſus. XIII.

EPISTOLÆ DE S. SYMEONE.

Epiſtola ARSEN *patriarchæ Jeroſolymitani pro commendatione ſancti noſtri Symeonis, monachi & eremitæ.*

☧ IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Nazareni, atque ſanctiſſimi ejus ſepulcri, à me indigno famulo ſuo cuſtoditi. Ego ARSEN, non meis meritis patriarcha Jeroſolymita, firmo ſigno ſancti ſepulcri omni Eccleſiæ catholicæ ſalutem & pacem. Precor omnes ad quorum partes SYMEON,

ANN. CH. MXVI. JUL. XXVI. iſte monachus ſanctiſſimus, chriſtianus atque eremita, iverit, ut ei benefaciat, quia bonus atque electus eſt. Ad ſepulcrum enim Domini ivit, inde venit ad eccleſiam beati Petri apoſtoli; poſt hinc ad limina beati Jacobi Galliciani perrexit, atque ſic in modum apoſtolorum Deo & Domino noſtro Chriſto ſerviendo circuit totum orbem, & non habuit comparem * niſi Jeſum-Chriſtum. Ut magis ſtupeas, panem non manducat, nec carnem, nec adipem, neque caſeum, nec ova. Quicumque ergo imperator, ſive rex, vel regina, ſive epiſcopus, ſeu abbas, ſive marchio, ſeu comes, vel quicumque chriſtianus amore Chriſti ſibi benefecerit, vel eum defenderit, & viam ei oſtenderit, quia non ſcit linguam, ſit benedictus à Patre & Filio ſanctoque Spiritu: conſervet eum Dominus in omni opere bono, benedicat & ſanctificet eum Pater; in die judicii ad dexteram Chriſti collocetur cum electis, quatinus poſſit audire: *Venite benedicti Patris mei, &c.* Confirmet Spiritus-ſanctus ut verbum Dei corde perceptum firmiter atque incommutabiliter teneat, ut ab iniquiſſimo diabolo non poſſit avelli: qui vero ſibi malefecerit, vel eum injuriaverit, condemnatus pereat in æternum & in ſæcula ſæculorum, Amen.

* Papebroch. comitem. eodem ſenſu.

Matth. 25. 34.

Epiſtola Benedicti papæ de canonizatione, & conſtructione eccleſiæ ſancti Symeonis noſtri.

II. BENEDICTUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, BONIFACIO gratia Dei marchioni inclyto ſalutem cariſſimam cum benedictione apoſtolica. Requiſiſtis judicium noſtrum, ſicut dignum fuerat, utrum in honore Symeonis nuper ſanctificati, quod opera probant, & innumera ac diverſa miracula teſtificant, liceret vobis eccleſiam conſtruere, & ejus venerabile corpus honorifice collocare ibidem. De quo reſpondemus: Si ita coruſcat miraculis, ut veſter homo nobis aſſeruit, ædificate eccleſiam, collocate in ea eumdem, juxta quem altare conſecrari rogate, in quo reliquiæ antiquorum ſanctorum recondantur cum ſacratiſſimo corpore Domini noſtri Jeſu-Chriſti, & ſic demum divina myſteria celebrentur. Tractate eum ut ſanctum, ut Sanctus ſanctorum reddat vobis mercedem ſancti, ſicut ipſe dixit: *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet.* Ipſe inſpector eſt renum & cordium, & ipſe illi dignam recompenſationem remuneret, & vobis pro tanto deſiderio gratiam ſuam indulgeat.

Matth. 10. 41.

Alia Epiſtola Leonis papæ [IX.] de veneratione S. Symeonis.

III. LEO Epiſcopus ſervus ſervorum Dei VV. * Mutinenſi epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Mirabilis Deus in ſanctis ſuis, glorioſus & mitis, magnæ miſericordiæ, & ſuper malitiam præſtabilis, multorum fidelium ut vera comperimus relatione, centupla remuneratione donavit ſancti ſui confeſſoris meritum & laborem Symeonis. Reverentiſſimo abbati ſancto Benedicto exhibeatur honor, adjuncto ſibi ſocio Symeone monacho, eremita & diacono. Mantuanus epiſcopus novam ibi conſecrabit eccleſiam, cui volumus ut exhibeas honorificentiam: ſcilicet intereſſe te volumus huic conſecrationi, & hujus corporis elevationi, & altare in ejus honore conſecretur, quem Deus ſumma virtutum clarificavit dignitate.

* Wiberto.

Item alia epiſtola.

IV. A. * epiſcopus ſervus ſervorum Dei. H. ** Mantuano pontifici ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Viſis litteris, quas anteceſſor noſter beatæ memoriæ papa Leo conſcribi fecerat de corpore Symeonis monachi & eremitæ, ejus ſanctitate confiſi quicquid ipſe laudavit nos laudamus. Ad hoc autem perficiendum Ferrarienſem ſeu Veronenſem epiſcopos aſſociamus.

* Alexander. ** Heliſeo.

DE

Digitized by Google

CIRCA ANN. CH. MXVIII. DEC. XI.

DE BEATO VVLFERIO monacho Reomaenſi.

1. BEATI *Vulferii notitiam debemus Glabro Rodulfo, cujus auctoritas eo majoris ponderis cenſeri debet, quod ea narrat quæ in monaſterio ſancti Germani Autiſiodorenſis, ubi tunc vivebat, aut certe paullo ante ejus ætatem contigerant. Vulferii quippe viſiones refert ille auctor inter ea quæ ſæculi* XI. *initio geſta fuerunt. Quis vero fuerit extremus Vulferii annus, incompertum eſt omnino, nec facile deduci poteſt ex præliis Saracenos inter & Hiſpanos editis, quæ idem auctor commemorat, aut ex ingenti clade quam deſcribit: ſiquidem ferè continua per multos annos ea ætate fuerunt inter illas nationes bella. Deinde in referendis tam Saracenorum regis, quam Navarrici Ducis nominibus errorem in Glabri librum irrepſiſſe volunt. Almuzor nempe Saracenorum regem nominat, & Vuillelmum cognomento Sanctum Navarreorum Ducem: quamquam in iſtius ævi monumentis nulli occurrant ſic dicti Saracenorum aut Navarreorum principes. Cum tamen apud Rodericum Toletanum, ut obſervat Roverius in Hiſtoria monaſterii ſancti Johannis Reomaenſis, legamus Almanzoris regis Alghibo Hiſpanias uſque Barcinonem tunc temporis depopulanti Guillelmum Conſalvum Calleciæ Comitem & Garſiam-Sancii, cognomento Tremulum, Navarræ regem fortiter obſtitiſſe;* Almuzor *pro* Almanſor *in Glabri textum admiſſum fuiſſe facile crediderim, & ex Guillelmo duce ac Garſia Sancii rege Guillelmum Sanctum fuiſſe efformatum. quæ menda librariis potius quam ipſi Glabro maluerim tribuere. Ceterum etſi hæc adeo obſcura ſint, inde tamen expiſcanda eſt Vulferii epocha, cum aliud non ſuppetat ad ſtabiliendum ejus vitæ terminum. Almanzor autem, ſi Marianæ credamus, anno* CMXCVIII. *fuit fugatus. at Saracenorum in Africam regreſſus, de quo idem Glaber, nonniſi viginti poſt hanc cladem annis contigit. quo forte temporis intervallo Vulferius poſt habitas viſiones ſupremum diem obiit. quod poſt annum* MXI. *contigiſſe dicendum eſt. Nam Glaber primum de fame illa horribili quinquennali, quam vulgati auctores anno* MVI. *intæpiſſe conſentiunt, agit; tum de Saracenorum irruptionibus narrationem proſequitur, quas quidem poſt hanc famem locat.* Subſequente, *inquit,* tempore gens Saracenorum, *&c. unde Vulferii mortem ad annum circiter* MXVI. *referre viſum eſt, dum aliquid certius occurrat.* Wlferii ætas.

2. *Porro cum Vulferius vix aliunde notus ſit quam ex Glabri Hiſtoria, eumque pæne ignorent Germanenſes monachi apud Autiſiodorum, ubi devixit & ſepultus eſt; immo & Reomaenſes inter quos vitam egit, locum ejus auctoris integrum huc proferre viſum eſt. In Litaniis tamen, quæ ingruente aliqua calamitate ex veteri inſtituto cantari ſolent in monaſterio ſancti Germani Autiſiodorenſis, Vulferius inter ceteros loci patronos invocatur: at præterea nullo prorſus publico cultu ejus celebratur memoria; nec reſcire licuit quonam in loco ſacrum ejus corpus ſepultum fuerit. quæ tamen minime impediverunt, quominus Sauſſaius in Martyrologio Gallicano, Menardus in Benedictino, Bucelinus in Menologio & alii recentiores in faſtis ſacris ei cum* beati *titulo locum dederint, die* XI. *Decembris. Sed Glabrum audire juvat ex ejus Hiſtoriæ, libro* 2. *cap.* 9. *ubi hæc habet.* Cultus.

3. Subſequente tempore gens Saracenorum cum rege ſuo, Almuzor nomine, egreſſa eſt ab Africanis partibus, occupans pæne univerſam Hiſpaniæ regionem uſque in auſtrales Galliarum fines, plurimaſque Chriſtianorum dedere ſtrages. Sed licet impar exercitu, ſæpius tamen iniit cum eis prœlia Vuillermus dux Navariæ, cognomento Sanctus. Tunc etiam ob exercitus raritatem compulſi ſunt regionis illius monachi ſumere arma bellica. Viſiones ex Glabro Rodulfo.

Circa Ann. Chr. MVIII. Dec. XI. Cæſæ denique graviter utræque partes, tandem conceſſa Chriſtianis victoria. poſt grande ſuorum diſpendium, qui ſuperfuere Saracenorum ad Africam fecere confugium. Sed & in illis diutinis conflictibus præliorum conſtat Chriſtianorum religioſos plures occubuiſſe, qui potius ob fraternæ caritatis amorem cupiebant decertare, quam propter aliquam gloriam laudis pompaticæ. Erat quippe eo tempore frater quiſpiam, Vulferius nomine, dulcis admodum moribus, ex converſatione in monaſterio Reomagenſe, quod eſt ſitum in pago Tornoderenſe, cui etiam apparuit die quadam Dominica viſio ſatis credulitati commoda. Nam dum poſt expletionem matutinalium Laudum in ſupra dicto oratorio quieviſſet monaſterio, ceteris fratribus inde aliquantulum ad pauſam redeuntibus, ſubito repletus eſt totius ejuſdem eccleſiæ ambitus viris, ſcilicet veſtibus albis indutis, ac purpureis ſtolis inſignitis, quorum etiam continentiæ gravitas plurimum de ipſis inſtituebat eos cernentem. Qui vero eos præcedebat crucem manu geſtans, Epiſcopum ſe eſſe multarum dicebat plebium; ibique die ipſo ſacra Miſſarum celebrare ſe oportere perhibebat. Referebat etiam tam ipſe quam ceteri, ſe illius noctis cum fratribus ejuſdem monaſterii matutinales interfuiſſe ſollemnes. Aſſerebant inſuper optimæ laudis officium quod audierant, illi diei congruere. Erat autem Dominica dies octava Pentecoſtes, in qua propter gaudii expletionem reſurrectionis Dominicæ, ejuſdemque Aſcenſionis, & adventus Spiritus-ſancti in pleriſque diverſarum regionum locis mos eſt pſallere Reſponſoria verbis valde honeſtiſſimis compoſita, ac ſuavi ſonoritate referta, & ut mens valet humana, deificæ Trinitati condigna.

4. Cœpit interea qui præerat Epiſcopus ſuper altare ſancti Mauricii martyris Miſſarum ſollemnia, ejuſdem Trinitatis antiphonam intonans, celebrare. Interim vero percunctatus eſt ſupradictus frater qui, aut unde eſſent, pro quave cauſa illuc deveniſſent. Cui ſatis leniter tale dederunt reſponſum: Profeſſionem, inquiunt, Chriſtianitatis geſtamus, ſed ob tutelam patriæ, catholicæque plebis defenſionem, gladius nos in bello Saracenorum ſeparavit ab humanorum corporum habitatione. Idcirco nos omnes pariter divina vocatio nunc transfert in ſortem Beatorum. Sed ideo per hanc provinciam nobis contingit habere tranſitum, quoniam plures ex hac regione infra breve temporis ſpatium noſtro ſunt addendi collegio. Præterea is qui Miſſarum explebat officium, finita oratione Dominica, pacem omnibus dans, miſit unum qui ipſi fratri pacis oſculum daret. Qui cum feciſſet, innuit etiam ei ut illum ſequeretur. His ita conſpectis, cum vellet eos ſequi, diſparuerunt. Intellexit quoque idem frater ſe in brevi ſpatio exiturum à ſæculo, quod etiam ſic contigit fieri.

Autiſiodorum venit. 5. Nam menſe quinto, id eſt Decembrio, poſtquam hæc quæ diximus viderat, ſui Abbatis imperio perrexit Autiſiodorum, gratia medicandi aliquorum in monaſterio beati confeſſoris Chriſti Germani infirmantium fratrum. Erat enim medicinæ artis ſtudiis inſtructus. qui veniens illuc, cœpit commonere illos fratres, pro quorum cauſa advenerat, ut quam citius quæ pro ſalute illorum agenda erant, exercere curarent. Cognoverat enim exitum ſuum proximum fore. Cui dum reſponderent: Quieti indulge jam hodie pro fatigatione itineris, ut dies craſtina te valentiorem inveniat. At ipſe ait: Si hodie quantum ſupereſt non explevero prout valeo, jam die craſtina noveritis me ex his nil acturum. Qui ludere illum exiſtimantes, ut erat ſemper alacri mente placidus, quod monuerat omiſerunt.

Ægrotat. 6. Die autem altera illuceſcente, præventus acri dolore, acceſſit prout poterat ad altare beatæ Mariæ ſemper virginis ſacra Miſſarum celebraturus. Quibus peractis, receſſit ad domum infirmorum fratrum, jamque

Digitized by Google

nimium dolentes artus compoſuit lecto. Cui, ut talibus fieri ſolet, cœperunt palpebræ ſomnum quærere inter anguſtias. Repente vero adſtitit ei virgo ſplendida, coruſcans immenſo fulgore, interroganſque illum, quam mentis dubietatem haberet. Quam cum ipſe intuitus fuiſſet, adjecit: Si de itinere metuis, non neceſſe eſt enim ut paveas, quoniam ego tibi cuſtos exſtitero. Ex qua viſione ſecurior effectus, ad ſe venire mandans loci præpoſitum, nomine ACHARDUM, eruditiſſimum valde virum, qui poſtea ejuſdem monaſterii abbas exſtitit, narravit ei non ſolum præſentem, ſed etiam præteritam viſionem ex ordine. Qui dixit ei: Confortare frater in Domino. Sed quoniam ea vidiſti quæ raro humano viſui conceduntur, neceſſe habes perſolvere univerſæ carnis debitum, ut in eorum quos vidiſti poſſis admiſceri conſortium. Convocatiſque ceteris fratribus, ſecundum morem ei viſitationem fecerunt. Tertia namque die peracta, incipiente nocte migravit à corpore. Quem dum cuncti fratres ex more abluere, ac pannis componere pararent, ſignaque monaſterii univerſa pulſarent, quidam laïcus, ſed religioſus, juxta commanens, ignorans obitum fratris, æſtimanſque ob nuntiandos matutinos ſigna pulſari, exſurrexit ut ſolebat pergere ad eccleſiam. Qui cum veniſſet ad pontem quemdam ligneum, qui fere in medio erat itinere, audierunt plures ex vicinis voces quaſdam ex latere monaſterii proclamantes hujuſmodi: Extrahe, extrahe, & educ ad nos illum quantocius. Quibus etiam vocibus tale reſponſum eſt redditum: Hunc interim non queo, alium tamen educam ſi potero. Statim vero ille qui ad eccleſiam pergebat, cernit ante ſe ſuper pontem quaſi unum vicinorum ſuorum, revera ergo diabolum contra ſe venientem, de quo etiam dubitare non poſſet. Quin etiam nomine proprio illum vocans, monuit ut provide tranſiret. Ilico autem malignus ſpiritus turrigera ſpecie in altum ſe erigens, cupienſque decipere hominem ejus fallacem pompam viſibus ſequentem. quam tamen dum aſpiceret, ejus pes lapſus graviter in ponte corruit. Qui citiſſime ſe erigens munienſque ſe ſigno crucis, cognita maligni diaboli fraude, regreſſus domum cautior eſt redditus. paullo poſt nempe & ipſe in pace obiit.

CIRCA ANN. CH. MXVIII. DEC. XI.

Obit.

DE SANCTO FIRMANO ABBATE ſancti Savini prope Firmum in Piceno.

CIRCA ANN. CH. MXX. MART. XI.

Firmani nomen varie ſcriptum.

I. *MIRUM eſt quam diverſis modis hujus ſancti viri nomen in variis auctoribus ſcriptum inveniatur. alii quippe eum Firmanum, alii Firmianum, nonnulli Firminum, aut Firmum appellaverunt. Sic & eumdem quidam epiſcopum, alii abbatem, aut certe ſolummodo confeſſorem fuiſſe memorant; nec defuere qui martyrem dixerunt. quæ quidem tanta nominum ac titulorum varietas fecit, ut vir iſte ſanctus cum aliis horum nominum ſanctis confunderetur, aut certe ex uno plures efformarentur, ut patebit ex variis Martyrologiis, quæ mox laudabimus. Is eſt ſanctus Firmanus ſeu Firmianus abbas à Petro Damiani laudatus, qui monaſterio ſancti Savini prope Firmanam urbem ſito, ſæculo undecimo ineunte præfuit. Ejus nomen vetera aliquot Martyrologia apud Bollandianos die* XI. *Martii exhibent, ex quibus unum Pleſchionenſe, charactere Langobardico exaratum, ſic habet*, Natalis ſancti Firmiani abbatis. *Eum abſque ullo dignitatis addito repræſentat eodem die vetus Calendarium, ſancti Iſidori operibus præfixum, in codice vetuſto bibliotheca Vallicellenſis Romæ; ſicut & Philippus Ferrarius in Catalogo eorum ſanctorum qui in Martyrologio Romano non habentur*, ex nonnullis,

Digitized by Google

CIRCA ANN. CH. MXX. MART. XI.

inquit, eccleſiarum tabulis, *ſicut & in altero Catalogo, generali ſcilicet ſanctorum Italiæ, ubi Petri Damiani teſtimonium infra referendum exhibet. At in vetuſto item Martyrologio manuſcripto bibliotheca Medicea apud Florentiam hac ipſa* XI. *Martii die legitur.* Sancti Firmini abbatis. *quod idem habent duo alia Martyrologia, unum ſcilicet Florentinum Caroli Strozzii, & aliud in eadem urbe excuſum curis Franciſci Bonnacurſii anno* MCCCCLXXXVI. *hoc addito elogio*, magnæ ſanctitatis viri.

Cum aliis confunditur.

2. *Porro hæc Firmani ſeu Firmiani in Firminum mutatio anſam præbuiſſe videtur Galeſinio, in Martyrologio ſuo eadem die Firminum non ſolum abbatem appellandi, ſed ei quoque patriam Ambianenſem tribuendi.* In Ambianenſium, *inquit,* finibus ſancti Firmini abbatis & confeſſoris. *quæ in notis ſe accepiſſe indicat ex Calendario Ambianenſi. Unde Baronius, qui eadem omnino verba adoptavit in Martyrologio Romano, in notis hæc adjunxit*: De eo Kalendarium Ambianenſis eccleſiæ, aliaque vetera monumenta ejuſdem; *& qui illos ſecuti ſunt Arnoldus Vvion, Hugo Menardus & alii, Firminum abbatem in finibus Ambianenſium in Martyrologium Benedictinum invexerunt, ſicut & Sauſſaius in Gallicanum, addito, ut facere ſolet, ex proprio marte, hoc elogio*, qui vitam monaſticam ſanctiſſime coluit, & poſtquam multos filios Chriſto peperiſſet, ſub regulari diſciplina, piis laboribus perfunctus, quievit feliciter in Domino. *Bucelinus vero* Firminum *quoque* in finibus Ambianenſium abbatem *Menologio Benedictino ex laudatis auctoribus inſeruit, at fatetur ſe ejus res geſtas indagare nequiviſſe. Et quidem vere. Nam fallor ſi alius ſit à Firmano noſtro Firminus ille Ambianenſis, quem nemo umquam ante Galeſinium aut novit, aut laudavit. Ambianenſis eccleſia duos quidem celebrat Firminos, ſed ambos epiſcopos: ex quibus unus martyr, alter confeſſor fuit. Abbatem vero hujus nominis nec vetera illius eccleſiæ nec recentiora celebrant Martyrologia aut Kalendaria. Firminum itaque illum Ambianenſem Firmani noſtri loco intruſum fuiſſe pluſquam veri ſimile eſt: idque hoc item argumento probari poteſt, quod qui Firmanum aut Firminum celebrant Firmenſem, Firminum Ambianenſem ignoraverunt: qui vero iſtum recolunt, Firmani noſtri memoriam omiſerunt.*

Ejus vita.

3. *Firmani noſtri vitam conſcripſit* Theodoricus Caſinenſis gymnaſii preſbyter, *ut teſtatur Petrus Diaconus in catalogo virorum illuſtrium Caſinenſium, capite* 16. Vir inter ſcriptores eccleſiaſticos non immerito prædicandus, *qui* hiſtoriam ſancti confeſſoris Chriſti Firmani & hymnum in laudem beatiſſimi Mauri venuſto ſtylo conſcripſit. *Eumdem Theodoricum laudavit Arnoldus Vvion libro* 2. *Ligni vitæ capite* 78. *ſed* Firmiano; *ſic enim ſcribit, Epiſcopi titulum adjecit, & hoc præbuit occaſionem Johanni Gerardo Voſſio in graviorem errorem labendi libro* 3. *de Hiſtoricis Latinis, ubi Theodoricum noſtrum monachum Caſinenſem laudat ex Vvione, qui ſcripſit* vitam ſancti Firmini primi Ambianenſis in Galliis epiſcopi, qui temporibus Diocletiani martyrio deceſſit VII. Kal. Octobris. *Porro periit, aut certa ignota alicubi deliteſcit hæc ſancti Firmani Hiſtoria ſeu vita, eo magis deſideranda, quod ab auctore æquali & gravi conſcripta fuerit, nec aliunde liceat tantum damnum reſarcire. Id ſolummodo ex Petro Damiani diſcimus, Firmanum ſua ætate miraculis celebrem, erecto ſuper ejus tumulum altari, pro ſancto agnitum fuiſſe. Sic enim ille habet opuſculo* 6. *quod eſt ad Henricum Ravennenſem epiſcopum, capite* 29. Noſtra quippe ætate beati viri, videlicet Romualdus Camerinenſis, Amicus Ramibonenſis, Guido Pompoſianus, Firmanus Firmenſis, & quam plures alii ſanctæ converſationis, ſuper quorum videlicet veneranda cadavera ex ſacerdotalis concilii auctoritate ſacra ſunt altaria erecta, ubi nimirum divina myſteria miraculis exigentibus offeruntur. *Ex quibus verbis non ſolum Firmani ætatem diſcimus, verum etiam eumdem miraculis coruſcantem, ſollemniter Synodali decreto, altaris erectione, qui erat tunc communior ſanctos viros canonizandi ritus, inter ſanctos, ut obſervat Baronius ad annum* CMXCIII. *relatum fuiſſe. Obſervat Ughellus in Firmanis epiſcopis tomo* 2. *Italiæ ſacræ, & poſt eum Johannes Marus in notis ad caput* 16. *Petri Diaconi de viris illuſtribus Caſinenſibus, olim in eccleſia Cathedrali Firmana*

Digitized by Google

altare exſtitiſſe ſancto Firmano dedicatum, ejuſque feſtivitatem magno populorum concurſu in eccleſia ſancti Jacobi ad radices montis Gerionis ſollemniter celebratam fuiſſe: unde mirum eſt ejus nomen, quod ſe ex tabulis nonnullarum eccleſiarum catalogo ſuo inſeruiſſe ait Ferrarius, in tabulis Firmanæ eccleſiæ, ut idem ipſe obſervat, deſiderari. CIRCA ANN. CH. MXX. MART. XI.

4. *Habemus vero apud Ughellum loco laudato egregium* Uberti *Firmani epiſcopi donationis inſtrumentum anno* MXVI. *datum in Firmi abbatis, quem noſtrum eſſe Firmanum putant, gratiam, quo monaſterio* ſancti martyris Savini, cui venerabilis, *inquit*, abbas Firmus præeſt, *eccleſiam beati Michaëlis, quæ juxta mare in fundo Reiano ſita erat, cum conſenſu eccleſiæ ſuæ cleri concedit. Uberti pietatem ſucceſſores ejus imitati, monaſterio ſancti Savini multa bona contulerunt, atque ea quæ à ſuis deceſſoribus aliiſque piis viris collata fuerant multis diplomatibus confirmarunt, quorum nonnulla profert Ughellus. Ex his inſigne unum eſt Liberti epiſcopi, datum anno* MCXXIII. *quo pius antiſtes pœnitentia motus, quod monaſterium more aliquot prædeceſſorum ſuorum exactionibus oppreſſiſſet, cunctam ei immunitatem reſtituit.* In nomine ſanctæ &c. Libertus divina favente clementia ſanctæ Firmanæ eccleſiæ epiſcopus. Notum vobis facio, fratres mei cariſſimi in Chriſto credentes, quod ego delictorum meorum vinculis oppreſſus, & ſedula antecedentium patrum exhortatione perdoctus, doctriniſque ſanctorum canonum jugiter imbutus, pro ſalute animæ meæ, cunctorumque Epiſcoporum poſt me venientium, beatæ memoriæ congregationem monaſterii ſancti Savini epiſcopi & martyris, quod ſitum eſt in cacumine montis de Viſiano, à nobis noſtriſque deceſſoribus, huc uſque multis miſeriis gravatam, multiſque oppreſſionibus oppreſſam deliberare cupiens, quam & copioſiorem, valentiorem & ditiorem facere devotiſſime cogitans, extenſa parcitate inopiam monachorum abſque ceſſatione divinis laudibus ibidem conſudantium adaugere, ad modum factu feliciſſimum duxi, non immemor quod dicitur: Quæ enim ſeminat homo, hæc & metet &c. Idcirco rogatu atque ſuaſu & communi conſilio noſtrorum fidelium, clericorum & laïcorum, necnon cunctorum concivium, majorum & minorum, remittimus & renuntiamus, & modis omnibus in perpetuum refutamus prædicto monaſterio & cunctis fratribus in eodem, modo & in futuro Deo ſervientibus per manus D. Raynerii, ejuſdem monaſterii venerabilis abbatis & D. Formonis &c. & aliorum monachorum & per manus Firmanæ urbis conſulum &c. omnia obſequia &c. omneſque exactiones, & quidquid jure vel aliquo uſu, juſte vel injuſte prædeceſſores mei & ego præfato monaſterio uſque modo impoſuimus &c. exceptis ſolidis viginti per unum quemque annum, decem in Nativitate Domini, & decem in feſto Dominicæ reſurrectionis, quos nobis noſtriſque ſucceſſoribus pro cenſu reſervamus; excepta etiam inveſtitura, & conſecratione, obedientia ſynodali, atque reverentia & commendatione, ac fidelitate & correptione canonica horum criminum, ſcilicet perjurii, adulterii, homicidii, tantum in perſona abbatis, eccleſiæ ſubſtantia ſemper manente ſalva atque illæſa. Si autem, quod abſit, ego jam dictus epiſcopus, vel mei ſucceſſores perſonam canonice electam in abbatem à prædicta congregatione ſuſcipere, inveſtire atque conſecrare noluerimus, electus tamen abbatiam cum omnibus bonis præfati monaſterii detineat nihilominus. Concedimus etiam perpetualiter confirmamus præfato monaſterio, & abbati & cunctæ congregationi eorumque ſucceſſoribus, omnia quæ nunc tenent & habent &c. *confirmat deinde & recenſet ea quæ à* Grimoaldo *deceſſore ſuo, quem* beatum *&* beatæ memoriæ virum *appellat, collata fuerant. Huic inſtrumento complures tam laïci quam clerici ſubſcripſerunt.* Monaſterium.

5. Buliganus, *Liberti ſedis & pietatis ſucceſſor, bona monaſterii Savinenſis novo diplomate aſſeruit, quod in gratiam* Rameri, *ejuſdem ni fallor, qui in*

Digitized by Google

Circa Ann. Ch. mxx. Mart. xi.

præcedenti inſtrumento Raynerius dicitur, ſe conceſſiſſe teſtatur. in eo prædeceſſores ſuos monaſterii benefactores recenſet Vbertum, Herimundum, Oldericum, Guldegandum & Libertum, tum Monaſterii poſſeſſiones multas propriis nominibus exprimit: unde conjicere licet, quanta tunc ejus amplitudo fuerit; in his duo monaſteria habentur, unum puellare ſancti Petri in fundo Monteriano, alterum ſancti Salvatoris in plano Sennæ ſub Montone. Concedit abbati ut in eccleſiis ſibi ſubjectis ſacerdotes canonice collocare, ipſoſque rationabiliter removere ac legitime officii interdictione cohibere valeat. Excipit vero epiſcopalem portionem decimatuum & oblationum, & mortuarii, quam ſibi more prædeceſſorum ſuorum reſervat. Datum eſt hoc diploma anno MCLIV. menſe Junio, Indictione II. Amplius privilegium Adæ & monachis ſancti Savini conceſſit Adonulfus Firmanus epiſcopus, anno MCCIX. quod apud eumdem Vghellum habetur. Sed tot prædia ac privilegia, quibus dotatum ac munitum videbatur iſtud celebre monaſterium, minime obſtiterunt, quin penitus deſtructum fuerit. Illud ab Innocentio VIII. unitum fuiſſe Capitulo Firmano anno MCCCCLXXXVIII. obſervat Lubinus in Notitia abbatiarum Italiæ, licet ibidem ſcribat ipſum diœceſi Æſinenſi ſubjectum fuiſſe anno MCCCCL. atque paullo poſt Æſinenſi menſæ epiſcopali unitum. Hodie vero, ut idem auctor poſt Vghellum obſervat, mons Viſianus extra muros Firmanos, ubi ſitum fuerat monaſterium, vulgo nuncupatur Mons ſancti Sabini, ubi poſt Benedictinos primum conſedere patres Capucini, quibus in urbem tranſlatis, locum illum patres ſocietatis Jeſu à Capitulo Firmano obtinuerunt, ubi ſuum habent relaxandi animi gratia ſuburbanum.

Ann. Ch. mxxi. April. xx.

VITA SANCTI VVOLBODONIS LEODIENSIS EPISCOPI.

Auctore Reinero monacho S. Laurentii Leodienſis ſæc. 12.

Ex Jacobo Chapeavillo & Aprili Bollandiano.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vitæ ſcriptores.

1. *Multi quidem auctores beati Vvolbodonis epiſcopi Leodienſis geſta ſcriptis mandarunt, at nullus mihi videtur antiquior Reinero, monaſterii ſancti Laurentii Leodienſis monacho, ubi ſanctus ille vir ſepultus eſt. Hic autem Reinerus, quem Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica, Chapeavillus & Voſſius in Hiſtoricis Latinis exiſtimant circa annum* MCXXX. *floruiſſe, ex variis ſcriptoribus qui de beato Vvolbodone ſcripſerant opuſculum ſuum compegit, ipſomet atteſtante, ut pio fratrum ſuorum deſiderio faceret ſatis. Verum quinam ſint illi auctores, qui ante ipſum de ea re ſcripſerant, non indicat, nec alias reperire licuit. Profert quidem Henſchenius beati Vvolbodonis elogium ex antiquo Martyrologio monaſterii ſancti Laurentii deſumtum, quod ipſi antiquius Reinero viſum eſt; at cum nihil aliud ſit quam compendium eorum quæ à Reinero fuſius enarrantur, ſive Reinero prius aut poſterius fuerit, parum intereſt. Ceterum præter hunc auctorem Anſelmus canonicus Leodienſis & Ægidius Aureæ-vallis Ordinis Ciſtercienſis monachus, plura de beato Vvolbodone ſcripſerunt ſæculo decimo-tertio, quæ Chapeavillus tomo primo de geſtis Pontificum Leodienſium cum variis annotationibus vulgavit. At ſatis viſum eſt ceteris omiſſis Reineri opus proferre; ex quo nempe illi poſteriores hauſerunt ea, quæ ab ipſis enarrantur.*

Wolbodo an Benedictinus monachus?

2. *Negat plane Henſchenius Vvolbodonem Ordini Benedictino adſcribendum eſſe, eo præcipue nixus argumento, quod in vita à Reinero edita, Vvolbodo à puero canonicus eccleſiæ Vltrajectinæ dicatur fuiſſe, ac demum poſt varias dignitates in ea eccleſia adminiſtratas, Leodienſi eccleſiæ præfectus. Stabulenſes tamen monachi eum ſibi vindicare conantur; & quidem*

Digitized by Google

eum monachum fuiſſe ſcriptores antiqui ſimul & recentiores, tam Benedictini, quam exteri unanimi conſenſu fatentur. quod diſertis verbis affirmat Ægidius Aureæ-vallis Ciſtercienſis monachus, qui ineunte ſæculo decimo-tertio floruit. Poſt deceſſum, inquit, Baldrici epiſcopi, quadrageſimus-octavus Leodienſis epiſcopus, monachus religioſus, magnæ virtutis vir, & Imperatoris Henrici Capellanus, beatus ſcilicet Wolbodo ſucceſſit. Eamdem ſententiam receptam fuiſſe in monaſterio ſancti Laurentii Leodienſis patet ex barbaris verſibus, qui ſub Henrico XXVI. ejuſdem loci abbate editi ſunt, quorum aliquot huc referre viſum eſt ex Molano & Chapeavilleo.

ANN. CH. MXXI. APRIL. XX.

Stirpe decens, virtute nitens, Wolbodo notatur,
Præpoſitus pridem Trajecti, rector & idem,
Ob cælibem ſtatum, poſt hæc recepit monachatum.

Non referunt illi auctores, quo in loco pius Antiſtes monaſticam veſtem ſuſceperit, ſed alium quærendum non eſſe exiſtimaverim præter ipſam eccleſiam Trajectenſem, in qua Vvolboldo, teſte ipſo Reinero, inſtitutus fuit. Ibi enim Regulæ Benedictinæ obſervationem, quam in ea ſanctus Vvillibrordus conſtituerat, viguiſſe etiam tunc plus quam veriſimile eſt. Nec obſtare debet quod Vvolbodonem Reinerus canonicum appellaverit: eo enim nomine monachos fuiſſe donatos, qui in eccleſiis cathedralibus inſtituti erant, multis exemplis oſtendi poſſet. Quin & primus auctor Vvolbodonis elogii, quem huic ſancto ſynchronum fuiſſe ſuſpicatur, ut mox dicebamus, ipſe Henſchenius, canonici nomen, quod fortaſſis Reinerus, præterita cum ſibi præſentibus temporibus metiens adhibuit, non habet; ſed aſſerit Vvolbodonem ſub religioſis patribus in eccleſiaſticis clauſtralis vitæ adoleviſſe diſciplinis. Idem paullo inferius ſcribit virum ſanctum, invitum à clauſtri quiete abductum ab Imperatore fuiſſe, quem ſecum in capella aliquamdiu commorari voluit. quæ omnia probare videntur Vvolbodonem monaſticis inſtitutis fuiſſe addictum.

3. Vvolbodonem anno Chriſti MXXI. è vivis exceſſiſſe conſentiunt fere omnes auctores, qua de re nulla videtur eſſe difficultas. Pari conſenſu ad diem XXI. Aprilis ejus obitum conſignarunt; at contendit Henſchenius, veteres auctores Vvolbodonis depoſitionem in eccleſia ſancti Laurentii, non vero ejus obitum, quem pridie contigiſſe putat, ad 21. Aprilis retuliſſe. quod non ſatis attendentes qui poſtea ſecuti ſunt ſcriptores Martyrologiorum, ejuſdem ſancti viri obitum diei XXI. illigarunt. Et quidem ſi anno MXXI. Vvolbodo exceſſerit è vita, cum feria quinta, prout ſibi à ſancto Laurentio promiſſum fuerat, mors ejus contigerit, dicendus eſt obiiſſe die XX. nam hæc dies anno MXXI. incidebat in feriam quintam Dominicæ ſecundæ poſt Paſcha. Verum ſi beati Antiſtitis obitus ad annum MXX. ut quibuſdam placet, revocetur; tunc feria quinta poſt Paſcha, dies ſcilicet vigeſima prima Aprilis, extrema ejus dies fuiſſe dicenda eſt, quod Reineri narrationi ſatis congruere videtur. Verum cum ipſemet Reinerus, Chronicon Leodienſe antiquum, ejuſdem urbis Epiſcoporum catalogi, ceterique omnes antiquiores ſcriptores conſtanter Vvolbodonis obitum anno MXXI. contigiſſe aſſerant, Henſchenii ſententiam præferre viſum eſt.

Annus & dies mortis.

4. Vvolbodonis memoriam in Martyrologiis amplius triginta notatam vidiſſe ſe teſtatur Johannes Molanus in Natalibus ſanctorum Belgii, ubi ejus breve elogium refert, cum verſibus à nobis ſupra laudatis. Ejuſdem meminit in Faſtis Belgicis. Unde mirum non eſt ſi qui poſtea Martyrologia conſcripſere, Arnoldus Vvion, Hugo Menardus, Dorganius, Bucelinus, Ferrarius in catalogo generali ſanctorum, aliique, Vvolbodonis nomen ſuis faſtis adſcripſerint. De eo fuſe agit Meyerus in Annalibus Flandriæ ad annum MXX. Placentius, Bartholomeus Fiſenus in Floribus eccleſiæ Leodienſis, ſimileſque auctores, quos recenſere ſupervacaneum foret. At omittere non licet egregium teſtimonium, quod Baldricus Noviomenſis epiſcopus, vir gravis ac Vvolbodoni æqualis, in libro tertio Chronici Cameracenſis cap. 14. de eo profert, paucis his verbis: Iſte ſiquidem omni religione præditus, normam juſtitiæ ſuis exhibuit, morumque ac vitæ innocentis exempla reliquit. Monaſterium ſancti Laurentii apud Leodium, in quo beatus Vvolbodo ſepultus fuit, Eraclio ejuſdem urbis Antiſtiti originem ſuam debet, ipſum vero inchoatum Notgero ſucceſſori ſuo reliquit Eraclius, quod tandem à Balderico & Vvolbodone continuatum perfecit Reginardus Durandi ſucceſſor, qui anno MXXXVI. teſte Miræo in Originibus Benedictinis, è vivis exceſſit. Perſeverat hodieque celebre ſub Regula Benedictina, ſicut & aliud ſancti Jacobi ejuſdem urbis.

Cultus.

5. Beati viri corpus in proprio tumulo, qui ex marmore fabricatus erat, ad annum MDCLVI. remanſit. quo die 29. Octobris à Joſepho Sanfelicio Conſentino archiepiſcopo, tunc temporis ad tractum Rheni Alexandri VII. nuncio inde levatum eſt; ac demum in mauſoleo magnificentiſſimo, quod Guillelmus Natalis ſancti Laurentii abbas conſtrui curavit, depoſitum, ubi hodieque religioſe aſſervatur.

Reliquiæ.

Digitized by Google

ANN. CH. MXXI. APR. L. XX.

PROLOGUS.

1. MALA, inquit Salomon, aurea in lectis argenteis; qui loquitur verbum in tempore ſuo. Nam ſpectantium ſicut quodammodo paſcit oculos, ſi argentea cujuſlibet lecti fabrefactura malis adornetur aureis, ut, quas parit natura ſpecies, ars docte aſſimilet, metallumque arborea videatur germina quaſi parturire; ſic, immo verius, ſtudentium alit animos, vel de auro intelligentiæ ſpiritualis, vel de argento experientiæ moralis, apte formata, & opportune prolata eruditio. De qua, licet vix quippiam aſſecutus ſim, tamen benevola quorumdam fratrum æſtimatio per aliquantum temporis me urgebat, quatenus de domino Vuolbodone Epiſcopo, qui penes nos quieſcit, aliqua memorarem; ſcilicet, ut ea quæ apud diverſos ſparſim ſcriptores de illo habentur, mutuata tantum ab eiſdem materia, proprio dictatu congererem, & unum ex pluribus formarem ſcriptum. Sed minus idonee capit effectum; quod ſupra vires fuerit attentatum: quin potius juxta Poëtam, metiri ſe quemque ſuo modulo ac pede verum eſt. Proinde & ego illud ſedulo mihi proponebam Evangelicum: *Quis ex vobis volens turrim ædificare, nonne prius ſedens computat ſumtus, qui neceſſarii ſunt, ſi habeat ad perficiendum?* atque metiens meipſum, penitus refugiebam incipere, quod commode non poſſem conſummare. Attamen non refriguit fervens petentium piaque exactio. Igitur recepi tandem, quod ſpiritus pietatis, fraterno quidem ore, ſed ſuo inſtinctu injungebat, ne culpa offenderem indevoti, niſi parerem aliquatenus devotioni. Et quia defixeram apud reverendum Confeſſorem propriæ ſponſionis manum, præſentis opuſculi exſolvi verbum; quod utinam ſim locutus in tempore ſuo, id eſt, quod fructuoſum ſit vel legentibus, vel audientibus: quod ſi cui tamen diſplicuerit, attendat quam magnopere exactus ſum, patientiuſque feret imperitiam, qui non verba cogitabit, ſed materiam. Nec enim uſquequaque curat de verborum apparatibus, qui proficere quærit de ſanctorum virtutibus.

Vita ex aliis collecta.

Luc. 14, 28.

INCIPIT VITA.

2. CLARÆ nobilitatis VVOLBODO genus ex Flandria duxit [a], ſed claritatem generis clariore illuſtravit vita, eruditione, & Pontificali prærogativa. Hic à pueritia primitivo flore, quaſi lilium candens, bonæ indolis ſpirare cœpit odorem, dum traditus ſcholis, etiam ultro ad omne bonum aſpiraret documentum: docibiliſque ſenſu ac ingenio manſuetus, ex ſuis jam tunc ſtudiis faceret intelligi, quod munda & recta eſſent opera ejus. Igitur ut ætate, ita litterariis proficiebat incrementis; poëticumque exercebat illud non ſegnis:

Nunc adbibe puro
Pectore verba, puer: nunc te melioribus offer.
Quo ſemel eſt imbuta recens ſervabit odorem
Teſta diu.

[a] Wolbodo genere illuſtris.

Nec vero defuit piorum cura parentum; qui præ cunctis opibus ſuis hunc habentes pretioſum, modeſtis atque illuſtribus pædagogis commiſerunt & magiſtris; quatenus claro inſtitutionum auro tam carum ſibi adornarent ſaphyrum, qui & mentis & faciei ſereno, cæleſtis quodammodo æmularetur firmamenti ſerenum. Nam boni parentes hanc ſuis debent filiis diligentiam,

Pie educatur.

a Johannes Meyerus ad annum 1020. Wolbodonis patrem aſſerit fuiſſe Godefredum Comitem Montenſium, matrem vero Johannam Balduini Junioris Flandriæ Comitis filiam. at hæc quo fundamento?

ligentiam, ut bene inſtituantur. Philippus Macedonum rex, tam litteris quam militaribus geſtis egregie potens, dum Ariſtoteli philoſopho ſcriberet natum ſibi eſſe Alexandrum: Equidem diis habeo, inquit, gratiam, non proinde quia natus eſt, quam pro eo, quod naſci eum contigit temporibus vitæ tuæ. ſpero enim fore, ut educatus & eruditus abs te, dignus exſiſtat & nobis & rerum ſuſceptione regalium. Sed humanæ inſitum eſt naturæ, quod libentius docendi labor aſſumitur, ſi beneficia labori compenſentur. Scribitur autem dignum eſſe operarium mercede ſua, nec infrenandum os bovi trituranti; bonaſque artes ſtimulo præmiorum felicius incitari. Itaque bonis habenda eſt gratitudo magiſtris, quod non litteris ſolum; ſed, quod probabilius eſt, ad bonos etiam mores ſuos informent ſcholares. Unde & Symmachus [a] vir clariſſimus, Romanæ urbis Præfectus, Theodoſio ſcripſit Auguſto, inter præcipua negotiorum ſæpe curatum eſt, ut erudiendis nobilibus Philoſophi præceptores ex Attica poſcerentur. Itaque nonnullos jus & auctoritas publica in uſum noſtræ urbis accepit, domine Imperator: nunc veſtri ſæculi bonitas ultro optimatem ſapientiæ Romanæ gymnaſiis arrogavit. Siquidem Celſus, ortus Arthemio patre, quem memoria litterarum Ariſtoteli ſupparem fuiſſe conſentit, juventuti noſtræ magiſterium bonarum artium pollicetur, nullum quæſtum profeſſionis affectans: atque ideo dignus in ampliſſimum Ordinem coaptari, ut animum vitiis avaritiæ liberum dignitatis præmio muneremur. Sidereum ergo eſt æternitati numinis veſtri, hunc genere, eruditione, voluntate laudabilem, adjudicare Nobilibus pignore dignitatis, cum prærogativa ſcilicet Conſulari; ne ſumtum ejus magis quam magiſterium quæſiſſe videamur non ſine avaritiæ nota, ſi ab eo munia publica poſtulemus, qui ſpondet gratuita præcepta.

Ann. Ch. MXXI. April. XX.

3. Igitur Vvolbodo, pudoratus adoleſcens, bene inſtitutus, ac ſemper in anteriora ſe extendens, ibat de virtute in virtutem; & ſummopere ſobrietati ſtudens ac pudicitiæ, ſicut Samuel in tabernaculo Domini, ſic penes eccleſiam vel clauſtrum erat aſſiduus, & ne lenociniis fœteret ſæcularibus, foras evagari omnimodo refugiebat Chriſti Nazaræus. Quippe, ut ſcriptum eſt: *Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea*; ſic non erit alienus à contagio, qui curioſa ſectans non ſe ſubtraxerit à ſæculo. Dehinc juventute ſpectabili ut palma florens, nam & procero corpore, & membris erat directis, omnes in Clero præcellebat eccleſiæ Ultrajectenſis, in qua etiam fuerat Canonicus à puero; quæ tunc temporis religione, pariterque divinis & humanis vigebat diſciplinis. Magiſter denique ſcholarum factus, erudiebat multos: quoniam inſtar ſancti Job, lucerna Domini ſplendebat ſuper eum; & Domini appropinquans pedibus, accipiebat de doctrina illius. Itaque pro gradu, pro ætate, pro capacitate ſingulorum, affabilis & benignus, ſecundum Apoſtolum erat omnibus omnia factus. Ad præpoſituram deinde majoris eccleſiæ promotus, ſatagebat tamquam fidelis diſpenſator & prudens, qualem in Evangelio commendat Dominus, dare in tempore tritici menſuram confratribus ſuis: ut ſolertior non fuerit quondam filius accreſcens Joſeph horrea diſpenſare Pharaonis. Nec tamen pro cura exteriorum curam negligebat interiorum, ſed pie ſeverus, diſcrete diſtrictus, omnem cohibebat indiſciplinationem; practicæ quidem ut Martha, theoricæ inſiſtens ut Maria. Quoniam ergo Canonicus, Regularis interpretatur: opportune, importune arguebat ſubditos, & obſecrabat, tam moribus quam habitu eſſe regulares, illud attendens

Eccli. 13. 1.

Fit canonicus Ultrajecti & Scholiarcha.

Tum Præpoſitus.

[a] Videtur is fuiſſe orator celeberrimus, qui à Romano Senatu Conſtantinopolim miſſus eſt ad ejuſdem Theodoſii liberos, rogaturus ut Veſtales à Chriſtianis non deſtruerentur. cujus orationem S. Ambroſius & Prudentius refutarunt.

ANN. CH. MXXI. APRIL. XX.

Prov. 4. 13.

Salomonis: *Tene, fili, diſciplinam, ne dimittas eam; cuſtodi illam, quia ipſa eſt via tua.*

[a] Henrico Imperatori carus.

4. Imperator HENRICUS [a], qui propter inſignia virtutum generiſque claritudinem agnominatus eſt Glorioſus, Vvolbodonem magni habebat, præcipuoque cenſebat loco inter amicos; & interdum detenti ſecum in Palatio fruebatur familiaritate, conſiliis, ac religioſitate. Qui ſcilicet orthodoxus princeps, unice ſancto Laurentio devotus, Babenbergenſem eccleſiam, ad illius titulum conſtructam & dedicatam, poſſeſſionum atque opum munificentiſſima liberalitate donavit, & honore extulit, quatenus ſedes ibi pontificalis haberetur. Proprii namque corporis heredem non habens, Chriſtum & ejus Martyrem rerum devovit ſuarum necnon patrimonii heredes habere, utputa qui ante regnum vel imperium, Dux fuiſſet præpotens Baioariorum.

[b] Fit epiſcopus Leodienſis.

5. Interea BALDRICO [b], ut genere, ſic vita & memoria illuſtri epiſcopo diem obeunte, qui ſuæ diœceſis eccleſias multimodis quaquaverſum rebus provexit, ad poſtremum vero in inſula hujus urbis ſancti Jacobi fratris Domini fundavit cœnobium, directa eſt ad Imperatorem legatio eccleſiæ Leodienſis, alium ſibi paſtorem ſubſtitui per litteras viroſque induſtrios expetentis. Erat quippe tunc regiæ poteſtatis ſive juris, epiſcopos ad ſuum electos arbitratum, per anulum & baculum paſtoralem inveſtire, necnon deſtinare eccleſiis cum ſua commendatione: ſed attente curabant religioſi principes, in hunc honorem tales aſſumere, qui regno ſubjectiſque poſſent prodeſſe, ut profuerunt plerique diverſis temporibus per diverſa loca. Glorioſus itaque Imperator, qui gloriam Chriſti quæreret, tractabat, quem daret Leodienſibus paſtorem: quibus & Vvolbodonem aſſignavit, quo digniorem nullum attenderet. Hic indignum ſe profitens, precibus & lacrymis contra nitebatur. acquievit tamen poſtremo, ne diligentem ſe admodum Principem contriſtaret, immo ne jacturam obedientiæ aut notam pertinaciæ incurreret. Miſſus itaque cum auctoritate Auguſtali, exceptus eſt magno aſſenſu & gaudio cleri ac populi; nec enim per ambitum ſumebat ſibi honorem, ſed vocatus à Domino tamquam Aaron. Proinde quia faciebat illum Dominus creſcere in plebem ſuam, benedictionem accepit à Domino; atque ut ſacerdotio illo fungeretur, veſtitus ſecundum Aaron veſtem ſanctam in gloriam & decorem, ſacratus eſt in epiſcopum à ſancto HERIBERTO Coloniorum archiepiſcopo.

Cura paſtoralis.

1. Tim. 4.

6. Quia igitur hic paſtor intravit per oſtium in ovile ovium, illi oſtiario aperiente, id eſt, Chriſto, ad inſtar David paſcebat Iſraël Chriſtianum: paſcebat, inquam, hereditatem Chriſti in innocentia cordis ſui, & in intellectibus manuum ſuarum deducebat eam. Et quidem faciebat prius, quæ poſtea doceret; ideoque ut monet Timotheum Apoſtolus, attendebat lectioni, exhortationi, doctrinæ, exercens quam maxime ſeipſum ad pietatem; quæ, ſicut idem definit Magiſter gentium, ad omnia utilis eſt, promiſſionem habens vitæ quæ nunc eſt & futuræ. Erat itaque erga pauperes tam liberaliſſimæ pietatis, ut ſi deeſſet interdum quod largiretur, tapetia, urceolos, pallia, ſeu alia quævis epiſcopii ornamenta clam ſibi ipſi ſublegeret, atque nocturnis maxime horis diſtribueret egentibus, quæ ſcilicet à camerariis ac miniſterialibus erat redimi neceſſarium. Quid nempe memorem illius in orationibus ſeu vigiliis inſtantiam; dum plerumque noctes etiam hibernas tranſegerit inſomnes, aut Sanctorum oratoria circumeundo, aut miſericordiæ operam infirmis & pauperibus impen-

[a] Henricus cognomento ſanctus, qui cum Cunigunda ſanctiſſima uxore epiſcopatum Bambergenſem fundavit anno MVII. primus ibi inſtitutus eſt antiſtes, Eberhardus, qui hanc ſedem uſque ad annum 1042. religioſe adminiſtravit.

[b] Baldricus Notgeri ſucceſſor, epiſcopus Leodienſis, anno 1017. è vivis dicitur exceſſiſſe, cui eodem anno ab Henrico imperatore Wolbodo ſubſtitutus eſt. Utrumque anno ſequenti conſignat Chronographus Magdeburgenſis cum Sigeberto.

Digitized by Google

dendo, qui ſecretius, ipſomet dictante, per nota eum diverticula viarum **Ann. Ch. MXXI. April. XX.**
obſervabant? Filius quidem lucis ambulabat per noctem, quoniam ad ve-
rum tendebat diem: videlicet ambulabat in tenebris, quoniam nitorem
oderat vanæ oſtentationis, juxta Dominicum illud: *Te faciente eleemoſynam,*
neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua, ut ſit eleemoſyna tua in abſconſo; & *Matth. 6. 3.*
Pater tuus, qui videt in abſconſo, reddet tibi. Atteſtari denique ſolebat quidam
illi familiarior, quod, cum pedes ejus lavaret, frigore & glaciali viarum
deprehenderit aſperitate aduſtos, ſanguinemque ab interioribus elicitum
in ſuperficie cutis occalluiſſe. Adeo ut Chriſti luminoſum fratrem Jaco-
bum imitatus ſit, qui orando ad Patrem luminum, pro aſſidua genuflexio-
ne callos in modum cameli ſcribitur contraxiſſe in genibus.

7. *Ignis*, ait Dominus ad Moyſen, *in altari ſemper ardebit, quem nutriet* *Levit. 6. 12.*
Sacerdos ſubjiciens ligna mane per ſingulos dies, & impoſito holocauſto deſuper, ado-
lebit adipes pacificorum. Ignis eſt iſte perpetuus, qui numquam deficiet in Caritas.
altari. Ardens ſane Vvolbodo igne caritatis in Deum & proximum, nu-
triebat illum veluti Sacerdos officioſus in altari ſanctæ meditationis; ope-
rumque ſubjiciens ligna bonorum, holocauſtum deſuper eleemoſynarum,
quaſi adipes adolebat pacificorum. Nec enim vacabat menſalis illius re-
fectio, à ferculis dilatatæ largitionis: dum lautiora quæque & delicatiora
ſibi appoſita Chriſto diſpertiret, hac vel illac infirmis & indigentibus
mittendo; ſe vero pane cibario atque eſcis communibus, quamquam lon-
ge citra ſaturitatem, reficiendo. Jure igitur ad illum ſancti Job deriva-
tum ſit præconiale: *Si negavi, quod volebant, pauperibus; ſi oculos viduæ ex-* *Job. 31. 17.*
ſpectare feci; ſi comedi buccellam meam ſolus, & non comedit pupillus ex ea. Potiſ-
ſimum tamen quos Deum timere & mandata ejus obſervare noſſet, com-
mendabat verbis, honorabat donis; quamlibet à nullo miſerationis ſubtra-
heret manum, dicens cum Apoſtolo: *Sapientibus & inſipientibus debitor ſum.* *Rom. 1. 14.*
Nec fore inſipidum prorſus æſtimo, ſi rem hic inſeram Græco ſale con-
ditam. Herodem Atticum Conſularem virum & amœno civilem ingenio,
adiit palliatus quiſpiam, & crinitus, barbaque pubetenus porrecta, petiit-
que ſibi æs donari. Tum Herodes interrogat quiſnam eſſet? Ille vultu vo-
ciſque ſonitu objurgatorio philoſophum ſeſe profitetur, demirari autem
cur quærendum putaverit, quod videbat. Video, inquit Herodes, bar-
bam, & pallium: philoſophum necdum video. Sed cum bona te venia
quæſo, dicas mihi, quibus nos uti poſſe argumentis exiſtimas, ut eſſe te
philoſophum experiamur? Stomachante illo, tum vero qui aderant erra-
ticum eſſe hominem & nullius rei dicere, quin immo incolam ſorden-
tium eſſe ganearum, ac niſi accipiat quod petit, convicio turpi ſolitum
inceſſere. Demus, inquit Herodes, *huic aliquid* æris, cujuſcumque modi
eſt; demus, tamquam homines, tamquam non homini. juſſitque dari
pretium panis triginta dierum.

8. Enimvero ut ad noſtrum redeam Vvolbodonem, maledici quidam Imperatorem placat.
averterunt ab eo priſtinam Auguſti benevolentiam, detractionum ſeren-
tes zizania, de quibus eſt dictum: *Suſurro & bilinguis maledictus, multos enim* *Eccli. 28. 15.*
turbavit pacem habentes. Verumtamen pacis ſectator, qui fideliter Cæſari
redderet, quæ eſſent Cæſaris, & quæ Dei Deo, ſuorum conſultu fidelium
paravit xenium Cæſare dignum, quo illius contra ſe tranquillaret ani-
mum, non ignorans illud de Proverbiis: *Time Dominum & Regem: ſicut enim* *Prov. 20. 2.*
rugitus Leonis, ita & terror Regis. Itemque illud Petri apoſtoli: *Deum timete,* *1. Petr. 2. 17.*
Regem honorificate: hac eſt enim gratia, ſi propter conſcientiam Dei ſuſtinet quis
triſtitiam, patiens injuſte. Præterea retractans & illud: *Cor Regis in manu Dei,* *Prov. 21. 1.*
quocumque voluerit, inclinabit illud. cæleſti Rege placato, terreni facilius
regis poſſe indignationem ſuſtineri; ut excuteret manus ſuas ſicut ab om-
ni, ſic etiam ab iſto munere; quicquid congeſſiſſet pecuniæ, diſperſit &

Ann. Ch. MXXI. April. XX. dedit pauperibus, perinde, ut ne unam inde quidem ſiliquam retineret. Coloniam deinde profectus, ubi tunc idem Imperator agebat Natale Dominicum, ſe illius præſentiæ exhibuit, grandia exſpectantis à Vvolbodone auri & argenti talenta. Interrogatus, ſuperno Imperatori quæcumque attulerat ſe per manus pauperum attribuiſſe, ſubmiſſo & gratanti ore reſpondit, quatenus illum ſummus Imperator illiusque tueretur ſemper imperium. Auguſtæ civilitatis Cæſar, quod ſanctum Laurentium eſſet imitatus, cui erat & ipſe devotiſſimus, ſereno accepit animo & vultu, dum terſo protinus omnis offenſæ vel ſcandali nubilo, ſibi congratulans & amplexans fecit conſidere. Majore igitur eſt habitus gratia Vvolbodo nihil dando, quam ceteri qui multa dederant Epiſcopi, palatinorum frivolos favores, aut mimorum plauſus & facetias appetendo.

Prov. 22. 11. 9. Quoniam quidem ſcriptum eſt: *Qui conſcientia ſervat munditiam, propter gratiam labiorum ſuorum habebit amicum Regem.* Idem nihilominus Imperator archiepiſcopo Heriberto graviter erat diuque infenſus; & dicere cauſam opportunum eſt. Otto hujus nominis Imperator III. Creſcentem Romanorum Patricium contra ſe rebellantem, bello Romæ aggreſſum vicit: fugientem, ſed retractum ex fuga, cepit: abjudicatum, & vili jumento averſe impoſitum, circumduci per Urbem fecit; paullatimque truncatum membris, ante muros ad ultimum ſuſpendi juſſit. Hujus uxor, ſpe imperandi, Imperatorem ad ſuum illexerat amorem. ſed cum doleret repatriantem, & nuptiis ſe fruſtrari, miſſo clam veneno illum infecit. S. Heribertum cum eo reconciliat. Roboam Salomonis minutus prudentia legitur; ſed non minus Imperatorem iſtum dixerim minoratum ſenſu, qui mulierculæ inſolenti & laſcivæ, cujus tam dedecoroſe tractaſſet maritum, cujus parentes, Romanamque Rempublicam damnis admodum profligaſſet ac mortibus, ſe crediderit, Eccli. 25. 22. &c. ſe acclinaverit. Fugit Ottonem, quod in libro Sapientiæ ſcribitur: *Non eſt caput nequius ſuper caput colubri; & non eſt ira ſuper iram mulieris. Commorari leoni & draconi placebit, quam habitare cum muliere nequam. Nequitia mulieris immutat faciem ejus, & obcæcabit vultum ſuum quaſi urſus.* Per hanc itaque urſam actus eſt Otto in mortem, & agens in extremis, Heriberto Colonienſi Archiepiſcopo, qui tum aderat, & cui potiſſimum confidebat, inſignia imperii commendavit; ut ea ſcilicet illi aſſignaret, quem communis electio & aſſenſus Principum in regnum ſubſtituiſſet. nam carebat filiis. Dum milites autem Tranſalpini corpus ejuſdem defuncti tranſportarent ad Galliam, pluribus Italorum inſidiis atque incurſibus laceſſiti ſunt; ſed viam ſibi haud ſegniter armis paravere. Verumtamen cum in tuto jam eſſe res putaretur, Henricus, de quo nunc mentio eſt, Imperator, Dux Bajoariæ tunc exſiſtens, in Archiepiſcopum ad quem ſpectabant, & cui parebant omnes, inſurrexit, atque ab illo inſolentius injuriato, eadem inſignia per vim extorſit. dicens, hereditario ſibi jure illa competere, ſuum etenim fuiſſe avum, fratrem primi Ottonis imperatoris Henricum. Hoc ſeminarium ſimultatis & diſcordiæ apud Cæſarem contra Archiepiſcopum fuit; quem & moleſtius æquo aliquoties inſectatus eſt. Porro ad pænitentiam divino tandem timore compunctus, mediante & elaborante ad bonum concordiæ acceptiſſimo ambobus Vvolbodone; nunc, uti præmiſſum eſt, Coloniæ degens, humillima ſatisfactione Archipræſuli eſt eidem reconciliatus.

Præficitur monaſterio S. Jacobi. 10. Qui Dominicum Paſcha dum Leodii poſtmodum celebraret, interpellatus eſt à fratribus Baldrici epiſcopi, de quo prælibatum eſt, eidem Auguſto pro ſua nobilitate & induſtria gratiſſimis, quatenus pietate proſpiceret imperiali cœnobio ſancti Jacobi, quod idem frater eorum fundaverat quidem; ſed præventus morte reliquerat imperfectum, ac ſine providentia tutoris alicujus deſolatum. Itaque cum magna nobilium plebiſ-

que frequentia Imperator venit ad locum; cryptam intravit ad nomen ſancti Andreæ Apoſtoli exſtructam, & reliquiis conſecratam: quas, ipſe ſcilicet Auguſtus, venerabili Baldrico, tamquam mutuæ affectionis pretioſum pignus, dono dederat. Cujus & tumulum illic corpore quieſcentis adveneratus: Tibi ô episcope, inquit, Vvolbodo (nam aderat præſens) tibi, ô dilecte nobis, hunc pauperem locum, hanc vice noſtra committo eccleſiam. tu pupillæ pater ac ſedulus ſis tutor; & de bonis, quibus eam tuus ſubarrhavit anteceſſor, opus perficias imperfectum. Dehinc munificam fecit ſuper altare oblationem. Epiſcopus ergo, quamquam multis aliis curis detentus, loco tamen illi paterne ſuperintendebat; cui & præfecit OLBERTUM [a], Gemblacenſis eccleſiæ abbatem, virum virtutibus, religione, ſapientia ſumme ſpectabilem: qui etiam ſtudio vigilanti, Epiſcopo cooperante, ut idem cœnobium perficeretur, inſtitit; in quo & poſt felicem à ſæculo deceſſum, jam ſenex emeritus, accepit ſepulturam. Ann. Chr. MXXI. April. XX.

11. Ceterum ad idem tempus Freſones debellabat Gandavenſis Comes Theodoricus [b], eo quod illius occiderint patrem Arnulphum. Ad quem inhibendum Imperator Godefridum Lotharingiæ Ducem cum exercitu miſit: & cum ſuccedere pax non potuiſſet, condicto die in pugnam pars utraque proceſſit. Jam in ſeſe acies concurrebant, dum novo repente monſtro pertonuit vox terrifica, neſcitur unde emiſſa. Fugite, fugite. Hinc attonitus cum ſuis Dux, ac terroris quadam vertigine actus, diffugium fecit. Perſtitere vero Freſones, paucique plurimos cecidere adverſariorum, ipſo inſuper Duce capto, quoniam reputarent doli ac proditionis cauſa prœlio illum exceſſiſſe. Permotus eſt Imperator cum audiſſet, atque Vvolbodonem cum Legatis Freſoniam miſit, quod genere & ſanctitate clarus eo locorum haberetur. Qui etiam, ut ait Salomon, *Legatus fidelis ſanitas, & ſicut frigus nivis in die meſſis, ita Legatus fidelis ei qui miſit illum, animum ejus requieſcere facit*, ſua effecit induſtria, ut & captivitate Dux ſolveretur, & illata Duci & regno injuria Freſonibus ab Imperatore donaretur. Inter Imperatores, & Friſones pacem componit. Prov. 13. 17.

12. Leodium inde regreſſus, Dominicum Paſcha devotione ſolita & ſpirituali gaudio celebravit, utpote cujus eſſet mos, Paſchalia quot diebus in ſancto altari celebrare myſteria, verique Agni carnes igne paſſionis aſſas edere: quas profecto veluti cum azymis panibus & lactucis agreſtibus, valde ſcilicet amaris, edebat, qui erant lacrymæ ſuæ panes die ac nocte; qui loquens Deo in amaritudine animæ ſuæ, *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt*, fermento careret malitiæ & nequitiæ. Igitur ad verum & perpetuum Paſcha evocandus ab Ægypto ſæculi hujus; evocandus, inquam, à tenebris in admirabile lumen Dei, dolore ſtomachi ex nimia contracto abſtinentia, urgeri ad mortem cœpit, ſuperjectoque vilibus ſtramentis cilicio, & cineribus aſperſis, decumbebat: precibus, pſalmodiæ, lectioni divinæ, quam ſibi faciebat legi, deſideranter intentus, ſuſpirabat quando veniret & appareret ante faciem Dei. Denique aſſidentes ſibi, ut ſua ſemper memorarent noviſſima, & dum dies ſalutis eſſent, ſuæ ſaluti providerent paterne admonens, præcipiebat, ne quis ad ſe prohiberetur ingredi: videlicet, ut in ipſo mortis anguſtiam, mortis conſiderarent in Epiſcopo amaritudinem, quæ comparata ſit dulcedine pomi illius, quod temeraverunt in horto deliciarum tam auſteri, tam acidi ſuo in poſterum generi, parentes primi. Nec antiqui defuere ſerpentis inſidiæ, exploran- Incidit in morbum. Pſal. 119. 5.

[a] Hujus Olberti vitam dabimus ad annum 1048. ubi plura de ſancti Jacobi monaſterio Leodienſi reperies.

[b] De hoc bello nonnulla habet Sigebertus in Chronico ad annum 1018. & ſequentem. De hujus Theoderici & Gandavi Comitum familia videſis Andream Cheſnium, in Hiſtoria familiarum Giſnenſium Andrenſium & Gandenſium in Præfatione libri 1.

Digitized by Google

ANN. CH. MXXI. APRIL XX. tis, ſi quid in illo ſuum inveniret: quem ſigno Crucis, & aquæ benedictæ repulit aſperſione infirmus, aſſiſtentem propter illius veſtigia. Nam *omnis* Prov. 30. 5. *ſermo Dei*, ſecundum ſcripturam, *ignitus clypeus eſt ſperantibus in ſe*. Quo ſcilicet Vvolbodo munitus: Abſiſte, inquit, funeſte tenebrarum accola, pars mihi nulla tecum, ſed portio mea Chriſtus in terra viventium. Beata ſpes, felix exſpectatio infirmi hujus, dolentis hujus, qui confidenter Deo Pſal. 93. 19. dicere potuerit, *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Beatus namque Laurentius, cum inæſtimabili ſuavitate & gloria, illi è veſtigio apparuit, & conſolans: Quinta, inquit, feria mecum eris. Qua conſolatione ſuper mel & favum dulciore, qua promiſſione ut nectare divino refectus æger, Majoribus eccleſiæ, clericorumque nonnullis plus juſto lætabundus eam expoſuit; & illis congratulantibus ſibi, unctione ſancta, viatico Chriſti ſacramentorum ſeſe communivit. Denique POPPONI [a] eccleſiæ Stabulenſis opinatiſſimo tunc abbati, hujus loci commiſit providentiam, quia nulli adhuc fuerant ad ſerviendum Deo inſtituti vel Abbas vel Monachi. Cœperat quidem eccleſia hæc conſtrui ab Epiſcopo glorioſæ commendationis EURACLO, qui jam in urbe iſta ſanctorum Pauli & Martini baſilicas egregia liberalitate conſtruxerat; ſed paucis poſt diebus eo decedente, relicta eſt imperfecta: utrumque dotata quidem, ſed miſerabili facie, quia nec ſaltem cooperta, niſi quod NOTHGERUS, qui ſucceſſerat epiſcopus, inſigne tuum diadema ô Leodium, perfectis tandem & æquatis parietibus, ſuperponi tectum fecit.

Sacramentis munitur.

13. Itaque ut venit dies qui promiſſus erat, qui deſiderabatur, vir ille deſideriorum ſuo eſt fruſtratus deſiderio: fuit ſiquidem culpæ, viſionem dignitatis tantæ indignis æque ut dignis innotuiſſe. Quapropter admodum mæſtificatus, cor ſuum ipſe diſcuſſit, & culpam in ſe deprehendens, Vvielandum bonæ converſationis clericum familiarem ſibi obteſtatus eſt, per tremendam divinitatis Majeſtatem, quatenus ſe aſtrictum loris, verberibus ſubjiceret diſtrictis. Vinctum igitur ſuum Dominus non deſpexit; Job. 42. 6. quem velut ſanctum Job dixiſſe advertas: *Ipſe me reprehendo, & ago pœnitentiam in verbere, in favilla & cinere.* Unde pœnitentis oratio Vvolbodonis directa eſt ſicut incenſum in conſpectu Domini; elevatio, inquam, manuum illius in mortem veſperaſcentis, quaſi ſacrificium veſpertinum apud Patrem miſericordiarum & Deum totius conſolationis. Siquidem ſenſit per ſpiritum, carnis ſe vinculis jamjam abſolvendum, & humillime circumſtantes admonebat inſtantius orare; pſalmis antiphonas incipiendis ipſe imponens, finitis Collectas ipſe ſubjungens. Atque ut hoc efficacius poſſet, linguam, vicina jam morte ſiccatam, madidari aqua interdum faciebat. Quinta igitur ſubſequentis hebdomadæ feria mox migraturus, crucem Dominicam accepit in manibus, & mira dulcedine, affectu inexplebili diu complectens, pedeſque crucifixi, manus, & latus exoſculans, Chriſto ſpiritum crucifixo reddidit. Cui ut ſuorum reddatur merces laborum, deductus eſt in via mirabili; quia Laurentio duce tranſivit in locum tabernaculi admirabilis, uſque ad domum Dei. Corpus autem venerabile ad hunc locum, ad hanc domum Martyris, quem ſibi ſpecialem fecerat patronum, magna Cleri & populi frequentia & honore delatum, operoſo atque ſpectabili, quemadmodum ſpectari poteſt, ſepulcro eſt reconditum, circa quod auratis hoc litteris habetur exaratum.

Ob revelatam viſionem punitus.

Obit.

Epitaphiũ.

Ingens carnis honor, ſed morum gratia major;
  Præſulis officio te locat & ſolio.
Senſit dives, egens, ut eras ad ſingula præſens,

[a] Popponis vitam habes infra annum 1048.

Iſtis unde ſalus; his fluit unde cibus.
Hinc eadem cunctis aſſunt, & viſcera nobis;
Hincque ſalutiferum excolimus tumulum.

ANN. CH. MXXI. APRIL. XX.

14. Migravit anno Dominicæ Incarnationis MXXI. undecimo Kalendas Maïas, præſidente ſedi Apoſtolicæ Benedicto, à beato Petro apoſtolo CXLIV. glorioſi verò Henrici tam regni quam imperii anno XX. ſui autem præſulatus menſe XXX. Qui procul dubio terræ viventium heres, de ſua re mancipi ſanctum Laurentium hereditavit munifice; trecentas inſuper argenti marchas in opus perficiendæ dimittens eccleſiæ, mirabili affectione, ô Martyr ſancte, tibi theſaurizatas. Nam ſi advixiſſet diu, quantum erga te ſuam extendiſſet devotionem, cum Deo, qui metitur hominum corda, plenius noſti. Septem denique matrices eccleſias contulit, & in Flandria ſibi à progenitoribus dimiſſa multorum prædia redituum, quibus nos violenti homines, alienorumque cupidi pervaſores, adverſante ſatan exheredavere, contra diei malitiam, contra ſæculi hujus injuſtitiam, nobis fruſtra reclamantibus.

S. Laurentii monaſterium dotat.

15. Nec vero prætermiſerim, quod diligens ipſe decorem domus Domini, ſtationes inſtituit ſeu proceſſiones, quæ ab univerſo communiter clero civitatis, ad majorem eccleſiam, certis per annum ſollemnitatibus fiunt; quatenus per hujuſmodi conventus, in choro Leodienſi, jugiter caritatis maneat, ut ita dixerim, concentus: hoc eſt, ut majori eccleſiæ à minoribus, tamquam matri à filiabus, privilegium ſervetur, competenſque ſubjectio; ab eo modificata, qui habitare facit unius moris in domo; monente Apoſtolo ſolicite ſervari unitatem ſpiritus in pacis vinculo. Labri denique illius ænei, quod fecit Moyſes, ut lavarent in eo Aaron & filii ejus manus ſuas ac pedes, quando ingreſſuri erant teſtimonii tabernaculum, & quando acceſſuri ad altare, ut offerent in eo thymiama Domino, recordari nos facit liber ille pſalmorum conſpicuus, quem propria manu ſcripſit, & in quo unicuique pſalmo, compoſitam ex eodem, & à ſe dictatam ſubjecit orationem, de bono theſauro cordis ſui proferens bona. Hic à nobis hactenus diligenter aſſervatur; in quo videlicet manus ac pedes noſtros, id eſt, actuum ſive intentionum motus, compunctione lacrymoſa, velut ænea ad Deum ſonoritate pſallendo, lavare poſſimus, introituri ad ſancta ſanctorum. Inter cetera enim etiam iſtud piiſſimi amplectimur Vvolbodonis memoriale; cui diebus ſingulis mos erat, antequam divina celebraret myſteria, de integro perorare pſalterium, thymiama utique Chriſto acceptabile in odorem ſuavitatis.

Pſalterium ejus mſ.

16. In epiſcopatum eſt ſubrogatus ei DURANDUS, noſtræ ſatis eccleſiæ durus; quoniam bona, quæ plurima nobis dederat anteceſſor ejus, abſtulit; & partim ad menſam epiſcopalem retinuit, partim militibus beneficiavit. Ipſe ignobilis quidem genere, utpote ex familia GODESCALCI, majoris eccleſiæ præpoſiti, fuit; ſed ingenii atque litterarum clara viguit nobilitate. Qui, videlicet Godeſcalcus, ſancti Bartholomæi conſtruxit eccleſiam; ex ſuis ſufficienter allodiis duodecim Canonicos inſtituit, liberaliſſimo illum Vvolbodone conſiliis & beneficiis animante. Sed Durandus, quamquam natus ſerviliter, tamen in hoc etiam ſe commendavit nobilit[illegible], quod eumdem Godeſcalcum, nec fidelitatem ſibi epiſcopo, ut mos eſt, jurare, nec hominium facere paſſus fuerit. Ingenue morigeratus, qui non attenderet quid tunc eſſet, ſed antea quid fuiſſet: nec jam ſervus, tamen quaſi ſervum ſeſe obſequiis Godeſcalco exhiberet. Fuit ergo in theatro mundi quaſi fabula, quod ſuis dominaretur dominis homo ex tam paupere & humili familia, cum Dominus pauperem faciat & ditet, humiliet & ſublimet. Hunc, propter vitæ modeſtiam & ſcientiæ

Durandus ejus ſucceſſor.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXXI. April. XX.

prærogativam, Vvolbodo benignus habebat gratiſſimum; atque ideo imperatori Henrico clericum quærenti ſcientem litterarum, aſſignaverat eum, & ſummopere commendaverat. Quam Auguſtus commendationem adeo habuit non irritam, ut ipſo decedente, illum cathedra ſublimaret Leodienſi. Idem etenim Babenbergenſem eccleſiam, ab eodem deſtinatus Auguſto, doctrinarum jam pridem & religionis claro ſidere illuſtrarat. Sed plerique acceptorum obliviſcuntur beneficiorum; & bonas etiam mentes depravant aliquando curæ ſæculares. Unde & Durandus, miſericordis erga ſe Vvolbodonis oblitus, miſericordiam eleemoſynæ defraudavit, ut præmiſſum eſt, quam Laurentio in hoc ejus loco delegaverat; leve æſtimans, ſi eam nemine ſibi contradicente tolleret.

Monaſterio legata aufert.

17. Quapropter viſione duriſſima ſemel ac ſecundo redargutus eſt, eodem apparente ſibi ſancto, & ſuam acriter eleemoſynam repetente. Quod ille cum ſuis non modice concuſſus denarraret, aiebant, maxime hi, quibus rapta fuiſſet elargitus, non debere illum ſomniis attendere; multas ſequi curas ſomnia; eum dormientem videre, quod vigilans verſaret mente; ſapientis eſſe, ut quaſi fumum reputet ſomniorum phantaſias. Canum hujuſmodi, ut ita dictum ſit, adulantium linguæ conceptum timoris ſtillicidium illius facile ex animo elambuere. Venerat quidem Vvolbodo ſemel ac ſecundo in ſpiritu lenitatis; ſed jam tertio in virga furoris aderat, comminanſque terribiliter, quod auditus non fuiſſet; quod culpam ille non correxiſſet; ad radices arboris jam ſecurim eſſe poſitam dixit. Graviſſime ergo illum cecidit, eumque continuo mortis prævia corripuit ægritudo. Cujus angore nimio & clamore turbata eſt familia: evocati celerius ſunt Archidiaconi, necnon civitatis Majores. Quæ viderat, quæ audierat, innotuit: Et ecce, inquit, jam morior; ad miſericordiam domini mei Vvolbodonis me perferetis, atque illius ex oppoſito, extra eccleſiam ſcilicet ſancti Laurentii, ſecus parietem me ſepelietis. Tradit deinde ſancto Laurentio prædium in Vvaſegga, quod nuper à Roberto emerat archidiacono, & quatuor auri marchas ſibi tantum reſiduas, ſpondens viſcerabiliter, quod ſi ſpatium ſibi daretur, cuncta quæ abſtulerat ex integro reſtitueret. Juxta Zachæi votum forſitan reddidiſſet ablata in quadruplum, ſed non exſpectatus obiit; atque hic, ſicut petierat, extra eccleſiam ſepultus eſt. Ibi ſub dio tam diu jacuit, quouſque nova ædificaretur eccleſia, & tunc incluſus muro atque admiſſus ſub tectum eſt, lapidemque ſepulcralem, qui nunc uſque cernitur, abbas Stephanus [a], pro epiſcopii veneratione, ſuper illum componi, atque hoc fecit epitaphium inſcribi.

Punitus reſipiſcit & moritur.

Ejus Epitaphium.

Durandus jacet hic, qui paullo plus tribus annis
Tungrenſem rexit nobiliter cathedram.
Pauperis in nido patrimonii natus & altus,
Ingenio ſummos evolat ad Proceres.
Quos tulerat dominos, iſdem famulantibus uſus,
In theatro mundi fabula quanta fuit?
Septima lux urnam fundentis in orbe fluebat,
Cum faceret rebus triſte vale ſenior.

Miracula.

18. Denique ad corpus dilecti Deo Vvolbodonis quicumque petierint ex fide, diverſorum remediis languorum ſoſpitantur, meritorumque illius efficaciam, tum ex nobis ipſis, qui ejus beneficiis fruimur, tum ex aliis nonnumquam ſumus experti. Ut de innumeris, duo ſaltem perſtringam

[a] Stephanus huic monaſterio præfuit ab anno 1016. ad 1059. quo mortuus eſt.

breviter

Digitized by Google

breviter: Adelardus [a] in eccleſia ſancti Trudonis, hujus nominis abbas ſecundus, acerbiſſima phreneſi à ſe alienatus, dum ad ſepulcrum noſtri Vvolbodonis pertractus fuiſſet, ibique jacuiſſet aliquamdiu, ſuffragio ſancti plenam recepit ſenſus ſobrietatem. Item alius è Fratribus noſtris graviſſime infirmatus, atque ad ſancti miſericordiam deportatus eſt; quo ſibi dignanter apparente, ac tertio ſuper illum ſanctæ Crucis ſignaculum faciente, tamquam ab ipſis retractus mortis faucibus, ſine mora convaluit.

Ann. Ch. MXXI. April. XX.

19. Sed corporum ſanitates pariunt nonnumquam animarum infirmitates, dum miracula quæ debeant excitare ad devotionem, ſibi materiam indiſciplinati vendicent ad diſſolutionem; præſertim cum monachico non expediant inſtituto vel quieti frequentiæ ſæculares. Quocirca improbandum non fuerit, quod, uti ferebant ſeniores noſtri, primus loci hujus piæ recordationis abbas Stephanus, hunc aliquando ſanctum per divinum nomen conteſtatus ſit, quo temperaret à miraculis [b]; quibus tantæ Fratribus fiebant per occaſionem infirmorum noctu & interdiu moleſtiæ. Verum quamlibet rareſcere extunc miracula cœperint, tamen per præſentiam meritorum Vvolbodo ſemper nobiſcum eſt: dum & aliquotiens à Religioſis quibuſdam viſus fuerit ad tuum altare, ô ſancte Laurenti, pro ſtatu eccleſiæ iſtius, præſente mirabiliter ſanctiſſima Trinitate, arcanis divinorum fungi myſteriorum, ſacerdos exaudibilis ſecundum ordinem Melchiſedech, cujus hoſtias, tuarumque odorifera precum libamenta acceptaverit, ac ſempiterne acceptet idem trinus & unus Deus, cui gloria nunc & in diem æternitatis. Amen.

Ad abbatis preces ceſſant.

DE V. FREDERICO PRÆPOSITO ſancti Vedaſti Atrebatenſis.

Ann. Ch. MXXII. Jan. VI.

1. *Illuſtre contemtus eorum quæ in mundo ſunt, & chriſtianæ humilitatis exemplum, quod nobis Fredericus ex Comite Virdunenſi primò monachus apud ſanctum Vitonum, poſtea ſancti Vedaſti Atrebatenſis Præpoſitus exhibuit, prætermittere non licet. Ejus elogium ferme totum ex Hugone abbate Flaviniacenſi mutuabimur, viro fere coæquali, qui in Chronico Virdunenſi præcipua Frederici noſtri geſta recenſet. Nonnulla adjiciemus quæ in Vaſſemburgi archidiaconi Virdunenſis Galliæ Belgicæ antiquitatibus, aliiſque paſſim auctoribus fide digna occurrent, modo vel ad Frederici memoriam commendandam, vel ad hiſtoriam hujus ſæculi illuſtrandam valeant conducere. Frederici genus illuſtre deſcribit his verbis Hugo.* Pater ejus Godefridus erat, vir probitate, gratia, & divitiis, & honoribus inter magnates regni nominatiſſimus. Habebat & alios filios, Adalberonem Virdunenſem epiſcopum, Herimannum quoque Comitum nobiliſſimum, Godefridum quoque & Gozelonem Duces. Herimannus, qui & Hezelo, Mathildem duxit uxorem, ex qua genuit duos filios bonæ ſpei arbores, Gregorium & Godefridum; & filiam Odiliam, quæ fuit abbatiſſa ancillarum Dei, in monaſterio ſanctæ Odiliæ. Habuit & alium ex concubina filium, nomine Go-

Scriptores.

Frederici genus.

a Duo ejus nominis Abbates Trudoniani fuere, primus monaſterio præfuit triginta quinque annis, obitque anno 1039. alter vero ab anno 1055. uſque ad annum 1082. ut habetur in Chronico ejuſdem monaſterii edito tom. 7. Spicilegii Acheriani.

b Egregium ſtudii obſervantiæ regularis exemplum, cui utinam hodie attenderent nonnulli, qui tantopere ſæcularium conventibus inhiant, ut celebre nomen ſuis eccleſiis, aut ſanctis faciant.

Digitized by Google

ANN. CH. MXXII. JAN. VI.

defridum. Godefridus vero Dux in divitiis & gloria abſque liberis conſenuit. Gozelo autem Dux Godefridum filium, qui accepta uxore Bonifacii poſtea factus eſt Marchio, heredem reliquit. *Hi omnes in ordinem noſtrum munifici fuere, maxime in monaſterium ſancti Vitoni, in quo ſepulti ſunt, præter epiſcopum Adalberonem, qui cum in Italia defunctus fuiſſet, Virdunum relatus, in majori eccleſia depoſitus eſt contra parentum voluntatem, qui ipſum in eccleſia ſancti Vitoni ſepeliri mandaverant. Nihil hic apud Hugonem de Frederici matre, quam Vvaſſemburgus libro 4. de antiquitatibus Belgicis & alii Mathildem appellant, aïuntque eam Saxoniæ Comitis filiam fuiſſe. quæ deceſſiſſe dicitur anno* MIX. *Conſentit Hugo Menardus in obſervationibus ad Martyrologium Benedictinum lib.* I. *ubi de beato Richardo abbate ſancti Vitoni agens, refert epitaphium Mathildis matris noſtri Frederici, quod hactenus in monaſterio ſancti Vitoni videri obſervat, quod ſic habet:* Mathildis Comitiſſa Saxoniæ mater Domini Adalberonis epiſcopi Virdunenſis, Godefridi & Gozelonis Ducum, Hermanni & Friderici Comitum. *Aliud Mathildis epitaphium, ex ejuſdem monaſterii cod. mſ. erutum habetur tomo 2. Analectorum, quod hic exſcribere viſum eſt; in quo obſervandum eſt titulum Saxoniæ Comitiſſæ dari Mathildi. ſic autem habet.*

MATHILDIS COMITISSÆ SAXONIÆ EPITAPHIUM.

Stemma magnorum MATHILDIS erat titulorum,
Felicem pariendo Duci ſobolem Godefrido.
Vivens multa dedit Chriſto, ac moriendo reliquit,
Edidit Eccleſiæ te, præſul Adalbero, noſtræ.
Inde Duces Comiteſque duos, qui nobilitatis
Eccleſiæque decus nituerunt, & decus aulæ.

Hujus Mathildis pater dicitur fuiſſe Hermannus Dux Saxoniæ, in Hiſtoria Ducum Lotharingiæ ſub nomine Raimberti epiſcopi Virdunenſis, cujus fragmenta quædam habentur apud Franciſcum de Roſieres *archidiaconum Tullenſem. Denique Anonymus monachus Hiſtoriæ Epiſcoporum Virdunenſium continuator tomo* 12. *Spicilegii Acheriani editus, Mathildis ex Godefrido quinque filios eodem quo Hugo ordine recenſet.*

Fit Comes Virdunenſis.

2. *Frederico Comitatus Virdunenſis obtigit, ſed quanta cum juſtitia & humilitate terrenis illis honoribus potiebatur, Hugonis verbis dicendum eſt.* Sub chlamyde, *inquit*, mundanæ dignitatis abſconditum gerebat probatiſſimum militem Chriſti.... Comitatus honore vigebat, &, quod maximum eſt, Comitatum mentis indole perornabat... In ſublimitate honorum poſitus, menſurarum ſuarum limites attendebat, ne in præcipitio pedem poneret. Ideo bonum intentionis ſuæ finem adeptus eſt, qui extra fines ſuos vagatus non eſt. Hoſtibus terribilis, amore juſtitiæ ſpectabilis, pauperibus largus, dapſilis in donis, in parcendo pius, in ulciſcendo ſeverus. qui etſi palatium frequentabat, in ſterquilinio tamen cum beato Job ſedebat: quia ſi qua illicite gerebat, ea ad mentis oculos pœnitendo reducebat. Sedebat in ſterquilinio, quia cum ante ſe peccatorum ſtercora cernebat, ſi quid elationis in animo ſurrexiſſet, inclinabat; & quanto ſe pulverem & cinerem cum Deo loquens æſtimabat, tanto celſius uſque ad honorem divinæ collocutionis aſcendebat. Hinc eſt quod ita vere humiliatus eſt, ut ad alta virtutum ſurgere veraciter poſſet. Agit enim hoc pia Dei miſeratio erga electos ſuos, ut quanto ſe infra ſeipſos deſpiciunt, tanto ſublimius videant ad amorem Dei ſubrigantur, & eo magis claritatem Dei, quo eos magis ne de ſe magna ſentiant, reprimit virtus veræ humilitatis. *Cum itaque Comitatum ſuum egregie adminiſtraret Fredericus, defuncto fratri ejus Adalberoni epiſcopo Virdunenſi Heimo ſubſtitutus eſt, quem cum Fredericus amplificandis eccle-*

Comitatum ſuum dat eccleſiæ Virdunenſi.

ſtis ac bonis operibus cerneret intentum, ut damna quæ à ſuis prædeceſſoribus eccleſiæ Virdunenſi illata fuerant reſarciret, Canonicis jura quædam; ac Heimoni ſucceſſoribuſque ejus Comitatum Virdunenſem dedit, eo tamen pacto, ut quamdiu ipſe viveret ejus adminiſtratione, juribus ac prærogativis potiretur. Eam donationem anno CM. XCVII. *conſignat Vuaſſemburgus, aitque Fredericum eo anno iter Jeroſolymitanum ſuſcepiſſe, quo item anno eamdem donationem ab Ottone III. imperatore, qui tunc in Italia verſabatur, confirmatam fuiſſe ſcribit. Et quidem exſtat apud eumdem auctorem libro* 4. *antiquitatum Galliæ Belgicæ diploma Frederici Ænobarbi, quo donatio Comitatus Virdunenſis, Heimoni ſucceſſoribuſque ejus Epiſcopis Virdunenſibus ab Ottone facta confirmatur Alberto epiſcopo: ex quo diplomate facile colligitur quantum fuerit Frederici donum, cujus hic ideo fragmentum exhibere viſum eſt.* Beneficium itaque Comitatus & Marchiæ, quod recolendæ memoriæ Otto, Romanorum imperator auguſtus, Haimoni Virdunenſi epiſcopo & ſucceſſoribus ejus donavit, nos eodem ſpiritu, eademque firmitate conſtante, tibi, eccleſiæque Virdunenſi ac tuis poſteris confirmamus, eodem etiam jure & forma donationis valiturum, prout à præfato imperatore Ottone, jam ante dicto anteceſſori tuo Haimoni, & ceteris Epiſcopis in proceſſu temporis, nomen & dignitatem epiſcopalem ſubituris, dignoſcitur eſſe præſtitum: videlicet ut tu & tui ſucceſſores liberam in perpetuum habeatis poteſtatem, eumdem Comitatum in uſus eccleſiæ tenendi, Comitem eligendi abſque ullo hereditario jure, ponendi, habendi, ſeu quidquid libuerit, faciendi, atque modis omnibus diſponendi, bannum, teloneum, monetam, & diſtrictum civitatis in omnibus cauſis criminalibus & civilibus, pleno jure, & in ſucceſſoribus tuis habendæ concedimus, &c. Datum Columbariæ decimo-ſexto Kalendas Decembris anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo quinquageſimo-ſexto, Indictione quarta, regnante domino Friderico Romanorum imperatore, anno regni ejus quarto, imperii vero ſecundo. Ann. Ch. MXXII. Jan. VI.

3. *Fredericus Jeroſolyma reverſus Remos venit, ubi perhumaniter à beato Richardo, tunc temporis eccleſiæ Remenſis decano, ſuſceptus eſt. Cumque ipſi deſiderium ſuum de abjiciendo ſæculari ſtatu aperuiſſet, ut eadem erant utriuſque vota, amplectendi monaſtici ſtatus conſilium ſimul inierunt, atque ideo ſancti Vitoni Virdunenſis monaſterium elegerunt. hæc omnia Hugonis ipſius verbis exponenda ſunt, qui ita de Frederico proſequitur.* Cum itaque ad conditoris ſui deſiderium totus diutina meditatione incaleſceret, & jam aperte mundi lenocinia deſpicere, & Deo tota intentione adhærere cuperet, videretque homo in ſæculo conſtitutus, pernéceſſarium ſibi fore, ut hoc ſuum deſiderium cuilibet religioſorum propalaret, cujus relevaretur conſilio, & orationibus firmaretur; viſum eſt ei, divina utique favente clementia, ut virum religione nominatiſſimum, Richardum videlicet, expeteret, & ei tamquam ſibi alteri, ſeipſum crederet, cum eo arcana cordis ſui participaret, illum eſſe conſiliarium, qui nihil haberet fallax, nihil ſimulatum, nihil corruptæ pacis amicum. Venit ergo, & dum unius voluntas aperitur, aut bonum deſiderium revelatur, & ut perficiatur alterna confirmatione roboratur. Decretum eſt igitur communi voto, & ex ſententia utrimque deliberatum eſt, ut pauper quilibet locus eligeretur, in quo honor Dei, & rigor Regulæ conſervaretur: ubi novi Chriſtianæ paupertatis amatores exerceri, & ſic demum alios in ſpiritualis tyrocinii exercitio inſtruere poſſent. Delectus itaque locus, Virdunum civitas fuit, & in ea monaſterium beatorum apoſtolorum Petri & Pauli & ſancti confeſſoris Chriſti Vitoni, quod & ab antiquo fundatum, & ſanctorum patrociniis glorioſum, & religionis erat ordine inſignitum. Erant enim in eo viri boni & religioſi, licet perpauci, ſub diſciplina abbatis Fingenii, à Scottorum partibus oriundi, qui illò cauſa religionis convenerant. Huc ſane cum ſe con- Remis agit cum Richardo.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXXII. Jan. VI.

ferre deſtinaviſſent, ad hoc tamen exploraturi convenerunt, ut opinioni minus credulis oculis attenderent, ſi eo ſe cœnobio recluderent. Erat in eadem urbe & aliud monaſterium, à Vvigfrido epiſcopo conſtructum, in quo eis videbatur melius eos ingredi debere pro loci oportunitate, quia illud prius cœnobium loci anguſtia, & ſitus aſperitas minus commendabat, licet rigor Ordinis in illo melius ſervaretur.

S. Odilonem conſulunt.

4. Æſtimationi vero ſuæ minus fidem dantes, Cluniacenſe cœnobium pari voto expetere decreverunt, quod & religione præcipuum, & divitiis opulentiſſimum eſſe videbatur, ut à domno Odilone abbate conſilium quærerent, & obtento adquieſcerent; aut certe, ſi ſancto viro ſanius videretur, ibidem ſub eo remanerent. Ierunt ergo, ſed ſanctus vir Prophetiæ ſpiritu plenus, caritatiſque virtute refertus, viros egregios & in Chriſti amore ferventes gratulanter ſuſceptos, ad ſolum proprium remiſit, inculcans eis & præcipiens, ut in monaſterio quod primùm delegerant, & ubi ſe devoverant, vota ſua Deo redderent, maxime cum ibi vigeret fervor Ordinis; adjiciens poſſe per eos fieri in proceſſu temporis, ut habitacula ſervorum Dei, nunc modica, poſtmodum creſcerent, & fieret eorum induſtria locus ille inſignis, qui nunc videbatur anguſtus & deſpicabilis. Intueri plane libet flammam caritatis in corde beati Odilonis.... Quis namque Prælatorum hoc nunc faceret? Quis tot & tales viros, fama ubique celebratos, ſi ad ſe declinare contingeret, ad alia loca demigrare moneret, &c. *Quibus Hugo ſancti Odilonis eximiam caritatem laudat, poſt quæ de Richardi & Frederici in monaſterium ſancti Vitoni ſuſceptione ſic proſequitur.*

In monaſterio S. Vitoni admittuntur.

5. Redierunt ergo novi monaſticæ religionis tyrones Virdunum, & provoluti genibus Patris monaſterii, aditum precabantur. Quos cum ſenior cerneret, & viros virtutis, ad toleranda opprobria, conculcationes, & verbera minus idoneos, & delicatos putaret, paupertatemque loci cum illorum metiretur divitiis, ægre adſenſum præbebat, quia mentes eorum in divino amore roboratas non noverat; quas ſi noviſſet, nec momento introitum illorum diſtuliſſet. Ceſſit tandem, & petentibus aſſenſum præbens, ingreſſum annuit, quia voluntas Dei fuit, ut cito occurreret eis quod volebant. Sociati itaque congregationi monaſterii, facti ſunt omnibus forma patientiæ & humilitatis, ut liquido cognoſceretur à cunctis, præventos eos eſſe gratia conditoris Dei. Protectionis enim divinæ gratia perluſtrati, majori ſatis ardore diligere cæleſtem patriam cœperunt, quam prius in terrena dilectione flagrabant. Deus namque, cujus vera hereditas lux eſt, & defectus luminis ejuſdem nullus eſt, ita eos ſua dilectione inluſtraverat, ita eos viſione ſua reficiens repleverat, ut novæ ſpei ſpiritu mentes eorum afflatæ, ſemetipſas quales in vetuſta cogitatione fuerant, oblivиſcerentur, ut nihil jam eis, niſi quæ æterna ſunt placerent, & deſpectis tranſitoriis, ſola quæ permanent, requirerent.

Richardus fit abbas.

6. *Hic Frederici ſeceſſus circa annum* M. *contigit. Tranſactis aliquot annis, cum jam tempus adeſſet, teſte Hugone, ut prophetia beati Odilonis impleretur, Fingenius è vivis exceſſit, in cujus locum ſubſtitutus eſt beatus Richardus, opera maxime Frederici noſtri, ut refert auctor Vitæ beati Richardi. Sub tanti viri regimine ſancti Vitoni monaſterium brevi ſplendorem antiquum recepit, ut in ejus Vita dicturi ſumus ad annum* MXLVI. *Verum Fredericus eum jam non ut ſocium aut fratrem, ſed ut patrem & magiſtrum ſuſpexit, cujus rei egregium argumentum præbuit in ipſius Imperatoris & totius ejus curiæ conſpectu. Sic rem narrat Hugo.* Hujus Principis curiam, *Henrici ſcilicet Pii*, pro quibuſdam negotiis domnus & pater Richardus adire compulſus, venerabilem Fredericum ſecum duxit, qui & de imperiali ſanguine procreatus, & Principibus regni erat notiſſimus; ut quod per ſe poſſe diffidebat, illius obtineret gratia, cui aliquando dum

Digitized by Google

eſſet in ſæculo, tota parebat curia. Verum diſpoſitis ſedibus, & reſidentibus Pontificibus & Abbatibus, adſtantibus etiam regni Primatibus, cum longe inferius reſideret Pater mitiſſimus; & memorabilis ejus monachus, ut Regis & Principum conſanguineus, inter primos palatinis conſiliis intereſſet, eminentiorique loco ſederet; ratus non ſibi fore utile, ſi Patri cui ſuberat, præemineret ſeſſionis ordine, rem fecit memorabilem, & imitandam poſteris. Surgens namque à latere Principis, & ſuppedaneum ſuum ipſe ferens, Abbatem ſuum petivit, & poſito ad pedes ejus ſuppedaneo in eo ipſe reſedit, dans omnibus monachis, cunctis poſtmodum futuris ſæculorum ſæculis formam veræ humilitatis, & quòd vere exaltatur, qui ſponte pro Deo humiliatur. Hoc ergo ejus factum omnibus fuit miraculo, & laudi datum eſt, quod non pro laude hominum, ſed pro divino famulitio & paterna reverentia celebratum eſt. Nam regalis magnificentia humilitatem nobilitatis illius amplexata, Chriſtumque in famulo ſuo devote venerata, cum eum ad ſe invitaſſet, & ille à pedibus Patris avelli nollet, Rex altiori ingenio viri prudentiam admiratus, Abbatem ad ſe evocatum è latere ſuo ſedere fecit, atque poſt eum domni Frederici ſedem ſiſti præcepit. ANN. CH. MXXII. JAN. VI.

7. *Cum autem multi ad monaſterium ſancti Vitoni confluerent, ut ſub Richardi magiſterio vitam monaſticam amplecterentur; neceſſarium fuit, & vetera monaſterii ædificia reſtaurare, & nonnulla etiam excitare nova, ad quod opus non ſolum Henrici imperatoris pietas ſuppetias tulit, verum etiam & ipſe Fredericus multa de ſuo impendit. Nam ut refert Hugo*, ipſe turres eccleſiæ ex ſuo fecit, cellarium & refectorium fratrum. *At id cum aliis multis nobilibus viris commune fuit Frederico, qui monaſterio ſancti Vitoni, prædia ac pecunias contulerunt: verum id ipſi ſingulare eſt, quod non ſolum pecuniis, ſed etiam proprio ſuo labore ac manibus ædificia ſancti Vitoni promoverit: in quo ſane elucet magnum humilitatis exemplum. Ea de re audiendus eſt Hugo.* Dormitorium, *inquit*, cùm dejectum reſtrueretur, & neceſſaria domus pararetur, nec poſſet nova parari, niſi vetus mundaretur, accerſitis quorum eſſet operis & ſtudii id explere, cum aliqui illorum, ut aſſolent, erubeſcerent, & manus apponere in ſubvehendo quod mundabatur ſubterfugerent; vir humilitatis & gratiæ Fredericus, vere monachus, terræ foſſor acceſſit, & quod effoſſum eſt, onere facto exportavit. Quis jam ſimilia facere erubeſceret, cùm videret Fredericum, Comitis filium, fratrem duorum Ducum, Imperatoris conſanguineum, & feciſſe, & non erubuiſſe? Fecit & huic ſimile opus in turrium exſtructione. Cum enim jam in altum ſtructura porrigeretur, & inſtrumentum illud, quod avis nominatur, ſubvectione cæmenti aptatum, perpauci eſſent qui ferrent, his qui huic officio erant deputati, alias, ut credimus, occupatis; videns vir beatæ memoriæ quemdam de nobilioribus adſtantem, ut ſumeret ligneum illud inſtrumentum, & cæmentum collo, ut moris eſt, ſubveheret admonuit. Qui cum erubeſceret, & ſuis id natalibus incongruum adſtrueret, vir mitiſſimus cervice ſubpoſita, quod rogabat primus implevit, ac deinde porrecto juveni inſtrumento eodem, ſuo docuit exemplo, ut diſceret facere, quod fecerat Comes Comitis filius; nec erubeſceret, ſi ei improbaretur factum, quod conſtaret ab ipſo quondam Comite primitus attentatum. Friderici humilitas.

8. *Alia item Frederici noſtri facta refert Hugo quæ minime reticenda ſunt, utpote quæ ejus humilitatem ſinceram commendant. Sic itaque proſequitur.* Sedebat autem quadam die idem vir memorabilis in coquina fratrum, & operis quippiam exercebat ſcutellas abluens, & vaſa alia mundans; cum ecce ad oſtium coquinæ Godefridus Dux frater ejus adveniens aditum precabatur. cui cum aperuiſſet unus miniſtrorum, qui forte aderat, videns Dux fratrem ſuum operi cœpto inſiſtentem capite inclinato, & alludens ad nomen

Digitized by Google

ANN. CH. MXXII. JAN. VI. Comitis: Non deceret, ait, Comitem talia facere. non enim ſibi conveniunt nomina & actus, nobilitas generis, & exhibitio operis. Cumque egrederetur, ille egredientem ſubſecutus, nacta oportunitate loquendi; ſic ait fratri: Optime, ait, proſecutus es, ô Dux, quia tanta eſt dignitas hujus officii, & tantus eſt cui impenditur, beatus ſcilicet Petrus apoſtolus, & ſanctus confeſſor Vitonus, quod nec meæ congruit parvitati, ut præſumam ad hoc eis exhibendum, quaſi pro nobilitate generis mei: nec tanta eſt humilitas mea, ut merear ab eis in illorum, qui hoc officio digni habentur, conſortio deputari. Tanta erat tunc abjectio, & ſuimet deſpectio in anima illius fidelis, ut ejus humilitas prædicaretur, & miraculo eſſet cunctis qui noverant nobilitatem generis ejus. Nam cum ſederet quadam vice privatus, & neceſſe eſſet ei calceos extrahere; quidam de fratribus, quem ipſe ſemel vidi, & à quo puerulus iſta audivi, Johannes nomine, procumbens, cum vellet ei pro caritate ſervire; obſtupeſcens, & quadam religioſa obſtinatione obſequium ejus recipere nolens, prohibuit eum

NOTA. » dicens: Quid mihi prodeſt, frater, honores ſæculi reliquiſſe, ſi à fratribus » obſequium, quod habuiſſem in ſæculo, cum non ſit neceſſe, accipio? » Qui ad hoc veni ut ſerviam, ſervitium quod non expedit, quomodo ac» cipiam? Ita dicens fratris repreſſit animum, dans omnibus maximum patientiæ & humilitatis, & vilitatis appetendæ documentum. *His enarratis ita concludit Hugo:* Hæc in tranſcurſu, pro innoteſcenda omnibus beatæ mentis abjectione dictum ſit. *Sed utinam res geſtas tanti viri fuſius proſecutus fuiſſet! haud dubium quin multa inde virtutum exempla nobis innotuiſſent, quæ nunc nos latent. Ea fuere profecto egregia facta, quæ pleroſque ex ejus conſanguineis induxerunt, non ſolum ut magnas poſſeſſiones monaſterio ſancti Vitoni tribuerent, quod in nonnullis chartis conteſtatum vidimus, verum etiam ut & ſe ipſos ſub monaſtico habitu Deo ſervituros dicarent. Inter alios Hugo recenſet Hezelonem ſeu Herimannum, Frederici fratrem, qui poſt oblatum ſancto Vitono Gregorium filium ſuum, & multa bona eidem eccleſiæ collata, tandem & ipſe monachus factus eſt. ejus epitaphium infra referemus. Mathildis autem uxor ejus, in clauſtro monaſterii ſepulta eſt, ac prope ipſam Odilia ejus filia, cujus mortem piam à beato Richardo prædictam inferius in ejuſdem beati Richardi ſecunda Vita referemus. Liethardus Comes de Marceio, Ludovicus alter Comes, Gilduinus, quorum epitaphia ex ejuſdem monaſterii ſchedis deſcripta tomo 2. vet. Analectorum edita ſunt. Sed & alii multi, eodem etiam tempore ibidem monaſticam vitam amplexi ſunt, ita ut, teſte eodem Hugone,* facile non ſit referre quot de diverſis partibus Franciæ, Neuſtriæ & Auſtraſiæ, monaſticæ tunc ſe ſubdiderint religioni *in ſancti Vitoni monaſterio.*

Monaſterio S Vedaſti præficitur. 9. *Fredericus autem cum jam non ſibi ſoli, ſed & aliis prodeſſe poſſet, à beato Richardo, cui ſancti Vedaſti Atrebatenſis monaſterium commiſſum fuerat, ibidem præpoſitus inſtitutus eſt. Id ſub abbate Leduino contigiſſe affirmat Balduinus Chronici Cameracenſis & Atrebatenſis libro 3. cap. 59. ubi de Leduino ſic loquitur:* Hic abbatem Richardum religioſum admodum virum, & Fredericum Comitis Balduini avunculum, à ſæculo converſum, prudentem & juſtum introduxit. *Verum certum eſt ex Hugonis Chronico, ipſummet Leduinum à Richardo huic monaſterio præfectum fuiſſe: quod quidem poſt Friderici mortem contigiſſe veri ſimile eſt. Quare emendandos puto Sancta-marthanos, qui ſcribunt Leduinum anno* MXVIII. *monaſterio Vedaſtino præfectum fuiſſe. Fridericus quippe anno* MXX. *nondum è vivis exceſſerat. id patet ex Heymonis epiſcopi Virdunenſis diplomate apud Vaſſemburgum libro 4. jam laudato, ubi ille teſtatur ſe chartam compoſuiſſe, & confirmaſſe,* ad deprecationem domini abbatis Richardi, dominique Frederici, qui Comes exſiſtens noſtræ civitatis, poſtpoſitis ſæcularibus pompis, in cœnobio ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli ſanctique Vitoni monachus factus eſt pro quodam concambio &c. Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo vigeſimo, Epiſcopatus &c. *Certe Leduinum non niſi*

Digitized by Google

poſt Friderici mortem abbatem fuiſſe innuit Hugo in Chronico, ubi ait, ipſum anno MXXIV. *abbatiæ ſancti Vedaſti fuiſſe prælatum. Nam licet de Friderici obitu nihil habeat, aliunde tamen habemus eum contigiſſe anno* MXXII. *quem annum Vaſſemburgus aſſignat, ejuſque ſententiam amplectimur, cum nihil contra eam proferatur ex ullo veteri inſtrumento. Quo autem die contigerit, ex Necrologio monaſterii ſancti Vitoni diſcimus, in quo hæc leguntur:* VIII. Idus Januarii venerandæ memoriæ domnus Fredericus monachus hujus loci, & ex Comite converſus, frater Godefridi & Gozelonis Ducum, qui nobis Bornacum contulit. *Conſentit vetus ejus epitaphium quod infra dabimus ex vetuſto codice mſ. monaſterii Corbeienſis, qui modo in noſtra ſancti Germani Bibliotheca aſſervatur. Porro eum in monaſterio ſancti Vedaſti, ubi præpoſituram gerebat, obiiſſe teſtis eſt vita beati Richardi auctor. qui & ibi primum ſepultus fuit. ſed paullò poſt eum Richardus è tumulo extrahi juſſit, atque inteſtinis in monaſterio ſancti Vedaſti relictis, corpus Virdunum referri curavit, ubi in monaſterio ſancti Vitoni depoſitum eſt, ſed nullo cultu publico aut privato celebratur. Nomen tamen ejus die 4. Septembris in Benedictino Menologio deſcriptum legitur. Epitaphium autem ejus ex cod. Corbeienſi deſcriptum, tale eſt.*

ANN. CH. MXXII. JAN. VI. Obit.

Scire volens, Lector, tumulo quis clauditur iſto;
Noveris hic magni FREDERICI membra locari.
Inclytus ipſe Comes, magnatis regia proles,
Legit amore Dei monachatus ſorte beari.
Vir bonus atque pius, nulli pietate ſecundus,
Norma juſtitiæ enituit mirandus in orbe.
Aſſumtus Chriſto copuletur fœdere longo,
Præmia cum ſuperis indeptus vivida lucis.
Præteriens dicat, Fredericus pace quieſcat.
Idibus octavis tulit hunc Januarius aſtris.

Epitaphium HERMANNI *ex comite monachi.*

Mauſoleo HERMANNUS tegitur concluſus in iſto,
Nobilitate cluens, generoſa ſtirpe refulgens,
Princeps magnificus, diva pietate refertus,
Juſtitia validus, recto moderamine cautus:
Et qui militiæ flos exſtitit atque lucerna,
Eccleſiæ ſoboles, procerumque induſtrius heres,
Speque ſalutifera contemnens terrea cuncta.
Ductus amore Dei, ſacratæ relligioni
Subdit ſe, extremum mox librat ad æthera flatum,
Junius hunc quinto ſubvexit ad aſtra Kalendas.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXXII. Jan. XXVII.

VITA SANCTI THEODORICI EPISCOPI AURELIANENSIS.

Ex Legendario mſ. abbatiæ S. Michaëlis Tornodorenſis.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vitæ tres.

1. *HUJUS ſancti Antiſtitis duplicem vitam exhibet Carolus Sauſſeius in Annalibus eccleſiæ Aurelianenſis. Primam ipſemet ex variis auctoribus compoſuit, alteram vero eruit è mſ. codice inſignis Bibliothecæ Pauli Petavii. Præter has tertiam habemus beneficio viri claræ memoriæ Vvionis Herovallii ex mſ. codice ſancti Michaëlis Tornodorenſis, quam hic cum Petaviana edere viſum eſt. Porro licet tertiæ hujus vitæ auctor antiquus ſit, in aſſignando tamen anno obitus ſancti Theodorici lapſus eſt; eum nempe anno* MXV. *obiiſſe ſcribit, quod ut falſum probetur, requirendum non eſt aliud argumentum ab eo, quod ipſemet vitæ ſcriptor nobis ſuppeditat, cum aſſerit concilium contra hæreticos quoſdam recens emergentes, Aurelianis ſub Theoderici pontificatu habitum fuiſſe. Concilium enim iſtud anno* MXVII. *contigiſſe omnes conſentiunt. Ex quo item loco alius quoque ejuſdem auctoris error corrigendus eſt, ubi ſcilicet ait, Theodericum abdicato epiſcopatu aliquamdiu ſub Rainardi abbatis regimine in ſancti Petri Vivi monaſterio Senonenſi vixiſſe, ac eo tum vivente iter Romanum aggreſſum fuiſſe. Id enim fieri non potuit, cum Rainardus anno* MXV. *obierit ex Chronico ſancti Petri Vivi, & ex Odoranno, qui tunc temporis in eodem monaſterio degebat. Unde ſuſpicari licet hanc vitam ab aliquo interpolatam fuiſſe, ac beati Theoderici ætatem aliunde repetere juvat, & quidem potius ex ipſo ſancti Petri Vivi Chronico, ubi poſt relatam Rainardi abbatis mortem, cui Ingo ſucceſſit, ait eo tempore hæreſim novam & inauditam apud Aurelianos exortam fuiſſe, quæ concilii ea de re indicti auctoritate & addictis igni errorum præconibus brevi compreſſa fuit. tum de beato Theoderico proſequitur:* Poſt hæc THEODERICUS epiſcopus Aurelianenſis relinquens epiſcopatum, venit Senonas in eccleſia beati Petri, ubi nutritus fuerat tempore RAINARDI abbatis, ſui avunculi. ubi commorans diebus non paucis, profectus ut iret ad limina Apoſtolorum, exivit; pervenienſque ad caſtrum Tornodorenſe beato fine quievit, in ipſa nocte, ſepultuſque eſt in baſilica ſancti Michaëlis archangeli, defunctus VI. Kalend. Februarii.

Theoderici electio.

2. *Quo autem anno Theodericus Aurelianenſem cathedram inierit, difficile eſt aſſignare. Id ante annum* MVIII. *accidiſſe non potuit, cum eo anno Fulco ejus præceſſor interfuerit Concilio Calenſi, ubi privilegio quod Robertus Rex monaſterio ſancti Dionyſii conceſſerat, ſubſcripſiſſe memoratur. Valde autem tumultuoſam Theoderici electionem fuiſſe non ex his ſolum, quæ in ejus vita de Odalrici violentia referuntur, certum eſt; verum etiam ex Fulberto Epiſcopo Carnotenſi, qui in epiſtola* LXI. *ad ipſum Theodericum data rationem reddens, cur ejus ordinationi adeſſe renuerat ad diem indictam, inter alia aſſerit, Theodericum de perpetrato homicidio accuſatum fuiſſe, & re ad ſummum Pontificem delata, interdictum ab eo fuiſſe, ne hac ordinatio perageretur. tum de ipſa electione ſic loquitur:* Quartum vero promovit proſcriptio refragantium clericorum & extorta timore electio, verum non electio. Nam cum ſit electio unius de pluribus maxime complaciti ſecundum liberam arbitrii voluntatem acceptio, quomodo electio recte dici poſſit, ubi ſic à Principe unus obtruditur, ut nec clero, nec populo, nec ipſis ſummis Sacerdotibus ad alium deflectere concedatur? *Hæc Fulbertus, qui alias item accuſationes in vulgus ſparſas contra Theodericum congerit, unde factum eſt, ut ejus ordinatio in aliquod tempus differretur. Verum cognita poſt modum Theoderici innocentia, non ſolum ejus ordinationem approbavit Fulbertus, verum etiam & huic voluit intereſſe, ejuſque amicitiam poſtea coluit, ut ex duabus epiſtolis patet, quas præter ſuperius laudatam ad ipſum ſcripſit,* LXII. *ſcilicet &* LXIII. *Nihil autem mirum, ſi tam graves calumniæ excogitatæ fuerint ab iis quos paullo poſt nec locis ſacris reverentia debita, nec Epiſcoporum auctoritas cohibere potuerunt, quominus eccleſiam invaderent, Theodericumque coram altari poſitum perimere conarentur inter ipſas ordinantium Antiſtitum manus. Hanc autem* obſtruſionem à Principe, *quam Fulbertus contra Theoderici electionem legitimam objecerat, nihil aliud fuit, quam Roberti Chriſtianiſſimi regis auctoritas. Nihil enim omiſerat piiſſimus Princeps, ut eccleſiæ Aurelianenſi, quam teſte Helgaudo*

gaudo ſuper alias omnes impenſe diligebat, tantum tamque ſanctiſſimum Antiſtitem procuraret, quem Fulbertus nondum tunc probe noverat.

ANN. CH. MXXII. JAN. XXVII.

Eccleſiæ ſuæ proficit.

3. *Theodericus in ſede ſua confirmatus, veri paſtoris partes implere conatus eſt. Ejus in ſuam eccleſiam liberalitatem probat calix ab eo datus, de quo ſic Helgaudus loquitur in vita Roberti Francorum regis.* Dominus Theodericus ejuſdem *Aurelianenſis* civitatis Epiſcopus, cujus vox laudem Domini digne & laudabiliter eructabat, volens haberi memoriam ſui nominis in monaſterio ſanctæ Crucis, jubet vas fieri ex centum ſolidis auri optimi, in quo conſecraretur ſanguis Domini noſtri Jeſu-Chriſti. Junxerat ſe tanto pontifici Rex mente humili, qui ſuperno tactus amore fecit in ipſo ſancto calice patinam ad conficiendum in ea corpus Redemtoris mundi, &c. *Refert idem auctor Rotbertum in honorem ſancti Aniani eccleſiam conſtruxiſſe: cui pius Rex inter alia bona Sentiliacum & Rutinagum cum villis & ceteris ad ipſas pertinentibus contulit, deinde addit:* Promeruit & à domno Theoderico venerabili Aurelianorum epiſcopo altaria ipſarum eccleſiarum cum pontificali privilegio de ipſis à ſe facto, quod contulit ſancto Anniano & Regi inclyto, qui eum in voce exſultationis ſemper dilexerat de corde bono.

Hæreſis oborta.

4. *Verum cum ſic totus piis operibus inſiſteret venerabilis Antiſtes, excitata eſt in eccleſia ſuæ ſinu nefanda hæreſis, quæ nonnullos ex ſuo ipſius clero infecit. Habita eſt ea de re Synodus apud Aurelianos, cujus hiſtoriam refert Glaber Rodulfus ad annum* MXVII. *ubi notat eam damnatis ad ignem ſectæ auctoribus brevi exſtinctam fuiſſe. Hanc Manichæorum hæreſim fuiſſe nonnulli dixerunt ob dogmatum ejus cum veteribus Manichæis affinitatem. quamquam non omnes veterum illorum hæreticorum errores tunc temporis renovatos fuiſſe certum ſit. Concilii quod ea occaſione Aurelianis habitum eſt, geſta habentur tomo 2. Spicilegii Acheriani pag. 670. Ceterum videtur timuiſſe Theodericus, ne aliqua ſua negligentia tam exitioſa peſtis gregem ſuum invaſiſſet. quare ſe tantæ moli ſuſtinendæ imparem exiſtimans, abdicato epiſcopatu in monaſterium ſancti Petri, ex quo olim fuerat eductus, denuo ſe recepit. quod anno* MXXI. *accidiſſe dicendum eſt. Nam eo ipſo anno eccleſiæ Aurelianenſi dedit eccleſias de Germiniaco, Trigano & Noëmio, ad ſuum, uti refert Carolus Sauſſeius, anniverſarium celebrandum. Aliunde vero Odelricus Theodorici ſucceſſor memoratur in privilegio ſancti Maximini, quod datum eſt, ex eodem Sauſſeio, anno* MXXII. *Roberti Regis* XXVIII.

Abdicat.

5. *His ita conſtitutis, jam dici non poteſt ſanctum Theodericum obiiſſe anno* MXXI. *quem tamen annum omnes vulgo hactenus aſſignarunt. Qui enim potuiſſet fieri, ut intra viginti ſeptem dierum ſpatium (conſtanter quippe univerſi aſſerunt eum* XXVII. *die Januarii obiiſſe) donationes ſuæ eccleſiæ fecerit, abdicatis poſtea infulis, monaſterium ſuum repetierit, ac tandem poſt tranſactos ibi non paucos dies, ut habet Chronicon ſancti Petri Vivi, ſuſcepto Romano itinere obierit. Id ſane nemo facile ſibi perſuadeat. quare ſatius puto ejus mortem ad annum ſequentem, ideſt* MXXII. *referre. Nec ideo erroris admiſſi accuſandi ſunt auctores, qui eam ad annum* MXXI. *aſſignarunt. Nam, ut obſervat Johannes Bollandus, cum tunc temporis plerique Francorum annum à Paſchate inchoare conſueſſent, nil mirum eſt, ſi hunc annum quem incipiendo à Calendis Januarii* MXXII. *appellamus, illi nondum Paſchate celebrato* XXI. *tantummodo expreſſerint.*

Obit.

6. *Miraculis etiam poſt mortem Theodericum claruiſſe atteſtatur vitæ primæ auctor, licet ea ſingillatim non recenſeat. Pauca quædam refert Sauſſeius ex Tornodorenſi libello, quæ hic ejus verbis adſcribere viſum eſt.* Qui vivens, *inquit*, virtutibus inclaruerat, mortuus etiam miraculis innoteſcit. Nam puella gibboſa diu febricitans ad beati viri ſepulcrum Ternodoro venit, ac Ternodorum ſanata revertit. Veteranus medicus morbo febrium afflictatus per languorem longiſſimum, lectoque decumbens paulum ex fonte bibit, conſurgit, montem ſancti Michaëlis aſcendit, gratias Deo retulit, & ſanitatem impetravit. Hinc tantam ſanctitatis apud poſteros memoriam eſt adeptus, ut omnes febricitantes ad ejus tumulum accedant, plures ex ſua infirmitate convaleſcant. *Ita ille.*

Miraculis illuſtratur.

7. *His aliiſque plurimis miraculis commoti monachi Tornodorenſes, ſanctum Theodericum, uti præcipuum ſuum patronum ac protectorem venerari cœperunt. Unde ſollemnis inſtituta eſt apud ipſos ejus feſtivitas, ac præterea ſingulis diebus in officiis divinis commemoratio. quos imitati ſancti Petri Vivi monachi Senonenſes, ejuſdem ſancti feſtum quotannis in ſuo monaſterio celebrari inſtituerunt, & merito quidem, cum tantopere monaſterium iſtud non ſolum vivens coluerit, ſed etiam juſſerit ut poſt mortem ibi ſuum corpus ſepeliretur. Porro Tornodorum, ubi præcipue viget ſancti Theoderici cultus, & ſervat beati Antiſtitis membra, opidum eſt ad Armentionem fluvium, in diœceſi Lingonenſi archidiaconatus cognominis caput, ac nobiliſſimi Comitatus titulo inſigne. Ibi Eremita quidam eccleſiam conſtruxerat in honorem ſancti archangeli Michaëlis circiter ſæculi ſexti initium: quam Milo ejuſdem loci Comes abbatia & baſilica inſigni adauxit, quæ à Vidrico Lingonenſium Antiſtite anno* CM. LXXX. *conſtitutis ibidem monachis Benedictinis dedicata eſt; perſeveratque uſque nunc ſub noſtra ſancti Mauri Congregatione.*

8. *Præter auctores quos hic laudavimus, ſancti Theodorici meminerunt Arnoldus Vuion in Martyrologio Benedictino, & Hugo Menardus in ſuis obſervationibus ad diem* XXVII. *Januarii.*

Memoria in faſtis.

Ann. Ch. MXXII. Jan. XXVII.

riens, cathedram ejuſdem urbis dignè & laudabiliter rexit, & ibidem infinitis virtutibus & miraculis claruit. Fuit merito hic præſul magnæ humilitatis, quia omnes infirmantes oſculatus eſt atque benedixit: magnæ dignitatis, quia Spiritu gratiæ quæ fulgebat in eo, effectus eſt præſul illius civitatis: multæ juſtitiæ, quia exorta eſt hæreſis nova & inaudita in urbe Aurelianenſi, ipſo in cathedra præſidente. Quapropter accerſiens Rex Francorum archiepiſcopum Senonenſem, juſſit congregari ſynodum. Erant autem hæretici ex melioribus ipſius civitatis [a] clericis, communi verò conſenſu in voluntate omnium convicti ab hæreſi omnes perpeſſi ſunt ignis incendium. Multæ patientiæ; tantam enim in omnibus ſervabat, quòd cùm eſſet ſummus Sacerdos, impune ſæpe à grege ſibi commiſſo lædebatur, nec à ſua eos propter hoc caritate repellebat. Multæ aſſiduitatis in orando, ex quo orationi, lectioni, ſeu bono operi ſemper vacabat. Multæ auſteritatis, cùm ab omni ævo jejunaſſet, cilicio ſuum corpus macerabat. Multæ compaſſionis, quòd omnes pœnitere volentes compaſſionis ſinu recipiebat.

Abdicat & redit ad monaſterium.

5. Tandem beatus Theodoricus ſuæ ſalutis non immemor, de grege ſibi commiſſo Deo ſe rationem redditurum exiſtimans, cathedram dereliquit. Quemadmodum enim ad eam Spiritus ſancti gratiâ vocatus fuerat, ſic Spiritu angelico motus ad ſupradictum monaſterium ſancti Petri remeavit, ubi commorans diebus non paucis [b], Raynaldo adhuc regnante, profectus ut iret Romam, benedictione ſuſcepta exivit, pervenienſque ad caſtrum Tornodorenſe in ipſa nocte beato fine quievit, ſepultuſque eſt in baſilica ſancti Michaëlis archangeli, defunctus ſexto Kalendas Februarii circa annum Domini * MXV. & licet apud dictum cœnobium ſancti Petri corpus ſuum juſſiſſet ſepeliri, Comes tamen caſtri Tornodorenſis, ejuſdem Sancti conſanguineus, hoc impediens, in eadem eccleſia ſancti Michaëlis fecit ſepeliri. Jam vero in obſequium funeris credi non poteſt quanta hominum multitudo convenerit. O quantus luctus omnium vox una mærentium! quanta præcipuè lamenta ejuſdem eccleſiæ monachorum! Hoc igitur beati viri corpus uſque ad locum ſepulcri militum & nobilium veſtibus lugubribus induta proſequebatur turba. A Domino enim factum eſt, qui hoc ſacrum cœnobium viro tam ſancto dotari voluit, ad cujus quidem ſepulcrum ægri reperiunt ſanitatem, prout fide dignorum relatu audivimus, noſtriſque temporibus multos febricitantes vidiſſe atteſtamur, qui ad eumdem ſanctum devotè interceſſerunt, ſanitatem Deo auctore feliciter reportarunt.

Obit Tornodori.

* MXXII.

ORATIO.

DEus qui hunc diem ſacro-ſanctum per feſtivitatem beati Theodorici Pontificis ſollemniter celebrandam contuliſti; da quæſumus ſupplicibus, ut meritis ejus defenſi, & ab omnibus vitæ hujus liberemur adverſis, & vitæ æternæ præmia conſequamur.

a Hos Liſoium ſeu Lizonem & Heribertum vocat Glaber Rodulfus.

b Jam obſervavimus Raynaldum tunc defunctum fuiſſe, utpote qui anno MXV. obiit, & Theodericus ante annum MXXI. ſedem ſuam non dimiſit.

Digitized by Google

ALTERA VITA.

Ex codice mſ. Petaviano, Sauſſeyo & Bollando.

S. Theodorici patria, genus.

1. BEatus THEODORICUS indigena exſtitit Brieſi Caſtri Theodorici à Theodorico avo ſuo taliter nuncupati, exortus parentibus genere claris & opibus, & poteſtate præfultis. A quibus tenere educatus, cœpit in ætate primævâ bonæ indolis prætendere argumenta; non adoleſcentium more laſciviâ diffluens, ſed maturè converſans; non de veſtium pretioſitate tumeſcens, aut de prædiorum amplitudine, aut de nobili parentelâ, ſed ea reputans pro nihilo, quæ ſciebat in nihili redigenda. Satagebatque ut quo nobilior erat in ſæculo, eo nobilior haberetur in Chriſto. Cum enim parentes ſui vellent eum doctrinis liberalibus imbui, & è contra perpenderent, quia mores ſoleant à convictu formari, noluerunt eum tradere ſæculari magiſtro, ne morum ſæcularium depravaretur exemplo. Proinde ſtatuerunt eum in ſancti Petri Vivi cœnobio, tunc & religione pariter & doctrinâ famoſo; ob id maximè quia SEVVINUS Senonis archipræſul, & RAYNARDUS abbas ejuſdem cœnobii forent ei conſanguinitate connexi. Illic ergo jugi exercitatione proficiens, quidquid documenti perceperat, mente ſedulâ revolvebat. Se quoque prudenter agebat in omnibus, ſollicitè providens, ne à Fratribus, quorum intererat vitæ & ordini, poſſet in aliquo denotari.

Studia in monaſterio ſancti Petri Vivi.

Vocatur ad aulam.

2. Eo tempore regnabat in Franciâ ROBERTUS rex, vir pietate egregius & egregiè eruditus. Hic ut juvenis opinionem comperit, eum ad [a] curiam accerſivit. Quem fidelem admodum & prudentem experiens, cœpit ejus uti conſiliis, & jura regalia ei tradere diſponenda. Defuncto intereà [b] ARNULFO epiſcopo, Cleri ac populi pari ſententiâ Theodoricus petitur, ut in præſulem provehatur. Rex annuit quod petebant. Verùm quia virtutem invidia ſequitur, nec umquam deſunt bonis diſcrimina, affuit quidam clericus, ODOLRICUS nomine, quorumdam manu fultus Epiſcopatum impudenter ambiens, & ſancti viri electioni omnimodis contradicens. Qui etiam tantâ temeritate ductus eſt, quòd cùm vir Dei à LEOTHERICO Senonenſi, FULBERTO Carnotenſi, aliiſque epiſcopis in eccleſiâ Aurelianenſi ſacraretur, fores eccleſiæ cum manu armata irrupit, & uſque ad altare progrediens, virum Dei ſub manu ſacrantis quaſi perempturus appetiit. Sed quod divinum conſilium ordinat, nullatenus præſumptio humana conquaſſat. Divino ſiquidem nutu, nec ſacrantem, nec eum qui ſacrabatur, tremor ab incœpto depulit; & quaſſis aſſultibus paullatim dimiſſis, adverſa pars tremefacta paullatim diffugit.

Epiſcopus eligitur.

Odolrici temeritas.

Virtutes ejus in epiſcopatu.

3. Poſtquam vero in ſede pontificali locatus eſt, cœpit ut lampas ſplendeſcere, & circa gregem ſibi commiſſum miram ſollicitudinem gerere, ſubditis & operum exempla præmonſtrans, & monita ſcripturarum inculcans. Erat enim pauperum relevator, repreſſor opprimentium, & oppreſſorum adjutor. Ab omni munere manus excutiens; quærebat non quod ſibi utile, ſed quod multis; unicuique ſtudens impendere, prout cuique noverat expedire. Accidit autem dum quodam itinere pergeret, à complicibus præfati Odolrici eum intercipi; quem mox de equo cui inſidebat dejiciunt, humique proſternunt, lanceas & gladios vibrant, ut innocentem trucident. Sed mirum dictu, quem gladiis ſe putabant confodere, nullum ei vulnus vel modicum potuerunt inferre. Etenim manus inimica nocere non poterat, quem divina dextera protegebat. Tandem eum credentes prorſus exanimem, humi reliquere jacentem. Surrexit ergo vir Dei, corpore quidem prorſus illæſo, ſed tamen amictu circumquaque diſrupto. His ita geſtis Odolricus attendens quia fruſtrà appeteret, quem Dominus cuſtodiret, ad eum confugit, petit veniam, impetratque petitam. Cui etiam Præſul ne videretur reminiſci injuriæ, ſecundo poſt ſe tribuit honore potiri, ita ut poſt ejus deceſſum ipſe ſuſciperet præſulatum.

Lædi non poteſt.

Inimico parcit.

Morbis exercetur.

4. Sanè quia vaſa figuli probat fornax, & virtus in infirmitate perficitur, ſervus Dei gravi & diutinâ ægritudine vexabatur. Caſtigabat enim filium Dominus quem diligebat, ut ei vel meritum virtutis augeſceret, vel culpæ ſcrupulum, ſi quis inerat, tribulationum limâ penitus expoliret. Frequentabat autem cœnobium ſancti Petri Vivi, tum quia ibidem

a Tunc temporis accidit, quod refert de Conſtantia Regina Odorannus ad annum MXXXI. quæ cum à S. Saviniano monita fuiſſet non timere Regis divortium, neſciebat quis eſſet hic ſanctus, quod à Theoderico noſtro didicit. unde peculiari devotione erga hunc ſanctum poſtea affecta eſt, ac multum auri ac gemmas pretioſas libentiſſime contulit ad conficiendam capſam pro ejus ſacris reliquiis, ut narrat idem Odorannus oculatus teſtis, & habetur in Hiſtoria tranſlationis ejuſdem ſancti, infra ad annum 1025.

b Inter Arnulfum & Theodericum ſedit Fulco, qui ſynodo Calenſi anno MVIII. ſubſcripſit: ad eum exſtat Fulberti Carnotenſis Epiſcopi Epiſtola 41.

Digitized by Google

ANN. CH. .MXXII. JAN.XXVII.

Andreas Sauſſaius in Martyrologio Gallicano : ſed qui noſtrum Theodericum cum Theoderico ejus nominis primo Aurelianorum epiſcopo, qui anno CMXXXVII. *defunctus eſt, confundit. Johannes Bollandus vitam ejus retulit ex Carolo Sauſſeio, Tomo 1°. Januarii ; ejuſdem vero compendium Bucelinus in Menologio Benedictino, & multi alii recentiores, qui ejus geſta ex laudatis auctoribus decerpſerunt.*

Ludovicus comes.

9. Eodem tempore quo Theodericus ſe in ſancti Petri monaſterium, dimiſſo epiſcopatu recepit, degebat ibi LUDOVICUS *Comes Alemannorum, qui, ut legitur in ejuſdem monaſterii Chronico Tomo 2. Spicilegii Acheriani,* Orationis cauſa profectus ad ſancti Michaëlis periculum, Senonas rediens, infirmitate carnis præventus in monaſterio ſancti Petri monachus effectus, migravit in aſtra locandus, relinquens ibi poſſeſſiones in villa quæ dicitur *Ariſcurt*, & pallium unum quod uſque hodie vocatur pallium Ludovici. *Hæc Chronici auctor.*

Deus in ſanctis laudandus.

1. DAVID propheta cùm ad laudem Creatoris & gubernatoris ſui omnes creaturas incitâſſet, in exordio pſalmi CL. ſic ait : *Laudate Dominum in Sanctis ejus*, in eis utique quos glorificavit, & magno munere gratiæ ſuæ diverſis donis exuberare fecit. Ac per hoc operæ pretium puto eſſe, ſi à fidelibus narratoribus illa pertractentur, quæ milites Chriſti in ſuis operibus viriliter niſi ſunt demonſtrare, immo ipſe auctor omnium mirabilium in eis & per eos operatus eſt, à quo totius ſanctitatis & fidei ſumma procedit. ipſe namque ait : *Sine me nihil poteſtis facere.* (*Johan. 15. 5.*) & ita confitentur fideles ſervi & miniſtri gratiæ Dei ; & ſatanæ dejectionem, quem Dominus velut fulgur de cælo cadentem videbat, ſemper præ oculis habentes, illi retribuunt quidquid boni agunt, à quo & velle & poſſe habent, nec ad momentum de viribus ſuis præſumunt, ne fortè cùm campo malæ libertatis ſpatiantur, in foveam improviſæ damnationis incurrant. Laudemus ergo Dominum ſponſorem & redditorem præmiorum in Sanctis ejus, dum ad notitiam plurimorum deducimus quam per ſuos famulos glorioſè miniſtravit, qualiter & interiùs virtute continentiæ apud ſeipſos vixerint, & exteriùs lampade boni operis alios illuminarint.

2. Poſt glorioſos igitur Martyrum agones præclara recolimus Confeſſorum ac Præſulum merita. Nam & ipſi victoriam de antiquo reportantes, quod eis ſemper vivere Chriſtus fuit & mori lucrum, ſupernæ Hieruſalem heredes facti ſunt. Ecce autem undique reſplendent caſtra militum Chriſti, ubi Rex ille ſingularis titulos Martyrum & Confeſſorum ſuorum defixit, per quorum etiam exanimatos cineres de hoſte humani generis triumphat. Denique inter numeroſa agmina athletarum aſſumſimus eum, cujus exemplis exædificati ſumus, & exitu converſationis jucundati ; beatum ſcilicet THEODORICUM, ut de ejus ſancta converſatione & geſtis mirabilibus aliquid in memoriam poſteris traderemus, ut & ſtudia ſanctorum patrum & vitas ſummopere imitantibus inſpiratione divina ad fervorem bonæ actionis cohortemur.

Theodorici patria & parentes.

Beatus igitur Theodoricus, qui antea à quibuſdam vocatus eſt Theodericus, Brieſi [a] caſtri Theoderici, à cognomento ſui avi ſic nominati, quod eſt ſuper Maternam fluvium, & inter cætera caſtra regalia valde decorum & amœnum, in præſentiarum vero ab incolis hujus montis veluti appellatur Theodoricus [b]. Ne ergo generetur in ſyllabæ mutatione, talium uſum inſequi curamus, & dicitur à Theos quod eſt Deus, & ikos ſcientia, quaſi ſciens de Deo.

[b] Nominis interpretatio.

Cumque necdum præceptorum ſcientiam haberet, divina tamen in eo gratia refulgens in corpore puerili cor ſenile radicaverat. Nam dum hujuſcemodi dilectione erga

[a] Caſtrum-Theoderici opidum eſt in Briegio ad Matronam, diœceſis Sueſſionenſis, Ducatus caput. Ibi adhuc viſitur vetus caſtrum in monte à quo nomen toti urbi inditum eſt, quodque forte idem eſt ac illud quod à Theoderico noſtri Theoderici avo exſtructum dicitur.

[b] Melius, uti videtur, ſcribitur *Theodericus*, quam *Theodoricus*, nec illud nomen à Græcis derivari debet, qui Θευδέριχος ſcribere ſolent. Hoc enim, quod plerique ſeptemtrionalium populorum reges & principes ferre gaudebant, lingua eorum *Theude-riich*, id eſt, *Populis pollens* dicitur.

Digitized by Google

indigentes ſocios & pauperes arderet, in ipſa pueritia jam parſimoniæ ſtudiis inſerviebat. Caritatis quoque viſceribus affluens, pro pauperibus ſollicitus erat. Adhuc puerulus nimiis jejuniis affligebat corpus. Evangelium nondum noverat, ſed crucis mortificationem ferre gaudebat, uſque ad ſolis occaſum plu̇ries orationes & ſuffragia extendens, adeo quòd Briſeitæ mirari cœperant, unde in puero tanta mox gravitas ſubitò excreviſſet. ANN. CH. MXXII. JAN XXVII. Virtutes inſignes.

3. Theodoricus parentibus ſecundum ſæculi dignitatem nobiliſſimis oriundus, ad ſucceſſionem, ut credebant, ſuæ ampliſſimæ dignitatis tenere educatus, bonæ indolis exſtitit: qui adhuc primævus bonis cœpit florere moribus, nobilitatemque ſæcularem ſatagebat mutare in ſpiritualem. Nam non de ſuperbo tumebat inter coævos ſanguine, nec veſtium extollebatur pretioſitate, nec de parentali tam rei quàm prædiorum amplitudine, ſed ad inſtar dominici dicti veniens miniſtrare, non miniſtrari. Omnia enim quæ dant oculorum extollentiam, virtutis pede calcabat, paullatimque Deitas eum adſumebat, quem ſpiritualiter cum Paulo & Barnaba apoſtolis ſibi vas ad prædicandum & ſegregandum prævidebat. Nec mora, divinitatis nutu à genitoribus ſtudiis liberalibus erudiendus traditur, qui perſeveranti animo ſcientiis edoctus, Chriſti militiam laqueis ſæculi ruptis ſuſcipiens, in tantum capeſſendæ religionis propoſitum adhuc puer iſte appetebat, ut cupiditates ſæculi reprimeret, & ſapientiæ profectus adipiſceretur. Hinc vir beatus Theodoricus quaſi Deo deditus, licet adoleſcens ſtudia liberalia deſerens, ad cœnobium ſancti Petri Vivi, quod habet urbs Senonum, conſultis parentibus ſponte perrexit. Florebat tunc temporis ibidem abbas RAYNALDUS[a] vir reverendiſſimus, cujus odor fragrabat ut nardus, quique beati viri parentali propinquitate erat proximus, & venerabilis cum ejuſdem urbis præſulis LEOTERICI cœtu ſanctarum Reliquiarum inveſtigator, totiuſque probitatis imitator. Qui quidem Raynaldus una cum eodem Theodorico idem cœnobium penitus renovavit, tabulis argenteis & aureis cum gemmis pretioſis & ſacris reliquiis ditavit. Nec tacendum eſt quòd diebus ſuis ſanctorum Saviniani & Potentiani[b] corpora ſunt à prælibato Leoterico per cujuſdam veterani notitiam reperta timore paganorum antea abſconſa, quæ ille Theodoricus cum ſuis ſimilibus glorioſè & laudabiliter exaltavit. Itaque ſub annis illis Raynaldus ſuſceptum adoleſcentem dulciter fovebat & pedetentim ad litterarum cognitionem & ſanctitatis normam commovebat. qui conſiderans cum eo cum ætatis proceſſu religionis caleſcere deſiderium, ſecum gratulabatur. Credebat per eum ſequenti ævo aliorum procurari poſſe ſalutem, quod non poſt multum tempus rei veritas comprobavit. Nam ille glorioſus Confeſſor intra illud cœnobium Domino militans, orationibus & obſervantiis regularibus viriliter intendens, multorum juvenum ac ſenum ad eum confluentium turbas, de fidei noſtræ religione ſciſcitantes, non ſolum ad fidem convertebat, verumetiam perfectæ vitæ inſtructionibus informabat. Sanè mox ut ad intelligibiles annos exolevit, ipſe ſuis omnibus renuntians, ad mundanos ſtrepitus ulterius redire non voluit. a S. Petri Vivi monaſterium. b

4. Is quoque flamma divini amoris accenſus fuit. Omnibus amabilis eloquio, moribus ſuavis, vultu alacer, in commiſſis fidelis, & caritate ſecundum ſuum modum præſtantiſſimus. Cùm enim miræ religionis & ſanctitatis in eodem cœnobio foret imitator, deinde Aurelianenſis urbis egregius paſtor, & nunc glorioſo exceſſu patronus noſter effectus eſt. Interea Dei famulus Theodoricus doctrinæ verbique cæleſtis pabula ſcienter hau- Fit Epiſcopus Aurelianenſis.

a In Chronico S. Petri Vivi dicitur S. Theoderici avunculus, monaſterium fere penitus deſtructum reparavit, jacet in capitulo, obiit anno CMXCIX. ex Odoranno.

b De horum tranſlationibus agemus infra ad annum MXXV.

Digitized by Google

ANN. CH. MXXII. JAN. XXVII. riens, cathedram ejuſdem urbis dignè & laudabiliter rexit, & ibidem infinitis virtutibus & miraculis claruit. Fuit merito hic præſul magnæ humilitatis, quia omnes infirmantes oſculatus eſt atque benedixit: magnæ dignitatis, quia Spiritu gratiæ quæ fulgebat in eo, effectus eſt præſul illius civitatis: multæ juſtitiæ, quia exorta eſt hæreſis nova & inaudita in urbe Aurelianenſi, ipſo in cathedra præſidente. Quapropter accerſiens Rex Francorum archiepiſcopum Senonenſem, juſſit congregari ſynodum. Erant autem hæretici ex melioribus ipſius civitatis [a] clericis, communi verò conſenſu in voluntate omnium convicti ab hæreſi omnes perpeſſi ſunt ignis incendium. Multæ patientiæ; tantam enim in omnibus ſervabat, quòd cùm eſſet ſummus Sacerdos, impune ſæpe à grege ſibi commiſſo lædebatur, nec à ſua eos propter hoc caritate repellebat. Multæ aſſiduitatis in orando, ex quo orationi, lectioni, ſeu bono operi ſemper vacabat. Multæ auſteritatis; cùm ab omni ævo jejunâſſet, cilicio ſuum corpus macerabat. Multæ compaſſionis, quòd omnes pœnitere volentes compaſſionis ſinu recipiebat.

Abdicat & redit ad monaſterium.

5. Tandem beatus Theodoricus ſuæ ſalutis non immemor, de grege ſibi commiſſo Deo ſe rationem redditurum exiſtimans, cathedram dereliquit. Quemadmodum enim ad eam Spiritus ſancti gratiâ vocatus fuerat, ſic Spiritu angelico motus ad ſupradictum monaſterium ſancti Petri remeavit, ubi commorans diebus non paucis [b], Raynaldo adhuc regnante, profectus ut iret Romam, benedictione ſuſcepta exivit, perveniensſque ad caſtrum Tornodorenſe in ipſa nocte beato fine quievit, ſepultuſque eſt in baſilica ſancti Michaëlis archangeli, defunctus ſexto Kalendas Februarii circa annum Domini * MXV. & licet apud dictum cœnobium ſancti Petri corpus ſuum juſſiſſet ſepeliri, Comes tamen caſtri Tornodorenſis, ejuſdem Sancti conſanguineus, hoc impediens, in eadem eccleſia ſancti Michaëlis fecit ſepeliri. Jam vero in obſequium funeris credi non poteſt quanta hominum multitudo convenerit. O quantus luctus omnium vox una mærentium! quanta præcipuè lamenta ejuſdem eccleſiæ monachorum! Hoc igitur beati viri corpus uſque ad locum ſepulcri militum & nobilium veſtibus lugubribus induta proſequebatur turba. A Domino enim factum eſt, qui hoc ſacrum cœnobium viro tam ſancto dotari voluit, ad cujus quidem ſepulcrum ægri reperiunt ſanitatem, prout fide dignorum relatu audivimus, noſtriſque temporibus multos febricitantes vidiſſe atteſtamur, qui ad eumdem ſanctum devotè interceſſerunt, ſanitatem Deo auctore feliciter reportarunt.

Obit Tornodori.

* MXXII.

ORATIO.

Deus qui hunc diem ſacro-ſanctum per feſtivitatem beati Theodorici Pontificis ſollemniter celebrandam contuliſti; da quæſumus ſupplicibus, ut meritis ejus defenſi, & ab omnibus vitæ hujus liberemur adverſis, & vitæ æternæ præmia conſequamur.

a Hos Liſoium ſeu Lizonem & Heribertum vocat Glaber Rodulfus.

b Jam obſervavimus Raynaldum tunc defunctum fuiſſe, utpote qui anno MXV. obiit, & Theodericus ante annum MXXI. ſedem ſuam non dimiſit.

Digitized by Google

ALTERA VITA.

Ex codice mſ. Petaviano, Sauſſeyo & Bollando.

S. Theodorici patria, genus.

1. BEatus THEODORICUS indigena exſtitit Brieſi Caſtri Theodorici à Theodorico avo ſuo taliter nuncupati, exortus parentibus genere claris & opibus, & poteſtate præfultis. A quibus tenere educatus, cœpit in ætate primævâ bonæ indolis prætendere argumenta; non adoleſcentium more laſciviâ diffluens, ſed maturè converſans; non de veſtium pretioſitate tumeſcens, aut de prædiorum amplitudine, aut de nobili parentelâ, ſed ea reputans pro nihilo, quæ ſciebat in nihili redigenda. Satagebatque ut quo nobilior erat in ſæculo, eo nobilior haberetur in Chriſto. Cum enim parentes ſui vellent eum doctrinis liberalibus imbui, & è contra perpenderent, quia mores ſoleant à convictu formari, noluerunt eum tradere ſæculari magiſtro, ne morum ſæcularium depravaretur exemplo. Proinde ſtatuerunt eum in ſancti Petri Vivi cœnobio, tunc & religione pariter & doctrinâ famoſo; ob id maximè quia SEUVINUS Senonis archipræſul, & RAYNARDUS abbas ejuſdem cœnobii forent ei conſanguinitate connexi. Illic ergo jugi exercitatione proficiens, quidquid documenti perceperat, mente ſedulâ revolvebat. Se quoque prudenter agebat in omnibus, ſollicitè providens, ne à Fratribus, quorum intererat vitæ & ordini, poſſet in aliquo denotari.

Studia in monaſterio ſancti Petri Vivi.

Vocatur ad aulam.

2. Eo tempore regnabat in Franciâ ROBERTUS rex, vir pietate egregius & egregiè eruditus. Hic ut juvenis opinionem comperit, eum ad [a] curiam accerſivit. Quem fidelem admodum & prudentem experiens, cœpit ejus uti conſiliis, & jura regalia ei tradere diſponenda. Defuncto intereà [b] ARNULFO epiſcopo, Cleri ac populi pari ſententiâ Theodoricus petitur, ut in præſulem provehatur. Rex annuit quod petebant. Verùm quia virtutem invidia ſequitur, nec umquam deſunt bonis diſcrimina, affuit quidam clericus, ODOLRICUS nomine, quorumdam manu fultus Epiſcopatum impudenter ambiens, & ſancti viri electioni omnimodis contradicens. Qui etiam tantâ temeritate ductus eſt, quòd cùm vir Dei à LEOTHERICO Senonenſi, FULBERTO Carnotenſi, aliiſque epiſcopis in eccleſiâ Aurelianenſi ſacraretur, fores eccleſiæ cum manu armata irrupit, & uſque ad altare progrediens, virum Dei ſub manu ſacrantis quaſi perempturus appetiit. Sed quod divinum conſilium ordinat, nullatenus præſumptio humana conquaſſat. Divino ſiquidem nutu, nec ſacrantem, nec eum qui ſacrabatur, tremor ab incœpto depulit; & quaſſis aſſultibus paullatim dimiſſis, adverſa pars tremefacta paullatim diffugit.

Epiſcopus eligitur.

Odolrici temeritas.

Virtutes ejus in epiſcopatu.

3. Poſtquam vero in ſede pontificali locatus eſt, cœpit iti lampas ſplendeſcere, & circa gregem ſibi commiſſum miram ſollicitudinem gerere, ſubditis & operum exempla præmonſtrans, & monita ſcripturarum inculcans. Erat enim pauperum relevator, repreſſor opprimentium, & oppreſſorum adjutor. Ab omni munere manus excutiens; quærebat non quod ſibi utile, ſed quod multis; unicuique ſtudens impendere, prout cuique noverat expedire. Accidit autem dum quodam itinere pergeret, à complicibus præfati Odolrici eum intercipi; quem mox de equo cui inſidebat dejiciunt, humique proſternunt, lanceas & gladios vibrant, ut innocentem trucident. Sed mirum dictu, quem gladiis ſe putabant confodere, nullum ei vulnus vel modicum potuerunt inferre. Etenim manus inimica nocere non poterat, quem divina dextera protegebat. Tandem eum credentes prorſus exanimem, humi reliquere jacentem. Surrexit ergo vir Dei, corpore quidem prorſus illæſo, ſed tamen amictu circumquaque diſrupto. His ita geſtis Odolricus attendens quia fruſtrà appeteret, quem Dominus cuſtodiret, ad eum confugit, petit veniam, impetratque petitam. Cui etiam Præſul ne videretur reminiſci injuriæ, ſecundo poſt ſe tribuit honore potiri, ita ut poſt ejus deceſſum ipſe ſuſciperet præſulatum.

Lædi non poteſt.

Inimico parcit.

Morbis exercetur.

4. Sanè quia vaſa figuli probat fornax, & virtus in infirmitate perficitur, ſervus Dei gravi & diutinâ ægritudine vexabatur. Caſtigabat enim filium Dominus quem diligebat, ut ei vel meritum virtutis augeſceret, vel culpæ ſcrupulum, ſi quis inerat, tribulationum limâ penitus expoliret. Frequentabat autem cœnobium ſancti Petri Vivi, tum quia ibidem

[a] Tunc temporis accidit, quod refert de Conſtantia Regina Odorannus ad annum MXXXI. quæ cum à S. Saviniano monita fuiſſet non timere Regis divortium, neſciebat quis eſſet hic ſanctus, quod à Theoderico noſtro didicit. unde peculiari devotione erga hunc ſanctum poſtea affecta eſt, ac multum auri ac gemmas pretioſas libentiſſime contulit ad conficiendam capſam pro ejus ſacris reliquiis, ut narrat idem Odorannus oculatus teſtis, & habetur in Hiſtoria tranſlationis ejuſdem ſancti, infra ad annum 1025.

[b] Inter Arnulfum & Theodericum ſedit Fulco, qui ſynodo Calenſi anno MVIII. ſubſcripſit: ad eum exſtat Fulberti Carnotenſis Epiſcopi Epiſtola 41.

Digitized by Google

ANN. CH. MXXII. JAN. XXVII. alitus fuerat, tum quia ſciebat locum eſſe ſanctum, & Sanctorum pignoribus copioſe refertum. Cum ergo quadam vice de more ibi veniſſet, & etiam confectus macie Romam proficiſci diſponeret, contigit dum in eadem baſilicâ nocte quieſceret, ut audiret vocem de cælo dicentem ſibi: Ne timeas, Theodorice, quia ſuperna manſio te exſpectat, ubi martyr ſanctus Sebaſtianus glorioſè triumphat. Erat autem feſtum beati Sebaſtiani. Facto itaque mane accerſivit ADIBERTUM, ejuſdem loci monachum religioſiſſimum cum quibuſdam aliis, & eis quid audierat intimans, obitum ſuum imminere teſtatur, mandatque ut ibidem ſi citra Alpes obierit revehatur. Optabat enim ſepeliri juxta venerabiles avunculos ſuos, Sevvinum archipræſulem, & Raynardum abbatem.

Cælitus ei æterna gloria promittitur.

5. Poſt hæc iter arripuit, & primâ die Briennonem pervenit: dehinc Ternodorum uſque profectus eſt, ubi mox infirmitate correptus eſt; & intra paucos dies, dum illic ægrotans decubat, vitam exitu felici conſummat VI. Kalendas Februarii. Diſponentibus ſuis eum referre, quo juſſerat ſe referri, obſtitit MILO conſanguineus ejus, præfati caſtri dominus, & in eccleſiâ ſancti Michaëlis archangeli fecit eum honorificè tumulari. Cujus tumulum qui frequentant, frequenter referunt quod implorant.

Obit.

ANN. CH. MXXIII. MART. IV.

DE V. BURCHARDO SECUNDO ſancti Galli apud Helvetios abbate.

1. *DUOS nominis hujus abbates habuit inſigne ſancti Galli monaſterium. Prior circa ſuperioris ſæculi finem è vivis exceſſit, cui* Ingenito *cognomen inditum eſt, eo quod è materno matris mortuæ utero eductus fuiſſet: Alter vero cujus hic elogium damus, anno* MVII. *monaſterii regimen aſſumſit. Pauca quidem de eo habentur, ſed quæ cum certa ſint prætermittere fuiſſet religio. Ea præcipue deſumta ſunt ex monacho ſancti Galli, quem Goldaſtus, qui ejus opera tomo* I. *Rerum Alamannicarum vulgavit, Burchardum appellat. Hunc auctorem paullo poſt Burchardi noſtri obitum vixiſſe patet ex eo, quod de Diepaldo Burchardi ſucceſſore agens capite quinto, aſſerit ſe ejus mores & actus requiſiſſe, ac didiciſſe ab iis ſenibus, qui eumdem Diepaldum viderant. Huic ceteros auctores adjungemus qui de Burchardo aliquid poſterorum memoriæ prodiderunt.*

2. *Tanto viro, qualis erat Burchardus, opus habebat ſancti Galli monaſterium ut in priſtinum ſuum ſplendorem reſtitueretur. Ejus enim bona omnia à Kerhardo ſeu Gerardo ejus præceſſore dilapidata fuerant, qui & diſciplinam regularem penitus exſtirpaverat. at utrumque egregie reparavit Burchardus. Unde auctor laudatus cum capite* 3. *calamitates, quas in ſancti Galli monaſterium Gerardus invexerat enarraſſet, caput* 4. *de ejus ſucceſſore ſic orditur.* Sed cum Dominus afflictionem populi ſui reſpexiſſet, poſt Kerhardum, BURCHARDUM virum juſtum & ſanctum huic præfecit eccleſiæ, qui, quaſi ſecundus Moyſes, nos diu Ægyptia ſervitute oppreſſos abſolvit, & in optatam quietem reduxit. Ipſe etiam pii Mandritæ ſtudio æſtuans, officinas dilapſas reædificans, cœnobium cum cœnobitis ampliſſime adauxit. Quæcumque vilia & inutilia reperta ſunt, in melius commutavit, legem Domini die & nocte meditatus, ipſe ſpiritalis ſpiritales in hoc loco monachos reformavit, inutilia omni ſtudio reſecavit; quæ vero utilia loco & fratribus fuiſſent, hæc quotidie excogitavit & ſtatuit, omnia antiquitus inbeneficiata exoſus, plurima de his ſua diligentia ad ſe retraxit, & ad fratrum utilitatem deſtinavit. Theſauros eccleſiæ ampliavit, cappas, caſulas, albas, pallia & libros, Immonem imitatus, quæque optima & pretioſiſſima elaboravit: nihil de omnibus minuit, ſed in omnibus locum iſtum ditavit.

3. O quam felices fratres ſub ipſo fuerunt! Jugum enim ejus cunctis ſuave, invidiæ, contentiones, æmulationes & his ſimilia fugerunt: in quorum locum caritas, pax & manſuetudo ſucceſſerunt, & ſi adeſſes, non homi-

Digitized by Google

num, ſed angelorum in ipſis vitam videres; & qui prius longa triſtitia tabeſcebant, nunc ſpiritali lætitia ſine intermiſſione exſultabant. Diverſorum metrorum ſtudia revixerant, quibus cum inſtantia laudabant, tranſacta jocundiſſime damnabant. Hymnorum & Sequentiarum, & diverſarum expoſitionum libri, quippe ſine triſtitia expeditum cor ad ſingula habuerunt, excogitati ſunt; & ſi nulla triſtitia tanto gaudio interveniſſet, ſe jam angelicam vitam poſſediſſe exiſtimaſſent. Ann. Chr. MXXIII. Mart. IV.

4. *Hic erat ſub Burchardi regimine florentiſſimus monaſterii ſancti-Gallenſis ſtatus, in quo obſervantia regularis vigor cum litterarum ſtudiis conjunctus erat. Porro quædam ex iis carminibus & ſequentiis, quæ tunc ibidem edita fuiſſe narrat auctor, adhuc ſuperſunt in collectione, quam Henricus Caniſius edidit antiquarum lectionum tomo* V. *alios item verſus in ſuam chronicon inſeruit Hepidannus, ubi ad annum* MVII. *Burchardi electionem ſic notat.*

Purchardo noſtras Dominus commiſit habenas,
Quippe viro jam tunc ſibimet per cuncta * parato.

* al. Beato.

Monaſterii reſtaurationem ad annum MIX. *refert idem auctor, ubi innuit hominem è tecto delapſum ſancti Galli merito illæſum manſiſſe.*

Res novas dum Purchart Gallo ſua tecta reſtaurat,
Ruſticus extremo de culmine per caput actus,
Noſtris ſpectaculum nimis addiderat miſerandum;
Sed poſtquam cecidit, caput allevat atque reſedit,
Mirum, ſurrexit Gallo integer & benedixit!

Alia denique adhuc carmina refert in ſequentibus annis, ex quibus ea tantum referre placet, quæ ad Burchardi noſtri laudes conferre poſſunt. ſic narrat ſancti Galli viſiones anno MX. *factas cuidam mulieri mutæ, quæ contra morem ſolitum ingreſſa erat in monaſterium tempore ſilentii meridiani.*

Sabbato Spiritui Paſchæ ultima rite parata,
Accepit ſolitus fratres poſt prandia ſomnus:
Muta fide ducta petiit penetralia noſtra:
Clam quoque de plebe nulli fas illa ſubire.
Pollet in his titulus patrum ſtudiis operatus,
Gallus ibi requiem ſibi dixerat eſſe perennem.
Hic uti ſe quærat, hanc viſibus ipſe docebat.
Acceſſit, pater ut docuit, cui plectra reſolvit.

5. *Verum dum pius Abbas reſtaurato monaſterio totus ſervando ſibi commiſſo gregi incumberet, ſuos deſerere coactus, in Italiam edicto Imperatorio proficiſci cogitur. Eo quippe pergens imperator Henricus ut bellum Græcis inferret, immenſum ex tota Germania exercitum congregarat, cui expeditioni etiam Epiſcopos & abbates pro illorum temporum more intereſſe voluit. Res quidem felicem habuit exitum, Græcorum audacia, fuſis eorum copiis, repreſſa eſt. Sed exercitum redeuntem peſtis invaſit. quo morbo inter multos qui interierunt, ipſe etiam Burchardus abbas ſancti Galli occubuit; ac corpus ejus* Franckemunſter *delatum ibidem ſepultum eſt. Tota rei hujus ſeries ex Burchardo auctore laudato audienda. ſic enim caput* 4. *proſequitur.* Sed quod omnium rerum viciſſitudo ſit, in ipſis probatum eſt. Nam Otto Imperator dum Italiam luſtrat, in caſtro paterno immatura morte deceſſit. Heinricus vero, Bajoariæ Dux, aſſumtis inſignibus regni poſt ipſum regnavit, & per Veronam Italiam petens, omnes illarum partium civitates ſibi ſubjecit: Papiam ipſam qua conatus eſt die irrumpens, gla-

Digitized by Google

ANN. CH. MXXIII. MART. IV. dio & igne perdomuit. Saxoniam reverſus adiit. Illic cum quædam negotia regni ordinaſſet, Spiritu Dei repletus juxta caſtrum *Babenberg* nobilem & divitem epiſcopatum conſtruxit, & Benedicto papa vocato eccleſiam inibi in honore ſancti Stephani conſecrari fecit; & regno jam firmato, conſilio Principum cuncti regni Primatibus expeditionem in Campaniam condixit. Burkhardo quoque noſtro ſimiliter condixerat. Quod ubi auditum eſt, Fratres, clerus & populus uno luctu omnes æſtuabant, & quæcumque pericula ſuo Abbati in hoc itinere futura forent, ſinguli pro ipſo ſuſtinere deſiderant. Cum autem ultimum illis vale dixiſſet, tunc demum eo proficiſcente totum cælum fletibus & luctu repleverunt. Heinricus cum exercitu Campaniam occupans, Beneventum intravit, Troiam oppugnavit, cepit Neapolim, Capuam, Salernum, aliaſque eorum locorum civitates in deditionem omnes accepit, & Normannis quibuſdam, qui tempore ejus illo confluxerant, quoddam illis in partibus territorium donavit: ſicque per Romam tranſiens, victor rediit in Germaniam. Peſtilentia in exercitu orta multos exſtinxit: inter quos Ruodhardus Conſtantienſis Epiſcopus & Burckhardus noſter obierunt. Notkerus quoque magiſter, & alii præſtantes fratres apud ſanctum Gallum deceſſerunt. Sed Burckhardus honorifice ad caſtrum *Frankenminſter* theutonice dictum deportatus, ibique in media eccleſia, ut adhuc videtur, ſepultus, ſicut in eodem loco ego ab ipſius eccleſiæ Canonicis audivi, multis miraculis, qualis apud Deum ſit, quotidie declaratur. Nobis autem hoc quod cineres ipſius apud nos non ſunt, maxime eſt conquerendum; ſed ſicut vivus locum hunc dilexerat, ita etiam nunc apud Deum pro ipſo, ſicut ſperamus, exorat. *Hæc ille, cui Burchardi Epitaphium quod apud Frankenmunſter ei inſcriptum eſt, ſubjungere juvat ex Caniſii tomo 5. lectionum antiquarum.*

Angelicis comitatus ovans quæ ſidera flammis,
Præſulis vicem flammis Burchard geſſit plebi ſuæ ſanctæ,
Celſithronum didicit precibus pulſare tonantem.
Inditur æthereæ felix qua ſpiritus aulæ
Tranſit, & altithronum gaudet modo viſere Regem.

6. *Porro ex his omnibus apparet, Burchardum nullo licet cultu publico affectum, tamen ut virum ſanctum habitum ſemper fuiſſe: cujus ſanctitatem miracula ad tumulum ipſius patrata ſæpius comprobarunt. Nomen ejus ſub* Beati *titulo Menologio Benedictino inſertum eſt ad diem 4. Martii, quem etiam ipſi aſſignavimus, cum aliunde notum non ſit nobis, quo revera obierit die. Nam Joachimus Vadius qui ad annum* MVII. *apud Goldaſtum Burchardi obitum* XVI. *Kal. Auguſti notat, adjecit ab aliis ad* V. *Idus ejuſdem menſis eum revocari. Annum autem ejus mortis, quem varium varii aſſignant, ex beati Heinrici imperatoris in Italia adverſus Græcos expeditione repetimus. Bruſchius in abbatum ſancti Galli catalogo ait, Burchardum noſtrum anno* MXXVIII. *obiiſſe, ſecutus Hepidanni Chronicon. At id ſuſtineri non poteſt: cum ipſe Henricus II. in cujus Italica expeditione mortuum fuiſſe fatetur Burchardum, anno* MXXIV. *exceſſerit è vivis. Certius itaque Burchardi obitus anno* MXXIII. *conſignari poteſt. Nam Henricus anno* MXXII. *in Italiam profectus, totam Campaniam aliaſque regiones quas Græci occuparant, armis ſubegit, atque hieme in Italia tranſacta, in Germaniam anno ſequenti reverſus eſt, ut refert Baronius ad annum* MXXII. *Itaque cum conſtet apud omnes, Burchardum in reditu peſte exſtinctum fuiſſe, ad anni* MXXIII. *initia ejus obitum referre viſum eſt. Hanc ſententiam confirmat Burchardus ſcriptor, ex quo noſtri Burchardi vitam præcipue excerpſimus. Quamvis enim mortis ejus annum non aſſignet, tamen capite 5. ait Thiepaldum Burchardi ſucceſſorem obiiſſe anno Chriſti* MXXXIV. *regiminis ſui undecimo. Itaque ſi ex annis* MXXXIV. *undecim, quibus Thiebaldus monaſterium ſancti Galli gubernavit, eximantur, invenietur annus* MXXIII. *quo proinde Burchardi obitus collocandus erit.*

VITA

Digitized by Google

VITA SANCTI BERNVVARDI EPISCOPI HILDESHEIMENSIS.

Auctore TANGMARO preſbytero æquali.

Ex Surio & Brouvero.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *MERITO inter præcipua Eccleſiæ catholicæ ſidera, quæ ſæculo undecimo Germaniam illuſtrarunt, recenſetur* BERNVVARDUS *Hildesheimenſis antiſtes, qui vivens rerum geſtarum magnitudine, & poſt mortem infinitis propemodum miraculis illuſtris fuit. Vitam ejus Tangmarus preſbyter ipſi æqualis tanta diligentia conſcripſit, ut opus non ſit quidquam ex aliis auctoribus emendicare ad ipſius facta illuſtranda, cum ipſe res præclare à beato Pontifice geſtas, quas coram viderat & audierat, accurate & diligentiſſime enarraverit. Nec etiam aliunde quiſnam fuerit ille Tangmarus conquirendum eſt, cum ſeſe ipſum non ſemel prodat. Is enim eſt Tangmarus monaſterii Hildesheimiani, id eſt Cathedralis eccleſiæ decanus, qui num.* 29. *ſimul cum Eggehardo Slevvicenſi epiſcopo ad conventum Francofordienſem à beato Bernvvardo legatus eſt, ut partes ipſius in cauſa Gandersheimenſis monaſterii coram patribus tueretur. Idem eſt ipſe, qui num. ſequenti* à primæva ætate ſua uſque ad canitiem *in eadem eccleſia enutritus, in Italiam tranſmiſit, Bernvvardi jura in idem monaſterium adverſus Vuillegiſum Mogontinenſem metropolitanum coram Romano pontifice & Imperatore propugnaturus.* Vitæ ſcriptor.

2. *Tranſlationis Hiſtoriam, quam Vitæ ſubjecimus, auctor item æqualis deſcripſit, ut legenti patebit. At miracula quæ ſubinde ſubjiciuntur, varii auctores variis temporibus, quibus ea contigere, litteris exararunt, prout ea fieri videbant; nec dubium quin in ſancti Michaëlis monaſterio, in quo beatus Confeſſor requieſcit, unus ſemper ad id aliquis deputatus fuerit, ut cum miraculum aliquod ad beati viri tumulum patraretur, quod ſane frequenter contingebat, in libro ad hoc deſtinato ſtatim ſcriptum poſteritati commendaretur. Et ſane Brouverus, qui hanc vitam ex mſ. Hildeshemiano edidit, in fine monet ſe miracula recentiora omiſiſſe, quæ in libro deſtinato ſcripta habebantur, ut brevitati conſuleret.* Tranſlatio & miracula.

3. *Verum etſi accurate adeo per ſingulos annos beati Bernvvardi geſta in Vita ſequenti deſcripta ſunt, non tamen videtur eſſe levis difficultas de anno ipſo qui illi extremus fuit. Auctor vitæ ſancti Godehardi qui beato Bernvvardo ſucceſſit, & ipſi fuit æqualis, Chronicum Saxonicum quod penes nos mſ. habemus, Chronicum Hildesheimenſe apud Cheſnium tomo tertio, Trithemius aliique paſſim vulgati auctores, Bernvvardi obitum, & Godehardi ordinationem anno* MXXII. *conſignant. Idem innuit ipſius Bernvvardi Vitæ auctor, qui anno* MXXII. *ſancti Michaëlis monaſterium dedicatum fuiſſe ſcribit, nec videtur ſancti viri obitum ad annum ſequentem differre. Non tamen patitur totius vitæ contextus, ut ante annum* MXXIII. *conſignari poſſit. Etenim Bernvvardus* XVIII. *Kalendas Februarii Indictione* VI. *anno* CMXCIII. *ordinatus fuiſſe dicitur num.* 6. *Poſtea annus* CMXCVI. *Indictione* 9. IV. *Idus Septembris dicitur ejus ordinationis quartus, & ſic deinceps. Num.* 48. *anno ordinationis ſuæ trigeſimo-primo mortem ipſi inſtitiſſe dicitur. quæ omnia falſa erunt, niſi anno* MXXIII. *dicatur obiiſſe. Is enim annus trigeſimus-primus ſaltem fuiſſe incœptus dicendus eſt. Et quidem huic opinioni aliquantum favet ipſe Trithemius in Chronico Hirſaugienſi, qui quidem Godehardi ordinationem ad annum* MXXII. *revocat, ſed prius dixerat anno* CMXCII. *Bernvvardum ad Hildesheimenſem ſedem fuiſſe evectum. Nec adeo nobis etiam adverſatur Chronicum Hildesheimenſe, in quo Bernvvardus anno* CMXCIII. *ordinatus dicitur annis* XXXI. *præfuiſſe, quamvis ipſius poſtea mortem anno* MXXII. *conſignaverit.* Annus mortis.

4. *Certior eſt ſancti viri obitus dies, cum una ſit omnium ſententia, duodecimo die Kalendas Decembris, id eſt die Octobris vigeſimo-ſexto, eum ad ſuperos abiiſſe. quo quidem die in Martyrologiis variis nomen ipſius inſcriptum eſt, ſicut & apud Ferrarium in Catalogo generali ſanctorum, qui in Martyrologio Romano non exſtant. quamquam mirum ſit nomen tam ſancti Viri in Romano Martyrologio deſiderari, qui à ſummo Pontifice ſollemni ritu inter ſanctos fuerat annu-* Dies, cultus.

ANN. CH. MXXIII. OCT. XXVI.

meratus. Primus è gente Saxonum numero ſanctorum adſcriptus dicitur in epiſtola ad Sifridum II. Hildesheimenſem antiſtitem, cujus tempore, id eſt ſæculo decimo-tertio exeunte, ſancti Bernvvardi cultus maxime efflorescebat. Omitto Bernvvardi elogia quæ paſſim apud ſcriptores Germanos habentur, omnium inſtar eſt ejus vita quam exhibemus. Non tamen licuit omittere Dithmari, auctoris gravis & æqualis locum, quem Brouverus retulit, quod ea de re quam narrat nihil in vita legatur. Sic vero habet in Chronici libro 4. Venerabilis omnibus MATHILDIS, filia M. Ottonis & abbatiſſa in Quidelinburg, moriens Bernvvardum ſanctæ Hillineſſemenſis eccleſiæ tunc paſtorem vocavit, & accepta ab ea quam poſtulavit indulgentia, VIII. Idus Februarii hominem exuit. *Hildesheimum, cui præfuit Bernvvardus, urbs eſt epiſcopalis in Saxonia, ſub archiepiſcopatu Moguntino, ſubjecta dominio proprii epiſcopi, qui ſolus ea in regione à catholica religione non deſcivit. Ejus ditio ad ortum Halberſtadienſi principatu terminatur, ad ſeptemtrionem ducatu Luneburgenſi, reliquum vero Brunſvicenſi ducatu cingitur.*

PROLOGUS.

1. DIVINÆ providentiæ ſapientem admirabilemque diſpoſitionem ratio humana, nec liquide intueri, nec digne ſuppetit admirari. Miris enim divinæ clementiæ beneficiis, quotidianis ſucceſſibus ſuſtentamur; ut gravis culpa videatur eſſe, Dei laudes tacere, cùm manifeſtiſſimè ſcriptum ſit: *Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt, opera autem Dei revelare & confiteri honorificum eſt.* (Tob. 12. 7.) His itaque angelicis oraculis perſuaſus, immo compulſus, ego peccator & indignus preſbyter TANGMARUS, humillimus quoque ſanctæ noſtræ eccleſiæ Bibliothecarius & Notarius, magnifica geſta memorabilis viri, domini ſcilicet BERNVVARDI noſtri epiſcopi, colligere aggreſſus ſum, non vanitatis faſtu provocatus, Deo teſte, ſed ſi quid imitabile Dei clementia in illis eluceret, divinæ pietatis gratiam, de cujus rore fluxit, poſteris prædicarem, & illos tali exemplo ad profectum virtutum incitarem. Et quia hoc, ipſo ignorante, ſubire temerarium ſcivi, diu cunctatus, hæc publicè cum illo confabulari, tandem oportunitate nacta, aditum tentavi. Primo itaque forti auctoritate adverſabatur mihi; nam in cunctis jactantiam & popularem favorem, ceu mortiferum venenum vitabat. Tandem cùm ſæpius ingererem eſſe grave peccatum, bona opera celare, ne alii tali exemplo proficiant, cum Dominus dicat: *Luceat lux veſtra coram hominibus,* &c. (Math. 5. 16.) ceſſit meo arbitratu, quæ compingerem relinquens, quia à puero mecum uſque ad juvenilem ætatem converſatus, quaſi filius patri familiarius adhæſit, & convixit, nec aliquid in omni ſtudio ejus vitæ meam conſcientiam fraudare potuit, quin pleniſſime ſcirem.

VITA INCIPIT.

2. ORtus eſt igitur egregiæ indolis puer Bernvvardus claro [a] noſtræ gentis ſanguine, ex filia ATHELBERONIS Palatini Comitis; & traditur domino OSDAGO noſtro epiſcopo à ſuo avunculo religioſo Diacono [b] FOLCMARO, poſt quoque Trajectenſi epiſcopo, & amborum diligentia, meæ parvitati, qui Primicerius ſcholæ puerorum præeram, litteris imbuendus, moribus etiam inſtruendus deputatur. Quem omni devotione ſuſceptum, intellectus illius capacitatem primò divinæ paginæ leviore lacte tentandam exiſtimavi. Mox itaque, ut de ſancto Daniele legitur: *Inveni in illo decuplum in omni intelligentia ſuper coævos ejus.* (Dan. 1. 20.) Mi-

(Margin: a Bernvvardi genus. b)

a Krantzius Metropol. lib. 3. ait Bernvvardum fuiſſe comitem de *Sommerſchberg*. Et revera Tangmarus infra refert, Bernvvardum habuiſſe fratrem Tangmonem dictum, qui erat Comes Sommerſchenburgi, ex qua familia prodiere poſtea Palatini Saxoniæ. Porro Abbas Theodericus, qui S. Bernvvardi vitam lingua Saxonica compoſuit, aſſerit Brunvicenſes Duces ex Bernvvardi familia prodiiſſe. Sommerſchenburg caſtellum erat quatuor fere miliaribus ab urbe Magdeburgo diſtans, nunc dirutum, ſub ejuſdem eccleſiæ ditione.

b Is anno CM. LXXVII. Balduino epiſcopo Trajecti ad Rhenum ſucceſſit, ac poſt 12. annos & aliquot regiminis menſes defunctus eſt.

Digitized by Google

rum nempe in modum tenera ætas cæleſti irradiata lumine, ſubtili meditatione interiora divini ſophiſmatis jugi ſtudio rimabatur. Nunc communi ſtudio cum aliis, nunc quos diligentiores in ſancto meditamine cernebat, ſeorſim familiarius aſſumens, propoſitis quæſtionibus ſcrupuloſa quæque ad medullam eventilabat, more prudentiſſimæ apis ſingulas lectiones, quas in ſcholis, in diverſis libris exponebam, remotiori loco ſedens, intento auditu captabat: quæ tamen poſtea pueris confidens felici furto perfectè docebat, & illorum ſcientiæ imprimebat. Gratanti denique affectu amplectebar felici furto lectionis puerum inſudare, multoque vigilantius inſtiti ingenium illius ad ſcientiam veri ſophiſmatis excitare. ANN. CH. MXXIII. OCT. XXVI.

3. Nihilo minus ergo venerabilis dominus Oſdagus, quodam meriti præſagio, magnum quid futurum in illo prævidens, Exorciſtam ordinavit, diligentius me adhortatus, item itemque curam illius agere, quem etiam mecum interdum in ſervitium domini Epiſcopi extra monaſterium excedens, ducebam; ut illius ingenium, quod in multitudine epheborum diſcernere, & ad votum meum diſcutere non potui, illis remotis ſingulari ſtudio ſubtilius diligentiuſque eventilarem, mirumque in modum vario virtutum pigmentario, ultra id ætatis reſperſum reperirem. Nam ſæpe totum diem inter * equitatum ſtudendo attrivimus; nunc legendo non minus prolixam lectionem, quam ſi in ſcholis ad hanc vacaremus: nunc poëtizando per viam metro colluſimus; inde ad proſaïcam palæſtram alternantes exercitium; interdum ſimplici contextu rationem contulimus, ſæpe ſyllogiſticis cavillationibus deſudavimus. Ipſe quoque me crebro, etſi verecundè, acutis tamen & ex intimo aditu philoſophiæ prolatis quæſtionibus ſollicitabat. Tanta ergo facilitate cupitum ejus ingenium mihi applaudebat: pæne enim nulla hora, nec refectionis quidem, deſidiæ illum arguebat. Et quamquam vivaciſſimo igne animi, in omni liberali ſcientia deflagraret, nihilominus tamen in levioribus artibus, quas mechanicas vocant, ſtudium impertivit. In ſcribendo verò apprime enituit, picturam etiam limatè exercuit. Fabrili quoque ſcientia, & arte cluſoria, omnique ſtructura mirifice excelluit, ut in pleriſque ædificiis, quæ pompatico decore compoſuit poſt quoque claruit. In negotiis vero domeſticis, & ad uſum familiaris rei pertinentibus vivaciſſimus exſecutor, ac ſi à puero in eis innutritus calluit. Hujuſmodi Deo gratæ & hominibus acceptæ indolis gratia, domino Epiſcopo apud quem verſabatur, omnique congregationè dignus & familiaris efficiebatur, propinquorumque dilectioni probatiſſimus habebatur. Avus quippe ejus Athelbero Palatinus Comes, vir plurima virtutum laude inſignis, qui commiſſæ præfecturæ exactionem magis ex debito, quam ex intentione gerebat, cum prole utriuſque ſexus feliciſſimè abundaret, hunc præclarum adoleſcentem primis auſpiciis pubeſcentis decoris florentem, in affectum filii adoptavit. In quo, quia ſalutaris conſilii ſtationem ſaluberrimam reperit, familiarius ſibi adjunxit, ut ne minimum quid, ſine hujus conſultu ageret.

Ab Oſdago in Exorciſtam ordinatur.

* f. Equitandum.

Artes etiam mechanicas callet.

4. Adeptus ergo à VVILLEGISO venerabili archiepiſcopo ſubdiaconatus gradum, aliquamdiu cum illo converſatus eſt, & cum propter morum honeſtatem ac vitæ probitatem, religionis profectum in illo ſentiret, Diaconum illum ordinavit, interjectoque non longo ſpatio, Preſbyterii eum honore ſublimavit. Reverſuſque ad præfatum Comitem, ſuum videlicet avum, affectuoſiſſime ab illo eſt ſuſceptus, plurimumque rogatus ne ab eo diſcederet, facile acquievit. Cui tanta humilitate ac inſtantia famulabatur, ut ceteris refrigerandi cauſa interdum remotis, ipſe dies noctesque continuans, indefeſſus ei adhæreret, ægri ſenis & ævo pleni imbecillitatem patientiſſimè moreſque ſupportaret; inter ipſum & familiam medius incederet, ſalutaribus monitis quotidie illos ad agenda informans,

Ordines ſuſcipit.

Avo ſuo adhæret.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXXIII. Oct. XXVI. curam illorum apud Comitem, vigilanti benignitate frequentans. Pro paterno quoque affectu ad filios totum ſe profudit, magnamque gratiam inter illos conciliabat. Et quamvis in hujuſmodi familiaritate invidia facilè ſubrepat, hanc maxima cautela in pleriſque declinabat. Inter patrem quoque & filium, dominum videlicet epiſcopum Folcmarum, internuntius ſæpe diſcurrebat, magnamque inter illos familiaritatis gratiam conciliabat. Ipſi quoque epiſcopo tantum complacuit, ut [a] Daventrienſi cœnobio, ſua vice, illum præponere vellet, fitque inter Epiſcopum & Comitem de tantæ indolis juvene religioſa concertatio, ut uterque pro morum gratia illum ſibi adoptare intenderet. Sed ipſe imbecillis avi infirmitatem ſuſtentare, quam epiſcopales delicias appetere, malebat. Cùm quo, uſque ad diem ſui exitus, fideli devotione deſudabat.

5. Quo defuncto, ad Palatium ſe contulit, in ſervitium videlicet tertii Ottonis Imperatoris, qui ſeptennis adhuc puer, cum venerabili & ſapientiſſima matre domina Theuphana Auguſta rebus præerat: à qua hic venerabilis juvenis benigniſſimè ſuſcipitur, atque in brevi ſummæ familiaritatis locum apud illam obtinuit; adeo ut dominum Regem, fidei illius litteris imbuendum [b], moribuſque inſtituendum, conſenſu cunctorum procerum, commendaret: in quo ita excelluit, licet quorumdam invidia morderetur, ut puer imperialis in diſcendo mirifice proficeret, & tamen ad cuncta foris obeunda liberaliſſimo negotio ejus ingenium feriaret. Et cùm alii Regi puero adulando obſequerentur, adeo, ut ludicra, & quæ tenera ætas poſcebat, illi perſuaderent, Imperatrix etiam verita affectum filii ſibi præripi, in ejuſmodi favore in tantum emollita eſſet, ut ad omnia, quæ puerilis ætas illum impelleret, ipſa gratiſſimo affectu conſentiret; hic ſolus tanta arte inſtitit, ut à non faciendis metu illum prohiberet, & tamen pleniſſimo affectu ejus animum ſibi colligaret. Interea domina Theophana Imperatrix apud Neomagum maximo dolore totius Regni rebus exceſſit. unde dominus Rex utroque parente deſertus, totum ſe regendum in * ſtationem fidiſſimi magiſtri contulit. Hujus conſilio examinabat quodcumque alii adulando perſuadebant: quia, quamvis in puerilibus auſpiciis otiaretur, altiori tamen induſtria quorumdam ſimulationes prævidebat. Præcipua itaque familiaritate magiſtrum ſuum amplectebatur, nec ab ullo inferius tractari patiebatur, quem univerſali virtutum decore reſperſum venerabatur.

Ipſi Ottonis III. educatio commendatur.

* f. tuitionem.

6. Per idem tempus venerabili domino [c] Gerdago decedente, hic religioſus juvenis Bernvvardus votis omnium ad pontificatum eligitur: &, cum plerique nobiles clerici Palatina militia diu certantes miſſionem optarent, conſenſus tamen omnium in hunc Deo electum juvenem concordabat. Communi igitur electione ſanctæ Hildenſemenſi eccleſiæ ordinatur Epiſcopus à Vvillegiſo archiepiſcopo XVIII. Kalendas Februarii anno Incarnationis Dominicæ nongenteſimo nonageſimo-tertio, indictione ſexta.

Gerdago epiſc. Hildesheim. ſuccedit.

7. Adeptus itaque pontificatum, quanta continentia juvenile corpus ad virtutum culmen coegerit dici non poteſt, modum in cunctis præcipuè amplectens, juxta illud viri ſapientis: Ne quid nimis. Morum quoque gravitate mirifice ſenes ipſos ſuperabat; adeò ut ſubditos ſeveritatis cenſura ad agenda in pleriſque inſtitueret. Frugalitatem verò in appetendis ct-

Virtutes in epiſcopatu.

a Daventria ad Iſalam fluvium in Belgio, à Paulo IV. epiſcopatu donata ſub Archiepiſcopo Trajectenſi

b Plures habuit Magiſtros Otto III. Imperator, præ ceteris tamen Bernvvardum audiebat. unde & ipſe à Dithmaro ad annum CM. LXXXIV. Regis magiſter appellatur, & ipſe in charta fundationis monaſterii S. Michaëlis ſe *Regis Didaſcalum* & *Primiſcrinium* appellat. Hinc etiam quidam eum Cancellarium fuiſſe aſſeruerunt.

c Is ab Alberto Crantzio vocatur Gerardus, ſedem Hildesheimenſem quatuor annis adminiſtravit. Alii annos tantum tres ipſi tribuunt; at conſentiunt omnes anno CM. XCIII. obiiſſe, ſi quidem eo anno Bernvvardus electus eſt.

Digitized by Google

borum deliciis in eo laudare vix ullus ſufficit. Tempore verò nocturnæ quietis ſtratis compoſitus, lectioni interdum circa galli cantum intendebat; ſæpe ſomnum interrumpens, furtivè orationi, donec clerici ad matutinos hymnos conſurgerent, vacabat; hymnis expletis, multoties pſalmodiam in diurnum uſque crepuſculum extendebat. Deinde aliquantulum pauſans, corpuſculum recreabat, donec item diluculo Canonicum curſum primæ horæ perſolvebat. quo expleto, quaſi regulariter ſub diſciplina conſtitutus, Capitulum cum fratribus, qui ſecum converſabantur, adiit; feriam quoque & lunationem, nomina etiam [a] fratrum, quorum annualis memoria inſtabat, quotidie recitari jubebat. Oratione vero peracta, circa tertiam horam ad Miſſarum ſollemnia feſtiva celebratione procedens, magna animi contritione, ſe ipſum Domino profudit. Inde in publicum progreſſus, forenſes cauſas & oppreſſorum negotia breviter examinabat: quia ingenio, ac facundia apprimè callebat; ſicque opperiebatur clericum diſpenſatorem, qui eleemoſynæ & pauperibus præerat. quorum multitudinem, centenos videlicet & eo amplius, dietim abundantiſſimè refecit, pleroſque etiam vel argento, vel ceteris ſubſidiis, prout facultas conceſſit, ſublevabat. Inde officinas, ubi diverſi uſus metalla fiebant, circumiens ſingulorum opera librabat, donec circa Nonam, omnibus ritè peractis, cum timore & benedictione Domini ad menſam, fratrum populique ſtipatus frequentia, conſedit, non pompaticè quidem, ſed religioſo ſilentio cunctis ad lectionem honeſtiſſima diſciplina intentis, quæ inter cænandum non brevis legebatur. Infirmis quidem fratribus, & ſenio confectis benedictionem de manu ſua hilariter dirigebat, cùm tamen nullum egenum in urbe vel in ſuburbio, quem ſcire poſſet, hujuſmodi pietate privaret. Ita quippe, juxta Apoſtolum, *Omnia omnibus eſſe deſiderabat, ut omnes in Chriſto lucrifaceret.*

Ann. Chr. MXXIII. Oct. XXVII.

Regularis vita.

1. Cor. 9.

8. Arduum & difficile eſt quotidianum ejus ſtudium verbis perſtringere, quia, Deo teſte, omni niſu inter diem, noctemque perſtabat in divinis. Nihilominus quoque cunctos ſibi adhærentes ad hujuſmodi negotium, ut ita dicam, ultra vires impellebat, nec aliquid artis erat, quod non attentaret, etiam ſi ad unguem pertingere non valeret. Scriptoriæ namque, non in monaſterio tantum, ſed in diverſis locis ſtudebat: unde & copioſam Bibliothecam tam divinorum, quam philoſophicorum codicum comparavit. Picturam verò & fabrilem, atque cluſoriam artem, & quidquid elegantius in hujuſmodi arte excogitari, vel ab aliquo inveſtigari poterat, numquam neglectum patiebatur: adeò ut ex tranſmarinis & Scotticis vaſis, quæ Regali majeſtati ſingulari dono deferebantur, quicquam rarum vel eximium reperiret, incultum tranſire non ſineret. Ingenioſos namque pueros, & eximiæ indolis ſecum, vel ad curtes ducebat, vel quocumque longius commeabat, quos quicquid dignius in illa arte occurrebat, ad exercitium impellebat. Muſivum præterea in pavimentis ornandis ſtudium, necnon lateres ad tegulam propria induſtria, nullo monſtrante, compoſuit. Et ut breviter perſtringam, nec punctum temporis in otio ſuperſedebat: ſed fidelis dominicæ familiæ diſpenſator conſervis ſuis neceſſaria ſubſidia fideliter miniſtrabat: & cum in Chriſti gazophylacio, quæque idonea ſcivit, fideli devotione congereret, non minus tamen Cæſari ſua, juxta Evangelium perſolvebat. Nam tertio Ottoni Imperatori affectuoſiſſimo animo pro ſcire ac poſſe obſequebatur: unde & multorum invidiam in ſe commovebat, qui indignabantur illum vigilantiori ſtudio Reipublicæ negotia obire. Saxonia quippe magna ex parte piratarum, ceterorumque barbarorum feritate depopulata, continuis

Diverſis artibus vacat.

[a] Obſerva ritum in eccleſiis & monaſteriis ubique receptum, ut ad Primam poſt Capitulum nomina Fratrum & benefactorum quotidie recitarentur. Confer vitam Richardi Abbatis Virdunenſis infra.

Digitized by Google

ANN. CH. MXXIII. OCT. XXVI.

latrocinantium incurſionibus ſine intermiſſione patebat, quam peſtem Reipublicæ depellere magno ſui ſuorumque periculo ſemper inſtabat: & nunc cum aliis, interdum quoque cum ſuis ſolus ſuper eos irruens, fortiter illos attriverat.

Barbaros ſuam diœceſim infeſtantes repellit.

9. Sed cùm hujuſmodi irruptiones ſedari nullo modo poſſent, quippe cum barbari, qui utrumque litus Albiæ, & naves omnes ſua ditione tenebant, navali evectione per omnem Saxoniam facillimè ſe infunderent, vigilantiſſimus Dei pontifex curam commiſſæ ſibi plebis agens, quomodo populum Dei de ſævitia barbarorum eriperet, animo fluctuabat. Furorem namque ſui impetus pænè Hildenſem uſque intentabant: & ipſum ſanctum locum prædam ſibi promittebant. Divino itaque inſtinctu, in extremo ferè ſui Epiſcopatus, ubi flumina Alara & Onekara confluunt, munitiunculam admodum munitam exſtruxit, in qua copiis militum diſpoſitis, barbarorum impetum repulit, populumque Dei ab hoſtili feritate liberavit. Dei namque gratia tanta ſecuritas pacis per illum in locis illis fidelibus condonata eſt, ut nihil damni, vel periculi poſtea à barbaris paterentur. Hac induſtria Chriſti Sacerdotis barbarico tumultu in illis locis eliminato, acrius in circumſita loca debacchati ſunt. unde vigilantiſſimus divini gregis paſtor, typo Chriſti ſui Domini, adverſariis Eccleſiæ, exſultans ad currendam viam ut fortis gigas, ſe oppoſuit, & in rure Vorinholt nuncupato, ubi tutiſſima illorum ſtatio fuerat, liber quoque latrocinii excurſus, quocumque ſuæ fraudis inſidias intentarent, præſidium munitiſſimum inſtituit: foſſis quoque, aquarumque meatibus, per rivum influentibus tutiſſimum reddidit, copias quoque militum victu & armis, ceteriſque neceſſariis inſtructas, abundantiſſimè collocavit. Divina itaque gratia periculoſiſſimum locum populo Dei pacificum fecit & tranquillum, in tantum, ut omni ſpurcitia diabolicæ, ac barbaricæ fraudis eliminata, baratrum irruptionis & hoſtilis incurſionis locum faceret orationis, & oraculum ſancti Lamberti Pontificis & martyris Deo conſecraret: atque ab illo die, ſumma pace Eccleſiæ Chriſti reddita, ab omni hoſtili impetu Dei populus vivaciſſimi proviſoris induſtria quietiſſimè feriaret.

Multa ab invidis patitur.

10. Pro his & ceteris beneficiis, quæ devotiſſimo ſtudio in Rempublicam populumque fidelem exercuit, multorum, & maximè Principum in ſe invidiam & indignationem commovit. Unde & à Moguntino Archiepiſcopo plura & miſeranda apertis inimicitiis eſt perpeſſus, cujus animoſitatem patientiſſimè ferens, divina ac regalia benigniſſimè adminiſtrabat. Et licet plura copioſiſſimis impenſis ad repellendam ſævitiam barbaricam foris impenderet, dici non poteſt quanta in epiſcopatu ad uſum eccleſiæ ſuæ contulit. In prædiis namque tanta congeſſit, ut triginta, vel plures præcipuos curtiles cum litorum ac colonorum famulis, clariſſimis ædificiis prænitentes, compararet, cùm in aliis innumerabilibus locis decem manſos vel octo, aut minus, aut plus, prout caſu acciderat, in poſſeſſionem eccleſiæ ſuæ conferret. Antiqua quippe loca ab anteceſſoribus ſuis poſſeſſa, quæ ille inculta reperit, optimis ædificiis colluſtravit: inter quæ quædam elegantiori ſchemate, albo ac rubro lapide intermiſcens, muſiva pictura variè pulcherrimùm opus reddidit. Quid dicam, quo ſtudio ſanctum locum noſtrum vel principalem eccleſiam nobilitaverit? cum ſeipſum, & cuncta quæ habere potuit, in ejus uſum impertiri maluerit. Teſtantur ejus opera, quæ futuro ævo pium illius animi votum apertis loquuntur indiciis. Eccleſiam namque miro ſtudio decorare ardenter inſtabat: unde exquiſita ac lucida pictura tam parietes, quam laquearia exornabat, ut ex veteri novam putares. Fecit & ad ſollemnem proceſſionem in præcipuis feſtis, Evangelia auro & gemmis clariſſima: thymiamateria quo-

Eccleſiam ſuam ditat & exornat.

Digitized by Google

que pretii & ponderis magnifici: calices nihilominus plures, & unum ex onychino, alterum verò cryſtallinum mira induſtria appoſuit. Adhuc autem unum aureum, valentem libras viginti publici ponderis ex puriſſimo auro, in uſum miniſterii conflavit. Coronam quoque argento auroque radiantem miræ magnitudinis, in facie templi ſuſpendit, & alia perplura, quæ ſuperſedenda putavimus, ne faſtidium prolixitate ingeramus. Sanctum quoque locum noſtrum murorum ambitu vallare ſumma inſtantia aggreſſus, diſpoſitis per gyrum turribus, tanta prudentia opus inchoavit, ut decore ſimul, ac munimine velut hodie patet, ſimile nil in omni Saxonia invenias. ANN. CHR. MXXIII. OCT. XXVI.

11. Sacellum etiam ſplendidum valde foris nimirum in honore mirificæ crucis exſtruxit, cujus etiam aliquantam partem, largiente domino tertio Ottone Auguſto Imperatore, ibidem clariſſimis gemmis auroque incluſam, condidit [a]; ubi etiam divina pietas plurima ſuæ pietatis indicia, apertis ſignorum miraculis per virtutem ſanctæ crucis oſtendit. Inter quæ illud unicum, quo Dominus Antiſtitis noſtri devotionem conſolari dignatus eſt, inſerere libet. Nam venerabilis Pontifex Bernvvardus, thecam auro gemmiſque lautiſſimam, in qua vivificum lignum includeret, paravit, & cum ex tribus particulis ſancti ligni, quartam ſi fieri poſſet, excidere tentaret, ut per ſingulas abſides ſingulas conderet portiones, ne gracilitas, vel parvitas, quacumque ex cauſa ſectionem admitteret: cum devotiſſimus Dei famulus animo fluctuaret; ecce ſubitò inter manus ipſius antiſtitis, quarta pars ſacratiſſimi ligni, angelico ut creditur miniſterio ſibi delata, apparuit. Mox igitur Præſul Chriſti, lætus lignum ſanctum per quatuor abſides paravit. O quanti inde potantes ardorem vehementiſſimæ febris ſæpius, virtute ſanctæ crucis, reſtinguebant! Multotiens ortam aëris inæqualitate peſtilentiam fideles hoc vivifico ligno ſe ſuaque luſtrantes ſedaverunt. Nimiam etiam ſiccitatem, prolato in publicum hoc ſingulari ligno, pluviis imperantes, repulimus; multaque virtute ſanctiſſimi triumphi, fiunt quotidiana remedia, dum quiſque mærens ibi proſtratus promta percipit ſolatia. Ipſum vero ſacellum ſanctæ Crucis vario decore perfectum dedicavit quarto Idus Septembris, anno Incarnationis Dominicæ nongenteſimo nonageſimo-ſexto, Indictione nona, regni vero glorioſiſſimi tertii Ottonis Imperatoris decimo-tertio, imperii primo, ordinationis autem ſuæ quarto: locumque quondam dumis & vepribus horridum vicinis incolis, gloria tibi Chriſte, ex tuis datis, baptiſmi, ſepulturæ, unctionis æternum fecit ſolatium.

Conſtruit ſacellum S. Crucis. [a]

12. Pro talibus igitur aliiſque piæ devotionis actibus, quibus ad eccleſiæ utilitatem omni niſu mentis & corporis inſudabat, tam Deo, cordi interius præſidenti, quam eccleſiæ operis effectum exterius approbanti, felicis memoriæ præſul acceptiſſimus erat: & ideo conſequens fuit, ut vir beatus, cui, ſicut de ſancto Job legitur, tunc temporis in terra ſimilis non fuiſſe putabatur, per tentationis incommoda, ſicut aliarum virtutum, etiam humilitatis & patientiæ præconio mirabilis cunctis oſtenderetur. Anno itaque ordinationis ſuæ octavo, gravibus inſecutionum moleſtiis pro territorio [b] Gandenſemenſi ab archiepiſcopo Vvillegiſo, plane contra eccleſiaſticas ſanctiones impetitur; ſed eis minime à ſolitæ humilitatis & patientiæ tenaci obſervantia movetur. His tamen, quæ Archiepiſcopus non tam juſtæ rationis exſecutione, quam liberæ poteſtatis præſumtione attentabat, auctoritatis conſtantia, non temeritatis audacia ſagacis

Lis de abbatia Gandenſemenſi. [b]

[a] Celebris eſt illa crux apud Hildesheimenſes; hodieque religioſe adſervatur in monaſterio ſancti Michaëlis, immo numquam abſque illa cruce Bernvvardus repræſentari ſolet, ut obſervat Brouverus.

[b] Monaſterium illuſtre puellarum nobilium in ducatu Brunſvicenſi. conſtructum eſt à Ludolfo Saxonum Duce ſæculo nono. Conſecratum vero per Alfridum quartum epiſcopum Hildesheimenſem. nunc ab hæreticis occupatur.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXXIII. Oct. XXVI.

ingenii vir obviabat: & ſecundum illud Pauli, Quamdiu gentium Apoſtolus ſum, miniſterium meum honorificabo, quoad uſque Eccleſiæ Chriſti paſtoris vice præfuit, epiſcopatus ſui jura in proprii honoris ſtatu conſervari, ſumma ſolicitudine procuravit. quod & Deo annuente, laborioſe licet, obtinuit. Sed ne ſimilis controverſia de ipſa Gandeſemenſi eccleſia valeat oboriri, omnem diſceptationis ordinem, inter Moguntienſem archiepiſcopum, & venerabilem virum dominum Bernvvardum, hic inſerere commodum duxi. Neceſſarium autem reor iſta paullo altius indagando repetere, quod tamen lectori minime debet eſſe oneroſum, quia poſteris fortaſſe in multis erit profuturum.

Exponitur controverſiæ ſtatus.

13. Territorium Gandeſemenſe, ſitum in pago Flencchi, cum adjacentibus villis ad proviſionem Hildeſemenſium epiſcoporum, ex quo primum epiſcopia per Saxoniam ſunt diſterminata, certum eſt pertinere. Quod ex hoc cunctis ſcire cupientibus liquido apparet, quia ab ipſo principio novellæ chriſtianitatis noſtræ gentis, etiam ante conſtructionem præfati monaſterii, ad curam noſtri Epiſcopii pertinebat. Temporibus namque domini [a] Altfridi, qui quartus eccleſiæ noſtræ antiſtes exſtitit, Luidolfus Saxoniæ dux cum religioſa conte&rice ſua Oda, magno ſtudio in divino cultu accenſi, conſilio antiſtitis præſcripti, Romam perrexit, ibique à domino Sergio papa magnificè ſuſcepti; cum votum illorum in divinis agnovit, datis reliquiis ſanctorum præſulum Anaſtaſii & Innocentii, cum benedictione à ſe demiſit. Ad patriam itaque Dei gratia pervenientes, conſilio domini Altfridi, cœnobium virginum Dei primo Bruneſteshuſen adunarunt: filiam quoque dominam Hathumodam duodecim annos habentem, præfato Epiſcopo in regimen intromittendam aſſignarunt, anno Dominicæ Incarnationis octingenteſimo quinquageſimo ſecundo, Rabano Moguntiæ præſidente: omnem autem proviſionem prædicti loci & congregationis domino Altfrido commiſerunt. Unde evolutis aliquot annis Karolo Rabano ſuccedente, anno ſingularis nativitatis Chriſti octingenteſimo quinquageſimo-ſexto, auſpicatus eſt ipſe quemdam locum ſuper fluvium Gande, quem à fluvio *Gandeneshem* nominavit: ibique conſentiente Duce, fabricam monaſterii majori ambitu inchoavit; Lutberto Moguntino epiſcopo exſiſtente, qui poſt Carolum ſubintravit. Locus namque pratorum, ac nemorum amœnitate aptior, tutior quoque ſilvarum denſitate ac paluſtri immunitate ad habitationem Deo militantium, viſus eſt. Defuncti itaque ſunt ante conſummatam fabricam Gandeſemenſis eccleſiæ, & dux ac domina Hathumod, ſepultique in antiqua eccleſia Bruneſteshuſen: poſitaque in regimen Gerburgis prima, ſoror domnæ Hathumod, Altfrido venerabili epiſcopo mediante, Lutberto quoque Moguntino Archiepiſcopo, qui Carolo ſucceſſit: nec multo poſt diſceſſit, biennio tantum emenſo, venerabilis dominus Altfridus. Conſedit autem cum Moguntinis Epiſcopis Rabano & Carolo & duodecim annos cum Lutberto.

Gandeneshemenſis monaſterii origo.

Series Epiſcoporum Hildeheimenſium per annos 200.

14. Conſummata quoque cum decore Hildenſemenſi eccleſia, quam ipſe à fundamentis conſtruxerat, & Dei gratia conſecrata, plenus operibus bonis deceſſit: cui ſucceſſit Marcvvardus quintus Præſul noſtræ eccleſiæ; quatuorque annos tantum ſedens trabes eccleſiæ compoſuit. Poſt hunc ſubintravit dominus Vvigbertus ſextus epiſcopus. Hic fabricam conſummavit, & eccleſiam nihilominus conſecravit. Hic omnem religionem & diſciplinam cum domina Oda & Gerburga abbatiſſa in præfato loco inchoavit & perfecit; ejus conſilio omnia diſponebant & agebant.

[a] Subſcripſit concilio Colonienſi anno DCCCLXXIII. ad eccleſiam Colonienſem dedicandam potiſſimum coacto. Ibi etiam Altfridus recitavit privilegium inſignis Parthenonis Aſſindienſis, cui poſtea ſubſcripſit.

Digitized by Google

agebant. Præerat autem domina Gerburgis congregationi viginti duos annos; poſitaque eſt in nova eccleſia juxta dominam Hathumodam, ſororem autem ejus Chriſtinam dominus Vvigbertus in regimen intromiſit, & conſecravit. Domina quoque Oda centeſimo-ſeptimo ætatis anno omnibus filiis præmiſſis deceſſit, Chriſtina tantum ſuperſtite; poſitaque eſt juxta filias ſuas. Sed & ipſa Chriſtina ſex tantum annos matri ſupervivens, felici deceſſu migravit ad Dominum. Dominus quoque Vvigbertus conſedit cum Mogontinis epiſcopis LUTBERTO, SUNDERALDO & HATTONE. Poſt hunc VVALBERTUS ſuccedens ſeptimus Epiſcopus, ROSVVITHAM venerabilem feminam, de ipſa congregatione electam, in regimen intromiſit: conſecrationes quoque in eccleſia prædicta, & ancillarum Dei velationes, & cetera ad eccleſiaſtica miniſteria fecit pertinentia. Poſt Vvalbertum SEHARDUS venerabilis vir paſtor octavus noſtræ eccleſiæ ordinatur. Hic abſque omni contradictione, quæcumque ad eccleſiaſticum miniſterium pertinebant, in præfato loco miniſtravit. Nonus poſt Sehardum THIOTHARDUS antiſtes nobis præficitur, FRIDERICO Archiepiſcopo Moguntiæ præſidente. Hic conſecravit novam eccleſiam, ubi monachæ nunc Chriſto militant, & omnia epiſcopalia in præfato loco ritè procuravit, nullo obviante. Decimus poſt Thiothardum dominus OTVVINUS præfuit. Hic dominam GERBURGAM ſecundam in regimen conſtituit & conſecravit; & omnia Epiſcopalia fideliter providit, domino VVILHELMO magni Ottonis filio in nullo ſibi adverſante: ſimiliter HATTO & ROBERTUS in nullo ſibi adverſantes amiciſſimum habuerunt. VVILLEGISUS quoque illi ſuccedens, veritus tanti viri ſenectutem & morum gravitatem, publicè illum percoluit; occultè vero paullo mordacius, quadam animi indignatione illi adbellicabat: nil tamen in regimine præfati cœnobii aſperum nec verbis, nec factis oſtendit.

15. Hæc itaque ideo propoſui, ut cuncti intelligant, quanta levitate, ac temeritate ſit violatum, quod fere per ducentos annos tot venerabilium Patrum utriuſque loci antiſtitum concordia roboratum, omni canonica auctoritate fixum, atque ratum duravit. Sed ſecundi Imperatoris OTTONIS [a] filia, fomes, ut pace omnium dicam, hujuſmodi diſſenſionis, dum à ſuo epiſcopo, domino videlicet Oſdago, ſacrum velamen accipere ſpernit, Vvillegiſum appetit; indignum æſtimans, niſi à [b] palligero conſecrari. quod ipſe libens annuit: haud conſiderans, quanta antiqua canonum ſtatuta temeraverit: nec fraterna caritate aditum quæſivit, ſed fratri & coepiſcopo diem imperavit, ut ad relationem ancillarum Dei, in feſtivitate ſancti Lucæ evangeliſtæ illi occurreret. Nactus itaque opportunum tempus dominus Oſdagus, Archiepiſcopum ſecretius, qua auctoritate id ageret, requiſivit: cui ille minaci vultu mordacius ad ſuam parochiam pertinere reſpondit, & ſtatuta die ſe ancillas Dei velaturum, omnemque epiſcopalem poteſtatem in illo loco ſe adepturum, promiſit. Cum itaque ad diem ventum eſt, reſtitit illi plena auctoritate dominus Oſdagus, præſente Rege domino tertio Ottone, cum matre Imperatrice domina Theophanu, aſſidentibus quoque epiſcopis, RHETARIO Patherbrunnenſi epiſcopo, MILONE Mindenſi epiſcopo, HILDEVVALDO Vvormacienſi epiſcopo, cum aliis principibus, qui ad ſollemnitatem velandarum Virginum convenerant. Cum ergo longa diſceptatio eſſet, dominus Oſdagus ſimplicis animi vir, divino monitu incitatus, epiſcopalem cathedram ad abſidem altaris poni præcepit, hac tuitione locum ac regimen ſibi defendens, faventibus illi fere omnibus; quia archiepiſcopi animoſitas, etſi metu illius

a Hæc eſt Sophia, quæ Gerbergæ poſtea ſucceſſit. Florebat tunc eodem in monaſterio Gandersheimenſi Roſvvita inſignis Poetria; quæ vitas trium Ottonum verſibus conſcripſit, & comœdias ſex compoſuit ad Terentii imitationem.

b Ideſt Archiepiſcopo, jam enim tunc ſolebant omnes Archiepiſcopi à ſummo Pontifice pallium accipere.

Ann. Ch. MXXIII. Oct. XXVI. Archiepiſcopus cauſa cadit.

diſſimularetur, cunctis tamen diſplicebat. Deſtitutus itaque Archiepiſcopus multitudinis favore, qui priùs ſuo juri omnia promiſit, vix domina Theophanu & Epiſcopis obtinentibus, ipſo quoque ultra quam credi poteſt ſupplicante, obtinuit ut ad principale altare myſteria ipſa die ageret; ita videlicet, ut dominæ Sophiæ velationem ſimul agerent, ceterarum vero dominus Oſdagus ſolus proſpiceret: factumque eſt inſolitum, nec ante à nobis viſum, ut duo Epiſcopi ex latere altaris pariter ſederent, pontificalibus paramentis feſtive infulati. Ventumque eſt ad ancillarum Dei conſecrationem, cum Epiſcopus qui antea à pontificali jure timebatur dejectus, ſubito Dei gratia eſt erectus. Inter Miſſarum ſollemnia primo dominum Regem ſi in velationem ſuæ ſororis conſentiret, humiliter requiſivit, deinde ceteros mundiburdos. Quibus conſenſum fatentibus, primo dominam Sophiam, ſi ad Hildenſemenſem ſedem ſibi ſuiſque ſucceſſoribus ſubjectionem & obedientiam profiteretur, interrogavit, deinde alias velandas: quæ unanimi conſenſu religionem & ſubjectionem profeſſæ ſunt, publiceque denunciatum eſt omni clero & populo, Archiepiſcopum nil juris ſibi in illa eccleſia vendicare præter conſenſum & permiſſum Hildenſemenſis epiſcopi. Omnibus quoque rite peractis, ſumma pace & concordia diſceſſum eſt; ſtetitque illa unanimitas ſub domino Oſdago, & Gerdago, & aliquot annis domini Bernvvardi, adeo ut eccleſias aliquas præſente Archiepiſcopo ibidem conſecraret. Synodum etiam magnam haberet, præſente domino Rege tertio Ottone, aſſidente nihilominus præfato Archiepiſcopo, cum tamen nil ſua auctoritate decerneret, præter quod aſſenſum æque ut alii fratres, beato Bernvvardo, qui ſynodo præſidebat, præbuit. Interfuerunt Islarius Magdeburgenſis archiepiſcopus, Ludolphus Trevirenſis archiepiſcopus, Milo Mindenſis epiſcopus, Hildevvaldus Vvormatienſis epiſcopus, Hugo Citienſis epiſcopus.

16. Non tamen rata permanſit hujuſmodi concordia: quia in medium quædam emerſerunt, quæ orientem caritatem falſitatis lolio peremerunt. Odioſum quippe eſt noſtro tempore, veritate aliquem notare, ſicut à quodam dictum eſt: Veritas odium parit. Sed ſcribentibus gravis eſt culpa, vel falſa dicere, vel vera intermittere. unde pace cunctorum liceat dicere, quod ſcelus eſt celare. Illa quippe præclara ancillarum Dei congregatio, tanto ſtudio & devotione dominorum noſtrorum, patrum patriæ, Ducum, ac Regum, per Altfridum ejuſque ſucceſſores inſtituta eſt, ut in principio omnibus imitabiles, exemplar humilitatis & caritatis florerent; Epiſcopum ſuum à Deo ſibi præpoſitum, quaſi Dei nuntium, ac patrem audirent, colerent & amarent; omnes adventantes, prout cuique perſonæ competebat, præcipua benignitate ſuſciperent. Hic illis uſus, hoc ſtudium fuit, hoc ſancto loco reverentiam, & illis apud omnes gratiam exhibebat: hoc humilitatis privilegio, cum pro cauſis eccleſiæ ad palatium citabantur, habitu non admodum nitido, vel abjecto venientes, ut veræ Dei ancillæ habebantur, ac venerabantur.

Gandeſemẽſis abbatia ſenſim deficit à regula.

17. Sed poſtquam luxus ac ſuperfluitas acceſſit, morum inſolentia ſubintravit, obedientia torpuit, repulſa eſt Epiſcoporum reverentia: quod cuique erat placitum, faciebat licitum. Addita eſt quoque ad augmentum mali, diutina infirmitas dominæ Gerburgæ ejuſdem cœnobii venerabilliмæ matris, in quam Dominus plurima virtutum inſignia contulit: diſceſſus quoque religioſarum ſororum, quæ ſub nutrimine antiquæ diſciplinæ inſtitutæ fuerant. Numeroſa autem juventus virginum fructificaverat in tyrocinio Chriſti; quæ delicatius enutritæ, metam prioris diſciplinæ ac ſeveritatis ignorantes, ut eſt humanum, poſt ſua deſideria declinabant. Sophia quoque, domina Gerburga invita multumque renitente, ad palatium

Quæ diſciplinæ labefactandæ radices.

ANN. CHR. MXXIII. OCT. XXVI.

Bernvvardus Sophiæ luxum damnat, unde ejus offenſam incurrit.

factione Vuillegiſi archiepiſcopi ſe contulit: ibique annum, vel biennium commorata, diſſolubilis vitæ tramitem incedens, varium de ſe ſparſit rumorem. quod venerabilis non ferens Bernvvardus, quippe qui illam ſemper ſummo amore & gratia percolebat, blandius illam admonitam, ad monaſterium redire perſuaſit. Cumque illa exteriori auditu vix verba illius admitteret, ſæpius eadem repetens, ad cœnobium eam repedare familiarius admonuit. Illa autem ejus acceſſum & confabulatum primo declinavit; deinde ad archiepiſcopum, velut ab illo patrocinanda confugit, amarioribus verbis ejus animum exaſperavit; pactum fœdus in ſua velatione inanibus verbis annullavit, dicens ab illo ſe velatam, non ab Hildenſemenſi epiſcopo; ad proviſionem beati Bernvvardi Epiſcopi ſe minime pertinere, ad ſuam diœceſim cœnobium Gandenſemenſe reſpicere; plures ſe inveniſſe, qui hoc veraciter teſtentur. His & ejuſmodi verbis Archiepiſcopum adverſus beatum Bernvvardum graviter commovit. Poſt hæc Gandeſem repetit, varia de ipſo Epiſcopo inter ſorores diſſeminavit, niſu quo potuit, illum loco repellere, atque abalienare parabat.

Ad monaſterium accedit, ſine honore excipitur.

18. Interea Epiſcopus cognoſcens talia circa ſe moliri, Gandeſem venit; graviter tulit ſe abalienari, nec aliquid honoris, vel caritatis ſibi, ut anteceſſoribus ſuis, exhiberi, ſed infra extraneos Epiſcopos ſe tractari; cum tamen ab anteceſſoribus ſuis ad ſanctum locum innumera bona collata ſunt: decimæ quoque ex ſua parte plures & antiquitus, & moderno tempore impenſæ; & pro his beneficiis injuriam & contumeliam recompenſari: tributa, quæ pro decimis ſolvenda eſſent, imminuta, ſæpe quoque fraude negata; obedientiam, qua nulla victima Deo gratior eſt, cum humilitate in ara cordis perſuadet immolari; patienter ſe omnia poſſe ſuſtinere; paveant tamen Chriſtum, cujus vice fungatur, in ſe offendere; nec quicquam ingerant pro meritis ſibi ſuppetere: obedientiam tamen, caritatem & reverentiam ſuis anteceſſoribus ab illorum majoribus exhibitam, non auſint ſua levitate negligere. Hæc cum paterno animo peroraſſet, majori odio, peccatis ſtimulantibus illas in ſe concitavit, Sophia utrobique, ex parte Archiepiſcopi ac congregationis perurgente. Inſtabat autem hora, qua domina Gerburgis Eccleſiam, quam conſtruxerat, conſecrari depoſcebat. Unde quia ipſa diutina infirmitate fatigata, ad obeunda tantæ feſtivitatis ſollemnia minime ſuffecerat, Sophia, domina & matre conſentiente, ſtudium tanti laboris aſſumſerat; & more ſuo proprium Epiſcopum poſtponunt & abjiciunt. Archiepiſcopus accerſitur, quo ordinante, cuncta ad dedicationem pertinentia diſponuntur. Conſecrationis diem ſtatuunt, Exaltationis videlicet ſanctæ crucis ſollemnitatem. Mittitur autem & legatus ex latere dominæ Abbatiſſæ, qui beatum Bernvvardum ad dedicationem invitet, diemque denunciet. Sed quamquam plures illum anticipatum Archiepiſcopi advocatione objicerent, leni tamen animo ſufferens, ad præſcriptum diem ſe venturum promiſit.

Lis inter Bernvvardum & Archiep. Mogontinum renovata.

19. Interea, incertum qua de cauſa, Archiepiſcopus ſtatutum mutat diem, abdicit, atque eamdem dedicationem in feſtivitatem ſancti Matthæi Apoſtoli indicit. Beato quoque Bernvvardo pari poteſtate, ut olim in velatione Sophiæ venerabili domino Oſdago, legationem dirigit, mandans ut incunctanter illi ad dedicationem in præfata feſtivitate occurrat. Ipſe vero ſuum legatum, atque ſcripta Archiepiſcopo remittit, aſtruens Imperialibus juſſis obſtrictum, ſeriis quibuſdam occupari; nec poſſe ad dedicationem, ut juſſum eſt, ipſa die illi occurrere. In exaltatione tamen ſanctæ crucis Gandeſem venit eccleſiam dedicaturus, ſicut domina Abbatiſſa à principio diſpoſuit: nil paratum reperit; immo aliquos collectos qui illi reſiſterent, & cum injuria ejicerent, ſi forte cum

Digitized by Google

Ann. Ch. MXXIII. Oct. XXVI.

ſuis eccleſiam conſecrare violenter appeteret. hanc enim famam illæ diſperſerant, cum Deo teſte nihil hujuſcemodi attentaret, vel mente conciperet. Jam enim tota mente ad Archiepiſcopum confugerant, ſe atque locum ejus tuitioni devoverant. Sophia namque illi aſſiduè cohærens & cohabitans, hæc interdiu, noctuque ambigebat. Miſſarum verò ſollemnia dominus Epiſcopus ipſa die ibidem celebravit, licet maxima congregationis indignatione; eaſdem tamen ut oblationes offerrent, benedictionemque perciperent, admonuit. Plebs quoque comperto ſui epiſcopi adventu, quaſi ad ſollemnitatem convenit, mærens, & ultra quam credi poſſit, ægrè ferens Epiſcopum inſolentia atque inobedientia loco detrudi. Quos & omnes adventantes limato ſermone conſolans, lacrymabili quæſtu publicè commemorabat, ſe ipſa die ad dedicationem eccleſiæ invitatum, nil ſibi honoris exhibitum, immo excluſum: unde conſecrationem eccleſiæ, quæ ad ſe pertineat, omnibus ſine ſuo conſenſu canonica auctoritate interdicit. Qua de re congregatio ſororum indignata, igne majoris indignationis accenditur: verum cum ad oblationem ventum eſt, oblatas incredibili furore & indignatione projiciunt, ſæva maledicta Epiſcopo ingerunt. Quo inſolito tumultu perculſus, lacrymis perfuſus antiſtes, non ſuam injuriam, quam parvi ducebat, penſans, ſed veri Paſtoris pro perſecutoribus orantis exemplo, ignorantiam ſeu potius malevolentiam furentium feminarum deplorans, ad altare rediit, Miſſam ſuo ordine, magna animi contritione peragit, deinde populum alloquitur, benedicit, & corroborat; deductuſque honorificè ab illis unde venerat, repedabat. O dignæ memoriæ virum, omnium ore celebrandum, cunctorum devotione intimè amplectendum, apud ſe quidem incredibiliter humilem, ſed apud Deum inſpectorem, ejuſque fideles, verè ſublimem! Quis eum crederet in tanto pontificalis dignitatis honore, generis nobilitate, miniſtrorum multitudine, contra irrogatas ſibi injurias patientiæ potius, quam potentiæ clypeo maluiſſe muniri? Sed vir beatus humanæ abjectionis probra non curabat, qui totus divino amori mancipatus, illius tantum oculis, quem ſingulariter diligebat, placere ſummopere geſtiebat. Hæc pro commendando magnæ humilitatis exemplo ad imitationem audientium inſerere libuit, nunc ad ordinem redeamus.

Bernvvardus eccleſiæ conſecrationem interdicit.

Mira ejus patientia.

10. Interea Archiepiſcopus & Sophia omnem apparatum ad novellæ eccleſiæ conſecrationem neceſſarium diligenter præparant, inconſulto beato Bernvvardo epiſcopo: quem tamen adjungere tentat, ſed verita Archiepiſcopum, votis ejus obviare pertimeſcit. Præterea Archiepiſcopus in vigilia ſancti Matthæi ad præfatum monaſterium venit cum epiſcopis, RETHARIO Patherbrunnenſi epiſcopo, & BERENGERO Verdenſi epiſcopo, BERNHARDO quoque Duce, cum aliis plurimis, conſecraturus ſequenti die eccleſiam; mittuntur quoque beato Bernvvardo epiſcopo, qui eum ad ſollemnitatem eccleſiæ invitent. Poſtera vero die adeſt diluculo vice domini noſtri venerabilis epiſcopus [a] EKKEHARDUS cum majoribus natu noſtræ congregationis, & aliquibus primariis de noſtro monaſterio. Cui fandi licentia data, Archiepiſcopum cum omni honore ex nomine beati Bernvvardi Epiſcopi devoto obſequio ſalutavit, dicens: Imperiali illum obſequio detentum adeſſe non poſſe; mirari tamen vehementer, in ſua parochia & eccleſia, ab anteceſſoribus ſuis abſque omni contradictione ſemper poſſeſſa, ſine ſuo conſenſu eccleſiæ conſecrationem indici. fraterna caritate deprecari, ut ab hujuſcemodi invaſione deſiſtat: nec ſe intro-

Archiepiſcopus Eccleſiam conſecrare tentat.

[a] Ekkehardus Epiſcopus ei reſiſtit.

[a] Ekkehardus epiſcopus Sleſvicenſis, qui ob bellorum tumultus ſedem dimittere coactus fuerat, unde ſe ad Bernvvardum recipiens, ei in epiſcopalibus muneribus exercendis adjutor erat. Sleſvicum adhuc perſtat, ducatus caput in regno Daniæ Ejus urbis Epiſcopus Lundenſis archiepiſcopi ſuffraganeus eſt; ſed illæ ſedes modo ab hæreticis occupantur.

Digitized by Google

mittat, niſi quantum canones concedunt: ſi ſuo juri, ſingulari privilegio quiddam ſuffragari æſtimet, ipſum non defuturum, quin communi conſilio fratrum, ubicumque delegerit, juſtitiam pleniſſimè exſequatur. Archiepiſcopus autem acerbiori indignatione inflammatus, mandat, ut primo mane ſequentis diei, quæ tunc Dominica illuceſcebat, ad conſecrationem præfatæ eccleſiæ incunctanter properaret; ſi venire tardaverit, nihilominus eccleſiam dedicaturum. Hanc autem iram & indignationem Archiepiſcopi adverſus venerandum præſulem creavit maxime præcipua familiaritas domini Imperatoris, qua illum ſpeciali devotione pietatis ceteris familiarius percoluit. Affectuoſiſſimo namque obſequio devinxit ſibi Imperatorem, quia cuncta, quæ ad gratiam illius competere ſciebat, vigilantiſſimo ſtudio obibat; & ob hoc animoſitatem & invidiam plurimorum in ſe commovebat, apprimè quoque Moguntini epiſcopi, qui indignabatur aliquem præter ſe familiaritatis locum apud Imperatorem habere. Dominica itaque irradiante, adeſt prædictus epiſcopus Ekkehardus, cum venerando fratrum noſtrorum cœtu & ſenatu, vice domini noſtri directis, qui canonica auctoritate & Patrum ſanctorum priſca conſuetudine objecta, fortiter Archiepiſcopi cœptis reſtiterunt; atque ſic conſecratio præſcripti monaſterii intercepta eſt. Ipſe vero Epiſcopus, inter Miſſarum ſollemnia facto ad populum ſermone, Synodum ſuam biduo ante ſancti Andreæ natale, cum banni approbatione denuntiat: deinde ad altare regreſſus, in cathedra ſedens, privilegia quædam ante incognita mandat recitari: in quibus continebatur, ut nemo de jure illius eccleſiæ auferret quicquam, hinc in decimis, vel prædiis, vel ulla re inveſtitura contineret: hoc quoque banno roboravit, ſicque diſceſſum eſt. Epiſcopi autem qui aderant, ægrè admodum Archiepiſcopi animoſitatem conqueſti, fratri & coepiſcopo per nos mandant, pertinacem ipſius & temerarium incœptum ſe coercere non poſſe; id unum ſuppetere, ut Apoſtolicum, Imperatoremque adeat; illius cauſam illorum eſſe communem; nec ſe defuturos, quin de eiſdem utriſque, Apoſtolico videlicet atque Imperatori, ſcriberent. Ann. Chr. MXXIII. Oct. XXVI.

21. Venerabilis itaque Bernvvardus ultra modum ſollicite ferens quantulumcumque ſchiſma in eccleſia graſſari, ſciens quoque infuſum venenum, niſi Apoſtolico & Imperiali antidoto comprimi non poſſe, quamquam gravi corporis moleſtia laſſaretur, & tantum iter imbecilli ejus corpori omnimodis eſſet contrarium, tamen ut pacem reformaret, contra vires ſuas ſubire non recuſavit. Nam jampridem ardebat miro deſiderio dominum Imperatorem, quem unice amabat, videre. Paratis itaque tanto itineri neceſſariis, per vallem Tarenti, quia ea via commodior eſt viſa, ire procuravit, habens ſecum omnium Ciſalpinorum Epiſcoporum ſcripta. Porrò anno incarnationis Domini milleſimo *, Nonas Novembris, nimio mærore totius congregationis plebiſque à monaſterio egreſſus, magna compunctione deducitur; Dei gratia comitatus ad votum rebus cedentibus, ſecundo Nonas Januarii Romam ingreſſus eſt. Quod humillimus ac piiſſimus Imperator audiens, miro affectu dilectum magiſtrum videndi flagrans, ad ſuam præſentiam tamen eum fatigare nolebat, ſed feſtinus à palatio fere duo miliaria ad ſanctum Petrum illi occurrit, benigniſſimeque ſuſceptum, inter amplexus familiariſſime deoſculatum ad hoſpitium deduxit; diuque cum illo confabulatus, ſequenti die illum ad palatium venire rogavit. Hoc præmiſit, ut quantulumcumque de ſuo proprio miniſterium ſuum impenderet, ſed per ſex ſeptimanas, quibus apud illum morabatur, ſufficienter in uſum ſui, ſuorumque cuncta indiga largiter miniſtrari præcepit. Mane vero dominum Apoſtolicum convocavit in occurſum cariſſimi hoſpitis; venientem quoque foris in atrium obviam procedentes libentiſſime ſuſceperunt; nec permiſſus eſt ad ſuum domicilium reverti, ſed jux-

Lis ad Papam & Imperatorem delata.

* al. MI.

Bernvvard. Romam petit.

Honorifice ab Imp. ſuſcipitur.

Et à Papa.

Ann. Ch. MXXIII. Oct. XXVI.

ta, ubi ipſe dominus Imperator habitabat, ſplendidiſſimum illi habitaculum exhibebat. Viciſſim quoque nunc Imperatoris cubiculo, interdum Epiſcopi conſidentes, & forenſes cauſas & Reipublicæ neceſſaria conferebant. Nam de Archiepiſcopo & tumultu Gandenſemenſi oborto, ante acceſſum domini epiſcopi fama præcurrens, cuncta divulgaverat: unde non opus habebat ſingula evolvere, ſed breviter ſtrictimque Imperatore interrogante, pauca contexuit.

Archiepiſcopus non deſiſtit.

22. Sed Archiepiſcopus, quod mente perceperat, actu perfecerat. Quidam enim maligni illum impulerunt, Sophia nihilominus inſtiterat. Venit itaque biduo ante ſancti Andreæ feſtum Gandenſem ad ſynodum, ut diſpoſuerat, habens ſecum venerabilem epiſcopum Rhetarium, alioſque complures extraneos, videlicet de Thuringis & Haſſis, quorum id nihil intererat, nonnullos etiam de ſua diœceſi, infra Saxoniam. Sed in principio actionis, venerandus præſul Ekkehardus Archiepiſcopum commonet, ut à ſynodo deſiſtat, nec in aliena eccleſia talia præſumat; præcipue cum dominus Epiſcopus, ad quem eccleſia pertineat, abſit, & cum domino Apoſtolico & Imperatore conſiſtat. Ad hæc incredibili furore Archiepiſcopus ſuccenſus, torvo vultu ac minaci jubet, ut ſileat; nil ad ſe talium pertinere, ut propriam eccleſiam habeat, illam gubernet. Contra Ekkehardus: Peccatis, inquit, agentibus termini Epiſcopatus mei barbaricâ ſunt feritate depopulati, civitas deſerta, eccleſia deſolata; ſedem non habeo, ſervum me ſanctæ Mariæ & Hildenſemenſis recognoſco, & in cunctis, quoad potero, loco ſancto prodeſſe ſtudebo. Archiepiſcopus itaque productis viris, quos adduxerat, requiſivit Epiſcopos, ſi liceat homines illos bannó ſuo ad ſacramenta conſtringere, ad cujus diœceſim illud cœnobium pertineat. Illi, quamquam metum illius veriti, aiunt legitime fieri non poſſe abſente Epiſcopo. Ekkehardus itaque præſul & fratres noſtri, populus quoque orant inſtanter ſacramenta ſuſpendi. Qua unanimitate Cleri & plebis Archiepiſcopus commotus, prædicto Epiſcopo minatur, ut ſileat, vel cum injuria foras eum eijciendum. Super hoc plures indignati, & aliquanti quos Archiepiſcopus adduxerat, cum propemodum tumultus oriretur, Ekkehardus præſul ab Epiſcopis rogatus, receſſit, cunctoſque Gandeſemenſes & omnes ad Hildenſemenſem diœceſim pertinentes ad ſuam ſynodum invitavit. Ad cujus bannum unanimiter omnes egreſſi illum ſecuti ſunt, tantummodo cum Archiepiſcopo ſuis propriis, quos adduxerat, relictis. Cum vero de diœceſi ſacramentis examinarentur, alii Ethrinam Frideſlarenſem fluvium terminum Hildenſemenſis parochiæ affirmabant; errorem faciente nomine Ædernæ fluminis, quod Gandenſem alluit; alii certum nil ſe ſcire, niſi quantum aliorum relatu didicerint approbant, nullus aliquid vel memoria dignum aſſeruit. Archiepiſcopus tamen, ac ſi veritate cuncta fixa conſtarent, banno, ne quis illi ſacramento retentum cœnobium auferret, munivit, ſicque libero errore diſceſſum eſt. Populus vero quicquid ab Hildenſemenſi ſenatu jubebatur, obedienter obivit.

Ejus geſta Romæ improbantur.

23. Interea Legatus Romam ſuper his domino Epiſcopo dirigitur; ſcripta quoque domino Apoſtolico & Imperatori lacrymoſo admodum ſtylo ferebantur. Unde tam Apoſtolicus quam Imperator, & omnes Romani graviter commoti, Canonum auctoritatem, Patrum nihilominus traditionem violatam; contemtum quoque maximum Romanæ ſedi, & Apoſtolico, Imperatori etiam tali præſumptione irrogari, periculoſum ſcandalum in Eccleſia hac inſolentia ſcientes poſſe generare, hujuſmodi virus penitus exſtirpandum decreverunt.

Synodus Romæ cogitur.

24. Per idem tempus manſit cum Imperatore unicum decus Imperii, dominus Henricus [a], tum temporis Dux potentiſſimus, in proximo

[a] S. Henricus è Bavariæ Duce Romanorum rex, tum Imperator auguſtus.

Digitized by Google

quidem Dei pietate Rex futurus, in quem Dominus theſauros divinæ humanæque ſapientiæ contulit. Hic graviter ſemper ferebat Gandenſem obortam controverſiam, atque ardenter inſtabat Eccleſiam pacificare, & ſub ſignis Chriſti militantes ad caritatem & gratiam reformare. Hujus itaque ſuaſu, cleri plebiſque coadunata eſt [a] Synodus viginti Epiſcoporum de Romania. Aliquanti etiam aderant de Italia & Tuſcia: de noſtris quoque SIGEFRIDUS Auguſtenſis, HENRICUS Vvirciburgenſis, HUGO etiam junior [b] Cicienſis, præſidente domino GERBERTO apoſtolico cum Imperatore in Palare, in eccleſia ſancti Sebaſtiani martyris, præſente nihilominus ſingularis meriti viro Henrico Duce pacatiſſimo, & Abbatibus, adſtantibus quoque presbyteris & diaconibus, omnique Romana dignitate. In fronte itaque actionis, poſt Evangelia lecta & quædam Patrum capitula, benedictione data, cum ſediſſent, facto ſilentio, venerabilis epiſcopus Bernvvardus de loco ſeſſionis ſuæ modicum progreſſus, humiliter domno Apoſtolico & Imperatori, & domino Henrico duci, omnique Synodo cauſam eccleſiæ ſuæ elimato ſermone expoſuit. Cunctis itaque queſtu ejus compunctis, ſapientiſſimus Papa interrogavit Concilium, ſi Synodus habenda vel vocanda eſſet, quam Archiepiſcopus cum ſuis quos adduxerat collegiſſet in eccleſia ab Hildenſemenſibus ſemper poſſeſſa Epiſcopis; præcipuè cum epiſcopus defuerit, & ad Romanam ſedem pro eiſdem cauſis confugerit: vel, quo nomine tale conventiculum vocitandum ſit. Sanctum Concilium ſeceſſum petit, ut ſecretius inter ſe de his inquirant. Quod piiſſimus Papa libens annuit. Egreſſique ſunt ſoli Romani epiſcopi, & poſtmodum introgreſſi, cum iterum conſediſſent, Apoſtolicus ait: Quid ſancitis, fratres, de Synodo? Sanctum Concilium reſpondit: In aliena eccleſia, & ab aliis poſſeſſa nil juris habuit; neque canonice ibi Synodum celebrare, aut aliquid conſtituere ſine conſenſu proprii Epiſcopi potuit, nec omnimodis Synodus dici poteſt. Sapientiſſimus Papa dixit: Ergo quo nomine ritè vocari poteſt? Sanctum Concilium reſpondit: Schiſma concilians diſcordias. Sapientiſſimus Papa dixit: Abjicienda ſunt, quæ ibi geſta ſunt? Concilium reſpondit: Canonica auctoritate & ſanctorum Patrum exterminanda ſunt, quæ ibi adinventa, vel ſtatuta ſunt. Apoſtolicus ad hæc inquit: Apoſtolorum poteſtate, ſanctorumque Patrum auctoritate, diſſipamus & effringimus & annulamus, quæ abſente fratre & coepiſcopo Bernvvardo Gandeſem in ſua diœceſi ab archiepiſcopo Vvillegiſo, & ſuis complicibus adinventa, & ſacramentis ſtatuta ſunt. Et adjecit: Frater & epiſcopus Bernvvardus petit ſibi reſtitui ſublatam veſtituram ab Archiepiſcopo; quid ſancitis, fratres? Sanctum Concilium reſpondit: Veſtituram, quam Archiepiſcopus non potuit auferre, non eſt neceſſe illi reddere. Sed quia hoc ipſe petendo inſtat, ſi domino Imperatori placeat, Apoſtolatus veſtri ferulâ veſtitura ei redintegretur, & corroboretur. Papa reſpondit: Fiat juxta placitum veſtri. Et tradidit illi Apoſtolicam ferulam dicens: Gandeſemenſe cœnobium cum adjacentibus villis & terminis tuo juri redintegro, & corroboro; & Apoſtolica ſanctorum Petri & Pauli auctoritate interdico, ne aliquis, niſi quantum Canones permittunt, tibi obſiſtat. His finitis, dominus Apoſtolicus quid faciendum eſſet Concilium requiſivit. Reſponſum eſt: Si utriuſque Principibus id conveniat, ſcriptis Archiepiſcopum *, quod tam audax incœptum canonibus, Patrumque regulis contrarium, vir ſummæ gravitatis attentarit; ſimul quoque, ut in poſterum à tali controverſia deſiſtat, nec aliquid ſe intromittat, niſi canonicè

Ann. Ch. MXXIII. Oct. XXVI.

Vvillegiſi acta in Synodo reſcinduntur.

* Supple monendum.

a Hujus Synodi meminit Chronicon Hildeſheimenſe ad annum MI. Ad quem etiam annum eam revocat Philippus Labbeus in Appendice Tomi IX. Conciliorum ſine ullis ejus actis.

b Sedes Epiſcopalis Cicenſis ſeu Citzenſis Neoburgum tranſlata eſt anno MXX. ſub Cadolo Pontifice.

Digitized by Google

ANN. CH. MXXIII. OCT. XXVI. Synodus in Saxonia indicitur.

emancipet. Synodum quoque Epiſcopis per Saxoniam indici, Vicarium nihilominus ex parte domini Apoſtolici deſtinari, qui Synodo præſideat, complacitum eſt. Locus Palati habendæ Synodi diſponitur; dies, undecimo Kalendas Julii denunciatur; [a] FRITHERICUS Cardinalis Presbyter ſanctæ Romanæ eccleſiæ, poſtea Ravennæ archiepiſcopus, Saxo genere, juvenis ætate, ſed ſenior morum probitate, Vicarius domini Apoſtolici eligitur atque dirigitur. Apoſtolicis paramentis, atque inſigniis non minus infulatus, quam ſi ipſe procedebat.

Otto Tiburtinam urbem obſidet.

25. Illis quippe diebus, dominus Imperator Tiburtinam civitatem arcta obſidione vallavit. Machinis autem & pleriſque inſtrumentis ad expugnationem paratis, foſſis etiam miræ magnitudinis, ut aquam à meatu deducerent, cùm magnam vim civibus ingererent, nec ad deditionem cogere poſſent, Imperator invitatur. Nec mora, adeſt cum Apoſtolico, & venerabili Bernvvardo epiſcopo. Cumque, ut in talibus fit, alii augere obſidionem ſuaderent; alii, diuturno, ac grandi labore parum ſe profeciſſe dicerent, bonum videri, tantum ut cum honore fiat, obſidionem ſolvi. Imperator beatum Bernvvardum præſulem ſeorſim abducens, quid agat, conſulit; ægrè admodum ferre ſe cum injuria cœptis deſiſtere. Ad quem ille: Non patior, ait, ſuper his vos, anima mi, quem vita cariorem habeo, commoveri. Sed nunc præcipite arctiori obſidione urbem vallari. nam, etſi reditum ad patriam deſidero, non ante à Majeſtate veſtra diverto, quam urbem populumque, veſtro juri ſubactam, Dei pietate videbo. Ad hæc Imperator lætus, dilecto gratatur magiſtro, locum arctiori obſidione munit, milites ad expugnationem inſtruit, intrandi vel exeundi licentiam omnibus Imperiali auctoritate interdicit. Aliquot diebus exactis, dominus Bernvvardus & Apoſtolicus præfatam urbem adeunt. Cives læti adventantes ſervos Dei honorifice excipiunt, urbi intromittunt; nec priùs deſiſtunt, quam omnes pacatos Imperatoris ditioni, Dei gratia adjuti, ſubdunt. Poſtera namque die, nobili triumpho ſubſequente, Epiſcopi Imperatorem adeunt: nam cuncti primarii cives prædictæ civitatis adſunt nudi, femoralibus tantum tecti, dextera gladios, læva ſcopas ad palatium prætendentes: Imperiali jure ſe ſubactos, nihil paciſci, nec ipſam quidem vitam: quos dignè judicaverit enſe feriat, vel pro miſericordia ad palum ſcopis examinari faciat; ſi muros urbis ſolo complanari votis ejus ſuppetat, promptos libenti animo cuncta exſequi, nec juſſis ejus Majeſtatis, dum vivant contradicturos. Imperator pacis mediatores, Papam & venerabilem Bernvvardum epiſcopum magnificè gratando extollit, atque ad illorum nutum reis veniam tribuit; placitoque habito, urbem non deſtrui in commune deliberant. Urbani gratia Imperatoris donantur, ut ſe pacifice agant, nec ab Imperatore deficiant, admonentur.

Romani adverſus Imperatorem rebellant.

26. Romani [b] denique indignè ferentes Tiburtinos cum Imperatore pacatos, urbis quoque ſuæ portas ſeris muniunt, vias obſtruunt, liberè intrandi vel exeundi Romam facultas negatur; vendendi, vel emendi

[a] Hic Gerberto in archiepiſcopatu Ravennenſi non ſucceſſit anno CM. XCIX. ut putat Brouverus, nam ab ipſo Gerberto jam Pontifice legatus eſt in Germaniam anno ſaltem M I. unde inter utrumque à Rubeo & Sigonio ſtatuitur Hermutus ſeu Neomutus, aliquando ſimpliciter dicitur Neo aut Leo, qui paullo poſt adeptum epiſcopatum cum in paralyſim incidiſſet, ſponte abdicavit, ut refert Petrus Damiani in Epiſtola ad Nicolaum II. papam de dimittendo Epiſcopatu; ei ſubrogatus eſt Fridericus. qui deceſſori ſuo amplas poſſeſſiones ad victum aſſignavit, ut habet Rubeus Hiſtoriæ Ravennenſis libro V. Vide infra num. 29.

[b] Hæc Romanorum defectio ſub Silveſtro II. pontificatu contigit. Factionis caput fuit Gregorius quidam, de quo Dithmarus Chronici libro IV. unde emendandus eſt Reineccius, qui in margine hanc rebellionem Gregorio papæ temere tribuit. nam ipſe Dithmarus jam de Gregorii morte dixerat, *Papa quoque Gregorius bene diſpoſitis Romæ omnibus II. Non. Febr. obiit, Gerberto ſibi mox ſuccedente. Poſt hæc, &c.* & quidem hîc Silveſter ſeu Gerbertus papa cum Bernvvardo conciliator fuit pacis ab Imperatore pro Tiburtinis obtinendæ. unde hæc factio Tiburtinorum diſtinguenda neceſſario eſt ab ea, quæ anno CM. XCVII. contigiſſe dicitur à Sigonio, & anno præcedenti à Baronio, quæque S. Romualdi interventu ſopita fuit.

mercimonium

Digitized by Google

Ann. Ch. MXXIII. Nov. XX.

mercimonium interdicitur; nonnulli quoque Regis amicorum injuſtè perimuntur. Palatini autem à beato Bernvvardo epiſcopo ſalutaribus monitis inſtructi, confeſſione nihilominus purgati, ſacro etiam viatico inter Miſſarum ſollemnia muniti, contra egredi, & hoſtes impetere conantur. Bernvvardus epiſcopus Dominicam haſtam [a] ſubiit; ſe quoque atque omnes vivificæ crucis munimine ſignat, benedictione publicè data, ac vitalibus monitis conſolans & corroborans, ſignifer ipſe cum ſancta haſta in prima fronte aciei egredi parat. Sequenti autem mane Imperator cum ſuis poſt Miſſarum ſollemnia, à venerabili Bernvvardo ſacramentis cæleſtibus, ac divinis exhortationibus conſolati, adverſus hoſtes certamen inſtruunt, ipſo antiſtite cum ſancta haſta terribiliter fulminante, cordis verò inſtantia pacem ab auctore pacis ſuppliciter flagitante. Unde contigit devoti militis ſui precibus exoratam pacifici Regis Chriſti mox adeſſe præſentiam, cujus & in nativitatis ortu primum pacis gaudia nuntiantur, & poſtmodum ejuſdem pacis amatores, Evangelica veritate, filiorum Dei appellatione cenſentur. Ipſius itaque pietate, totius diſcordiæ rebellione ſopita, hoſtes pacem poſcunt, arma projiciunt; in craſtinum ſe ad palatium venturos promittunt. Mane, Dei clementia, adſunt; pacem petunt, ſacramenta innovant, fidem ſe Imperatori perpetuo ſervaturos promittunt. Interim piiſſimus Imperator, turrim quamdam aſſcendens, ad illos concionabatur, dicens: Auſcultate verba patris veſtri & attendite, & ea mente diligenter reponite. Voſne eſtis mei Romani? propter vos quidem meam patriam, propinquoſque reliqui amore veſtro; meos Saxones, & cunctos Theotiſcos, ſanguinem meum projeci; vos in remotas partes imperii veſtri adduxi, quo patres veſtri cum orbem ditione premerent, numquam pedem poſuerunt; ſcilicet ut nomen veſtrum & gloriam ad fines uſque terræ dilatarem. Vos filios adoptavi, vos cunctis prætuli. Cauſa veſtri, dum vos omnibus præpoſui, univerſorum in me invidiam commovi; & nunc pro omnibus his, patrem veſtrum abjeciſtis, familiares meos crudeli morte intereміſtis, me excluſiſtis, cum tamen excludere non poteſtis: quia, quos paterno animo complector, numquam ab affectu meo exſulare patior. Scio equidem, & nutu oculorum ſeditionis principes aſſigno; nec verentur, dum publice omnium oculis notantur, nihilominus etiam fidiſſimos meos, de quorum innocentia triumpho, ſceleratorum admixtione commaculare; nec poſſe diſtingui monſtro ſimile arbitror. Hac oratione Imperatoris, ad fletus uſque compuncti, ſatisfactionem promittunt; duos corripiunt, Benilonem, & alium quemdam, quos crudeliter cæſos, nudos pedibus per gradus tractos, ſemivivos in præfata turri ante Imperatorem projiciunt. Hac autem ſeditione ſedata, venerabilis pater Bernvvardus ad ſanctum Paulum orationis cauſa acceſſit; apertoque ſarcophago ſancti Timothei, de quo in vita ſancti Silveſtri legitur, adſtante cuſtode, quem ipſe Imperator ibi poſuerat, de integro brachium ſancti Martyris abſtulit. Preſbyter quoque ejus non minimam partem de eiſdem reliquiis ſecum aſportavit.

Oratio Ottonis ad Romanos.

27. Egreſſi itaque Papa & Imperator Dominica *Exſurge*, immenſis lacrymis civium, non longè ab urbe caſtra ponunt. Beatus quoque Bernvvardus epiſcopus, jampridem antequam urbe excederent, accepta licentia ad patriam redeundi, præmiſſis omnibus ſuis, ſimplici tantum veſte, Imperatorem ad duas manſiones comitatus, quinta feria ejuſdem ab eo dimiſſus eſt. Dici non poteſt quanto mærore, quantis utrorumque lacrymis fu-

Bernvvardus reliquiis ditatus Roma egreditur.

[a] Hæc eſt celebris lancea ſacra, quæ in expeditionibus Imperatorum deferri ſolebat, uti olim Labarum priſcorum imperatorum, ex quo Conſtantinus Chriſto crediderat. De ejus lanceæ origine varii varia, ſed parum certa ſcribunt. Ex hoc loco, ſicut & ex aliis quos laudat Gretſerus, inferri poteſt hujus lanceæ deferendæ honorem epiſcopis conceſſum fuiſſe.

Digitized by Google

ANN. CH. MXXIII. NOV. XX.

ſis, ut in publicum procedere vererentur. Mitiſſimus Imperator, quæ ſtylo, vel legatario intimare dubitaverat, fido Magiſtro in arcanum mentis ſecretarium ſapienti trutina libranda commendat. Reliquias nihilominus, integrum videlicet corpus ſancti Exſuperantii martyris, diaconi ſancti Sabini epiſcopi, Goſlariæ per illum direxit, ibidem ſua induſtria in celebri loco reponendas. Epiſcopus quoque mellito affamine, magiſteriali moderamine, ut quondam puero alludebat, agenda quæque commemorabat. Fugienda ſuadebat vitia, mores omnium æquitatis lance penſare, patientiam familiariſſimam in cunctis vernaculam ſibi conciliare, ante omnia, ne quid nimium pertinaciter intentet. His geſtis, unanimem magiſtrum in hoſpitium ducens, exquiſitis donis remunerat; deinde Apoſtolico convocato, benedictione data, cariſſimum magiſtrum inter oſcula flentes Dei gratia in pace dimittunt. Socios quoque viæ ex ſuis Imperator cum illo dirigit, qui eum deducant, & ad ſe remeantes ipſius ſalutem, atque itineris proſperitatem exponant. Rebus itaque Dei clementia ad votum cedentibus, Papiam devenit; ubi ejus adventum Præſules, ac Comites totius Liguriæ exſpectabant. Quibus legationem Imperatoris dedit, atque in placito conſidens plura cum illis de Reipublicæ utilitatibus contulit. Illius namque conſilio cuncti parebant; quia quantum ab Imperatore diligeretur ſciebant. Leo quippe Vercellenſis epiſcopus, vir litteris eruditus, fandi quoque copia exercitatus, ad ſuam civitatem maximo cum honore & affectu invitavit; vix quoque obtinuit: prævenienſque, collecto maximo Cleri populique cœtu, in laude Dei cunctis pſallentibus, campanis etiam perſonantibus, non minori ambitu quam ſi Papa adveniret excepto, omniaque in miniſterio ejus opulentiſſimo luxu, quantum imperatum eſt, impendit, donis quoque eximiis honoravit: ſocios etiam cum illo miſit, qui ſequenti die hoſpitium plenis copiis providebant. Inde per diverſa loca, & civitates veniens, plurimorum benignitate in multis locis uſus, [a] Cluſas excedens, Alpibus Dei miſericordia ſuperatis Octodorum prætergreſſus Agaunum abiit; ibique à RODULFO Rege Burgundiæ liberaliſſime excipitur; qui tradidit Epiſcopo in proprietatem infra Papiam cum manuſcripto tres curtiles, & ſua ſubſcriptione anulique impreſſione roboravit. Inde Dei gratia munitus, divertens proſpero, Deo auxiliante, itinere, Hildenſem cum maximo Cleri plebiſque tripudio, in ſancta feſtivitate heroicæ Cœnæ intravit. Reliquias quoque ſanctorum, quas advexit, magno honore in eccleſia condidit; immenſamque pecuniam in altaris ſervitium atque in uſus pauperum expendit. Totum æſtivum tempus in exſtructione murorum civitatis, quam Hildenſem inchoaverat, inſtitit, interdum etiam gravi ſtomachi moleſtia laboravit.

A Rodulfo rege Burgundiæ muneribus donatur.

Fridericus Cardinalis advenit, intereſt Synodo Palithi.

28. Interea affuit ab Apoſtolico & Imperatore vice Papæ directus Cardinalis preſbyter Fridericus, omnibus inſigniis Apoſtolicis, ac ſi Papa procedat, infulatus, equis Apoſtolica ſella Romano more oſtro inſtratis. Scripta quoque à Papa & Imperatore, Epiſcopis & ceteris Principibus mittuntur, ut Romanum Legatum digno honore ſuſcipiant, ejuſque legationi indubitanter omnes, quaſi Apoſtolicus præſens cernatur, obediant. Convenerunt itaque Palithi ad ſynodum decimo Kalendas Julii, juxta decretum Apoſtolici præſcriptum. Legatum vero, vario affectu excipiunt. Archiepiſcopus autem, & qui ei favebant, mira indignatione & exſecratione illum ſpernebant; Epiſcopus vero Bernvvardus, & LIEVEZO Hammenburgenſis Archipræſul, aliique quamplures reverenter eum tractabant, præcipuoque honore colebant. Sed poſtquam ad concilium ventum eſt, vix dici poterit, quanta ſeditione & tumultu agitetur. Nam nec locus ſeſ-

[a] Id eſt anguſtias Alpium, quæ à variis auctoribus *Cluſa* vocantur. vide eruditiſſimum Cangium in Gloſſario.

Digitized by Google

ſionis Vicario Apoſtolici idoneus conceditur; horribilis ſtrepitus ingeminatur, jus faſque contemnitur, canonica diſciplina annullatur. Vicarius inter Epiſcopos Lievezonem & Bernvvardum ſedens, Apoſtolici ſcripta & legationem ad Epiſcopos ſe habere, facultatem exſequendi quæ ferat ſibi exhiberi orabat. Imperato denique ſilentio, primo dulci affamine Epiſcopos de pace & caritate & concordia commonet; deinde Epiſtolam Papæ Archiepiſcopo ſpecialiter directam profert, publiceque in auribus omnium recitari precatur. quam cum Archiepiſcopus tangere vel videre dedignaretur, Epiſcoporum judicio palam eſt recitata, in qua ipſe Epiſcopus aperte corripitur, & de fraterna concordia & obedientia admonetur. Vicarius autem, quamvis Archiepiſcopum irritare magno ſtudio parceret, tamen miti affatu, quæcumque illi objiciebantur, obedienter fratrum conſultu ſatisfacere, Apoſtolica auctoritate commonet. Super his, etſi indignatus, conſilium à fratribus, & præcipuè ab Archiepiſcopo Lievezone quærit. Ad hæc ille: Bonum ſibi, quia læſus frater dominorum noſtrorum Apoſtolici & Imperatoris ſuffragia petiit, coram Vicario illorum Epiſcoporum judicio ſatisfaciat. Januæ interim Eccleſiæ panduntur, laïci intromittuntur: fit ſtrepitus, tumultuſque validus, Moguntinis exſultantibus, arma expoſcunt, immenſas minas ingerunt adverſus Apoſtolici Vicarium & beatum Bernvvardum epiſcopum. Legatus autem & præfatus Epiſcopus, nec tumultu moti, nec minis territi, licet numeroſiores haberent militum copias, non arma fremunt, ſed ſeditionem compeſcunt. Epiſcopi autem negotium in poſterum diem protelandum ſuggerunt; in fidem ſuam ſuſcipiunt Archiepiſcopum adventurum, juſtitiamque obedienter exſequuturum. Interea Archiepiſcopus nimio furore ſuccenſus egreditur, quem infra coronam fratrum Vicarius inſequitur, & banno Apoſtolicæ auctoritatis ad ſynodum in eamdem eccleſiam ſequenti diluculo invitat. ſicque illa actio ſoluta eſt. Matutino itaque crepuſculo clam Archiepiſcopus, omnibus ignorantibus, cum ſuis abſceſſit. Vicarius autem ſecundam actionem Synodi ſequenti die adorſus, in principio actionis Archiepiſcopum inquirit: quem, quia non aderat, ab omni Epiſcopali miniſterio uſque ad præſentiam Papæ ſuſpendit; cunctis vero epiſcopis ſynodum in natali Domini ad præſentiam Papæ, Apoſtolica auctoritate indicit: Archiepiſcopo nihilominus ſcripta in hunc modum dirigit. Quia ſynodo te ſubtraxiſti, & juſſis Romani Pontificis inobediens fuiſti, auctoritate ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli & illorum Vicarii papæ Silveſtri, ab omni Sacerdotale officio ſcias te uſque ad præſentiam illius ſuſpenſum. Sic ſecunda actio terminata eſt.

Ann. Chr. MXXIII. Nov. xx.

Archiepiſcopus Moguntinus è ſynodo egreditur.

Tum ex ipſa urbe.

29. Vicarius autem cum beato Bernvvardo aliquantum moratus, præcipuis muneribus ipſe & omnes ſui remunerati, in pace dimiſſus eſt: perveniensque ad Apoſtolicum & Imperatorem, legationis ordinem aperuit. Super quo graviter indignati, jubent univerſos Theotiſcos Epiſcopos circa natale Domini ad illorum præſentiam feſtinare, non ſolum ad ſynodum, ſed cum omni ſuo vaſatico ita conſtructos, ut ad bellum quocumque Imperator præcipiat, poſſent procedere. Præfatus quoque Fridericus non multo poſt epiſcopalem cathedram Ravennæ obtinuit. Propterea beatus Bernvvardus ſperans Dei gratia, & utrorumque Principum clementia, ſumma pace ſe converſaturum, abbatiam Hildevvardeshuſenſis eccleſiæ ſibi ab Imperatore traditam, & ſollemni ab ipſo dedicatione devotiſſime conſecratam, & divino ſervitio exultam, pluribuſque beneficiis ac donis ab eo ditatam, ubi etiam ſua matertera matris regimen agebat, in præcipua feſtivitate illarum adire diſponebat, præmiſſo omni apparatu ad tantam ſollemnitatem confluentibus neceſſario. Cùm jam omnia parata eſſent, ipſeque in proximo futurus, ſupervenientes nocturno tempore homines Archiepiſcopi, cuncta invadentes diſſipaverunt, aliquantos vero domeſticos

Altera ſynodus indicitur.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXXIII. Nov. xx. Epiſcopi crudeliter cæſos dimiſerunt. Hac injuria exacta, venerabilis Præſul Gandeſemenſe cœnobium adire, & quæque emendanda eſſent corrigere diſponebat, ne quid ſua culpa eſſet neglectum. Cui obſtitit immenſa multitudo, non minus armis inſtructa, quam ſi ad publicum bellum cogerentur. Hos conſcivit Sophia, cunctos videlicet quos de vaſatico Archiepiſcopi, vel familia illius convocare poterat, omnes ſuos notos & familiares, manum validam, turres, & munitiora loca circa eccleſiam armato complent milite; & contra unum hominem, ſuum videlicet Epiſcopum, inermem, & benedictionem illis portantem, ita caſtellum muniunt, quaſi barbarico procinctu ſe defendere parent, ut veraciter illud Apoſtoli impletum in illo videatur: *Omnes qui volunt pie vivere in Chriſto, perſecutionem patientur.*

Tumultus agente Sophia exoritur.

2. Tim. 3. 12.

30. His ſanctus Præſul auditis, ſuos quid agat, conſulit. Cuncti periculo cedendum ſtatuunt, dirigunt quoque qui veritatem diligenter inveſtigent; qui omnia quæ ſparſerant vera, & his majora annunciant. His hoc modo geſtis, Epiſcopi hujuſmodi controverſiam in Eccleſia graſſari cernentes, ſuper quam tanti viri, tam inauditis & intolerabilibus injuriis nimium dolentes, conventum Franconovord poſt aſſumtionem beatæ Mariæ expetunt. Invitantur etiam Archiepiſcopi, Colonienſis & Trevirenſis. Ventum eſt ad diem Concilii, præſidentibus Archiepiſcopis Vvillegiso Moguntienſi, Heriberto Colonienſi, Ludolpho Trevirenſi, cum aliis ſervis Dei Rethario Patherbrunnenſi, Rotberto Spirenſi, Beringero Verdenſi, Ekkehardo Sleſvvicenſi. Sed, quia Ekkehardus Hildenſem hoſpitabatur, barbarico tumultu ſua civitate & eccleſia depopulata, beatus Bernvvardus epiſcopus moleſtia corporis impeditus, ad conventum vice ſua illum direxit, addens illi Notarium Tangmarum Preſbyterum & monaſterii decanum, qui ſuccenturiatus adeſſet, ſi quid forte adverſi ex parte Archiepiſcopi emerſiſſet. In principio itaque primæ actionis Archiepiſcopus mitiori relatu fratribus abſentiam domini Bernvvardi conqueritur, juſtitiam fraterno judicio, ſi adeſſet, ſe illi facturum aſſerit. E contra, non temeritate vel inobedientia deeſſe refellitur, ſed gravi corporis moleſtia impeditum; quæcumque ſacer conventus, divino * ſtatu illuſtratus deliberet, ſtatuat, vel imperet, obedienter ſe obſequuturum ac ſervaturum. Sic quoque mutua benedictione data, ipſa die actio finita eſt. Sequenti die Archiepiſcopus, quibus impellentibus incertum, mordacior ad ſeſſionem progreditur. Aliqui namque & quidam de Epiſcopis favore illius adducti, beatum Bernvvardum epiſcopum publicè in Synodo requirendum ſuadent. Tangmarus autem preſbyter Epiſcopos commonet, ut Archiepiſcopum pertinaci animoſitate compeſcant. Denique Dei pietate mitior Archipræſul efficitur, inſtantibus tamen cunctis, ut veſtituram Gandeſemenſis cœnobii beatus Bernvvardus poſſideret; nullo modo Epiſcopus conſenſit, ſed ut neuter illorum, donec ad octavas Pentecoſtes Fridiſlare ad palatium conveniant, ſe intromittat. Sicque Concilium Dei gratia ſolutum eſt.

Indicitur ſynodus apud Francofurtum.

* f. flatu.

Lis ſuſpenditur.

31. Beatus perinde Bernvvardus gemina gratia Italiam ardebat adire, præcepto videlicet Apoſtolici ſatisfacere, & cariſſimum dominum Regem videre, quem vita pretioſiorem colebat. Direxit autem Tangmarum preſbyterum vice ſua, qui & priori anno comes itineris, & peregrinationis ejus apud Imperatorem fuerat, qui à primæva ætate ſeu juventute uſque ad canitiem ſcholari ſtudio intentus, nutriendis pueris operam dabat. Hic ad præſentiam Papæ & Imperatoris cum epiſtolis ac mandatitiis miſſus, plurimorum benevolentia per viam gratia domini ſui uſus, Imperatorem in Spoletanis partibus reperit, à quo merito domini Epiſcopi benigniſſimè ſuſceptus, Apoſtolici adventum præſtolabatur. Quibus con-

S. Bernvvardus Tangmarum in Italiam vice ſua mittit.

Digitized by Google

venientibus, legationem & ſcripta tradidit, Imperatore clementer apud Apoſtolicum Epiſcopi cauſam proſequente. Deinde jubetur Synodum exſpectare, quæ apud Tudertinam civitatem in natali Domini futura erat, bonis omnibus ex parte utriuſque Principis opulentiſſimè ſuſtentatus. Eodem tempore quibuſdam Imperialibus obtinentibus, frater beati præſulis Bernvvardi TAMMO Comes Imperatori gratus, vir certè omnium morum probitate præclarus, ad Regis imperium de Sommerſchenburg paternum munitum valde caſtellum inſedit; cujus ſolertia atque induſtria in illis locis & vicis bene tuebatur Reſpublica.

ANN. CH. MXXIII. NOV. XX.

Comes Tammo frater ſancti Bernvvardi.

32. Anno ſingularis nativitatis Domini noſtri Jeſu-Chriſti [a] milleſimo-ſecundo, Indictione decima-quinta, Apoſtolicus cum Imperatore Tudertino natale Domini celebravit. Ubi in feſto ſancti Johannis Evangeliſtæ concilium coadunatur Epiſcoporum per Romaniam, & aliquorum de Tuſcia & Italia. De noſtris quoque conſederunt, ROTGERUS Leodienſis, SIGIFRIDUS Auguſtenſis, HUGO Citienſis. Inter Miſſarum ſollemnia itaque conſidentibus ad triginta Patribus, præſidentibus quoque dominis ac principibus urbis, Papa, atque Imperatore. Poſt Evangelium, recitatis ex decretis ſanctorum Patrum aliquibus capitulis, ad præſentiam Synodi per oblationarium legatus venerabilis Bernvvardi Epiſcopi ſtatutus eſt. Ad quem Apoſtolicus ait: Dic, qua cauſa ad noſtram præſentiam veneris, vel quid ad Synodum habeas? Mox legatus, toto corpore ad terram proſtratus, & erectus faventium manibus, pedibus utriuſque principibus provolvitur; conſurgenſque, ſic ait. Dominus meus Apoſtolatus veſtri auctoritatem, Imperialem quoque Majeſtatem magnificè gratatus eſt, pro cunctis in quibus pro ſua Eccleſia clementer laboraſtis. Quid autem legatus veſter profecerit, aut quid in ſua legatione occurrerit, ipſe, quia præſens eſt, melius exponet. Poſt diſceſſum autem illius, Epiſcopi dolentes litem & controverſiam diutius bacchari, conventum Franconovorti ſtatuunt: ad quem cùm venerabilis Præſul noſter venire non poſſet, gravi corporis infirmitate impeditus, vice ſua me direxit. Tandem in communi reverendi Patres decreverunt, ut neque Archiepiſcopus, nec ſenior noſter de Gandeſemenſi cœnobio ſe intromittant, uſque poſt octavas Pentecoſtes; & tunc Frideſlare ad Synodum pro hac cauſa conveniant. Et quia hic ad Apoſtolatus veſtri ſedem delata...* veſtris ſcriptis multotiens eſt annullata, veſtrum expetit judicium, ut veſtra auctoritas jubeat, in quo foro, vel ſub quibus judicibus, cauſam terminare debeat. Ad præſentiam nihilominus hujus ſanctiſſimi conventus, gratia ſancti Spiritus hic per vos aggregati, parvitatem meam deſtinavit, ut omnis ſenatus Apoſtolicæ Eccleſiæ publice cognoſcat, illum devotiſſimo affectu domino Apoſtolico & Romanæ ſedi obedire & conſentire, & veſtro judicio adinventa, vel decreta poſcere, & pro poſſe perpetuo ſervare. Ad hæc dominus Apoſtolicus obedientiam beati Antiſtitis, & devotionem ac ſtudium magnificè collaudavit. Proſequitur quoque venerabilis Ravennatis eccleſiæ metropolitanus Fridericus, & qui Palithi, atque in tota legatione ſua illi occurrerint, contexuit. Archiepiſcopi inobedientiam, injuriam, contemtum etiam Romanæ ſedis; & è contra beati Bernvvardi benignitatem, caritatem exponit; & quod ab illo præcipuo honore ſit habitus, & affluentia omnium bonorum opulentiſſimè refectus. Ad hæc animoſitas Archiepiſcopi palam ab omnibus Romanis epiſcopis improbata, temeritas præſumtionis illius carpitur. In commune tamen

[a] Concilium Tudertinum.

* cauſa.

Fridericus legationis ſuæ fructum exponit.

[a] Incipit hoc loco annus MII. à Nativitate Domini. nam Otto III. qui hîc anno MII. dicitur Natale Domini apud Tudertum celebraſſe, obiit hoc ipſo anno X. Kalendas Februarii, ut habetur num. 33 ſequenti. Si autem hic auctor annum à Kalendis Januarii inchoaſſet, Otto nonniſi anno MIII. dicendus eſſet obiiſſe. quod quidem eſt contra omnium ſcriptorum fidem.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXXIII. Nov. XX. cuncti deliberant, Colonienſem archipræſulem, ceteroſque Epiſcopos, qui proximè venturi erant, exſpectandos. Mittuntur etiam nuntii, qui in Epiphania Domini, ad præſentiam utriuſque Principis illos venire jubeant. Sed cùm minimè venirent, exſpectantur ad tres inducias. Cùm autem nullo modo fieri poſſet, ut convenirent; presbyter Tangmarus ut abſolveretur omni niſu inſtitit. Tertio itaque Idus Januarii Imperator dimiſit à ſe legatum cari ſui magiſtri ſæpe dictum presbyterum, largiſſimè remuneratum. Epiſcopo quippe munera præcipua direxit; inter alia onychinum vas magni pretii, ſpecies quoque medicinales diverſas, pigmenta etiam diverſa.

Ottonis 3. obitus. 33. Jam verò imminebat miſerabilis dies obitus videlicet mitiſſimi Imperatoris; confeſſus namque eſt prædicto magiſtro, cùm ab illo interrogaretur, leviter ſe febricitare. Ingraveſcente ergo quotidie morbo, adſtantibus Epiſcopis, communitus Sacramento corporis & ſanguinis Domini, inter verba puræ confeſſionis, decimo Calendas Februarii, mitiſſimus ac humillimus Imperator, cum ingenti dolore omnium bonorum, ſpiritum
a efflavit [a]. Quis valet ſtilo exprimere, fando diſſerere irremediabilem dolorem undique ad exſequias confluentium? Funera itaque Teutonum legio
** Aquiſgranum.* præparatis cunctis ad iter indiguis, corpus mitiſſimi Domini * Aquis portabant; ſuſceptumque eſt ſancto die Palmarum feſtivo obſequio totius regni, cunctiſque principibus, præcipuo affectu ad exſequias famulantibus, ſepultuſque eſt in medio choro.

Bruno Princeps S. Bernvvardum ab Henrici amicitia retrahere conatur. 34. Interea vota principum in diverſa rapiuntur, pleriſque regni faſtigium ſine reſpectu timoris Dei uſurpare nitentibus. Unde Princeps quidam [b], BRUNO nomine, ſciens venerabilem Bernvvardum epiſcopum domino Henrico duci reverentiſſimo eſſe fidiſſimum, timens, ne cœptis ejus adverſaretur, ſi quid inciperet, quoſcumque in exitium illius, vel in
b damnum Hildenſemenſis eccleſiæ armare poterat, pro viribus inſtitit: hinc prædis & rapinis paſſim bacchatus in loca & homines Epiſcopi. Sed ille more ſuo nuſquam de fide deſciverat, quamvis multis ſæpe laceſſitus injuriis. More autem ſapientiſſimi architecti, prudentiſſimus Præſul fundamina novi regni precum initiis inchoavit. Omnes namque fratrum & ſororum catervas, quæ divinis ſceptris ſub ejus vexillis militabant, intenta ſupplicatione, intenta rerum neceſſitate, advigilare monebat. Ipſe quoque, quod tamen cunctos celabat, arcta Domini clementiam abſtinentiâ exorabat. Unde fit mirabilis Dei miſericordia in electum adunatio, ut popularium vota primorum prævenirent ſtudia. Nam ſicubi publici conventus cogebantur, vox una vulgarium, dominum Henricum debere imperare, ipſum, non alium quemlibet, rebus debere præeſſe. Omnibus ergo pari voto in electione illius concordantibus, Vvilligiſus Ar-
S. Henricus Ottoni ſubſtituitur. chiepiſcopus, & beatus Bernvvardus, cum ceteris regni Principibus, dominum Henricum Mogontiam cum ſummo honore ducentes, Dominica octava Pentecoſtes regimen & regiam poteſtatem, cum Dominica haſta illi tradiderunt, ac deinde omnibus ritè peractis, cum maximo tripudio univerſorum, ſollemniter eum Dei gratia unxerunt.

Sophia à Wllegiſo benedicitur. 35. Novus autem Rex Paderbrunni, ſancti Laurentii natale celebravit, ibique domna CUNIGUNDA regalem coronam & benedictionem à Vvillegiſo Archiepiſcopo accepit. Sophia verò ad Gandeſemenſe cœnobium electa, more ſuo velut in ſacro velamine, proprium repudiata eſt

a Lege ea de xe Dithmari Chronicon libro 4.

b Iſte Bruno non alius eſt, ut puto, à Brunone fratre S. Henrici Imperatoris, qui poſt defectionem à fratre, ipſi reconciliatus eſt apud Scangam anno M V. Vide Dithmarum in Chronici libro V. De Brunone etiam qui alius videtur fuiſſe, hæc in fine libri 7. ſic habet. *Bernhardus ſanctæ Hillineſſemenſis eccleſiæ venerabilis paſtor in tantum à Brunone eſt exoſus Comite, ut militem ſuum, Simri nomine, videret crine & tergo depravatum, poſtque eumdem ſecum iterantem ab Altmanno juvene interfectum jacere,*

Epiſcopum; ita nunc quoque dedignata à ſuo paſtore & Patre regiminis & conſecrationem percipere, tumore faſtuque vanitatis à palligero benedici, obtentu Regis & Principum, expetiit; beatus autem Bernvvardus non valens reſiſtere, annuit. ANN. CH. MXXIII. NOV. XX.

36. Anno incarnationis Domini milleſimo tertio Rex orationis cauſa epiſcopia & abbatias, ſancta videlicet loca circuiens, ubi ſervi Dei, vel ancillæ religioſius in divino ſervitio excubabant, ut ſe, regnumque divinitus ſibi collatum, illorum precibus tueretur, Hildenenſem adire magnifice deſiderabat. Sed, quia nullus Regum ante illum religione loci id aggredi tentabat, beatum Bernvvardum convenit; qua ratione ſanctum locum viſitare audeat conſulit. Licentia quoque ab illo accepta, ante ſanctum diem Palmarum præfatam eccleſiam adiit; ſuſceptuſque eſt ſollemni honore. Ipſe quoque in altaris ac fratrum miniſterium præcipuam pecuniam largitus, locum ditare & honorare promiſit, atque ex magna parte perfecit. S. Henricus eccleſias viſitat.

37. Tertio poſt hoc anno, occidentalibus Gallis Rempublicam infeſtantibus, idem Imperator expeditionem adverſum illos movit; cujus arma beatus Pontifex, juxta præceptum Domini, quæ Dei erant Deo, quæ Cæſaris Cæſari fideliter reſtituens, cum immenſa manu militum, vigilantiſſimo obſequio ad gratiam militabat. Expeditione vero ſoluta, quod prius voto decreverat, ad ſanctum Martinum tetendit, non tamen abſque regali licentia, fraternaque Epiſcoporum munificentia. Suos itaque omnes iter quod diſpoſuerat, diligentiſſime celabat, quia illorum lacrymas, ne poſſet ſufferre, timebat. Regi tamen commendatus, non multis comitatus iter aggreſſus eſt. Pariſiis apud ſanctum Dionyſium aliquot dies conſiſtens, loca ſancta luſtrando, animi magna contritione totum ſe Domino mactavit. Inde Turonis tendens, magna ſedulitate ROTBERTI regis in via uſus eſt, ibi etiam ſeptimana converſatus, coram pio patrono, ſua ſuorumque commiſſa quotidianis ubertim lacrymis deflet. Honoratus denique à Rege & Epiſcopis pretioſiſſimis beati Martini de ſacro corpore reliquiis (nam maximum æſtimabatur, ſi cui aliquantula particula de caſula, ſive de ceteris paramentis ſancti Confeſſoris poſſet contingere) ipſe cæleſti theſauro remuneratus, & aliorum plurimorum ſanctorum cum benedictione omnium inde digreſſus, Pariſios perveniens, aliquot dies conſueto exercitio precum intentus, nihilominus etiam à præfato Principe & Epiſcopis pretioſiſſimi martyris Dionyſii ſociorumque ejus ſacro-ſanctis pignoribus perceptis, cum benedictione & gratia ab illis digreſſus, felici curſu ad patriam repedabat. Et quamquam poſt tanti itineris difficillimum laborem, celerem reditum vota omnium præoptarent, vicit tamen affectus, quo ſemper dominis obſequebatur, & benigniſſimum Regem Aquis poſitum adiit: à quo affectuoſe ſuſcipitur, quia jamdiu ægrè illum videre cupiebat. Nam Bavenberch regali loco, qui ſibi hereditario jure à majoribus ſuis competebat, epiſcopalem ſedem noviter cupiebat inſtituere. unde Synodum omnium Epiſcoporum in Franconovord adunavit, ut ſcripta [a] Romani Pontificis ſuper hoc & decreta communi judicio comprobarent, cui taxationi inſignem Dei ſervum & antiſtitem Bernvvardum primo regalis majeſtas, tum epiſcopalis dignitas intereſſe magnis precibus poſtulabant. Nec abnuit; quin promptiſſima obedientia Regem honoravit. Reverſus vero Hildenenſem, delatas ſanctorum reliquias veneratione condigna ſervandas locavit, ſemetipſum in ſanctimonia ſolita ſollicitius exercuit,

Expeditio ejus in Galliam.

S. Bernvvardus loca ſacra Galliæ viſitat.

S. Martini, &c. reliquiis donatur.

Henricum inviſit.

[a] Adfuit huic Concilio, ac Privilegio Johannis XVII. Papæ ſubſcripſit Bernvvardus anno MVII. vide tomum IX. Conciliorum editionis Labbeanæ. Dithmarus tamen, & poſt ipſum Baronius, hanc Synodum anno MVI. conſignant.

Digitized by Google

ANN. CHR. MXXIII. NOV. XX.

epiſcopatus ſui terminos antiquitus præfixos labore nimio, & ſollicitudine cuſtodivit.

Hildeneshemenſis eccleſiæ & monaſterii incendium.

38. Illis diebus miſerabilis, cunctiſque ſanctæ matris Eccleſiæ filiis perpetuò lacrymabilis luctus, peccatis noſtris exigentibus, exortus eſt: ita ut duodecimo Kalendas Februarii nobile monaſterium ſanctæ Hildenenſemenſis eccleſiæ, diabolicæ fraudis faculis, noſtrorumque criminum flammis pæne incendio perditum eſt. Nam in eadem nocte primæ quietis tempore, cunctis infra urbem commorantibus, magis peccatorum pondere ſopitis, quam ſomni alterius quieti deditis, grandis ille dolor nobis miſeris ſupervenit. Verum ſanctæ Dei Genitricis interventu, ſanctorumque noſtrorum pio precatu, dominique noſtri venerabilis Bernvvardi epiſcopi acerbiſſimo ploratu, omnis ille vehemens ardor divini roris infuſione exſtinctus eſt, & illud venerabile templum manſit incolume, ſervatum Dei gratia, niſi quod nobis perpetuo eſt lugendum, quod cum pretioſiſſimo miſſali ornamento inexplicabilis librorum copia periit; noſque ſpiritualium noſtri armorum inermes reliquit. Ipſo quoque anno, beatus Bernvvardus ſanctæ Hildenenſemenſis civitatis patronus, ſequenti omnium ſanctorum feſtivitatis die, altare ſummum ſanctæ Dei Genitricis, quod, proh dolor, peccatis noſtris promerentibus, valida, ut dictum eſt, ignis inundatione confractum erat, devotiſſima mentis intentione quarto Nonas Novembris in melius reſtauravit & benedixit. Deoque acceptius hominibuſque laudabilius, auri argentique, ac gemmarum claritate effecit.

Rothegardis abbatiſſæ obitus.

39. Interea domina ROTHEGARDIS, dignæ memoriæ Hildevvardeshuſenſis eccleſiæ abbatiſſa, venerabilis Bernvvardi Epiſcopi matertera, diutina corporis infirmitate caſtigata, reſolutionis ſuæ diem ſibi ſemper optabilem, divino, ut creditur, inſtinctu inſtare cognovit. unde in ſacratiſſima nocte Dominicæ nativitatis ad Miſſam, *Dominus dixit*, in eccleſiam ſe ferri præcepit; ibique Dominici corporis & ſanguinis viaticum percepit. Inde, ritè omnibus peractis, denuo ad lectum reportata, convocatis ſororibus, ita exorſa eſt. Ex hac vita me hodie, cariſſimæ, quo

Ejus ad ſorores exhortatio.

» Deus juſſerit invitari vobis denuntio: ſed hoc, quia infra majoris Miſſæ
» ſollemnia futurum eſſe non ignoro, ne qua divini famulatus fiat interru-
» ptio, vos, audita mea morte minime turbari depoſco. Dei namque tanto
» mihi largius auxilium affuturum eſſe confido, ſi modo nulla ejus ſervitii,
» mei cauſa, facta fuerit intermiſſio. Divinis itaque ſollemniis ex more com-
» pletis, ad communiendum exitum meum quantociùs occurrere feſtinate;
» ſuoque Creatori animam precibus attentius commendare curate; veſtrum-
» que ſemper finem ſuſpectum habentes, in illo tremendo judicio, dum li-
» citum eſt, per bona opera Deo dignæ inveniri ſatagite. His dictis, eas ſtupentes nimium pariter ac mirantes, abire permiſit. Quod, quia ſpiritu prophetico præviderit, rei patenter exitus oſtendit. Nam, ut prædixerat, infra majorem Miſſam, incipiente Sequentia, ſancta illius anima carnis eſt ergaſtulo ſoluta. Unde manifeſte datur intelligi, beatam hanc feminam plus aliquid ceteris mortalibus divinæ gratiæ concepiſſe, cui non ſolum ſuæ carnis abſolutionem tam evidenter conceſſum eſt præſcire potuiſſe; verum etiam eo die, præſentis vitæ miſeriam feliciter evaſiſſe, quo ad eam pro totius mundi ſalute tolerandam, Redemtor humani generis inviolatæ Virginis utero ineffabiliter prodiens creditur adveniſſe.

S. Henricus Natale Domini celebrat Palithi.

40. Anno autem Incarnationis Domini noſtri Jeſu-Chriſti milleſimoſeptimo Rex venerandus Henricus totius Romani imperii potentiſſimus, Palithi natale Domini cum maxima gloria celebravit. Quocumque vero ſapientiſſimus Imperator ora ſui ſanctiſſimi vultus circumtulit, ſi quos forte diſſidentes reperit, aut ſtatim reconciliabat: vel ſi quicquam obſtitit, ut id non poſſet efficere, numquam mente feriabat, donec violatam

caritatem

Digitized by Google

caritatem reformabat. Quod etiam tunc in ipſo feſto ſingularis Nativitatis facere prudenter inſtituit. Nam vetus odium, quod archiepiſcopus Vvillegiſus ad Hildeneſſemenſem epiſcopum, beatum videlicet Bernvvardum, levibus de cauſis conceptum, ſævis irarum ſtimulis irremediabiliter ſub mente nutriebat, ſæpius delinire cupiens, animoſitate illius victus deſtitit. Verumtamen coram multis Epiſcopis, aliiſque Principibus, qui ad Palatium affluxerant, conveniens Archiepiſcopum, tanta auctoritate pertinaciam animi illius digna invectione confregit, ut ſe, totamque controverſiam illius judicio, vel fratrum votis * obſtaret. Deinde ſapientiſſimus Rex ſæpius interceptam Gandeſemenſis eccleſiæ dedicationem in vigilia Epiphaniæ Domini indixit, quæ tunc prima feria [a] Dominicæ reſurrectionis accidit, velationem etiam ancillarum Dei in ipſa ſacra die Epiphaniarum. Venerabilis igitur Bernvvardus epiſcopus Vvillegiſum archiepiſcopum & ceteros fratres in auxilium ſui ad conſecrationem prædictæ eccleſiæ invitavit. Nec mora adeſt ſacra ſollemnitas: conſecrationis myſteria ex præcepto beati Bernvvardi epiſcopi diſponuntur; fiunt omnia fraterna caritate, ita ut Archiepiſcopus in aſperſione primum locum teneret, & cum ipſo beatus Bernvvardus epiſcopus. In eccleſia vero ipſe, cujus parochia erat, myſteria conſecrationis fratribus diſpenſabat: primum namque gradum ille obtinebat.

Ann. Ch. MXXIII. Nov. XX.
Ibi Vvillegiſum cum S. Bernvvardo reconciliat.

* *f.* offerret.

Gandeſemenſis eccleſia dedicatur.

41. Expletis itaque Dei gratia omnibus fraterna caritate, Rex cum Archiepiſcopo & ceteris ad populum progreſſus, ſic locutus eſt. Diuturnam, peccatis agentibus, controverſiam, cariſſimi, hodie deponere & terminare dignum duximus. Agnoſco enim, & ſcio hanc eccleſiam & adjacentes villas Hildenſemenſibus epiſcopis ſemper pertinere, & ab illis abſque contradictione poſſeſſam eſſe. Ad hæc verba Imperatoris Vvillegiſus archiepiſcopus tandem Dei miſericordia in ſe rediens, & quicquid proprio reatu, vel aliorum inſtinctu, in Deum & ſanctam ejus Genitricem exercuiſſet, videlicet injuſta invaſione parochiæ Gandeſem ad titulum Hildeſemenſis eccleſiæ pertinentis publice confitens, juri & repetitioni ejuſdem loci abrenunciavit, & in teſtimonium hujus abrenuntiationis, ferulam epiſcopalem beato Bernvvardo tradidit, dicens: Frater cariſſime, & coëpiſcope, abrenuntio juri hujus eccleſiæ, & hanc paſtoralem ferulam, quam manu geſto, tibi ſub teſtimonio Chriſti & domini noſtri Regis & Fratrum noſtrorum trado in teſtimonium, ut hoc, neque ego, neque ullus ſucceſſor meus, aliquam interpellationem, vel repetitionem de hac re poſſit habere. Sicque officium Miſſæ ab Archiepiſcopo, conſenſu beati Bernvvardi, ſollemniter peractum eſt. Sequenti autem die Epiphaniæ Domini, velatio Virginum ſollemni celebratione, præſente Rege omnibuſque Epiſcopis, à Bernvvardo venerabili epiſcopo facta eſt; ſicque gratia Dei rebus in pace & caritate, ſapientia mitiſſimi Principis compoſitis, diſceſſum eſt.

Ejus inveſtituram ab Archiepiſcopo ſanctus Bernvvardus accipit.

42. Archiepiſcopus autem, hac lite ſedata, Præſulem noſtrum omni honore & caritate dilexit, & in noſtro monaſterio fraternitate honorifice acquiſita, ſummam dilectionem & loco & fratribus providit. His itaque ſe habentibus, idem Archiepiſcopus [b], quinto poſt hoc anno, plenus dierum bonorumque operum, ſeptimo Kalendas Martii migravit ad Dominum: poſt quem ERKENBALDUS ſubrogatur Moguntino regimini, prius abbas Fuldenſis cœnobii; cui nihil deerat catholicæ fidei: quem beatus Præſul Bernvvardus Kalendis Aprilis Moguntiæ conſecravit. Divino itaque reſpectu ſurrexit in Archipræſulem, qui à tempore iracundiæ

Vvillegiſi obitus. [b]

Ejus ſucceſſorem Bernvvardus conſecrat.

[a] Sic medii ævi auctores quamlibet diem dominicam, *Reſurrectionis Dominica diem* frequenter appellarunt.

[b] Anno ſcilicet MXI. quem ipſi extremum fuiſſe omnes conſentiunt.

ANN. CH. MXXIII. NOV. XX. factus eſt reconciliatio. Qui quoad uſque vixit, prioris diſcordiæ * lenonia non habuit : inſuper ordinatorem ſuum ; conſanguinitate etiam ſibi propinquum, debita devotione ut patrem coluit ; & paterna caritate tractavit. Quinto [a] deinde anno, Erkenbaldus Mogontiæ Metropolitanus plenus dierum & meritorum ; decimo-quinto Kalendas Septembris, pacem Dei Eccleſiæ dereliquit, & animam in manus Angelorum efflavit.

* *f.* calumniam.

[a]

Poſt Erkenbaldi obitum diſſidia renovantur.

43. Huic ARIBO regius capellanus ſucceſſit in regimen, per quem rediviva reſtaurantur arma diſcordiæ, quæ ſub prædeceſſore ſuo ſopita quieverunt, prævalente gratia concordiæ. Quem futurum pontificem, cum in ſacerdotem conſecrare deberet Deo digniſſimus Bernvvardus ; gladio verbi Dei adſtrinxit, & anathematizavit, præſente domino Henrico ; benigniſſimo Imperatore ; & diverſis Epiſcopis, cum adſtantibus populis & clericis, ne poſt ſuſceptum regimen ſanctæ Hildenſemenſi eccleſiæ inferret injuriam ſuper parochia Gandenesheim dicta. Quod ipſum iterum repetiit, & confirmavit, dum illum vice ſua in Archiepiſcopum venerabilis Ekkehardus conſecravit epiſcopus. Sed quod tunc ſubdole promiſit, graſſante ſtultitia, poſt fefellit. In ipſa enim promotione ſua dominum Bernvvardum Epiſcopum ficta pace per Legatum ſuum convenit, & per falſa * ſalutaria, querimoniam ſuper Gandeſem tentavit : cui beatus Bernvvardus, divina inſpiratione doctus, non ejus vaniloquio attendens ; obligationis ſuæ anathema retexit, dicens : Nil ſibi commune cum illo eſſe ; ſi bene vellet, niſi ea, quæ Dei eſſent : de parochia vero ſua abſque dubio nihil ſibi ceſſiſſe. Hac reſponſione obſtruitur machinatio Archiepiſcopi ; & ſuper hac re nec mutire quidem auſus eſt in vita beati Bernvvardi epiſcopi.

* *f.* ſalutatoria.

[b]

Hic deſinit Tangmarus. [b]

S. Bernvvardus monaſterium ædificat.

44. Interea venerabilis Præſul Bernvvardus ampliare ſtudens divinæ ſervitutis obſequium, in parochia ſui præſulatus ob recompenſationem futuram, Chriſtum elegit heredem ; & quod præcipuum habuit, ſeipſum cum omnibus acquiſitis, vel acquirendis rebus Patri omnipotenti, ſicut jam dudum in ſecreto mentis ſtatuerat, in ſacrificium obtulit. Monaſterium itaque in ſeptemtrionali parte civitatis in loco quondam ſqualido, feris quoque ſeu brutis animalibus coaptato, tota devotione, & apparatu decenti inſtituit ; quod prædiis ſufficientibus dotatum, cœnobitis Deo famulantibus ibi, delegavit.

Quod dedicatur.

45. Anno vero incarnationis milleſimo quinto-decimo, Regni autem Domini Henrici piiſſimi Imperatoris decimo-quarto, ordinationis domini Bernvvardi venerabiliſſimi præſulis vigeſimo tertio, indictione decima-tertia, tertio Kalendas Octobris, crypta ejuſdem monaſterii magno decore, Dei gratia conſummata, dedicatur à præfato antiſtite Bernvvardo, & honorabili Sleſvvicenſis eccleſiæ antiſtite Eggehardo, atque venerando Mimigardevordenſi paſtore THIDERICO, in honore Salvatoris Domini noſtri Jeſu-Chriſti, & ejus beatiſſimæ & glorioſiſſimæ genitricis perpetuæque virginis Mariæ, ſanctique Michaëlis archangeli, totius quoque militiæ cæleſtis exercitus, & ſimul ſexaginta ſex reliquiarum ab eiſdem venerabilibus Patribus & præſulibus ibidem digna veneratione reconditarum. Anno perinde incarnationis Dominicæ milleſimo vigeſimo-ſecundo, Regni autem Domini Henrici Imperatoris vigeſimo-primo, ordinationis vero beati Bernvvardi trigeſimo, indictione quinta, tertio Kalendas Octobris, ſupradictum monaſterium ad utilitatem mo-

[a] Haud dubium quin in textum error hic irrepſerit cum novem annis eccleſiam Magontinam rexerit Erkenbaldus, ut teſtis eſt auctor Vitæ S. Godehardi cap. IV. ubi dicitur etiam Erkenbaldus S. Bernvvardi conſanguineus fuiſſe.

[b] Sic habet mſ. codex, teſte Brovvero : & quidem quæ ſequuntur, non eodem ſtilo deſcripta ſunt, licet ab æquali auctore.

Digitized by Google

naſticæ vitæ conſtructum, multiplicique, velut hodie patet, ornatu perfectum, dedicatum eſt cum omni devotione eccleſiaſticæ religionis à venerando ejuſdem eccleſiæ proviſore Bernvvardo pontifice, & ab honorabili UNEVVANO archipræſule Hammeburgenſis eccleſiæ, ab Eggehardo Sleſvvicenſi antiſtite, & à [a] BENNONE Aldenburgenſis eccleſiæ reverendiſſimo antiſtite, in honore ſalvatoris Domini noſtri Jeſu-Chriſti, & ejus ſanctiſſimæ genitricis ſemperque virginis Mariæ, ac ſalutiferi ligni adorandæ & vivificæ crucis, & ad ſpeciale patrocinium ſancti Michaëlis archangeli, totiuſque militiæ cæli, & ad laudem venerationis omnium ſanctorum Dei. Sed mox ejuſdem monaſterii habitaculum commiſſum eſt ad regendum, Abbatis officio, GODERAMMO cœnobii ſancti Pantaleonis præpoſito.

ANN. CH. MXXIII. NOV. XX.

Goderamus I. abbas S. Michaëlis.

46. Tandem vero ſancti Michaëlis eccleſiam vir beatus, poſtquam prædiis opulentiſſime dotavit, præſente Apoſtolici Legato, uno videlicet Cardinalium, cum undecim Epiſcopis, necnon & diverſarum profeſſionum perſonis, banni ſui auctoritate roboravit. Hoc autem piæ devotionis opus quam mature animo intenderit, quo fervore, nacta opportunitate aggreſſus ſit, qua vigilantia & aſſiduitate inſtiterit, qua caritate ſufficientiam exteriorum ei providerit, qua libertate conſtruxerit, qua auctoritate firmaverit, quantum & ipſe interim, divino tactus verbere, profecerit, ipſius verbis melius proferemus. Dicit enim in privilegio eidem cœnobio dato. « Omnis creatura, homo, nonne ideo à ſuo condita eſt Creatore, ut juxta ritum naturæ, potius ſuo ſerviat Creatori, quam creaturæ? Cujus habitudinis ſtatus dum ſit rerum diſcolor uſus, animum tamen rationis compotem ſemper reflectit ad ſuæ conditionis tramitem. Sed quo amplius quemque correxerit divinus hauſtus, tanto divinius ſe Deo quiſque obligat in omnibus rebus. Et hoc fieri nequit, niſi ubi valida Dei manus quemque ſibi attraxerit. Unde in appetitu gratiæ ſe cui imaginat, & conformat protectio divinæ miſericordiæ. Cujus rei experimentum dum conſulimus, è veſtigio nobis occurrit divinum reſponſum, quod peccante Adam, & inde longa exſilii diſpendia perferente, crediſſe Abraham Deo, & hoc illi reputatum eſſe ad juſtitiam. Cumque, & divina præveniente clementia, tum & exigentibus meritis accipimus Legiſlatorem Moyſen, ducem ac præceptorem exſtitiſſe populi Iſraël. Pari examine ſanctitatis, miramur miraculorum factorem Heliam humani ævi nondum cognoviſſe metam, ſed curru igneo ſublatum eſſe, ultimo ſæculorum judicio. Excedit mentem, nec capiet finem, ſi de his, & horum ſimilibus noſtra ratio ulterius ſe tendere voluerit. Satis indicio eſt, quantus aſſurrexerit in prœliis David Manu-fortis: & ſole lucidius eſt, ſtructo tabernaculo Dei, quantis religionum ritibus & libaminum myſticis cultibus ſe Deo approximaverit ſanctus Salomon, cujus [b] pœnitentiæ meritis nullus umquam repertus eſt ſimilis. Quibus omnibus ad habitudinem factorum revelavit Deus ſecreta meritorum, ut temporaliter merito & opere, omnibus ſemper eſſent diſpares, inſuper æternaliter angelicis ſpiritibus fierent coæquales.

Excerpta ex Charta fundationis.

47. « Hæc ego BERNVVARDUS conſiderans, Dei præelectione non meritis dictus epiſcopus, & diuturna meditatione volvens, qua meritorum architectura, quove rerum pretio poſſem mercari cæleſtia, cum eſſem aulicus ſcriba doctus, & beatæ memoriæ tertii Imperatoris OTTO-

Varia officia, quæ exercuit Bernvvardus.

a Hic ſtrenue laboravit pro recuperandis eccleſiæ ſuæ bonis. ſed cum Vandali recens ad fidem reverſi immodicis Bernhardi ducis Saxonum minis gravarentur, ob novos excitatos tumultus nihil profecit. quare ad Bernvvardum ſe recipiens, in dedicatione monaſterii S. Michaëlis multitudine populi compreſſus & attritus, paullo poſt vitam finivit, ut refert Crantzius in fine lib. 3.

b Non adeo certa eſt Salomonis reſipiſcentia: quia etſi quidam Patres aſſerant, ipſum pœnitentia peccatorum ſuorum veniam obtinuiſſe, plerique tamen de ejus ſalute dubitarunt, ut Cyprianus, Auguſtinus, Gregorius, & alii.

Digitized by Google

Ann.Ch. MXXIII. Nov. XI.

» NIS didaſcalus, ſimul primiſcrinius, divina tactus gratia, reatus mei ſu-
» perflua perhorreſcens, divinamque gratiam concupiſcens, diſtraxi ani-
» mum in diverſa, quomodo æternæ ſatisfacerem miſericordiæ, ſicque re-
» medium meæ obtinerem animæ. Sed in tenuitate tunc meæ qualitatis,
» quicquid animo proponebam, aut vix inchoandum, aut numquam perfi-
» ciendum timebam. Animus tamen magis ac magis ardore ſancti propoſiti
» deſudabat, licet tunc temporis fortuna quid inchoaſſe vetabat; cum ecce
» Dei electio, ſenatuumque declamatio, me pontificalis gloriæ ſolio inthro-
» nizandum præeligunt; & ne grex Domini turbaretur ſine paſtore, ne ec-
» cleſia mater noſtra eſſet quaſi vidua, in electione novi pontificis, cor unum
» & animam unam omnibus fecit habere ſpiritus pacis. Inthronizatus [a] Ben-
» nopolitanæ eccleſiæ, quod diu animo conceperam, opere complere vole-
» bam, ſcilicet beatæ memoriæ tradere titulum nominis mei, eccleſias ſtru-
» xiſſe, ac officia Deo ſervientium inibi ordinaſſe, omnemque facultatulam
» meam Domino lucraſſe, qui eſſet pars & hereditas mea. Et, quia ſunt oc-
» culta Dei judicia ſemper tamen juſta, conſenſu & hortatu Chriſti fide-
» lium, novam Dei eccleſiam condere cœpi, in qua ad laudem & gloriam
» nominis Domini, & voti mei propoſitum adimplevi, & ſanctæ chriſtiani-
» tati, adhibitis Deo dilectis fratribus, conſului. Fundato enim novello ope-
» re, & deſignatis eo loci locorum qualitatibus, ne occaſio terrenæ vagatio-
» nis eſſet dilatio cœpti operis; gloria tibi Chriſte, tactus febris incommo-
» do, ægrotare cœpi quinquennio: & dum nihil fit in terris ſine cauſa, caſti-
» gans caſtigavit me Dominus & morti non tradidit me, ut credo & confido
» in Domino, ne abſentia meæ præſentiæ fieret quædam intermiſſio ſpei
» meæ. Cui loco, Deo, ſanctæque cruci, perpetuæque Virgini Mariæ, ſan-
» ctoque Michaëli archangelo titulato, monaſtici ordinis indidi perſonas;
» quas ea ratione coadunavi, ut ſicut juxta monachicam normam ſunt à ſæ-
» culi actibus alieni, ita eſſent ab omni impedimento ſæcularis ſervitii li-
» beri. Conſilio itaque Senioris mei Imperatoris HENRICI, & magiſtri
» mei ERKENBALDI archiepiſcopi, quem ego confratrum meorum con-
» ventu in archiepiſcopum conſecravi, quicquid terrenarum facultatum,
» in curtis, curtilibus, terris, paſcuis, aquis, ſilvis, pratis, eccleſiis, ſan-
» ctorum pignoribus, libris, argento & auro, & quidquid, id eſt, quod here-
» ditario jure poſſedi, aut ſæculari coemptione acquirere potui, exceptis plu-
» rimis, quæ altari ſanctæ Mariæ in principali eccleſia in coronis aureis, ca-
» licibus, candelabris, palliis, aliiſque eccleſiaſtici ordinis ornamentis con-
» tuli, totum uſibus fratrum, per manus advocati mei, tradidi Deo & ſan-
» ctis ejus, pro animabus prædictorum ſeniorum meorum Imperatorum, &
» mea, omniumque ſucceſſorum meorum, & eorum quorum patrimonia ac-
» quiſivi; quatenus ſervitores Chriſti, ab omni terreno ſervitio liberi, ſub
» defenſione & patrociniis ſucceſſorum meorum Epiſcoporum præmuniti, in
» pace & miſericordia quieta tempora ducant. Si quis autem mei ordinis
» ſucceſſor, aut aliqua ſæcularis perſona hoc effringere voluerit, & hæc ty-
» rannice ſibi uſurpare præſumſerit, gladio Verbi Dei à Deo & ſanctis ejus
» illum ſubmoveo, ut, incumbente ſuper illum omni maledictione, careat
» benedictione, ſicque exterminatus à terra & cælo, partem habeat cum Ju-
» da, & cum his, qui in hereditate poſſident ſanctuarium Dei. Inſuper he-
» redes, Dei & noſtra licentia in ſuos uſus ſua ſtudeant repetere, dum vi-
» dent alienum invaſorem in ſuis patrimoniis debacchare.

48. Hæc beati viri dicta conſideranti facile patebit, quanta vel ipſe in Deum devotione profecerit, vel quanta ſuperni reſpectus dignatio eum

[a] Sic etiam quandoque vocatur civitas Hildesheimenſis vel à Bennone altero ejus fundatore, ut volunt nonnulli, ſeu à ſancto Bennone Miſnenſi epiſcopo, qui ibi ortum habuit, ut vult Embſerus in ejuſdem ſancti vita. ſed iſte nondum tunc è vita exceſſerat.

Digitized by Google

aſſumſerit. Qui enim inſiſtens operi cæleſti verbere merebatur eliquari, manifeſtis indiciis probatur à Domino diligi. His itaque piæ devotionis ſtudiis Deo dignè & hominibus laudabiliter omni vitæ ſuæ tempore converſatus, anno ordinationis ſuæ [a] trigeſimo-primo, cum jam tranſitus ſui diem, quem ſemper optaverat, imminere prævideret, capellam inter ſacellum ſanctæ crucis, & monaſterium ſuum conſtructam in honore beati Chriſti confeſſoris Martini, à venerabili viro Eggehardo Sleſvvicenſi epiſcopo dedicari fecit: ibidem pro augmento religionis ipſo die habitum priorem mutans, monachicæ profeſſionis jugum ſuſcepit. Tactus deinde infirmitate ultima, cum adeſſe exitus ſui horam ſenſiſſet, in eamdem capellam ſe ferri præcepit, juſtum eſſe aſſerens, ibidem vitæ terminum ſortiri, ubi ſæcularis abrenuntiationis habitu ſe contigiſſet inſigniri. Sic itaque beatus vir diutina corporalis moleſtiæ infirmitate tritus, bonum certamen certans, curſum conſummans, fidem ſervans, viam univerſæ carnis ingreſſus, ut credimus, certumque tenemus, divinis admixtus ſpiritibus, duce Michaële archangelo, beatæ immortalitati eſt præſentatus. Qui quoadusque vixit, Domino ſe ſacrificium juſtitiæ ſacrificavit; ſicque pluri- mis mirificatus inſigniis cæleſti pace quieſcit. Obiit duodecimo [b] Kalendas Decembris, ſedit autem in cathedra triginta annis, cujus diſceſſus ad Deum fecit nos pupillos abſque patre, matrem noſtram Hildenſemenſem ſanctam eccleſiam quaſi viduam. Nam mox tanti patris exceſſu tota civitas commota congemuit, & tam cleri quam plebis cœtus omnis doluit. Ubique vociferatio lugubris exoritur, mæror inconſolabilis cujuſque profeſſionis auditur; & quem ſecum manentem communi affectu ſemper amplectebantur, hunc non immerito decedentem lamentatione communi proſequuntur. Hinc pauperum, hinc viduarum, orphanorumque turba miſerabili ejulatu patrem ſe amiſiſſe proclamat: hinc patriæ defenſorem, pacis amatorem, ac totius Reipublicæ ſagaciſſimum proviſorem tam nobilium dignitas, quam plebeiorum humilitas concordi dolore ſubtractum eſſe deplorat. Mirum nempe in modum, vir iſte omnibus omnia factus, inter divites & pauperes, inter elatos & humiles, auctorabili quadam modeſtia incedebat medius; & utrobique juſtè providus, nec mitibus intractabilis, nec protervis deſpicabilis apparebat. Communi ergo, ut dictum eſt, querimonia defunctus plangebatur, qui communi dilectionis honore colebatur. Sed ne irrationabiliter, more illorum qui ſpem non habent, contriſtemur, ſi conſolantem perdidiſſe dolemus in terris, patrocinantem habere gaudeamus in cælis; & ſic corpori compaſſionis officia impendamus, ut etiam ſpiritui feliciter cum Deo regnanti congratulationis debita perſolvamus.

Ann. Ch. MXXIII. Nov. XX.

Monaſticum habitum ſuſcipit.

In ſacello ſancti Martini obit.

49. Præceperat autem adhuc vivens, ut feretrum, quo ad tumulandum corpus ejus efferebatur, non pallio, ut moris eſt in talis perſonæ funereo obſequio, ſed cilicio operiretur. quod ideo hic inſerendum putavimus, ut cunctis legentibus pateat, quanto vir iſte à Domino etiam temporali honore ſublimatus, ſemetipſum humilitate depreſſerit, cujus viventis ſpiritus devotio tam humile obſequium defunctæ quoque carni providerit. More itaque eccleſiaſtico exſequiis rite celebratis, corpus Deo dilecti Præſulis in crypta cœnobii, quod ipſe fundaverat, ante altare ſanctæ Mariæ, maxima cum Chriſti fidelium devotione ſepelitur. Sepulcrum autem ſancta ſibi devotione præparaverat, & tale ſolæ humilitatis Epitaphium ſuperſcripſerat.

Mandarat ſuum feretrum cilicio cooperiri.

a Annus iſte incœptus ſolummodo fuit: tum quia paullo poſt dicitur S. Bernvvardus triginta tantum annos eccleſiam ſuam adminiſtraſſe: tum quia alias ejus obitus ad annum MXXIV. eſſet referendus. quod eſt contra omnium auctorum fidem.

b Anno ſcilicet MXXIII. ut in Obſervationibus præviis diximus.

ANN. CH. MXXIII. NOV. XX.

* Epitaphiũ ejus.

Pars hominis Bernvvardus eram, nunc claudor in iſto
Sarcophago diro, vilis & ecce cinis.
Prô dolor! officii culmen quia non bene geſſi,
Sit pia pax animæ, vos & amen canite.

50. Quid hac re beati viri manſuetudine dulcius, quid abjectione laudabilius? quo enim ſe vilius ſub humilitatis deprimit modio, eo lucidius in Eccleſiæ apparet candelabro; & quantum ſuo judicio ſacerdotali honore indignus deputatur, tantum laudabilis vitæ teſtimonio dignus per omnia comprobatur. Pie denique conſideranti modum converſationis ejus, & ſanctæ à puero inſtitutionis, magni meriti luce clarius apparebit, quamvis longè aliter ſe ipſe æſtimaverit. Valles enim ſecundum Pſalmiſtam frumento abundant, hoc eſt humiles ſpiritu, potioribus divinæ largitatis muneribus exuberant. Sed pius pater Deo planè & Eccleſiæ digniſſimus, & inter ceteras virtutes, quibus adornatus erat, humilitatis cultor præcipuus, quid pro ipſa cordis humilitate conſolationis, quid fidei, ac ſpei conceperit, manifeſtat in titulo, quem his verbis interioris ſarcophagi inſcripſit loculo. *Scio quod Redemtor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum: quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius. Repoſita eſt hac ſpes mea in ſinu meo.* Quæ nimirum dicta eo ſpiritu ab ipſo creduntur repetita, quo primum ea conſtat fuiſſe prolata: ac ſi aliis verbis apertius diceret: *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi; de reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ.*

Pſalm. 64. 14.

Titulus ejus tumulo inſcriptus.

Job. 19. 15.

2. *Tim.* 4. 8.

MIRACULA SANCTI BERNWARDI EPISCOPI HILDESHEIMENSIS.

Futura prævidit.

I. TRanſitus viri Dei ſanctiſſimi præſulis noſtri BERNVVARDI nonnullis divinitus oſtenſus eſt, ſed iſta proſequendo libet priora paullulum attendere. Sedebat aliquando vir Dei Bernvvardus adhuc vivens cum hoſpitibus ſuis in aula ſua. Scholaris vero quidam pauper ante fores eleemoſynas petendo, pium Præſulem, ut ſui miſereretur, invocavit. Quod audiens homo propheticus, & Spiritu Dei plenus, juſſit ut epiſcopus Colonienſis foris ſtans mox introduceretur. Currentes ergo miniſtri renuntiaverunt neminem foris eſſe præter illum ſcholarem pauperem; ſanctus autem Bernvvardus affirmans ipſum eſſe Colonienſem epiſcopum, feſtinanter adduci præcepit; adductumque benignè ſuſcipiens, in capite menſæ pauperem renitentem collocavit. Cui, poſt menſam rubore perfuſo & verecundo, pro reverentia ſibi à tanto Præſule exhibita, vir beatus quod ipſe Colonienſis epiſcopus eſſet futurus, prædixit; humiliter exorans, ut primam Miſſam, quam in Colonia celebraret, pro paupere Bernvvardo decantaret. At ille, cum ſumma devotione precibus ejus annuens, benedictione petita, & accepta receſſit ab eo. Factus igitur Archiepiſcopus, juxta vaticinium viri ſancti, regnante domino Henrico de Bavenberch, anno [a] Domini milleſimo vigeſimo-tertio, duodecimo Kalendas Decembris, ad altare Miſſam celebraturus accedens, ipſe Colonienſis epiſcopus, cantoreſque præveniens, Miſſam pro defunctis, omnibus qui aderant ſtupentibus, inchoavit; nec immemor interpretis ſui, beati ſcili-

[a] Et tamen Piligrinus ſucceſſit Heriberto anno MXXI. ſed cum ſecutus fuiſſet S. Henricum in Italiam, qui anno MXXIII. in Germaniam eſt reverſus, fortaſſe ante hunc annum, divina ſic ordinante providentia, ſacrum nondum fecerat in eccleſia ſua Colonienſi.

Digitized by Google

cet Bernvvardi, cùm veniſſet ad Canonem, devotiſſime, ſicut promiſerat, memoriam ipſius egit inter vivos. Sed inter ſalutaris victimæ conſecrationem, tranſitus viri Dei divinitus ei revelatus eſt; unde mox etiam in memoria defunctorum nominis ejus mentionem fecit; & omnia quæ acciderant, finita Miſſa, fidelibus publicavit. Qui cæleſte miraculum curioſius inveſtigare cupientes, miſſis exploratoribus in Hildenſem, certiſſimè cognoverunt, quod eadem hora, quando Archiepiſcopus hoſtiam noſtræ ſalutis immolavit, anima ſanctiſſima fidelis & prudentis ſervi Domini noſtri Jeſu-Chriſti cæleſte gaudium introivit. Ann. Ch. MXXIII. Nov. XX.

2. Fuit nihilominus in remotis partibus à civitate Lunda [a] ad duodecim milliaria, viginti ſex annis quidam incluſus in quadam ſilva, devotus eremita, ANSELMUS nomine, qui ſolitas Deo preces fundens, ſtatim fuit in ſpiritu: & vidit ipſa die, qua anima viri Dei cæleſtia clauſtra petivit, cælos apertos cum ingenti lumine, & audivit inter dulcem melodiam beatorum ſpirituum, hoc carmen ab Angelis iterari: O felix anima Bernvvardi, cujus merita hominibus adhuc ſunt incognita, Deo autem & nobis valde nota! Hæc tribus vicibus continuis die depoſitionis vidit, & audivit. Prædictam revelationem vir Dei dum ſæpe cum devotione revolveret, ubi tamen illius nominis vir tam beatus habitaſſet, ignoraret; ecce adſtitit ei venerabilis perſona proceræ ſtaturæ, venuſta facie, reſperſa canis, & operimentis Pontificalibus veſtita, dicens ei: Ego ſum Bernvvardus epiſcopus Hildenſemenſis, quem trina viſione in choro Angelorum collaudari audiſti. Ego templum in Hildenſem Angelis conſtruxi, & Virginis Filium patrimonii mei ſucceſſorem feci, cunctiſque ſæculi voluptatibus renuntiavi, [b] habitum Angelicum ſuſcepi: nunc quoque centuplum omnia recepi, ac in tali jubilo, ſicut vidiſti, vitam æternam poſſideo. His ſibi cum aliis quibuſdam revelatis, cum ingenti lumine diſparuit, & pro gloria ſancti viri ſolitarius, quæ audierat & viderat, fidelibus revelavit.

Ejus gloriam videt Anſelmus eremita.

3. Obiit itaque ſanctus Præſul anno Domini milleſimo vigeſimo-tertio, ut dictum eſt, & ſepultus in crypta eccleſiæ ſuæ, quam conſtruxerat. Latuit autem ſub terra annis centum & ſeptuaginta duobus. Cernitur nihilominus ad dextram partem ſepulcri ſuper columnarium conſcriptio [c] talis:

Hac tumuli foſſa clauduntur Præſulis oſſa
  BERNVVARDI, miri magnificique viri.
Qui patriæ ſtemma, radians ut gemma ſerena,
  Acceptus populo, complacuit Domino.
Nam fuit eccleſiæ condignus Epiſcopus ille,
  Quem Deus Emmanuël diligat & Michaël.
Tandem bis ſenis undeno menſe Kalendis,
  Felix hanc vitam mutat in angelicam.

Quantis poſt hæc miraculorum inſigniis confeſſorem ſuum Dominus glorificaverit, non eſt noſtræ parvitatis explanare. Sed ne cuncta præteriiſſe videamur, pauca de pluribus explicamus.

Miraculis poſt obitum claret.

4. Puella quædam de Erpesford oriunda, Hildegardt nomine, cum multa languentium turba, diverſis ægritudinibus vexata Hildenſem advenit, miſerabilem in modum contracta, ita ut genibus pectori inhærenti-

Puella contracta erigitur.

[a] Lundis urbs, Scaniæ provinciæ olim caput, Archiepiſcopatus titulo ornata, ſubeſt Sueciæ regi, licet ejus omnes Suffraganei ſint in Dania.

[b] Sic plerique veteres habitum monaſticum nuncuparunt angelicum, ut ab aliis ſæpius annotatum eſt.

[c] Hujus Epitaphii auctorem quidam faciunt Bennonem Bernvvardi diſcipulum, qui ex monacho S. Michaëlis abbas fuit, ac poſtea ab Henrico Imperatore capellæ Goſlarienſi præfectus. An denique Miſnenſis epiſcopus? ut placet Bruſchio.

Digitized by Google

ANN. CH. MXXIII. NOV. XX.

bus, manu dextra incurvata cubitali menſura, vix à terra ſurrecta, ſe rependo traheret. Quæ per ſex menſes & eo amplius circa loca ſanctorum reptando, mendicans à Deo ſalutem, à populo ſtipem, admonita, ut ipſa referebat, per ſomnium, ad tumulum beati Bernvvardi reptando pervenit; & ſuppoſita eidem tumbæ cerea effigie, continuo coram populo, cujus eodem tempore multitudo fortè convenerat, nervorum diſtentione durius cruciari cœpit. Quid plura? Infra biduum erecta eſt, & ſanitati reſtituta. Teſtis eſt civitas noſtra, cui, miſeria prodente, erat notiſſima.

Alia puella ſanatur.

5. Fuit in noſtra civitate miles quidam miniſterialis habitans, cujus filia ægritudine preſſa, ac deſperata, pater anxius ne ſine baptiſmi ſacramento migraret, infantula enim erat, beato viro ſe devovit; ut ſi meritis ejus ægra ſpatium ad noſtræ ſalutis ſacramentum percipiendum obtineret, ipſe memoriam ejus cum oblationibus viſitaret. Nec mora. juxta votum ſepulcrum beati Præſulis adiit, inde rediens, infirmam plene convaluiſſe reperit.

Item alia ab oculorum dolore ſanatur.

6. Alia puella de Hannovere, tanto cruciabatur oculorum dolore, ut penitus elici orbibus ſuis ipſi oculi putarentur vi doloris. Promiſſa igitur oblatione ad tumbam ſancti Præſulis, ilico, ſoſpitate redeunte, conquievit vis doloris.

7. Simili paſſione quidam in Runebech vexatus, cum jam penitus oculorum ſalutem deſperaret, invocato ſancti Præſulis auxilio, in ſomnum reſolutus eſt. Facto autem diluculo, penitus omni dolore fugato, ſurrexit; eademque die cum teſtibus ſuæ ſanitatis ad tumulum beati viri gratias acturus venit.

Fabro manuum ac pedum uſus reſtituitur.

8. Faber quidam de Bokenen, Bodo nomine, tactus eſt infirmitate gravi per tres ſeptimanas, ita ut manus & pedes jam præmortuos occaſuros à ſua compage arbitraretur. Vocatus ergo Sacerdos, cùm jam deſperaretur, advenit; cujus conſilio ceterorumque propinquorum, vovit ut ſi intra triduum meliorari cœpiſſet, ſepulcrum beati Præſulis gratias acturus viſitaret. Hæc cùm agerentur, feria quarta ante Dominicam Rogationum, ſequenti die ac nocte adeo convaluit, ut proxima ſexta feria nudipes Hildenſem veniret, ſic tamen luridus ore, ut ipſa facies conſpecta viri, audientibus fidem faceret miraculi.

Mulier à dæmone poſſeſſa liberatur.

9. Mulier quædam Goſzlarienſis, Elmot nomine, à dæmone poſſeſſa, cum veniſſet ad beati Bernvvardi memoriam per aliquot dies ibidem horribili modo vexata, precibus ſancti Præſulis curata eſt; ſeptem aut plures dies poſtea nobiſcum manſit, quotidie ſepulcrum Pontificale cum devota gratiarum actione viſitavit. Crebro ibidem corpori & ſanguini Domini communicavit. Inde digrediens, poſt ſeptimanas ſex rediit, & ceream duobus denariis comparatam tumbæ ſupponens, pro ſanitatis ſuæ perſeverantia gratias retulit. Teſtis eſt tota Goſzlaria, ubi pro mercimonii ſui negotio probatur fuiſſe notiſſima.

Item juvenis quidam.

10. Juvenis quidam in Bohemia, in ſacratiſſima nocte Nativitatis Dominicæ cum duobus fratribus ſuis ceteriſque coævis, ludis quibuſdam invigilans, diriſſimo dæmoni vexandus eſt traditus; fratribus utriſque ſubitanea morte præfocatis, ceteriſque omnibus, qui eiſdem infauſtis intererant ludis, à morte ſubtractis, aut dæmonum vexationi contraditis. Itaque poſt triennium, durante infelici paſſione, juvenis idem ignaris parentibus huc illucque curſitans, tandem Hildenſem pervenit. Ibi, dum Completorium caneretur, monaſterium ſancti Michaëlis ingreſſus, tam dirè ante altare ſanctæ crucis vexatus eſt, ut omnes qui aderant, horrore nimio ſtupidi, & miſeratione compuncti redderentur. Introducitur itaque vi impellentium, nimium ipſe renitens, in cryptam ad beati Bernvvardi tumbam. Ubi diutius furore rotatus, & verba blaſphema garriens, ut quidam linguam

Digitized by Google

linguam ejus intelligentes, qui tunc forte aderant, cum ſtupore pavidi retulerunt, tandem concidit, apertoque ore inhians, liquorem ſpurciſſimum cum fœtore nimio eructans, incolumis ſurrexit. Poſtera die populo præſentatus eſt ſanus: & ex eo per quindecim ferme dies ſepulcrum frequentans, & pavimentum per circuitum aſſidue lambendo exoſculans, devotiſſime cum lacrymis liberatori ſuo gratias egit.

Mercatores à tempeſtate liberati.

11. Quidam mercatores Bremenſes, cum in mari verſus Angliam navigarent, tempeſtate graviſſima præventi ſunt, ita ut rupto fune anchoræ, & navi tota concuſſa, jam vicinum cunctis pelagus intentaret interitum. Cumque ſupplicatio communis, & clamor lacrymabilis concreparet ad ſanctorum patrocinia, repente quidam intulit, quemdam ſanctum pontificem, Bernvvardum nomine, Hildenſem coruſcare miraculis. Ejus ergo communi voto ſuffragium poſtulantes, continuo inter medios undarum vortices, ſine labore, inſolita tranquillitate portum petierunt; & in minori navicula redeuntes, anchoram ſuam in mari elapſam retulerunt. Exinde domum reverſi duos ex comitibus ſuis cum navicula cerea, ad tumbam beati viri in feria tertia poſt dominicam *Lætare Jeruſalem* pro gratiarum actione tranſmiſerunt. Iidem quoque poſtea ſimili periculo per eum liberati, argenteam anchoram per ſemetipſos obtulerunt.

Thus amiſſum recuperatur.

12. Negotiatoris cujuſdam Hildenſem habitans conjunx, cum die Paraſceve loca ſanctorum more quam pluribus conſueto annuatim nudipes circuiret, thuris partem comparavit, quam ad beati Bernvvardi tumbam ferre deſtinavit. Ergo via, quæ tendit ad monaſterium ſancti Michaëlis in aqua lutea, quæ per civitatem verſus urbis murum decurrit, pedes lavit, inde ad monaſterium tetendit. Cumque cœmeterium ejuſdem eccleſiæ conſcendiſſet, agnovit elapſum eſſe thus, quod emerat. Unde graviter animo conſternata, excuſſis veſtimentis ſicubi adhæſiſſet, eadem via qua venerat, uſque ad aquam qua prius pedes laverat, quærendo reverſa, nihil invenit; mæſtaque nimium ad monaſterium rediit. Inde cryptam ingreſſa, ante tumbam Pontificis in oratione cum largo fletu procubuit, reputans apud ſe, ideo ſibi oblationem elapſam, quod quaſi indigna fuerit eam proferre ad ſancti viri memoriam. Finita oratione humili & lacrymoſa, ſurrexit, thus perditum in manu ſiniſtra reperit; quod tumulo ſuperponens, cum ingenti pavore abſceſſit, quod geſtum erat ſub ſilentio abſcondit, donec quinto aut ſexto die à familiaribus ejus proditum innotuit. Quæ poſtmodum, cum rei geſtæ veritatem à quodam [a] fratre noſtro promere peteretur, non ſine lacrymis narrare potuit.

Puer à fiſtulæ morbo curatus.

13. Miles quidam, Thietmarus nomine, miniſterialis Regis, in vico Hoya [b] juxta Vviſeram fluvium habitabat. Hujus filius annorum circiter octo, cum per quinquennium fiſtulæ incommodo in maxilla ſiniſtra vexaretur, omniſque medicorum operatio in illo fruſtraretur, tandem ad tumulum ſancti Antiſtitis oblationem ſuam, cereum videlicet caput, ferre devovit, ſi infra novem dies incolumitas illi meritis beati viri redderetur. Igitur infra triduum ante tempus præoptatum puer remedium accepit; & tertia feria infra hebdomadam Pentecoſtes, cum patre, matre & avia in teſtimonium receptæ ſanitatis, cum votis promiſſis, ad memoriam beati viri ſoſpes pervenit.

14. Abbas etiam cœnobii ſancti Michaëlis, CONRADUS nomine, dum quadam die cauſa utilitatis monaſterii iter ageret, forte accidit, ut equo labente cui inſederat, tibia colliſa, prorſus debilis, & cruciatus in ſella geſtatoria referretur. Juſſit itaque ſe ad ſepulcrum beati Pontificis de-

[a] Ex hoc & aliis locis patet, libri hujus auctorem præſentem fuiſſe plerique miraculis, quæ hîc enarrat. Vixit autem tempore Conradi Abbatis S. Michaëlis, ut ex numero ſequenti colligi poteſt. vide & num. 16.

[b] Hoya urbs Germaniæ in Vveſtphalia ad Viſurgim fluvium, comitatus cognominis, qui Duci Brunſvicenſi ſubeſt, caput.

ANN. CH. MXXIII. NOV. XX. Abbas S. Michaëlis tibiæ ſanitatem obtinet.

ferri; ubi in oratione proſtratus, cum voviſſet ſe, quoad viveret candelam nocte & interdiu ibi proviſurum, incolumis continuo ſurrexit: quique alienis manibus eſt illatus, propriis eſt pedibus egreſſus. Neque hoc reticendum videtur, quia plures Deo devoti, tam viri quam feminæ, nocturnæ quietis tempore, ad ſepulcrum beati Præſulis pſalmodiæ cantus ſe audiſſe, & luminaria divinitus accenſa vidiſſe, & miri odoris fragrantiam ſenſiſſe teſtati ſunt.

Item contracta.

15. Mulier quædam provinciæ Marahen, de civitate Olomuſz *, non infimis parentibus oriunda, ſeptem annis ſiniſtræ manus digitis in volam contractis, ejuſdem brachii ulna concreta pectori pænè cohærente, debilis aruerat; quæ multa ſanctorum loca ſanitatis gratia frequentare conſueverat. Venit ergo multo itineris labore fatigata, mane ſeptimo Kalendas Junii, ad ſepulcrum beati Bernvvardi, ubi infra priorem Miſſam poſita, populo inſpectante, priſtinam ſanitatem recepit. Cujus rei teſtes idonei plurimi tunc temporis affuerunt, qui priùs illam ſe debilem agnoviſſe teſtati ſunt. Mox ergo omnes, qui huic affuere miraculo, multique de civitate accurrentes, Deum, qui tantis famulum ſuum glorificat, in hymnis & laudibus benedicebant.

Item quidam manum habens aridam.

16. Quidam in Thuringia manum habens aridam, omnique operis officio privatam, cum ſe ad beati viri memoriam cum oblationibus ire voviſſet, ſi meritis ejus ſanitatem conſequeretur, inopinata celeritate, quod optaverat adeptus eſt. Ille autem tantam gratiam parvipendens, & votum implere diſſimulans, ejuſdem manus, itemque brachii ſimul debilitate multatus eſt. Qui nimio dolore cogente, licet ſero in ſe reverſus, & cur hoc pateretur haud ignarus, cum promiſſis oblationibus ad ſancti Præſulis auxilium invocandum ire cœpit, nondumque peracto itinere, perfectam ſoſpitatem recepit. Ut ergo ad locum pervenit ubi ſancti Præſulis corpus requievit, condignas ſanatori ſuo gratiarum actiones perſolvit; nobiſque, qualiter hoc geſtum ſit, cum pluribus ſuæ ſanitatis teſtibus enarravit.

Item alius.

17. Alter quidam, Volcquardus nomine, omni civitati noſtræ notiſſimus, ſimili paſſione vexatus, quodam tempore, cum in beati Michaëlis eccleſiam introductus fuiſſet, corporaleſque medicinas ſibi adhiberi petiiſſet, quidam preſbyter à Deo potius ſibi ſanitatem petendam admonuit, & ad beati Bernvvardi memoriam ſpe ſanitatis ire perſuaſit. Quo facto, vix hora dimidia tranſacta, cryptam lætus exivit, ſeque ſanatum fuiſſe cunctis in eccleſia conſiſtentibus evidenter oſtendit. Qui poſt ſeptem dies revocatus, & de perſeverantia ſanitatis interrogatus, cum ſe nihil doloris habere fuiſſet profeſſus, populo, cujus multitudo aderat, eſt præſentatus, Deuſque ab omnibus magnis eſt laudibus glorificatus.

Æger ſanatur.

18. Ruſticus quidam Lunignæ habitans, Romam ad ſanctum Petrum orationis cauſa tendens, in eodem itinere gravi cœpit infirmitate detineri. Qui, cum omnimodis à carnium eſu abſtinere ſe voviſſet quoaduſque ad beati Bernvvardi ſepulcrum, gratias acturus veniſſet, ſi per eum à mortis ſe contigiſſet periculo liberari, continuo ſanitati priſtinæ reſtitutus eſt.

Mulier à manu contracta.

19. Puella quædam parvula, Machthildis nomine, de Bavaria nata, ſed apud nos à primis fere annis in vico Foſſem converſata, religioſi cujuſdam viri Ecberti nomine ſuſtentata eleemoſynis, manum habens contractam venit ad beati Bernvvardi tumbam, quam mox ut attigit, optatæ ſalutis remedium invenit.

Item mulier ſanatur.

20. Fuit quoque Bremis mulier, non ignotæ inter ſuos opinionis, cujus facies, ingraveſcente morbo, adeo intumuerat, ut narium & oculorum diſ-

* Olomucium urbs epiſcopalis in Bohemia ſub Archiepiſcopo Pragenſi, Moraviæ, incolis *Mahren*, provinciæ caput.

Digitized by Google

cretionem pænè funditus ademiſſet. Cumque voti ejus beati Bernvvardi compaſſionem imploraſſent, ſuper nimiam ejus afflictionem voventes eam ſepulcrum ejus viſitaturam, dolor ilico ceſſavit, & inopinata celeritate ſanitas priſtina rediit. Ann. Ch. MXXIII. Nov. XX.

21. Fuit in Ritelogon, qui eſt vicus duobus milliaribus diſtans à civitate Hildenſem, puella quædam, ita diverſis per quinquennium paſſionibus & moleſtiis corporis affecta, ut noviſſime nervis ac membris pænè omnibus contracta, & ſibi eſſet inutilis, & ſuis efficeretur gravis. Hæc igitur ſexto Nonas Maii, vehiculo adducta, cryptam baſilicæ noſtræ difficillimo labore, duobus innixa baculis, irrepſit, ac ſe ſuper beati viri tumbam inclinavit; ibique ab omni, quo laborabat, incommodo, mira celeritate convaluit. Die ſequenti convenit incredibilis multitudo populi noſtræ civitatis, peregrinorum quoque & aliorum, qui de diverſis locis ad ſollemnitatem ſanctæ crucis eo die confluxerant, non modica turba; acceptoque teſtimonio à parentibus & civibus puellæ, de eo quod acciderat, Deum publicis laudibus in ſancto ſuo devotiſſime glorificaverunt. Puella vero eodem die ad ſua incolumis reverſa eſt. Paralytica.

22. Vir quidam de civitate Lubeck [a], Adelvvardus nomine, ita paralyſis morbo longo tempore diſſolutus jacebat, ut nec in lecto ſemetipſum erigere, nec ad os manum propriam potuiſſet adducere. Hujus uxori beatus pontifex Bernvvardus in viſione apparuit, eamque, ut pro ſalute viri candelam juxta longitudinem ac latitudinem ſepulcri ſui factam, Deo vovere debere edocuit. At illa de ſomno evigilans, & viſionem retractans, ilico ſurrexit, & aſſumtis duabus feminis in veſtibulo domus ſuæ ſolo proſternitur, poſtque orationem, & votum promiſſum, ad maritum reverſa eſt, invenitque eum pro recuperata jam ſanitate Deo gratias agentem. Qui ab illa hora tam plenè convaluit, ut non longe poſt, ad votum perſolvendum cum uxore, ſancti viri ſepulcrum viſitaret, ac patrati in ſe miraculi relator certiſſimus exſiſteret. Item paralyticus.

23. Alio quoque tempore, jam dicti patrisfamilias filius adhuc infantulus, cujuſdam molis deſuper venientis ruina oppreſſus, atque contritus, cum jam pænè videretur exanimis, ejulabunda mater ad ſancti Bernvvardi patrocinium confugit; nec ſpe ſua fruſtrata eſt. Nam continuo poſt preces & lacrymas ejus ad Deum fuſas, ſub invocatione ſancti Præſulis puer tamquam ab ipſis mortis faucibus ereptus, vitæ redditus eſt.

24. Miles quidam Herebordus de villa Hornſen, diutina infirmitate conſumtus, ad extrema pervenerat. Cognatis autem & amicis illius, pro amiſſione cariſſimi ſui nimium dolentibus, Sacerdos ejuſdem loci ſuggeſſit, ut pro eo patrocinium beati Bernvvardi implorarent, votum facientes, ut ſi vitæ reſtitui & ſalutem conſequi potuiſſet, ad ſepulcrum ſancti laneis indutus, & diſcalceatus de domo ſua incipiens venire debuiſſet. Omnibus ergo id fideliter voventibus, æger melius habere cœpit; & proficientibus meliorationis ſuæ augmentis, in brevi ad plenum convaluit. Qui poſtmodum alterius cauſæ occaſione Bruneſvvich civitate conſiſtens, ex eodem loco ad perſolvendum votum iter arripuit, eo quod brevioris viæ compendio uſus, in ambulando minus eſſet laboraturus. Perveniens itaque ad civitatem Hildenſemenſem graviter infirmari cœpit. Sed tamen cœptum adimplere deſiderans, eccleſiam ſancti Michaëlis, in qua ſanctus Præſul requieſcit, expetiit; ſed ante atrium eccleſiæ, tamquam ab aliquo impulſus, corruit. His autem, qui comitabantur eum, apprehendentibus atque ducentibus; ut ad januam baſilicæ ventum eſt, horrore nimio perculſus, & pavore inter manus eorum collapſus eſt, nec ullo modo aſſur- Miles curatus infidelis iterum cruciatus ſanatur.

[a] Lubeca exigua olim civitas Holſatiæ in Saxonia inferiori, nunc una è præcipuis Germaniæ civitatibus, imperialis & libera. Huc anno 1162. tranſlata eſt ſedes epiſcopi Aldeburgenſis.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXXIII. Nov. xx.

gere, aut intrandi eccleſiam vires habere potuit, uſque dum publicà confeſſione, omnibus qui aderant, pro quo reatu hac pœna multaretur, aperiret. Receptis ergo viribus, ad ſua revertens, & inde procedens, voti ſui ordinem tanto jam devotior, quanto divino verbere eruditior, explevit.

Mulier ſanatur.

25. Matrona quædam Bremenſis, in infirmitate poſita, vidit aſſiſtere ſibi quemdam reverendi vultus in habitu ſacerdotali interrogantem eam, utrumnam agnoſceret quem aſpiciebat. Quæ reſpondens, ut poterat, vix enim in ſolo pectore vitalis ſpiritus anhelabat, dixit, eum ſibi prorſus incognitum eſſe. At ille benigniſſimo affatu, quod ipſe eſſet Bernvvardus Hildenſemenſis epiſcopus, indicavit; &, quia ſalutis cauſa adveniſſet, aſſeruit. Admonuit etiam, ut ad ſepulcrum ipſius [a] nummatam vini ad celebrationem Miſſarum, recuperata ſanitate, offerret: atque hoc dicto diſparuit. Mulier verò, quæ morti vicina putabatur, nam ſolo proſtrata, [b] more fidelium ex hac vita migrantium jacuerat, erigens ſe paulliſper, omnibus qui ad exitus ejus exſpectationem convenerant, viſionem enarravit; atque ab eadem hora ſalva facta eſt. Poſtmodum viſitans ſepulcrum Sancti, oblationem præſcriptam fideliter obtulit, aliiſque fidelibus ad ſequendam hujuſmodi devotionem, exemplo fuit. Nam multi poſtea tam pium factum imitantes, ſuffragantibus meritis beati Bernvvardi, à variis languoribus & calamitatibus ſunt liberati.

Miles à febre.

26. Miles quidam de ducatu Mekelenborch [c], febre acriter correptus, ad exhortationem aliquorum admonitus, ut ſancto Bernvvardo Hildenſemenſium patrono votum faceret, & ſine dubio relevamen & ſanitatem recipere non dubitaret, faciliter acquievit; & voto facto, mox ut verba ejus ore exierunt, ſanatus eſt; in cujus evidens teſtimonium miſit idem miles florenum aureum per duos Sacerdotes ad ſepulcrum ſancti Præſulis, qui prædicta ſic contigiſſe fideliter teſtati ſunt.

Ruſticus.

27. Ruſticus etiam quidam de diœceſi Hildenſemenſi, cum diu febricitaret, aquam de tumba ſancti Præſulis ſibi afferri petiit, quam mox ut bibere cœpit, febris abſceſſit; & poſt illum diem non comparuit, &, ut ipſe dixit, in ſanitate perſeveravit.

HISTORIA CANONIZATIONIS & Tranſlationis S. BERNVVARDI epiſcopi.

PRÆFATIO.

1. CUM ad laudem & gloriam Creatoris & Reparatoris univerſorum, & ad proximorum profectum, quilibet, quod poteſt, in domum Domini jubeatur offerre, cavendum eſt, ne quis intra ſanctam Eccleſiam fidelium in conſpectu Dei ſui vacuus appareat, ſed unuſquiſque ſecundum collatam ſibi à Deo gratiam de bonæ voluntatis theſauro, quantum valet, fideliter proferat, & in noſtri Salvatoris gazophylacio, ſaltem cum vidua paupercula, duo minuta voluntarie reponat. At nos exigui & imperiti ſermone, quid ad decorem domus Dei

a Licet hoc vocabulum ſæpius pro pretio rei per nummos æſtimatæ ſumatur, quandoque tamen pro ipſa re quæ nummis æſtimari poteſt, adhibetur. vide Gloſſarium Cangianum.

b Notanda maxime Fidelium tunc temporis devotio, qui nonniſi in terra jacentes ſpiritum emittere volebant. Vix nunc ſupereſt hujus ſanctæ conſuetudinis ullum veſtigium, etiam in clauſtris.

c Magnopolis, ſeu Megalopolis Latine dicitur. urbs olim ampla, quæ regioni nomen dedit, nunc tenue caſtrum eſt, ducatus tamen nomen retinuit, vulgo *Meckelbourg*.

Digitized by Google

dignè poſſimus exhibere non habentes, valde pertimeſcimus, ne inter ſervos pigros & inutiles numerari debeamus. Conſiderantes tamen, quod ante Dei oculos numquam vacua eſt manus à munere, ſi arca cordis repleta ſit bona voluntate; quia multis non poſſumus, vel ſaltem paucis prodeſſe volentes, ad utilitatem eorum, qui ſe ſacris lectionibus occupare conſueverunt, & quorum meditatio in lege Domini die ac nocte conſiſtit, glorioſam ſacri corporis Deo dilecti præſulis Bernvvardi Tranſlationem, quam noſtris diebus ſollemni fidelium devotione celebratam gaudemus, explanare proponimus, de illo utique præſumentes, qui aperuit os muti, & linguas infantium fecit diſertas. Ann. Ch. MCXCIII. Nov. XX.

2. Verum cum de converſationis ejus ſanctitate, geſtorum magnificentia, & tranſitu laudabili, bonæ memoriæ Tangmarus presbyter, diſerto ſatis ſermone, pleniſſimè narraverit; nos hoc prætermittentes, ad ea tantum ſtilum vertimus, quæ vel ipſi de miraculis ejus vidimus, aut eorum, in quibus patrata ſunt, probabili relatione cognovimus, vel quæ adhuc publica fama celebrante didicimus. Auctoris ætas.

3. Anno igitur ab Incarnatione Verbi Dei milleſimo centeſimo nonageſimo-tertio, CÆLESTINUS Papa tertius ſanctæ Romanæ præſedit eccleſiæ, vir ſacrarum litterarum documentis eruditus, habens utique unde proferret nova & vetera, ætate grandævus, colloquii ſuavitate blandus, &, ut paucis dicamus, ipſum cum ætate matura morum adornabat maturitas. Hic diſcretorum communicato conſilio, venerabilem virum [a] CINCIUM, presbyterum Cardinalem, in partes Daciæ [b] deſtinandum duxit, ut terram ſpeciali privilegio Apoſtolorum Principi ſubjugatam, Apoſtolorum Principis Vicarii vice reviſeret, & provinciæ illius Principes, gravi ab invicem diſcordia diviſos, ad tranquillitatis ſtatum, & pacis unitatem revocaret. Quod Apoſtolicæ legationis mandatum animo promto, Deo favente, prudenter exſecutus, cùm eſſet in redeundo, ad civitatem Hildenſemenſem, quæ ſe itineri ejus offerebat, declinavit, & in monaſterio beati Michaëlis à domino THEODORICO, qui tunc temporis ejuſdem cœnobii curam gerebat, pariter & à fratribus, hoſpitio benignè collectus eſt. Cæleſtini III. Papæ encomium.

4. His diebus ſancta civitas Jeruſalem, de qua per Prophetam à Domino dicitur, *De Jeruſalem civitate quam elegi, veniet vobis auxilium*; civitas noſtri Redemtoris præſentia ſimul & ſacræ paſſionis ejus ac reſurrectionis dedicata triumpho, inſcrutabili divinæ permiſſionis judicio, violenta Saracenorum manu tenebatur captiva; & cuidam SALADINO, ipſius nefariæ gentis Principi, miſera ſervitute ſubjugata; illud etiam vivificum ſanctæ crucis lignum, in quo Salvator pependit, & quod ſui ſanguinis effuſione ſacravit, per manus ſceleratorum de ſanctuario ſancti templi ſublatum, & in terram alienigenarum aſportatum eſt. Sepulcrum nihilominus, in quo Redemtor quievit, & in quo mulieribus angelicæ viſionis oſtenſa eſt gloria, ſic à Chriſtianorum alienatum eſt poteſtate, ut ipſis cuſtodibus, qui ad hoc obſervandum fuerant deputati, excluſis, nulli penitus fidelium ad hoc viſitandum acceſſus pateret, qui tributa reddere Saladino recuſaret. Sed quis hujus calamitatis miſeriam per ſingula enumerare ſufficiat? tota terra illa, cui benedixit Dominus, & in qua Filius Dei dignatus eſt naſci, inter homines converſari, pati, mori, reſurgere, cælos adire, & ſuper diſcipulos gratiam Paracliti mittere, ac plura viſibiliter ope- Jeroſolyma à Sarracenis capta.

[a] Is eſt procul dubio, qui poſtea ab Innocentio III. ſummo Pontifice in Siciliam legatus miſſus eſt qui cum Galteri Trojani Epiſcopi tranſlationem ad ſedem Panormitanam inconſulto Pontifice approbaſſet, ab Innocentio graviter eſt reprehenſus. qua de re legenda eſt epiſtola 131. ejuſdem Pontificis, & ipſius Geſta, cap. 39.

[b] *Dania* legendum eſſe cenſet Brouverus. Celebris fuit apud ſcriptores *Danicus cenſus*, qui Romanæ eccleſiæ ſolvebatur. Danos vero ſæpius ſequioris ævi ſcriptores cum Dacis confudere, ut obſervat Ortelius.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXXIII. Nov. XX.

rari miracula; terra, ubi Prophetarum & Apoſtolorum ſacra viguere præconia; cædibus, rapinis, & variis oppreſſionibus, quæ à ſupradicto tyranno exercebantur, laborabat, ſola civitate Tyro ſuperſtite; quæ propter ſui firmitatem & propter adjacentis maris latitudinem ſpatioſam; expugnari non potuit. Verumtamen miſerator & miſericors Dominus, miſericordiam ſuam in ira ſua non continens, qui numquam obliviſcitur miſereri, cum populo ſuo, quem diligit, corripit & caſtigat, in hac ſeveritate pie ac miſericorditer egit; multa fidelium millia, magnorum Principum & nobilium catervas innumeras, ad agendum pœnitentiam de commiſſis, plures eorum ad vitam præſentem termino laudabili concludendam, terræ illius amiſſionis occaſione clementer invitans. In hoc utique facto ad illius evangelici Samaritani exemplar, Chriſtiano populo propter varias plagas criminum, in illis partibus Jeroſolymitanis quaſi ſemivivo relicto, conveniens antidotum cæleſtis medicus renovavit, ſeveritatis vinum ſimul & oleum pietatis apponens; ut qui in arca tabernaculi virgam, & manna poni præceperat, unde plebem ſuo charactere inſignitam in amiſſione terræ ſanctæ virga percuteret, inde in agnitione ſuæ fragilitatis, ac cognitione proprii Creatoris, eam quaſi baculo ſuſtentaret.

Expeditio Chriſtianorum in terram ſanctam.

5. Hæc ideo huic opuſculo credidimus inſerenda, ut facilius clareſcat, quantis malorum perturbationibus illo tempore totus ubique pænè concuſſus fuerit orbis; cum neque regio aliqua, vel provincia, nec civitas quidem exſiſteret; quæ non bellis vel ſeditionibus coram poſitis laboraret, vel venturas formidaret. Nam ſicut omnia corporis membra ſolo capite reguntur, & infirmato capite cetera membra ægritudinis incommoda ſentire neceſſe eſt: ita poſtquam civitas Jeruſalem, ubi Chriſtianæ religionis exortæ ſunt primitiæ, prophani principis tyrannidi ſubjacuit, per omnes ferè fines, in quibus unius Dei frequentatur cultus, & maximè apud Saxoniam provinciam, rapinarum, incendiorum, aliarumque enormitatum exercebatur impietas, ut duris paſſionibus capiti ſuo gravato, reliqua ſanctæ Eccleſiæ membra non immerito condolere viderentur. Tunc igitur data eſt libertas, & reſoluta legum frænis ira ruit, ut ſi vir ille facundiſſimus ab inferis emergeret, aptiùs hoc ævo quam ſuis diebus exclamaret, O mores, ô tempora! Hac igitur inexplicabilis adverſitatis inſtantia totus ferè Hildenſemenſis epiſcopatus deſtitutus jacebat. Verum ſupra memoratus Romanæ ſedis legatus, tam diræ cladis violentia coactus, in præfato monaſterio per dies aliquot commoratus eſt. Nam quidam ſaniori uſi conſilio illum affectuoſe præmonebant, ne ſine potentis perſonæ conductu procederet, ne fortè per quoſdam malitiæ miniſtros, inſidiarum jacula & laqueos abſconditos qui ſibi tenderentur incurreret. Eorum igitur monitionibus & conſiliis aequieſcens, legatos ad Imperatorem pro litteris conductitiis ab eo impetrandis direxit, quia Hildenſemenſis epiſcopus in multis imperialibus obſequiis detentus erat, & ideo ei in talibus auxilio eſſe non poterat. Quibus ad Imperatoriam majeſtatem profectis, vir honorandus in loco jam ſæpe nominato perſiſtens, amplius quam trium hebdomadarum ſpatium complevit, nullis aliis niſi ſacræ lectionis ſtudiis invigilans, ut jam illius Orthodoxi noſtri, magnæ videlicet ſanctitatis viri Hieronymi, ſpiritalis exercitii videretur imitator; aut legendo ſemper aliquid aut ſcribendo. Ad hunc quotieſcumque, qui publicis ſceleribus implicati eſſent, veniebant rogantes, quatenus de injuncta eis pœnitentia ex conceſſa ſibi auctoritate aliquid relaxaret, in his diſcretè & prudenter ſe agebat: & primo cauſam modumque delicti diligentius perquirens, juxta culparum quantitatem condonationis gratiam temperabat. Sæpius etiam ad conventum fratrum accedens, eos, ut erat vir mitiſſimus, humiliter ſalutabat: cum quibus monaſterium ingreſſus, huc illucque

Saxoniæ miſer ſtatus.

Legati Romani vita exemplaris.

Indulgentias pœnitentibus ut concedit.

Digitized by Google

deambulando ſitum ejus & honeſtam per omnia diſpoſitionem mirabatur. Ann. Chr. MXXIII. Nov. XX.

6. Accidit ergo, ut una dierum oratorium ſolito ingreſſus, à fratribus qui præſentes erant requireret, qui tam magnifici operis fundator exſtitiſſet. cui à fratribus reſponſum eſt, quod à quodam Epiſcopo, magnitudine virtutum egregio, qui ante tempora ſanctæ recordationis [a] GOTHEHARDI epiſcopi Hildenſemenſis eccleſiæ regimen tenebat, idem locus conſtructus, conſecratus, & de poſſeſſionibus, quæ ſibi hereditario jure ceſſerant, dotatus eſſet. Præterea quod in crypta ejuſdem cœnobii ſacræ corporis ejus eſſent reliquiæ reconditæ: adjicientes, quod quædam quæ de probata ipſius converſatione conſcripta eſſent, apud eos haberentur volumina. Qui dum ſuper tanti viri nomine ſtudioſius requireret, audivit quod Bernvvardus ei nomen fuerit, & quod de claro Saxonum ſanguine exſtiterit oriundus. His auditis, Deum qui ſanctos ſuos glorificat benedicens, quædam de potioribus ejus miraculis in præſentia ſui recitari præcepit, diligentius inquirens, ſi in eadem congregatione fratres exſiſterent, qui aliqua de miraculis ejus celebrata vidiſſent. Cui plures è fratribus multa ſe de his frequenter vidiſſe reſponderunt. Ad hos Apoſtolicæ ſedis legatus: Si hæc, ait, quæ dixiſtis virtutum inſignia in præſentia ſummi Pontificis audirentur, non dubium quin rationabilem & honeſtam petitionem optatus proſequeretur effectus, ſi ab eo beati viri tranſlationem peteretis. Aliquantis dehinc evolutis diebus, cum fratribus capitulum ingreſſus, poſt dulcia exhortationis ejus verba, univerſi genibus ipſius advoluti ſupplicabant attentius, ut quia ſua inducti perſuaſione, pro tranſlatione beati Confeſſoris promovenda, legatos ad Romanam deſtinare proponerent eccleſiam, eis apud ſummum Pontificem pius cooperator exſiſteret. Illorum precibus admiſſis, conſuluit, ut hi qui certius aliquid de miraculis ſancti viri vidiſſent, aut vera comperiſſent, relatione in præſentia ſui & domini [b] BERNONIS, qui eo tempore pontificatus culmen gerebat, juramento confirmarent: impoſſibile dicens, ut eccleſia Romana facilem in hujuſmodi negotiis aſſenſum præbeat, niſi de veritate rei plenius antea fuerit inſtructa. Hic dum in audientia omnium propoſuiſſet, paratos eos & unanimes inveniens, cum ipſis pariter ad Epiſcopum acceſſit: ubi in facie ipſorum & totius eccleſiæ, fratres quæcumque de virtutibus & ſignis beati viri viderant, aut per idoneos teſtes didicerant, ſacramento præſtito in ſacro-ſanctis Evangeliis, vera eſſe conteſtati ſunt. Quam atteſtationem præfatus Cardinalis in ſcriptum redigi, & tam ſuo quam epiſcopali ſigillo diligentius conſignari mandavit.

a In S. Bernvvardi memoriam inquirit.

Suadet Rom. Pont. ea de re adeundum.

7. His ita de conſilio rationabiliter ordinatis, dominus Cardinalis valedicens fratribus, & de impenſo ſibi ab eis puræ dilectionis obſequio quam plurimum regratiatus, profectus eſt, domino Epiſcopo debita ipſum conducente reverentia, & in caſtro ſuo Vvincenburch illum hoſpitio excipiente. Cum quo Pater monaſterii uſque ad idem caſtrum proceſſit; & die ſequenti, cum ab eo benedictione petita, ad monaſterium redire pararet, fideliter conſuluit, ut rebus & impenſis præparatis, ſi forte pro ſæpedicto negotio Romanam viſitare vellet eccleſiam, eum, quam citius poſſet, ſubſequi non differret. Qui ad conventum rediens, omnem conſilii formam, quam ex ore viri venerabilis audierat, in communi propoſuit. Deliberatione dehinc habita, quis ad hoc negotium exſequendum mitteretur, univerſis viſum eſt, ut is qui Pater congregationis legatione fungeretur: congruum eſſe dicentes, ut ſuper tam celebris negotii promotione perſona celebris & idonea mitteretur. qui primo infirmitatis ſuæ conſideratio-

Ob id Theodoricus Abbas Romam mittitur.

a Godehardus Bernvvardi proximus ſucceſſor, cujus vitam habes infra ad annum MXXXVIII.

b Berno Epiſcopus Hildesheimenſis, qui hanc eccleſiam annis octo adminiſtravit, obiit anno MCXCVIII. Crantzius autem ei tantummodo unum regiminis annum tribuit.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXIII. Nov. XX.

nem & itineris difficultatem opponens, ac imparem ſe huic labori per omnia judicans, quod petebatur humiliter recuſavit. Tandem ad ipſorum cohortationem & precum inſtantiam, quod virium ſuarum robur ſciebat excedere, concordi & pia petitione devictus non dubitavit aſſumere.

Videtur S. Bernvvardus è ſepulcro procedere.

8. Ne quis autem ea, quæ de ſacri corporis elevatione tunc temporis tractata ſunt, caſu, & non potius Dei præordinatione acta fuiſſe affirmare præſumat, non illa caſu, ſed ex divinæ diſpoſitionis nutu, & de beati viri voluntate proceſſiſſe, declarat revelatio cuidam religioſæ converſationis oſtenſa matronæ, quæ merito vitæ, bonæ apud omnes opinionis, bonoque virtutum flagrabat odore. Hæc ſancti Spiritus edocta unctione, quamvis habitu ſæculari tegeretur, ſæcularem tamen animum nullatenus gerebat, ſed potius jejuniis, vigiliis, eleemoſynis, aliiſque Deo acceptis vacabat operibus. Hæc beati viri memoriam continuis orationibus frequentabat. Accidit ergo, ut nocte ſanctiſſimæ Reſurrectionis Dominicæ, dum ſolito precibus intenta noctem pervigilem duceret, tandem defatigata, ſicut erat in facie proſtrata, juxta Pontificale ſepulcrum leniter obdormiret: vidit ergo, quaſi aperto ſanctuarii tecto, & lapidum oppoſitione depoſita, ſuper ſepulcri locum olei liquorem cælitus deſcendere largiſſimum, adeo exuberantem, ut magnum cryptæ ſpatium ſuo ſtillicidio videretur infundere. quæ de rei novitate mirata, ſubito quod eſſet mirabilius aſpexit, perſonam videlicet reverendi vultus, pontificalibus præparamentis adornatam, de eadem tumba procedere, & talibus eam verbis affari: Tempus adeſt mea de terra quo membra leventur. His dictis expergefacta, quæ viderat & audierat, non paſſim omnibus, ſed paucis Deumque timentibus ipſius cœnobii fratribus retulit. Quam viſionem omni veritate ſubnixam ſubſequens viſio comprobavit.

Alia viſio.

9. Anno eodem, quo ſæpius dicta ſancti Præſulis tranſlatio celebrata eſt, quidam de ipſius monaſterio ſeu collegio vir vita laudabilis, vidit per viſum, quaſi cryptam ejuſdem cœnobii adoraturus intraret: cui apparuit qualiter de loco in quo ſacri corporis reliquiæ ſervabantur, fons ſcaturiret puriſſimus, qui jam adeo excreverat, ut ad oſtium cryptæ ſuo curſu proceſſiſſet. Miratus ergo, & de ipſo manibus hauriens, & ore deguſtans, mellis dulcedinem ſenſit. Qui currens ut Abbati & fratribus viſa nunciaret, ipſum monaſterii patrem in conventu fratrum ſtantem reperit. Cui dum de novi fontis eruptione narraret, nondum finito ſermone, fons ipſe, ut ſibi videbatur, effluxionis ſuæ largitate ante faciem ipſorum apparuit, quem videns is qui Abbati referre venerat: Ecce, ait, domine, fons ille de quo dixi vobis. Qui utrique lacrymati præ gaudio, flexis genibus, Deum à quo quicquid ſanctis virtutis datur venit, & quaſi à lucidiſſimo fonte procedit, benedixerunt. Dehinc poſt longas gratiarum actiones, talem Abbas prorupit in vocem: Merito, frater, Deum de univerſis donis ejus benedicimus, quia indubitanter ſcio, quod de gratia largitatis ejus, qui dives eſt in omnes, meritis dilecti Patroni noſtri ſuffragantibus, nil nobis de reliquo, ſi Deum timuerimus, deeſſe poterit. Evigilans, quæ viderat, ut pote vir humanæ laudis favorem omnino declinans, paucis è fratribus retulit, rogans quatenus audita ſilentio tegerent, donec certius cognoſcerent, quid de ſuæ viſionis myſterio divinæ ordinationi fieri placeret. Nos vero, qui hominem novimus, & hæc de ſe ipſo referente audivimus, fidenter quæcumque vidit, litteris mandamus, & cum ipſo quaſi cum viro, in quo dolus non erat, rei veritatem conteſtamur. Hæ geminæ viſiones, ſicut pæne uno & eodem ordine prodierunt, ita ſub uno interpretationis tenore intelligi poſſunt, quia unus & indiſſimilis ex his proceſſit effectus. Nam ſive olei largitas, vel fontis ubertas largitatem ſignabat miraculorum, quæ Salvatoris gratia, & ejus electi merito ſic exuberaſſe videmus; ut non jam tantum

tantum in ſola Saxonia provincia; verum etiam in multis mundi partibus celebris ejus frequentetur memoria, de quibus, quia nos ad cœptum orationis ordinem properamus, in ſequentibus plenius dicemus. Ann. Chr. MXXIII. Nov. XXI.

10. Cum ergo, ut ſuperius retulimus, de ſacri corporis elevatione crebro fratres conferrent, paucis diebus poſt diſceſſum Cardinalis evolutis, meritis beati Præſulis accidit res mira pro ſui magnitudinis dignitate, ſilentio nullatenus occultanda. Juvenis quidam, non ignobiliter natus, in epiſcopatu Hildenſemenſi erat notiſſimus. Hic in ea, quam præmiſimus, bellorum inſtantia captus ab hoſtibus, in civitatem Bruneſvvich adductus eſt. Qui dum ab eo quam non habebat extorquere vellent pecuniam, pedes ejus compedibus onerantes, manus vinculis vinxere ferreis, non quidem eas conſtringentes, ſed longius à ſe quaſi in equulei ſuſpenſione abinvicem extendentes, & clavis quibuſdam ſolidis parieti domus tenacius affigentes. quem ſic abſque cibi exhibitione per triduum ſtare coëgerunt, diligenter ne fuga elaberetur adhibentes cuſtodes. Anxius ergo quid faceret, cum humano deſtitutus nullum niſi divinum præſtolaretur ſubſidium, Deus cujus miſericordiæ non eſt numerus, qui erigit eliſos, & ſolvit compeditos, notis & amicis ſuis hoc inſpiravit, quatenus cum eo qui tenebatur in vinculis, voverent, ut ſi à præſentis inſtantia periculi mereretur abſolvi, beati Confeſſoris memoriam in habitu pœnitentiali viſitaret; & tantum inopiæ pauperum largiretur, quantum appenſum in ſtatera proprii corporis pondus penſaret eleemoſynæ. Voto facto, & ſancti Patris auxilio implorato, multa celeritate ruptis vinculis, & ſolutis compedibus, mirum in modum cuſtodibus, ut olim Heliſæi hoſtibus, cæcitate percuſſis, beati viri patrocinio, & fugæ confidens præſidio, die medio abſceſſit incolumis. Gratiæ dehinc circa ſe in tantæ neceſſitatis articulo exhibitæ non immemor, vota fideliter exſolvit; & taliter, ut diximus, rem circa ſe fuiſſe geſtam, coram fratribus, aliiſque qui aderant fidelibus, in ſacris reliquiis jurejurando conteſtatus eſt. qui clero & populo præſentatus, uno & eodem narrationis ordine, divinæ virtutis opus, diligentius & ſæpius de mera veritate requiſitus, palam omnibus enarravit. Omnes igitur in communi Salvatoris gratiam, qui tali civitatem ipſorum dignatus eſt illuſtrare patrono, collaudantes, hanc optabilem ſancti viri tranſlationem ulterius non debere differri clamabant, præſertim cum illud Deo, qui in ſanctis ſuis honoratur, & ejus electo gratiſſimum eſſe, tam evidentis oſtenſio miraculi declararet. De hujus miraculi patratione fratres vehementer in Domino gaviſi, decreverunt, quatenus hoc celebre factum litteris mandatum, & ſuo ſignatum ſigillo Apoſtolicæ ſedis Legato præſentaretur, ut tanto ferventius ipſorum negotiis inſiſteret, quanto illud ſancto Dei gratiſſimum fore novitate miraculi non dubitaret. Captivus S. Bernvvardi meritis liberatur.

11. His geſtis, dominus Abbas rebus & impenſis, quæ ad præfatam legationem erant neceſſariæ, præparatis, fratrum ſe orationi attentius commendans, peregrinatione aſſumta, præcedentem ſubſecutus eſt Cardinalem; eumque jam in confiniis Alpium apud monaſterium Schaphus [a], quod Latine Luxovium dicitur, reperit; ubi venerabilis pater Columbanus, ut ex geſtis ejus colligitur, Deo dignam, pauciſque imitabilem converſationem duxit. cujus adventu comperto gaviſus valde, in occurſum ejus proceſſit, & in amplexibus ejus diutius immoratus, gratiſſimum ſe viæ comitem habere proteſtatus eſt. Qui pariter inde digreſſi, verſus montem Septimium iter direxerunt. quem cum tranſituri eſſent, Andreas quidam Marmoracenſis caſtri, quod huic monti vicinum erat, habitator, armata eis manu occurrens, publicam itineris viam occupavit, eos & res ipſorum Abbas Romam petit. In itinere cum Legato ſpoliatur.

[a] Suſpicatur Brouverus vocem hanc Saxonicam fuiſſe, qua Luxovienſe monaſterium Saxones illi deſignabant.

ANN. CH. MXXIII. NOV. XX.

hoſtiliter invaſit; mandatum ſe ab Imperatore fingens accepiſſe, ne perſonam eccleſiaſticam Romanum adire pontificem, quæ litteras illo deferret, nullatenus pateretur. Omnibus dehinc ſub gravis juramenti interpoſitione comminatus eſt, niſi ſcripta quæ apud ſe habebant ipſius præſentiæ incunctanter exhiberent, eos mutilare non formidaret. Litteris ergo in communi prolatis furorem furore cumulavit; &, quod dictu nefas eſt, Vicarium ejus, cui ligandi ſolvendique poteſtas conceſſa eſt, captivare non timuit: quo in caſtrum Marmoracenſe contumelioſe abducto, rebuſque ſuis adverſaria manu diſtractis, qui in comitatu ejus erant, eo relicto, montem Septimium pedites tranſierunt. At memoratus Abbas montem in quo caſtrum idem ſitum eſt, difficulter aſſcendens, dictumque malefactorem de ſuæ legationis cauſa humiliter expediens, vix obtinuit, ut rerum ſuarum partem reciperet; data ſponſione ne ad partes adiret Italiæ, verum ad natale ſolum ſine retractatione rediret.

12. In tantorum igitur malorum poſiti diſcrimine, dum penitus quid facto opus eſſet ignoraret, tandem his qui cum eo erant viſum eſt, ut ad Curienſem [a] epiſcopum, in cujus diœceſi jam dictæ crudelitatis miniſter degebat, accederent, ſi forte ipſius auctoritate ad ſatisfactionem & rerum ſuarum reſtitutionem inclinari potuiſſet. Qui non longe à caſtro digreſſi, quoſdam præcipuos ejuſdem eccleſiæ fratres, & miniſteriales obvios habuerunt, qui eos fama vulgante, ſiniſtro caſu turbatos audierant; &, ut ea quæ relatu didicerant, oculata fide cognoſcerent, ad locum patrati ſceleris properabant. Hi compaſſione moti ſuper eos, ad virum exſecrabilem cum ipſis accedentes, Romanæ ſedis Legatum jam cuſtodia ejectum repererunt, quem ſcelerati raptores inſtanter urgebant, ut celerius abſcederet, paucis equis & rebus in parva quantitate ſibi reſtitutis. Zelo igitur Dei vehementer accenſi, firmum ſe pro domo Iſraël contra adverſarios murum oppoſuerunt, graviterque nefariis invaſoribus comminati ſunt, quia niſi viros, quos in animæ ſuæ periculum turbaverant, ſatisfactione competenti placarent, excommunicationis in eos non differrent promulgare ſententiam. Verum cum obſtinatam ejus, ut beſtialem per omnia mentem, nec lenitas monitionis, nec correptionis aſperitas permoveret, præpotens quidam, Rotholfus nomine, ex eadem provincia, audiens quæ geſta ſunt, commotus valde præfato prædoni mandavit; quia niſi rebus eorum reſtitutis, eos in pace quo vellent pateretur abire, ipſe tam enorme ſcelus non pateretur inultum; adjiciens ſi juſſis ejus non pareret, diu cum ipſo habitum fœdus reſcinderet, & caſtrum, de cujus munitione confidebat, funditus everſum ſolo adæquaret. Qui contrario ſibi accepto nuntio, importabile præſentiens, ſi gratiam ſui demereretur domini, prudenter apud ſe deliberans, quæ violenter abſtulerat magna ex parte reſtituens, eos ulterius detinendo moleſtare non præſumſit.

Rotholfus princeps ablata Legato & Abbati reſtitui jubet.

13. Rebus ſuis ergo receptis, poſt dies paucos Mediolanum venientes, apud eccleſiam beati Ambroſii hoſpitium habuerunt: ubi certius eis innotuit, quod gravis inter Romanæ ſedis Pontificem, & Imperatorem verteretur diſcordia; per totam etiam Italiam Imperatoris edictum pendere, ut quicumque reperti fuiſſent, qui cujuſlibet cauſæ obtentu, Romanam adire præſumerent eccleſiam, contumeliis affecti, rebuſque nudati, aut vinculis arctari debere, aut ad propria redire compelli. Quæ perſecutionis procella in tantum efferbuit, ut Oſtienſis epiſcopus à Francia rediens, apud Senam opidum, à ſatellitibus Imperatoris, omnibus ſuis antea diſtractis, in cuſtodia teneretur. Hoc nuncio ſatis exterriti, ratum duxerunt ut ab invicem diviſi, alius per Papiam, & alter per Placentiam tranſitum haberent, cautius eſſe judicantes hac ſeparatione, ſi fieri poſſet, manum

Mediolanum veniunt.

[a] Curia, Gallis *Coire*, urbs ad Rhenum epiſcopalis in Rhetia ſub metropolitano Moguntino.

Digitized by Google

declinare adverſariam, quam pariter juncti hoſtiles denuo experirentur inſultus. Qui cum lacrymarum & ſingultuum amaritudine ſegregati, poſt dies paucos cum ſenior memoratus Lucam veniſſet, & nulli ei ulterius procedendi daretur facultas, à publico peregrinorum declinans itinere, Piſam civitatem opulentiſſimam adiit; ubi cum nobilioribus civitatis de conductu locutus, ab eo aliiſque diverſarum provinciarum clericis accepta pecunia, fideliter polliciti ſunt, ſecurum & nullius auctoritate infringendum ſe ipſis præbituros conductum. Hos per loca maritima pariter dierum quatuor ſubſecuti ſunt. Verum cum nec per loca illa ulla penitus eſſet eundi ſecuritas, eo quod dolo & proditione unius eorum ductoris, à domino provinciæ ipſis inſidiæ tenderentur, habito conſilio, conſultius viſum eſt propriæ habitationis larem reviſere, quam feritate gentis illius, & rerum ſuarum amiſſione periclitari. Quid autem contrarietatis & moleſtiæ in redeundo pertulerint, quam difficulter multitudinem militum, quam à tergo imminentem viderunt evaſerint, lectoris parcentes faſtidio, ſub ſilentio tranſeundum putavimus.

Ann. Ch. MXXIII. Nov. XX.

Theodoricus Piſas adit.

14. Poſt diverſos tandem ſiniſtrorum eventuum caſus, poſt ſolutam cujuſdam caſtri, in quo ſe ut hoſtiles devitarent impetus receperant obſidionem, Piſam reverſi, plures eorum cauſis, pro quibus jam plurimum laboris & rerum expenderant, renunciantes, infectis negotiis ad propria repedabant. Verum jam ſæpe dictus ſenior, juxta illud viri Sapientis eloquium: *Jacta cogitatum tuum in Domino, & ipſe te enutriet*, ſpem omnem & fiduciam in Deo figens, & ſacri Præſulis, ob cujus honorem in terris ampliandum, exſul in ignotis errabat partibus orbis, ſeſe credens protectioni, dum quod ſibi faciendum reſtaret, anxio corde revolveret, nutu Dei negotiatores quoſdam ejuſdem civitatis mercimonii ſui gratia in proximo verſus Neapolim civitatem Apuliæ navigaturos audivit. Ad hos accedens, & cauſam ſuæ peregrinationis aperiens, tutiſſimum ſibi exſiſtere affirmabant, ut labore navigationis aſſumto, eorum ſocietati ſe jungeret, eo quod per vicina Romanæ civitatis, pænè ad ipſas Tiberis fauces applicare deberent. Qui gaviſus, Deoque, qui non derelinquit ſperantes in ſe, grates exſolvens uberrimas, eorum acquieſcens conſilio, primo quidem periculis latronum, periculis fluminum, periculis in falſis ductoribus, poſtremo periculis in mari pæne uſque ad defectum corporis attritus, Deo tandem duce, urbem Romanam ingreſſus eſt. Sed, quia ſedis apoſtolicæ Legatus, de quo ſupra retulimus, necdum adhuc redierat, ipſe litteris ejus, quas ad Cardinales, qui ei ſpecialis amicitiæ vinculo annexi erant, exhibitis, ubi ex earum ſerie intellexerunt, quantum ei præfatus Abbas dilectionis ac reverentiæ impenderat, quam plurimum regratiati, polliciti ſunt ſe cauſam, pro qua Romanam viſitaſſet eccleſiam, omni qua poſſent inſtantia promoturos. Dehinc poſt paucorum dierum curſum, idem Legatus, Dei cooperante gratia, totius pænè Romanæ civitatis exceptus occurſu, cum in audientia ſummi Pontificis diligentius expoſuiſſet, quanto dilectionis fervore in monaſterio ipſius Abbatis à fratribus tentus fuiſſet, maximum ex hoc favorem adeptus, non modicum, ut poſt patuit, honoris à domino Papa conſecutus eſt. Statuta poſtmodum die, ſummus Pontifex de adventus ejus cauſa inter Cardinales librum proponens, qui de vita & miraculis beati viri conſcriptus eſt, in audientia ipſorum recitari præcepit. Qui, ubi ſanctam ejus converſationem & virtutum inſignia compererunt, Deum qui in ſanctis ſuis mirabilis & glorioſus eſt, benedicentes, facilem in tam rationabili Deoque accepta petitione præbuere aſſenſum.

Pſal. 54. 23.

Romam tandem pervenit.

Acta ſancti Bernvvardi coram Papa & Cardinalibus recitantur.

15. Ad hæc, dominus Apoſtolicus præfatum Seniorem taliter alloquitur: Cùm te, frater honorande, tibique ſubjectos in religionis fervore, & monaſtici ordinis obſervantia laudabiliter audiamus proficere; & cum

Catalogo ſanctorum inſcribitur.

ANN. CH. MXXIII. NOV. XX.

venerabilem virum Bernvvardum, quondam Hildenſemenſem epiſcopum, cœnobii veſtri fundatorem, glorioſam & memoratu digniſſimam in terris vitam duxiſſe, & multis coruſcaſſe miraculis, textu vitæ ejus inſpecto, indubitanter ſciamus, auctoritate Dei & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, dilecti quoque filii noſtri Cincii Cardinalis interventu mediante, qui legationis ſuæ tempore multa, ut aſſerit, à vobis benignitatis expertus eſt argumenta, jam dictum reverendiſſimum virum in catalogo Sanctorum amodo numerandum decrevimus, & ſacratiſſimum corpus ejus de terræ gremio erigendum, & inter ſanctorum memorias veneratione condigna collocandum. Ad hæc Senior lacrymatus præ gaudio, pedibus ejus gratias acturus proſternitur; ſed aſſiſtentium manibus erectus, in oratorium beatæ Mariæ ſemper virginis ducitur, ibique Deo laudibus exhibitis, tam à ſummo Pontifice, quam à Cardinalibus, & maxima Cleri populique frequentia, beatus confeſſor in Sabbato ante natale Domini ſollemniter canonizatur.

Abbas monaſterium lætus repetit.

16. Litteris dehinc teſtimonialibus de his impetratis, aliiſque ſuis negotiis expeditis, licentia & benedictione à ſummo Pontifice accepta, memoratus Abbas ad propriæ habitationis locum redire maturabat. Cujus adventu civitas tota ſpiritali exhilarata gaudio, jucundiſſimi negotii exſecutorem jucundo ſatis excepit occurſu, perſonæ dilectæ ſoſpitati, & proſpero ad vota ſucceſſui multo congratulata favore. Verum, cum ea, de qua ſupra retulimus, totius provinciæ nec dum ſopita eſſet turbatio, propter multam rerum penuriam, & anguſtiam temporis, uſque in annum ſequentem placuit ſuſpendi negotium. Sub hac dilatione, meritis beati Præſulis, ab antiquorum miraculis patrum non differens accidit miraculum, eximiæ ſanctitatis ejus & pietatis immenſæ manifeſtum ſatis præbens argumentum.

Puer defunctus reſuſcitatur.

17. In ipſa civitate Hildenſemenſi, puer non ignotis ortus parentibus, ſubita ægritudine præventus immatura morte deceſſit; ut eſt moris in talibus, funeri exſequiæ parabantur. Parentes cariſſima orbati ſobole, poſt gemitus & lacrymas interni doloris indices, vicinorum qui aderant inſtinctu voverunt, ut ſi ſuffragio in proximo transferendi Antiſtitis defunctus vitam reciperet, ipſi cum oblationibus ejus honorabile ſepulcrum, una cum ſuſcitato gratias acturi viſitarent. Quid plura? parentes paruere conſilio: vitæ redditur exanimis, vota ſolvuntur, & beatus Confeſſor debitis ab utroque ſexu laudibus extollitur. Qui de facto hæſitaverit, multitudinis quæ aderat accipiat teſtimonium.

Meſſis maturius quà aliis annis facta.

18. Neque hoc reticebimus, quod anno eodem ſic maturè frugum aliorumque ſeminum acceſſit maturitas, ut ſolita metendi tempora longe præveniſſe viderentur, in tantum ut centenarii ſenes numquam ſegetes adeo tempeſtivè ſuo collectas ævo faterentur; hoc nimirum Deo, cujus omnia nutu reguntur, procurante, ut ad imminentem beati Præſulis feſtivitatem, actibus exoneratus neceſſariis, longius latiuſque liberior populus occurreret & expeditius feriaret. Frequentes etiam anno toto à fratribus aliiſque fidelibus orationes ad Deum porrectæ ſunt, ut ea quæ pro electi ſui glorificatione facienda erant, ad honorem & laudem ſui nominis benigno proſequeretur effectu. Jamque ſacratiſſimæ Virginis aderat Aſſumtio, cum non ſolum propter ſpecialem Hildenſemenſem feſtivitatem, verum etiam pro ſanctarum reliquiarum ſublevatione, quæ proxima die [a] celebranda erat, cum diverſarum eccleſiarum Prælatis inæſtimabilis multitudo, non tantum de propinquis & cognitis, ſed etiam de remotis terrarum provinciis certatim confluxerant. Qua die in Dei laudibus ob venerationem piæ Matris ejus ritè peracta, dominus Berno epiſcopus, cujus

Omnia ad Tranſl. diſponuntur.

a Hac ipſa die habetur in Menologio Benedictino Bucelini.

Digitized by Google

auctoritate & miniſterio res erat promovenda, ſub ipſius noctis crepuſculo, ſecretius ad monaſterium, ubi ſacra pignora ſervabantur, venit; quonam ordine in re divina procedendum eſſet, cum fratribus aliiſque gravibus perſonis deliberaturus. Verùm, cum pro nimietate popularis frequentiæ, qui præoptatam ſacræ tranſlationis horam diligentius obſervabant, nulli penitus ad ipſum ſepulcri locum aditus pateret, placuit, ut remotis omnibus ipſe Pater monaſterii cum aliquantis fratribus aliiſque viris religioſis aſſumtis, lapidem, qui eidem tumbæ ſuperpoſitus erat, facerent removeri, ne poſtmodum in ſacri corporis elevatione maximus ille concurſus mora detineretur invita. Quo facto, januis eccleſiæ firmiſſimè ſeratis, & lapide ſublato, ſarcophagum ſatis admodum idonee ſculptum viderunt; quo præmiſſis orationibus patefacto, ſpiritalem & antea incognitum exhalans odorem cæleſtis ille theſaurus, regalibus utique divitiis incomparabiliter præferendus apparuit.

ANN. CH. MXXIII. NOV. XX.

Odor ſuavis emanat è tumulo.

19. Nec defuit ille, qui in ſuo nomine congregatis numquam deeſſe conſuevit Jeſus noſter, Jeſus bonus, cujus gratia viſitante cæcitatis humanæ caligo detergitur; cujus illuſtratione cordis impœnitentis, quo in ſpiritum ejus peccatur, duritia mollitur. Videres enim nonnullos eorum, qui aderant, dum ſuas examinant conſcientias, in lacrymas reſolutos; dumque ſe cognoſcunt à meritorum ejus longè diſtare præconiis, artus cæleſtium præceptorum olim jugo exercitatos vix audere contingere. Sciebant enim virum nobilitatem carnis, quæ ſuperbiæ fomentum eſt, intuitu Conditoris & propriæ conditionis humilitate, calcaſſe. Accedebat memoriæ hominem caſtitate Angelicum, nam caſtitas cum humilitate Angelicæ puritatis eſt particeps, adeo pudicitiam carnis intra cordis hoſpitia inviolatam conſervaſſe, ut ab annis tenerioribus uſque ad vitæ tranſeuntis occaſum, caſus nivei pudoris inexpertus, merito *cum eis qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, ſequatur Agnum ſine macula, quocumque ierit.* Legerant nihilominus, paſtorem piiſſimum, pauperem quidem ſpiritu, æternitatis amore manus ad pauperes extendiſſe largiſſimas. Adverterunt geminæ caritatis in qua lex pendet & prophetæ, ſic in ejus pectore convaluiſſe vigorem, ut non fratrum affectum tenerrimum, nec propinquorum lineam clariſſimam, non affinium aut amicorum nobilitatem, ſed cæli Dominum, ſui heredem ſtatuerit. Et nunc jure cum illis, quorum *Dominus pars hereditatis eorum*, & *quorum funes ceciderunt in præclaris*, centuplum accipiens, immortalitatis dote veſtiatur. Sed quid multis moramur? Quod Deus faciendum præordinaverat, hominis erat devotione adimplendum. Excipiuntur tandem de tumulo membra loco celebriori collocanda, & ad inſtar Dominici corporis, famuli ſui corpus ſyndone munda involutum, mane ſequenti, eccleſia, Prælatorumque præſente frequentia, reverenter de terræ pulvere ſublevatur, & ea hora qua Spiritus veritatis in linguis igneis diſcipulos viſitaſſe affirmatur, per medium deportatur eccleſiæ, & tam Cleri quam populi univerſitas in ejus laudem accenditur: caſula etiam ſerica beati Præſulis, in qua tot annis, ſcilicet centum ſeptuaginta duobus ſepultus fuerat, adhuc recens & incorrupta apparuit, cujus etiam tactu multi infirmi curati ſunt.

Apoc. 14.

Pſalm. 15.

Levatur & transfertur ſacrum corpus.

20. Affuit ſtatim quædam, ut præmiſimus, per olei ſtillicidium præſignata circa languentes larga ſanitatum operatio. Nam dæmone diriſſimo mulier quædam vexata, dum ad tumulum Deo digni Antiſtitis à viris octo ſpiritu renitente maligno, vix deprimitur, illius mediante ſuffragio, multis præſentibus & rei eventum præſtolantibus, hoſte fugato femina mundatur, ut liquido pateret, quod is qui ſpiritu ſemper mundo, quo Deus videtur, pollebat, ſpiritibus potenter imperaret immundis.

Miraculis coruſcat. Dæmoniaca liberatur.

21. Corpore dehinc ſacro cum laudibus & canticis ſpiritualibus ad principalem eccleſiam deportato, ibique Miſſarum ſollemniis pro præſentia

In cathedralem defertur, & inde ad monaſterium.

Digitized by Google

ANN. CH. MXIII. NOV. XX. tanti Patris feſtivè celebratis, incredibili ſexus utriuſque ſtipatum caterva, denuo ad monaſterium refertur.

Cæca viſum recipit. 22. Interea munerum divinorum erga ægrotos multiplicantur beneficia. Nempe anus quædam, multo tempore viſu privata, ob ſpem recuperandi luminis beati viri præconium interpellabat attentius, ſtatimque ſanie ab oculorum loco largius prorumpente, multis intuentibus, & teſtimonium de diuturna cæcitate perhibentibus, viſum recepit.

a Miniſterialis ſanatur. 23. Miles quidam Udalricus de villa Blithenem, principalis eccleſiæ [a] miniſterialis, cum in oculo altero ex igne ſacro tumeſcente, nihil eo videns graviſſimè torqueretur, ipſo die tranſlationis, aquam beati Pontificis brachio benedictam & intinctam ſibi afferri devotius petivit, eaque oculi tumorem liniens, mira celeritate viſu recepto, & tumore laxato, ſedavit dolorem. Poſtmodum de rei veritate requiſitus, eo quo diximus ordine remedium conſecutum, lacrymis ubertim præ gaudio fluentibus, proteſtatus eſt.

Alter liberatur à latronibus. 24. Item alius majoris eccleſiæ miniſterialis, Gerungus nomine, ad idem ſollemne feſtivitatis gaudium, ſcilicet tranſlationis, cum uxore & liberis advenerat. Qui cum poſt divinæ ſervitutis officia redire domum pararet, in ſilva quadam hoſtium, quos plures habebat, incautius feritatem incidit, à quibus captus & in interiora ſilvæ deductus, ferro ponderoſo ſatis ad arborem eximiæ magnitudinis conſtrictus eſt. Cum ergo de viro arctiſſime vincto ne ſe ullatenus effugere poſſet ſecuriores exſiſterent, & ipſi per nemus liberius paſſim vagarentur, captivus ille cum beati Patris, cui ſe attentius ea die commendavit, patrocinium obnixius imploraret, ſubito ferro quo vinctus fuerat divinitus confracto, & vinculis quibus manus ejus à tergo ligatæ fuerant diſruptis, incolumis abſcedens, uxorem ſuam, quæ pro ſui abſentia nimia erat amaritudine confecta, ad propria rediens ſua ereptione conſolatus eſt.

Cæcus ſanatur. 25. Eadem die ad horam veſpertinam, puer ſeptennis à nativitate cæcus, ad tumulum ſæpe memorati Præſulis lumen recepit. Sed cum fratribus & pluribus qui aderant eccleſiarum Prælatis de facto non conſtaret, parentibus pueri, & eis qui rem noverant ad medium deductis, eorum teſtimonio plenius certificati ſunt.

Preſbyter incredulus punitur. 26. Sacerdos quidam, Gerlacus nomine, canonicus ſancti Mauricii, cum nimium eſſet incredulus eorum, quæ de ſanctitate & virtutibus ſancti Bernvvardi reſonabant, ex divina diſpenſatione incidit in languorem. Tandem cum peritiſſimi medici circumſtantias morbi inveſtigaſſent, ſuaſerunt ut potius de animæ quam corporis ſanitate curam ageret, aſſerentes quod hæc ſpecies morbi, aut vix, aut nullatenus decidi poſſet. Preſbyter itaque præfatus, mortem cum ante oculos audiret adeſſe, beatum cœpit invocare Bernvvardum, ut ei à Deo ſpatium vivendi obtineret. Cumque hac precum inſtantia defatigatus obdormiſſet, ecce poſtquam evigilavit, invenit ſe ab omni infirmitate liberatum.

b Militi captivo S. Bernvvardus opem fert. c 27. Quidam miles devotus de Padelburne [b], Odalricus nomine, ab inimicis ſuis captus, & in caſtrum quoddam ſublimiſſimum, quod Ravenſberch [c] dicitur, perductus, cuſtodiæ, ac vinculis mancipatus eſt. Qui videns ſe in magno vitæ diſcrimine poſitum, nec ullum patere effugium, toto corde confugit ad divinum adjutorium, ſanctum Bernvvardum ſpecialiter invocans, lacrymis & ſuſpiriis obſecravit, ut eum de præſenti liberaret anguſtia, quatenus per hoc amplius mundo innoteſcerent ejus

a Miniſteriales erant ut plurimum viri quidem nobiles, ſed ex inferiori nobilium ordine. de variis hujus nominis ſignificationibus conſulendum eſt Cangii Gloſſarium.

b Paderborna vulgo dicitur, urbs epiſcopalis notiſſima in Saxonia inferiori, ſub proprii epiſcopi dominio.

c Ravenſberga opidum eſt Germaniæ in Weſtphalia, Comitatus cognominis caput, ſub Brandeburgenſis electoris ditione.

Digitized by Google

beneficia. Quadam itaque nocte, ubi cuſtodes obdormiſſe advertit, compedem manu tentavit, experiri volens, ſi qua arte vel induſtria eximi poſſet ab illa; invenitque ferri duritiem, velut plumbi laminam præter ſpem emollitam. Tunc nemine ſciente, & abſque difficultate diſſolvens omnia vinculorum retinacula, cœpit quærere unde facilius evadere poſſet, agnoſcenſque omnes exitus diligenter obſeratos, committens ſe omnipotenti Deo, cum beati Bernvvardi patrocinio murum ſcandit, & ab alto deſiliit, ſed in nullo penitus eum vel vallis profunditas, vel ſaxorum ſubterjacentium aſperitas læſit. Liberatorem ergo ſuum alacriter & ſine mora expetens, Hildenſem venit, peractum circa ſe miraculum palam omnibus enarravit, atque in teſtimonium peractæ virtutis compedem ſecum delatam ſuper beati Pontificis tumbam pependit. ANN. CH. MXXIII. NOV. XX.

28. Ortus quidam puer in Hildenſem Ezici filius, diſtortum habens pedem, ita ut longior pedica curvata plantæ videretur contigua, pro quo cum parentes votum feciſſent beato Bernvvardo, puer recepto pedum officio, patrem ad ſepulcrum ſanctiſſimi Præſulis eſt ſecutus. Claudus ſanatur.

29. Contigit aliquando ut reliquiæ beati Bernvvardi ad villam Brandeſleve deferrentur, in qua quædam virgo fuit, quæ ab ortu nativitatis unius cruris officio erat privata. Quæ cum pro ſpe ſanitatis ante reliquias proſternitur, cœperunt contracti cruris nervi tanta vi diſtendi, ut ſonitus audiretur à multis. Ipſa vero doloribus nimiis cruciabatur, ſed poſt unius horæ ſpatium integram recepit ſanitatem. Contracta.

30. Erat quidam miles in eadem villa, qui habebat filium, qui propter alterius cruris brevitatem, ſine ſuſtentamine impotens fuit ad eundum. Hic ad beati viri tumbam adductus, crure debili alteri coæquato, ſalutem recepit. Claudus.

31. Obſeſſa multo tempore à dæmone mulier quædam, de Trajecto ad beatum Bernvvardum ducebatur. diabolus autem cum Hildenſem appropinquaret, clamavit ſe Bernvvardi domum non intraturum, eo quod ipſe hoſtis eſſet acerrimus magiſtri ſui. Fideles vero, cum hæc audiſſent, trahendo & impellendo nihil penitus potuerunt proficere, donec ipſa de manibus trahentium ſe excutiens, in lacum luto repletum deſiliit, ut dæmon ibi feminam ſuffocaret. Quam extractam ut mundarent extrinſecus, intellexerunt mundatam interius, & cum ingenti gaudio cum ſuis comitibus ad beati Præſulis ſepulcrum pervenit. Notificatur hoc miraculum plurimis per ſequens. Dæmoniaca.

32. In Lubeck quidam, Henricus nomine, ſedit in menſa cum conjuge ſua Mecthilda. hæc mox in furiam converſa à multis funibus eſt ligata. ſacerdotes vero & Clerici reliquias apportantes exorciſmos & conjurationes legebant. Tunc dæmon prorumpens in vocem, clamavit: Clerice, quid te fatigas? propter te hinc non recedam; quia in furore ſuo vir ejus mihi ipſam tradidit ad inhabitandum. Nam & ego decem & octo annos in alia muliere manſionem habui, ſed quidam me ad quemdam Bernvvardum trahere volebant, unde me relinquere eam oportebat. His auditis, neceſſaria pro itinere ad beatum Bernvvardum paraverunt. Omnibus itaque præparatis, dæmon clamare cœpit: Bernvvardum non audire, nec videre audeo, unde me fugere oportet. & hoc dicto abſceſſit, ſtatimque mulier ſenſum recepit, & gratias ſuo liberatori egit. Item alia.

33. Erat in Thuringia in Denſtede vidua quædam, Adeldrud nomine, per viginti annos à dæmone fatigata; quæ ad patrocinium beati Præſulis confugiens liberata eſt. Item alia.

34. Matrona quædam in Magdeburch fuit, cujus filia cum in ultimo vitæ ſpiritu agonizaret, ex divino inſtinctu quædam devota incluſa eidem perſuaſit, ut in beati Bernvvardi memoriam pro filiæ ſanitate face- Mulier ægrota ſanatur.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXXIII. Nov. XX.

ret Miſſam decantari. Cum autem Miſſa decantaretur, ipſa infra Miſſam beati Præſulis ſedulo imploravit auxilium. cui ab eccleſia revertenti filia læta & incolumis occurrit; & continuo cum matre ad beati Bernvvardi ſepulcrum procedens, quam celeriter eſſet liberata patefecit.

Sacerdos ab oculi dolore curatur.

35. Venerabilis quidam ſacerdos in Solſchen fuit, Reinerus nomine, qui cum quadam die pecora minaret de domo, virgæ particula oculo ejus infixa tanto eum dolore affecit, quod oculum ſe poſſe retinere minime credebat; qui abiens in aliam villam ad quamdam Dei famulam, ut pro eo oraret, & votum beato Bernvvardo faceret. Completo itaque voto ad villam ſuam cum rediret, priſtinam ſanitatem eſt in via conſecutus.

Pauper à ſanguinis fluxu.

36. Erat in civitate Mindenſi pauper quidam, Henricus nomine, qui quadam infirmitate, ſcilicet ſanguinis fluxu, graviter tactus, ita ut ex hoc mortem ſibi jam vicinam adeſſe formidaret, tandem meritis beati antiſtitis Bernvvardi, qui Paſtor & pater pauperum communi vocabulo vocabatur in vita ſua, cui ſe hic pauper cum devotione & oblatione cerei commendaverat, gratioſe ſanatus eſt. Qui beneficii accepti non ingratus, hoc quod voverat ad altare ſancti viri, ſcilicet Bernvvardi, cujus in brachio argenteo ſervatur particula, cum debita reverentia cereo accenſo, multis videntibus & Deum laudantibus, fideliter perſolvit.

Alius à ſubmerſionis periculo.

37. Civis quidam Mindenſis in vigilia ſancti Johannis-Baptiſtæ ad devaſtandum caſtrenſes de Vorenholte in dominio de Lippia, Vviſeram fluvium cum magna populi multitudine per vadum tranſiens ab aquis rapitur, & pæne ſicut alii ſeptem ex ſuis per aquam ſuffocatis ſubmergitur. Ipſe vero ſentiens ſibi mortem imminere, beatum Bernvvardum, cujus reliquiæ apud ſanctum Paulum in Minda ſervantur, invocans, & ſuum humiliter implorans auxilium; & ecce ſubito rota de curru exſilivit, per cujus adminiculum & beati viri meritis, homo prædictus mortis horrorem & periculum evaſit. Domum igitur reverſus, ſtatuam ſive imaginem ceream, rotam manibus tenentem, ad altare ſupradictum, prout voverat, devotè & humiliter portavit.

Crus confractum ſanatur.

38. Vir quidam de Oldendorp, de hac felici feſtivitate rediens, in foveam profundam lapidei montis cecidit. quo extracto, & in curiam delato, crus in partes confractum apparuit. qui nimio dolore cogente ſe ad patrocinium beati Præſulis contulit; & ecce mox divinitus remedium ſentit. Et quarto die ad tumbam rediens, Deo & beato Bernvvardo gratias & laudes egit.

Captivus liberatur.

39. Quidam in cellario Hildenſem ferro conſtrictus habebatur, qui ſub invocatione nominis ſancti Bernvvardi ferrum rupit, & ſurgens oſtium quo clauſus fuerat aperiri vidit; & nemine ſe prohibente, vel vidente ac detinente, prædicta die liberatus, ad tumbam ſancti Præſulis cum laude proceſſit.

Mulier à ſacro igne ſanatur.

40. Infirmitate valida quædam femina per biennium fatigata, & ex ſacro igne in tribus locis tantum infeſtata, ut auditu jam penitus eſſet privata: quæ voto facto ad beatum Pontificem Bernvvardum una parte recepit auditum. Sed cum votum perſolvere cœpiſſet, in altera etiam parte eſt ſervata.

Pauper amiſſos porcellos recuperat.

41. Uxor cujuſdam pauperis apud ſanctum Michaëlem in Hildenſem porcellos octodecim dierum ſub ſtrue lignorum ſine matre per hebdomadam amiſerat. quæ voto facto beato Bernvvardo, ſine nutrimento porcellos per tot dies manentes, in domum ſuam ſanos & incolumes recepit.

Miles curatur.

42. Miles quidam in Elze habitabat, qui per aliquot annos urinæ incommodo laboravit, nec medicorum remediis poterat adjuvari. Cujus uxor plena fide & ſpe, ad Tranſlationem novam ob ſpem ſalutis ab eo mittitur, & eccleſiam ſancti Michaëlis ingrediens, ſe ad patrocinium beati

Bernvvardi

Digitized by Google

Bernvvardi contulit; quæ poſt preces devotas domum rediens, ab omni priori incommodo reperit maritum penitus liberatum. ANN. CH. MXXIII. NOV. XX.

43. Duæ mulieres ipſo die tranſlationis ſpe recuperandi viſum adductæ ſunt; ſed una in Præſulem ſanctum quaſi durius invecta, pro eo quod diutius clamanti ſpem parvam haberet, & propterea in uno oculo ſanie prorumpente, quaſi rupta vena, viſum recepit: alia autem, multis videntibus & orantibus, illuminata eſt in oculis ambobus. Mulieres cæcæ.

44. Vir quidam ſatis famoſus & annoſus, Henricus nomine, de Haſſia civis Caſſenſis [a], pro negotiis ſuis civitate exiens, equeſter ad prædium quoddam quod ſuum erat viſitandum in meſſis tempore. Hic ex improviſo irruit in hoſtes civitatis nominatæ; & ab illis capitur, & captivus ducitur ad caſtrum incarcerandus. Sedit igitur mærens in carcere, cippo recluſus, & multum famelicus, quia in quinque diebus nihil ſibi potus aut cibi miniſtrabant; debebat enim fame mori. Hic ſic anxius conſolatorem nullum habuit; ſed & mortem anxius exſpectavit. Venit autem eidem ad mentem, qualiter ſanctus Bernvvardus, noviter tunc canonizatus, conſolatus eſt quamplures tribulatos ipſum invocantes. Ideo etiam ipſe devotione qua potuit voto prius emiſſo, quod cum oblatione notabili nudipes ſepulcrum ſuum viſitare vellet, ſi eum de carcere dignaretur liberare, & nec carnes comedere propoſuit, niſi votum eſſet adimpletum. Facto igitur hoc voto, dormire cœpit in mærore ſuo, & ſic quievit nocte illa. Denique evigilans, invenit ſe in campo peroptime ſibi noto non longe à Caſſe civitate ſua, cujus erat civis, & compedes pedum ipſius prope eum. Unde lætus ſurrexit, & civitatem gaudens intravit, & narravit omnibus, qualiter per merita ſancti Bernvvardi Hildenſemenſis epiſcopi eſſet de carcere mirabiliter & miraculoſe liberatus: & omnes qui audierunt cum eo Deum benedicebant & ſanctum Bernvvardum, cujus meritis reſtitutus erat priſtinæ libertati. Captivus liberatur.

45. In Driſpenſtede puer quidam, unicus filius parentum ſuorum, in foveam cecidit profundam, totoque corpore colliſus, & mortuus extrahitur, unde parentes multum doluerunt. Mater autem ipſius ſepulcrum ſancti Bernvvardi maxima cum feſtinatione & devotione petiit, & ibidem ſe proſternens humiliter ſupplicavit ſanctum Bernvvardum, ut filium ſuum defunctum precibus & meritis ſuis reſuſcitare dignaretur: & facta oblatione ad domum rediit; & filium, quem mortuum planxerat, vivum invenit & ſanum. Deinde parentes una cum puero reſuſcitato ad ſepulcrum venerunt, & dominis ſancti Michaëlis, nec non & aliis utriuſque ſexus hominibus, rem geſtam in puero plane narraverunt, & Deum in ſancto ſuo laudaverunt. Mortuus reſuſcitatur.

46. Vir quidam civis Brunſvvicenſis, dictus Henricus de Bulzem, illo tempore quo reliquiæ ſancti Bernvvardi ad eccleſiam fratrum Prædicatorum ibidem ſunt delatæ, filium habuit morbo caduco valde conturbatum. hic audiens prodigia & ſigna, quæ Deus meritis ſancti Bernvvardi operari dignatus eſt in mortuis & infirmis, venit cum filio ſuo infirmo ad eccleſiam antedictam; & ante reliquias ſancti Bernvvardi proſtratus in oratione, petiit ab eo cum lacrymis filii ſui ſanitatem. Denique ſurgens ab oratione, obtulit ſuper altare argenti partem non exiguam; ſicque cum filio ſuo ad propria reverſus, numquam deinde morbum caducum paſſus eſt. Qua propter parentes ipſius grates maximas Deo & ſancto Bernvvardo retulerunt. Epilepticus ſanatur.

47. Eodem etiam tempore, ſcilicet anno Domini milleſimo trecenteſimo decimo-quinto, erat quidam prædives in Brunſvvich, nomine Johannes Grube: hic oculorum dolore ſic turbatus eſt, ut cæcitatem incurre- Cæcus recipit viſum.

[a] Caſſela Haſſiæ cognominis urbs præcipua, cujus Princeps Lantgravius appellatur.

Ann. Ch. MCCCCXXXIII. Nov. XX. ret, & in quatuor annis manus ſuas minime videret. Hic ut percepit quià reliquiæ de corpore ſancti Bernvvardi ad fratres Prædicatores delatæ eſſent, vocato ad ſe Priore informari petiit, qua reverentia vel honore ad ſanctum Bernvvardum accedere poſſet, ut lumen oculorum recipere mereretur. qui à Priore informatus, illuc altera die cum uxore & filiis coram reliquiis ſancti Præſulis humiliter opem ſuam flagitabat. mira res & ſtupenda! Cum enim prædictus cæcus in annis quatuor manus ſuas non vidiſſet, nunc ab oratione ſurgens clare vidit omnia, & clarius quam umquam ante cæcitatem viderat; & fratres ibidem præſentes ſine baculo viſitans, ſine ductore, & loquebatur ſingulis, & unumquemque ſalutavit & nomine appellavit proprio. Unde omnes admirati ſunt, laudantes Dei clementiam, qui meritis ſancti Bernvvardi ſignum fecerat tam evidens atque mirificum. Ipſe etiam qui cæcus fuerat, ſanctum Bernvvardum omnibus diebus vitæ ſuæ in reverentia habuit & honore: & quicquid in eleemoſynarum largitione & aliis piis operibus ob honorem ſancti Bernvvardi expendere poterat, numquam patiebatur neglectum.

Meretrix ad pœnitentiam adducitur.

48. Femina quædam fornicaria Hildesheim in lupanari fuerat aliquibus annis, cui, Deo inſpirante, in feſto tranſlationis ſancti Bernvvardi ad mentem venit, ut prandio peracto viſitaret eccleſiam, & audiret verbum Dei. quod & fecit. Compuncta autem in illo ſermone, de peccatis ſuis cœpit amariſſime flere. Sed & finito ſermone ſurrexit, & flens ad ſepulcrum ſancti Præſulis properavit, & proſtrata ibidem flet uberius, rogans ſanctum Bernvvardum, ut eam de flagitioſa illa vita eripere & avertere dignaretur, poſſetque ſe cum emendatione in melius commutare. Et completa oratione ſurrexit, & proſtibulum more ſolito eſt ingreſſa, & parvo poſt tempore elapſo, quadam nocte ipſa dormiente videbatur ſibi adſtare quidam in Pontificali habitu, vultu decoro, ſole ſplendidior; qui ait ad eam: Surge filia, & exi civitatem hanc in locum quo te Deus direxerit. Quæ ſurgens mane, exivit per portam indaginis, verſus Hannover properavit, & ultra per civitates interjacentes pergens venit ad regalem civitatem Lubeck, & inde dirigens viam verſus Yuclandiam ſe convertit; habebat namque fratrem in una civitatum Yuclandiæ, quæ dicitur Haderſleve, quem viſitare propoſuit, ut ejus conſilio ad vitam meliorem ſe diſponeret. Venitque tandem in quamdam villam non longè ab Ulenſeborch diſtantem, & pernoctans ibidem cum quodam divite villano permanſit. Qui videns eam obſequioſam, cœnam ei præparavit, & mane facto eam alloquitur, & pro pretio ſatis competenti in ſuo miniſterio retinuit. Hic autem villanus privatus erat uxore, eratque ei ſubſtantia non modica. Qui videns eam virilem & fidelem, in uxorem eam accepit, diligenſque eam dedit ei omnia quæ habuit, & ſic bono fine ſenio confectus quievit. Quæ poſt anniverſarium viri ſui, juvenem opulentum accepit maritum, cum quo habuit omnem caritatem. Sed & meritis ſancti Bernvvardi hoc in ſe factum novit, qui eam etiam ab infamia fornicariæ ſuæ vitæ quam prius habuerat, penitus præſervavit. Prædicta autem femina hoc de ſe retulit cuidam ſacerdoti in confeſſione anno Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo-primo, ſequenti ſancti Michaëlis die, ad quod feſtum cauſa devotionis venerat, ut omni anno facere conſuevit, ut Deo & conſolatori ſuo ſancto Bernvvardo debitas ſolveret gratiarum actiones.

Puer pæne ſuffocatus liberatur.

49. Cum puer quidam denarium in ore haberet, & more puerili ludendo vel in ore volvendo deglutiret, repente præ nimio dolore & anhelitus diminutione in gutture quaſi ſuffocatus, morti appropinquare cœpit. Cumque candela pro exitu ejus accenderetur, & mortem protinus exſpectarent, ſtatim femina quædam ſubintulit dicens: Sanctum Bernvvardum invocate, & offertorium ei promittite, & procul dubio relevamen percipiet.

Digitized by Google

Quid plura ? Mater pueri tali admonitioni acquieſcit. Sanctus Bernvvardus invocatur, & ſtatim puer de clade mortis liberatus denarium ejecit. ANN. CH. MXXIII. NOV. XX.
Complura ſequebantur in codice miracula, ſed ea deſcribere neglexit Brouverus, ea ſufficere ratus quæ olim facta ſunt.

BULLA CÆLESTINI PAPÆ III. pro canonizatione ſancti Bernvvardi Epiſcopi Hildesheimenſis.

CÆLESTINUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Hildenesheimenſi Epiſcopo, & dilectis filiis clero ejuſdem civitatis, univerſis etiam fidelibus per ſuam diœceſin conſtitutis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cùm univerſorum Conditor & Creator mirabilis & glorioſus in Sanctis ſuis frequenter appareat, & dignetur per eos ejus opera ſuis fidelibus revelare, dignum duximus, & omnipotenti pariter honorificum, quæ in celebris memoriæ BERNVVARDO, quondam Hildenesheimenſi epiſcopo, per ſuam voluit gratiam demonſtrare, ſuſcipere humiliter & audire, ac præterea eum in ſanctorum collegio numerare. Inde eſt, quod de meritis ipſius ac vita laudabili ac miraculis multiplicibus per dilectum filium noſtrum CENTIUM, tituli ſancti Laurentii in Lucina preſbyterum Cardinalem, & venerabilem fratrem noſtrum Moguntinum archiepiſcopum CONRADUM, & alios Epiſcopos, & dilectum filium THIDERICUM abbatem eccleſiæ ſancti Michaëlis in Hildenesheim, & honeſtas perſonas, ac religioſas ejus provinciæ certiores effecti, & famam illius celebrem, & commendandam memoriæ plenius cognoſcentes, fratrum noſtrorum deliberatione habita diligenti, prædictum reverendiſſimum virum in Sanctorum catalogo duximus numerandum; & venerandum corpus ejus de terræ gremio erigendum, & inter ſanctorum reliquias collocandum: ut ibi à Chriſti fidelibus aſſidua devotione officium debitæ venerationis accipiat, & ipſi per interceſſionem ejus felicem & Domino complacentem ſuorum delictorum veniam conſequantur. Ideoque univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus quod de ſancto ipſo à nobis tam celebriter inſtitutum eſt, vos publicantes, eumdem ſanctum, debitis obſequiis amodo prævenire curetis, ut veſtras votivas preces, quas omnium Creatori porrexeritis, per interceſſionem ejus placabilem dignetur per ſuam miſericordiam exaudire. Data Romæ apud ſanctum Petrum VI. Idus Januarii, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Digitized by Google

CIRCA ANN. CH. MXXV. JUL. XXV.

DE INVENTIONE CORPORUM

SANCTI MAXIMINI ABBATIS,

Et duorum ejus diſcipulorum, Theodemiri & alterius Maximini.

Ex cod. mſ. V. C. D. d'Herouval.

OBSERVATIO PRÆVIA.

DE ſancto Maximino, ejuſque diſcipulis Theodemiro & altero Maximino, multa obſervare ſupervacaneum foret, cum de iis fuſius egerimus in appendice Seculi I. *ubi ſancti Maximini vitam & miracula protulimus. Sufficiat hic eorum reliquiarum inventionis Hiſtoriam repræſentare ex veteri ſcriptore, qualis habetur in codice mſ. olim nobis communicato à V. C. Vvione Herovallio. Hanc tranſlationem* ODOLRICI *Aurelianorum epiſcopi & Alberti abbatis Miciacenſis, patris Arnulfi archiepiſcopi Turonenſis, temporibus contigiſſe diſerte exprimit auctor, at annum reticet. Verum eam anno circiter* MXXV. *quo uterque ſedebat, conſignamus.*

Inſtauratio eccleſiæ Miciaç.

1. O Miſeram dicere quod iſta vetus eccleſia non ſimul tota deſtructa fuit; nam in initio ædificii vetuſta eccleſia permanſit integra, quouſque ædificium novi operis erigeretur ſublimius. Tum primum illius pars jam dictæ eccleſiæ frangendo deſtruitur uſque ad chorum, quo reſervato ad agenda divina myſteria, donec nova perfectè conſummarentur ædificia, in quo verſo ordine iterum à fratribus poſſent diurna ſeu nocturnalia dici Chriſto cantica. quod ita factum eſt.

Deſignantur qui ſacra corpora requirant.

2. Dum ergo ita res exigebat, ut crypta illa, quam diximus laterculis coopertam plumbeis, in qua principale beati Protomartyris erat altare, deſtrueretur, actum eſt magna induſtria, ut perquirerentur ibi Sanctorum corpora, quia nemo mortalium pro certo noverat locum quo eorum tumulata forent membra. Quapropter unanimiter fratrum corda nimio perculſa pavore trepidabant, ne aliquo modo ablata forent à loco Miciacenſi ſacra oſſa. Decernunt ergo induſtrios fratres, THEODORICUM videlicet ex Prioribus primum, BOSONEM quoque fidelem hujus cœnobii procuratorem præpoſituræ, necnon LETERIUM ædis ſacræ æditunm atque ODONEM ſtudioſum operis inceptæ fabricæ ordinatorem, qui ſagaci intentione ſepulcra Beatorum perquirendo invenirent.

3. Dum circa altare beati Protomartyris fodiendo terra egereretur, primo eorum obtutibus lapideus ſeſe offert ſarcophagus, de quo clam coopertorio amoto, reperiunt intro capſam pulverem continentem, ſed carie demolitam. Viſo fratres prædicti hoc, animi eorum mæſtitiæ ſimulque deſperationis vulnere attriti, rurſus tamen profundius imperant fodere. Denique dum hoc viriliter ab operariis & ab ipſis certatim agitur, humum ſolummodo reperiunt rubram. qua egeſta, fodiendo iterum invenerunt maceriam ordinatam, de tegulis ſpiſſi ac tenaciſſimi cæmenti glutine compactam, occupantem totum illius cryptæ ſpatium: in quo fere triduo laboraturi ſummo decertant conamine, nihil præter lateres & cæmenta invenientes. Fratres vero illi, qui præſenti inſtabant labori, corde ſupplici, lacrymis ora perfuſi, Domini auxilium expoſtulabant, quatenus dilectiſſimi ſui Confeſſoris pignus eis manifeſtare dignaretur; qui tandem exauditi, altius humi profunditate defoſſa, ac terræ venis

Inventio corporum.

firmiſſimè inſita, tria reperiunt lapidea ſepulcra. Mox egeſta ex omni parte humo, & diſcoopertis forinſecus ſarcophagis, poſt tanta nunciantur Abbati venerando & fratribus gaudia: qui ilico feſtinus una cum fratrum communi conventu immenſas ſymphonizando Deo gratias atque laudes correptis campanis uſui eccleſiæ ſuſpenſis adeſt.

4. Ne autem tanti Confeſſoris inventio minus clara habenda putaretur, protinus affuerunt divinæ Majeſtatis ſemper prædicanda miracula. Etenim apponentes manus ad medium ſarcophagum, qui altitudine atque longitudine ſui majorem & honorabiliorem demonſtrabat ſe retinere perſonam, ut amoto coopertorio viderent quid intra ſe haberet, tanta coruſcationis & tonitrui virtus erupit, ut hi qui præſentes adſtabant, pavore nimio neſcirent quid

Miracula.

agerent, niſi tantum Dominum magnis vocibus per Confeſſorem ſuum miſereri ſibi expoſ-

Digitized by Google

cerent. Abſentes vero fratres, qui prorſus quod fiebat ignorabant, (non enim permiſſum niſi religione ſanctioribus accedendi ad inveſtigationem viſendarum Reliquiarum fuerat) curſu celeri Eccleſiam expetunt, Letanias devoto cordis affectu ſanctorum proclamant: poſtea illis cauſa manifeſtata, utrique intelligunt quanti meriti eſſent, quorum præſentes haberentur Reliquiæ. Nam antea tanta fuerat cæli ſerenitas, ut nubecula nulla appareret in aëre: ſed tanta fuit convenientia appoſitionis manuum ad ſarcophagum & vehementiſſimi coruſcationis tonitrui, quatenus unum idemque eſſet momentum, & aperire ſarcophagum, & ſubito intonare cælum. CIRCA ANN. CHR. MXXV. JUL. XXV. NOTA.

5. Tandem aperto ſarcophago invenerunt præclarum atque deſiderabilem noſtrum theſaurum, ſcilicet corpus patris MAXIMINI, & plumbeam intro tabulam exaratam uncialibus litteris hæc verba continentem: HIC BEATUS CUM DISCIPULIS REQUIESCIT PATER MAXIMINUS, CUJUS LATUS DEXTRUM POSSIDET ABBAS THEODEMIRUS, SINISTRUM VERO ALTER MAXIMINUS. Et tumulis illorum patefactis ita eſt repertum, ut illa plumbea præmonſtraverat ſcriptura, & amplius: quia in ſiniſtro tumulo omnia duorum corporum oſſa abſque capite uno ſunt reperta. Exiſtimo autem ſcriptorem plumbeæ tabulæ unius memoriam prætermiſiſſe, quod nomen neſcierit illius. Inventionis circumſtantiæ.

6. His beatis ſanctorum Reliquiis diligenter perſcrutatis & cum ſumma diligentia reſignatis, nunciatur rei ordo omnium Præſulum Galliarum nobiliſſimo, Epiſcopo ODOLRICO [a], qui tali nuncio nimio exhilaratus gaudio adeſt feſtinus, nobilioribus quibuſque Cleri ſacri perſonis in obſequio illius una cum frequentia ſuorum aſſiſtentibus ſatellitum. Inquirendo igitur ſcienter Spiritus acta veraciſſimè eſſe comperiens ita ut diximus, gratias omnipotenti Deo refert, qui cæleſtem theſaurum hominibus abſconſum declarari illius temporibus voluerit. Deliberato vero communi conſilio, quo transferendæ & quando eſſent beatæ Reliquiæ, Deo inſpirante optimum invenerunt conſultum. Placuit enim, ut retro altare in capſo monaſterii novi jam conſummati conſtructum, in ſuis ſarcophagis ponerentur, donec tota perficeretur eccleſia. dies autem quo levarentur conſtitutus eſt Kalendarum Auguſti octavus. Quid plura? ut fuit conſultum ſic ritè peraguntur. Res defertur ad Epiſcopum. Tranſlationis dies.

7. Evocatis enim nonnullis nobilioribus perſonis ad agendum hoc officium, in die præfinito adeſt ipſe fama & dignitate honeſtior Præſul Aurelianorum Odolricus, necnon inclytus gloriâ Turonorum Archipræſul domnus ARNULPHUS. Adornata autem aulæis depictis & aliis ornamentis eximiis tota refulget eccleſia, multitudo permaxima monachorum atque clericorum candida niveis veſtibus geſtant manibus ſinguli coruſcantia cereorum lumina: frequentia quia maxima reliquorum adfuerit populorum, prudens quiſque intelliget facile. Devote vero tandem præparatis omnibus accedunt præſules, & monachorum & clericorum turba cum crucibus & alio digno officio ad loca Beatorum ſepulcralia. Incœptis autem antiphonis cum grandiſono jubilo, Epiſcopi ipſi beati Patris propriis humeris geſtant oſſa MAXIMINI ad locum ſupra deſtinatum: reliquorum autem ſacros cineres Abbas venerandus & electi ſanctiores devehunt fratres: Archiepiſcopus autem largus munificentia ſua loco Miciacenſi poteſtatis, quæ dicitur *Acherias*, uſufructus delegavit habendos totius tempore ſuæ vitæ atque patris ſui prædicti loci Abbatis [b]. Qua ſollemnitate peracta.

8. His ita ſollemniter peractis, decernitur à Prælatis ſacrorum ordinum faventibus generaliter alacri animo cunctis quotannis annuum diem venerari feſtivum, ſcilicet octavum Kalendarum Auguſti ſub nomine *Inventionis* ſanctorum corporum, quibus tamquam organis & vaſis ad omnia bona opera ſanctus uſus eſt Spiritus, qui à Patre Filioque procedens ineffabiliter ac coeſſentialis & conſubſtantialis Genitori Genitoque in tribus perſonis ac Deitate manens regnat ſemper & ubique in ſæculorum ſæcula. Amen. Sollemnitas annua inſtituitur.

a Floruit ab anno MXXII. uſque ad MXXXIII.
b Alberti ſcilicet. Vide Analect. tom. 3. pag. 441.

Digitized by Google

CIRC. AN. MXXV. AUG. XXV.

HISTORIA TRANSLATIONIS SS. SAVINIANI, POTENTIANI SOCIORUMQUE MARTYRUM IN SENONENSE SANCTI PETRI COENOBIUM.

Auctore (ut videtur) ODORANNO S. Petri Vivi apud Senonas monacho.

Ex mſ. codice S. Mariani Autiſiodorenſis.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Prima SS. Tranſlatio. 1. *SAVINIANUM cum Potentiano ſociiſque fidem Chriſtianam Senonibus intuliſſe, ibique martyrio affectos ſepulturam accepiſſe, nemo eſt qui ambigat. Eorum tumulis impoſita eſt eccleſia, ex cujus adytis, referente Odoranno S. Petri Vivi monacho*, anno DCCC. XLVII. tranſlata ſunt ſanctorum Martyrum corpora Saviniani, Potentiani, Altini, atque Eodaldi in baſilica ſancti Petri à Wenilone Archiepiſcopo VIII. Kal. Septemb. *Odoranno Clarius in Chronico ſubſcribit, his verbis:* Revelaverunt ſe ſancti Chriſti martyres Savinianus, Potentianus, Altinus, Eodaldus, & Serotinus Weniloni Archiepiſcopo & Anaſtaſio Abbati: qui levantes eos cum magno honore de eccleſia ubi ſepulti erant, tranſtulerunt eos in baſilicam beati Petri octavo Kalendas Septembris, *quo tempore* auditæ ſunt voces angelicæ in cælo.

Altera. 2. *Eodem anno, quo* Ludovicus filius Caroli Simplicis apud Laudunum unctus eſt in Regem, *pergit Clarius*, Hungari.... pervenientes Senones civitatem, incenderunt cœnobium ſancti Petri, vaſtantes omnem provinciam. Cernens itaque SANSON Abbas & monachi malum hoc grande, conſilio accepto, detulerunt corpora ſanctorum Saviniani & Potentiani, cum ceteris ſanctorum corporibus, & Reliquiarum pignoribus, cum magno honore in eccleſiam ejuſdem Abbatiæ, infra muros urbis conſtructam in honore ſancti Petri. Relictum verò eſt corpus ſancti Serotini in crypta retro altare ſancti Petri. Vaſtantes igitur pagani cunctam provinciam, redierunt ad propria incenſo cœnobio ſancti Petri, remanente ibi ſolummodo oratorio ſancti Serotini, quod minimè potuerunt incendere. Qualiter autem Willelmus Archiepiſcopus corpora horum ſanctorum voluerit retinere, vel qualiter illos reddiderit, in libello de virtutibus ſancti Saviniani plenius invenies. *Libellus iſte ipſiſſima eſt hiſtoria, quam hîc ſubjicimus.*

Tertia. 3. *Sub annum* MXV. LEOTHERICUS *Senonenſis archiepiſcopus una cum* abbate RAINARDO inveſtigare cœpit, ubinam eſſent recondita corpora ſanctorum Saviniani & Potentiani. A tempore enim Willelmi Archiepiſcopi ob timorem paganorum erant abſcondita in antris. Repertis autem eis per notitiam cujuſdam veterani, Martini nomine, ſervi ejuſdem loci, cum omni diligentia condiderunt ea in locellis plumbeis, plura miracula ibi operante virtute Domini. *Plumbeorum locellorum, in quibus condita ſanctorum corpora, mentio fit in his actis, ex quibus narrationem ſuam Clarium hauſiſſe non dubium eſt.*

Quarta. 4. *Denique ex eodem auctore, anno* MXX. INGONI Abbati ſucceſſit domnus ERMENALDUS, in cujus tempore rex Robertus & Conſtantia Regina compoſuerunt ſancto Saviniano loculum auro, argento, & gemmis pretioſis ornatum. In quo inſeruerunt etiam cum eo corpus ſancti Eodaldi cum oſſibus pueri parvuli una humati in loculo plumbeo, in quo ante continebantur. In qua tranſlatione quidam cæcus recepit lumen; & pluvia quæ à Paſcha Domini non pluerat, abundanter deſcendit: & hæc tranſlatio facta eſt VIII. Kal. Septembris. *Hactenus Clarius, quæ auctori noſtro conſentanea ſunt, niſi quod ea ſub Roberti vitæ finem contigiſſe poſtremis hiſtoriæ verbis innuere videtur. Uterque porro ſancti Potentiani reliquias à Wenilone Archiepiſcopo Hermentrudi Jotrenſi Abbatiſſæ conceſſas ſilentio prætermiſit. Ita tamen ſe res habuit, ſi fragmento à nobis in Sæculi* IV. *parte* 2. *pag.* 578. *edito fides adhi-*

Digitized by Google

beatur: quod quia ſequiorem in partem à nonnullis accipi inaudimus, accuratius retractare viſum eſt. CIRC. AN. MXXV. AUG. XXV.

5. *Nemini venerit in mentem, qui mox laudatum auctorem itemque Odoranni, & monachi Autiſsiodorenſis chronica perlegerit, integrum ſancti Potentiani corpus Hermentrudi Abbatiſſæ Jotrenſi datum à Vvenilone; neque Fragmentum loco laudato editum id exprimit, ſed habet dumtaxat* celeberrimum ſancti Potentiani ſuffragium Hermentrudem à Wenilone efflagitaſſe, ægreque obtinuiſſe, atque ad ejus monaſterium ſanctum & incomparabile decus *illud perlatum fuiſſe. quibus verbis integri ſancti Potentiani corporis tranſlationem deſignari numquam voluimus, ſed ſolummodo aliquam ſancti Antiſtitis reliquiarum partem. Nonnihil vero ex hujus ſancti reliquiis Jotrenſibus ſanctimonialibus conceſſum fuiſſe, præter laudatum fragmentum, probant alia quoque vetera monumenta. Primum eruitur ex ſequentibus Autiſiodorenſis codicis verbis, quæ ſancti Martyris reliquias Jotro in Burgundiam ſub annum* DCCC. LXXXVI. *delatas teſtantur.* Sed paganis, *inquit Chronici auctor,* aliquanto poſt tempore hoc cœnobium *Jotrenſe* occupantibus, duæ ex monialibus memoratæ Abbatiſſæ *Hermentrudis* affines, imminens evadentes periculum, ad præſidium ſui patris, nomine NORGALDI, nobiliſſimi in Burgundia viri atque optimi confugerunt, qui paullo poſt Deo felicem reddidit animam. Ipſæ verò moniales matri ſuæ ROTHAIDÆ, & fratribus AGEMBERTO, SAMUELI & ALGAUDO quotidie enarrabant, quanta Deus omnipotens ſanctiſſimi Potentiani meritis patrare dignaretur miracula: adeo ut ipſi miro devotionis igne flagrantes, de comparando ſibi tam pretioſo theſauro numquam non noctes dieſque cogitarent. Quapropter Samuel & Algaudus Jodrenſe monaſterium expetunt, negotiumque tanta gerunt dexteritate, ut à GISLA, nobiliſſima tunc temporis ejuſdem loci Abbatiſſa, diu deſideratum munus impetrarent. Quod ſtatim voti compotes in monaſterium, quod ſanctiſſimo Præſuli in villa Luciaco fuerat conſtructum, maximo cum honore & reverentia detulerunt. *Hactenus codex Autiſiodorenſis, cujus hic textum referimus, non quo Luciacenſium adverſus Senonenſes vel Jotrenſes cauſæ velimus patrocinari; ſed ut inde conceſſionis factæ Jotrenſibus momenta in lucem prodeant.* An item alia ad Jotrenſe monaſt.

6. *Aliud argumentum deſumitur ex lite Jotrenſes inter virgines ac Senonenſes ſancti Petri Vivi monachos orta ſæculo* XIII. *quæ nova beati Potentiani, ad ſanctum Petrum quieſcentis, tranſlationi occaſionem dedit. Litem hac de re motam conteſtatur Gaufridus de Colone monachus ſancti Petri Vivi, cum in tabulis chronologicis; tum in mſ. libello de ſacris reliquiis monaſterii ſancti Petri Vivi, quem optima manu deſcriptum, cum ſerie Abbatum, in annum* MCC. LXXXIX. *deſinente, ſervant ejuſdem loci aſceta. Gaufridi verba ſunt in tabulis chronologicis.* Anno MCC. XVIII. in monaſterio ſancti Petri Vivi reliquiæ ferè (*hac vocula* fere *obſervatione digna eſt*) totius corporis ſancti Potentiani oſtenſæ fuerunt coram reverendis patribus PETRO Senonenſi Archiepiſcopo, HERVEO Trecenſi Epiſcopo, & quibuſdam aliis Prælatis, Epiſcopis & Abbatibus. Dicebant moniales de Jotro, quod corpus beati Potentiani habebant; ſed illa die, videlicet XV. Kal. Maii, illi patres prædicti contrarium invenerunt. Nam invenerunt corpus prædictum ſancti Potentiani in monaſterio ſancti Petri Vivi ſub majori altari, retro altare de ſubter, & cognoverunt ad plenum per teſtimonia litterarum, quibus erat fides totaliter adhibenda; & corpus prædictum tranſtulerunt cum corpore ſancti Altini ſuper majus altare, in capſam argenteam reliquias apponentes: conceſſeruntque omnibus peregrinis ad feſtum hujus Tranſlationis advenientibus magnas Indulgentias per octo dies poſt feſtum, ut in litteris ſuper hoc editis continetur. *Eadem propemodum Gaufridus ipſe tradit in memorato libello de reliquiis, ex quo hæc decerpere ſufficiat.* Et oſtenſum fuit prædictum corpus ſancti Potentiani ſuper portam Abbatiæ, & in eccleſia, cum litteris quibus fides erat totaliter adhibenda: quia ſanctimoniales de Jotro dicebant illud in ſuo monaſterio conſervari: ſed in illa die probatum fuit contrarium, prout in libris de ſancti Petri monaſterio continetur. *Petri Archiepiſcopi aliorumque præſulum litteras inferius exhibebimus; nunc verò reliquiarum omnium in monaſterio ſancti Petri quieſcentium tranſlationes chronicis notis, quà licebit, afficienda.*

7. *Anno* DCCC. XLVII. *prima reliquiarum detectio Vvenilone Pontifice facta eſt. Paullò poſt idem aliquot ſancti Potentiani pignora Jotrenſibus conceſſit. Anno* DCCCC. XXXVI. *eorumdem Martyrum corpora in Senonenſem urbem metu Nortmannorum illata ſunt. Eadem, cedente Vvillelmo Archiepiſcopo, priſtinæ ſedi non multo poſt ſunt reſtituta, & in antris, hanc in rem effoſſis, ſtudioſe recondita. Dum tamen ſacra pignora referrentur, Bernardus ſanctæ Mariæ Archiclavis pallii ſancti Saviniani partem abſciſſam reluctantibus monachis eripuit, quæ deinceps in Eccleſia cathedrali ſervata eſt. Sub annum* MXV. *viſitata ſunt in antris ſanctorum corpora, quæ Leothericus Præſul adnitente Rainardo Abbate loculis plumbeis incluſit. Poſt annum* MXXV. *Roberto & Conſtantia ſuppetias ferentibus, levatum eſt ſancti Saviniani corpus; & una cum ſancti Eodaldi, itemque alicujus pueri corpore ditiſſimam in thecam illatum eſt. quæ* tranſlatio, *referente Clario*, facta eſt VIII. Kal. Septembris. *Eumdem ſancti Potentiani reliquiis honorem animo deſtinabat Robertus Rex ex actis hic relatis, quod morte præventus effectu caruit. Anno*

Digitized by Google

CIRC. AN. MXXV. AUG. XXV. MCC. XXVIII. *Petrus de Corbolio Senonenſis antiſtes, accitis ſuffraganeis Epiſcopis, celebrem ejuſdem Martyris tranſlationem adorſus eſt, quam dato diplomate ſic exponit.*

PETRUS Dei gratiâ Senonenſis Archiepiſcopus, WILLELMUS Autiſiodorenſis, HERVEUS Trecenſis, WILLELMUS Meldenſis, & WILLELMUS Nivernenſis eadem gratia Epiſcopi, omnibus ad quos præſentes litteræ pervenerint, perpetuam in Domino ſalutem. Ne quandoque dubitationis nubilo veritas offuſcetur, univerſis præſentibus & futuris notum fieri volumus, quod IV. Kal. Auguſti in eccleſia ſancti Petri Vivi Senonenſis, in præſentia noſtra facta eſt revelatio ſanctorum corporum beatorum martyrum Potentiani & Altini, ſociorum beatiſſimi Saviniani Senonenſis Archiepiſcopi; quæ etiam per manus noſtras tranſlata ſunt in quamdam capſam, eodem die anno Domini milleſimo ducenteſimo octavo-decimo. Nos autem de miſericordia Jeſu-Chriſti, & beatæ Mariæ Virginis, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli omniumque ſanctorum meritis confidentes, omnibus Chriſti fidelibus, qui verè pœnitentes ſuas eleemoſynas caritativè eidem eccleſiæ contulerint, ab octabis beatæ Mariæ Magdalenæ uſque ad ſeptem dies ſequentes, ob venerationem eorumdem ſanctorum, ſeptem dies de injunctis ſibi pœnitentiis, vota fracta, ſi ad ea redierint, peccata oblita, offenſas patrum & matrum ſine manuum injectione, miſericorditer relaxamus. In cujus rei memoriam præſentem paginam ſigillorum noſtrorum munimine fecimus roborari. Datum anno gratiæ MCC. XVIII. 3. Kal. Auguſti. Durent in perpetuum.

8. *His litteris ſuffragantur varii ejuſdem loci mſſ. codices cum Gaufrido Hirone ſancti Petri cœnobita, qui anno* MCC. LVI. *appendicem Clarii Chronico adjecit. Proſtat etiamnum autographum Petri antiſtitis exemplar, quod anni* MDC. LXXX. *die* XIX. *Octobris, provinciæ noſtræ Burgundiæ Viſitator recognovit. Anno* MCCCC. XLIX. *die* XVII. *Decembris Ludovicus de Meloduno Senonenſis antiſtes Guerino ſancti Remigii Senonenſis, Petro ſancti Johannis itidem Senonenſis Abbatibus, & Jacobo Hodoardo Vicario Generali & Officiali novam corporis ſancti Potentiani tranſlationem imperavit; quæ procurante Guillelmo Quatranio ſancti Petri Abbate hoc die celebrata eſt. Exſtat Innocentii Papæ* VIII. *reſcriptum, anno* MCCCC. LXXXVIII. *datum, quo ſancti Petri monachis licentiam concedit ſacras monaſterii ſui reliquias transferendi: qua neſcio an uſi ſint ante annum* MDC. LXXX. *quo Præpoſiti noſtri generalis juſſu jam laudatus provinciæ Burgundicæ Viſitator oſſa beati Potentiani novam in thecam decentius ornatam repoſuit. Hæc chronico ordine repræſentare viſum eſt. Ceterum quod diem* VIII. *Kal. Septemb. huic Tranſlationi adſcribimus, tametſi nullum ſubjecta narratio deſignet, Odorannum & Clarium ſequimur auctores, qui tranſlationem à Venilone factam aptant huic diei; immo & Clarius eam, quæ hîc deſcribitur, ad eumdem iterum diem ſubnotavit. Reſtat ut de narrationis hujus ſcriptore ſententiam noſtram promamus.*

Hujus hiſtoriæ ſcriptor.

9. *Videtur is eſſe Odorannus ſancti Petri Vivi monachus, Chronico apud Cheſnium edito celebris. Hic enim præter jam laudatum Chronicon,* ſexagenarius anno MXLV. alia *etiam* opuſcula ſua in unum corpus collegiſſe *dicitur in Chronici ſui titulo, qualem procul dubio ferebat mſ. codex, unde illud excerptum eſt. Ut autem ſubjectam hiſtoriam ipſi potius quam alteri tribuamus, facit in primis, quod media ſaltem Chronici pars, qua hanc Tranſlationem complectitur, totidem verbis hîc atque ibi exprimatur. qua ſane res unum eumdemque utriuſque operis auctorem arguit. Deinde cum Odoranni chronicon nihil hac tranſlationis hiſtoria poſterius recenſeat, ſiquidem alius ejus auctor haberetur, narrationem Chronico ſuo inſertam verbo tenus ab eo deſumſiſſet Odorannus, quod plagium cordato viro (qualis is erat) impingere non licet. Præterea tranſlationis ejus pars magna fuit Odorannus ipſe, qui ab Rege Conſtantiaque Regina vocatus in aulam, operi manum admovit. Quis igitur illo melius rem uti habuerat, poſteris mandare potuiſſet? Ad hæc de ſe utroque loco ſic loquitur, ut Chronicon cum hac hiſtoria conferenti idem ubique genius ſpirare videatur. Niſi quod hîc ſubinde communes in locos divertit, quos, uti nullius ſaporis, reſecare viſum eſt. Jam verbis ſuis, quiſquis ille eſt auctor, loquatur, cujus librum ex ſancti Mariani Bibliotheca erutum viro relig. Johanni Baptiſtæ Oudinet, Ordinis Præmonſtratenſis ejuſdem loci Priori, debemus.*

CAPUT I. *Tranſlatio ſanctorum Saviniani, Potentiani ſociorumque eorum.*

BEATORUM igitur Martyrum ſanctiſſima membra, SAVINIANI ſcilicet & POTENTIANI ſociorumque eorum, in eadem Salvatoris Domini eccleſia per manus quidem fidelium, convenienti in loco fideliter ſepulta ſunt: præter venerabile corpus SEROTINI martyris, quod convenienter à parentibus fuit humatum in alia baſilicâ ſeorſum. Dum eorum igitur cineres per multa annorum ſpatia in loco eorum quieviſſent, ut diligentior eis cultus & reverentia à populis exhiberetur, notificantur cælitus prudentiſſimo Senonienſium WENILONI Pontifici, & ANASTASIO Abbati cœnobii ſancti Petri Apoſtoli. qui puro exhilaratæ mentis voto, convocatis utriuſque ſexus milibus populi, transferre ſatagunt in baſilicam ſancti Petri Apoſtolorum Principis ſibi contiguam: cujus etiam pro

Digitized by Google

pro foribus, & in cujus fundis eatenus jacuerant. At domus & ædificiorum faſtigiis excellentior, & divinis obſequiis celebrior habetur: præſertim cum monachorum inibi degentium ſollicitudo, ſollemnibus in ea votis & aſſiduis meditationibus regulariter inſtet. Habita eſt autem hujus translationis feſtivitas, tempore quo nobiliſſimis Francorum Sceptris tres inclyti Principes, auguſtæ recordationis Ludovici Cæſaris poſteri, Lotharius ſcilicet, itemque HLodovicus & Karolus præerant, anno quoque regni ipſorum ſexto, anno verò ab Incarnatione Chriſti octingenteſimo, quadrageſimo-ſeptimo Indictione ſeptima a, XIIII. Kal. Novembris. CIRC. AN. MXXV. AUG. XXV. Anno 847. a

II. *Quod in feſtivitate eorumdem tranſlationis angelicæ voces è cælo auditæ ſunt.*

Nec reticendum, quod nocte vigiliarum, cujus ſuccedente die veneranda patrocinia tranſvehenda fuerant, voces angelicæ ab aſtris, velut chori pſallentes, humanis auribus intonuerunt. Pontifex namque ad celebranda vigiliarum ſollemnia illuc veſpertina ſynaxi una cum frequentia cleri proceſſerat. quibus religioſe ſubpletis, & Antiſtite ad urbem regreſſo, cæleſtes exſequiæ per noctis ſpatia ſunt ſecutæ. cujus modulationis harmoniam non tantum monachos, ſed & quoſdam vulgi ibidem excubantis auditu percepiſſe perſpicuum eſt. Verum arbitrantes voces hujuſmodi humanas eſſe, opinanteſque quoſlibet religioſos ad cœnobium pro inſtanti feſtivitate confluere, qui tam jocundo ſtrepitu fungerentur; rurſumque ſtupentes, cur intempeſtivæ noctis ſilentio adventum maturarent: exploratores circumquaque dirigere ſtuduerunt, ut quorum excubiæ eſſent experirentur. Miſſi autem, cum loca vicina perluſtrantes, neminem reperirent, & nihilo minus melodiæ ſuavitatem ſine intermiſſione audirent; cæleſtis officii exſequias eſſe meminerunt. Ubi evidenti oſtenditur indicio, quod angelica ſocietas eorum ſollemnitatibus pio favore adeſſe voluit, quos ſecum Omnipotentis imperiis ſtrenue paruiſſe cognoverat: eorum agendis & gaudiis indeficientibus intereſſe feſtinavit, quos ineffabili tripudio optimis ſtudiis invigilaſſe perſpexerat. Poſſidet deinceps prædicta baſilica piorum Martyrum corpora, quorum ſpiritus æternæ recompenſationis compotes paradiſiaca amœnitas continet: gratulatur pro tantorum Patrum fœnore temporaliter Senonum civitas, pro quorum tripudio Jeruſalem perenniter exſultat cæleſtis. ad horum tumbas popularis aula, preces & vota expoſcitura, frequenter confluit: quia ipſorum interventu & artuum languores ſoſpitatis levamine recreantur, & cordium vires perpetuis dapibus ſaginantur.

III. *De pallio & capite ſancti Saviniani martyris.*

Cum igitur, ut indicatur ſupra, corpus hujus pretioſi martyris Saviniani tranſmutandum venerabiliter revolveretur de loco plumbeo, alias transferendum, repertum eſt pallium, quo erat involutum multis labentibus annis, totum ex integro quaſi novum: caput verò illius, quod eſt decus iſtius noſtræ patriæ, quaſi contritum plumbatis dextro in timpore fuiſſet. Duæ autem percuſſuræ, quæ fuerint plagæ gladii, ſic ſunt adhuc ſanguineæ, quaſi recens ſit ipſa percuſſio: ita ut à cernentibus non ſine lacrymarum infuſione vix intueantur. Quod autem martyrii coronam verè idem Pontifex acceperit, teſtimonium illi uſque hodie perhibet ſanctum & venerabile caput, & ſanguis adhuc recens apparens per ejuſdem capitis percuſſuram. Porro inventio corporum ſanctorum martyrum Gervaſii & Protaſii, quæ facta eſt à ſancto Ambroſio Epiſcopo Mediolani, ut ipſe beatus ſua propria manu ſcripſit, narrat eodem modo in ſarcophagis marmoreis ipſos repertos recenti ſanguine perfuſos, quaſi eo die ipſorum capita gladio fuiſſent cæſa. Verum caput noſtri Martyris tribus percuſſionibus gladii ictum, duæ uſque ad præſens manent cruore ſanguineæ: tertia, quæ, ut putatur, glorioſam mortem intulit, nihil habet ſanguinei cruoris.

IV. *De cæco ibi illuminato.*

Ad tantam ſollemnitatem cum cetera plebe cæcus quidam venit; qui virtutem Martyris in ſua illuminatione perſenſit: orat namque ut Chriſtus de teſte oſtenderet, quanti apud ſe meriti eſſet; & ſi ea res quæ fiebat illi placeret, quibus ſemper enituit miraculis declararet. Oculi cæci lacrymas fundunt, & in mentis acie fidei lumina ſurgunt, humilitatis ſupplicatio cælum penetrat, & divinitatis faciem ad miſericordiam inclinat: miles invictus ducem implorat, & agit ut & nunc militiæ mercedem reddat: oſtendit vulnera, labores enumerat, numerum ſudorum recenſet, & quantum ſibi pro his debeatur docet. Proximi cæco in ora-

a Non ſibi conſtant hi chronologici characteres, quod auctori poſt annos circiter ducentos ſcribenti condonandum eſt, niſi error ex amanuenſium incuria proceſſerit.

Digitized by Google

Circ. an. mxxv. Aug. xxv.

tione junguntur, & quod per ſe nequit, lacrymarum conlatione mereatur; de cælo latens medicina dimittitur, & oculorum ſcabies manu pietatis abſtergitur, videns cæcus ſocios contuetur, & quod dudum deſperaverat ſeſe habere miratur. Salvatoris clementia conlaudatur, plebs viri ſaluti congratulatur, Martyris reverentia in augmentum dilatatur. Talibus hæc dies inſignis adjacenti populo conſtat eſſe ſollemnis.

V. *De lampade quæ ante corpus ejus quaſi ſponte ſua ardere conſuevit.*

De lampade vero, quæ ante ſacrum ejus corpus ardere conſuevit noctes & dies, & ante aliorum nobis innumerabilium ſanctorum membra in crypta, quæ lapidum volubilitate conſtructa conſiſtit, & arcubus ſuſtentata decenter ſtabilitur, aliquid narrare, ut vox videntium teſtatur, abſurdum non debet videri. Sæpe numero accidere ſolet, ut pigritia cuſtodis lumen lampadis deficiendo decidat, & deinde repente inluminata clarificos ignes emittat: & non tantummodo una hora vel die lucem clariſſimam emittere dicitur, ſed trium dierum ſpatio & totidem noctium, tenebras pellere. Hæc igitur lampas ſanctorum divinitus plerumque ſuccenditur, & ſine infuſione olei, tunc ſcirpus clariſſimum lumen emittit: ita ut lucidius ſplendeat quam ceteræ lampades, quas manus humana oleo ſuperfuſo inluminat: libro liquore madefacto igneque ſuppoſito, &c. Noſtrorum quidam fratrum cujus faciem cum nomine novimus, verum hic obtentu ejus nominatim non deſignavimus, cauſa neceſſitatis, ut diximus, ejuſdem lucernæ exſtinguens inſufflavit luminaria quadam die tribus vicibus; quæ ſic divinitus ſuæ claritatis per ſingulas vices recepit lumina, ut quantum incuria fratris exſtinguendo diffinierat, magis inluminans ſubminiſtraret cæleſtis divinitas, &c.

VI. *De ſiccitate & pluviæ infuſione & de ſuavitatis odore in ſancti Saviniani tranſlatione.*

Miſerationis Dei clementiſſimam miſericordiam, quam penes regionis noſtræ ſitum pro merito ſanctiſſimi Martyris Saviniani nobis Deus clemens rector conceſſerit, arbitror pauculis verbis futurorum memoriæ commendare. A paſcha enim Domini, quæ eſt ſollemnitas ſollemnitatum & gloriæ decus omnium Chriſtianorum, non ſtillaverat penitus de cælo pluvia, & marceſcebat humus crebris ſciſſionibus fiſſa uſque in diem tranſlationis ejus. Die ergo quo ſublevatum eſt corpus ſupradicti Martyris de loco antiquo propriæ repauſationis, deſcendit pluviarum copioſa abundantia, & terra privata eſt ſiccitate ſua. Datur nunc patenter intelligi, quod reſpexerit Deus humilitatem pauperum ſuorum per Martyrem Savinianum, merito ſibi gratum, & afflictam patriam penuria pluviæ plene relevaverit guttarum defluentium inundatione, &c.

VII. *De ſuavitatis odore in ejus tranſlatione.*

Igitur ſicut & inſignis doctor Paulus dicit: *Chriſti bonus odor ſumus Deo in omni loco*: ita iſte pretioſus Martyr vita vivens, non ſolum bono odore repletus fuit, ſapida ſcilicet doctrina prædicationis & miraculis mirifice famoſus fragavit: ſed etiam in hac ſui tranſlatione corporis miro odore redoluit. Omne etenim hoc monaſterium ita odor ſuaviſſimus ad plenum perfuderat, ac ſi fuiſſent in eo omnis generis aromata, & univerſa opobalſama nam & infra quindecim dierum ſpatia omnium ingredientium intra monaſterii ſæpta nares obplebant redolenti ſuavitate; ſicut & in primo ejus tranſmutationis die, &c. Etenim duorum ſacerdotum monachorum corpora & veſtes, qui ſanctum corpus de loco plumbeo levando ponere meruerunt in capſa ubi nunc habetur, plurimis diebus ita fagrabant, ut nectario odore perfuſi putarentur, &c.

VIII. *De frequenti viſione cuſtodum interiorum, & exteriorum.*

Frequens viſitatio, & aſſidua protectio, & manifeſta revelatio huic noſtro loco accidiſſe, à cuſtodibus, qui excubias hujus Eccleſiæ obſervare juſſi ſunt, enarrata noſcuntur. Multotiens etenim intempeſtæ noctis hora, quando gratiſſimus ſopor in dormiendo ſolet occupare homines, exterriti cuſtodes, & nimio timore excitati, vigilantibus oculis digni habiti ſunt cernere ea, quæ mortalibus ſunt metuenda perſpicere. Plerumque enim conſpexere luminaribus præclariſſimis totam eccleſiam reſplendere, & innumerabilem candidatorum turbam utriuſque ſexus, epiſcoporum, clericorum, laïcorum, puerorum, & puellarum, totius eccleſiæ ambitu contineri. Pluribus namque vicibus vigiles, qui ſtrenue cura ſibi commiſſa in vigilando excubantes, hoc ſuburbium noſtrum obſervare ab ignium periculis & à latronum inſidiis poſiti noſcuntur, cum clamore valido limina eccleſiæ pulſare, & increpa-

Digitized by Google

tive æditues perterrefacere ita dicendo viſi ſunt accurriſſe : Ut quid ſomno nimium prægravati dormitis vino & ſopore oppreſſi ? ſurgite, ſurgite, quam velocius opem ferte ſacris luminaribus, & ſacris ſanctorum pignoribus : nam ut nobis manifeſtiſſime videtur, tota eccleſia à ſummo uſque ad ima fundamenti cæleſti igne comburi videtur. Cum ſtrepitu ergo pavoris fratribus à ſtrato ſuo ſurgentibus, viſiones quam crebre diſparuere, & ignium ſplendor quodammodo his intrinſecus, & illis vigilibus exterius paulatim deficere & inminui decreſcendo dum conſideratur; timor ab utriſque æquali ſorte removetur. Verum fratres cuſtodes ſacræ baſilicæ lenis viſio ſanctorum frequentius lætificando lætos reddit, & illos forinſecus poſitos ignis quaſi vivus exterruit. ſed poſt, dum incombuſtum templum conſiderant, lætiores efficiuntur hac viſione mira. Nam ſicut antiquo tempore Moyſes dator veteris Legis rubum ardere conſpexit, & non comburi, ita & ii hoc monaſterium incendi metuebant: ſed non erat nocivus ignis, ſed viſitatio angelicæ virtutis, & ſanctorum quorum ibidem retinetur multiplex multitudo indicibilis.

IX. *De muliere inceſſibus pedum exacta, & à ſanctis Martyribus curata.*

Præterea ex Milidunenſi * opido quædam paupercula puella, nomine Ingelberta, una cum genitrice propria ſanctorum expetiit limina: curriculo ſiquidem vecta, quod vilis robur aſelli præducebat, utpote omni compagum ſolamine deſolata. Victus enim veſtimentique ſupplemento oſtiatim ſuſtentabatur, tabeſcenteſque doloribus inediaque artus miſerantium alimoniis refovebat. Tanta namque ſuggeſtionis importunitate cunctis erat nota; quanto abſque multorum juvaminis ope nequibat vivere. Porro data optione, cœpit anhelare de induſtria ſanctorum Martyrum ſubſidia, quo debilitatis ſuæ inferrent medelam. Accita itaque matre: « Deſidero, inquit, propitii Martyris ſancti Saviniani, ceterorumque ſan- « ctorum adire ſepulcra: nec demorabor inquam adipiſci per illos mei animi vota. « Accenſa illius mater verbis, tantam ſpem peragit promptius; ſubinlataque obtutibus ipſorum, ſupplex cervice adorat cernuo, ut adſint ei patrocinando. Pavimento itaque inhærens diutius, Deum pietatis adfore ſenſit ſanctorum interventu. Mox igitur cita ſalus præeunte immanitate doloris, atque innovari anhelo ſpiritui gaudet auxilium: vibratur ardens animus ad plurima, matremque vocat dicens: Adeſto genitrix lætabunda, quæ me tacens ab humo ſuſtuliſti terrulentam. Poſtquam ergo fœditatem membrorum virtutis decore mutavit Deus, illuſtrata ſanctorum juvamine, cucurrit inoffenſo pede, matremque reciprocat continua voce. At illa accelerans properat, factique ignara, quos ſcabellulos perdidit, inquirit tremula. Uno, inquit illa, ſub ictu, mihi divinitus collata eſt ſalus. ſæpſere illam quam plurimi; ſpectatque plebem erecta circum fluentem, ac ſibi congratulantem: omnium enim connexa opinione ſubitam adepta eſt ſanitatem. Puplicitus itaque omnium perſonat clamor, gratias referens Deo, vigente ſanctorum Martyrum patrocinio.

* Melun.

X. *De provocata à Senonenſibus Normannorum inimicitia.*

Tempore quo Senonenſium Archipræſulatus VVILLELMUS fruebatur apice, vir ingenio & aſtutia ſtrenuus, gens Normannorum exacerbatione dira ejuſdem civium urbis provocata, confinia, & proxima quæque ipſius regionis acerba depopulavit exaggeratione hoſtilitatis. Hæc etenim gens vulnifica nefaria ſtrage populos laniabat. Territi autem nimiæ obſtinatione crudelitatis, immanitateque perſecutionis concitati circumque populi, confugiunt ad tuitionem urbis.

XI. *De illatione ſanctorum corporum infra urbis muros.*

Sub ipſo tempore regnabat CAROLUS Simplex: in Burgundia autem ducatum tenebat RICHARDUS, pater RODULFI Regis. Tunc temporis præerat cœnobio beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli Abbas SAMSON, comptor Divinæ honeſtatis & amator ſacræ religionis. Is ſanè conturbatus objectæ preſſura calamitatis, humillimam fratrum convocat concionem, ut queat ab eis ſalubre conſilium experiri. Demum horum omnium commune conſilium viſumque eſt utile cunctis, quatinus ſanctorum Martyrum corpora SAVINIANI videlicet & POTENTIANI, ALTINI, atque EODALDI, cum ceteris ſanctorum corporibus & reliquiarum pignoribus, cum maximo honoris augmento in eccleſia ejuſdem Abbatiæ propria infra muros urbis conſtructa transferrentur. Relictum vero eſt & decenter tumulatum corpus ſancti SEROTINI Martyris in quodam ejuſdem loci tutiori antro. quo peracto, jam præfatus Præſul doloſe machinamenta æmulationis monachis injecit, commodius inquiens eſſe ut tranſveherentur ſanctorum reliquiæ intra mœnia ſanctæ matris eccleſiæ Senonum in honore ſancti Stephani protomartyris conſtructæ. Cogitavit autem tum piorum

Digitized by Google

Circ. an. mxxv. Aug. xxv. fratrum ſimplicitas ob tenorem ſanctitatis hæc peragi exercitia; ſed patuerunt poſtmodum hæc adulationis famina.

XII. *De urbis obſidione, & oratorio ab igne erepto.*

Obſeſſa igitur urbe, quanta cæde eccleſias earumque poſſeſſiones vel prædia ſubruerit, vaſtaverit, depopulaverit, longum eſt paginis intimare, præſertim cum & baſilicam ſancti Petri, mirifico opere conſtructam, atrocibus flammis cremaverit, variamque ſupellectilem cum omnibus utenſilibus diripuerit, & prorſus peſſumdare ſtuduerit. Heu pro dolor, nec ſine gemitu dicendum! Remanſerat ibidem præfatum oratorium ſancti Serotini Martyris divinitus ab igne ereptum: quod dolentes, plura flammis fomenta ingerunt molimine toto: ſed illæſum ſervatur ad vegetationem hominum, Dei nutu vivido & merito. Salutifero ſiquidem interventu ſanctorum ſcilicet Martyrum Saviniani & Potentiani, Altini atque Eodaldi, ipſius ſancti Serotini Martyris intemeratum mauſoleum ſervatur; quia obligaverat eos amor ſinceræ dilectionis, nec patitur ſanctorum artuum abſentia citato fruſtrari ſolamine, quem dudum ſociaverat ſibi fide caritatis unicæ.

XIII. *De Normannorum reditu ad propria.*

Demum itaque convictis, & necibus diverſis pluribus Normannorum enecatis, reliqui ad propria ſunt reverſi. accelerantes autem monachi expetierunt ab epiſcopo reportari ſanctorum corpora, ignorantes quod per ſubreptionem illic forent illata. At ipſe torvis eos aſpiciens oculis, priuſquam eorum ſuggeſtionem audiſſet, inquit: Ultronei hoc jus, licet nolentibus vobis, tamen profluente clementia Dei, cunctis innoteſcere volumus, & conſtitutionibus obligari, quatinus poſſideat hujus ſedis dignitas horum ſanctorum corpora, quorum Martyrii tyrocinio vegetata luculenter coruſcat. Ad hujus calumnioſam ergo aſſertionis ſeriem nonnulli provocantur aſtutiores clerici, & potentiores proceres unanimiter aſſerentes, quatinus illic haberentur, unde viguerunt ſummi Præſules. Ad hæc ſæpe fati Antiſtitis feralia addũntur verba: Legum enim jura Pontifici cunctis decernenti, clericis quoque divinæ majeſtatis cultoribus, & venerabilibus quibuſcumque terris & regionibus tantorum martyrum congruit inſervire excubiis: vos agmen vulgale ad cœnobitale propoſitum una cum rebus omnibus reſumptis revertimini, ſcientes deinceps nos horum ſanctorum venuſtari præſentia. Gementium ergo & rogantium monachorum fragor adtollitur, pauperumque terrulenta corpora geſtantium plebiumve utriuſque ſexus dolor perſonat dicentium: Ut quid taliter affligimur? quibus malis obnoxii iſta perpetimur, ſi ad communis munimina refugii confugimus, quare traducimur? quare Patronis fruſtramur nobis à Deo datis? Ad hæc Pontifex raptus temeritate pravi conſilii, foris muros juſſit eos propelli.

XIV. *De monachorum inſtanti gemitu & Præſulis cuſtodibus, oſtenſaque terribili viſione.*

Memorabilis itaque Abbas Samſon continuato dolore & abſtinentia pæne emoritur: ſed & tota congregationis unanimitas, vigiliis & orationibus jejuniiſque prægravata, eadem patitur incommoda. Chriſtus igitur omnium rerum cenſor æquiſſimus compatiens afflictis, ſuffragantibus ſanctorum quoque Martyrum precibus, non diutius ſuſtulit carere cœnobium tam pretioſæ facultatis theſauro. Medio namque noctis confinio, cuſtodes eccleſiæ ſancti Stephani conquatiuntur horrore acerrimæ concuſſionis: citato vero curſu, Pontificis aures replent tremulis clamoribus: O Præſul, inquientes, fer nobis deſolatis opem. Hæc enim baſilica in qua manemus, timendum eſt ne funditus corruat: fragor nempe terribilis intus perſonat, & vibrantia luminaria immenſæ claritatis pervolant. Quæ ſuperſtitio, inquit Epiſcopus, veſtros agreſtes perturbavit animos? verè fallacibus monachorum ſuggeſtionibus decepti, vaniſque pollicitationum ſpebus ſeducti eſtis. Sed vox teſtis veritatis nequit exſtingui atrociori commotionis turbine. Sequenti nocte turbata miſſa cuſtodum ab epiſcopo ſollertia, fugienſque præ horroris magnitudine, denegat ibidem amplius ſe manere. Jubente epiſcopo mox utraque pars cuſtodum cuſtodiæ mancipatur. In hac pernicie perſiſtens Epiſcopus, utpote verſutus moribus, tertia nocte ſemetipſum eccleſiæ cuſtodem adhibuit, militum cuneo vallatus ingenti cauſa veræ examinationis: coruſci autem luminis denſitate obcæcatus, cœpit vehementer debacchando frendere, & obnixe ut aſportarentur ſanctorum corpora proclamare.

Digitized by Google

XV. *De revectis ſanctorum artubus ab urbe.*

Convocata denique adeſt ſancti Petri modeſta monachorum phalanx, & receptis Patronis, ultra quam credi poteſt lætiſſima, cum magno tripudiantium exſultantiumque choro ad propriam ſanctos deferunt baſilicam. Quamobrem Archiclavis ejuſdem ſedis, nomine Bernardus [a], peſtifero invidiæ zelo ſuccenſus, abſtrahit pallium, quo ſanctiſſimi & apoſtolici patroni Saviniani tegebatur tumba; arreptoque artavo [b] in fruſta medium ſecans ait: Si horum patrum caremus pignoribus, vel hujus partiunculam retinebimus. Palliique pars ad poſterorum memoriam adhuc in eadem ſede ſervatur. Quanto ſanctionis augmento hic quippe ſacer locus * viguerat, omnibus liquido conſtat; præſertim cum proprii effuſione ſanguinis ipſum dedicaverint, & creberrimis monachorum ibidem degentium exſequiis habeatur celeberrimus.

* Nempe S. Petri cœnobium.

XVI. *De antris ab Abbate Samſone conſtructis.*

Præterea venerabilis Abbas Samſon, ſollertiori ſuo fratrumque præditus conſilio, poſterioribus cupiens ſancire ſalutem, abditiora ſanctorum artubus conſtruxit antra. O laudabile fas piorum Patrum! Inventum populorum pro ſalute publica, quis non diſputat hos ſophiſtas eſſe ſagaces & colendos, plurimumque valere; cum memoria ſanctorum interventu longa maneat per tempora? At quamquam tegerentur ſanctorum membra denſis ſpecubus; tamen opinantibus illic adſore plurimis, eorum pio juvamine ſanabantur ab omnibus morbiferis doloribus.

XVII. *De Guillelmi obitu.*

Decedente Guillelmo præſule, Gerlannus Pontifex conlaudatur, monachile propoſitum à primævo infantiæ ævo conſequutus, & dogmatibus philoſophiæ admodum fulcitus, parentum proſapia mediocris, ſed liberalium artium non ſegnis ſectator enituit. Recenſendum namque inter optima ſuæ ſagacitatis ſtudia arbitramur fore, quod valde diligens ſæpius dictum monaſterium, ibidem turrim compoſuit opere polito. Mundiali curſu demum peracto, migravit ad aſtra vocatus: ſua mandans tumulari membra ſancti Germani Autiſiodorenſium in baſilica. Heldemannus in hoc poſtmodum pontificii electus ſolio, almi Dionyſii monachus, cunctis necnon Chriſto placens, amabilis & dilectus. Hujus in tempore regiminis, Notrannus cœnobii ſancti Petri prælatus efferbuit; gazarum qui & conglomerator ſtrenuus, Nevernenſium dignitatem Præſulatus promeruit muneribus. Ambitionis autem ejus faſtu prægravatum ſancti Petri cœnobium, pæne venit ad nihilum. Honeſtabatur vero illius adhuc in tempore idem locus, potioribus utrarumque facultatum rebus ditatus à Deo devota Techilde Regina; ſed hujus piacula virtus diluat clementiſſima. Ceterum Heldemannus Præſul obiit, ſorte ſuprema raptus, inſertus in ſupernis cœtibus.

XVIII. *Quod mortis examine Archembaldus à beato Saviniano percuſſus perierit.*

Præſulatus honore Archembaldus ſuſtollitur, parentum potius, quàm Dei provocatus examine. Invectus itaque hic lubricæ juventutis furia, probroſæ voluptati dedit operam. Exoſam enim divino cultui ſollertiam adhibens, & caduca quæque perituri ævi amplectens, Abbatiam ſancti Petri, omnibus namque rerum copiis opulentiſſimam, ad ſolum uſque contrivit, eccleſiarum, villarum, terrarumque optima quæque vendens & diſtribuens, reliqua in proprios uſus detinens. Sed hujuſce cunctos lamentabiles exceſſus propalare longum nefas ducimus: hoc ſolum addimus, quod famulantium Chriſto fuerit inſecutor horribilis ac odibilis, & ſæcularium amator ſtudioſiſſimus. Admonitus ergo in noctis viſione biduo à ſancto Saviniano æquiſſimo Martyre, noluit quieſcere à nefario opere. Adgrediens hunc quoque tertio, ac nolentem obedire juſſis, percuſſit mucrone inviſibili: Non diu, inquiens, tuæ nugas patiemur illecebroſæ actionis, & deſolare locum noſtri effuſione cruoris ſacratum. Nudus omni prorſus tegmine veſtium, repertus eſt in refectorio fratrum, quod ſibi vindicans, eorum uſibus impie abſtulerat. Æqua directionis nempe cenſura, nece ſubi-

a De eo Clarius in chronico, quem ſanctæ Mariæ Archiclavim dicit, contra quam hic auctor. An Archiclavis cathedralis eccleſiæ Senonenſis Abbatiæ S. Mariæ titulo donabatur?

b Artavus inſtrumentum panno ſcindendo aptum, ſive forcipis ſeu cultri genus. Hoc nomen exprimit mſ. liber Regulæ Ordinis S. Victoris citatus in Cangii Gloſſario: *Nec ſcriptoria, nec artavos, nec cultellos ſuſcipiat.*

Digitized by Google

Circ. an. MXXV. Aug. XXV. tanea juſtè illum percuſſit, qui congregatas poſſeſſiones cœnobii ob fratrum ſubſidia, pauperumque ſive confluentium omnium juvamina, niſu toto contriverat. Nec quiſquam arbitretur incongruum ſic illum finire, qui primitus abjecerat curam paſtoralis dignitatis, &c.

XIX. *De Anaſtaſio Pontifice, qualiter eumdem locum cœpit reſtaurare.*

Abeunte illo tam crudeli interitu, ſucceſſit in Epiſcopatu Anastasius, vir honeſtatis & miræ probitatis. Paveſcens hic quidem teterrimæ hujus examen mortis, efficitur voluntarius reparator ſæpe dicti loci. Præventus autem divino amore, & maxime ipſius ſancti Martyris Saviniani congrua viſionis ammonitione, cœpit ultro terras cœnobii inquirere, pretio redimere, monachos educare, & ſacræ inſtitutionis ibidem normam reformare. Talium omniumque gratia ſuffultus, humanam exuit labem, & ſanctorum in cælis promeruit ſocietatem; ſuaque membra in eadem baſilica jacent tumulata.

XX. *Obeunte Anaſtaſio quomodo Sevvinus ſucceſſerit.*

Orbata Senonenſis Metropolitana urbs patrocinio hujus, præfertur ad ſublimandam Præſulatus magnificentiam Sevvinus nobilitate præcipuus, & morum probitate coruſcus. Hic præceptionis ſanctæ ſtrenuus obauditor, modeſti mores præceſſoris inſequi ſtuduit optimos. porro improba æmulantium molimina diruit, & Chriſto placentium amicitias ſinceriter exquiſivit: omnia kariſmata inſignia geſtiens amplecti, & malignantium caduca renuit. Dum plura ergo tentat peragi virtutis opera, incurrit id quod manet obviam veritati; ſæva ſcilicet antiqui hoſtis incitamenta, qui veternus fur quomodo læta Chriſti agmina interpellet, lividis ſeminibus fervens inſequitur. Excitat itaque male commeantium & irritantium devios ſenſus clericorum: civium quoque ejuſdem civitatis vehementer adverſus eum infeſta decertantes, ac congrua quoque ſanctuarii comprimi gliſcentes. Prævius autem tutor ſupradictæ urbis, quatinus male tumentia ſimul revulſa corda internecet, præferendum ſe obponit clypeum, ut tuta maneant veſtigia ſubſequentium, Deique domus defenſa præferatur ad ſublimia. demum Chriſti victorioſo protectus munimine, pravorum conatus dulcibus interdum promulcet eloquiis: aliquando vero minacibus trahit proteritque increpationibus: intercidunt quoque interim quæque pœnalia, & pullulant favente Chriſto proſperitatis commoda.

XXI. *Locato Sevvino in ſede, quomodo ipſum locum ornaverit Abbate & monachis, reſque proprias reddiderit.*

Igneſcit interea amor nobilitandi ſanctorum cœnobia, ac reparandi honorem priſtinum eorum quæcumque fuerant diruta: ardenter quin potius ſancti Petri monaſterium ob ſanctorum ſuffragia venuſtari diſpoſuit, quod multorum pravitate dolebat everſum iri. Suæ ergo ſpectabilis exortum proſapia nobilitatis eidem cœnobio præfecit Abbatem, nomine Rainardum, moribus egregium, & ſollertia præditum, reddita omnium media parte ejuſdem Abbatiæ rerum. Hic itaque adoleſcens ſtrenuæ indolis, infulatus contigui gratia regiminis, vicinos quoſque rectores probitatis actu præcelluit: flammante quidem corde, utpote nobili, adaptare locum protinus ſtuduit, & monachos nonnullos ſophiſtico omnium liberalium artium dogmate inſigniri decrevit; hoc ſummum omnium prænoſcens bonum, quatinus his diſciplinis liberalibus edoctis, & ſacræ Religionis propoſito informatis ſtatus loci gratior haberetur, & ab omni magnificaretur.

XXII. *De homine perjurato ſuper ſancti Saviniani altare.*

Illo quoque in tempore accidit in præfato ſæpius cœnobio evidens miraculum, quod minime credimus ſilentio tegendum. Prophanus bonitate quidam namque homo, nomine Rothberthus, in vicina ortus villa, cui nomen Maſliacus-major indidit antiquitas, cupiditate fœdatus obſcœna, illicitum ſacramentum ſancti Saviniani perfecit in eccleſia: quamobrem rabies illico ſæpſit dæmoniaca: miſeroque cruciatu in omnium vexabatur præſentia. Adſunt extemplo nonnulli & alii teterrimi ſpiritus, ſed magiſtri criminum, humanæque ſalutis auſpices, qui latenter incitantes illum in diverſum compellunt nefas. Vinctis denique conviciator brachiis, ſuorum propitiatione parentum, ſcelus ejuſdem videlicet agnoſcentium, perducitur ſanctorum ad antra martyrum: ne profundius caperet tremula compago artuum dæmoniacarum querelam debacchationum. Hic nudata gerens membra, multis ictibus ſauciata, vaſtare ac laniare quoſque tenentes ſe ut quibat deſiderabat. Per lacunas ſiquidem cicatricum eviſcerando rejiciebat ſanguinem, & cruentas manus loriſque feſ-

Digitized by Google

ſas dilacerabat, terribiliter inquiens: O Saviniane præpotens martyr, cur me enecas cruciatibus diris? Pro certo ergo propinqui profitentur piaculum victi: ob hocque multiplicia cordis ab imo trahunt ſuſpiria. quin immo auxiliatricem Chriſti virtutem per ſanctorum obtentum eorumdem ſibi flagitant adfore propitiam: quatinus ex latebris hujuſce obſeſſi dæmoniaca peſtilens vis exeat, & recidiva virtus Chriſti polleat. Inretitum eum utique funibus anhelus eorumdem ibi dimiſit niſus de ſanctorum juvamine omnimodis fiſus. Furebat vero ſpiritu fervido, efflagitans nomen ſancti martyris Saviniani dictu temerario. Nihil ſane illius ſeveritate jocundius, nihil jocunditate ſeverius. Jam vero omne robur virium ceſſerat, & divulſas lacertorum compagines ſopor preſſerat. Ergo illi ſoporato adeſt propitiabilis viſio: Vidit ab aſtris ſane deſcendere inſignes viros, claritatis nimia luce reſperſos: adgrediuntur illum modeſtis plane greſſibus, ſed minantur duris increpationibus: Cur noſtrum, inquientes, efferus præſumtor intraſti antrum, qui recens noſtri locum effuſione ſanguinis ſacratum violaſti ultroneus conviciator? Horum ergo dum fugeret intuitus heriles, territus, nec celer, & præmiſſus ſplendor avolaret, & ſibi anxio finem ſubiti inferret periculi, ceu mortuus perſtitit ad hæc mitior, reddita piorum Martyrum clementia ſtupenti & pæne emortuo pepercit: Ob tuorum, dicens, fidem parentum qui te nobis reliquerunt medendum, jubemus abire ſanum. Mirabile dictu! mox denique nexus quibus manus habuerat vinctas decidunt, ſemotuſque à pilario, cui ligatus inhæſerat, prorſus recepit totius vegetationem corporis. At ille quanto ſanior, tanto jocundat frontem vacantem omni nubilo; & in ſe patratæ virtutis veridicus præco efficitur cunctis. circumſtat ergo perſultantium cœtus, pares camenas paribus hymnizans modis rerum Creatori, cujus dono fiunt cuncta quæ miranda videntur, &c.

XXIII. *De ipſo Pontifice, quomodo ante pedes abbatis & monachorum proſtratus jacuerit, & res quas adhuc tenebat reddiderit.*

Providus interea Pontifex Sevvinus, luculentiori præconio decoratus virtutum, eidem congratulans cœnobio diffundit vultus lætitiam ab ore hilari & fida gaudia gerit: tunc omne cordis ipſius ab imo ludicrum aboffertur, olimque animus nugator, Deitatis efficitur indagator; ac ſua inepta vultu probitatis ſerio colorat. Enucleatius quippe copioſiuſve effundit, quæ manicis tenacibus foverat: quoniam munerari divi fœnore ſeſe non dubitabat. horret ferale cupiditatis monſtrum, & inops egenuſque rerum mavult obſequi Chriſto, quam lætaliter ſauciatus, obcæcari illecebris gazarum: præſertim urgente ſuperna ammonitione ſanctorum martyrum Saviniani & Potentiani, in ſollemnitate celeberrima Johannis & Pauli: qua ſtupefactus ocius ætherii clavigeri Petri adiit clauſtrum, ſeſe profitendo culpabilem ac facinoroſum. Proſtratus itaque jacens coram omnium fratrum obtutibus, voce humillima indulgentiam efflagitat cernuus; cuncta itaque ſua præfatæ Abbatiæ prædia reddidit, & ad ſuos neceſſarios uſus vel pauculam portiunculam retinuit. Favoralis aura inde monachorum attollitur, ſed & totam perculit urbem, Chriſtum conlaudantium congratulatio vehemens, &c.

XXIV. *Poſt mortem Sevvini quomodo Leotericus ſucceſſit, clerum & populum, Abbatemque Rainardum & monachos dilexerit.*

Poſt hunc adſcitum ſuperorum cuneo nutu deitatis cunctivido, Leothericus infulatur Pontificis ſolio, actibus eximius, cujus laudabile culmen honoris amore ſane parato compellimur propalare: ſed facundia abeſt ſagacitatis. Merito ſinceritatis illius crevit plane ſacerdotalis gradus, eodemque monitore præcelluit normale decus ſanctæ Dei Eccleſiæ, &c. Præterea miraculorum inſignia, quæ illius enituerunt in tempore, longum duximus huic opuſculo innectere. Ceterum crebro fati cœnobii contiguus amator efferbuit, animoſius videlicet ſollertis rectoris abbatis Rainardi, communis utilia ſectando commode. congaudebat namque probi præceſſoris Sevvini hunc bonitate ſuperſtitem, & morum ſalubritate heredem. Denique laude digniſſimus Rainardus abbas prælata caritatis virtute rutilans, ſeſe ſuoſque omni voluptati abdicaverat, & continentiæ lege actitaverat, Apoſtolicæ aſſertionis ultroneus auditor, ſine caſtimoniâ inquientis impoſſibile eſt placere Deo: illiuſque philoſophi, qui nil ait eſſe prius meliuſve cælibe vita. Et hic ſpecimen Religionis non ſegniter tenuit, ſed reliquiſſe quoque bonorum operum ſpeculum prætendens, æquitatis jura procerumque priſcorum inſtituta flagranti amplectens niſu, ſpectabile multis reſplenduit decus, &c. Officinarum quæque diruta ſuis cum utenſilibus nobilitando reparavit attentius. Niſus interea affectionis ejuſdem panditur circa ſanctorum celebria feſta Martyrum; ſed crebrius tabeſcebat, ignorans qua tegerentur tumba ſancti ſcilicet Saviniani membra.

Digitized by Google

CIRC. AN. MXXV. AUG. XXV.

XXV. *De tumulis ſanctorum Saviniani ſociorumque ejus ab abbate Rainardo & Leotherico archiepiſcopo reſeratis.*

Beatorum igitur martyrum Saviniani, Potentiani, ſociorumque eorum corpora, ab abbate Samſone venerabiliter tumulata intro in antris ob timorem paganorum, uſque ad domni Leotherici archiepiſcopi, & domni Rainardi abbatis tempora ibidem latuerunt: quam ob rem experiri cupiens dicta ſeniorum ſollertius indicabat ſeria, præſago præſciens ſpiritu, per ſanctorum ſuffragia plura adipiſci ſanitatum remedia. Capeſſunt itaque conſilium ſalubre, quo reſerarentur ſanctorum mauſolea, qui antris continebantur in abditioribus. Hoc peracto extemplo miri odoris exuberavit fragrantia; certioreſque reddidit de eorumdem præſentia: collaudantes Deum recondiderunt ibidem decentius poſita VIII. Kalendas Septembris. Quibuſcumque autem infirmis, vel imbecillioribus collata eſt potio, de qua ſanctorum loca ſunt oſſa, abſque mora ſanitatis meruerunt juvamina. Ad illius profecto laudem magnificantur magnalia, qui tuitione cunctivida regit quidquid creatum vegetat.

XXVI. *Qualiter Regina Conſtantia ſanctum Savinianum agnoverit.*

Eodem tempore regnabat ROTBERTUS Regum piiſſimus. Hic peractis diverſis reſtaurationibus eccleſiarum, necnon ornamentis ſanctorum corporum, corpus ſancti Saviniani auro & gemmis argentoque ornavit. quod qualiter actum ſit, paucis eſt diſſerendum. Factum eſt dum quodam tempore Rotbertus Rex Romam peteret, ut CONSTANTIA Regina, una cum filio HUGONE parvulo Tillo remaneret. Quod ut BERTA Regina, dudum cauſa conſanguinitatis à Rege repudiata comperit, proſecuta eſt eum, ſperans ſe faventibus ad hoc quibuſdam aulicis Regis juſſu Apoſtolico reſtitui thoro regio: unde Conſtantia Regina timens ſe amoveri à regio latere, inenarrabili detinebatur mærore. Quæ dum nocte quadam ab hoc nimiis cogitationum tumultibus pulſata obdormiret, apparuit ei per viſum inenarrabili claritate circumdatus quidam angelicis decoratus canis, in ſacerdotali habitu, virgam paſtoralem geſtans manu; quem nimio timore perterrita dum requireret quiſnam eſſet, intonuit ſe fore Epiſcopum, & appellari Savinianum, cui & dixit: Conſtans eſto Conſtantia: quia Deo propitio liberata es ab imminenti triſtitia. Illa vero de tam præclara viſione perterrita, facto mane cœpit inquirere ſollicitè à circumſtantibus clericis, ſi illis in regionibus haberetur Epiſcopus, qui Savinianus diceretur. Quibus ignorantiam ſuam profitentibus, unus ex eis qui in monaſterio ſancti Petri fuerat nutritus, redeunte Rege Aurelianorum futurus Epiſcopus, nomine THEODERICUS [a]; reſpondit pro omnibus: Eſt, domina, in monaſterio ſancti Petri ſanctus Savinianus, primus Metropolitanæ urbis Senonum Archiepiſcopus, qui per Martyrii triumphum una cum ſociis pervenit ad cæleſtis regni bravium. Hujus Martyris ſi devota mente adieris præſentiam, id quod promiſit abſque dilatione noveris te conſecuturam. At illa de tanti viri conſilio gaudens effecta, citiſſime una cum filio expetiit ſancti Petri limina, & diutiſſimè lacrymas fundens ante corpus beati Martyris, totiſque viribus ſe committens ejus fidei, gaudens remeavit ad propria, de viſitatione tanti Patroni confortata. Nondum tranſierat dies tertia, cum ſubito adeſt intempeſta nocte legatus regius ante januam, nuncians in proximo adfuturam ejus præſentiam, qui Deo ducente propriis ſedibus reſtitutus; ut veraciſſima approbaretur promiſſio Martyris, deinceps propriam conjugem magis quàm eatenus dilexit, & ſub ejus nutu omnia jura regalia, & quæcumque poſſidere videbatur manere diſpoſuit. Sed illa minime oblita promiſſionis ſancti, ſatagere cœpit qualiter exornaretur corpus ejus gemmis & auro, quod diu incluſum plumbo, ab antiquis patribus abſconditum fuerat ſub atrio: & Regi ſuggerens ſua vota, Deo auxiliante ad ea implenda paratum illum invenit per omnia. Qui accerſiens ODORANNUM ejuſdem loci monachum, qui ad hoc opus perficiendum videbatur idoneus, commiſit una cum Regina ejus fidei tantæ pietatis opus. Dederunt igitur Senonis in primis per manum WALDRICI præpoſiti argenti meri libras IV. deinde Senones per manum WILLELMI Cubicularii argenti meri ſolidos LV. Poſtea miſerunt per manum ODONIS Paratgii argenti meri ſolidos XXXVII. miſerunt etiam ad Pariſius per manum Odoranni monachi auri ſolidos XVII. & denarios VIII. & gemmas precioſiſſimas. His ita patratis, reſtat uti mirabilia Dei, quæ in fabricis hujus operis oculiſque noſtris vidimus, & ex parte manibus contrectavimus, Chriſti fidelibus intimemus; quæ ſilentio tegere crimen eſt admittere.

[a] Ejus geſta retulimus ad annum 1021.

XXVII.

XXVII. *De Odoranni monachi profectione ad palatium, & auro ab Regina accepto in capſæ fabricam.*

Igitur occupatus Rex variis ſæculi curis, intermiſit aliquantulum ad monaſterium mittere ſumtus cœpti operis. Tranquillitate verò percepta, mandavit per FRANCOLINUM jam dicto fratri, ut concito gradu veniret Druis ad ſuſcipiendum munus operis. At ille veſpertina ſynaxi expleta; & ut mos eſt monachis, percepta benedictione Abbatis, ire perrexit ad cacumina Druenſis [a] Caſtri. Veniens verò poſt ſolis occaſum ad ſanctæ Columbæ portum, transfretavit cum ſuis Icaunam fluvium: cumque paullulum ſubſtitiſſet in litore, inter ceteras ſtellas, quibus nox illuſtrabatur, vidit quoddam ſidus exſurgere eo in loco, quo æſtivo tempore ſolet horam diei primam ſol demonſtrare; quod exſiliens de ſui ortus loco, virtute divina cœpit ferri velociter per aëra, petens cæli eminentiora loca pæne uſque ad illud punctum, quo ea tempeſtate ſolet fieri hora ſexta: quem cum famulus equo præparato, cui inſedere debebat, hortaretur, quia nox imminebat ut aſcenderet; Suſtine me paullulum, inquit, & intuere cum tuo ſocio mirabilia Dei, quæ hactenus non vidi. Quo miraculo famuli attoniti, ignorantes quid præſagii præferret, ſignaculo Crucis ſe muniunt, & Deo ſanctoque Saviniano pavefacti corde ſe committunt. Stella verò in loco quo venerat paullulum ſubſtitit, & retrogrado curſu ad locum unde venerat in unius horæ ſpatio iterum rediit. quam pæne uſque ad tertiam vigiliam noctis contemplantes, eam inter cetera ſidera implere curſum ſolitum viderunt ovantes, & inter ſe quid demonſtraret conferentes; quibus animo occurrit quod cœptum iter proſpero greſſu peragerent, & demum voti compotes concite ad domum redirent. Dantes propterea ſeſe maturius labori cœpti itineris, per ſqualidam Belſam, eo ſurgente à menſa, pervenerunt ad palatium Regis. Præmiſſa verò ſalutatione Regis & Reginæ, ut veraciſſima apparerent ſideris præſagia: Suſcipiens, inquit monacho Regina, quæ ſancto Savininiano pro poſſe diſpoſuimus ad præſens mittere munera feſtinus revertere ad propria; quia nos ſummo mane diſpoſuimus abire alias. Et ſtatim proferens auri tredecim ſolidos, ad publicam monetam Aurelianenſem appenſos: Si, inquit, tibi non ſufficit mea ponderatio, præbeat fidem proprio oculo iterata propenſio: quo ponderatore nihil aliud, quam quod Regina prædixerat fuit invenire. Regreſſus itaque monachus voti compos ad monaſterium, poſtquam Regis ex parte & Reginæ dixit Abbati & fratribus ave, protulit auri fulvi ſancto Saviniano tranſmiſſum munus de caſſilide. Appenſum ergo palam omnibus per manum Francolini oſtiarii, & RAIMBERTI cellerarii Regis, trutina vergente, inventum eſt ſeptem denarios plus habens. Unde ſtupefactus frater qui detulerat, & ceteri admirantes, cognoverunt pro certo quia qui ſideris mutatione in eundo dignatus eſt oſtendere miraculum, & qui ex nihilo fecit totum mundum, in ſacculo fidei ob meritum Martyris conceſſit exuberare fulvum ſub ſeptiformis numero ſpiritus aurum. Et qui ad redimendum filios viduæ, Helyſei interceſſu, fecit ſuperexcreſcere oleum, exigui auri munuſculum devotione Regis & Reginæ fecit maximum: & caput Chriſti Deus, qui per prophetam ſuum dixit argentum & aurum meum, quidquid membris ſuis, id eſt ſanctis Martyribus confert, alterius non eſt. Poſtea dedit Rex per manum Odoranni monachi Senonis auri uncias VIII. & argenti meri ſolidos XV. In perficiendo verò opere, ne fieret Regi oneri frequens requiſitio auri & argenti, additæ ſunt de theſauro eccleſiæ quinque unciæ auri, & tres libræ argenti meri.

XXVIII. *De ſancti Saviniani tranſlatione, & miraculis coram Roberto Rege factis.*

Deſcripto itaque apparatu Deo digniſſimi operis, opere pretium eſt exarari miraculum ſcripturæ vomere, quod Dei omnipotentia præſentibus nobis dignatus eſt agere in ſancti Martyris tranſlatione. Optata feſtivitatis ejus dies, quâ ab antiquis Patribus ejus venerabile corpus una cum ſociis in baſilica ſancti Petri tranſlatum eſt, adpropinquabat: & Rex, aliquantulum Senonis commoratus, redire diſponebat Pariſius: unde vocans Archiepiſcopum Leothericum, humiliter poſtulavit, ut monaſterium adiret, & ſancti Martyris corpus de locello plumbeo, in quo ab antiquis Patribus poſitum fuerat, in aurea capſa quam illi paraverat tranſponeret. At ille ſexta feria, cui ſuccedente die dominica futura præſtolabatur feſtivitas, ad monaſterium veniens, ſumma cum veneratione una cum fratribus monita Regis implevit; corpuſque ſancti EODALDI quod cum eo reperit, cum corpore ſancti Saviniani ponens, oſſa pueri parvuli cum eo humati repoſuit una, & expletis Miſſarum ſollemniis, edendum abiit. Fratre verò, ſub cujus arbitrio & providentia totius operis fabrica conſta-

[a] Druenſe caſtrum, melius Drocenſe, vel antiquis Durocaſſenſe, vulgo *Dreux*, vel ipſo nomine clariſſimum.

CIRC. AN. MXXV. AUG. XXV. bat, in choro monaſterii reſidente, & imaginis argenti, quod operculo capſæ ſuperponi diſpoſuerat, cera molli refovente, ſupervenit ex improviſo ductore puero parvulo quidam cæcus, poſtulans ſe intromitti in crypta, ubi ſancti Saviniani repoſitum erat corpus. Qui ſciſcitatus à monacho quis eſſet, & unde eſſet, vel cujus rei gratia advenisset? profeſſus eſt ſe eſſe ruſticum, & in pago Vvaſtinenſe in villa, quæ Fontanas dicitur, habere habitaculum ad manendum, & proprio nomine vocari Mainardum, & admonitum nocte præterita in ſomnis, ut ad ſancti Saviniani præſentiam veniret, & lumen oculorum ibi reciperet. Erat enim triennium, ex quo lumen amiſerat oculorum. Intromiſſus itaque ad ſanctum, diutius oravit: ſed nihil luminis ipſa die percipere meruit. Nimio vero ſuavitatis odore, ut ipſe dixit, repletus, ad propria eſt reverſus. Adveniente igitur die Dominica adeſt Rex cum ſuis Epiſcopis & proceribus, Abbatibus quoque & Clericis, necnon & populo innumerabili, ad tranſvehendum corpus Martyris: quem ſuſcipiens una cum filio ſuo ROTBERTO propriis ſcapulis, repoſuit cum manibus ſuis in illo loco, ubi in præſenti veneratur à fidelibus populis. Peracto deinde ſollemni officio, & Rege recumbente ad menſam, monachiſque edentibus, ſedebat ibi ſæpe dictus monachus, ubi eum perindie ſedentem ſupra ſcriptus invenerat cæcus; qui nutu Dei ducente ſe puero ſuperveniens, dixit ſe iterum in ſomnis admonitum, ut quantocius expeteret ſancti Saviniani auxilium: & projiciens ſe ſolo tenus ante præſentiam ſancti, ejus ſuffragantibus meritis viſum recepit: & qui eo uſque à parvulo puerulo ducebatur, eo ducente puer ad domum revertitur. Rex vero ſurgens à menſa orationis cauſa, ut mos illi erat, ſolus remanſit in eccleſia; qui dum oraret, contigit ut ſæpe dictus frater eccleſiam intraret: quem aſpiciens eminus tranquilla manu innuit, ut accederet propius. Cui, Enarra mihi, inquit, ſanctus Potentianus ſancto Saviniano quid fuerit. At ille quod ſocius ejus in itineris labore, & ſucceſſor in honore, & collega Martyrii fuerit humiliter intulit. Tunc Rex graviter cœpit conqueri, & pugnis pectus tundere, eo quod eos ab invicem ſeparaſſet corpore, & promittens ſe eum ſocio redditurum commiſit eidem fratri XXX. & tres ſolidos meri argenti, ut inde inciperet præparare ſcrinium ſancti Potentiani. Sed dum iſta cogitabat agere, præventus ſuperna vocatione reddidit Deo debitum patris noſtri Adæ.

ANN. CH. MXXVI. AUG. XXX.

VITA SANCTI BONONII

ABBATIS LUCEDIENSIS.

Auctore monacho Lucedienſi anonymo, ejus æquali.

Ex mſ. codice Bononienſi.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *SEQUENTES duos, alterum de vita, alterum de miraculis ſancti Bononii abbatis libellos ſcripſit quidam monachus Lucedienſis anonymus, qui ætatem ſuam prodit in libro de miraculis non uno in loco. Nam num. 7. ait matrem ſuam à ſancto Bononio etiam tunc vivente, ſanatam fuiſſe: & num. 10. relati miraculi, quod ipſo anno mortis ejuſdem ſancti viri accidit, ſe teſtem adducit. Confer. num. 18. Eruti ſunt primum, ſed ſtilo mutato, duo iſti libelli à Surio ex mſ. codice monaſterii ſancti Stephani apud Bononiam nobiliſſimam Italiæ civitatem, quod Jeruſalem appellatur, olim monachorum nigrorum, nunc Ciſtercienſium. Eoſdem indidem acceptos primigenio ſtilo reſtituimus. Codex ille multas alias vitas continens hanc habet in fine clauſulam.* Anno ab Inc. Domini milleſimo centeſimo octuageſimo, abbatiante domino LANDULFO abbate diſcretiſſimo, Deo & hominibus diligendo, fama ſparſim notiſſimo, anno videlicet abbatiæ ejus XVIII. die ſcilicet Veneris, qui quarto die poſt feſtum ſancti Martini epiſcopi ſecutus eſt, completus eſt in monaſterio beatiſſimi protomartyris Stephani de civitate Bononia, quod vocatur Jeruſalem, liber iſte, & theſauris armarii jam dicti monaſterii aggregatus. Quod utique ad omnium hominum notitiam venire volumus, &c.

2. *Sancti Bononii corpus colitur in monaſterio Lucedienſi prope Creſcentinum Vercellenſis*

Digitized by Google

diœceſis inſigne caſtrum inter Padum & Duriam ſitum, nunc ſancti Januarii, olim ſancti Michaelis titulo donatum: cujus originem ad tempus Ariperti Langobardum regis principatum, id eſt ad annum DCC. XII. *refert Franciſcus Auguſtinus ab Eccleſia in Chronologia Pedemontanæ cap. 33. Locus à monachis nigris ad albos Ciſtercienſes, & ab his ad paucos clericos ſæculares devolutus eſt. Eadem ferme habet Lubinus in Notitia abbatiarum Italiæ, ubi Locedienſem abbatiam hodie ad Caſalem diœceſim, quæ ex Vercellenſi detracta eſt, pertinere obſervat. Hanc ſitam eſſe ait in territorio Montisferrati ſupra fluvium Gardinam, nomenque opido ſancti Januarii, quod occaſione monaſterii ſenſim exſtructum eſt, tribuiſſe.*

1. BEATUS igitur BONONIUS Bononiæ oriundus fuit, ibique à pueritia ſe ſub monaſtico prætextu divinæ ſervituti mancipavit. Inter cujus crepundia plurima claruere virtutum inſignia: qui à primæva ætate meditatus quid futurus erat, ſicut legerat, ut pote omnem vitam ſapientis eſſe meditationem mortis, quotidie moriebatur mundo, ut viveret Chriſto. *Bononius Bononienſis.*

2. Quatuor principales virtutes ſcripturarum aſſertionibus noverat appetendas, prudentiam, juſtitiam, fortitudinem, temperantiam, ita ſibi invicem nexas & mutuo cohærentes, ut qui unam non habuerit, omnibus careat. Quas omnes ſic habuit vir venerabilis, ut tamen emineret in ſingulis. Mundum & ea quæ in mundo ſunt poſthabuit, Domino adhæſit; ſæcularia judicia contemſit, & ſemper apoſtolicam ſententiam ad memoriam ſtuduit revocare: *Si adhuc hominibus placerem ſervus Chriſti non eſſem.* *Gal. 1. 10.*

3. Cumque per annos aliquot in eadem urbe, in monaſterio ſancti Stephani Protomartyris carnem ſuam crucifixiſſet, & ætatis ac morum perfectione adoleviſſet; chariſmata meliora æmulatus, excellentiorem vitam eſt aggreſſus. De terra, & cognatione ſua, & paterna domo exivit, trans maria ſeceſſum ſolitudinis juxta Babylonem elegit. Ibi fræno durioris, & ſupra modum continentioris vitæ corpus ſuum perdomuit, omnibuſque carnis illecebris triumphator agonotheta repugnavit. Fama igitur ejus boni odoris per totam Ægyptum fragrante, Principes Ægypti, & potior pars populi mira dilectione cœperunt eum amplecti, adeo ut darent ei optionem quid vellet faciendi. *Monachus ad S. Stephanum.* *Babylonem tendit.*

4. At cum frequenter hoc facerent, gaviſus ſanctus Pater Bononius Deo gratias egit, per quem barbarica feritas quievit, & in manſuetudinem converſa ſiluit. Inſuper quod inter ſævitiam barbarorum intrepidus maneret, ad perficienda opera chriſtianorum. Primum itaque ſuarum virtutum ſpirituale jecit fundamentum, laborando ad reparationem eccleſiarum barbarica vaſtatione dirutarum. Ibidem quamplurima reparavit monaſteria, in quibus Abbates & monachos ordinavit, quorum vitam ſecundum Regulam ſancti Benedicti inſtituit. *Monaſteria ad S. Benedicti regulam ordinat.*

5. De loco ad locum tranſibat, verbum Dei ſeminabat: fides credentium creſcebat, ad quorum informationem multis ſignorum miraculis coruſcans alios ad fidem trahebat, & ſicut ager terræ bonæ fructum centeſimum, ſexageſimum, & triceſimum producebat. Cumque quadam die ingreſſus navem cum mercatoribus illius regionis Alexandriam peteret, valida & inevitabili procella ſubito æquore turbato, nullam evadendi ſpem habentes clamabant omnes in tanto diſcrimine conſtituti, dicentes: Serve Dei, ecce miſerabiliter perimus & tu nobiſcum: ſed ſecundum tuam prædicationem talem credimus Dominum tuum, ut ſi oraveris ad eum, liberabit te, & nos tecum: & liberati vovemus nos ſacramentum baptiſmatis à te ſumturos, omnino ſequi, & perfecte credere in eum. Ad ejus orationem repente vehemens maris commotio ſedata præbuit, & navis à Deo directa felici curſu portum Alexandriæ, ſicut optaverant, intravit: & ſtatim de navi, & de manu mortis Deo miniſtrante ereptis vir Dei ſæpe memorandus ſacramenta baptiſmatis tradidit. Per totam Alexan-

Digitized by Google

ANN. CH. MXXVI. AUG. XXX. driam rumor beatæ ejus opinionis ſonuit, quia per eum multa virtutum ſigna ibi Dominus oſtendit. Et ne humanus favor, ut ſæpe aſſolet, ejus mentem nævo inſolentiæ obduceret, clam locum deſeruit; priſtinam Babylonis ſolitudinem repetens, vigiliis, jejuniis, orationibus, & univerſis ſanctis operibus vacavit, vias vitæ quamplurimis monſtravit, atque ut omnes lucrifaceret vir juſtus, omnibus omnia eſt factus.

6. Non adulationem per potentiam appetebat, nec faſtidio aſpernabatur ſuperbos & inſolentes, memor illius invectionis, qua comminatus eſt Dominus populi ſeductoribus, dicens: *Va vobis qui conſuitis pulvillos, & cervicalia ſub omni cubitu ad decipiendas animas. Ecce ego diſrumpam eos de brachiis veſtris, ut non ultra capiatis animas volantes.* (Ezech. 13. 18.) Quem nec proſpera extollere, nec adverſa noverant inclinare. Pauperes ſuſtentabat, divites ad benefaciendum admonebat. Mollia ſtrata non habebat, ſed ſupra duram humum ſuperjecto cilicio, & lapide capiti ſubpoſito quieſcere conſueverat, ſi quies eſt dicenda, quæ jugibus orationibus dies & noctes continuabat, & membra ſua mortificabat ſecundum illud Davidicum: *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo.* (Pſal. 6. 7.)

7. Per idem tempus per univerſam Ægyptum erat ingens luctus, graviſſimæ ſeditionis creverat tumultus, & facto conflictu inter eos plurimi Ægyptiorum occubuerunt: Romani vero multi perierunt, & triumpho Chriſtianis non feliciter ſuccedente, multo plures in captivitatem ducti ſunt. Inter eos PETRUS divinæ memoriæ venerandus antiſtes Vercellenſis, vinctus & carcere retruſus aderat, qui nimia neceſſitate coactus cautiſſime inquirebat, ſi quem forte Chriſtianum in eadem regione invenire poſſet, cujus conſilio fretus liberari ſperabat, & inceſſanter ex hoc ad Dominum miſerabiliter ſuſpirabat. (Captivos liberat.) Sed quia certum, immo certiſſimum eſt, quod Deus in ſe ſperantes non deſerit, ſanctum Bononium ibidem eſſe Domino revelante cognovit. Quem ad ſe devotiſſime accerſivit, & cauſam captivitatis ac miſeriæ ſuæ, & ceterorum per ordinem innotuit. Poſtremo ut ſibi & reliquis per miſericordiam condeſcenderet rogavit: videlicet ut paganorum nexibus abſoluti, de tam duriſſima captivitate exirent, & in patriam terram, Deo duce & ſancto Bononio, redirent. Tunc Pater ſanctiſſimus magiſtris carceris pretium dedit, & ocium ad captivos conſolandos introeundi accepit.

8. Cum quadam die Rex Babylonis per pomerium, arboribus, quibus balſamum funditur, conſitum, nimia joconditate deambularet, gratioſiores Domeſtici ejus, inſpirante Deo quadam concordiæ regula ad invicem conſentientes, ſupplices rogabant eumdem Regem, ut votis ſancti Bononii adquieſceret, captivos videlicet Chriſtianos vinculis carceris abſolutos eidem traderet, & in patriam redeundi licentiam eis cum eodem beatiſſimo Dei cultore clementer concederet. Tunc Rex uxoris & domeſticorum precibus motus, votis ſancti Bononii adquievit.

9. Igitur ſanctus Bononius navem ingreſſus Jeroſolymam venit, & inde pertranſiens in montem Sinaï locum ſuæ habitationis elegit: ut ſicut Moyſes ibi olim ſuſceperat legem Dei, in eodem loco Chriſti Confeſſor adipiſceretur gratiam Spiritus-ſancti. Deinde venit Conſtantinopolim. Tunc cuſtodes navium videntes tantam multitudinem captivorum, paveſcentes ſperaverunt paratas eſſe adverſus eos inſidias inimicorum, & exceptoribus ad Palatium miſſis ex Imperiali edicto omnes ſunt capti, & carcerali cuſtodiæ mancipati. Cumque illius urbis Dei cultores ereptionis eorum cauſam eo demonſtrante cognoſcerent, apud imperialem poteſtatem operam dederunt, ut injuſte capti abſolverentur, & in patriam ſuam cœpto curſu feliciter reverterentur. Quorum precibus imperialis poteſtas annuit, omnes enim de carcere eductos abſolvit, & ex ærario imperii dita-

Digitized by Google

tos navigio quo advenerant cum omnibus quibus indigebant miſericorditer reſtituit. Inde cum gaudio ſinguli ad propria ſunt reverſi. PETRUS Vercellenſis Epiſcopus priſtinæ ſuæ ſedi jure eſt reſtitutus, & ibi præfuit multis temporibus. ANN. CH. MXXVI. AUG. XXX.

10. Interim ſervus Dei divinæ legi ſe mancipaverat in montem Sinaï. ubi tantarum virtutum ſignis claruit, quibus totam Jeroſolymorum viciniam ſacro-ſanctæ opinionis bono odore replevit. Non multo poſt Vercellenſis diœceſeos Locedienſis Abbas obiit: poſt cujus obitum PETRUS prænominatus pontifex, nunciis ad eum directis, eumdem ad ſe accerſivit, & nimiis & inevitabilibus precibus eum rogavit, ut defuncto Abbati ſuccederet, & locum & omnes commiſſos ſecundum Deum regeret. Cumque circa ſe Dei voluntatem intelligeret, nec diutius reſiſtere poſſet, invitus Pater monachorum effectus, multis ibidem cœpit coruſcare virtutibus. Sed hoſtis antiquus, qui omnino, ſicut ſuum eſt, invidet bonis operibus, adverſus ſanctum Paſtorem pugnæ conflictum aſſumſit, & monaſterium quodam procellæ turbine commovit. Ille vero memor illius evangelici: *Si perſecuti vos fuerint in civitate una, fugite in aliam*, ſcandalum humiliter declinavit, atque inde recedens in partibus Tuſciæ interim habitavit: ubi reparato ad plenum monaſterio, & ſecundum legem Dei & ſancti BENEDICTI regulam inſtituto, ſicut conſueverat ubivis locorum claruit multorum indiciis ſignorum. *In monte Sinaï degit.* *Lucedii fit abbas.* *Matth. 10. 23.* *Tuſciam petit.*

11. Interdum prioris loci commotio ſedata quievit, & Domino revocante ad monaſterium Locedienſe rediit, ut ibi plantatus clementia ſupernæ diſpenſationis ramos ibidem diffunderet piæ converſationis. Et cum per multa annorum curricula plurima ibi fulgerent virtutum ſuarum inſignia, ille angelicus vir ſemper latere quærebat, illud Dominicum commemorans: *Cum feceritis quæ præcepi vobis, dicite, Servi inutiles ſumus; quod debuimus facere, fecimus.* *Lucedium redit.* *Luc. 17.*

12. At cum multo tempore ad conſtruendum domicilium Dei vivi ex ſenſibilibus lapidibus laboraret, & in omnibus irreprehenſibilem ſe exhiberet; & jam tempus immineret, ut remunerante Deo ſui agonis bravium reciperet, conſummato opere valefecit, & ſpiritum Deo [a] tradidit; poſt cujus obitum evidenter apparuit qualis & quantus in vita fuit. Nam ad ejus ſepulcrum plurimas ægritudines curatas novimus, & de die in diem meritis ipſius fidem credentium informari gaudemus: ſicut olim verba ſanctæ prædicationis, ita nunc miraculorum ſignis dæmonia fugantur, cæci illuminantur, qualibuſcumque morbis languidi curantur, & manifeſte ſanctificatus, ſanctis in cælo eſt coæquatus. *Moritur.*

13. Poſt cujus tranſitum tranſactis aliquot diebus, ARDERICUS Vercellenſis eccleſiæ venerabilis Epiſcopus, divino Spiritu illuſtratus, ut debitam devotionem erga tantum Chriſti Confeſſorem impenderet, ſupra ſacratiſſimum ejus corpus altare erigendum & dedicandum devotiſſime adjudicavit. Clero igitur & populo totius ordinis & ætatis, ac utriuſque ſexus in unum convenienti ex hac cauſa verbum fecit, ut conhibentia ac faventis reſultatione plebis firmaretur exordium tantæ religionis. Sapientia itaque ſacro-ſancti Paſtoris, & plauſu totius gregis competenter ſancitum eſt, ut idem pius Pontifex, ut rata fieret ejus ſententia, & populi obedientia, ex hoc adquireret apoſtolicam auctoritatem, quæ ſupereminet ſæculi poteſtatem: ut & religio eſſet devotior, & beatiſſimi Bononii commemoratio celebrior, idem memorandus Pontifex Romam abiit, à Domno JOHANNE ſummo Pontifice & univerſali Papa apoſtolicam auctoritatem adquiſivit: & inde regreſſus ſumma gratia & totius plebis lætitia altare erexit, & conſecravit, adjuvante Domino noſtro Jeſu-Chriſto, *Altare ſuper ejus tumulum erectum.*

[a] Nempe anno MXXVI, & quidem tertio Kal. Septemb. infra ex lib. de miraculis, num. 10.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXXVI. Aug. XXX. qui cum Patre, & Spiritu-ſancto, vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

INCIPIT PROLOGUS IN MIRACULIS ſancti Bononii Abbatis & Confeſſoris.

1. GRATIA noſtri Redemtoris, qui fideles ſuos, mundo mortuos, ſecum viventes & conregnantes in cæleſtibus, multorum ſignis miraculorum oſtenſis perſpicue demonſtrat; apparet viros fuiſſe quorum ſtudio & labore veteris ac novi Teſtamenti ſanctorum Patrum opera, atque virtutum ſigna per eos cælitus facta, quibus ad divinum amorem excitarentur poſteris ſcripta relinquerentur. Quiſque autem illorum, ſancto-Spiritu ubi vult ſpirante, & non omnes ſuas gratias uni, ſed partim cunctis tribuente, pro virium ſeu ingenii capacitate pauca vel plura ſtuduit prout potuit exarare. Ergo fratribus miræ devotionis in Dominum, ut miracula per ſanctum Bononium, dum viveret, ſive poſt ejus obitum facta ſchedulis traderem precative rogantibus, atque præfatorum ſcriptorum mihi renuenti exempla objicientibus, quorum minimo nullo modo me audeo comparare, ſciens me modicæ ſcientiæ, ſed in Domino ſpei maximæ, qui linguas infantium facit diſertas; tandem eorum diutina deprecatione devictus, atque in ipſorum obſecrationibus, tantique Confeſſoris ſupplicationibus pro me ad Dominum confiſus, pauca de multis ultra mearum virium negotium præſumendo, non patiens cuncta eſſe incognita, conor memoriæ tradere humanæ. quorum ſi nulla foret deſcriptio, ne inertis commiſſum talentum abſcondentis in terra particeps eſſem timeo: cum, teſtante ſcriptura, bonum ſit ſecretum regis celare, & honorificum opera Domini laudare. Unde obnixe oro lectores, ut non ſint hujus operis detractores, nec verborum ruſticitatem attendant, ſed quæ hic habentur vera fore credant: quia quæ refero, plura ego ipſe vidi; & quæ non à me viſa, à veridicis & fidelibus viris audivi multorum teſtimoniis confirmata.

Tob. 12. 7.

Incipiunt miracula ſancti Bononii.

Monachi furtum punitur.

2. NOcturnis igitur hymnis atque laudibus temporibus peractis mos erat beato Bononio in Oratorio remorari: ubi vacans uberrimis fletibus & oraminum obſecrationibus, pro ſtatu ſanctæ Dei Eccleſiæ, & omnibus fidelibus vivis & defunctis, quanto ſecretius valebat, non humanæ laudis appetitum deſiderans, Dominum jugiter ſupplicabat. Ea vero hora dum hæc agerentur, frater quidam, nomine Lintefridus, vir magnæ reverentiæ, provectæque ætatis, cupiditate victus, videns pulcram candelam in candelabro, ſubripuit & exſtinxit, atque in ſinu ſuo repoſuit. Quod dum faceret, Dei occulto & juſto judicio meruit percuti ab Angelo. Hoc autem ipſum latuit tunc temporis nihil mali ſentientem. Sed & candelæ ablatio, & Angeli percuſſio beatum non latuere Bononium: cujus purus mentis intuitus omni luvione pulſa ſedulo in exſtaſi raptus cæleſtia penetrabat, quippe ejus vita nec etiam levi famine erat maculata. Mane autem facto, primaque hora diei celebrata, ac facta ex more fratrum collatione, beatus Bononius in eorum reſedit conventu: & dictis dicendis, & juſte miſericorditerque correctis corrigendis, ut pater filium fratrem præfatum de candelæ ſubreptione clementer increpavit, & ut eam cuſtodi eccleſiæ redderet, imperavit. qui, licet invitus, reddit quod fuerat juſſus. Inde

Digitized by Google

vero egreſſis, & ſingulis ad ſibi injuncta peragenda occupatis, quibuſdam ex ipſis ad ſe accerſitis, quod in eo factum eſſe cognoverat vir Dei mærendo aperuit, dicens: Filioli, ſcitote fratrem illum modo infirmaturum, & hac de clade vix mortem evaſurum. Item & ei lectum in domo infirmorum conſtruite, eumque cum magnâ diligentiâ cuſtodite. Qui ſuſcepto ac peracto jubentis imperio, jam aliquid mali patienti occurrentes, quæ à Dei famulo audiverant & fecerant, innotuerunt. Ipſe namque non multa adhuc infirmitate ſe videns gravari, ſibi relata parvipendit, & non futurorum ipſius præſagio, ſed amicitiæ ſtultiloquio deputavit. qui graviter creſcente dolore, ut ſententia viri Dei eſſet veridica, ita eſt ea die viribus corporis deſtitutus, ut de ejus vita funditus deſperaretur. Sicque per multos dies manſit: &, ut ipſe poſtea ſolitus erat referre, numquam ea de infirmitate convaleſceret, & procul dubio credi licet, niſi beatus Bononius ſuis meritis & orationibus pro eo intercederet.

3. Aliud quoque narro miraculum, quod valde exſtat venerandum. Beato namque Bononio ab adoleſcentia ſua omni tempore corpus ſuum cum vitiis & concupiſcentiis crucifigente, omnino ſpretis quatuor præcipuis victibus, ſcilicet carnis, adipibus, ovis, & caſeis, dum morem abſtinentiæ vini in Paſchali feſtivitate vellet obſervare, quo tantum in diebus, in quibus Euchariſtiam accipiebat, propter ſtomachi everſionem permodicum guſtando vaſe vix ſemiſſe apparente utebatur, non ei permiſit clementia ſuperna. qui dum in præfata die rite celebratis myſteriis divini officii ad menſam acceſſiſſet, ei miniſter juxta conſuetudinem in duobus vaſis, in uno vinum, in altero aquam bibere detulit. quod vas videlicet aquæ dum facto ſigno ſanctæ crucis ori admiſiſſet, eam vinum factam invenit; accitoque miniſtro dixit: Cur mihi ſolita conſuetudine aquam non propinaſti? qui reſpondens ait: Etiam Domine pater. Eſt, inquit vir Dei, experire, & ſi ſit aqua an vinum per temetipſum addiſce. Ille vero bibere non diſtulit; & inveniens aquam vinum factam, admiratione perculſus obſtupuit; & accipiens ſcyphum foras vinum ejecit, atque ad fontem recurrens, inde aliam lympham beato Bononio reportans dedit. quam ſigno ſanctæ crucis facto, & nomine Trinitatis invocato, cum iterum ad os miſiſſet, inventa eſt optimi meri ſaporem habens. Tunc vir ſæpe memorandus tamquam irato animo dixit: Non tibi, amens, vinum, ſed aquam præcepi deferre. Scio, inquit miniſter valde admirans: Domine Pater ſcio. Teſtem Dominum invoco, quia illa & hac vice ego ipſe ad fontem ivi, & meis manibus aquam extraxi, & huc ad te devexi. Beatus vero Bononius illi non credens, rurſum aliam imperavit aquam afferri: quæ & ipſa converſa in optimum vinum, in propriam mutavit naturam. quo viſo beatus vir cujus voluntas fuit in lege Dei die ac nocte maximum habuit ſtuporem, atque recognita Dei pietate circa ſe miſerationem agente, ei grates dignas retulit. O virum vere per omnia laudandum, cunctorumque bonorum laudibus extollendum! Scriptum eſt enim, ut illicita committentes licitis interdum non utantur. Ipſe enim hujus præcepti non immemor, ut cotidie mortuus mundo viveret Deo, hanc auctoritatem tranſſiliens etiam in reſurrectionis Dominicæ, necdum in aliis, ac ſi illicita committeret, pleriſque licitis nullo modo utebatur: maxime cum ea die peccatoribus venia indulgenter conceditur, & animabus jam carne ſolutis cauſa purificandi pro commiſſis ſupplicio deputatis requies exhibetur. Quin etiam hominum favorem effugiens, ut hac indulgentia à Deo ſibi præſtita omnes lateret, eumdem miniſtrum, qui ſolus hoc noverat, ad ſe vocavit, & ne, quouſque hominem exiret, divulgaretur interdixit.

Vini abſtinentia.

4. Beatus Bononius pro cauſa monaſterii cum ſuis militibus in itinere directus à quodam ruſtico in hoſpitio devote eſt receptus. Cui, ſuiſque refectis,

ANN. CH. MXXVI. AUG. XXX. appropinquante nocte, domus parvitate in ea jacendi facta difficultate, ſub divo lecta præparata fuerunt: ſed ruentibus cæli imbribus in eiſdem quieſcere nequiverunt. Domum igitur introierunt, & utcumque valuit ibi ſe quiſque collocavit. Chriſti vero ſervus Bononius ſuper quoddam vaſculum, ubi panis ſolebat confici, ſua ſancta membra dedit quieti: pro cujus honore vas illud poſtea veneratione habitum donum non ſilendum accipere meruit. Deinde cum panis ſubcinericius ex uſu ibi pararetur, operante divina clementia abſque levamine perſæpe fermentatus eſt repertus, ut qualis, ac quantus eſſet vir ille quem ſuſtulerat inſinuaretur. Quod inſolitum & inauditum videntes illius domus homines multum admirari cœperunt: ſed recolentes beatum Bononium ibi ſuperjacuiſſe, id ejus meritis fieri non dubitaverunt. qui donec in carne manſit, ſui Domini acceptam pecuniam non intra abſcondendo, ſed negotiando quantum potuit multiplicare ſtuduit, unde recepta mercede in cælo & in terra honorari & exaltari meruit.

Mulier filios ejus precibus obtinet.

5. Fuit quoque femina liberorum procreandorum aviditate plena, ſed à propaginum fœcunditate per multorum annorum curricula aliena. quæ prolem gignendi medicinis ſuſceptis fruſtra concipiebat & pariebat, quia ſibi juſto Dei judicio prohibente diu vivere nequibant. Illa vero ſuorum pœnitens commiſſorum, audita ſancta opinione beati Bononii ad eum devenit, & ſupplex ejus pedibus provoluta, cujus rei gratia adveniſſet patefecit. Quam ſuis ſanctis inſtructam monitis, & indicta pœnitentia, in ſuis ſacris orationibus Dei prædictus famulus ſuſcepit, eamque cum gaudio ad propria remiſit. Et quouſque vixit concipiens & pariens, meritis Domini Confeſſoris, filiis & filiabus non caruit. Nec mirum ſi tanta ac talia valuit obtinere apud Dominum, cum ipſe ſemper fuiſſet bonæ terræ ager, qui ſuſcepto ſemine centeſimum obtulit fructum.

6. Quodam tempore dum contigit eum iter facere, & in quodam vico ad domum cujuſdam cauſa hoſpitandi declinare, auditum eſt à quadam femina febricitante eum ibi adeſſe; quæ feſtinans eo venit, & quis eſſet fuſurus aquas ejus manibus, perquirendo invenit. A quo dum peteret aquas ejus manuum (ſciebat enim plurimos ſoſpitatem conſecutos per hauſtum earum) reſponſum eſt illi: Hoc minime facere audeo, quia coram eo ſolito more in terram projicio: ſed me ei aquas dante prope adeſto; & dum in terram fudero, brachialem extendens, non tamquam ſponte, ſed caſu & tamen quo plus latenter poteris eas ſuſcipe, domumque regrediens ablue, atque eamdem lavaturam confidenter ebibe, quia ſine ſpe poſſibilitatis vana eſt petitio cujuſlibet cupiditatis. Quæ ſiquidem mulier viſa non multum diſtare ab ea, quæ accedens retro tetigit fimbriam Domini, fecit quod ſibi fuerat imperatum: & ilico convaluit, atque ei Dominus priſtinam ſanitatem ſui famuli meritis reddidit.

Matth. 9.

Auctoris mater.

7. Inter cetera quæ refero nec illud ſilendum puto, quod meæ accidit matri interceſſione ipſius, quæ cum eſſet frigoretica, & nimis inde laboraret, ad eum venit, atque ſuis ſe orationibus commendare ſtuduit. quam ipſe vir venerabilis ſatis benigne gratanterque ſuſcipiens, ſeque Dominum pro ea oraturum promittens, tali prorupit in voce: Vade & noli amplius febricitare. Continuo namque melius habuit, & citius inde perfectè convaluit.

8. Alio quoque tempore dum idem beatus vir iter faceret, contigit ut apud quoddam caſtrum in quadam domo ad hoſpitandum declinaret: ubi opacæ noctis tempore tanta lucis claritas ſuper eum refulſit, ut à quibuſdam non longe manentibus tota illius domus fabrica, in qua excubaverat, igne conſumi putaretur. Qui conſurgentes omni ſubtilitate illuc perrexerunt, ſed ab eorum oculis ſublato lucis ſplendore eam inuſtam invenerunt. Quam

Digitized by Google

Quam videlicet claritatem nulli conſtat dubium fuiſſe ob ejus merita. Nec mirum, cum ipſe Dei famulus à puerili ævo toto conamine opera tenebrarum perfecte abjeciſſet, & arma lucis & fidei optime indutus eſſet. Hoc idem & poſt ejus tranſitum in cellula, in qua dum corpore viveret recumbebat, frequenter & à multis viſum eſt. unde aperte patet, quia ibi ſancta ſtudia & opera Deo ſatis placita ab eo ſunt peracta. ANN. CHR. MXXVI. AUG. XXXI

9. Dum idem Dei famulus alio etiam tempore eſſet apud quemdam vicum in domo cujuſdam matris familias, ab ea multis eſt rogatus precibus, ut ibidem dignaretur prandere. qui ejus obſecrationum inſtantiam videns, votis ipſius adquievit. Menſa namque appoſita ad prandendum diſcubuit. Ubi autem conſumta ſunt edulia quæ haberi poterant, ſi ficus quiviſſet habere inquiſivit. Cui quidam ſuus presbyter, prædicta paullo ante ut ficus ipſi Dei famulo colligeret miſſus, reſpondit: Eo enim ad colligendum: ſed omnibus diligenter circumſpectis, & immaturis repertis neminem ſumſi. Cui vir Dei: Vade, ait, & collige, nobiſque huc defer. Presbyter vero ſancti viri præcepto obediens, ad eaſdem ficus quas adierat, rediit, &, ut eodem referente cognovi, tot in eis maturas invenit, quot viro Dei, & omnibus qui cum ipſo erant, ſufficere potuerunt. Unde credentium fides informari ſimul debet & augmentari. Nam Unicus ſummi Patris omnium Dominus ſervo ſuo præſtitit, quod ipſe quærens fructum in ficulnea ſibimet non exhibuit. Spopondit enim in ſe credentibus: Opera quæ ego facio facietis, & majora horum. Quoniam aliqua quæ vivus peregerat, prout quivimus, ſummatim ſcribendo perſtrinximus, ad recolendum ea, quæ poſt tranſitum egit, Domino adjuvante, ſtilum vertamus. *Marc. 11.*

Miracula ſancti Bononii Abbatis poſt ejus obitum.

10. ANNO igitur Incarnationis Dominicæ milleſimo vigeſimo-ſexto, tempore dormitionis ſuæ in Domino accedente, gaudentibus angelis & flentibus populis, beatus Bononius tertio Calendas Septembris ad omnium bonorum remuneratorem feliciter perrexit, braviumque ſui agonis ut optimus athleta accepit. Quo defuncto, ita confeſtim ejus ſanctitatis fama totam per provinciam circumquaque eſt diffuſa, ac ſi præcones mitterentur, quibus is obiiſſe, & per eum ſigna fieri narrarentur. quod audiens quidam validis compedibus ferreis vinctus, atque in carcerali cuſtodia magna cum diligentia poſitus, cœpit ingemiſcere, pectuſque pugnis tundere, & ad Dominum toto mentis affectu preces fundere. Si vera, inquiens, ſunt, Chriſte, quæ de famulo tuo Bononio auditu comperi, ejus quæſo meritis & interceſſione fac miſericordiam mihi, ut per me liberatum à tantis quibus crucior doloribus nomen tuum & ſervi tui magnificetur, & hoc miraculum tuæ dexteræ potentia factum cunctis intimetur, ut majora his quæ fieri in præſentiarum perhibentur, ejus interventu futura eſſe ſperentur. Hoc autem cum diu eſſet oratum, ſolutus vinculis Dei miſeratione, tantique Confeſſoris ſupplicatione ſe exauditum cognoſcens, abſque mora exivit, & eiſdem vinculis ſumptis, ad ejus ſacratiſſimi corporis tumulum feſtinato greſſu devenit, & ibi eadem, quæ multo tempore manſerunt, ſuſpendit, ac gratias agens Deo, ſanctoque Confeſſori Bononio, qualiter ei accidit per ordinem nobis narravit. Anno 1026. ejus obitus. Pœnitens ferro conſtrictus. Auctor teſtis.

11. Eodem vero anno, quo ipſe ſanctus Dei Bononius ex hac vita ad ineffabilem polorum gloriam migravit, quidam frater, cui ipſe habitum ſanctæ converſationis tradidit, adeo acri dentium dolore torquebatur, ut etiam inediam, dieſque ac noctes continuatim inſomnes duarum hebdomadarum ſpatio pateretur, atque ei omni quiete amota, per cœnobii cir- Dolor dentium ſedatus.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXXVI. Aug. XXX.

cuitum quaſi amens vagaretur. Nocte autem quadam poſt multam fatigationem, dum caput in gremio infirmorum ſervitoris ponens modicum ſomni caperet, apparuit ei ſanctus Bononius. qui feſtinus ſurgens, ut ſibi per ſomnium videbatur, ob honorem tanti Patris, ad ejus ſacra veſtigia oſculandum proruit: ſed eum vir venerabilis amiciter per mentum accipiens erexit. Ad cujus tactum ilico omnis dolor eſt effugatus, ſimulque frater ille infirmus à ſomno, quo tenebatur, eſt excitatus. Hoc autem facto, obſequentem ſibi vocavit, dicens: Jam enim ſancti Bononii viſione & conſolatione omni dentium careo dolore. ſicque ſoſpitate recepta, in eadem omni vitæ ſuæ tempore manſit.

12. Quædam femina ab adoleſcentia conjugio copulata, videns ſibi non naſci filios neque filias, una cum viro ſuo nimio tædio ac mærore afficiebatur. Hæc autem ut ſui uteri ſterilitatem amitteret, dum multa inlicita, quæ putabat prodeſſe, faceret, cognovit ſe in vanum laborare, quod tentaret velle Dei per ſua maleficia ſuperare. Meliore ſiquidem conſilio divinitus inſpirata, erogans multas eleemoſynas pauperibus, ac inſiſtens aſſiduis oraminum precibus, ſe funditus vertit ad Dominum, qui ſolus eſt unicum & verum & unicum miſerorum præſidium. Non multo poſt tempore evoluto, dum ſopita dormiret, vidit in ſomnis, quod ſi ex ſtillicidiis pluviæ ſtillantibus à domo in qua vir beatus degit haberet atque potaret, à ſuo deſiderio fraudata non eſſet. quæ à ſomno expergefacta viſionem ſuo non diſtulit intimare marito. Tempore namque opportuno adveniente, una cum viro ſuo ad jam memorati Patris monaſterium devenit; atque ex aqua quam deſiderabat per quemdam ſibi notum ab ea rogatum accepit. Qua denique exhauſta, domumque regreſſa, paucis tranſactis diebus concepit & peperit, atque intervenientibus beati Bononii meritis, utriuſque ſexus prole deinde fœcunda permanſit.

Fratricida ferro vinctus.

13. Homo quidam erat fratricidii [a] pœnitens, qui habebat mucronem cum quo peremerat fratrem, fixum in ferreo circulo circum dextrum brachium ſtrictius poſito, cute & carne jam ſuperimminente. Hic cum eſſet in ſeptimo pœnitentiæ ſuæ anno, multorum ſanctorum eccleſiarum limina calcando, in die ejus natalis venit, ubi beati Bononii corpus jacet humatum. Qui flens & ejulans, ex intimo cordis alta trahens ſuſpiria, Dominum precabatur ſibi propitium fieri interceſſione ſui tanti famuli. Cumque diu orationi inſtaret, & ſanctum confeſſorem Bononium in ſuo ſuffragio invitaret, ei Chriſti clementia ſubveniente, coram multa turba virorum ac mulierum circulus repente fractus, & valde abjunctus à brachio cecidit, qui ante ejus altare ad hujus rei memoriam multo tempore pependit. Unde intelligi datur, quia ſimiliter ab animæ reatu eadem hora eſt liberatus.

Mutus loquelam recipit.

14. Eodem quoque die, quidam ab infantia mutus proprii ſermonis recepit uſus, à cujus ore multum ſanguinis decidit, quod ſignum fracturæ linguæ vinculi exſtitit. His namque viſis miraculis, quique majorem ſpem & fidem in Deo, ampliorem que devotionem & venerationem in ejus Confeſſorem inde habentes, cum gaudio ad propria redierunt. Tua ſunt, Domine Jeſu-Chriſte, hæc opera: ſic ſic & mirabilius, cui tu ſemper vivere fuiſti, nunc mortuum magnificas, à quo hac in vita degente fideliter magnificabaris, qui lucerna lucens non ſub modio latuit; ſed ſuper candelabrum poſitus omnibus in domo tua nobiliter ſplenduit.

Dæmoniaca liberatur.

15. Alio vero anno, in die natalis ipſius, dum ex multis partibus orbis plurimi ad ejus ſacri corporis tumulum confluerent Dominum adoraturi, & confidentes ejus interventu ab inſtantibus & futuris malis poſſe liberari

[a] Simile omnino exemplum invenies in lib. 1. de miraculis ſancti Bertini, tomo 1. Sæculi tertii pag. 110 Confer num. 10. ſupra.

Digitized by Google

ipſius ſuffragia rogaturi; quædam femina à dæmonio vexata, multis ecclesiis pretioſiſſimorum ſanctorum petitis, nemini illorum ejus depulſione conceſſa, illuc deducta eſt. cujus eccleſiam mox ut fuit ingreſſus dæmon, ſe graviter torqueri & ardere orationibus Bononii vociferans inceſſanter clamabat. Per triduum autem ibi ſtetit, & ſancti Confeſſoris ſupplicatu multis coram præſentibus ab ea illud vomente cum ſanguine pietas divina dæmonium ejecit, à quo plaſma Dei jam diu poſſeſſum coacte fugiente magnus factus eſt ſtrepitus. Coronam enim argenteam ſuper altare ejus dependentem percuſſit, & auditis & viſis ictibus, ipſo non viſo ictore, miro modo in unum collegit, & tamen non eam omnino diſſolvit. *Ann. Ch. MXXVI. Aug. XXX.*

16. Alia quoque femina dum jacens in partu ſitiret, aquam petiit, eamque oblita facere ſignum ſanctæ Crucis, bibit, ſicque ſpiritus Fumareth, (quo nomine ipſe interrogatus ſe vocari perhibuit,) eam invaſit malignus. quam poſt partus purificationem ad quamdam eccleſiam, in ejus honore dedicatam, perductam, à preſbyteris ceteriſque fidelibus prius facta oratione, & omnium ſanctorum invocatione per virtutem Domini noſtri Jeſu-Chriſti conjuratus, coactus & confuſus dæmon ſancti Confeſſoris interventu deſeruit, & ut fumus, à quo videtur vocabulum ſumpſiſſe, evanuit, nec ad eam redire ultra præſumpſit. *Item alia.*

17. In eadem quoque eccleſia aliud conſtat eſſe miraculum, multa admiratione venerandum. Erat quidam villicus cujuſdam Marchionis, vir multæ crudelitatis, qui ut aliquid ſibi quolibet ingenio raperet, ad eas partes ubi eccleſia beati Bononii ſita eſt, ſe ire diſpoſuerat. Quem illuc venturum homines qui ibi habitabant cognoſcentes, quæque ſua mobilia fugientes ad ſupra ſcriptam eccleſiam detulerunt. Circum quam dum multi ſues adeſſent, & ut illorum mos eſt, rimanando per eccleſiæ cœmiterium diſcurrerent, ipſius muros tetigerunt. Unde quodam contagio ita in renibus ſunt percuſſi, ut inde funditus omnem vim amitterent, & ea die, excepta una ſue, cuncti interierunt. Quam videlicet ſuem dum ruſticus, cujus erat, mirabiliter contractam & moribundam videret, votum vovit Domino & ſancto confeſſori Bononio, quod ſi inde convaleſceret, unum è prioribus quos fetus gigneret, in ipſius eccleſiæ ſervitium ſtipendio offerret. Facto autem voto, mox ipſius ſus ſana efficitur. Quibus villico dictis non fuit credulus illis. Nec mora, confeſtim equum aſſcendit, & quod cognoverat, anhelitu, ut certius ſciret, venit cognoſcere. His denique viſis, quodam timore & amore divino compunctus, eccleſiam eſt ingreſſus; vovitque Domino & ſancto Bononio in illius eccleſiæ finibus commorantibus ſe umquam nil mali facturum, & à pravitate ſua deinde ceſſaturum. Qua ex re evidenter oſtenditur, quantæ gratiæ & celſitudinis beatus ſit Bononius apud omnipotentem Dominum, qui ejus vitam à quibuſque cuſtodivit immundis, cujus ſacra loca immundas ſues non paſſus eſt tetigiſſe impunè, unde quorumdam hominum feritas minueretur, & ſub ipſius obtentu viventibus ſecuritas, & protectio major tribueretur. *Eccleſiæ debita reverentia.*

18. Tantorum fama miraculorum longe lateque diffuſa, quidam adoleſcens, Adam nomine, confidens ſe ſanctiſſimi Confeſſoris meritis ab infirmitate ſua liberari, advehitur. Quippe etiam ab ipſis cunabulis ita erat contractus, ut cohærentibus calcaneis natibus, non plantis paſſus faciendo, ſed ſcamellis manibus ſubpoſitis rependo incederet. Tribus denique diebus continuatim & noctibus ad memorati & memorandi almifici Confeſſoris altaris crepidinem jacens, ipſius ſuffragia poſtulans, quod optaverat à Domino ſui famuli interceſſione accipere meruit. Cui hora ſuæ curationis, redeunte ſoſpitatis vigore, tantus æſtuationis calor affuit, ut etiam interulam, quam erat indutus, exueret, & nudus maneret. hiems tamen erat. Sanitate vero conceſſa, receſſit ab eo caloris nimietas: ſicque ſoſpitati red- *Contractus erigitur.*

Digitized by Google

Ann. Ch. MXXVI. Aug. XXX. ditus, in eadem penes nos uſque hodie manet, ſui ſanatoris eccleſiæ ſerviens, & Deo & ipſi gratias referens.

Alius. 19. Per idem tempus, alius quoque æger, nomine Heli, ætate grandævus, miſerabili atque diutina ſorte diræ peſtis damnatus advenit. Qui utrorumque pedum officio carens, genua per terram trahendo & manibus ſcamella habendo, incedere ſolitus erat. Hic accedens ad ſacri corporis opiferi Confeſſoris ſepulcrum, ejus poſtulavit auxilium; cujus adjutus gratia, ſanitate eſt donatus priſtina. qui in eadem adhuc degens, Deo & ipſi ſancto Bononio pro ſua erectione laudes refert, & quidquid ſervitii poteſt, ipſius eccleſiæ ſervientibus devote exhibet.

Paralyticus. 20. Quadam die Comitiſſa quædam, nomine Vvaza, Vvillelmi Marchionis uxor, multis ſtipata militibus venerat oratum ad eccleſiam, ubi beati viri corpus jacet humatum. quæ dum ſuper altare ejus Miſſas celebrari faceret, & præſens ibi cum ſuis & aliis pluribus adeſſet, quidam mendicus ferens filium in ſcapulis, cujus pes & manus ſiniſtri lateris paralytico morbo aruerant, eam adiit, & ab ea alimoniam ſibi & nato petiit. Illa pietatis viſcere immota, non ſolum ei non tribuit, verum etiam increpanter & exacerbanter propter ſuam improbitatem ut à ſe diſcederet præcepit. Non mihi eſt, inquiens, tantarum copia opum, quæ mihi, & omnibus à me petentibus ſufficere poſſit. Præſtantius etenim eſſet te ipſius ſancti Confeſſoris rogato ſuffragio, ut tuo ſanitatem reddat filio, Domini miſericordiam implorare, qui dando poſtulata, non minus theſaurizat

Pſal. 10 14. Pſalmigraphi præconio impleto dicentis: *Tibi* enim, Domine, *derelictus eſt pauper, pupillo tu eris adjutor.* Homo autem ille quod audivit facere non diſtulit. Filium ſiquidem de ſcapulis deponens, prope ſacri corporis tumulum proſtravit, ac genibus flexis, ac precibus fuſis, demum ad petendum eleemoſynas hac & illac per eccleſiam feſtinando diſcurrit. Interea dum pater abeſſet, opitulantibus meritis almi Confeſſoris, præfato puero ſummi Dei bonitas non tarda fuit; & cui eleemoſyna denegabatur, ut claudo

Act. 3. ad portam templi ſedenti argento & auro carius, membrorum ſcilicet ſanitas, donatur. Hoc namque viſo miraculo, magnus factus eſt plauſus exſultationis ad laudem & gloriam omnem Creatoris, ejuſque Confeſſoris. Mox autem hujus facti fama per cunctorum aures volitante, illuc ab omnibus concurritur, inter quos & pueri pater regreditur: quid vero & qualiter actum ſit exquiritur. Tunc præfata Comitiſſa quomodo res ſe habuit, cunctis exquirentibus innoteſcere non piguit. Taliter vero omnipotens Deus, qui cuncta mira diſpenſatione agit, hoc miraculum mundo propalari voluit, ut ſervus ſuus hinc venerantior & celebrior haberetur:

1. Cor. 14. 24. & quia, teſtante Scriptura, ſigna infidelibus dantur; ut ab infidelitate declinantes diſcant ſperantes in Domino non deficere omni bono, cui laus eſt & gloria per cuncta ſæculorum ſæcula.

Digitized by Google

ANN. CH. MXXVII. JUN. XIII.

VITA S. ROMUALDI ABBATIS,

ORD. CAMALDULENSIS INSTITUTORIS.

Auctore B. PETRO DAMIANI ejus fere æquali.

Ex Surio, Cajetano, & Bollando.

Ubi de ſanctis BONIFACIO, JOHANNE & BENEDICTO martyribus.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vitæ ſcriptores.

1. ROMUALDUS *ſeu* Romaldus, *uti conſtanter ſcribitur in primariis Eremi Camaldulenſis monumentis, primum vitæ ſuæ ſcriptorem ſortitus eſt Petrum Damiani, qui poſt* tria fere luſtra *ab ejus obitu* tranſacta (*quod ipſe in Prologo aſſerit*) *id operis aggreſſus eſt. Hoc opus non adeo accurate ac diligenter præſtitit, quin multa prudenter omiſerit, non modo miracula, quemadmodum idem in Prologo profitetur, ſed etiam dicta & facta: ex quibus nonnulla Petrus in aliis ſuis ſcriptis commemorat. Mirum eſt quam leviter ab eodem, aut ne leviter quidem, perſtricta ſit inſtitutio tum Congregationis Ordiniſve Camaldulenſis; tum primarii Ordinis Eremitorii, à quo ipſe Ordo vocabulum traxit. Plura hac de re leguntur in ſermone prolixo de ejuſdem Romualdi vita, quem Hieronymus à Praga, eremita Camaldulenſis, alius ab æquivoco hæretico, edidit anno* MCCCC. XXXIII. *Utrumque auctorem eruditis commentariis illuſtravit Johannes Bollandus in Februarii tomo 2. Ejuſdem vitæ compendium exſtat apud ſanctum Antoninum, Petrum Equilinum, Gononum, & alios; item in hiſtoria Camaldulenſi, quam Auguſtinus Florentinus compoſuit. Eadem vita hiſpanice ſcripta eſt à Johanne Caſtagnizza monacho Valliſoletano; poſtea italice, immo etiam gallice reddita. Unum hic Petrum Damiani exhibere ſatis fuerit, cujus ſcriptionem in codice Salemenſis in Suevia monaſterii vidimus. De Romualdo agit etiam Leo Oſtienſis in Chronici Caſinenſis lib. 2. capp. 18. 19. & 24.*

Paralipomena.

2. *Præter librum de Romualdi vita, quem librum Petrus Damiani conſcripſit, quædam de eodem in aliis ſuis ſcriptis refert. Et primo quidem in Opuſculi* XV. *cap.* XVI. *ubi agens de diſcretione:* Nam & nos approbamus, *ait*, quod ſuis ſæpe diſcipulis beatus Romualdus dixiſſe perhibetur: Dummodo, inquit, frater quilibet cellam non deſerat, etiam carnes permittatur ex diſcretione comedere, ſi tam inevitabilis videatur neceſſitas imminere, &c. *Et in Opuſculi 49. cap. 9.* Nec ineptus applices, quod ſæpe ſuis diſcipulis vir Domini Romualdus aiebat. Fratres, inquit, cum in quorumlibet conventu reficitis, intentis ad cibum ceteris, in ipſo refectionis initio parcite; & cum illis jam ex parte ſatisfactum fuerit, vos inchoate: quatenus & hypocriſis notam poſſitis evadere, & ſobrietatis regulam ſine offenſione ſervare. *Denique in Opuſculi 49. cap. 3.* Beatus aliquando Romualdus rediens à Sibyllæ comitiſſæ colloquio, comitanti fertur callide dixiſſe diſcipulo: Quam elegantis, ait, & venuſti vultus femina, niſi, prô dolor! unius oculi diſpendio laboraret. Cui diſcipulus: Abſit, Magiſter, inquit. Sicut decora certe facies, ita quoque oculi, prout ſagaciter deprehendi, nihilo minus incolumes vigent. Quem magiſter acerrima protinus animadverſione corripiens: Et quis te, inquit, in faciem feminarum reſpicere docuit? Tunc ille ſe circumventum eſſe perſpiciens, pœnitentia ductus erubuit, & de cetero cautiorem ſe fore obſtinatiſſima pollicitatione devovit.

Ordinis Camaldulenſis initia.

3. *De primordiis Ordinis Camaldulenſis, cujus auctor Romualdus, obſcura eſt omnino Petri Damiani ſententia. Locum adiit vir ſanctus ſub pontificatu Theodaldi epiſcopi Aretini, in cujus diœceſi ſita eſt Camaldulenſis Eremus. Theodaldus ſedere cœpit anno Chriſti* M. XXIII. *ut ex ſubjectis inſtrumentis manifeſtum eſt. Primo inſtrumento idem Theodaldus* Campum-Malduli (*ita enim ſcribit*) *tribuit Petro Priori ſacra Eremi anno* M. XXVII. *& quidem mortuo Romualdo, ut nos docet authenticum ejus inſtrumentum, quo nullum antiquius invenimus in archivo Fontis-boni, ubi chartæ & diplomata Camalduli aſſervantur. Quædam ex hoc inſtrumento juvat delibare.* Theodaldus ſancti Donati Vicarius. (*ita paſſim Aretini epiſcopi ſeſe vocant.*) Omnium fidelium hoc dilectio noverit, quod nos ob amorem piæ recordationis patris noſtri

Digitized by Google

domni Romaldi clariſſimi eremitæ, communi conſilio fratrum clericorum noſtrorum donamus.... domno Petro venerabili eremitæ ad uſum & ſumptum confratrum, eremiticam vitam ſub eo degentium, ſuiſque ſucceſſoribus eremitis, quamdam eccleſiam in mediis Alpibus, juris epiſcopii ſancti Donati, quam nos rogatu domni præfati Romaldi eremitæ conſecravimus ſub honore & nomine D. N. J. C. ſancti Salvatoris, conſiſtentem in territorio, *nempe unius diei itinere ab Aretio*, ad radices Alpium dividentium Tuſciam & Romaniam, in loco qui dicitur Campo-Malduli, per ſua loca deſignata. Primo igitur latere præcurrit rivus, qui vocatur Niger: cui è contra obviat quidam alius rivus, qui dicitur de Tellito; ambo pariter emergentes in ſinum cujuſdam fluminis. De ſecundo latere eſt via deſcendens à ſummis jugis Alpium. De tertio latere ſunt feri montes, atque intonſa juga Alpium. De quarto latere ſunt ſicheta, prærumpentia in præfatum rivum Nigrum. Intra præfixos igitur terminos enitet ille locus, qui dicitur Campo-Malduli, campus ſpecioſus & amabilis, ubi ſunt ſeptem puriſſimi fontes, & amœna vireta. Hunc ſcilicet locum domnus Romaldus, pius eremitarum pater, delegit, & prævidit aptiſſimum congruentiſſimumque fore ad cellulas fratrum eremitarum ſingillatim in contemplativa vita Deo ſervientium: conſtructaque inibi baſilica ſancti Salvatoris, quinque cellulas cum ſuis tabernaculis ibidem diſtinxit, atque ab invicem ſeparavit: ſed & ſingulis cellulis ſingulos deputavit fratres eremitas, qui ſæcularibus curis & ſollicitudine remota, ſoli divinæ contemplationi inſiſtant. Quibus etiam domnum Petrum venerabilem eremitam, tamquam fidelem miniſtrum & præceptorem dedit. Cui nos quoque cum noſtris poſteris ſucceſſoribus, ut cum denominato ſancto viro, Romaldo ſcilicet, partem in æterna vita habeamus, donamus, largimur prætaxatum locum, &c. Datum anno Dominicæ Incarnationis M. XXVII. anno vero pontificatus domni Theodaldi epiſcopi V. menſe Auguſto, Indictione X. Actum in clauſtris Canonicorum. *Petrum priorem, quem* Dagninum *cognominatum fuiſſe aiunt, cum beati titulo in Menologio Benedictino commemorat Bucelinus die 2. Novembris, quo eum deceſſiſſe anno* M L I. *ex vulgatis auctoribus ſcribit. Alterum inſtrumentum eſt, quo idem Theodaldus* decimas omnes earum rerum, quæ vendendo & emendo acquiruntur, omnium Aretinorum civium, urbanorum & ſuburbanorum, *largitur* cariſſimis, *inquit*, fratribus noſtris eremitis, qui ſunt & futuri ſunt in Eremo noſtra, quæ dicitur Campus-Malduli, ad eccleſiam ſancti Salvatoris: quos nobis ſanctæ memoriæ pater Romaldus procurandos gubernandoſque commendavit. Data XIII. Kal. Junii, anno ab Incarnatione Domini M. XXXIII. anno vero pontificatus domni Theodaldi epiſcopi X. Indictione I. *Porro primam iſtius Eremi conceſſionem à Theodaldo epiſcopo factam fuiſſe probat tum* Immo, qui & Herenfredus, *ejus ſucceſſor, litteris datis anno* M. XXXVII. *in quibus Camaldulenſium præclarum elogium habetur: tum Henricus ſecundus imperator, qui donationem omnium bonorum, quæ* venerabilis Theudaldus *eremitis in loco* Campo-amabili *dicto commanentibus tradiderat, ratam habet anno* M. XLVII. *tum denique* Guido monachus & peccator, quamvis indignus, Dei gratia Aretinæ ſedis epiſcopus, *uti habet chartæ inſcriptio: qui Guido oblata privilegia* Eremi Camaldolenſis per domnum Johannem virum venerabilem, ejuſque loci Priorem, *confirmat*; & quicquid prædeceſſores ſui Theodaldus, Immo, & Conſtantinus, atque Gregorius *conceſſerant eidem loco*. Datum anno ab Inc. Domini M. CXVI. ſub Henrico rege, menſe Octobri, Indictione X. *Buianus epiſcopus Aretinus in litteris*, domno Azoni Camaldulenſis eccleſiæ archimandritæ *inſcriptis, quicquid eidem loco collatum fuerat per Theodaldum, Conſtantinum, Gualterium ac Guidonem epiſcopos, approbat anno* M. CXXXII. *Ex quibus intelligitur, Theodaldum fuiſſe primum, qui Eremi Camaldulenſis donationem fecit Romualdo: qui proinde iſtuc non ante annum* M. XXIII. *admiſſus fuit. Recentiores tradunt, locum à Maldulo traditum fuiſſe Romualdo. At vereor ut id certum ſit. nam locus tunc pendebat ab eccleſia Aretina, eumque tunc occupabat Bernardinus Sidoniæ filius, comprobante Gregorio epiſcopo, qui venerabili patri Martino confirmat bona* Eremi Camaldulienſis, quæ Bernardinus Sidoniæ filius, aut pater ejus ab eccleſia ſancti Donati tenuerunt. Datum in Eremo Camaldulienſe III. Id. Octub. anno Dominicæ Inc. M. CVI. Indict. XV. pontificatus ejuſdem Gregorii anno ſecundo. *quibus litteris ſigillum affixum erat.*

Incrementa & regularis diſciplina.

4. *Sæculo tertio-decimo cellarum in illa Eremo numerus creverat fere ad triginta, teſtante Guillelmo Aretino antiſtite, qui ſubditos ſibi diœceſanos hortatur, ut ſubſidia ferant ad reparanda ædificia ſacra Eremi*, in qua ſunt, *inquit*, viginti & octo cellæ. *quæ litteræ ſunt anno* M. CCLVI. *Imminutus erat hic numerus tempore Hieronymi de Praga, id eſt anno* M. CCCC. XXXIII. *quo tempore ſermonem compoſuit de beato Romualdo, in quo hæc habet.* Eſt autem hæc ſacra eremus Camalduli in Italia, in partibus Romandiolæ, diſtans itinere unius diei à civitate Aretina, in qua ſunt cellæ viginti quatuor eremitarum ſeparatæ. Et quidam ſunt eremitæ aperti, alii vero ſunt recluſi. Omnes tamen eremitæ per totum annum jejunant tribus diebus in pane & aqua qualibet ſeptimana, nudis pedibus ſedentes in terra, exceptis duabus Quadrageſimis, in quibus Dominica tantum & feria quinta eremitis datur tantum

Digitized by Google

unum pulmentum. Recluſi autem quotidie dicunt totum pſalterium, aperti vero dicunt medium ſemper, &c. *Hunc locum adiimus anno* M. DC. LXXXVI. *hebdomada ſacra, ibique eremitas cum magna ædificatione ſpectavimus. De aliis quæ ad Ordinem Camaldulenſem pertinent, conſule hiſtoriam Auguſtini Florentini. Primarium hujus inſtituti fervorem laudat Anſelmus Havelbergenſis in lib.* I. *Dialogorum, tomo* 13. *Spicilegii pag.* 112.

Romualdi obitus, ætaſque.

5. *Quo anno Romualdus in terra vivere deſierit, non exprimit Petrus Damiani, nec quivis alius (quem quidem ſciamus) ejus temporis ſcriptor. Baronius, aliique recentiores nonnulli ſupremum ejus aſſignant annum* M. XXVII. *qui videtur retinendus. Saltem Romualdum non exceſſiſſe hunc annum conſtat ex litteris Theodaldi epiſcopi Aretini, datis poſt ejus obitum anno* M. XXVII. *& quidem menſe Auguſto. ac proinde uno circiter menſe poſt mortem Romualdi, qui obiit* XIII. Kal. Julias. *Et vero ante annum* M. XXVII. *viri ſancti obitus vix reponi poteſt. Siquidem ad eremum Camaldulenſem non acceſſit ante annum* M. XXIII. *qui primus fuit pontificatus Theodaldi, à quo is exceptus eſt. Annos ætatis centum & viginti tribuit Romualdo Petrus Damiani num.* 101. *quod item confirmatur ex num.* 77. *ut numerum annorum corruptum eſſe non ſit veri ſimile. Non probat Baronius adeo longævam ætatem: propterea quod Romualdus anno ætatis vigeſimo, ut in fine Vitæ legitur, admiſſus ſit in Claſſenſe monaſterium ſub Honeſto archiepiſcopo Ravennate, qui hanc ſedem iniit anno* CM. LXXI. *Rubeo conteſtante. Et quidem Petrus Damiani in Opuſculi* 19. *cap.* 2. *affirmat Honeſtum Petro archiepiſcopali dignitate ſponte cedenti ſucceſſiſſe,* primo Ottone habenas imperii *gubernante. Aut igitur corrigenda Romualdi ætas; aut eum annis maturiorem in Claſſenſe monaſterium acceſſiſſe, aut certe (quod forſan probabilius) ante Honeſti pontificatum, ſi tamen non duo, ſed unicus hoc nomine Ravennas archiepiſcopus ſæculo decimo admittendus eſt. Verum cum Romualdi pater adhuc in vivis fuerit anno* DCCCC. LXXXII. *Romualdi ætas potius corrigenda nobis videtur.*

Canonizatio.

6. Poſt quinquennium à ſancti viri obitu, *ut ſcribit Petrus Damiani in fine Vitæ,* data monachis ab apoſtolica Sede licentia, ſupra venerabile corpus ejus altare conſtructum eſt. *Id proinde factum ſedente Pontifice Johanne* XX. *Nullam tamen Johannis Papæ mentionem facit idem Petrus in Opuſculi* 51. *cap.* 1. *ubi Romualdi ſanctitatem ab apoſtolica Sede approbatam fuiſſe contendit contra Teuzonem monachum, qui non ſatis modeſte de ea loquebatur. Petri verba ex hoc loco huc referenda ſunt.* Cumque ſuper quodam diſceptationis articulo ſanctus Romualdus in teſtimonium duceretur, præſto quæſitum eſt, utrum ipſe Romualdus aut tunc exſtiterit ſanctus, vel nunc ſit in paradiſo receptus. Et licet contra fidem totius Eccleſiæ noſtrarum provinciarum hæc de ſancto viro quæſtio moveretur; ad adſtruendam tamen partis noſtræ ſententiam illos in teſtimonium ſanctos adſcivimus, quorum celeberrima & vetus opinio etiam apud quoſlibet & ignaros nutare non poſſit, Leonem videlicet atque Gregorium clariſſimos olim Romanæ Sedis antiſtites: quorum quidem alter authentica canonum decreta promulgat: alter Eccleſiam perſpicuis ac profundis cæleſtis eloquentiæ fontibus irrigat. *Verum his nominibus non Leonem* IX. *ac Gregorium* VI. *ſed Leonem primum ac Gregorium itidem primum deſignari exiſtimo: quorum teſtimoniis Petrus auctoritatem Romanæ Sedis in aſſerenda Sanctorum canonizatione uſus ſit contra Teuzonem.*

Feſtum.

7. *Romualdi feſtum celebratur Februarii die* 7. *qui dies eſt ejus tranſlationis ex Æſino oppido in urbem Fabrianum, quæ ſita eſt in Marcha Anchonitana. Hæc tranſlatio contigit anno* M. CCCC. LXXXI. *tempore Petri Delphini generalis, qui de ea agit in quadam inedita epiſtola ad Benedictum abbatem ſancti Michaëlis apud Muranum.* De corpore ſanctiſſimi Romualdi, quod initio generalatus mei à tribus monachis noſtris ex antiquiſſimo Vallis-caſtri ſarcophago furto ſublatum, atque ad Eſinum oppidum tranſlatum fuerat; poſtmodumque juſſu Pontificis Fabrianenſibus reſtitutum, ex memorato cive multa te didiciſſe non dubito: idque in primis, ubi ſcilicet reſidere habeat ac ſervari, Fabrianine in monaſterio ſancti Blaſii, ubi nunc eſt: an in Vallis-caſtri cœnobio, ubi prius jacuerat. Ego quidem certis rationibus expedire judicavi, ut Fabriani remaneret. Nam & tutius in urbe ſervari poſſe certum eſt, ne iterum ſurriperetur, & Fabrianenſes multa ſe in honore ſacrarum reliquiarum, ſi ibidem relinquerentur, facturos ſpoponderant. Itaque cognito ex revelatione Fabrianenſium, negotium iſtud Cardinali ſancti Georgii, Legato agri Piceni, à ſummo Pontifice fuiſſe injunctum; neceſſarium duxi Maceratæ illum convenire, *&c.* Ex Ancona die XVI. Maii M. CCCC. LXXXI. *Hæc in anteceſſum ſatis: nunc Petrum de Romualdo differentem audiamus.*

Digitized by Google

Ann. Ch. MXXVII. Jun. XIII.

PROLOGUS.

1. ADVERSUM te prorſus, immunde munde, conquerimur, quia habes intolerabilem ſtultorum ſapientium turbam, tibi facundam, Deo mutam. Habes qui per vanam eloquentiam, & inanem philoſophiam ſe ſciunt in ſuperbiæ cornibus arroganter extollere: non habes, qui profuturum aliquid ædificationi proximorum, ad poſterorum velit memoriam ſchedulis adnotare. Habes, inquam, qui in prætoriis judicum, negotiorum ſæcularium lites, & cauſarum jurgia continuis valeant declamationibus perorare: non autem habes, qui poſſit in ſancta Eccleſia vel unius ſanctorum virtutes & clara geſta deſcribere. Sapientes ſiquidem ſunt, ut faciant mala; bona autem facere neſciunt. Ecce enim tria jam fere luſtra tranſacta ſunt, ex quo beatus Romualdus, depoſito carnis onere, ad ætherea regna migravit: & nemo adhuc ex hujuſmodi ſapientibus exſtitit, qui de tot mirabilis vitæ ejus præconiis pauca ſaltem hiſtorico ſtilo digereret, & avidiſſimæ devotioni fidelium ſatisfaciens, ad communem utilitatem recitanda ſanctæ Eccleſiæ traderet. Nobis autem in anguſto cellulæ angulo reſidentibus, utilius erat, ſicut propoſuimus, propria peccata ad mentis oculos aſſidue revocare, quam alienæ virtutis hiſtoriam texere: magis expediret commiſſi reatus tenebras plangere, quam ſplendida ſanctitatis inſignia imperitis ſermonibus offuſcare. Verumtamen cum ad ſepulcrum ejus ex longinquis terrarum partibus toto anno, maximeque in ejus feſtivitate fidelium multitudo conveniat, miracula per eum divinitus facta conſpiciat, audire vitæ ejus hiſtoriam deſiderabiliter quærat, ſed, utpote quæ non ſit, audire non valeat: non irrationabiliter pertimeſcimus, ne celeberrima ejus fama, quæ adhuc populi totius ore depromitur, labente curriculo temporum, de memoria hominum penitus deleatur. Quapropter hoc timore compulſus, multorumque fratrum precibus, & germana caritate devinctus, quod de prædicto mirabili viro ab egregiis ejus diſcipulis didici, aggrediar, Deo auctore, deſcribere, vitæque ejus initium, curſum & finem, nimirum imperitus homo, non hiſtoriam texens, ſed quoddam quaſi breve commemoratorium faciens, quibuſcumque tentabo litterarum apicibus exarare.

[Margin: Auctor 15. anno poſt S. obitum ſcribit.]

2. Hoc autem unum in primis lectorem meum noſſe deſidero, quia non multa per eum facta miracula in hac ego deſcriptiuncula colligam, ſed potius (quod ad ædificationem omnimodis attinet) converſationis ejus ordinem referre contendam. Beatus ſiquidem vir in tantum ſe humilitatis tegmine à vento vanæ gloriæ cuſtodivit, quod undecumque humanis oculis videri mirabilis potuit, ſtudioſiſſima occultatione ſuppreſſit. Quæ tamen miracula etiam ſi minime feciſſet, mirabilem vitam ducens, minori veneratione dignus non eſſet. Neque enim Præcurſor Domini feciſſe miracula legitur, quo majorem nullum inter natos mulierum ſurrexiſſe Veritas ipſa teſtatur. Nonnulli enim Deo ſe deferre exiſtimant, ſi in extollendis ſanctorum virtutibus mendacium fingant. Hi nimirum ignorantes Deum noſtro non egere mendacio, relicta veritate, quæ ipſe eſt, de falſitatis ei putant ſe placere poſſe commento. Quos bene Jeremias redarguit, dicens: *Docuere linguas ſuas loqui mendacium; ut inique agerent, laboraverunt.* Qui enim ultro oblatam ſimplicem veritatem referre facile poterant, in componendis quæ neſciunt, caſſo labore deſudant: & quo ſe pro Deo ſtare quaſi adjutores autumant, eo revera, ut falſi teſtes, contra Deum pertinaciter pugnant, Apoſtolo Corinthiis atteſtante, qui ait: *Si Chriſtus non ſurrexit, inanis eſt prædicatio noſtra, inanis eſt fides veſtra.* deinde ſubjungit: *Invenimur falſi teſtes Dei, quoniam diximus teſtimonium adverſus Deum,*

[Margin: Miraculis omiſſis. — Matth. 11. — Jerem. 9. — 1. Cor. 15.]

qui

Digitized by Google

qui ſuſcitaverit Chriſtum, quem non ſuſcitavit. Sed quia neceſſitate ad ſcribendum coacti, velut commoti, iſta præmiſimus, jam precibus ejus, quo de loquimur, Deo opitulante, ad narrationis ordinem veniamus. ANN. CH. MXXVII. JUN. XIII.

VITA INCIPIT.

Romualdus à carnis vitiis ſe revocans.

3. ROMUALDUS igitur Ravennæ civitatis oriundus, ex illuſtriſſima Ducum fuit ſtirpe progenitus. Qui cum jam in adoleſcentiam perveniſſet, cœpit in peccato carnis proclivis exſiſtere, quo videlicet vitio illa ætas impugnare homines, præſertim divites, vehementius ſolet. Mente tamen Deo devotus frequenter ſe tentabat erigere, facturumque ſe magnum aliquid proponebat. Nam & ſi quando ſe ad ſtudium venationis accingeret, ubicumque per ſilvas amœnum locum reperire poterat, mox ſe ad eremi deſiderium ejus animus accendebat, dicens intra ſe: O quam bene poterant eremitæ in his nemorum receſſibus habitare! quam congrue poſſent hic ab omni ſæcularis ſtrepitus perturbatione quieſcere! Et ita mens cælitus inſpirata jam divinabat in amore, quod impleturus erat poſtmodum opere.

Ob cædem à patre factâ ſecedit in monaſterium.

4. Huic erat pater, nomine SERGIUS, mundo vehementer intentus, & omnino ſæcularibus negotiis implicatus: qui dum adverſus quemdam propinquum ſuum exortis ſimultatibus pro poſſeſſione prati inimicitias exerceret, videns filium Romualdum in contentione molleſcere, crimenque fratricidii medullitus formidare; minari cœpit exheredem facere, ſi in eadem diutius ſententia permaneret. Quid plura? Tandem utræque inimicantium partes ex urbe ad litis materiam proruunt, arma corripiunt, bellum ſociale committunt: & dum cominus hinc inde pugnatur, repente manu Sergii inimicus & affinis occiditur. Romualdus autem licet nullum perempto vulnus inflixerit; quia tamen interfuit, pœnitentiam tanti reatus accepit: moxque ad Claſſenſe monaſterium beati Apollinaris, more homicidarum diebus quadraginta permanſurus in luctibus, properavit.

a A Converſo animatur ad ſæculum deſerendum.

S. Apollinare oſtenſo.

5. Illic autem diſtricta ſe pœnitentia jugiter macerans, cœpit cum quodam Converſo [a] quotidianum habere colloquium: à quo etiam, juxta mediocritatem ſenſus, bonæ exhortationis audiebat ſæpe conſilium. quem cum Converſus frequenter admoneret ſæcularem vitam omnino poſtponere, & ad ſanctæ converſationis ordinem feſtinare, ſed ad hoc mentem ejus humiliare nullatenus poſſet; aliquando inter cetera velut gratulabundus intulit, dicens: Si tibi ego beatum Apollinarem corporali ſpecie, ita ut eum manifeſte videre poſſis, oſtendero, quid à te præmii reportabo? Ad hæc Romualdus: Firma, inquit, & inviolabili me obligatione conſtringo, qua mox, ut beatum martyrem videro, apud ſæculum ulterius non manebo. Hortatur ergo Converſus, ut ipſa nocte Romualdus dormire poſtponeret, & una ſecum intra eccleſiam in orationibus vigilaret. Cumque nocturno ſilentio longanimiter ambo in oratione perſiſterent, ecce circa gallicinium noctis beatus Apollinaris, his duobus manifeſte videntibus, exiit de ſub altari, quod in medio eccleſiæ ad honorem beatæ Virginis Mariæ cernitur eſſe conſtructum. Viſus eſt autem exire ab orientali parte, illinc videlicet, ubi marmor porphyreticum jacet. Confeſtim vero tantus ſplendor totam replevit eccleſiam, ac ſi ſol fulgoris ſui radios intra ipſos parietes cohiberet. Tunc beatiſſimus Martyr ſacerdotalibus infulis mirabiliter exornatus, aureum in manu portans thuribulum, cuncta eccleſiæ incenſavit altaria: & hoc facto, ſtatim unde exierat rediit, moxque

a Converſos antiqui vocabant eos, qui ex adultis monaſticum inſtitutum capiebant; ut infra num. 10. hic vero de fratre laico ſermo eſſe videtur.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXXVII. Jun. XIII.

omnis ille ſplendor proſequens apparere ceſſavit. Cœpit itaque Converſus Romualdo, durus nimirum exactor, vehementer inſiſtere, & ut adimpleret quod ultro promiſerat, anxie poſtulare. Cumque Romualdus adhuc reſiſteret, & eamdem viſionem denuo cernere flagitaret; alia nocte ſimiliter in oratione perſiſtunt, & beatum Martyrem per omnia, ſicut prius, adſpiciunt. Unde etiam poſtmodum ſi de corpore prædicti martyris aliquando quæſtio oriretur, Romualdus penitus affirmabat, in ipſa eccleſia eſſe reconditum; & quamdiu ſanctus vixit, hoc proferre teſtimonium non ceſſavit.

Monachi habitum poſtulat.

6. Habebat quoque Romualdus conſuetudinem, ante præcipuum altare eccleſiæ orationi frequenter incumbere; ibique, poſtquam fratres abſceſſerant, multis Deum ſatagebat gemitibus exorare. Dumque hoc quadam die poſt viſionem attentius faceret, tanto mox divini amoris igne mentem illius Spiritus-ſanctus accendit, ut in fletum repente prorumperet, uberes lacrymarum rivos reſtringere non valeret, monachorum ſe pedibus proſtratus advolveret, tradique ſibi monachicum habitum inenarrabili deſiderio flagitaret. Monachi vero dum patris ejus duritiam metuunt, converſationi illius aditum pandere non præſumunt. HONESTUS [a] autem, qui tunc Ravennæ archiepiſcopalem cathedram obtinebat, olim Claſſenſis cœnobii Abbas exſtiterat. Hunc ergo Romualdus impiger adiit, eique omne ſui cordis deſiderium patefecit. qui alacer factus, caſtæ concupiſcentiæ exhortationis ſtimulos addidit, fratribuſque ut eum ſuo collegio incunctanter adſciſcerent, imperavit. Hujus itaque patrocinio cœnobitæ ſuffulti, Romualdum intrepida ſecuritate ſuſcipiunt, eique ſanctæ converſationis habitum tradunt.

Remiſſos arguens.

7. In eo igitur monaſterio triennium fere tranſegit. Sed cum ibi cerneret nonnullos per lata gradientes remiſſius vivere, ſibi autem arduam perfectionis ſemitam, quam mens dictabat, arripere non licere; quid ſibi agendum eſſet, ſollicite in ſemetipſo cœpit inquirere, multiſque cogebatur cogitationum fluctibus æſtuare. Præſumebat autem leviter converſantium vitam dure corripere, & ſæpe ad eorum confuſionem præcepta regulæ in teſtimonium convocare. Cumque in redarguendis eorum vitiis vehementer inſiſteret, illi autem junioris & novitii verba pro nihilo deputarent; tandem hoc opprobrium non ferentes, dum propriam emendare vitam deſpiciunt, de corripientis morte tractare cœperunt. Solebat porro Romualdus per noctem ceteris fratribus maturius ſurgere, & ſi oratorii adhuc janua clauſa eſſet, intra ipſum dormitorium in orationibus excubare. Erat autem prædictum ædificium more ſolarii alte ædificatum. Hoc itaque invenerunt filii Caïn, diabolo dictante, conſilium, ut dum Romualdus ante alios ſolito more conſurgeret, ipſi eum per ſolarii ſpeculam, verſo deorſum capite, in terram præcipitarent. Quæ res poſtquam Romualdo per conſcium conſpirationis innotuit, ille jam de cetero intra cordis cubiculum, clauſo oris oſtio orans Patrem ſuum, imminens periculum devitavit. quo quidem modo dum ſibi cavit præcipitium corporis, fratribus, ne in animarum mortem corruerent, baratrum clauſit iniquitatis.

Eorum odium incurrit.

Marino eremitæ ſe informandum tradit.

8. Cumque in ejuſdem animo perfectionis amor magis ac magis in dies creſceret, nullamque mens ejus requiem inveniret; audivit quia in Venetiarum partibus quidam ſpiritualis vir eſſet, MARINUS nomine, qui eremiticam duceret vitam. Conſenſu itaque ab Abbate & fratribus nimirum facillime impetrato, ad præfatum venerabilem virum navigio diſ-

[a] De hoc Honeſto Petrus Damiani item mentionem facit in Opuſc. 19. cap. 2. *Petrus etiam Ravennatem dimiſit eccleſiam: cui mox adhuc ſuperſtiti Honeſtus, primo videlicet Ottone habenas imperii gubernante, ſucceſſit.* Rubeus id contigiſſe ait anno 971, eumque ſediſſe ad annum 983.

Digitized by Google

currente pervenit, & ſub illius regimine degere humillima devotione mentis inſtituit. Erat autem Marinus inter ceteras virtutes, vir ſimplicis animi, & ſinceriſſimæ admodum puritatis: qui nullo quidem magiſterio eremiticæ converſationis edoctus, ſed ad hanc ſolummodo bonæ voluntatis impulſu fuerat incitatus. Porro autem hunc vivendi morem habebat, ut per continuum anni circulum tribus hebdomadæ feriis mediam panis buccellam, & pugillum fabæ guſtaret; tribus vero vinum & pulmentum diſcreta ſobrietate perciperet. Pſalterium quidem per dies ſingulos totum canebat. Sed nimium rudis, & nullatenus ordine vitæ ſingularis inſtructus, ſicut ipſe poſtmodum beatus Romualdus hilariter referebat, plerumque de cella exiens, una cum diſcipulo paſſim per latitudinem eremi pſallendo ſpatiabatur; nunc ſub iſta arbore vicenos, nunc ſub illa tricenos vel quadragenos concinens Pſalmos. Romualdus autem, quia ſæculum idiota reliquerat, aperto Pſalterio, vix ſuorum verſuum notas ſyllabatim explicare valebat: & hæc oculorum in ima deflexio intolerabilem ſibi importunitatem acediæ generabat. Marinus vero virgam in dextera gerens, Romualdo è diverſo ſedenti ſiniſtram capitis partem ſæpiſſime verberabat. Poſt multa autem Romualdus gravi admodum neceſſitate compulſus, humiliter ait: Magiſter, ſi placet, à dextro me deinceps timpore percute, quia jam lævæ auris auditum funditus perdo. Tunc ille tantam ejus patientiam admiratus, indiſcretæ ſeveritatis temperat diſciplinam.

9. Eodem verò tempore Petrus, cognomine Urseolus, Dalmatici ducatus gubernabat habenas. qui videlicet ad hujus faſtigium dignitatis idcirco pervenerat, quia deceſſoris [a] ſui, Vitalis ſcilicet Candiani, peremptoribus fautor exſtiterat. Cur autem ille à ſuis exſtinctus ſit, non abs re eſſe arbitror, ſi ſervatæ compendio brevitatis exponam. In conjugium namque germanam Hugonis magni illius marchionis acceperat, & æmulatione leviri ſuadente, multos ex Longobardiæ & Tuſciarum partibus milites, profligatis pecuniarum ſtipendiis, acquirebat. Hoc autem Venetiarum incolæ non ferentes, clam iniere conſilium, ut repentino impetu Ducis palatium armati violenter irrumperent, eumque cum omni domo ſua in ore gladii abſque ulla retractatione necarent. Hujus vero conventiculi conjuratione comperta, Vitalis Dux nocturnis diurniſque vallatus excubiis, hoſtiles inſidias ad nihilum redigebat. Illis autem hæc & illa tentantibus, ſed ad incœptæ factionis effectum attingere non valentibus, tandem viſum eſt, ut domum Petri, quæ Ducis palatio adjacebat contigua, prius incenderent, iſtoque modo & Ducem caperent, & univerſa ejus domeſtica concremarent. Iſtius vero rei experiendæ conſenſum à Petro, qui eorum conſilii particeps fuerat, flagitantes, ita inter ſe pacti ſunt, ut pro una ejus domo, quam igne conſumerent, totam illius ditioni Venetiam ſubderent; & dejecto illo, quem exoſum habebant, Ducem hunc loco ejus protinus ſubrogarent. Hoc igitur modo Petrus Dalmatici regni adeptus eſt principatum. qui poſtmodum ambitionis ſuæ jam voluptate potitus, reſpectu divinæ gratiæ demum corde compunctus eſt.

Petri Urſeoli hiſtoria.

10. Quidam autem venerabilis abbas, Guarinus nomine, ex ulterioris Galliæ [b] finibus orationis gratia per diverſas mundi regiones peregrinari ſolitus erat. Hic igitur ad Ducem veniens, ab eo protinus, ut ſibi ad evadendum tanti reatus periculum conſilium præberet, rogatus eſt. Itaque accerſitis Marino & Romualdo, hoc ſibi communi jubetur ſenten-

a Scriptor vitæ Petri Urſeoli, quam in ſuperiori Sæculo retulimus, non Vitalem, ſed alterum Petrum, Urſeoli deceſſorem vocat, pag. 879.

b Nempe ex monaſterio Coxanenſi in Catalonia, ut ex prædicta Petri Urſeoli vita conſtat. De Guarino abbate, deque monaſterio Coxanenſi plura poſt hanc Vitam.

Ann. Chr. MXXVII. Jun. XIII.

tia, ut ſæculum ſimul cum ipſo, quem per nefas invaſerat, Ducatu relinqueret: & quia ad alienæ dominationis arcem injuſte proruperat, ipſe ſe alienæ poteſtatis dominio ſubjugaret. Ille autem homo, nimirum in poteſtate poſitus; quia converſionem ſuam manifeſte facere auſus non eſt, tutum putavit hoc utendum eſſe conſilio. Imminente igitur feſtivitate ſancti cujuſdam martyris; ex cujus vocabulo baſilicam in propria poſſeſſione adhuc privatus habuerat, illuc pridie uxorem ſuam præmiſit, ipſe quaſi mox ſecuturus: hoc ei præcipiens; ut & ornatum eccleſiæ accuratiſſimum provideret, & ſecum venientibus ſumptuoſas epularum delicias in craſtinum præpararet. Ipſe autem poſt conjugem remanens, iis de ſuis theſauris, quæ ſibi videbantur, ablatis, cum quodam ſuo familiari, Johanne ſcilicet Gradenico, qui prædictæ conjurationis conſcius fuerat; & cum tribus illis beatis viris, quos præmiſimus, navem aſcendit, deinde in Galliam ad monaſterium abbatis Guarini magnus converſus aufugit.

Romualdus in Gallia ut ſe gerit.

11. Petro igitur & Johanne monachis in ſancti Michaëlis cœnobio factis, Marinus & Romualdus non longe à monaſterio degentes, ad ſingularem vitam, cui aſſueti fuerant, revertuntur: quibus etiam ipſi jam dicti fratres, peracto vix annuo ſpatio, ad perferendam ejuſdem ſolitudinis diſtrictionem aggregati ſunt. Interea Romualdus accenſo mentis deſiderio, cœpit de virtutibus in virtutes mirabiliter creſcere, & reliquos fratres ſanctæ converſationis greſſibus longius anteire, ut jam quicquid inter fratres, ſive de ſpiritualibus, ſive etiam de corporalibus ipſe decerneret, cunctis volentibus ejus omnino ſententia prævaleret. Ipſe quoque Marinus gaudebat Romualdo eſſe devotus, cui fuerat paullo ante prælatus. Per continuum itaque annum Romualdus nihil aliud in cibum habuit, niſi tantum per ſingulos dies unum pugillum elixi ciceris. Tribus vero annis ipſe & Johannes Gradenicus, ſarculis terram frangentes, & triticum ſeminantes, ex manuum ſuarum labore vixerunt. qui nimirum dum agriculturam exercebant, pondus jejunii duplicabant.

12. Impugnabat tamen diabolus Romualdum multis & variis tentationum immiſſionibus, maxime initio converſionis, mentemque ejus per multa vitiorum incentiva raptabat: modo illi in memoriam revocans, quæ & quanta, utputa vir ſtrenuus, in ſæculo acquirere potuit: modo quæ ingratis propinquis necdum poſt ſe concupiſcibiliter hereditanda reliquit: modo parva nimis & nullius meriti eſſe quæ faceret accuſabat: modo tanti laboris horrorem incutiens, longæ vitæ ſpatium promittebat. O quam ſæpe cellulam ejus percutiens, eum, cum adhuc vix obdormiſceret, excitavit, & quaſi jamjam imminente crepuſculo, per totam noctem vigilando deduxit. Per continuum ferme quinquennium ſuper pedes ejus & crura diabolus nocturno tempore jacuit, & ne huc illucque ſe facile verteret, typo phantaſtici ponderis aggravavit. Quis explicare valeat, quantum fermentes vitiorum beſtias pertulit? quam ſæpe præſentes iniquos ſpiritus duriſſimis increpationibus effugavit? Unde etiam ſi fratrum aliquis ſilentii tempore ejus cellam quavis neceſſitate compulſus adiret, ſtatim miles Chriſti paratus ad prœlium, ſolito more, ipſum eſſe exiſtimans diabolum, claris vocibus increpabat, dicens: Quo tendis modo, turpiſſime? quid tibi in eremo, de cælo dejecte? recede, canis immunde; evaneſce, coluber veternoſe. His igitur & hujuſmodi verbis declarabat ſe cum malignis ſpiritibus in acie ſemper aſſiſtere, & fidei ſe armis accinctum, provocantibus hoſtibus in campum protinus obviare.

Patrum exempla ſectatur.

13. Contigit autem, ut aliquando librum de vita Patrum legens, in illum locum incideret, ubi continetur, quod quidam fratres per continuam hebdomadam ſingulariter jejunantes, ſabbatorum die pariter convenirent, ipſoque & Dominico die jejunii rigorem interponerent, & re-

Digitized by Google

miſſus victitarent. quem vivendi ordinem ſtatim Romualdus arripuit; & in eo quindecim fere annis, vel eo amplius, continua auſteritate permanſit.

14. Petrus autem Dux, quia multis educari deliciis ſolitus fuerat, jamjam ſub tam diſtricti jejunii pondere ſuccumbebat. unde ſe ad pedes beati Romualdi humiliter ſtravit. Juſſus vero ut ſurgeret, neceſſitatem ſuam cum verecundia coactus aperuit. Pater, inquit, quia magnum corpus habeo, pro peccatis meis ex hac paximatii medietate ſuſtentare me non poſſum. Romualdus igitur fragilitati pie compatiens, conſuetæ menſuræ quadram paximatii ſuperaddidit; & ſic labenti jam fratri, ne omnino deficeret, miſericordiæ manum tetendit, & ad peragendum bene vivendi iter, quod cœperat, confirmavit. Hunc filius ejus ſibi æquivocus, vir valde ſecundum ſæculum prudens, aliquando viſitavit. Cui pater, neſcio utrum prophetiæ ſpiritu ſeu revelatione aliqua, quæcumque ſibi eſſent eventura prædixit. Novi, inquit, fili mi, proculdubio, quia Ducem te conſtituent, & proſperaberis. Tu tantummodo ſatage, ut & eccleſiæ Chriſti ſua jura conſerves, & erga ſubditos alicujus amore vel odio à juſtitia non declines. *Petro duci condeſcendit.*

15. Poſt hæc autem Romualdus iterum legens, quia ſanctus Silveſter, urbis Romæ epiſcopus, ſabbatorum diem jejunandum eſſe, ut re vera ſancti Paſchatis vigilias, inſtituerit; mox remiſſionem ſabbati in quintam feriam commutavit: & ſic infirmorum imbecillitati conſulens, longum jejunium diſcretione habita facilius reddidit, hanc nimirum vivendi regulam cunctis ſectatoribus ſingularis vitæ præfigens, ut tunc ſe unuſquiſque eremiticæ vitæ jejunium tenere cognoſcat, ſi per hebdomadam triduanas, & biduanas jejunando, quinta feria & Dominicis diebus olera, vel quodcumque liquamen cum gratiarum actione percipiat; exceptis videlicet duabus anni quadrageſimis, in quibus non ſolum ipſe, ſed & plerique ejus diſcipuli, totius hebdomadæ ſoliti erant continuare jejunium. Et certe ſatis congruum erat, ut qui Deum in choro laudare ſemper ſtudebat & tympano, præcipuas modulationis harmonicæ conſonantias, diapaſon videlicet & diapente, atque diateſſeron, jugiter in aures incircumſcripti Luminis perſonaret. Jejunare autem omnino, hoc eſt, diem ſine ullo cibo tranſigere, licet id ipſe ſæpiſſime fecerit, aliis omnino prohibebat. Dicebat enim ad perfectionem tendenti hoc adſumme congruere, ut quotidie comedat, & ſemper eſuriat: quatenus hoc modo caro per conſuetudinem levigaret, quod grave novitiis initio converſionis apparet. Parvipendebat autem, ſi quis ad tempus magnum quid inciperet, ſi non etiam in eo longanimiter perſeveraret. *Sabbati remiſſionem in feriam 5. rejicit.* *In duplici Quadrageſima ut jejunat.* *Quid de aliorum jejunio ſenſerit.*

16. Vigilias vero temperate & cum magna diſcretione faciendas maxime ſuadebat: ne cui fortaſſe contingeret, ut ſopori, peractis nocturnis officiis, conſentiret. Sane hujuſmodi ſomnum vir ſanctus in tantum habebat exoſum, ut ſi quis ei confiteretur, poſt duodecim pſalmorum vigilias, vel maxime circa diluculum obdormiſſe, nequaquam deſperare, nequaquam poſſet eo die cum ejus licentia ſacra Miſſarum ſollemnia celebrare. Dicebat enim melius eſſe, ſi poſſibile ſit, unum pſalmum ex corde & cum compunctione cantare, quam centum cum mentis fabulatione percurrere. Cui autem hæc gratia perfecte data non eſſet, hortabatur tamen, nequaquam vel ab ipſa corporali exercitatione tepeſcere, donec ipſe qui voluntatem dederat, tribueret etiam aliquando facultatem. Tantummodo orationis incenſum mentis intentio in Deum ſemel fixa cuſtodiat, quem exterius veniens cogitationum aura perturbat. Ubi enim eſt intentio recta, contra voluntatem cogitatio veniens non eſt nimium formidanda. *Quid de ſomno & pſalmodia.*

17. Quodam vero tempore dum adhuc in Galliæ finibus moraretur,

Digitized by Google

Ann. Ch. MXXVII. Jun. XIII.

familiarem ſibi quemdam habebat agricolam, qui ſibi & utenſilia, quibus in cella opus eſt, aliquando faciebat, & ſi quid ei opportunum eſſet, ditior caritate quam rebus, de ſuæ paupertatis inopia hilariter miniſtrabat. Hujus vaccam Comes quidam ſuperbus & tumidus, miſſis paraſitis, impetu barbarico rapuit, ejuſque carnes ſibi ad prandium cum magnæ gulæ aviditate præparari præcepit. Ecce autem ruſticus cellam Romualdi feſtinus aggreditur, jacturæ ſuæ caſum clamoſis ululatibus vociferatur, ſpem ſuam & ſuæ domus ablatam eſſe conqueritur. Sanctus itaque Romualdus ad eumdem Comitem concito gradu nuncium dirigit, & ut pauperi animal ſuum reddat, humillima ſupplicatione depoſcit. Cujus preces lubricus Comes protervo ſpiritu reſpuit, & quem ſaporem craſſæ vaccæ lumbi potuiſſent habere, ſe ipſo die guſtaturum eſſe aſſeruit. Adveniente autem hora prandii, appoſita menſa, vaccæ carnes allatæ ſunt. Sed & divinæ ultionis jam imminente ſententia, in ipſo edendi initio Comes fruſtum bovini lumbi abſcindens, ſibi in os miſit. quod repente in ipſius gutture tam immobiliter hæſit, ut nec ad interiora deſcendere, nec foras ejici ullis conatibus poſſet. Sicque inter ſuorum manus intercluſo ſpiraminis aditu terribili morte necatus eſt; & unde contra Dei ſervum concupiſcentiam carnis explere ad ſaturitatem voluit, inde juſto Dei judicio carnalem vitam adhuc jejunus amiſit.

Olibanum Comitem convertit.

18. Alius quidam Comes, Olibanus [a] nomine, in eiſdem Galliarum partibus erat, ſub cujus jure monaſterium prædicti Guarini abbatis fuerat poſitum. qui ſublimi quidem culmine terrenæ poteſtatis erectus, ſed multis erat peccatorum molibus aggravatus. Hic aliquando Romualdum gratia viſitationis adiit, & ceteris extra cellulam manentibus, ſolus cum ſolo geſtorum ſuorum ſeriem narrare quaſi per confeſſionem cœpit. Cui vir venerabilis, his quæ ab eo referebantur auditis, reſpondit aliter eum ſalvari minime poſſe, niſi mundum relinquens, ad monaſterium convolaret. Comes autem mox mente turbatus, ait: quia videlicet ſui ſpirituales viri, qui ejus acta cognoſcerent, nequaquam ita ſentirent, neque tam intolerabilem rem ſibi aliquando ſuaderent. Adſcitis itaque Epiſcopis & Abbatibus, qui ſecum venerant, cœpit in commune perquirere, ſi ita res, ſicut Dei ſervus teſtabatur, ſe haberet. Illi autem beati Romualdi ſententiam omnes una voce confirmant, ſe vero id Comiti eatenus non dixiſſe terrore conſtrictos excuſant. Tunc Comes ſemotis omnibus hoc cum beato Romualdo ſecreto valde conſilio pepigit, ut ad Caſinum montem ſub prætextu orationis pergeret, & in monaſterio ſancti Benedicti divino ſe ſervitio irrevocabiliter manciparet.

Patris cauſa Italiam repetit.

19. Interea Sergius pater Romualdi monachus efficitur: ſed aliquanto poſt, ſuadente diabolo, factæ converſionis pœnitens in Ægyptum redire conatur. quod protinus monachi cœnobii videlicet ſancti Severi, quod non longe ab urbe Ravenna eſt poſitum, ubi corpore, non corde Sergius habitabat, beato Romualdo indicare per nuncium ſtuduere. Hac ille ſiniſtra relatione perculſus, neceſſarium eſſe decrevit, ut Guarinus abbas & Johannes Gradenicus una cum Comite ad ejus converſionem pergerent, ipſe vero pereunti patri quantocius ſubveniret. Petrus autem Dux extremum jam diem feliciter clauſerat. His itaque duobus Comitem in eorum fide commiſit, utrique quidem, ſed Johanni præcipue, qui ei ſubditus erat, per obedientiam ſpecialiter mandans, ut etiamſi Guarinus abſcederet, ipſe ſe numquam à Comite ſepararet.

Catalanis ægre ferentibus.

20. Audientes autem illius regionis incolæ, quia Romualdus abire diſponeret, nimio mærore turbati ſunt: & tractantes intra ſe, qualiter ab hac illum intentione reprimerent, hoc illis tandem potiſſimum viſum eſt, ut

[a] De hoc Olibano infra in Appendice ad hanc vitam.

Digitized by Google

eum miſſis interfectoribus impia pietate perimerent, quatenus quia ipſum non poterant retinere viventem, haberent pro patrocinio terræ vel cadaver exanime. His vero cognitis Romualdus caput ſuum undique decalvavit, & hujus rei exſecutoribus ad cellam ejus jam appropinquantibus, primo fere diluculo comedere quaſi per aviditatem cœpit. Illi autem hoc videntes dementiam credidere, & arbitrantes mentem delæſam eſſe, corpus lædere dedignati ſunt. Sic videlicet, ſic prudens ſpiritualis David inſania ſtultam carnaliter ſapientium ſuperavit aſtutiam. Nam & volentes peccare cohibuit, & ad meritorum ſuorum cumulum ſine mortis formidine mortis periculum declinavit. ANN. CH. MXXVII. JUN. XIII. 1. Reg. 21.

21. Deinde jam libera uti facultate permiſſus, non equo fultus, non vehiculo deportatus, ſed ſolum in manu ferens baculum, nudis plantis ex intimis Galliarum finibus Ravennam uſque pervenit: ibique patrem ad ſæculum reverti volentem reperiens, in ligno pedes ejus fortiter ſtrinxit, gravibus eum vinculis alligavit, verberibus duris afflixit, & tamdiu corpus ejus pia ſeveritate perdomuit, donec ejus mentem ad ſalutis ſtatum, Deo medente, reduxit. Sergius igitur tandem ſanæ mentis recepto conſilio, quicquid prius retrograda voluntate deliquit, multipliciter poſtmodum rectis ſanctæ converſationis greſſibus emendavit. Patrem cōpeditum in monaſterio retinet.

22. Habebat denique inter cetera conſuetudinem, ante quamdam Salvatoris imaginem frequenter aſſiſtere, ibique peculiarius orans, uberibus lacrymis & multa ſe cordis contritione mactare. Quadam igitur die dum ibi attentius in oratione perſiſteret, (nova res & noſtris temporibus inaudita) repente ſibi neſcio qua ſpecie Spiritus-ſanctus apparuit. qui protinus à Sergio quis eſſet interrogatus, manifeſte, quia ipſe eſſet Spiritus-ſanctus, aſſeruit: & ſubito quaſi pertranſiens, ab oculis ſe adſpicientis evaſit. Statim ille in ecſtaſim raptus, atque ejus, quem viderat, igne ſuccenſus, cœpit per clauſtrum monaſterii poſt eum velociter currere, fratreſque, qui illic aderant, magno fervoris impetu, quo Spiritus-ſanctus abiiſſet, interrogare. Illis autem in inſaniam eum cecidiſſe putantibus, atque illum dure corripientibus, aſſerebat Sergius ſe Spiritum-ſanctum abſque ulla dubietate vidiſſe, & ante ſuum conſpectum viſibiliter tranſiſſe. Qui ſtatim languore correptus, lecto decubuit, & intra paucos dies felici conſummatione vitam finivit. Hinc ſane probatur, quod divina voce ad Moïſen dicitur: *Non enim videbit me homo, & vivet.* Hinc Daniel cum non Deum, ſed viſionem Dei ſe conſpexiſſe diceret, addidit: *Et elangui, & ægrotavi per dies plurimos.* Recte igitur Sergius, poſtquam æternam vitam, quæ Deus eſt, cernere meruit, à temporali mox vita defecit. Exod. 33. 20. Dan. 8. 27.

23. Olibanus autem Comes ſua relinquens filio, cum multa divitiarum copia, quindecim ſcilicet onuſtis [a] theſauro ſagmariis, comitantibus eum Guarino & Johanne, atque etiam Marino, ad beati Benedicti ſe monaſterium contulit: & valedicens his, qui ſecum venerant, nil tale de eo uſque tunc ſuſpicantes, multis gemitibus & amaris ſe fletibus affligentes, ad propria remeare coëgit. Marinus autem paullo poſt Apuliam verſus abiit, ibique poſtmodum in ſolitudine habitans, ab Agarenis eſt latrunculis interfectus. Olibani ſeceſſus Caſinum. Marini obitus.

24. Brevi poſt tempore Guarinus, orationis cauſa diſcurrere ſolitus, Johannes vero fratris exemplo ad idem religionis officium provocatus, Hieroſolymam commeare pari conſilio decrevere. Hoc igitur Olibanus cognito, triſtis & flens obſecrare devotiſſime cœpit, ne ſe violata fide deſererent: ſed, ſicut beatus Romualdus præceperat, in Dei illum ſervitio cuſtodirent, addens etiam: Memento tu ſaltem Johannes, quia magiſter Johannes ab itinere Jeroſolymitano revocatur.

[a] Iiſdem verbis de Olibano Comite agit Leo Marſicanus in Chronici Caſinenſis lib. 2. cap. 19. De eo item in Obſervationibus præviis ad vitam Petri Urſeoli.

Ann Ch. MXXVII. Jun. XIII.

tuus in tua me propenſius fide commiſit, & titulum tibi inobedientiæ, ſi diſcedis, oppoſuit. Illi autem obſtinata intentione in propoſito perſiſtentes, relicto tandem Olibano, peregrinationis iter arripiunt. Cum autem deſcendentes de monte, jam in campeſtria declinaſſent, figentes ſe loco, neceſſarium aliquid inter ſe tractare cœperunt. Inter agendum vero, ſubito Guarini equus furioſo rotatus impetu, in aliam partem invito ſeſſore divertit, & Johannis tibiam ferrato calce percutiens fregit. qui ilico ad terram nimio dolore proſtratus, jam ſero memor, magiſtri præcepta ad mentem revocat, & ſe perfidum, ſe inobedientiæ reum, verbis publicæ confeſſionis accuſat. Infracto namque crure didicit, quia fidem frangere peccatum fuit. Et quia ipſe rationis capax, magiſtro inobediens exſtitit, ad incolumitatis ſuæ cuſtodiam irrationale animal ſeſſori obedire neſcivit. Deinde illuc, unde venire cœperat, rediens, cellam ſibi ædificari prope monaſterium petiit, ibique per triginta fere annos, quamdiu vixit, in ſancta converſatione permanſit [a]. Multa in eo caritas, mira humilitas, abſtinentia vero diſtricta nimis & cauta, ita ut nec infra clauſtrum monaſterii quiſquam ſciret, qualiter vir ſanctus jejunaret. Inter reliqua autem virtutum dona ita exoſum habebat detractionis vitium, ut mox, cum quis ad detrahendum os aperiret, velut ſagitta rigore lapidis repercuſſa, in dirigentem protinus redundaret, ita ab eo illius obtrectatio reprimeretur. Poſt vero ejus obitum nonnulla per eum miracula divinitus facta ſunt.

Caſini pie vivit.

Romualdus prope Claſſem moratur.

25. Romualdus autem poſt patris correctionem, in palude Claſſenſi cellulam figens, in loco, qui Pons-Petri dicitur, habitavit. Poſtmodum vero non corporis ægritudinem metuens, non fœtoris nauſeam perhorreſcens, ſed ne imbecillitatis occaſione vel parum quid ab abſtinentiæ rigore remitteret, ad Claſſis itidem prædium, ubi eſt eccleſia beati Martini, quæ dicitur in Silva, migravit. Ibi vero quadam die dum completorium caneret, quia antiquum illic cœmeterium fuerat, ſubito illi (ut ſæpe fit) ex improviſo quædam cogitatio incidit, moxque ejus animum magnus phantaſticæ illuſionis horror invaſit. Cumque hoc crebrius in mente revolveret, ecce maligni ſpiritus repentino impetu cellam ejus ingreſſi, protinus illum in terram ſternunt, immani eum cæde conficiunt, & exhauſtis longo jejunio membris duriſſimos ictus illidunt. Tandem Romualdus inter ipſa percuſſionum verbera reſpectu divinæ gratiæ viſitatus, in hanc vocem erupit: Care Jeſu, dilecte Jeſu, quare me dereliquiſti? Numquid omnino me inimicorum manibus tradidiſti? Ad hæc omnes iniqui ſpiritus divina virtute fugati ſunt, & continuo tanta divini amoris compunctio Romualdi pectus accendit, ut totum cor ejus in lacrymas quaſi cera liqueſceret, & de tot alliſionibus ſauciati corporis nil ſentiret. Mox ſanus & validus de terra ſurrexit, & licet impediente adhuc ſanguine, ad eumdem Pſalmi verſum, quem reliquerat, rediit. In ingreſſu quippe dæmonum feneſtra cellulæ in frontem illius impegit, in qua manifeſta poſtmodum cicatrix occalluit, quæ ejuſdem vulneris indicium, quamdiu vir ſanctus vixit, oſtendit.

Diaboli artes vincit.

26. Jam igitur miles Chriſti aſſuetus bello, robuſtiorque effectus, ſtudebat quotidie ad majora proficere, de virtutibus vires creſcere, & ſemper ſemetipſo fortior, nullas jam poterat enervati hoſtis inſidias formidare. Sæpe enim ſibi in cella reſidenti, velut teterrimi corvi & vultures, iniqui ſpiritus videbantur aſſiſtere, & quaſi ad cuſtoditum animalis cadaver, quia non audebant accedere, cogebantur eminus adſpectare. Sæpe ſe in figuris Æthiopum, ſæpe ſe per diverſorum animalium ſpecies oſtendebant. quibus clarus Chriſti triumphator inſultabat, dicens: Ecce paratus

[a] Eadem de eo ſcribit Petrus Diaconus in libro de ortu & vita Juſtorum Caſinenſium.

ſum:

Digitized by Google

ſum: venite, & ſi qua in vobis eſt virtus, oſtendite. numquid jam omnino deficitis? numquid jam victi eſtis, & aliquas contra Dei ſervulum certandi machinas non habetis? His denique & hujuſmodi verbis confundens iniquos ſpiritus, confeſtim eos velut miſſis totidem jaculis effugabat.

27. Videns ergo diabolus, quia per ſemetipſum contra Dei famulum prævalere non poſſet, ad callida argumenta converſus, quocumque vir ſanctus ibat, diſcipulorum ejus animos adverſus eum in malitiam excitabat: ut quia retentari eum ab accenſo ſui fervoris impetu impoſſibile fuerat, ſaltem ab alienæ ſalutis cura compeſceret: & quia ipſe ab hoſte ſuperari minime poſſet, vel ex aliis victoriam non negaret. Aliquando namque ad locum, qui Balneum [a] dicitur, in * Saxenati videlicet territorio conſtitutum, tranſivit: ubi etiam non pauco tempore commorans, monaſterium ad beati Archangeli Michaëlis honorem conſtruxit, à quo non longe cellam, in ea habitaturus ædificavit. Illuc autem Hugo marchio ſeptem ſibi pro neceſſitate miſit numiſmatum libras: quas ille, ut bene prodigus miſericorditer diſpenſaret, accepit. Audito itaque, quod monaſterium Palatioli fuiſſet igne conſumtum, ſexaginta ſolidos de prædicta pecunia fratribus in adjutorium direxit: reliqua autem, ut in ſimile opus expenderet, reſervavit. Cognito hoc, monachi ſancti Michaëlis, belluino contra eum furore commoti ſunt, tum quia pravis eorum moribus contrarius jam ex multis annis * exſtiterat, tum quia, quæ illi deferebantur, non eis omnia, ſed quædam aliis impendebat. Facta igitur conſpiratione, unanimiter cellam ejus cum ſudibus & phalangis irrumpunt, verberibus eum multis afficiunt, & direptis omnibus, turpiter dehoneſtatum, de finibus ſuis expellunt. Cum itaque ſic eliminatus abiret, & nimia triſtitiæ vis in mentis ejus jam interiora deſcenderet, hoc apud ſemetipſum deliberat, ut jam de cetero ſuâ contentus, alienæ ſalutis curam omnino poſtponat. Poſt hanc vero cogitationem tantus animum ejus terror invaſit, ut ſi in eo, quod mente conceperat, obſtinate perſiſteret, periturum ſe, damnandumque divino judicio nullatenus dubitaret.

Varias ſedes mutat.

a * Saſſina.

* al. in multis.

28. Monachi autem compotes diu deſideratæ ultionis effecti, & quaſi projecto gravi onere levigati, hoc quod in Dei famulum egerant, multis inter ſe laudibus efferunt, & in immoderatum ludum atque cachinnum ſe, lætitia lenocinante, reſolvunt: deinde etiam, ut tanti gaudii ſollemnitatem quodammodo jucundiſſimam faciant, ſumptuoſas deliciarum copias ſibi ad convivium parant. Erat vero tunc hiems, quæ non ſolum viciſſitudini temporum, ſed frigidis quoque eorum mentibus aptiſſimè congruebat. Unus autem ex eis, qui in beatiſſimum Chriſti famulum ſævior fuerat, mel acquirere, unde mulſum epulantibus faceret, ſatagebat. Cumque * Sapin fluvium hoc ſtudio tranſmearet, offendentibus in plancas pedibus, ſubito de ponte dejicitur, & fluviali voragine funditus abſorbente raptatus exſtinguitur, juſto videlicet Dei judicio, ut turbida illum aqua ſatiaret ad mortem, qui in eo quod flere debuerat, mellis dulcedinem ad vitæ concupierat voluptatem. Nocte vero, dum omnes ex more quieſcerent, deſcendente crebra nivium multitudine, repente tota communis ædificii ſuper eos fabrica corruit, & alteri caput, alii brachia, alii crura, vel quælibet alia membra contrivit: uni etiam eorum oculus evulſus eſt. Et merito diviſionem corporeæ lucis pertulit, qui diviſus à proximo, etiamſi alterum haberet, geminæ caritatis unum lumen amiſit.

* Savio.

29. Aliquando autem vir ſanctus non longè manſit à Catria [b]. Cumque ibi aliquamdiu moraretur, manifeſtè ſibi beatus Apollinaris apparuit, &

b

a Balneum, vulgo *Bagno*, in Apennino, haud procul ab Eremo Camaldulenſi: cui proximum eſt opidum Saxenas ad Sapin ſeu Savium fluvium, qui in Adriaticum decurrit.

b Surio *Caria*, qui mons eſt Apennini in Ducatu Urbinate & diœceſi Eugubina.

Ann. Ch. MXXVII. Jun. XIII.

quatenus ad ſuum monaſterium pergeret, ibique potius habitaret, ex magna auctoritate præcepit. quod vir ſanctus nequaquam negligendum ducens, locum, in quo morabatur, ſine cunctatione deſeruit, & quo miſſus fuerat, impiger feſtinavit.

30. Incluſus eſt etiam quodam tempore vir venerabilis in palude Commiaclenſi [a], quæ dicitur Origarium: unde poſtmodum præ nimio paluſtris cœni fœtore & corrupto aëre, ita totus tumefactus & depilatus exiit, ut nequaquam eadem, quæ incluſa fuerat, ſpecies videretur. Nam & caro ejus tota eatenus erat viridis, ut tamquam ſtellio diſcolor appareret.

Incendium reſtinguit.

31. Alio quoque tempore in inſula, quæ Pereum dicitur, habitavit, quæ videlicet inſula à Ravenna urbe duodecim fere millibus diſtat. Ibi vero dum in cella cum quodam venerabili viro, ſuo nimirum diſcipulo, Guillelmo nomine, moraretur, anguſti parietes habitaculi repente flamma corripuit: deinde ad alta conſcendens, dominari per tecta liberis jam viribus cœpit. Protinus vir ſanctus ad ſolitæ defenſionis argumenta confugiens, non quæ ibi erant repoſita, foras extrahere; non, ut mos eſt, tecti ſcindulas diſſipare; non aquarum abundantiam ſpargere, non ullis impulſus eſt ad exſtinguendos ignes niſibus anhelare, ſed ſolummodo orationem fudit, & confeſtim ſtridentes ignium globos divina virtus exſtinxit.

[b] Claſſenſis abbatiæ regimen ſuſcipit.

32. Eodem vero tempore junior [b] Otto Imperator Claſſenſem abbatiam ordinare deſiderans, optionem fratribus dedit, ut quem ſibi vellent, indubitanter deligerent. At illi continuo unanimiter expetunt Romualdum. Imperator autem diffidens beatum virum ad regiam aulam evocari poſſe per nuncium, ire ad eum per ſemetipſum voluit, & ad cellam ejus, ſole jam occidente, pervenit. Cui Romualdus, quia magnum hoſpitem in parva domo ſuſceperat, lectulum ſuum ad quieſcendum dare dignatus eſt. Coopertorium tamen Rex noluit, quia aſperrimum judicavit. Mane autem facto, Rex eum ſecum ad palatium duxit, tandemque ei inſtare, ut abbatiam ſuſciperet, multis precibus cœpit. Qui cum reluctaretur, & regiæ petitioni aſſenſum penitus denegaret, Rex autem è contrario excommunicationem & anathema ab omnibus Epiſcopis, Archiepiſcopis, & toto Synodali concilio minaretur; tandem imminente neceſſitate ſuccubuit, & animarum regimen coactus accepit. Referebat tamen hoc ſibi nequaquam videri novum, ſed ante quinquennium ſibi fuiſſe divinitus revelatum.

33. Regebat itaque monachos ſub diſtricta regulæ diſciplina, neque alicui ab ea declinare impune licebat: non denique nobilis, non litteris eruditus per actus illicitos in dextram, lævamque partem deflectere, vel à rectæ converſationis audebat rectitudine deviare. Vir namque ſanctus cordis oculos in cælum figens, ut Deo in omnibus obtemperaret, non timebat hominibus diſplicere. Hoc autem fratres ſero conſiderantes, ſemetipſos prius accuſant, quia hunc ſibi præeſſe popoſcerant: deinde multis eum detractionum ſuſurrationibus lacerant, & duris ſcandalorum aculeis vexant. Romualdus itaque videns & ſuam perfectionem aliquatenus minui, & illorum mores proclivius in deteriora converti; Regem impiger adiit, & eo non leviter reluctante una cum Archiepiſcopo Ravennate, in utriuſque conſpectu virgam projecit, & monaſterium dimiſit.

Poſtea dimittit.

Tiburtinos cum Ottone reconciliat. * *Tivoli.* ** *al.* Matholinum.

34. Porro autem Rex * Tiburtinam tunc civitatem obſidebat. Cives enim inclytum ejus Ducem, ** Mazolinum nomine, interfecerant, ipſum quoque regem correptis armis à ſuis mœnibus exturbaverant. Unde non dubium eſt, beatum Romualdum illuc ex divina providentia miſſum, qui imminens tot animarum periculum, ſequeſtra pace delevit. Hoc etenim

[a] Comaclum, vulgo *Comachio*, urbs epiſcopalis ad Padi oſtia.

[b] Id. anno 996. quo Otto tertius contra Creſcentium arma movit, accidiſſe Baronius cenſet.

Digitized by Google

inter eos pactus eſt, ut Tiburtes ad honorem Regis murorum partem diruerent, ac obſides darent: Ducis vero interfectorem ad ejus matrem catenatum dirigerent. Quæ ſancti viri fuſis ad eam * precibus mitigata, crudeli homicidæ crimen indulſit, & incolumem ad propria redire permiſit.

ANN. CH. MXXVII. JUN. XIII.

* *al.* Deum.

35. Fecit quoque venerabilis vir apud Tibur alium boni operis fructum, quem ſilentio prætereumdum eſſe non arbitror. Quidam namque beatus, VENERIUS nomine, habitare primitus in monaſterio cœpit cum tanta humilitate & ſimplicitate, ut omnes illum fratres ſubſannando deſpicerent, & delirum eum atque dementem eſſe putarent. Alii enim illum ſæpe colaphizare, alii ſordida, qua lebetes lavabantur, aqua perfundere, alii diverſis eum ſolebant conviciorum jurgiis lacerare. Cumque ille ſe perpenderet inter tot adverſa tranquillum ſuæ mentis ſtatum ſervare non poſſe, conſortium deſerens, in ſolitudinem properavit: ubi per ſex annos abſque vino omnique pulmento ſub nimiæ diſtrictionis ariditate permanſit. Hunc itaque Romualdus, audita ejus fama, viſitare curavit. quem interrogans, ſub cujus regimine degeret, cujuſve arbitrio obedientiam exhiberet. Reſpondit ſe alieno ſolutum imperio, hoc ſequi, quod ſibi utilius videretur. Cui Romualdus ait: « Si crucem Chriſti portas, ſupereſt ut Chriſti obedientiam non relinquas. « Vade igitur, & conſenſu à proprio Abbate ſuſcepto, revertere, ac ſub ejus dominio humiliter vive, « quatenus ſacri operis ædificium, quod bona voluntas ædificat, humilitas erigat, atque « obedientiæ virtus extollat. « Hæc & multa alia ædificationis monita proferens, docuit eum qualiter cogitationibus ſuis reſiſtere, qualiter poſſet iniquorum ſpirituum infeſtationibus repugnare, & ita confirmatum & inſtructum, in multa eum alacritate reliquit. Ille igitur ſancti viri documenta gratanter amplectens, Abbatem ſuum protinus adiit, conſenſum accepit, & ad dilectam ſolitudinem quantocius remeavit.

Venerium in ſolitudine abſque abbatis permiſſu degere non probat.

36. Volens autem in poſſeſſione ſui monaſterii habitare, aſcendit in quoddam ſaxum, nullis hominum veſtigiis pervium, & ab humana penitus converſatione remotum, ibique per quatuor annos, omni humano ſolatio deſtitutus, ſingulariter habitans, exceptis tribus buccellis, quas de monaſterio ſecum detulerat, non panem comedit, non vinum bibit, non coctum aliquid omnino guſtavit, ſed ſolis arborum pomis & herbarum radicibus vixit. Erat autem in eodem ſaxo quædam concavitas, ubi colligebatur aqua in hieme, ex qua vir ſanctus tota bibebat æſtate. Tandem cognito, quod ibi ſervus Dei moraretur, cœpere ad eum multi confluere, ciborum alimenta deferre, & quæcumque ſibi quaſi neceſſaria miniſtrare. quorum ille nullius indigens, cuncta paſtoribus pecorum & aliis indigentibus exhibebat. Exhortante autem loci Epiſcopo, baſilicam ibi fieri & conſecrari permiſit: in qua ipſe aliquanto poſt tempore [a] defunctus eſt, & à quibuſdam ſe quærentibus eſt inventus acclinis ante altare, quaſi cauſa orationis in cubitis & genibus jacens: ubi nonnulla per eum Dominus miraculorum ſigna operari dignatus eſt. Sic denique, ſic bona terra uberes fructus reddidit, quæ verbi ſemen ex ore Romualdi multiplicandum ſuſcepit.

Venerius in ſolitudinem reverſus vivit ſanctiſſime.

37. Apud prædictam quoque civitatem convertit beatiſſimus vir THAMMUM quemdam Teutonicum, qui, ſicut dicitur, in tantum Regi familiaris & carus exſtiterat, ut utriuſque veſtes utrumque contegerent, & amborum manus una paropſis communi ſæpe convivio ſociaret. CRESCENTIUS namque ſenator Romanus, indignationem Regis incurrens, in montem, qui dicitur ſancti Angeli, confugium petiit, & quia munitio inexpugnabilis eſt, obſidente Rege, ad defendendum ſe fiducialiter præ-

Thammum convertit Romualdus.

[a] Ferrarius in catalogo Sanctorum Italiæ S. Venerii obitum conſignat Septembris 13. quo die alter S. Venerius abbas colitur. Venerio nullus cultus publicus Tibure exhibetur.

Ann Ch. MXXVII. Jun. XIII.

paravit. Ei vero Thammus ex præcepto Regis jusjurandum ſecuritatis præſtitit; & ita ille deceptus, adnitente Papa, qui ſibi inimicus erat, quaſi reus majeſtatis, capitalem ſententiam ſubiit: cujus uxorem poſtea Imperator in concubinam accepit. Quia igitur Thammus & fraudis conſcius, & perjurio tenebatur obnoxius; idcirco à beato Romualdo juſſus eſt relinquere ſæculum. qui mox à Rege licentiam expetens, non modo facilem reperit, ſed nimis etiam alacrem fecit. Erat autem prædictus Imperator monaſtico Ordini valde benevolus, & nimia circa Dei famulos affectione devotus.

Ottonem ad iter Gargani & ad pœnitentiam inducit.

38. Ipſe quoque Rex ex eodem crimine beato viro confeſſus, pœnitentiæ cauſa nudis pedibus de Romana urbe egrediens, ſic uſque in Garganum montem ad ſancti Michaëlis perrexit eccleſiam. Per totam etiam quadrageſimam in Claſſenſi monaſterio beati Apollinaris, paucis ſibi adhærentibus, manſit. Ubi jejunio & pſalmodiæ, prout valebat, intentus, cilicio ad carnem indutus, aurata deſuper purpura tegebatur. Lecto inſuper fulgentibus palliis ſtrato, ipſe in ſtorea de papyris confecta, tenera delicati corporis membra terebat. Promiſit denique beato Romualdo, quod Imperium relinquens, monachicum ſuſciperet habitum: & cui innumeri mortales erant obnoxii, jam ipſe pauperculo fratri cœpit eſſe ſubjectus.

Caſinum adit cum Bonifacio, Ruſſorum apoſtolo.

39. Romualdus autem cum eo, de quo jam diximus, Thammo, & cum Bonifacio viro clariſſimo, quem nunc feliciſſimum martyrem ſe habere Ruſſiana gloriatur eccleſia, & cum aliis converſis Teutonibus, à Tiburis opido ad monaſterium ſancti Benedicti, quod in Caſſino conſtitutum eſt monte, devenit. Ibi vero graviter infirmatus eſt, ſed cito ex divina miſericordia convaluit. Habebat autem equum ſatis egregium, quem ſibi Busclavi Sclavonici regis filius, dono dederat, factus ab eo monachus. Hunc vir ſanctus humilitatis ſtudio permutavit, & pro eo aſinum laudabilis negociator accepit. Nimio quippe Redemptoris noſtri deſiderio, qui aſellæ tergo conſederat, vir venerabilis hoc ipſum animal libentius equitabat.

Matth. 21.

Pereum redit.

40. Cum his igitur omnibus ſuperius nominatis Romualdus ad [a] Pereum, ubi dudum habitaverat, rediit, ibique his & aliis multis fratribus aggregatis, & per cellas ſingulas conſtitutis, tanto fervore eremiticæ converſationis rigorem & in ſe, & in aliis tenuit, ut illorum vita omnibus, ad quos fama eorumdem pervenire poterat, mirabilis haberetur. Quis enim non obſtupeſceret? quis non immutationem divinæ dexteræ prædicaret, cum vidiſſet prius homines ſericis, immo deauratis veſtibus indutos, crebris obſequentium cuneis conſtipatos, omnium deliciarum affluentiis aſſuetos, nunc cerneret uno birro contentos, incluſos, diſcalceatos, incultos, & tanta abſtinentiæ ariditate contuſos? Faciebant autem omnes opera manuum, *alii* ſcilicet coclearia, alii nebant, alii retia nectebant alii cilicia: quorum tamen omnium vitam beati Bonifacii converſatio longius tranſſcendebat. Hic regis fuerat conſanguineus, & ita carus, ut Rex illum non alio vocaret nomine, niſi Anima-mea. Erat autem apprime liberalium artium doctrinis inſtructus, maximeque in modulationis muſicæ ſtudiis approbatus. Is itaque cum in capella regia moraretur, videns eccleſiam antiqui martyris Bonifacii, mox exemplo ſui æquivoci ad martyrii deſiderium provocatus, ait: Et ego Bonifacius vocor. cur ergo etiam ipſe martyr eſſe non debeo? Poſt hæc igitur monachus factus, tanta ſe abſtinentiæ frugalitate conſtrinxit, ut ſæpe Dominicis diebus tantum & quinta feria per hebdomadam manducaret. Nonnumquam vero ſi urticarum, vel etiam veprium cerneret denſitatem, illuc ſe projiciens volutabat. Ex quo cum quidam frater ali-

Bonifacii vita piiſſima.

[a] Pereum Claſſenſi monaſterio vicinum erat, ex num. 52.

Digitized by Google

quando eum corriperet, dicens: Hypocryta, quare hoc ad captandos popularis auræ rumores coram omnibus facis? nihil aliud reſpondit quam, Tui ſunt confeſſores, mei ſint martyres. ANN. CH. MXXVII. JUN. XIII.

41. Cum vero poſt diuturnam eremiticæ converſationis vitam ad prædicandum jam ire diſponeret, Romam primum pergere ſtuduit, & ab apoſtolica ſede conſecrationem archiepiſcopatus accepit. Retulit autem mihi quidam ſenex monachus, qui eum illuc de Ravennæ finibus comitatus fuerat, quia in toto illo itinere vir venerabilis cum omnibus quidem, qui eum ſequebantur, pedeſter ibat, ſed ipſe jugiter pſallens, & ceteros longe præcedens, nudis ſemper pedibus incedebat. Pro labore quidem itineris quotidie comedebat, ſed per ſingulos dies de medio pane & aqua vivens, in diebus feſtis, ignoto videlicet omni liquamine, quotidiano victui poma quælibet, vel herbarum radices addebat. Apoſtolatus.

42. Poſtquam autem conſecratus eſt, quotidie obſervabat & monaſticum pariter & canonicum in celebrandis Horarum officiis ordinem. Cum vero jam ultramontanos peteret fines, equo quidem vehebatur, ſed venerabilis Pontifex (ſicuti dicitur) nudis cruribus ſemper & plantis adeo intolerabilem frigidiſſimæ regionis ſufferebat algorem, ut volens deſcendere, vix pedem ab ſubhærente ferro disjungeret, niſi aqua prius calida ſubveniret.

43. Ad gentiles autem poſtremo perveniens, cum tanta cœpit fervidi pectoris conſtantia prædicare, ut jam nullus ambigeret, quin vir ſanctus martyrium flagitaret. Illi vero timentes, ne, ſicut poſt martyrium beati [a] Adelberti, coruſcantibus miraculorum ſignis, Sclavonicæ gentis plerique converſi ſunt, ipſis quoque ſimiliter eveniret; longo tempore à beato viro manus artificioſa malitia reprimunt, & cupidiſſimo mori, nolentes eum occidere, crudeliter parcunt.

44. Cumque ad Regem Ruſſorum vir venerabilis perveniſſet, & conſtanti animo prædicationi vehementer inſiſteret, videns eum Rex ſqualidis veſtimentis indutum, ac nudis pedibus incedentem, opinatus eſt quia vir ſanctus talia non religionis cauſa perferret, ſed idcirco potius, ut pecunias congregaret. Promiſit igitur ei, quia ſi ab hujuſmodi vanitate recederet, ipſe paupertatem ejus largiſſima divitiarum liberalitate ditaret. Verum Bonifacius mox ad hoſpitium ſine mora revertitur, pretioſiſſimis pontificalibus ornamentis decenter induitur, & ſic ad Regis palatium denuo præſentatur. Rex autem videns eum tam decoris veſtibus adornatum, ait: Nunc ſcimus, quia te ad vanam doctrinam, non paupertatis inopia, ſed veritatis impulit ignorantia. Verumtamen ſi vis vera credi quæ aſſeris, erigantur duæ excelſæ lignorum cataſtæ, breviſſimo à ſe interſtitio ſeparatæ: & igne ſuppoſito cum vaporatæ fuerint, ita ut utriuſque ſtruis unus ignis eſſe videatur, tu tranſi per medium. quo ſi læſus ex aliqua parte fueris, ipſis te penitus conſumendum ignibus trademus: ſin autem (quod credi non poteſt) ſanus evaſeris, omnes nos Deo tuo abſque difficultate credemus. Cumque hoc fœdus non ſolum Bonifacio, ſed & cunctis quæ aderant gentibus placuiſſet, Bonifacius ita veſtitus ut Miſſarum ſollemnia celebraturus, prius cum ſanctificata aqua & incenſo thure undique perluſtrans ignem, dein ſtridentes flammarum globos ingreſſus, ita exivit illæſus, ut nec minimus capitis ejus capillus videretur exuſtus. Tunc Rex & ceteri, qui huic ſpectaculo interfuerant, catervatim ad pedes ſe beati viri proijciunt, indulgentiam lacrymabiliter petunt, & baptizari ſe inſtantiſſima ſupplicatione depoſcunt.

[a] De S. Adelberto Pragenſi epiſcopo & martyre egimus ad annum 997. Ejus corporis tranſlationem ex urbe Gnezna Pragam per Boëmos factam late deſcribit Chronicon Saxonicum mſ. ubi facta dicitur Kal. Septembris, anno 1039. Vide Coſmam Pragenſem.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXXVII. Jun. XIII.

45. Cœpit itaque tanta gentium multitudo ad baptiſma confluere, ut vir ſanctus ad ſpatioſum quemdam lacum pergeret; & in ipſa aquarum abundantia populum baptizaret. Decrevit autem Rex, ut regnum relinquens filio, ipſe, quamdiu viveret, à Bonifacio nullatenus ſepararetur. Frater autem Regis cum ipſo pariter habitans, dum nollet credere, abſente Bonifacio, ab ipſo Rege peremptus eſt. Alius vero frater, qui jam à Regis erat cohabitatione diviſus, cum ad eum vir venerabilis venit, audire verbum ejus noluit, ſed de converſione fratris nimia adverſus eum ira ſuccenſus, continuo comprehendit: deinde timens, ne ſi vivum teneret, Rex eum de manibus ejus eriperet, in ſua præſentia, circumſtante non parva hominum multitudine, decollari præcepit. Statim vero & ipſe cæcatus eſt, & tantus eum cum omnibus qui adſtabant, ſtupor oppreſſit, ut nec loqui, nec audire, nec aliquod humanitatis officium agere aliquatenus poſſent: ſed cuncti velut lapides rigidi & immobiles permanerent.

Martyriū.

46. Rex autem hoc audiens, nimio dolore perculſus, omnino deliberat non ſolum fratrem occidere, ſed & cunctos, qui ſibi tanti reatus fautores exſtiterant, gladiis trucidare. Sed cum illuc protinus adveniſſet, & corpore martyris adhuc in medio poſito, fratrem ſimul cum reliquis hominibus ſine ſenſu & motu ſtupefactos adſtare conſpiceret, hoc ſibi cum ſuis omnibus placuit, ut prius pro eis oratio fieret, ſi forſitan illis divina miſericordia ſenſum, quem amiſerant, reformaret: deinde ſi acquieſcerent credere, indulto crimine viverent: ſin autem, omnes ultoribus gladiis interirent. Cum igitur & ab ipſo Rege, & à ceteris Chriſtianis diutius fuiſſet oratum, non ſolum prior ſenſus ſtupefactis hominibus redditur, ſed inſuper conſilium quoque flagitandæ veræ ſalutis immittitur. Nam continuo pœnitentiam ſui criminis flebiliter expetunt, baptiſmi ſacramenta cum magna alacritate ſuſcipiunt; ſuper corpus quoque beatiſſimi Martyris eccleſiam conſtruunt. Verumtamen ego, ſi de hujus mirabilis viri cuncta, quæ dici veraciter poſſunt, virtutum dona referre tentarem, deficeret forſitan lingua, non deficiente materia. Dum igitur Bonifacii virtus proprio indigeat ſtilo, idcirco tamen illum cum aliis Romualdi diſcipulis per tranſcurſum hic memorare curamus: ut ex eorum laude, quam magnus & glorioſus magiſter eorum fuerit, demonſtremus: quatenus dum celſitudo clientium auribus fidelium inſonat, quam excelſus doctor eorum fuerit, ex ſchola quam tenuit innoteſcat.

Duos è ſuis mittit in Poloniam vir ſanctus.

47. Interea Romualdo in Pereo adhuc habitante, Buſclavus rex preces Imperatori direxit, ut ſibi ſpirituales viros mitteret, qui regni ſui gentem ad Fidem vocarent. Mox Romualdum Imperator aggreditur, & concedi ſibi de ſuis monachis, qui illuc deſtinari utiliter valeant, deprecatur. Ille vero nulli ſuorum hoc præcipere velut ex prælationis auctoritate voluit, ſed in eorum voto ponens, ſive manendi, ſive abeundi eis optionem dedit. Ignorabat enim ex tam metuendo negotio voluntatem Dei: & ideo non illud ſuo, ſed fratrum potius arbitrio committebat. Inſtante igitur Imperatore & humiliter obſecrante, tandem duo ſolummodo inventi ſunt ex omnibus, qui ſe ultro ad eumdum promptos obtulerunt. Quorum unus Johannes, Benedictus alter vocabatur. Hi itaque ad Buſclavum euntes, in eremo prius, eo ſuſtentante, manere cœperunt: & ut prædicare poſtmodum poſſent, Sclavonicam linguam laborioſè diſcere ſtuduerunt. Septimo vero anno, cum jam loquelam terræ plene cognoſcerent, unum ad Romanam urbem monachum mittunt, & per eum à ſummæ Sedis Antiſtite prædicandi licentiam petunt. Injungunt etiam, ut nuntius aliquos ſecum de beati Romualdi fratribus duceret, qui eremiticæ converſationis edocti, cum eis ſimul in Sclavorum partibus habitarent.

Digitized by Google

48. Buſclavus autem volens coronam ſui regni ex Romana auctoritate ſuſcipere, prædictos venerabiles fratres obnixa cœpit ſupplicatione depoſcere, ut ipſi plurima ejus dona Papæ deferrent, & coronam ſibi à ſede apoſtolica reportarent.. qui regiæ petitioni aſſenſum penitus denegantes, dixerunt: Nos in ſacro Ordine poſiti ſumus, tractare nobis ſæcularia negotia minimè licet, & ita relinquentes Regem, ad cellam reverſi ſunt. Quidam vero Regis familiares, agnoſcentes ipſius deſiderium, ſed quid ſancti viri reſpondiſſent ignorantes, copioſum auri pondus, quod mittendum Papæ fuerat, ſecum eos detuliſſe ad cellulam falſo opinati ſunt. Deinde intra ſe conventione pacta condicunt, ut noctu eremum latenter ingreſſi, & monachos interficerent, & pecuniam aſportarent. quos cum beati viri tentantes irrumpere perſenſiſſent, adventus eorum cauſam protinus agnoſcentes, confeſſionem inter ſe facere, & ſanctæ crucis ſe cœpere vexillo communire. Erant autem ibi duo pueri, eorum obſequio ex aula regia deputati, qui, prout vires dabant, ſtare pro ſanctis, & furibus reſiſtere nixi ſunt. Fures vero reperto tandem aditu irruentes, extractis gladiis omnes pariter occidêre.

ANN. CH. MXXVII. JUN. XIII.

A furibus poſtea cæſos.

49. Tunc theſaurum anxie perquirentes, ſed everſis omnibus nihil invenientes, ut tanti reatus crimen obtegerent, & humana ſuſpicio non armis, ſed flammis potius quod factum fuerat deputaret, cellam incendere, & ipſa martyrum conati ſunt cadavera conflagrare. Sed admoti ignes, amiſſis naturæ viribus, nil omnino conſumere ullis hominum ſtudiis potuere. Ita enim eos ipſa etiam parietum materies repellebat, ac ſi pro lignis duriſſimi ſilices eſſent. Fruſtrati itaque fures in fugam ſe conferre nituntur: ſed & hoc illis ex divina providentia denegatur. Tota ſiquidem nocte per fruteta nemorum, per latitudinem ſaltuum, per opaca ſilvarum, viam anxiati ſunt quærere, quam nullatenus valuere errabundis veſtigiis invenire: ſed neque pugiones in vaginas recondere, arefactis brachiis, potuerunt. Ubi vero ſanctorum jacebant corpora, copioſum lumen uſque in diem ſplendeſcere, & dulciſſima angelicæ cantilenæ non deſiit ſuavitas reſonare.

50. Adveniente autem die, quod factum fuerat, Regem latere non potuit. qui ilico ad eremum cum numeroſa populi multitudine feſtinavit; & ne fures evaderent, facta corona hominum totam ſilvam undique circumcinxit. qui tandem reperti ſunt manifeſti criminis rei, & ad gladios ſuos adhuc ultione divina ligati. Rex autem quid de eis faceret, habita conſideratione deliberans, hoc poſtremo decrevit, ut nequaquam eos ſicut merebantur, occidi præciperet, ſed ferreis catenis vinctos ad ſepulcra martyrum deſtinaret: quatenus aut ibi uſque ad obitum in vinculis miſerabiliter viverent, aut ſi ſanctis martyribus aliter videretur, ipſi eos ſua miſericordia liberarent. qui cum ad ſanctorum tumulum fuiſſent ex præcepto Regis attracti, mox ineffabili divinitatis omnipotentia fractis ſunt nexibus abſoluti. Deinde facta ſuper corpora ſanctorum baſilica, innumerabilia non ſolum tunc, ſed & nunc ibi fiunt ex divina virtute prodigia.

51. Imperator autem HENRICUS Buſclavi conſilium non ignorans, undique vias cuſtodiri præceperat, ut ſi Buſclavus Romam nuntios mitteret, in ejus ilico manibus devenirent. Monachus igitur, qui nuper miſſus à ſanctis martyribus fuerat, demum captus eſt & mox carcerali cuſtodiæ mancipatus. Nocte vero illum Angelus Domini in carcere viſitavit, & conſummatos eſſe eos, quorum legatione fungebatur, admonuit: ſtatimque aperto divinitus carcere, præparatum ſibi eſſe navigium in fluvio, quem tranſiturus erat, aſſeruit. quo feſtinans monachus, angelicæ promiſſionis fidem veram eſſe probavit.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXXVII. Jun. XIII.

Ottoni mortem prædicit.

52. Dum moraretur autem Romualdus adhuc in Pereo, Imperator Otto monaſterium ibi ad honorem ſancti Adelberti eo ſuggerente conſtruxit, cui contigua Claſſenſis cœnobii prædia contulit, & ea ſibi ex fiſcali profeſſione in Firmenſis monarchiæ partibus recompenſavit. Abbate quoque illic ex Romualdi diſcipulis conſtituto, & fratribus congregatis, cœpit eos ſub magna Romualdus tenere cuſtodia, & docebat eos ſub regulari vivere diſciplina. Præcepit etiam Abbati, ut in eremum ſecedens, per totam hebdomadam in cella conſiſteret: diebus vero Dominicis fratres, ad monaſterium conveniens, viſitaret. qui ſancti viri juſſa contemnens, cœpit ſæculariter vivere, & pede operis ſemel exorbitante, à rectitudinis tramite jam longius declinare. Videns ergo Romualdus, quod ſecundum ſuæ voluntatis ardorem ibi laborare non poſſet, Regem protinus adiit, & acceptæ promiſſionis exactor, ut Rex monachus fieret, inſiſtere vehementius cœpit. At ille facturum ſe quidem quod exigebatur aſſeruit, ſi tamen prius Romam, quæ ſibi rebellabat, impeteret, & ea devicta, Ravennam cum victoria remearet. Cui Romualdus: Si Romam, inquit, ieris, Ravennam ulterius non videbis. Et apertiſſimè illi mortem propinquam eſſe denuntians, quia eum revocare non potuit, proculdubio de ejus certus interitu, ab eo receſſit. Dum vero Rex Romam properat, Romualdus navim aſcendens, ad civitatem * Parentium transfretat. Rex itaque ſecundum beati viri prophetiam vix à Roma reverti incipiens, mox languore correptus, apud Paternum defunctus eſt.

* Parenzo.

53. Romualdus autem tribus annis in Parentinæ civitatis finibus habitans, in uno monaſterium [a] conſtruxit, & abbatem in eo cum fratribus ordinavit: in duobus vero incluſus manſit. Ibi nempe ad tam magnæ perfectionis cumulum pietas illum divina provexit, ut à ſancto afflatus Spiritu & nonnulla ventura proſpiceret, & multa veteris ac novi Teſtamenti occulta myſteria radiis intelligentiæ penetraret. Anxiabatur autem ibi aliquando in lacrymas erumpere: ſed nullo valebat conamine ad contriti cordis compunctionem venire. Factum eſt ergo quodam die, dum in cellula pſalleret, ut in hunc Pſalmi verſiculum incideret: *Intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via hac, qua gradieris; firmabo ſuper te oculos meos.* Repente igitur tanta ſibi lacrymarum effuſio orta eſt, & ita mens ejus ad intelligendas divinæ Scripturæ ſententias illuſtrata, ut ex eodem die, quamdiu vixit, uberes ſibi lacrymæ, quandocumque voluiſſet, facillime fluerent, & plurima illum Scripturarum myſteria non laterent. Frequenter enim tanta illum divinitatis contemplatio rapiebat, ut quaſi totus in lacrymas reſolutus, æſtuante inenarrabili divini amoris ardore clamaret: Care Jeſu, care, mel meum dulce, deſiderium ineffabile, dulcedo Sanctorum, ſuavitas Angelorum: & cetera hujuſmodi, quæ ille ſancto Spiritu dictante, in jubilum proferebat; nos humano ſenſu exprimere talia non valemus. Sicut enim Apoſtolus dicit: *Nos, ſicut oportet, orare neſcimus: ſed ipſe Spiritus orat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Et ideo Romualdus Miſſam celebrare coram pluribus numquam volebat, quia ſe à lacrymarum inundantia continere non poterat. Unde etiam poſtmodum præ nimia jam conſuetudine vir ſimplicis animi putans gratiam, ſibi divinitus prærogatam, omnibus eſſe conceſſam, dicebat plerumque diſcipulis: » Cavete, ne multas lacrymas effundatis, » quia & viſum minuunt, & verticem lædunt. Ubicumque autem vir ſanctus habitare diſponeret, oratorium cum altari primitus intra cellulam faciens, deinde ſe recludens, aditum damnabat.

Pſal. 31.

Rom. 8.

Diſcipulis dat monita.

54. Miſerunt aliquando ad illum fratres, qui morabantur in ſolitudine, quæ * Biſurcum dicitur, conſilium flagitantes, qualiter converſari in ere-

* Biſolco.

[a] Primum ex his tribus, quod apud urbem Parentium, in Iſtriæ pæninſula ſitam, conſtruxit vir ſanctus, S. Petro, alterum S. Petronillæ; tertium, quod adhuc ſupereſt, S. Michaëli nuncupata ſunt.

mo

mo deberent, qualiter diabolicis impugnationibus reſiſtere poſſent. quorum nuntii cum ad monaſterium, à quo Romualdi cella longius aberat, perveniſſent, ilico venerabilis vir per Spiritum eorum cognovit adventum, præcepitque abbati Ansoni, qui ſibi tunc aſſiſtebat, dicens: Vade, & pulmentum fratribus præpara, qui de longinquis partibus advenere. qui continuo cœpit eum deridere, & dicere, quia vere falſus propheta eſſet. Poſtremo tamen velut coactus ad monaſterium veniens, eos, quos vir ſanctus prædixerat, orantes jam in eccleſia reperit. Quos videlicet Romualdus multo ſalutaris doctrinæ ſale condivit, multis denique contra antiqui hoſtis inſidias virtutum armis inſtruxit: & poſtquam eos de omnibus ſubtiliter utiliterque docuit, cum multa eos ad eremum alacritate remiſit. ANN. CH. MXXVII. JUN. XIII.

55. Alio quoque tempore rurſus prædicti fratres ad eum nuntios dirigunt, & de eadem re conſilium majori adhuc anxietate requirunt. quibus vir venerabilis ait: Ego nunc libellum de pugna dæmonum ſcribo, quem vobis, cum redieritis, dabo; vel certe ipſe vobiſcum fortaſſe veniam. Hoc illi audientes, protinus in faciem ſe proſternunt, & ut cum illis ire dignaretur, importuna admodum ſupplicatione depoſcunt. Altera vero die iturum ſecum incunctanter aſſeruit, & ut navim requirerent juſſit. Audiens hoc Parentinus epiſcopus, nimio mærore perculſus eſt. Inveniens quoque monachos propter navigium diſcurrentes, multis contumeliarum eos dehoneſtavit injuriis. Hoc etiam cunctis juxta portum manentibus promulgavit edictum, ut quicumque Romualdo navim dare præſumeret, ipſe quoque una cum ipſo irrevocabili profectione demigrans, Parentium ulterius non rediret. Feſtine igitur nuntius ad Polenſem epiſcopum mittitur, ut beato viro navigium mittere non moretur. Sæpe namque præfatus Epiſcopus adhortatus illum fuerat, ut nequaquam de cetero in tam obſcuro receſſu incluſus lateret, ſed illuc potius ſe conferret, ubi animarum lucrum copioſius facere potuiſſet, nec videlicet ſicut carbo ſoli ſibimet arderet, ſed magis, ut re vera lucerna ſuper candelabrum poſita, omnibus, qui in domo Dei ſunt, radios ſuæ lucis infunderet. Ægre Parentio diſcedit.

56. Dum igitur nuntius, qui miſſus eſt, exſpectatur, Romualdus his, qui ſecum erant, fratribus ait: Noveritis proculdubio, quia frater ille tardius veniet. unde in alia navi nos ire prius, quam ille revertatur oportet. Adveniente autem ſancto die Dominico, in ipſo primæ lucis crepuſculo, dixit aſſiſtenti ſibi cuidam fratri, nomine [a] Ingelberto, qui poſtea archiepiſcopus in Gentibus factus eſt: Reſpice, inquiens, procul in pelagus, & vide duas naves longinquis adhuc ſpatiis pari adverſum nos velocitate tendentes; earum nos definite debet una ſuſcipere. Qui curioſius intendens, & expanſis oculorum radiis ſollicite cuncta perluſtrans, aliquod navigii ſignum omnino videre non potuit. At cum dies jamjamque clareſceret, ecce extremo videt intuitu duas naves eminus adventantes, & præ nimia adhuc longinquitate quaſi totidem volucres apparentes. quibus tandem ſubeuntibus portum, interrogati remiges, utrum Romualdum cum ſuis in propria vellent nave ſuſcipere, nova mox repleti lætitia, ſe & ſua omnia in ejus poteſtate conſtituunt, & beatos ſe fore tam pretioſæ margaritæ pondere profitentur. Verum illo die minas aëris formidantes, ire nolebant. Romualdus autem exhortatus eſt eos, ut ſtatim in ſpe divinæ gratiæ iter caperent, ſpondens eis, quia nullum omnino periculum ſuſtinerent. Illi tamen tota die ibidem commorantes, nocte navigare cœperunt.

57. Circa diluculum autem ſubito venti ſæviunt, tempeſtas oritur, mare ab imo fundo verſatur. Jamque furentes undique procellæ, ipſos quoque remiges proſternunt, & navim hinc inde concutientes, totas pæne Non ſine periculo naufragii.

[a] De eodem item infra num. 67. Confer. num. 61.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXXVII. Jun. XIII.

tabulas laxant. Videres itaque homines, alios quidem ſe ad natandum exuere, alios vero diverſis ſe funibus religare; quoſdam autem, ut ſupernatare fluctibus poſſent, remos aut lignum aliquod ſtrictum tenere. Cumque in tanto diſcrimine non jam dubium deſperatis omnibus naufragium immineret, ilico Romualdus ad ſolita orationis armamenta cucurrit, & reclinato paullulum capitio, capite devexo in gremium, preces in ſilentio ad Dominum fudit: deinde Anſoni abbati, qui cominus aſſiſtebat, ſecure præcepit, dicens: Denuncia nautis, ut nequaquam timeant; ſed omnes ſe incolumes evaſuros abſque ulla penitus ambiguitate cognoſcant. Vix modicum poſt hæc tempus tranſierat, & ecce ultra omnium ſpem, abſque ullo humano ſtudio ipſa ſe navis dirigit, & mox in portum Capreolæ civitatis delapſa, celeriter ſubintravit. Tunc omnes liberatori Deo dignas referunt gratias, & manifeſte ſe de faucibus mortis ereptos Romualdi meritis profitentur.

Bifurci cellas ſplendidiores improbat.

58. Veniens itaque Romualdus Bifurcum, viſis omnium fratrum cellis, quia ſuperſtitione quadam ambitioſæ videbantur, in nulla earum habere hoſpitium voluit, niſi in illa ſolummodo, in qua Petrus [a] venerabilis ejus diſcipulus habitabat. Vir ſiquidem erat admirabilis abſtinentiæ, multæque admodum extremitatis, qui cellulam ſibi ad ſancti Hilarionis exemplum vix umquam largiorem fieri quatuor cubitis permittebat. Referebat autem poſt idem venerabilis vir, quia dum beatus Romualdus cum ipſo maneret, & Pſalmos uterque ſe in vicariis verſibus alternaret, tricies in nocte vel eo amplius ſe Romualdus ad requiſita naturæ ire ſimulabat, quoniam affluentium lacrymarum inundantiam atque ſingultus cohibere non poterat. Cumque ibi Romualdus aliquamdiu moraretur, & fratres non ſolum de ſpirituali certamine, verum ut etiam ſibi Abbatem præferrent admoneret; illi quia ſuum habebat unuſquiſque ſuſtentatorem, & prout cuique libuerat, proprii ſequebatur arbitrii libertatem, Romualdi præcepta ſuſcipere non magnopere curarunt.

Apud Camertes Vallem de caſtro inhabitat.

59. Romualdus ergo ſterilitatis impatiens, anxia cœpit aviditate perquirere, ubi terram poſſet ad proferendos animarum fructus idoneam invenire. Miſit itaque nuntios ad Camerinæ provinciæ Comites: qui audito nomine Romualdi, nimio repleti gaudio, cunctæ ſuæ ditionis obtulere prædia, non modo ſilvarum & montium, ſed, ſi ſibi etiam placeret, agrorum. Poſtremo repertus eſt in eorum poſſeſſione locus, eremiticæ converſationi ſatis congruus, montibus undique vallatus & ſilvis, in medio vero ampla quædam planities, non ſolum proferendis frugibus apta, ſed perſpicuis etiam fontibus irrigua. Hic itaque locus Vallis de caſtro antiquitus vocabatur, ubi jam parva erat eccleſia, in qua quarumdam converſarum mulierum videbatur eſſe conventus. His itaque loco cedentibus, conſtructis cellulis, illic habitare cum ſuis diſcipulis vir venerabilis cœpit. *Ibi* autem quantos animarum fructus per illum Dominus acquiſiverit, quis valeat vel atramento deſcribere, vel lingua proferre? Cœpere namque homines ad pœnitentiam hinc inde confluere, & ſua pauperibus miſericorditer erogare: alii ſæculum omnino relinquere, & ad ſanctæ converſationis ordinem ſpiritu fervido feſtinare. Erat enim vir beatiſſimus quaſi unus de Seraphin, quia & ipſe flamma divini amoris incomparabiliter æſtuabat, & alios quocumque pergeret, ſanctæ prædicationis facibus accendebat. Sæpe namque dum prædicationis verba proferret, tanta illum compunctio in lacrymas excitabat, ut ſubito interceptum ſermonem relinquens, aliquorſum repentino impetu velut amens aufugeret: & ſi quando

[a] Petrum hunc, quem de Bifurco cognominant, Wion & alii nonnulli in catalogo Beatorum adnumerant. Forſan is eſt, qui primus poſt Romualdum ſacræ Eremi Prior fuit, de quo in Obſervationibus prævii.

Digitized by Google

cum fratribus equitabat, longe poſt alios veniens, ſemperque pſallens, nihilo minus ac ſi in cella reſideret, jugiter lacrymas effundere non ceſſabat.

Simoniacos arguit.

60. Inter ceteros autem, præcipue ſæculares clericos, qui per pecuniam ordinati fuerant, duriſſima ſeveritate corripiebat, & eos, niſi ordinem ſponte dcſererent, omnino damnabiles & hæreticos aſſerebat. qui novam rem audientes, occidere illum moliti ſunt. Per totam namque illam monarchiam uſque ad Romualdi tempora, vulgata conſuetudine vix quiſquam noverat ſimoniacam hæreſim eſſe peccatum. Qui dixit eis: «Canonum mihi libros afferte, & utrum vera ſint quæ dico, veſtris atteſtantibus paginis comprobate. Illis igitur diligenter inſpectis, & crimen agnoſcunt, & errata deplangunt. Conſtituit autem vir ſanctus plures canonicos & clericos, qui laïcorum more ſæculariter habitabant, præpoſitis obedire, & communiter in congregatione vivere docens. Nonnulli quoque Epiſcopi, qui per ſimoniacam hæreſim ſacras ſedes invaſerant, ad eum cauſa pœnitentiæ concurrebant. qui etiam venerabili viro ſe committentes, & epiſcopatum termino ſtatuto deſerere, & ad ſanctæ converſationis ſe promittebant ordinem feſtinare. Ex quibus tamen vir ſanctus, quamdiu vixit, neſcio ſi vel unum convertere potuit. Eſt enim venenata illa hæreſis, præſertim in epiſcopali ordine, tam dura & ad convertendum rigida, ſemper promittens, ſemper de die in diem producens, atque in futurum procraſtinans, ut facilius poſſit Judæus ad fidem converti, quam hæreticus plene ad pœnitentiam provocari.

Peſtem curatu difficilem.

61. In eiſdem quoque partibus ſanctus vir monaſterium condidit puellarum. Sollemni autem quadam die, dum vir venerabilis illic cum fratribus in Capitulo reſideret, & eos ſalutaris doctrinæ dapibus ſatiaret; repente ipſum interrumpens ſermonem, anxia quadam voce exclamare cœpit, & dicere: Agite, agite, quantocius properate, quia jam fratris Gregorii cellam fur frangit. (hic autem GREGORIUS archiepiſcopus [a] in gentibus poſtmodum conſecratus eſt.) qui protinus exſilientes, ad cellam perniciter currunt, & furem jam parietes infringentem inveniunt. Quem corripientes, ad magiſtrum pertrahunt, & quid de tam ſacrilego raptore faciendum eſſet, inquirunt. quibus vir ſanctus cœpit hilariter dicere: Et ego, fratres, ignoro, quid de tam malo homine poſſimus facere. Eruimus illi oculos? ſed poſtea non videbit. Incidimus ei manus? ſed amplius non laborabit, & per hoc forſitan fame peribit. Quod ſi pedem truncamus, ambulare non poterit. Sed intro eum ducite, & cibum illi prius apponite, ut quid de eo faciendum ſit, interim pertractemus. Ita vir ſanctus exſultans in Domino, poſtquam cibari latronem fecit, illum modeſte correptum, & dulcibus verbis admonitum, redire ad propria in pace permiſit.

Apud Urbem-veterem multos convertit.

62. Poſtremo dimiſſis in Valle de caſtro nonnullis de ſuis diſcipulis, ad regionem ſe * Urbis-veteris contulit, & in poſſeſſione Farulfi Comitis [b] monaſterium, multis quidem ſuffragantibus, ſed eo maxime expenſas præbente, conſtruxit. Tantus namque in ſancti viri pectore faciendi fructus ardor incanduerat, ut effectis numquam contentus, dum alia faceret, ad facienda mox alia properaret, adeo ut putaretur totum mundum in eremum velle convertere, & monachico Ordini omnem populi multitudinem ſociare. Multos denique illic de ſæculo abſtulit, quos per plura ſacra loca diviſit. Nonnulli quoque nobilium filii, contemptis parentibus,

** Orvietto.*

[a] Sic Ingelbertus *archiepiſcopus in Gentibus* dicitur ſupra num. 56. De his duobus videtur fieri mentio infra num. 63. ubi de *duobus diſcipulis è ſuis in Archiepiſcopos conſecratis.*

[b] Videtur eſſe monaſterium beatæ Mariæ in Silva, de quo in privilegiis pontificiis. De eo rurſus infra num. 65.

ANN. CH. MXXVII. JUN. XIII.

ad virum beatiſſimum fugiebant. Ex quibus etiam filius GUIDONIS Comitis fuit, qui in ipſa pueritia non longo tempore, poſtquam monachus factus eſt, ad mortem veniens, vidit duos iniquos ſpiritus, quaſi nigerrimos vultures, terribiles in ſe oculos figentes. Cumque hoc aſſiſtenti ſibi beato Romualdo puer ediceret, protinus addidit: Ecce, inquiens, Magiſter, tanti nunc Æthiopes intrant, ut jam totum ædificium repleant. Exhortatus autem, ut confiteretur quid deliquiſſet, hoc ſolummodo crimen felix ille peccator cum magno terrore confeſſus eſt, quia juſſus fuerat à Priore neſcio quot ſcopas accipere, & illas nondum acceperat. Romualdo igitur ei tanti facinoris veniam indulgente, in pace defunctus eſt. Poſtero vero die cæcus quidam, præbendarius videlicet patris ejus, ad ſepulcrum illius venit, & altiori voce clamans: Heus, domine mi, inquit, ſi cum Deo es, ſicut credo, preces pro me ad eum funde, & oculorum mihi lumen reſtitue. quo dicto, ſtatim illuminatus eſt. Nonnulli quoque ægroti ad ejus tumulum venientes, redditi ſunt ſanitati. cujus ſepulcrum velut multis plenum aromatibus redolebat. Ita ille à Deo meruit honorari poſt mortem, qui pro ejus amore, dum viveret, carnalium parentum ſprevit hereditatem.

Hungariam adire non ſinitur.

63. Interea Romualdus audiens, quia beatiſſimus vir Bonifacius martyrium ſuſcepiſſet, nimio deſiderii igne ſuccenſus, ut pro Chriſto ſanguinem funderet, Hungariam mox ire diſpoſuit. Interim tamen dum in ipſa intentione perſiſteret, brevi tempore tria conſtituit monaſteria, unum videlicet in [a] Valle de caſtro, ubi nunc ſanctiſſimum corpus ejus reconditum eſt: aliud prope * Iſinum fluvium; tertium juxta opidum condidit * Eſculanum. Deinde licentia ab apoſtolica Sede ſuſcepta, & duobus è ſuis diſcipulis in Archiepiſcopos conſecratis, cum viginti quatuor fratribus iter arripuit. Tantus enim ardor moriendi pro proximo in omnibus æſtuabat, quod vir ſanctus ad tale negotium cum paucis ire difficile poterat.

* *Eſino.* * *Aſcoli.*

64. Euntes ergo cum jam ipſis Pannoniarum finibus intereſſent, repente Romualdus languore correptus, ulterius ire non potuit. Cumque diutius pateretur; ſi quando redire diſponeret, protinus ex ægritudine convaleſcebat: ſin autem ire ultra tentaret, tota ejus facies protinus intumeſcebat, cibos quoque jam retinere ſtomacho langueſcente non poterat. Advocatis itaque fratribus ait: Perpendo nequaquam divinæ voluntatis eſſe judicium, ut ultra progrediar. Verumtamen quia intentionis veſtræ deſiderium non ignoro, neminem veſtrum redire compello. Multi nempe etiam ante nos totis niſibus ſtuduerunt ad martyrii culmen pertingere: ſed quia divina providentia aliter ſenſit, in ſuo gradu coacti ſunt remanere. Licet ergo vobis omnibus martyrium defuturum eſſe non ambigam, qui tamen ire, qui mecum redire voluerit, uniuſcujuſque relinquatur arbitrio. Quindecim igitur Hungariam prodeuntibus, duobus alio jam dimiſſis, vix ſeptem cum magiſtro diſcipuli remanſerunt. Euntium autem quidam flagellantur, venduntur plures, ac ſervitutem pro Domino ſubeunt: ad martyrium tamen, ſicut vir ſanctus prædixerat, non pertingunt.

Suos illuc dirigit.

Adalberonis Ducis cognatus converſus.

65. Romualdus autem, converſo quodam nobiliſſimo viro, ADALBERONIS videlicet Ducis conſanguineo, qui poſtea monachus factus, in ſancta uſque ad mortem converſatione permanſit, aliiſque Teutonicis ad monaſterium, quod in Urbis-veteris regione conſtruxerat, rediit. Notandum itaque eſt, quia ſanctus vir nequaquam velut levitate uſus falli inaniter potuit, qui ſecundum intentionem quidem ſuam martyrium ſubiit, juxta divinum vero conſilium pro ſalute eorum miſſus eſt, quos con-

[a] Primi hujus monaſterii mentio facta eſt ſupra. Alterum monaſterium videtur *monaſterium S. Helenæ juxta flumen Æſinum*, de quo in privilegio Alexandri IV. in quo nihil lego de monaſterio ſito prope Eſculum ſeu Aſculum opidum in Piceno.

vertit. In prædicto igitur monaſterio multa perſecutionis ſcandala paſſus eſt. Volebat enim Abbatem, ut revera monachum, extremitatem diligere, ſæcularia ex deſiderio non tractare, res monaſterii pro vana gloria non expendere, fratrum uſibus neceſſaria miniſtrare. Quæ omnia dum ille ſurda aure contemnit, Romualdus locum cum ſuis diſcipulis deſerens, non longe à caſtro præditionis RAYNERII, qui poſtmodum Tuſciæ marchio factus eſt, habitavit.

ANN. CH. MXXVII. JUN. XIII. Abbati dat monita vir ſanctus.

66. Hic autem Raynerius conjugem ſuam occaſione propinquitatis abjecerat, & conſanguinei ſui uxorem, quem ipſe ſe inſequentem quodam modo invitus occiderat, in conjugem copularat. Ob hoc itaque Romualdus, ne criminis ejus particeps fieret, gratis manere in ejus poſſeſſione noluit, ſed unum ei aureum pro aqua, alterum vero pro lignis appendit. quos cum ille omnino reſpueret, malens videlicet ſua dare, quam à ſancto viro quicquam recipere, poſtremo tamen victus aſſenſit potius, quam Romualdus abiret. Dicebat autem idem Raynerius, cum monarchiam obtineret: quia non Imperator, non aliquis omnino mortalium tantum mihi metum valet incutere, quantum me Romualdi terret adſpectus. Ante ejus quippe vultum neque quid dicam ſcio; neque quibus me defendere valeam, ullas excuſationes invenio. Habebat revera vir ſanctus hanc ex divino munere gratiam, ut quicumque peccatores, præſertim potentes ſæculi, in ejus præſentiam deveniſſent, mox velut ante majeſtatem Dei tremefactis viſceribus formidarent. Sanctus nimirum Spiritus, qui pectori ejus habitator inerat, hunc terrorem injuſtis divinitus intendebat.

Raynerii ob inceſtum gratis in ejus ſolo non vult habitare.

Potentibus terribilis.

67. Illis vero temporibus vir venerabilis unum monaſterium non longe à Maſſiliano caſtro conſtruxit. Audiens autem aliquando, quia Venetus quidam Claſſenſem abbatiam per coëmptionem ſimoniacæ hæreſeos invaſerat, inſuper quoque in corpus ſuum inique peccabat, illuc protinus ire miles Chriſti impiger ſtuduit; diverſiſque modis ex eo ipſum monaſterium purgare tentavit. Vir autem reprobus dum abbatiam metuit perdere, non timet homicidium perpetrare. Intempeſta ſiquidem nocte, dum Romualdus in lecto ſecure quieſceret, ille eum latenter aggreſſus, impiis cœpit digitis guttur ejus adſtringere, nitens eum crudeliter ſuffocare. Sed dum vir ſanctus necdum prorſus intercepto ſpiramine, anhelitu vix eluctante, raucirет, Ingelbertus ilico magiſtri ſingultibus excitatus, torrem mox ex ſopito igne corripuit, & miniſtrum diaboli ab incœpto nefandiſſimo crimine exturbavit.

Simoniacum abbatem perſequitur.

68. Poſt hæc Romualdus denuo Parentium navigavit, ſed apoſtolicæ ſedis Antiſtes & Romani cives, ut Romam rediret, legationem dirigunt: quo ſi reverteretur, facturos ſe omnia ejus præcepta promittunt: ſin autem, excommunicationis ſententiam comminantur. Hoc itaque modo ſuum Romualdum Italia recuperare promeruit. Eo itaque tempore in faucibus Callenſium [a] montium aliquamdiu manſit: deinde in Petranum montem, non longe videlicet à monaſterio ſancti Vincentii, quod juxta Candilianum conſtitutum eſt fluvium, commigravit. Quocumque autem vir ſanctus ibat, ſemper fructificans, ſemper animarum lucrum magis ac magis accumulans, & homines de ſæculo abſtrahens, velut totus in ignem converſus, ad cæleſte deſiderium animos hominum accendebat.

Parentio revocatur à Pontifice.

69. Volens autem tunc locum ad eremum faciendam idoneum invenire, præcepit cuidam presbytero, ut ad domum propriam rediens, ſibi & his, qui eum comitabantur, alimenta deferret. Deinde montem indagine ſtudioſa perluſtrans, poſtremo quemdam monachum juxta parvam baſilicam habitantem reperit: à quo mox ut ſecum pergeret, & locum oſtenderet,

Solitaria loca quærit.

a Callium, vulgo *Cagli*, civitas Umbriæ inter Cantianum & Boatium amnes, qui deinde Metauro miſcentur, dicta civitas S. Angeli-Papalis à Nicolao IV.

Digitized by Google

ANN. CH. MXXVII. JUN. XIII.

ubi aqua inveniretur, exegit. qui nimirum denegavit ſe domum ſine cuſtode poſſe relinquere, quia latronum inſidiantium impetum formidaret. Ad hæc Romualdus recompenſaturum ſe, ſi tale quid accidiſſet, cuncta ſpopondit. ſicque jam alienæ injuriæ debitor factus, monachum ſecum duxit. Illis itaque locum quærentibus, ecce preſbyter, ut juſſus fuerat, prandium deferens, furem jam domum infringentem reperit, repertum cepit, captum uſque ad Romualdi reditum cuſtodivit. Quem Romualdus intuens, prius illum pia ſtuduit verborum auſteritate corripere: deinde dulciter admonens, incolumem permiſit ad propria remeare. Sic nimirum, ſic divina providentia ſervavit illæſum, quod in abſentis Romualdi cuſtodia fuerat derelictum.

Furem increpat.

70. Rurſus dum in eiſdem partibus cellas conſtrueret, (erat autem ſarcina procul ab eis ſub quodam ſaxo repoſita) tunc vir venerabilis quemdam fratrem illuc quaſi cum quodam impetu propulit, præcipiens ei, ut nimis anxie feſtinaret. qui mox fures ſuperveniens, illos quidem jam eam rapere tentantes reperit, ſed nihil adhuc ex his, quæ repoſita fuerant, deeſſe cognovit. Qua ex re recte colligitur, beatum virum non ſine divinæ revelationis inſtinctu fratrem cum tanta ſollicitudine deſtinaſſe, ipſo videlicet puncto, quo fures ad rem non cuſtoditam contigit perveniſſe.

Abbatum mores non probat.

71. Poſt hæc Romualdus ad monaſterium Vallis de caſtro revertitur; moxque Abbatem ſic alios regere, ut ſemetipſum tamen nequaquam negligeret, exhortatur. Volebat inſuper, ut cellam, qua uſus fuerat, occaſione regiminis non omnino deſereret, ſed in ea ſibimet ſpiritaliter vivens, præcipuis tantum feſtivitatibus fratres admonitionis gratia viſitaret. Erat enim beato viro tam odioſa iſta, quam cernimus, Abbatum converſatio, ut non minus gauderet, ſi de manu cujuſquam abbatiam potuiſſet evellere, quam ſi ei datum fuiſſet potentiſſimum quemlibet ſæcularium ad ſanctæ converſationis Ordinem convocare. Sed, ſicut per Salomonem dicitur: Velut acetum in nitro, ita qui cantat carmina cordi perverſo: ille prædicatione venerabilis viri de malo deterior factus, Comitiſſas loci dominas protinus adiit, & ut ligna, quibus Romualdi cellæ debebant conſtrui, minutatim incidi præciperent, ſacrilega machinatione ſuggeſſit. Eo itaque modo alta paradiſi cedrus de terrenorum hominum ſilvis ejecta eſt.

Prov. 25.

Aquambellam incolit.

72. Inde vero progrediens, non longe ab Apennino monte in loco, qui dicitur [a] Aqua-bella, manere conſtituit. Illic igitur dum ſæculares quidam cum diſcipulis ejus habitationum tecta conſtruerent, Romualdus autem, quia jam præ ſenectute laborare non poterat, ſolus hoſpicium cuſtodiret; preſbyter quidam intolerabilem dolorem in dentibus ſentiens, opus ædificii invitus reliquit, & poſtulata à fratribus licentia, redire domum miſerabiliter ejulans cœpit. Cum vero per Romualdum tranſitum reverſionis haberet, interrogatus ab eo preſbyter cur abſcederet, mox caſum ſuæ paſſionis aperuit. Tunc Romualdus hianti locum, ubi patiebatur, digito tetigit, dicens: Ignitam ſubulam, ne labrum lædat, in calamum mitte, & hic pone: ſicque dolor aufugiet. Vix preſbyter unius jugeris ſpatio ultra progreſſus eſt, & confeſtim omni dolore depoſito, ad opus quod reliquerat, ſanus & incolumis repedavit, claris nimirum vocibus exclamans & dicens: Gratias tibi agimus omnipotens Deus, qui regionem noſtram ſplendore tanti ſideris illuſtrare dignatus es. Vere angelus Dei, vere propheta ſanctus, & lux magna occulta mundo, in finibus noſtris apparuit. Hæc & alia multa in Dei laudem vociferans, vix à beati viri diſcipulis tacere compulſus eſt. Nam ſi talia verba ad beati viri Romualdi aures qualibet occaſione perveniſſent, graviſſima cor ejus indignatione commoviſſent.

[a] Camaldulum Maurolycus interpretatur, forte ob Fontem bonum Camaldulo vicinum.

Digitized by Google

73. Alio vero tempore [a] magnam quamdam fagum, quæ prope cellam ejus adſtabat, incidi præcepit. Erat autem fagus ita cellæ acclinis & imminens, ut juxta humanam opinionem, ſi cecidiſſet, totum mox ædificium indubitanter obrueret. Cumque operarii vellent juſſa perficere, ſed ruinam arboris formidarent, ille ut nequaquam timeretur inſtabat. Itaque cum impactis circumquaque ſecuribus, in ipſa jam arboris viſcera veniretur, arbor autem ſuper beatum virum non jam dubie impetum minaretur; cœpere omnes rogare, & vocibus clamoſis vehementer inſiſtere, ut ſi cellam poſtponeret, ſemetipſum exiens conſervaret. Ille autem nequaquam eorum clamoribus acquieſcens, ut cœptum cito perficerent, diffinite præcepit. Poſtremo fagus graviſſimo ſonitu corruens, ita alioſum eſt ex divina virtute projecta, ut cunctis mirantibus, cella omnino manſerit illæſa. Omnes igitur tanto obſtupefacti miraculo, ad cælum voces tollunt, & immenſas Deo gratias referunt. Sed quid nos de divina circa venerabilem virum cuſtodia dicimus? cum & alios ſæpe per ejus præſentiam ex magnis ereptos fuiſſe periculis non ignoremus. Ex quibus unum hic memorare ſufficit, ut plures fuiſſe prudens lector agnoſcat.

a Fagi caſum interritus excipit.

74. Aliquando namque ipſe cum operariis manens, nimiæ magnitudinis ilicem in monte Petrano faciebat incidi: quæ videlicet arbor in prærupto montis declivio pendens, in ima vergebat. Ruſticus autem quidam paullo inferius ſtabat. Cum igitur præciſa arbor graviter corruens, per devexum montis volveretur in præceps, mox repertum ruſticum repentino impetu cœpit ad inferiora rotare. Cuncti protinus dolentes exclamant: & non ſolum eſſe hominem mortuum, ſed totum quoque dilaceratum ejus corpus exiſtimant. Sed ô divinam virtutem! ita mox ſanus & incolumis repertus eſt, ac ſi ſuper eum non arbor, ſed arboris folium cecidiſſet. Hinc jure perpenditur, ſancti viri meritum quantum apud Deum pondus habuerit, in cujus conſpectu graviſſima arboris moles pondus habere neſcivit.

Ruſticum ſervat.

75. Poſtmodum vero Romualdus cum Apenninum deſeruit, montem Sytriæ [b] habitaturus aſcendit. Cavendum autem ſummopere eſt, ne quis cum audierit, quia vir ſanctus tot loca mutaverit, pii operis pondus vitio levitatis adſcribat. Hæc namque mutationum ejus cauſa proculdubio fuit, quia ad venerabilem virum, ubicumque degeret, turba hominum pæne innumerabilis concurrebat. Ratio ergo poſcebat, ut cum unius loci ſpatium plenum habitatoribus cerneret, illic Priore conſtituto, ad replendum mox aliud feſtinaret. In Sytria vero quot contumelias, quot ſcandala à ſuis diſcipulis paſſus ſit, non eſt noſtræ facultatis evolvere. Ex quibus videlicet unum hic ponentes, cetera brevitatis ſtudio præterimus.

Sytrian adit. *b*

Cur tot loca mutaverit.

76. Habebat quemdam diſcipulum, Romanum nomine, qui nobilis quidem fuerat genere, ſed omnino degener actione. Hunc itaque vir ſanctus cum pro ſuæ carnis immunditia non modo verbis argueret, ſed ſæpe etiam verberibus graviſſimis coërceret, auſus eſt diabolicus vir titulum illi ejuſdem reatus opponere, & impudenter contra ſancti Spiritus templum ſacrilego ore latrare, dicens videlicet, ſanctum virum una ſecum ex eadem contagione peccaſſe. Mox itaque diſcipuli omnes adverſus eum irati, omnes infeſti, alii clamant ſenem impium laqueo debere ſuſpendi, alii dignum judicant, ut cum ipſa cella ignibus concremetur. Quod utique valde fuit mirabile, præſertim ſpirituales viros, ex decrepito ſene, & ultra quam centenario, tam nefarium ſcelus credere potuiſſe: cui, etiam

Falſo accuſatus.

a Huic Sutianæ lectioni addunt alii, *cum in quadam eremo valde ſpecioſa & egregia, cui nomen eſt Camaldulenſis, quam ipſe ædificaverat, in cella reſideret, magnam aliquam fagum, &c.* quæ verba explicandi cauſa videntur adjecta, maxime ſi Aqua-bella, de qua num. 72. ſit ipſa Camaldulenſis eremus, aut ſaltem Fons-bonus ipſi vicinus.

b Locus iſte prope Saxo-ferratum opidum in Umbria, vulgo *Sitrio*, ubi etiam nunc Camaldulenſium eremitorium, viris piis quondam illuſtre.

Digitized by Google

ANN. CH. MXXVII. JUN. XIII.

ſi voluntas adeſſet, natura tamen & frigidus ſanguis, ariditaſque attenuati corporis hoc penitus denegaret. Sed credendum eſt proculdubio, ad augendum ſancti viri meritum, hoc ſibi tam gravis adverſitatis cælitus accidiſſe flagellum. Nam & ipſe aſſerebat, hac in eremo, unde nuper abſceſſerat, veraciter agnoviſſe, & ad hoc dehoneſtatis improperium ſubeundum alacriter adveniſſe. Ille autem ſarabaïta reprobus, qui ſancto viro crimen intenderat, epiſcopatum poſtmodum [a] Nucerinum per ſimoniacam hæreſim, acquiſivit, & per biennium illum occupans, in primo anno ædem incenſam cum libris & tintinnabulis, ac ceteris ſacris ornamentis, exigentibus ſuis meritis, vidit: in ſecundo autem dignitatem cum vita, divina illum feriente ſententia, miſerabiliter perdidit.

Pœnitentiam ſubit.

78. Impoſuere itaque diſcipuli ſancto viro quaſi de commiſſo crimine pœnitentiam, & celebrandi ſacra myſteria penitus abſtulere licentiam. Quod ille præjudicium libenter amplectens, & pœnitentiam velut re vera obnoxius crimini obſervavit, & ad ſacro-ſanctum altare per ſex fere menſes accedere non præſumpſit. Tandem vero, ſicut ipſe poſtmodum eiſdem ſuis diſcipulis retulit, divinitus ſibi juſſum eſt, ut ſi divinam timeret gratiam perdere, jam indiſcretam ſimplicitatem poſtponeret, & ſacra Miſſarum ſollemnia fiducialiter celebraret. Poſtera igitur die ſacrificare incipiens, cum ad ſecunda Miſſæ ſecreta perventum eſſet, in ecſtaſim raptus, tam longo temporis ſpatio ſiluit, ut omnes qui aderant mirarentur. Interrogatus autem poſtmodum, cur in offerendo ſacrificium tantas moras præter ſolitum habuiſſet: Raptus, inquit, in cælum, oblatus ſum ante Deum, & continuo mihi divina voce præceptum eſt, ut ſecundum hunc intellectum, quem mihi Deus immiſit, Pſalmos exponerem, & pro modulo mei ſenſus chartulis per ordinem commendarem. Ego autem nimio & inenarrabili terrore conſtrictus, reſpondere nihil aliud potui, niſi tantummodo, Fiat, fiat. Unde poſtea vir ſanctus totum [b] Pſalterium, & nonnulla Prophetarum cantica luculenter expoſuit: &, licet corrupta grammaticæ regula, ſanum tamen ſenſum ubique ſervavit.

Pſalmos exponit.

79. Interrogavere eum aliquando diſcipuli dicentes: Magiſter, cujus eſſe ætatis anima cernitur, vel in qua figura ad judicium præſentatur? Reſpondit: Scio hominem in Chriſto, cujus anima delata eſt ante Deum ſplendida velut nix, humana quidem effigie, ſtatura vero perfectæ ætatis. Inquiſitus iterum, quis ille eſſet, indignans & confundens eos, dicere noluit. Mox diſcipuli rem ad eum, ut veraciter erat, inter ſe invicem retulere, & ipſum fuiſſe hominem certa manifeſtatione cognoſcunt. In Syria denique vir venerabilis per ſeptem fere annos incluſus manſit, & ſilentium continuum inviolabiliter tenuit. Verumtamen tacente lingua & prædicante vita, vix uſquam tantum laborare aliquando potuit, vel in convertendis hominibus, ſive ad pœnitentiam concludendis.

Septem annis ſilet.

80. Vivebat autem, vergente jam ſenectute, nimis diſtricte, videlicet cum jam & ipſi perfecti viri ſolent remiſſius vivere, & aliquid ſibi de ſui propoſiti rigore laxare. Nam per unius quadrageſimæ ſpatium nihil aliud, neque in cibo, neque in potu, penitus habuit, niſi de modica farina & paucis herbis ſorbitiunculam, ex qua ad imitationem Hilarionis vixit. Quinque vero hebdomadibus nihil aliud comedens, ad modicum ſe infuſi ciceris adſtrinxit: & ita Romualdus per multa alia vivendi genera quid ſua [c] virtus poſſet, per hæc & illa ſe jugiter exercendo tentabat.

Decrepitus rigide vivit.

a Romani hujuſce ſimoniaci meminit Ughellus in Epiſcopis Nuceriæ, quæ Umbriæ urbs eſt, Camellaria nuncupata.

b Hoc Commentarium, Romualdi manu propria exaratum, vidimus in Eremo Camaldulenſi.

c De Romualdi abſtinentia hæc habet Petrus Damiani in Opuſculi 15. cap. 16. *Sic æſtivi temporis hebdomadas alternabat, ut unam quidem à Dominica in Dominicam in pane & aqua jejunando tranſigeret: alterius vero hebdomada pulmentum quinta feria manducaret.*

Studebat

Studebat quippe diſcretus Chriſti miles ad novum ſe certamen ſemper accingere, & cum jamjam cadere videretur, adhibita mox miſericordia, vacillans corpuſculum relevare. Duo autem, vel etiam tria quandoque habebat cilicia propter naſcentem corporis importunitatem: quæ lavari nullatenus permittebat, ſed ea potius ad imbrem projiciens, poſt triginta dies mutare conſueverat. Novaculam autem numquam in ſuum caput patiebatur aſcendere, ſed ipſe ſibi perraro ſolebat excrementa capillorum & barbæ * forficibus attondere. Si quando vero cum ex aliquo eſculentiori cibo gulæ vitium titillaret, mox accurate illum præparari præcipiens, ori & naribus apponebat, & ſolum captans odorem, dicebat: O gula, gula, quam dulcis, quam ſuavis modo tibi ſaperet iſte cibus! Sed væ væ tibi, ex eo numquam guſtabis. Et ſic intactum ad cellarium remittebat. ANN. CH. MXXVII. JUN. XIX.

* al. forcipibus.

81. Sed quamquam vir ſanctus tantam erga ſe ſervaret auſteritatem, ſemper tamen hilarem vultum, ſemper ſerenam faciem oſtendebat. Nam frater quidam, Gregorius nomine, graviſſimum capitis dolorem ſe perpeti aliquando conqueſtus eſt. qui cum ad beati viri cellulam, ubi alii fratres tunc erant, cum nimia lamentatione veniſſet, mox ut eum vir venerabilis vidit, hunc dolorem nequaquam humorum inæqualitati, ſed inſidiis antiqui hoſtis indubitanter adſcripſit; & mox quaſi deridens eum, ut erat ſemper alacri vultu, per feneſtram cellulæ inſufflavit in ejus frontem, & ut ceteri omnes, qui aderant, ſimiliter facerent, innuit. Hoc autem facto, ita ſanatus eſt, ut nullum penitus ſentiret in ſuo capite doloris remanſiſſe veſtigium. Arbitror quod idcirco vir ſanctus hoc facere voluit, quia per Spiritum-ſanctum, qui in ejus pectore præſidebat, effugandum eſſe iniquum hoſtem doloris immiſſorem credidit. Ad evitandam vero propriam laudem, & ludum finxit, & ſocios quæſivit. Nam & Redemtor noſter inſufflaſſe legitur, cum Spiritum-ſanctum dediſſe Apoſtolis perhibetur. Curationes operatur.

82. Vir quidam capitis patiebatur inſaniam, ita ut ſenſu rationis amiſſo, vel quid ageret, vel quid diceret, funditus ignoraret. Huic Romualdus nihil aliud fecit, niſi quod ſolummodo oſculum præbuit, & protinus illum ad incolumitatem priſtinam revocavit. ſicque cum inquieto homine dum pacem fecit, ad mentis eum ſuæ pacem reduxit. Referebat autem poſtmodum ille, qui ſanatus fuerat, dicens: quia cum ſacra beati viri labia tangere merui, ſtatim prodire ex ejus ore quaſi vehementis auræ ſpiritum ſenſi, qui totam faciem meam, & ipſum denique ſinciput perflans, omnem cerebri æſtuantis ardorem protinus effugavit.

83. Alio quoque tempore idem, qui ſupra Gregorius, tam viroſam & marcidam tolerabat in cruribus ſcabiem, ut jam ex elephantiæ morbo crederet tam gravem prodire tumorem. Huic Romualdus hoc præcipuum medicinæ genus indixit, ut crura per tres dies frigida aqua perfunderet, promittens quia hoc modo ſanitatem priſtinam recuperaret. quod ille quidem adimplere ſtuduit, magis tamen neceſſitate juſſionis, quam recipiendæ fiducia ſoſpitatis. Mirum ſatis, & ſoli divinæ potentiæ referendum! confeſtim tibiarum tumor deponitur, virus omne ſiccatur, & penitus omni languore depoſito, frater ſanus per omnia redditur. Credi quoque rationabiliter poteſt, quia eodem Spiritu Romualdus diſcipulo, ut ter aquis tumentia crura perfunderet, juſſit, quo Eliſæus Naaman leproſum lavari ſepties in Jordane mandavit. Nonnulli tamen, carnales videlicet homines, eum malitioſe reprehendere, & ejus dicta vel facta non timebant levitatis vitio deputare.

84. Quidam namque ejus diſcipulus in alia procul eremo morabatur: qui propinquorum neceſſitati aliquando condeſcendens, pro eorum utilitate tandem, velut invitus, Romam ire quadrageſimali tempore acquievit.

ANN. CH. MXXVII. JUN. XIX.

Quod mox vir ſanctus per Spiritum recognoſcens, velut indignans, dixit adſtanti cuidam fratri, quod videlicet ille bonus vir pro hujuſmodi negotio Romam ire præſumpſit. Ille autem admirans, unde hoc magiſter cognoſceret, cum quo videlicet nemo aliunde veniens colloquium habuiſſet, rem ſollicite perquiſivit, & ita eſſe, ſicut vir venerabilis dixerat, comprobavit. Pergit ille ad alium ſuum condiſcipulum, videlicet Ingelbertum, qui incluſus manebat, & magiſtrum hæc dixiſſe, & ſine dubio prophetiæ Spiritum habere prorſus affirmat. Ille autem hoc deteſtans & penitus denegans, fratrem corripuit, & quia hoc falſum eſſet, imprecationis ſe vinculis obligavit, dicens: Si Romualdus hoc per prophetiæ Spiritum, & non magis per diabolum dixit, non me omnipotens Deus in hoc recluſorio perſeverare permittat. Dictum factumque eſt. Nam vix paucis diebus tranſactis, Ingelbertus, fracto recluſorio, ſine magiſtri licentia abiit, & eum in hac vita (ſicut dicitur) amplius non vidit.

85. Alius frater, Gaudentius nomine, abbatis videlicet hujus monaſterii ſancti Vincentii [a] pater, cum magno fervore converſus, ardentiori poſtmodum ſpiritu in Dei eſt ſervitio converſatus. Hic aliquando à beato Romualdo licentiam petiit, quia vellet cuncta jam pulmenta relinquere, & pane cum aqua contentus pomis quoque ſive crudis oleribus victitare. Hoc igitur impetrato, cum in eodem propoſito infatigabiliter permaneret, Tedaldus quidam alius frater, infirmitati illius indiſcrete compatiens, adire magiſtrum ſtuduit; & quaſi frater ille tam grave pondus portare non poſſet, hanc ejus obſtinationem frangi omnino debere ſuggeſſit. Romualdus autem, utputa vir ſimplicis animi, Tedaldi verbis aſſenſum dedit, & Gaudentio talis vitæ licentiam abſtulit. Ille vero indigne ferens, nequaquam amplius cum Tedaldo in eremo, in qua eos Romualdus poſuerat, paſſus eſt habitare: ſed Ingelberto, qui à Romualdo disjunctus fuerat, ſe ſubdidit, & ab eo conſenſum præfatæ converſationis obtinuit. Hic itaque Gaudentius non multo poſt tempore defunctus eſt, & in cœmeterio beati Vincentii juxta corpus Berardi venerabilis viri, qui æque Romualdi diſcipulus fuerat, eſt ſepultus. Romualdus autem, quia ille in prævaricatione inobedientiæ vitam finierat, orationem pro eo penitus fieri interdixit.

Abſtinentiæ nimis addictum, & inobedientem ut punit.

86. Aliquanto autem poſt tempore monachus quidam prædicti cœnobii, dum matutinam ſynaxim cum reliquis fratribus celebraret, repente tam acrem dolorem ſentire in dentibus cœpit, ut jam in choro ad pſallendum ſtare omnino non poſſet. qui protinus exiens, ſuper ſepulcrum ſe Berardi atque Gaudentii lamentando jactavit. Dumque ibi aliquamdiu jacens oraret, mox eum ſomnus oppreſſit. Ilico ſane videt Berardum ſacerdotalibus ornamentis ſplendidiſſime ornatum, & tenentem in manibus librum aureis litteris ſcriptum; ante altare ſcilicet ſtare, & Miſſarum ſollemnia celebrare. At cernit Gaudentium mærentem, demiſſo vultu poſt tergum Berardi procul manere, & velut excommunicatum, ſacris appropinquare myſteriis non audere. qui mox locutus eſt ei, dicens: Vides, frater, illum Berardi librum mirabiliter decoratum? ego quoque talem per omnia nunc haberem, niſi illum mihi, heu, heu, Tedaldus monachus abſtuliſſet. Statimque frater evigilans ſanus & incolumis, fugato omni dolore, ſurrexit: deinde lætus viſionem ſuam fratribus per ordinem retulit. Quod Romualdus audiens, ilico præcepit fratribus, ut jam Gaudentio fraternam caritatem impenderent, atque pro eo enixius orarent. Unde non ſine ratione colligitur, quod ille, qui privatus ſocietate Romualdi librum, quem meruerat, perdidit, jam ejus gratiæ reſtitutus, & orationibus ſublevatus,

[a] Petrus Damiani in lib. 6. epiſt. 32. mentionem facit de hoc (ut videtur) monaſterio beati Vincentii, *quod non procul à monte, qui dicitur Petra pertuſa, cernitur conſtitutum*. De eo item in lib. 7. epiſt. 15. item in Vita ejuſdem Petri, infra.

Digitized by Google

eumdem librum recuperare meruit : & quem Tedaldus non niſi per Romualdum abſtulerat, jam Romualdus orando pro illo cum omnibus ſimul fratribus reddidit. ANN. CH. MXXVII. JUN. XIX.

87. Aliquando vir venerabilis cujuſdam cauſa neceſſitatis in viam ire diſponens, uni diſcipulorum cellam commiſit, & uſque in ſuum reditum in ea illum manere præcepit. Ille vero temerarius, dum debiti honoris reverentiam magiſtro non ſervat, audacter in ejus ſtrato jacere non dubitat. Ecce autem in illa nocte maligni ſpiritus ſuper eum immaniter irruunt, graviſſimis eum verberibus atterunt, & projectum de lecto, pæne ſeminecem derelinquunt. Merito ſane tam ſuperbos ſuæ offenſionis ultores pertulit, qui in talem virum poſtpoſita humilitate peccavit: & dum pio magiſtro non exhibuit reverentiam, ex duris & impiis ſenſit manibus diſciplinam. Similiter poſtmodum venerabilis vir iter acturus, alium in eadem cella diſcipulum dereliquit. cui cum diſcipulus diceret: Magiſter, ego in lecto tuo non jacebo, quia quod alii contigit, mihi etiam conſequenter evenire formido. Ille reſpondit: Fili mi, jace, & dormi ſecurus. Ille enim in eo recubans, idcirco in manus inimicorum incidit, quia parvitatis meæ licentiam non accepit. Tu autem accepto conſenſu, in Deo ſpem pone, & ſine pavore quieſce. Qui videlicet in eo ſicut juſſus fuerat jacuit, & nullum omnino caſum adverſitatis incurrit.

88. Sæcularis quidam vir, Arduinus nomine, Romualdo ſe ad ſuſcipiendum ſanctæ converſationis habitum tradidit: deinde domum, ut ſua quæque diſponeret, remeavit. Cumque eum uxor ſua venientem vidiſſet, femineo nimirum furore ſuccenſa, exclamavit adverſus eum, dicens: Sic bone vir ab hæretico illo & antiquo ſeductore nunc venis, & me miſeram & deſtitutam omni humano ſolatio derelinquis? Quæ hoc dicto, protinus in amentiam vertitur, & ita furere & conquaſſari cœpit, ac ſi patenter à dæmonio vexaretur. Habebat autem vir ſanctus hujuſmodi conſuetudinem, ut ſi quando fratres in viam dirigeret, benedictum illis ſive panem, ſive pomum, ſeu quodcumque aliud daret. Unde diſcipuli, ut experti multoties fuerant, certum tenebant, quod ſi ex benedictione magiſtri cuilibet ægroto porrigerent ad ſalutem, illum incolumem redderent. Nam & ex aqua, unde manus ejus abluebantur, plures languidi ſæpe reſtituti ſunt ſanitati. Quod tamen cautiſſime oportebat fieri, ne ſi vir ſanctus hoc aliquatenus deprehenderet, in graviſſimam triſtitiam deveniret. Cum igitur diu femina miſerabiliter vexaretur, quidam fratres qui aderant, de benedictione panis quem à magiſtro ſuſceperant, ei particulam tradiderunt. quam cum mulier comediſſet, mox mente ſedata, ab omni redditur inſaniæ furore liberrima. Itaque protinus omnipotenti Deo, & Romualdo famulo ejus recuperatæ ſanitatis gratias retulit, & viro ſuo converſationis licentiam ulterius non negavit.

89. Alio quoque tempore puer quidam dæmoniacus ad beatum virum delatus eſt, cui ille nihil aliud fecit, niſi quod pro benedictione illi panis particulam tradidit. qua mox puer ille refectus, confeſtim à dæmonio liberatus eſt. Jure quippe poſtquam benedictio Romualdi male poſſeſſum corpus intravit, inde confeſtim maledictus ſpiritus cauteriatus exivit.

90. Numquam tamen diabolus à ſancti viri poterat impugnatione quieſcere: & quia occulta jam adverſus eum fraude nil poterat, non ceſſabat virus ſuæ malitiæ viſibiliter demonſtrare. Aliquando namque dum vir venerabilis in cella conſiſteret, ecce malignus ſpiritus, ut eſt re vera teterrimus, hiſpidus, horribilis, immenſum cœpit ſancto viro terrorem incutere, & cum nimio furore ac impetu mortem ei minitans intentare. Cumque Romualdus auxilium de cælo imperterritus quæreret, & ut ſibi Chriſtus ſuccurreret, fiducialiter exclamaret; mox antiquus hoſtis aufugiens,

Digitized by Google

Ann Ch. MXXVII. Jun. XIX.

ipſum cellæ parietem tanto iracundiæ felle percuſſit, ut gravem fagi tabulam unius cubiti ſpatio, vel eo amplius fiderit. In habitaculo igitur patenter oſtendit, quanta adverſus habitatorem flamma crudelitatis exarſit, & quodammodo ſcriptum reliquit in pariete, quod occultum gerebat in mente.

91. Aliquando etiam dum venerabilis vir cum ſuis diſcipulis equitaret, ecce malignus ſpiritus rubei canis effigiem ſimulans, cum magno impetu obviam irruit, & equum, cui inſidebat, ita ut pæne vir ſanctus excuteretur, exterruit. Interrogatis diſcipulis, ſi eum vidiſſent, exhorreſcentem quidem equum conſpexiſſe ſe aſſerunt, ſed nil tale eis apparuiſſe teſtantur. Ille vero ait: Miſer ille, qui olim præclarus Angelus fuiſſe cognoſcitur, nunc ſe immundi ſpecie canis oſtendere non veretur.

92. Rurſus alio tempore cum monaſterium ancillarum Dei, quod eſt in Valle-bona, conſtruere decreviſſet, diſcordia mox inter ſancti viri diſcipulos oritur, quia videlicet alii nolunt, alii vero ut fieret, vehementer inſiſtunt. Cumque ante venerabilem virum utræque diſſidentium partes, diverſa utentes allegatione contenderent, cœpit diabolus ante portellam cellæ quaſi malleo ſine ceſſatione percutere, & per reboantem ſilvam crebris audiebatur tunſionum ictibus inſonare. Deinde cum jam omnes monaſterium fieri unanimiter concordaſſent, ecce malignus ſpiritus cunctis audientibus ululare, plorare & flebiles non ceſſabat voces emittere. Poſtremo autem cum jam diviſi ad ſuum quiſque reverteretur hoſpitium, proſequebatur eos antiquus hoſtis cum tanta tempeſtate & turbine, ut quaſi omnia ventorum genera commovens, totam ſilvam radicitus evellere putaretur. Quidam vero fratrum increpans eum, dixit: Præcipio tibi in nomine ſanctæ Trinitatis, immunde ſpiritus, ut deſinas venire poſt nos. Et ita fugatus eſt. Jure quippe auctor diſcordiæ, compoſita pace, compulſus eſt in fletum prorumpere, qui prius audiebatur creſcente rixa gaudere; & quia tunc circulum vacui vaſis abſtrahere, & partes; quibus compactum fuerat, diſſipare tentavit; conſtrictis jam in vinculo pacis & caritatis compage diſcipulis, triſtis abſceſſit.

Sitrienſium monachorum vita.

93. Taliter autem nunc in Sytria vivebatur, ac ſi ex ſimilitudine non ſolum nominis, ſed etiam operis altera denuo Nitria videretur. Omnes ſiquidem nudis pedibus incedentes, omnes inculti, pallidi, & nimia omnium rerum extremitate contenti erant. Nonnulli vero obſeratis januis clauſi, ita mortui videbantur mundo, velut in ſepulcro jam poſiti. Vinum ibi nemo noverat, nec ſi etiam graviſſimam quis ægritudinem pateretur. Sed cur ego de monachis loquor, cum & ipſi monachorum famuli, ipſi quoque cuſtodes pecorum jejunarent, ſilentium tenerent, diſciplinas inter ſe invicem facerent, & de quibuſlibet otioſis verbis pœnitentiam flagitarent? O aureum Romualdi ſæculum! quod etſi tormenta perſecutorum non noverat, ſpontaneo tamen martyrio non carebat. Aureum, inquam, ſæculum! quod inter montium & ſilvarum feras tot cæleſtis Jeruſalem cives alebat. Cum vero ibi fratres jam tanti eſſent, ut illic in unum omnes habitare vix poſſent; tunc Romualdus monaſterio ibi conſtructo, & Abbate præpoſito, inviolatum ſervans ſilentium, Bifurcum ſeceſſit ad habitandum. Illic etiam volens Abbatem ſpiritualiter vivere, & rectitudinis iter tenere, multam ab eo paſſus eſt perſecutionis injuriam.

Bifurcum redit vir ſanctus.

94. Interea Imperator HENRICUS de ultramontanis partibus in Italiam [a] veniens, miſit beato viro deprecatoriam legationem, ut ad eum venire dignaretur, promittens ſe facturum quæcumque præciperet, ſi ſuum ei colloquium non negaret. Cumque vir venerabilis prorſus abnueret ſilentium frangere, cœpere unanimiter diſcipuli ejus omnes eum obſecrare,

Henricum R. adiens, ſilentium ſervat.

[a] Cum Henricus non ſemel in Italiam profectus ſit, Baronius hoc anno 1022. contigiſſe exiſtimat.

dicentes: Magiſter, vide quia nos, qui te ſequimur, tanti jam ſumus, quod hic congruenter habitare non poſſumus. quapropter ſi placet, ab Imperatore magnum aliquod monaſterium quære, & multitudinem te ſequentium ibi conſtitue. Quibus vir ſanctus, neſcio ſi accepta revelatione aut ſubita Dei inſpiratione, fidenter ſcripſit: Scitote quia Montis-amiati monaſterium ex dono Regis habebitis: conſiderate tantummodo, quem illic Abbatem conſtituere debeatis. Igitur inviolato ſilentio perrexit ad regem. cui Rex protinus aſſurgens, ex magno cordis affectu in hanc vocem erupit, dicens: O utinam anima mea eſſet in corpore tuo! quem mox, ut loqueretur, ſuppliciter obſecrans, ipſo die hoc impetrare non potuit.

95. Poſtera autem die Romualdo ad palatium veniente, ecce Teutonicorum multitudo certatim hinc inde concurrunt, capita ſalutantes humiliter flectunt, villos quoque pelliceæ veſtis, qua erat indutus, anxie decerpentes, pro ſacris reliquiis in patriam portaturi, ſtudioſe recondunt. quæ videlicet res venerabilem virum tanto mærore affecit, ut niſi diſcipulis obſtantibus acquieviſſet, ad cellam protinus repedaſſet. Ingreſſus igitur ad Regem, non pauca ei locutus eſt de reſtituendo jure eccleſiarum, de violentia potentum, de oppreſſione pauperum: & poſt multa unum ſibi pro ſuis diſcipulis monaſterium petiit. Cui poſtmodum Rex Montis-amiati monaſterium tradidit, & Abbatem, quia multis erat malis obnoxius, foras ejecit. Ubi vir ſanctus quanta adverſa perpeſſus ſit non ſolum ab eo, qui ejectus fuerat, ſed etiam ab illo, quem ipſe ex ſuis diſcipulis Abbatem conſtituerat, ille quidem perferre patientiſſime potuit, nos referre, etiamſi adeſſet facundia, non valemus. Sed qualiter illum Deus in cunctis adjuverit, uno exemplo monſtrare ſufficiat, ut prudenti cuilibet, quid etiam in reliquis evenerit, innoteſcat.

Ab aulicis honoratus Montem-amiatum obtinet.

96. Monachus quidam veſano adverſus eum furore ſuccenſus, pilum latenter exacuit, & id reponens, ut beatum virum interficeret, exſpectare congrui occaſionem temporis cœpit. Nocte vero dum depreſſus ſopore quieſceret, ecce videt malignum ſpiritum in ſe immaniter irruentem, qui retortam in collum ejus mittens, tanta ferocitate conabatur guttur ejus adſtringere, ut jam ille cogeretur funditus exſpirare. Tunc monachus in extremo jam ſpiritu poſitus, Romualdum ut ſibi ſuccurreret obſecravit. qui (ut monacho videbatur) protinus advolans, de manibus eum iniqui hoſtis eripuit. Hic igitur mox experrectus, ad pedes venerabilis viri proſtratus, advolvitur, ut alliſionem cervicis adſpiciat, deprecatur. Confiteri etiam crimen ſuæ malitiæ non veretur. Poſtremo conſervatæ vitæ ſibi gratias retulit, & pœnitentiam tanti reatus accepit. Et ita qui Romualdo vitam inſidiabatur eripere, jam per eumdem ſanctiſſimum virum & ſuam meruit conſervare; & cui inferre mortem ſtuduit, per eum ſuæ periculum mortis evaſit.

97. Habebat autem vir ſanctus conſuetudinem, cum monaſterium teneret, ut niſi cum jejunaret, ad communem menſam cum fratribus quotidie veniens, unum quidem pulmentum comederet, poſtmodum vero lectioni, vel quid etiam apud unumquemque ageretur intentus, de reliquis non guſtaret. Quadrageſimali autem tempore, niſi neceſſitate inevitabili cogeretur, in cella jugiter morabatur.

In menſa parcus.

98. Dum igitur prædictum cœnobium vir beatiſſimus regeret, quadrageſimali jam appropinquante jejunio, quærebat cum diſcipulis per vicina montium loca, ubi eremum facere potuiſſet. Dumque longas in quærendo moras protraheret, repente aquis undique circumfluentibus ita concluſi ſunt, ut nec ipſi jam redire, nec de monaſterio quiſquam ad eos poſſet aliquatenus tranſvadare. Vivebant autem ex aliquantis caſtaneis, quas ſecum detulerant. Cumque dies dominicus adveniſſet, & alia cibi ſpes

Quadrageſimæ tempore ſeceſſum quærit.

Digitized by Google

ANN CH. MXXVII. JUN. XIX.

nulla jam ſupereſſet, cœpere fratres pauculas, quæ remanſerant, caſtaneas deglubere, jam quodammodo credentes ultimum ex eis convivium præparare. Romualdus autem, ut erat ſemper alacri vultu, fidenter ait, quia niſi Deus ſibi panem per aliquem mitteret, ipſo die nullatenus manducaret. Diſcipuli vero mirantes inter ſe, in qua ſpe hoc ille præſumeret, certi tamen quia magiſter incaute aliquid vovere non poſſet, cibum jam tantæ ſollemnitati congruum cœpere fiducialiter exſpectare. Sexta igitur diei hora jam appropinquate, ecce tres viri onuſti pane & vino & aliis cibis, adveniunt, qui ſe de longinquis partibus cum multo labore ad eos perveniſſe dicunt. Tunc itaque ſpiritali omnes repleti gaudio, benedicentes Deum, pariter cibum ſumunt, & beatum virum per revelationem hoc penitus agnoviſſe indubitanter agnoſcunt.

99. Quodam tempore venit vir venerabilis Sytriam: qui cum adhuc jejunus eſſet, & fratres, utpote in arduis montibus, piſcem quem ei ad comedendum apponerent, non haberent, cœpere inter ſe quodammodo confuſi erubeſcere, & quid pro tam venerabili hoſpite parare potuiſſent, anxie cogitare. Tunc frater quidam, puto divinitus inſpiratus, ad ſiccum pæne rivum, qui juxta præterfluebat, cum feſtinatione cucurrit, ubi nimirum & aquæ exiguum erat, & piſcis illic viſus numquam penitus fuerat. Cœpit itaque frater Deum devote depoſcere, ut qui Iſraëlitico populo aquam potuit ex arida petra producere, ipſe ſibi dignaretur piſcem in arenti rivulo demonſtrare. Confeſtim igitur miſſa manu, in exigua aqua piſcem reperit, qui beato viro ad refectionem abundanter ſufficere potuit, Deo ſcilicet ſervo ſuo providente convivium. Inventum quippe eſt in ſaxeo & arido monte, velut in piſcoſa valle, vivarium. Sed quia de vita beati viri hæc, quæ nimirum pauca de multis dicta ſunt, ſufficere credimus, jam ad tranſitum veniamus.

Apud Vallem de caſtro ad mortem ſe parat.

100. Vir denique ſanctus permulta alia habitavit loca, & multa alia, præcipue à ſuis diſcipulis, perpeſſus eſt mala; plura quoque per eum ſunt facta miracula, quæ nos deſcribere ideo prætermittimus, quia longioris ſtili prolixitatem vitamus. Poſt cuncta igitur habitationum ſuarum loca, cum jam finem ſuum imminere conſpiceret, tandem ad monaſterium, quod in Valle de caſtro conſtruxerat, rediit, ibique appropinquantem obitum indubitanter exſpectans, cellam ſibi cum oratorio ædificari, *in* qua recluderetur, & ſilentium uſque ad mortem ſervaret, mandavit. Sane viginti annis, antequam vitam finiret, diſcipulis ſuis manifeſte prædixerat, quia in præfato monaſterio oporteret eum quieſcere, nulloque adſtante, vel funeris exſequias procurante, expediret eum ſpiritum exhalare. Facto itaque recluſorio, cum mens ejus in eo eſſet, ut mox includi deberet; cœpit corpus ejus magis magiſque moleſtiis ingraveſcere, & deorſum jam velut non tam languore quam decrepiti longævitate ſenii declinare. Nam à medio fere anno, nimia ſibi phlegmatis abundantia cum ipſo læſi pulmonis marcore defluxerat, & gravi eum tuſſis anhelatione vexabat. Non tamen propter hoc vir ſanctus vel lecto decumbere, vel in quantum poſſibile erat, ſoliti rigorem jejunii acquieverat relaxare.

Moritur centenario major.

101. Quadam igitur die cœpit paullatim corporis virtute deſtitui, & ingruente moleſtia gravius fatigari. Sole itaque jam ad occaſum vergente, præcepit duobus fratribus, qui adſtabant, ut foras exirent, & cellulæ poſt ſe januam clauderent, celebraturi vero ſibi matutinos hymnos, ad eum diluculo remearent. Cumque illi de ejus fine ſolliciti velut inviti exirent, non ſtatim ad quieſcendum properant; ſed magiſtrum, ne obire contingeret, anxii, pretioſi theſauri talentum prope cellam latentes, obſervant. Aliquamdiu igitur commorantes, cum deinceps curioſis auribus attentius auſcultarent, & neque motum corporis, neque ſonum vocis audirent; jam

Digitized by Google

quod evenerat, veraciter opinantes, impulſa janua velociter irruunt, lumen accendunt, & beata anima in cælum rapta, ſupinum jacere ſanctum cadaver inveniunt. Jacebat itaque velut neglecta cæleſtis margarita, in ſummi poſtmodum Regis ærarium honorifice reponenda. Nimirum qui ſic obiit, ut prædixit; illuc tranſivit, quo ſperavit. Vixit autem vir beatiſſimus centum viginti annis: ex quibus viginti expendit in ſæculo, tres duxit in monaſterio, nonaginta ſeptem in eremitico tranſegit propoſito. Nunc igitur inter vivos cæleſtis Jeruſalem lapides ineffabiliter rutilat, cum ignitis beatorum ſpirituum turmis exſultat; candidiſſima ſtola immortalitatis induitur, & ab ipſo Rege regum vibrante in perpetuum diademate coronatur.

102. Poſt ſacratiſſimum autem viri venerabilis obitum quanta miraculorum ſigna per eum Deus oſtenderit, quis quærat tranſacta legere, cum frequenter valeat & nova videre? Quia igitur ea, quæ apud ſepulcrum ejus fiunt, miracula tanta ſunt, ut melius putemus cuncta ſilentio præterire, quam pauca narrare; duo ſolummodo, quæ per eumdem beatiſſimum Confeſſorem alibi facta ſunt, ſufficiat vobis exponere.

103. Frater quidam, qui ſancti viri diſcipulus fuerat, parvam baſilicam pro anima ſua monaſterio dederat, ad quam videlicet baſilicam extremitatem manicæ præciſam ex beati viri cilicio miſit, & ſub altari honorifice recondi præcepit. quam tamen gerulus ſub altari, ſicut juſſus fuerat, collocare neglexit, ſed miſſam in rima parietis incaute dereliquit. Factum eſt poſtea, ut dæmoniacus quidam ad prædictam duceretur eccleſiam. Cumque adſtans in medio, huc illucque rotans caput, cuncta undique circumſpiceret, tandem torvos oculos in ipſum parietem terribiliter cœpit infigere, & intentus illuc, ubi ſancti cilicii jacebat particula, crebris non ceſſabat vocibus exclamare: Ille me ejicit, ille me ejicit. & ita clamans, protinus ab eo expulſus eſt. Hinc ergo jure perpenditur, quid per ſemetipſum apud divinam clementiam impetrare non poſſit, ante cujus breviſſimam veſtimenti particulam dæmon ſtare non potuit: & qui talia abſens exhibet, quid per corporis præſentiam non exercet?

104. Alio quoque tempore Caſtaldius quidam pauperculæ mulieri vaccam violenter abſtulit, & eam vociferantem, multiſque precibus obſecrantem audire contempſit. Illa protinus accurrens, duos gallinarum pullos ad eccleſiam, quam ſupra memoravimus, detulit, & eos ante altare projiciens, hujuſmodi verbis clamare flebiliter cœpit: Eho, ſancte Romualde, exaudi miſeram, ne deſpicias deſolatam, & redde mihi gubernatricem meam injuſte ſublatam. Mira res! vix adhuc villicus cum ipſa rapina per emiſſæ ſagittæ ſpatium à domo mulieris abierat, quod continuò percuſſus, vaccam in eodem loco dimiſit: deinde domum perveniens, protinus exſpiravit.

105. Poſt quinquennium vero à ſancti viri obitu, data monachis ab apoſtolica ſede licentia, ut ſupra venerabile corpus ejus altare [a] conſtruerent, Atho quidam frater ſilvam petiit, quatenus modicam capſam faceret, quæ ſancti Confeſſoris oſſa & pulverem tantummodo capere potuiſſet. Nocte igitur inſecuta, dormienti cuidam fratri venerabilis quidam ſenex apparuit. quem protinus interrogans, ait: Ubi eſt hujus monaſterii Prior? Quod cum ille ſe ſcire negaret, ilico ſenex addidit: Pro fabricanda capſa ire in ſilvam ſtuduit, ſed beati viri corpus in tam exiguum vaſculum non intrabit. Poſtera igitur die Prior, compoſita capſa revertitur, & mox à fratre, qui viſionem viderat, quæ illum cauſa ad ſilvam invitaſſet, inquiritur. Quod cum ille velut labore defeſſus dicere noluiſſet, ilico

Altare ſuper ejus corpus erigitur.

[a] Idem Petrus initio libri, qui appellatur *Gratiſſimus*, quoſdam beatos viros commemorat, *ſuper quorum veneranda cadavera ex Sacerdotalis Concilii auctoritate ſacra altaria ſunt erecta.*

Ann. Ch. MXXVII. Jun. XIX.

frater & ſui cauſam itineris retulit, & quod ipſe viderat, exponendo per ordinem non celavit. Defoſſo igitur tumulo, ita propemodum totum ſancti viri corpus ſanum illibatumque repererunt, velut tunc fuerat, cum ſepulturæ illud primitus tradiderunt, excepto quod tenuis quædam mucoris lanugo in quibuſdam ejus membris excreviſſe videbatur. Rejecta igitur modica capſa quæ facta fuerat, ilico vas aptum ad menſuram beati corporis præparant, & in eo ſanctarum reliquiarum patrocinia recondentes, deſuper altare ſollemniter conſecrant. Obiit autem vir beatiſſimus decimo-tertio calendarum Juliarum, regnante Domino noſtro Jeſu-Chriſto, cum Patre & Spiritu-ſancto, in ſæcula ſæculorum, Amen.

APPENDIX

De Guarino abbate Coxanenſi, & Oliba epiſcopo & abbate.

I. *In ſuperiori ſancti Romualdi vita inſignis mentio facta eſt de Guarino abbate Coxanenſi; qui Romualdum in Galliam adduxit cum Petro Urſeolo Venetiarum duce & Marino eremita. Multa jam de hoc Guarino dicta ſunt in Obſervationibus præviis ad acta Petri Urſeoli, quæ in præcedente Sæculo * relata ſunt. Ibidem etiam dictum eſt de origine monaſterii ſancti Michaëlis Coxanenſis, cujus abbas ſæculo decimo exſtitit Guarinus, & quidem ante annum* CM. LXXVIII. *ut ibidem obſervavimus. Explicatior de eodem Guarino ſeſe offert notitia in Chartario abbatiæ Bolbonenſis, quæ inter medias aquas in diœceſi Toloſana ſita eſt, eo ſcilicet in loco, ubi prius ſteterat cella ſanctæ Mariæ inter amnes * Hircium & ** Aregiam. Hanc cellam conſtruxit Lupus archidiaconus Toloſanus anno* CM. LXIX. *atque Coxanenſi monaſterio ſubjecit. In prædicto Chartario exſtat* Notitia quomodo Lupus archidiaconus ſancti Stephani ſedis Toloſæ dedit Deo & ſancto Michaëli aliquid de rebus ſuis. Ego igitur, *inquit ille*, in Dei nomine Lupus dono Deo & ad monaſterium ſancti Michaëlis archangeli & ſancti Germani confeſſoris de Coxano eccleſiam ſanctæ Mariæ. Eſt autem prædicta eccleſia ſita in pago Toloſano inter medias aquas Hircii & Aregiæ, &c. Facta charta ceſſionis hujus anno Inc. Dominicæ DCCCC. LXIX.

* pag. 876.
Origo monaſterii ſanctæ Mariæ inter medias aquas.
* l'Herce.
** l'Ariege.

Guarinus abbas.

2. *Poſt tres annos, facta eſt dedicatio eccleſiæ ſanctæ Mariæ, ut nos docet alia charta, ex qua hæc deſcribere juvat.* Anno DCCCC. LXXII. Indict. I. trabeationis Domini N. J. C. XI. Kal. Februarii, feria IV. juſſit Guarinus abbas Bernardo præſuli dedicare eccleſiam, quæ eſt fundata in honore ſanctæ Mariæ virginis, cum juſſione Hugonis pontificis ſedis Toloſæ, propter remedium animæ Luponi archidiaconi ſive primicerii ſancti Stephani, qui hanc eccleſiam vel ceteros alodes vel eccleſias tradidit Deo vel ſancto Michaëli archangelo, ſive ſancto Germano, monaſterio Coxano, &c. Facta carta donationis hujus XI. Kal. Febr. anno XVIII. regnante Leutario filio Ludvvici. *Annus* CM. LXXII. *ſecundum veterem calculum, at* CM. LXXIII. *ſecundum novum, qui annus Indictione prima inſignitus erat. Erat ergo jam eo anno abbas Coxanenſis Guarinus; immo (ut quidem videtur) præmiſſo anno* CM. LXIX. *quo primæ donatio loci cœnobio Coxanenſi facta eſt. Hujus rei teſtes ſunt litteræ Præſulum, qui anno* M. XXXV. *hanc donationem denuo confirmarunt.* Igitur nos in Dei omnipotentis nomine ſubſcripti epiſcopi, videlicet Guifredus ſanctæ ſedis Narbonenſis archiepiſcopus, & Bernardus præſul Toloſanenſis, & Petrus epiſcopus Gerundenſis, & Arnaldus epiſcopus Commengenſis, & Arnaldus epiſcopus Magalonenſis, & Oliba epiſcopus Alſonenſis, & Giffredus epiſcopus Carcaſſonenſis, & Bernardus præſul Coſeranenſis, & Berengarius epiſcopus Helenenſis, & Bernardus præſul ..... & Ugo nuncius domini N. Papæ, hanc conſtitutionem dotis, quæ facta eſt temporibus Garini abbatis bonæ memoriæ, ad utilitatem & honorem ſanctæ Dei genitricis Mariæ, cujus locus ab indigenis * Inter-ambas-aquas vocatur, omnes uno animo, unaque ſententia confirmamus, & quicquid ad prædictam eccleſiam ſanctæ Mariæ ubicumque pertinet, totum ſimul cœnobio ſancti Michaëlis, quod Coxanum dicitur, & abbatibus vel monachis ejuſdem loci, ut in perpetuum libere poſſideant, auctoritate pontificali nos ſtabilimus & confirmamus. Terminus autem de immunitate prædictæ eccleſiæ ſanctæ Mariæ incipit ab aquilone, &c. Concedimus etiam propter honorem Dei, & ſanctæ virginis Mariæ, & ſancti Martini confeſſoris Chriſti, ſanctique Quintini martyris, quorum eccleſiæ pertinent ex toto ad proprietatem prænominati cœnobii, ut qualiſcumque pœnitens ibi advenerit, licentiam habeat introeundi & orandi, & omne divinum officium

* Ambonlagues.

Nota.

Digitized by Google

officium audiendi. Addimus quoque, non excommunicando, ſed rogando & obſecrando, & per Deum omnipotentem admonendo, ut plus quam VI. caballerii non ſe jungant ad placitandum infra terminos prædictæ immunitatis ſanctæ Mariæ, &c. Datum in cœnobio prænominato, anno Inc. Dominicæ M. XXXV. æra M. LXXIII. Indict. III. ſub die IX. Kal. Julii, anno V. regni Aenrici regis. *Subſcribunt* ARNALDUS præſul, BERNARDUS * præſul, ARNALDUS epiſcopus Magalonenſis, GUIFFREDUS ſanctæ primæ Narbonenſis Sedis eccleſiæ epiſcopus, GUILABERTUS epiſcopus Barchinonenſis, OLIBA epiſcopus, BERNARDUS epiſcopus Biterrenſis, BERNARDUS gratia Dei * epiſcopus, STEPHANUS Agathenſis epiſcopus, PETRUS * epiſcopus, GUIFFREDUS Carcaſſonenſis præſul, BERENGARIUS ſanctæ Elnenſis eccleſiæ nutu Dei præſul, ERIBALDUS gratia Dei epiſcopus, DURANDUS præſul, AMELIUS epiſcopus Albienſis, WILLELMUS epiſcopus Convenarum. *Hac occaſione Guarini abbatis Coxanenſis, qui neſcio an idem ſit cum Guarino abbate Lezatenſi, qui nonnulla prædia ſuo monaſterio apud Barthas acquiſivit anno undecimo Lotharii regis, id eſt anno Chriſti* CM. LVII.

ANN. CH. MXXVII. JUN. XIX.

* Toloſanus.

* Coſeranenſis.

* Gerundenſis.

3. *Quod attinet ad Olibam, hunc eſſe putant Olibanum Comitem, quem Romualdus ad monaſticum inſtitutum adduxiſſe memoratur ſupra num. 18. fide accepta, ut cum eo in Caſinenſe monaſterium ſe reciperet. quod an exſecutus ſit, non liquet ex narratione Petri Damiani. Olibani Coxanenſis abbatis inſtrumentum ex codice Balbonenſi eruit noſter Claudius Stephanotius in hæc verba.* In nomine Domini ego Olibanus epiſcopus & abbas ex monaſterio ſancti Michaëlis de Coxano, & conventus ejuſdem loci, donamus nos cuidam clerico ſancti Antonini, nomine Amelio, quamdam eccleſiam, in honore ſancti Quintini pretioſi Chriſti martyris dedicatam, quæ eſt de jure ſanctæ Mariæ & ſancti Michaëlis de Coxano, ut eam ædificet, & ei ſerviat, &c. Facta carta donationis hujus anno M. XXXII. Dominicæ Incarnationis. *Hunc Olibanum fuiſſe epiſcopum Alſonenſem probant charta quadam cœnobii Montis-olivi. Eſt autem Alzona opidum inſigne in finibus diœceſeon Carcaſſonenſis & veteris Toloſanæ, modo ſancti Papuli. Ceterum Olibanus abbas laudatur in charta Raimundi Comitis, quam in ſuperiori Sæculo retulimus pag. 553. Plura de Coxanenſi monaſterio & de Guarino abbate, uti & de Olibano comite occurrunt in Marca Hiſpanica, quem librum eruditus Baluzius publici juris fecit.*

Oliba epiſcopus & abbas, an Comes.

DE TRANSL. RELIQUIARUM S. EUSPICII

PRIMI ABBATIS MICIACENSIS.

ANN. CH. MXXIX. JUN. XVII.

Ex mſ. cod. C. V. Vuionis Herovallii.

1. MONASTERIUM *Miciacenſe, quod modo ſancti Maximini nomen à multis ſæculis præfert, ſanctum Euſpicium conditorem agnoſcit, ut in ſancti Maximini vita in Appendice Sæculi primi diximus. Hic tamen Euſpicius in eccleſia ſancti Aniani, agente Euſebio Aurelianenſi antiſtite, ſepultus fuerat, quemadmodum in ejus Actis refertur. Cum enim ad tumulum deferretur corpus ejus, perſtitit immobile, donec ſolverentur omnes qui in carceribus erant conſtituti. quo miraculo, ait auctor ipſius vitæ, Deus demonſtrare voluit ſanctos Anianum & Euſpicium* æqualis eſſe apud ſe meriti, quos pares declarabat miraculo, atque volebat conjungi mauſoleo. Idem enim Antiſtes Domini, dum initio conſecrationis ſuæ urbem ingrederetur Aurelianorum, omnes perinde qui reatu proprio clauſi fuerant duris nexibus, ſolvit omnipotentis gratia. *Idem habet auctor vitæ ſancti Maximini, in Appendice Sæculi I. jam laudata.*

Euſpicius apud ſanctum Anianum ſepultus.

2. *Miciacenſes itaque ſui inſtitutoris Reliquiis privati remanſerunt uſque ad Roberti Francorum regis tempora; verùm cum pius ille Rex novam ſancti Aniani eccleſiam, vetere igne conſumta, ædificari curaſſet, & ſanctorum corpora, quæ in ſancti Martini eccleſia interim quieſcebant, in eam deferri juſſiſſet; ſollemni illi Tranſlationi multi Præſules affuerunt, quippe qui ad novæ eccleſiæ dedicationem indicto regio convenerant. Interfuit & Albertus Miciacenſis Abbas, qui hanc occaſionem nactus obtinendi aliquas ſui Patroni reliquias, eas à Rege petiit, & ab eo impetravit. Quænam fuerint eæ Reliquiæ, incertum eſt. Hubertus ſancti Aniani cantor & canonicus in hiſtoria, quam de ea eccleſia anno* MDCLVIII. *evulgavit, aſſerit brachium ſancti Euſpicii Alberto ex præcepto Regis traditum fuiſſe. Alias tamen præterea hujus ſancti reliquias Miciacenſes accepiſſe facile crediderim, præſertim cum feſtum peculiare iſtius ſuſceptionis occaſione*

Pars reliquiarum Miciacenſibus conceſſa.

Digitized by Google

ANN. CH. MXXIX. JUN. XVII.

inſtitutum legatur, quod in eorum Martyrologio ſub hoc titulo habetur menſe Junio: Suſceptio Reliquiarum ſancti Euſpicii.

3. *Mirum eſt autem Helgaudum, qui in vita Roberti regis hanc eccleſiæ ſancti Aniani dedicationem fuſius deſcripſit, immo & ipſam ſanctorum corporum tranſlationem, nihil tamen dixiſſe de iis reliquiis quæ Miciacenſibus conceſſa ſunt. quod ſane argumento eſt, non omnia ſemper ab auctoribus coætaneis eſſe repetenda. Porro huic tranſlationis hiſtoriæ miracula quædam ſubjecimus, quæ ex eodem codice mſ. clariſſimi viri Herovallii eruta ſunt, unde ſuſceptionis hiſtoriam deſcripſimus.*

INCIPIT HISTORIA.

1. LIBET præterea annotare ſcripto, quo tempore & qua cauſa exiſtente Reliquiæ beatiſſimi EUSPICII Miciaco fuere delata honorifice.

2. Conditoris omnium milleno vigeſimo-nono benigniſſimi CHRISTI JESU Salvatoris noſtri Incarnationis anno, Indictione duodecima, præſtantiſſimi confeſſoris *Aniani* baſilica diutino ædificata ſpatio juſſa eſt dedicari. Ad cujus conſecrationis diem à glorioſo Rege ejus baſilicæ reſtauratore *Rotberto*, regni ipſius anno trigeſimo-tertio, juſſione Imperatoria imprimis evocantur Archipræſules *Leutericus* Senonenſis, *Gauſlinus* Bituricenſis, qui & Abbas Floriacenſis, atque *Arnulphus* Turonenſis. Horum præſentiam ſubſequuntur præſules *Odolricus* Aurelianenſis, *Theodericus* Carnotenſis, *Bernerius* Meldenſis, *Rodulphus* Silvanectenſis; nec defuit etiam præſentia venerabilis *Odilonis* Cluniacenſium Abbatis: rector denique Miciacenſium pater *Albertus*, cujus reverendum caput nive dealbatum deſignat veræ ſpecimen innocentiæ, juſſus à Rege cum caterva ſuorum & ipſe adfuit monachorum.

Robertus Rex eccleſiæ S. Aniani reſtaurator. Dedicationi quinam interfuerint.

3. Nactus itaque nunc opportunum inveniſſe tempus expetendi beati Reliquias *Euſpicii*, ſupplex rogaturus Regem adiit cum fratribus ſuis, preces quorum nobiliſſimus Rex, qui etiam Miciacenſe cœnobium plurimum diligens optimis amplificavit bonis, faventibus ipſis primatibus Regis, inſuper ſtrenuiſſimo viro prædicti loci Decano domno *Tedelino*, cujus maxima apparent in Miciacenſi loco beneficia, quod petebatur, libentiſſime annuit. In craſtino autem die dedicationis, quæ eſt decimo-ſexto Kalendas Julii, fratres duo, quorum eſt nomen *Laterius* & *Odo*, juſſi ſunt à præfato Rege mitiſſimo & jam nominato reverendo Decano urnam in qua ſanctiſſimi *Euſpicii* corpus reclauſum fuerat, aperire, pallioque non minoris pretii, quo ſancta ipſius tegebantur oſſa, detegere, & partem Reliquiarum ejuſdem ſancti uti expoſtulaveramus accipere. Quod cum ſummo gaudio excipientes, ilico obortis lacrymis, pro pietate ſui & omnium noſtrorum Patroni, videlicet primi paſtoris Miciacenſis, erexit ſe ad eorum obtutus, quaſi pro benedictione filiorum, dextrum ipſius brachium. Quo viſo læti & trementes exinde illud attrahunt, quoque honorificentius poſſunt, quo paraverant recondunt.

Abbas Miciacenſis S. Euſpicii Reliquias à Rege impetrat.

4. Tectis deinde altrinſecus ſacris Reliquiis, & gratantiſſime partem quæ eis conceſſa fuerat, ſecum ferentes, recedunt, atque protinus nuncium dirigunt, quatenus fratres cum honore congruo longe eis occurrerent à monaſterio. Mandatis obſequentes fratres excipiunt Patroni ſui cum omni jubilo ſanctas Reliquias, ſicque cum laudibus & cum honore, quantum mortalibus conceditur, digno ad eccleſiam veniunt, omnipotenti Deo pro conceſſo deſiderio hujus beneficii devote reddunt immenſas grates ad laudem & gloriam nominis Chriſti, cui eſt cum Patre & Spiritu-Sancto æternus honor, par gloria per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

EJUSDEM SANCTI EUSPICII MIRACULA

Ex eodem codice mſ.

1. QUIA ſanctorum gloria eo amplius dilatatur & excreſcit, quo latius diffuſa propagatur; ne virtutibus eorum invidere potius quam delectari videremur, ſi quæ ab eis laudabiliter geſta tempore ſepulta ex negligentia ſub modio premerentur: quæ recenter geſta & ſub oculis omni laude digna glorioſiſſimi confeſſoris ſui EUSPICII Salvatoris clementia fidelibus ſuis contulit, ipſa cogit univerſitas litteris immortalibus alligari. A Patre itaque ipſius loci ubi hæc geſta ſunt [a] *Andrea* habentes exordium, quæ ſub ipſo & in ipſo mirifica contigiſſe novimus, non tam ſermonum venuſtæ ſobrietati, quam veritati indulgemus.

[a] Hic apud Sammarthanos dicitur annis 1171. & 1174. aliquas controverſias habuiſſe pro parochia de ſancto Ay, cum Manaſſe Aurelianenſi epiſcopo.

De quodam Abbate Andrea nomine, quem beatus Euſpicius ſanavit.

2. In inferiori quippe inguine periculoque viciniori, letali quodam affligebatur tumore, quo vehementius paullatim protuberante, ac ſi totum inguen ſibi ſubjici morbus ille decertaret; tali, inquam, infeſtatus incommodo, ipſo die ſollemni Aſcenſionis Dominicæ obſequentium fratrum manibus innixus, ad eccleſiam acceſſit; expletiſque ex more Miſſarum ſollemniis, cum vis morbi inceſſanter validior coaleſceret, ut vel levis tactus reformidantem offenderet, omniſque medicantium ars fruſtrata deperiret, ſedit tandem animo ſalubre conſilium non humani ingenii opem vel operam ulterius implorare, ſed totum ſe divinæ virtuti ſanctiſſimi confeſſoris Euſpicii interceſſionibus commendare; ſpem certam concipiens ſe citiſſimæ ſaluti poſſe reſtitui, ſi doloris vulnus divino tangi medicamine mereretur. Ad piam itaque ipſius petitionem * incomparabilis ille theſaurus noſter, dextera beatiſſimi Euſpicii, cujus crucis munimine roboratus, quo morbus validius ſe ſe infuderat, ſacro tactu liniri jubet. Jamque de ſalute ſecurus, ipſo die dum feſſa membra dolore aliquantulum mitigato optata quiete refovens impenſius obdormiret, tumor repente diſſolvitur, tenſa cutis laxatur, dolor excluditur: quodque intus latuerat putredinis, nimio fluxu ipſum dormientem excitat, & quod fide præſumſerat, effectu proſequente completum conſiderat. Sic demum ſanitatem pleniſſimam adeptus, Deo & interpellatori ſuo beato *Euſpicio* debitas atque innumeras grates retulit.

* *Suppl.* profertur.

De quodam puero elingui, ſanato.

3. Erat quædam muliercula villæ ipſius incola, cui Miciacenſe monaſterium præeminet; quæ licet in rebus tenuis & abjecta, naturæ tamen non invidentis fœcunditate ſibi perſpicua, filio ex partu ſuſcepto, adverſantis fortunæ ſolabatur triſtitiam, & in eo delectata eſt ut in omnibus divitiis. Cujus ſedula nutrix cum eum maternis affectibus tenerrime diligeret, & eo ſolo pignore ridiculæ paupertatis temperaret infamiam; cum jam plenis & capacioribus adoleſceret annis, ad cumulum infelicitatis, nubiloſior fortuna adjiciens pro prolis defraudatæ profectu fraudulenti inimici infeſtatione lingua infantuli, quæ jampridem plenam atque perfectam loquendi facultatem acceperat, ſilentii torpore ſopita eſt. Quo mater infortunio non mediocriter permota, quod ſolum huic malo remedium adhibere poterat, in plateis per coætaneorum conſortia filium paſſioni ſilentii ſubjectum mærens trahebat: ut, ſi forte ex induſtria obmuteſceret, conſimilium puerorum colloquiis invitata lingua facilius ſolveretur. At cum nullatenus vox, ſed ſolus riſus extorqueretur, non voluntariæ taciturnitatis cauſam, ſed impoſſibilitatis eſſe ſentit; jamjamque exſpes & mente jacens, quid ageret hæſitans & ignara, piis tandem condolentium ſuggeſtionibus acquieſcens, vehementer anxia, pro impetranda Salvatoris clementia ad memoratas glorioſiſſimi Confeſſoris *Euſpicii* reliquias avidius maturabat. Matri enim pro ſanitate filii ſolicitæ mors erat ipſa celeritas. Petit itaque ſupplex & devota, ut quod latenti vulnere inimicus inflixerat, ſancti meritis ac precibus redimeretur. Cum igitur infantulus ille elinguis deoſculata dextera, vinum, quod beatæ Reliquiæ immerſione ſua ſacraverant, deguſtaſſet, jam lingua palpitans & paullatim quodam modo ſtupendo ad alicujus vocabuli expreſſionem ſoluta, antequam clauſtra monaſterii mater cum puero egrediens excederet, ex integro quod amiſerat complevit officium.

DE V. ARNULFO ABBATE S. Petri in valle Carnotenſi.

Ubi de Magenardo ejus prædeceſſore.

Circ. Ann. Ch. MXXX. Martii die VIII.

1. MONASTERIUM *ſancti Petri Carnotenſis, quod ſæculo ſeptimo jam exſtitiſſe, & decimo in ſtatum regularem à quo defecerat, reſtitutum per Aganum Epiſcopum Carnotenſem ſuperiori ſæculo diximus, hoc etiam undecimo viris illuſtribus floruit. Quamvis enim violenta Abbatis Magenardi intruſio nonnihil hujus loci ſanctitatem labefactarit, non diu tamen perſeveravit illa tempeſtas, qua paullo poſt ſedata, locus ſplendorem ſuum ſtatim recepit; immo & in eo negotio enituit maxime monachorum S. Petri religio, quibus, ut ait*

Magenardus abbas ſancti Petri Carnotenſis

Digitized by Google

Circ. Ann. Ch. mxxx. Martii die viii.

Fulbertus epiſtola xxi. *ad Abbonem Floriacenſem abbatem*, horribilis ea res fuit.. divinæ legis zelo accincti libellum reprobationis fecerunt. *Quin & ad vio*lentum intruſi ingreſſum ſancti fratres, contaminari ipſius communicatione timentes, ſanctuario Domini ſalutato, cum lacrymis exierunt, atque refugium aliud neſcientes ad limina principalis eccleſiæ confugerunt: ibi quoque non invento Paſtore, utrinque deſertæ oves mæſtis ſeſe vocibus conſolantur. *Hanc labem expunxit poſtea Magenardus, monaſteriumque non ſine pietate & prudentia adminiſtravit. quod non ſolum ex variis donationum chartis apparet, quæ ſub eo facta fuerunt: ſed etiam ex eo quod poſtmodum à Rodulfo epiſcopo abbatia privatus, tandem poſt mortem Comitis Theobaldi, ob egregias ipſius virtutes in eam dignitatem reſtitutus fuerit. Id narratur in Haganonis libro, cujus verba licet Sammarthani fratres jam in Gallia Chriſtiana retulerint, præſtat hic iterum repetere.* Interea, *inquit*, orationis gratia Comes Romam perrexit, & inde rediens, in itinere peregrinus obiit, atque vehiculis deportatus, Carnotis in capitulo ſancti Petri ad pedes fratris ſui Theoderici cum magno fletu collocatur. Deinde Rodulfo Decano à Roberto rege in epiſcopatu ſublimato, amaritudinis zelus Comitis timore paullo ante ſopitus, vehementer in Magenardum Abbatem inflammatur, atque in tantum progreditur, ut baculo Paſtorali auctoritatis manu extorto, in domo Epiſcopi per dies aliquot commorari fecerint. Poſtquam vero inſtantem in orationibus, pernoctantem in vigiliis, luculentum in ſermonibus, pollentem in litteris eum animadverterunt, poſtpoſita lite, & paſtoralem baculum, & abbatiæ ſuggeſtum gratanti animo reddiderunt. qui quamdiu ei vitalis flatus comes fuit, pio amore oves ſibi commiſſas duplici victu affatim pavit.

Arnulfus fit abbas.

2. *Magenardo mortuo ſubſtitutus eſt à Fulberto jam Epiſcopo Arnulfus ædituus, ut refert laudatus Aganonis liber. Hic libello contra Magenardi intruſionem ſcripto ſubſcripſerat, ex Epiſtola* xxi. *Fulberti, multaque ſuperſunt ejus pietatis monumenta: è quibus unum eſt, quo ſtatuit, ut pro anima Roberti Rotomagenſium archiepiſcopi, qui multa bona monaſterio conceſſerat, Miſſa ſingulis hebdomadibus celebraretur, aliaque pietatis opera fierent. Chartam ea de re huc integram exhibere viſum eſt, quæ ſic ſe habet.*

In nomine Domini noſtri Jeſu-Chriſti. ego frater Arnulfus ſancti Petri Carnotenſis cœnobii licet indignus abbas, cum fratribus mihi commiſſis, notum eſſe volo noſtris ſucceſſoribus, quia pro charitate & multa benignitate quam noſtro loco & nobis impendit propter honorem ſancti Petri amplectendæ memoriæ archipræſul Rotomagi dominus Rodbertus, de eccleſia noſtri ſiquidem cœnobii, de qua omnem violentiam archidiaconi & ſucceſſorum ejus removit in perpetuum, ſicut in archivo noſtro continetur ſcriptum. quod quidem ipſe frequenter nominandus archipræſul domnus Rodbertus coram ſe ſcribi fecit, & nobis ſervandum perpetuo contulit: pro hac, inquam, benigna caritate notum eſſe volumus, quia gratanter conſtituimus atque ſancimus, ut pro anima ejus ab hac die in æternum, unus pauper quotidie pedes lavetur, reficiatur, vivens procuretur, mortuus ſepeliatur, oportunis diebus pſalmus in conventu plenario pro eo cantetur, *Exaudiat te Dominus &c.* per ſingulas hebdomadas Miſſa pro eo ſpecialiter celebretur cum plenario conventu. Multa enim alia præter hæc beneficia nobis largitus eſt, quæ omnia ſibi recompenſet manu benigniſſima, qui vivit & regnat unus Deus in Trinitate perfecta. Et ut hæc recompenſatio firma permaneat in ſæcula, manibus noſtris & nominibus confirmavimus, & in noſtro aureo textu ſancti Evangelii ad inviolabile teſtimonium poſteris noſtris ſcribi mandavimus. Arnulfus abbas, Ebrardus monachus, Beringarius decanus, Richerius monachus *& alii. Ipſius Rodberti Chartam, quæ eccleſiam de Fontinido eximit ab omni inquietudine, habetur in*

Digitized by Google

eodem Aganonis libro, eam vero ita liberam eſſe ſtatuit, ac Geſiaci cellam S. Petri Carnotenſis, *cui ipſa ſubjecta erat, id eſt* ab omni inquietudine tam Epiſcopi quam archidiaconi, tribus ſolummodo exceptis, videlicet ipſius eccleſiæ reconciliatione, olei & ſacri chriſmatis perceptione, & pœnitentium reconciliatione. quæ omnia ſicut opus fuerit ab Epiſcopo, cujus eſt diœceſis poſtulentur, & ab eodem gratis & abſque ulla præmii poſtulatione vel datione propter honorem ſancti Petri conferantur. *Cum Roberto ſubſcribunt epiſcopi ejus comprovinciales, Henricus abbas ſancti Audoeni, Archidiaconi duo, aliique viri tam ſæculares quam eccleſiaſtici.*

CIRC. ANN. CH. MXXX. MARTII DIE VIII.

3. *Tanti autem faciebat monachorum ſancti Petri religionem Hildegardis vicecomitiſſa Caſtriduni, ut in eorum clauſtro voluerit ſepeliri poſt mortem, ut, inquit pia mulier,* ſemper tranſeuntes ſuper meum tumulum orent pro me jugiter. *Ea de cauſa monaſterio ſancti Petri alodum de Bellomonte tradidit, cujus donationis chartam hic exhibemus.*

Hildegardis in monaſt. benefica.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus-ſancti, Catholicæ veræque matris Eccleſiæ, populis in Chriſticolis laus ſemper viget vigeatque perenne. Hoc autem digniſſimum juſtum quoque exſtat, quoniam eſt mater noſtra, Chriſti vero Domini noſtri ſponſa, quam acquiſivit ſuo cruore pretioſo. In ea enim renaſcimur per baptiſmatis lavacrum, ac in ea reſurgimus à morte animæ per pœnitentiæ luctum, & poſt vitæ terminum noſtra tumulantur cadavera in ejus atrium. Hanc Chriſtus ſupra fidem, quam confeſſus eſt fideliſſimus Petrus fundavit, dum Domino dixit: Tu es Chriſtus filius Dei vivi. Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus. ſunt vero beati qui catholice vivendo inhabitant ibi, ut David cecinit: Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te. His aliiſque quampluribus ſanctorum dictis ac ſacræ ſcripturæ myſteriis edocta & admonita, ego HILDEGARDIS vice-comitiſſa Caſtriduni do ſanctiſſimo Petro Carnotenſis cœnobii alodum meum de Bellomonte cum terris cultis & incultis, & ſilvis, piſcatoriiſque ibidem pertinentibus, aſſentiente & annuente filio meo, HUGONE Archiepiſcopo Turonorum, videlicet eo tenore, quo poſt exitum meum ſepeliar in clauſtrum monachorum, ut ſemper tranſeuntes ſuper meum tumulum orent pro me jugiter. Hoc viderunt & annuerunt Caſtridunenſes proceres, qui ſunt ſcripti ſubter. Si quis vero, &c. auctoritateque filii mei archipræſulis Hugonis anathematizatus permaneat. *Chartæ ſubſcripſerunt cum Hugone archiepiſcopo, alii quoque ex ejus cognatione, & ceteri, quos Hildegardis proceres Caſtridunenſes appellat.*

4. *Habentur præterea in eodem Aganonis libro aliæ chartæ, quæ in gratiam Arnulfi abbatis monachorumque ſancti Petri datæ fuerunt, ex quibus modo hic ſubjiciam unam Richardi Nortmanniæ Ducis, quam ſcilicet, utpote illuſtre principis hujus religionis monumentum, omittere non licuit. ſic autem ſe habet.*

Et Richardus comes.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ego RICHARDUS Normannorum comes humillimus, dum catholicæ religionis ſcripturam audiens per verba ammonitionis exponi, hujus tranſitoriæ perpetualiſque ſcilicet ſæcularis & cæleſtis conditionem acquiſitionis mecum tacitus reputarem quæ harum præſtantior firmiorque conſiſteret, tunc per divinæ illuſtrationem gratiæ iſthic fluctuationis motionem, illic vero ſtationis vocationem eſſe percepi. Deinde ſimili ratione in propatulo conſiſtit non humanæ ſed potius divinæ eſſe conceſſionis me tantæ imperioſitatis dominio ſublevari, nec ob aliud niſi ad ſanctæ matris Eccleſiæ defenſionem & conſtituendam juris publici normalitatem. His ita per rationis indagationem cognitis, veritus ſum ne illud evangelicum, Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidatur & in ignem mittatur, mihi infructuoſo deputaretur, ſi non per bonorum emolumentorum fructificationem cæleſtis

Rr iij

Digitized by Google

Circ. Ann. Ch. mxxx. Martii die viii.

acquiſitionis conſecutor fieri meruiſſem, nec ſanctæ Eccleſiæ congregationem probitatis exemplo ad meliora revocarem; ac memor illius quod dicitur, Habentes donationes ſecundum gratiam quæ data eſt vobis, poſſeſſionis mihi divinitus conceſſæ Deo portionem dari decrevi, quia qui in Chriſto theſaurizat, non ignorat cui congregabit ea. Quapropter cunctis Chriſti fidelibus innoteſcat, qualiter ego ſupradictus Richardus, pro animæ meæ parentumque meorum remedio, tradidi ſancto Petro Carnotenſis cœnobii & monachis ibidem ſervientibus quamdam hoſpitalitatis receptionem, cum terra ceteriſque ſuppellectilibus in villa Lereti, in comitatu Conſtantini, dicto Tethuillain, cum eccleſia & molendinis, omnibuſque appenditiis, ritu videlicet conſuetudinario, in priſtinorum loco decretorum perpetualiter exſiſtendo: & in comitatu Leſvin piſcatoriam in fluvio Tolca per ſabbati veſperum & diem Dominicum integrum; in Sequana vero cum dierum noctiumque continuatione à ſummo ſabbati diluculo uſque ad eumdem feriæ ſecundæ terminum &c. *Cum Richardo comite ſubſcribunt Gonoris ejus uxor & tres filii, tum Robertus Archiepiſcopus, Herbertus epiſcopus, Theodoricus abbas & alii.*

Arnulfi vitæ compendium.

5. *Huic Richardo à confeſſionibus fuit noſter Arnulfus, ut in ejus vita habet liber Aganonis, quam vitam poſt Chartas quæ ſub ipſo data fuerant compendioſe retulit; ac in ea non ſemel Arnulfus* beatus vir *appellatur. Eam hic exhibendam duxi, ex qua nempe facile erit cognoſcere, quiſnam tunc fuerit monaſterii ſancti Petri Carnotenſis ſtatus.*

EXpletis denique chartis ſcribendo quas novi eſſe profuturas, illas eſſe relinquendas exiſtimavi, in quibus rememorando nulla utilitas ad præſens putatur: verum de beato viro, ſcilicet abbate Arnulfo, ſub cujus diebus præfatas chartas novimus fore factas, cudere dignum duxi mala, quæ à domeſticis in ſenectute ſua paſſus eſt. Fuit enim à puero monachus, & ad plene monialibus ſtudiis eruditus, pudice agens adoleſcentiam ſuam, boniſque operibus quotidie exornans, meruit poſt Magenardum Abbatem à domno Fulberto Præſule ſacrari, & in regimine abbatiæ ſubrogari. Cujus vita & innocentia ea tempeſtate eo rutilabat, ut ab Odone Palatino Comite admodum diligeretur, atque Richardi Normanniæ Comitis Confeſſor fieret, cujus ſæpe honorificentiis fruebatur, inter quas eccleſiam ſancti Gervaſii & ſancti Protaſii cum appendiciis ſuis ei dedit: ſed inſatiabili avaritia quorumdam monachorum, quos ibi poſuerat, poſtea perdidit. Eſt enim ipſa eccleſia non longe à mœnibus Rotomagi urbis ſita; cumque ſingulis diebus in coquina Comitis, piſcium decimam à coquis ſeu à piſcatoribus, ſuper ripam Sequanæ ſupradicti monachi reciperent, non edere, neque Carnotis fratribus mittere gratum eſſe ducebant, ſed publice eorum pretium ab emtoribus accipientes, in ſuis conferebant crumenis. Ex quo opere ab omni plebe urbis oſi, apud Comitem fama pervolat, à quo etiam propter hunc avaritiæ morbum juſſi ſunt à loco egredi.

Injurias à ſuis patitur.

6. Abbas vero dum vixit, nullo modo tramitem Regulæ à quodam paſſus eſt deviari, ſed ipſo prævio omnes magiſtram ſequebantur Regulam, & opibus variis dietim affluebant in Domino; unde diabolus, invidens ſemper feliciſſimis actibus, per quoſdam eorum quorum leve erat ingenium, perſæpe immeritas actitabat beato & ſimplici viro injurias. Sed quia longum eſt ire per ſingulas, unam earum palam fieri volui, quam ei humani generis inimicus congeſſit per Vualterium monaſterii Decanum, qui quamvis in ſtudiis eccleſiaſtices honorabilis haberetur, tamen in exteris rebus cor facile ſequebatur. Is cum fautoribus ſuis apud Theodericum tunc temporis antiſtitem egit, ut à monaſterio pellerentur religioſi

Digitized by Google

& optimi monachi, EBRARDUS ſcilicet abbas Britogili caſtri, qui tunc aderat ibi, ac certis ex cauſis eo tempore abbatiam ſuam reliquerat, Gundfredus, Durandus, Ardfaſtus atque Ernaldus. Hi denique Regulæ vigorem cum abbate maxime fovere volebant; & eorum conſilio, ubi opus erat, abbas utebatur. Cum ad hoc denique ventum eſſet, Epiſcopus cum magna Clericorum & Laïcorum caterva ad monaſterium venit, & ante beati Petri apoſtoli ſedens altare, aurea vaſa eccleſiæ atque argentea, necnon & alia ornamenta in ſeris conſcribi juſſit. denique præfatos monachos à monaſterio abire præcepit. Abbas quoque pii Paſtoris ſequens veſtigia, teſtabatur quia ſi illos ejiceret, ſeſe cum eis profecturum, omnemque eorum laborem perlaturum. Epiſcopus vero ejus verba parvipendens domum ſuam rediit. CIRC. ANN. CH. MXXX. MARTII DIE VIII.

7. Abbas ergo die octavo cum prædictis monachis à monaſterio egreſſus, ab omni plebe cum fletibus proſequitur, & non parvo equitatu fretus, in Geſiacam cellam ſe recepit, ibique commorans per tres menſes, per Odonem Comitem poſtmodum rediens in abbatiam ſuam cum honore debito eſt receptus; in qua fere per triennium poſtea feliciter vivens, ſenex & plenus dierum, laborum ſuorum mercedem à Chriſto Domino recipere meruit ſine fine manſuram. Cumque humum foderent intra baſilicam beati Petri apoſtoli, videlicet ante altare martyris Laurentii, ad lævam quidem RODBERTI filii Comitis Richardi, nullum habentes ſarcophagum, inventus eſt ibi unus, ut opinor, à Deo paratus, miræ pulcritudinis, ac ſi eo die à latomis fuiſſet politus, atque beati viri glebæ aptatus, ibi membra illius poſita requieſcunt, ſecura de reſurrectionis gloria. Tertia vero poſtquam obiit die in viſione domno Ebrardo abbati, jam in abbatia ſua regreſſo apparuit, dicens ad eum: Frater dilectiſſime, ab hujus mundi turbinibus me erutum ſcias, nuncque felici requie perfrui: ſed hos quibus fui in odium, non diu eſſe gaviſuros. quod & factum eſt. Nam illorum pars in eodem anno abhac vita deceſſit, & quos vivos mundus detinuit, temporum viciſſitudo perturbata inclementer ac duriter ſemper eos tractavit. E monaſt. ſecedere cogitur. Obit.

8. *Arnulfi mortem ad annum* MXXX. *aut ſequentem referimus: nec enim ultra differri poteſt. ſi quidem anno* MXXXI. *Landricus ejus ſucceſſor memoratur. Quod vero ante hos annos è vivis exceſſiſſe dici non poſſit, exinde patet, quod in ejus Vita compendio quod edidimus, dicitur fere triennium poſt reſtitutionem ſuam in abbatia exegiſſe. at non ante annum* MXXVIII. *potuit expelli, ſi quidem id à Theodorico epiſcopo factum fuit, qui hoc ipſo anno Fulberto ſucceſſit. diem vero ejus extremum diſcimus ex duplici Necrologio abbatiæ ſancti Petri, quorum prius ſæculo* XI. *ſcriptum eſt, in utroque vero* VIII. *die Martii Arnulfi commemoratio occurrit. Porro licet nullum appareat epitaphii veſtigium ad ejus ſepulcrum, quod etiam nunc ante altare ſancti Laurentii exſtat, illud tamen ipſum quod ex veteri mſ. codice eruimus, hic adſcribere viſum eſt, in quo fere bis denos annos abbatem egiſſe dicitur. unde eum anno* MXI. *conjicimus regimen monaſterii ſuſcepiſſe circa Aprilem menſem, cujus menſis* III. *Calendas obiit Magenardus ex Necrologio laudato.* Mortis tempus.

EPITAPHIUM ARNULFI ABBATIS.

Hic jacet ARNULFI corpus venerabile patris,
  Spiritus interior tranſiit ad ſuperos.
A puero monachus Chriſto ſervivit alumnus,
  Extitit æditus, Cantor & egregius.
Ob vitæ meritum monachi petiere patronum,
Quos bene dum vixit bis denis rexit ariſtis.
Bis * binis luſtris bene rexit mœnia Petri,

* fere.

Digitized by Google

Circ. Ann. Ch. MXXX. Martii die VIII.

Nobilibus factis dans documenta ſuis.
Ante novem ſoles quam Phœbi lampade conjunx
Ferveret altus ovis carne ſolutus abit.
Non dubie ſanctus, cujus defoſſa ſepulcrum
Terra dedit vacuum, viſibus atque novum.

Ann. Ch. MXXXI. Jan. I.

VITA S. GUILLELMI ABBATIS DIVIONENSIS.

Auctore GLABRO RODULFO monacho.

Ex mſ. codice S. Benigni Divionenſis, cum alio & editis collato.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vitæ ſcriptores.

1. *INTER varios hujus ſeculi ſcriptores, qui beati Guillelmi res geſtas litteris mandarunt, duo præcipui ſunt qui id data opera præſtiterunt, alter Glaber Rodulfus monachus Cluniacenſis, alter Chronographus ſancti Benigni Divionenſis, uterque ſancti Guillelmi æqualis, ac forte etiam diſcipulus. Vitam Guillelmi à Glabro Rodulfo editam laudat Hugo abbas Flaviniacenſis in Chronico Virdunenſi tomo* 1. *Labbeanæ Bibliothecæ: ſed & eam à ſe conſcriptam fuiſſe agnoſcit Glaber ipſe in libro* 4. *Hiſtoriarum capite* 4. Necnon, *inquit*, prænominatus pater monachorum, fundatorque cœnobiorum eximius WILLERMUS, de quo etiam plura forent dicenda, niſi quod in libello quem de vita & virtutibus illius edidimus, prolata dudum fuiſſe noſcuntur. *Hunc Glabri Rodulfi libellum à Bollando ad diem* 1. *Januarii jam vulgatum, iterum hîc ex mſ. codice ſancti Benigni Divionenſis recudimus, cui adjungemus excerpta ex Chronico Benigniano ea continentia, quæ à Glabro brevitatis gratia prætermiſſa ſunt.*

Monachus.

2. *Guillelmi ortum ad annum* CM. LXI. *revocandum eſſe evidenter colligitur ex ipſomet Glabri libello, in quo obitum ejus anno* M. XXXI. *ætatis ſeptuageſimo contigiſſe diſertis verbis affirmatur. Totum vero pene vitæ ſuæ tempus in monaſtica vitæ exercitiis tranſegiſſe ex hoc probatur, quod vix ſeptimum ætatis ſuæ annum egreſſus, in cœnobio Luciacenſi veſtem monaſticam induerit; unde ſtrictioris diſciplinæ ſtudio digreſſus, in monaſterium ſancti Michaëlis, mox Cluniacum in Galliam cum ſancto Maïolo ſeſe recepit. Eſt autem Luciacum, ſeu, ut alii dicunt, Lucedium aut Locedium, vulgo* di Locedia, *antiquum ordinis noſtri cœnobium; quod primitus ſancti Michaëlis, poſtea ſancti Januarii appellatum eſt, ob eò tranſlatas ejus reliquias, à quo etiam circumpoſitum opidum ſancti Januarii nomen tulit. ſitum eſt haud procul à Vercellenſi urbe ad cujus diœceſim olim pertinebat. Hodie vero Caſalenſi epiſcopatui ſubjectum eſt in territorio Montisferrati. Ex Ordine Benedictino ad Ciſtercienſes primum tranſiit, ac tandem poſt varias fortunas ad clericos ſæculares defecit, ut obſervat Franciſcus Auguſtinus ab Eccleſia in ſua Hiſtoria Pedemontana cap.* 33.

Abbatis dignitas apud Divionem.

3. *Vigeſimo-nono ætatis ſuæ anno, hoc eſt* CM. XC. Indictione III. Guillelmus ordinatus eſt Abbas ſancti Benigni à domno BRUNONE epiſcopo Lingonenſi, *inquit Chronographus Benignianus, cujus ſententiæ præter privilegium Benedicti papæ, ut putant, ſeptimi, eidem Guillelmo conceſſum, obſtare videtur fragmentum quoddam Benigniani monaſterii hiſtoriæ manuſcriptæ, in quo eccleſia ſancti Benigni à Guillelmo incœpta anno* CM. LXXXII. *& omnino reſtaurata anno* CM. LXXXVI. *fuiſſe dicitur. verùm hæc tanti non ſunt ut à ſcriptoris gravis & æqualis auctoritate facile recedamus, maxime cum Glaber Rodulfus ſimul & Chronicum à Labbeo editum cum Chronographo Benigniano conſentiant; ac Benedicti Papæ privilegium, non Benedicto* VII. *ſed* VIII. *aſſignandum eſſe conſtet, quippe quod anno Chriſti* M. XV. *datum eſſe legitur apud Ughellum tomo* 2. *Italiæ ſacræ colum.* 996. *Illud habes integrum inferius ex ſchedis Benigniani monaſterii.*

Ejus virtutes.

4. Erat prædictus Willermus, *inquit Glaber in libro* 3. *hiſtoriarum cap.* 5. acer ingenio, & inſignis prudentia, idcirco ſummum in palatiis regum ac ceterorum principum obtinebat locum. *Ejus elogium paucis verbis, ſed quæ multis libris præſtantiora ſunt, complectitur beatus*

Odilo

Digitized by Google

Odilo ejus ſub ſancto Maiolo condiſcipulus, in libello ſcilicet de ejuſdem ſancti Maioli actis, ubi hæc habet: Et ut pace ſpiritualium artificum in eadem fabrica laborantium dicam, unus præcipue refulſit, qui nuper rebus humanis exceſſit, & qui plus nobis omnibus laboravit, domnus videlicet abbas Willelmus, de cujus clariſſimis actibus & vita laudabili & mirabili converſatione parvitas noſtra non ſufficit quod ſentit ad plenum referre. *Jotſaldus in Planctu de ejuſdem beati Odilonis obitu Vuillelmum ſimul & ipſum Odilonem iiſdem verſibus celebrat, quos infra in Odilonis elogio proferemus. Eumdem vetus auctor Chronici Fiſcamnenſis* liberalibus artibus apprime eruditum, atque diſciplinis eccleſiaſticis, cunctiſque ſpiritualibus officiis .... virtutum gratia imbutum & illuminatum *fuiſſe ſcribit. Hinc nullum ferme fuit in Romano Imperio monaſterium, quod Guillelmi cura non commiſſum fuerit. quorum nonnullis ipſe præfuit, aut diſcipulos ſuos præfecit: ceterorum vero abbates, qui jam illis praerant, ſuis exemplis ac monitis ad accuratam regularis diſciplinæ praxim adduxit.* Beatæ memoriæ, *inquit idem auctor,* Willelmus abbas ſuæ religionis affluentia totius partes Romani Imperii illuſtrabat, abbatumque multorum tepidos animos ſui fervoris imagine reformabat & accendebat. *Eum Sigebertus ad annum* M. XXVII. *recenſet inter abbates* nominabiles, *quorum opera* religio eccleſiaſtica *ſæculo* XI. *floruit.* In Francia quidem & Burgundia .... per Guillelmum Divionenſem ſeveritate reverendum. *Denique, ut habet Glaber loco laudato,* quodcumque monaſterium proprio viduabatur paſtore, ſtatim compellebatur tam à regibus vel comitibus, quam à pontificibus, ut meliorandi gratia illud ad regendum ſuſciperet. *Hinc ipſum quadraginta fere monaſteriis præfectum fuiſſe idem auctor aſſerit, quorum pleraque Chronographus Benignianus recenſet, videlicet præter Benignianum de quo agit, Verziacenſe, Beſuenſe, Reomaenſe, Tornodorenſe, Melundenſe, ſancti Arnulfi Mettenſe, ſancti Apri Tullenſe, Gorzienſe, Fiſcamnenſe, Gemeticenſe, ſancti Audoeni Rotomagenſe, ſancti Michaëlis in monte Tumba, ſancti Faronis Meldenſe, ſancti Germani Pariſienſe, Fructuarienſe, ſancti Amatoris prope Lingonas, ſanctæ Mariæ prope Saxonicum-fontem. quibus addit Glaber monaſterium ſancti Saturnini ad Rhodanum fluvium, quod modo in prioratum redactum eſt, monaſterio Ambroniacenſi ſubjectum. De his omnibus ſeorſim agere non vacat; at de Fructuarienſi, quod idem vir ſanctus in fundo paterno condidit, ac de Fiſcamnenſi in quo defunctus eſt, nonnulla Vitæ ſubjiciemus ex eorumdem locorum monumentis. De Benigniano vero & Beſuenſi potiſſimum ſcripſere Chronographi iſtorum monaſteriorum, quorum excerpta inferius proferemus.*

5. *At hic omittere non licuit locum egregium Vuiberti archidiaconi de ſancti Apri apud Tullenſes cœnobio, qui de ſancto Leone* IX. *in ejus vita ſic habet libro* I. *capite* 13. Moxque uti ſua erga ſanctum & glorioſum Aprum major erat devotio, domnum religioſæ vitæ & converſationis virum jam dictum (*cap.* II.) Guidricum ſub nomine Abbatis eidem præfecit cœnobio, voluntate & petitis domni Guillelmi ipſius loci tunc temporis venerabilis patris. *Denique Aimoini continuator lib.* 5. *c.* 47. *teſtatur, quod* dum monachi ſancti Germani à Pratis cœnobii ſæculari modo vitam ducerent, piiſſimus Robertus rex una cum uxore ſua, videlicet Conſtantia regina, accerſens domnum Guillelmum abbatem Divionenſis cœnobii, ei abbatiam dedit beati Germani, qui eam regulariter inſtituens, anno Domini M. XXX. *ſeu potius* XXXI. *annum à Januario menſe incipiendo, ut patet ex indictione* XIV. *littera dominicali C, feria* VI. *Calendis Januarii* vita deceſſit. *Quo die in Necrologio veteri Fiſcamnenſis monaſterii legitur,* Kal. Januarii depoſitio beatæ memoriæ domni Willelmi abbatis iſtius loci, & multorum monaſteriorum patris. *Die vero* 22. *Februarii notatur prima ejus tranſlatio, & obitus Johannis ejus ſucceſſoris, his verbis,* VIII. Kal. Martii Tranſlatio beatæ memoriæ domni Willelmi abbatis, ſimul & depoſitio domni Johannis abbatis, & ſui patris Rotberti. *In Necrologio ſancti Germani à Pratis memoratur* die Kal. Januarii, *ubi dicitur* domnus abba Willelmus nimia religioſitate ſollicitus. *De viris illuſtribus, qui ſub Vuillelmi magiſterio variis in monaſteriis ſuo regimini ſubjectis floruerunt, viſum non eſt operæ pretium hic agere, cum illi ſuis locis infra memorentur.*

6. *Porro etſi nullo publico cultu, quod quidem ſciamus, apud veteres ſanctus Guillelmus honoratus fuerit, illum tamen in faſtis ſacris ad diem* I. *Januarii, qui ejus natalis eſt, inter ſanctos inſeruerunt Arnoldus Vuion & Hugo Menardus in Menologio ac Martyrologio Benedictinis; quos imitati recentiores omnes,* ſancti *nomine donarunt: nec immerito, cum tanta præſto ſint ad illius ſanctitatem demonſtrandam argumenta, vix ut ulla pro quovis hujus ſæculi ſancto certiora reperiantur, nempe mortis præcognitio, miraculorum patratio, ac præ ceteris integerrima vita, ac regulæ monaſticæ obſervatio ſingularis. Hinc Glaber vitæ ejus ſcriptor, vir gravis & magnæ auctoritatis, capite ultimo, ſancti Guillelmi mortem* ad ſanctum deificum lumen tranſitum *appellat, obſervatque, quod notatu digniſſimum eſt, quæ in vivis adhuc agens operatus erat miracula, etiam & poſt mortem ad ejus ſepulcrum perduraſſe. Audiendus eſt in lib.* 4. *Hiſtoriarum c.* 4. Unum reſtat, *inquit,* quod novi ibidem (*in ſancti Guillelmi vita*) minime contineri. Migravit enim prædictus pater à ſæculo ad beatorum requiem in Neuſtriæ partibus, in Fiſcamnenſe videlicet monaſterio ... ſepultuſque eſt, uti tantum condecebat virum, in loco optimo ejuſdem eccleſiæ. Poſt aliquot fere dies contigit, ut puerulus ferme decennis valida confectus ægritu-

Memoria.

Miracula ante & poſt mortem.

Ann. Ch. MXXXI. Jan. I. dine ad ſepulcrum illius gratia recuperandæ ſalutis duceretur, ibique à parentibus dimiſſus; decubabat ſolus. qui ſubito reſpiciens, vidit ſuper idem ſepulcrum inſidentem aviculam, formam columbæ præferentem, quam diu intuens obdormivit; dehinc leni expletus ſomno evigilans, ita ſe reperit incolumem, ac ſi nihil ægritudinis perſenſiſſet. Suſcipiunt itaque læti parentes ſuum, fit omnibus commune gaudium.

Inventio tumuli, & Elevatio. 7. *Sancti Guillelmi corpus in majori Fiſcamnenſi baſilica tumulatum eſt*, in conſpectu euntium ac redeuntium fratrum, *inquit vitæ auctor, hoc eſt ante ſancti Taurini Ebroicenſis epiſcopi altare, quod hodie ſancti P. Benedicti appellatur. Ex hoc autem loco poſtmodum in ſacellum beatæ Mariæ Magdalenæ ſacrum (quo tempore, quave de cauſa ignoratur) ad latus Evangelii tranſlatum eſt, ubi hodieque in ſarcophago lapideo, tres pedes longo ac novem pollices lato, intra parietis cameram ad ſeptemtrionem incluſum adſervatur, cum hac in plumbi lamina inſcriptione, quæ anno 1638. detecta eſt.*

Abbatem plenum lector cognoſce dierum,
Nomine Willelmum, hic recubare ſenem.
Iſte loci primus paſtor præfulſerat hujus,
Quo ſtatuit multos dante Deo monachos.
Jani prima dies animæ nova claruit ejus,
Cui nova Jeruſalem obvia tota fuit.

Huic Inventioni occaſionem dedit nova in honorem ſancti Guillelmi à Comite de ſancto Martino & Agliæ Marchione conſtructa eccleſia, quam cum ejuſdem ſancti, quem inter Majores ſuos computat, reliquiis ditare in animo haberet, eas ab illuſtriſſimo Principe Guiſio abbate commendatario, agente in primis apud eum dominæ ſuæ nomine clariſſimo viro abbate Mondino, sereniſſimæ Duciſſæ à Sabaudia in Gallia Oratore, inſpici ac viſitari obtinuit.

8. *Hæc prima inſpectio in diem* XXVIII. *Octobris anni* M. DC. XXXVIII. *incidit, repertumque eſt ſancti Guillelmi corpus maxima ex parte, præter oſſa præcipua, in pulverem redactum, quo ad illuſtriſſ. abbatis Guiſii aures perlato, tumulum iterum aperiri juſſit, indeque quatuor oſſa ex ſarcophago, duo ſcilicet Duciſſæ à Sabaudia, altera duo monachis Benigniani tranſmittenda educi curavit, ceteris in arcam plumbeam una cum cineribus iterum incluſis, ac in prædicto ſarcophago reconditis. Hanc ultimam tumuli apertionem die* VI. *menſis Decembris ejuſdem anni contigiſſe diſcimus ex actis publicis, inter quæ occurrit decreta apud ſereniſſimam Duciſſam monaſterii Fiſcamnenſis nomine ſupplicatio, ut ſuis verbis ſancti Guillelmi canonizationem à ſede apoſtolica flagitaret. Sed res hactenus infecta remanſit.*

PRÆFATIO AUCTORIS.

1. DULCEDINE ſancti Spiritus præditis Patribus venerandis, ac diligendis Fratribus, ubique eccleſiarum Dei univerſalis documentis in caritativâ ſpe ſervientibus, monachorum infimus Rodulphus, tantillam obeditionis exhibitionem. Placere denique unanimitati veſtræ non diffidimus, ſi de vita vel converſatione veſtri omnium dilectoris, domni videlicet ſacerdotis atque abbatis Vuillelmi, prout divina pietas largiri dignata fuerit, poſteris mandare ſtuduerimus. Plura ſiquidem à nobis viſa, plurima tamen à veraciſſimis relatoribus comperta, hujus narrationis informabunt ſeriem. Idcirco communem fidelium virtutigenam obſecramus caritatem, ne ſimplex contemtui habeatur ſermo, neve pro vili caniſtro puræ reſpuatur ſimilaginis offa; cujus ſi prudenti manu exercitaretur materia, omnem valeret excludere inopiam, & ſoſpitatem conferre perennem.

INCIPIT VITA.

Guillelmi patria. 2. VIR igitur religioſus domnus Vuillelmus, quem pius Dominus Eccleſiæ ſuæ filiis paſtorem, ac juris ſuæ legis propagatorem conſtituit, natione quidem Italus: Avus. avus tamen ejus, Vibo nomine, militari induſtria clarus, gente Suevus fuit. Qui ſcilicet ob inimicitiarum ultionem, nativam relinquens provinciam, perrexit habitaturus Italiam, ibi-

Digitized by Google

que copioſe locupletatus opum gratiâ feliciter deguit. Hic ergo exſtitit genitor ROTBERTI, qui accipiens ſibi uxorem ex Longobardorum nobilioribus, nomine PERINZAM [a], quæ fœcunda prole filiorum, genuit ei etiam præ cunctis optabilem VVillelmum. Contigit namque ſub ipſo tempore illius nativitatis, BERENGARIO Longobardorum rege defuncto, ut OTTO Imperatorum maximus hoſtili manu omnem ſibi ſubjugandam peteret Italiam; qui comperiens prædicti Berengarii uxorem in quoddam caſtrum, ſitum in lacu urbis Novariæ [b], feciſſe confugium, atque cum eâ viros, quorum conſpiratio rebellis foret eidem Imperatori. Ad quod ilico divertens, cinxit illud ferocis obſidione exercitus. Erat enim prædictus Rotbertus in eodem caſtro cum propria uxore & liberis, cui etiam quique illorum cum ſua domina curam atque tutelam commiſerant ſui. Cumque diutius ab utriſque partibus acerrimè decertatum fuiſſet, cernens Imperator differri ſibi victoriam, tentans largitionibus munerum clam inflectere ſuorum hoſtium ſigniferum. Nam ſpopondit ei cum maximis donis etiam apud ſublimitatem ſuam celſitudinis locum, ſi ſuos deſerens illius parti faveret. Ille vero minime adquievit, utpote miles adjuratus, reſpondens ſibi optabiliorem fore proprii interitum corporis, quam ſacramentis aſſertæ fidei deſertor haberi. Poſt aliquot vero dies, habito invicem pacis conſilio, in deditionem gratis devenere Imperatoris. Tunc quoque iſdem Rotbertus, ut erat vir prudens ac ſtrenuus, ſuggeſſit Imperatori, ut filium, quem ei uxor ſua intra ipſius obſidionem caſtri pepererat, Catechumenum fieri per manum imperialem præciperet. quod ille libentiſſime annuens, ut monitus fuerat impleri mandavit, ac propria puerum ſuſtulit dextera, eique nomen indixit VVillelmum, quem ſcilicet poſtmodum Regina, conjunx illius, ex ſacro fonte ſuſcepit baptiſmatis.

Ann. Chr. MXXXI. Jan. I.

a Parentes Guillelmi.

b

E ſacro fonte à Reginâ ſuſcipitur.

3. Erat ergo, ut diximus, ejuſdem genitrix, non ſolum proſapia nobilis, ſed etiam morum honeſtate præcipua. Hæc ſiquidem referre erat ſolita de eodem puero hujuſmodi verba. Videbam me, inquiens, nocte quadam dalmatica veſte indutam, ſtatimque ſolis radius illuſtrabat mihi mamillam dexteram: dehinc vero apparuerunt quidam vultus gerentes angelicos; ipſique filium meum mihi abſtrahentes, altius efferebant eumdem infantulum claritate nimia circumfuſum. Ego quoque hæc nimio intuens pavore perterrita nil aliud quod dicerem, reperiebam, niſi tantum, ſancta Mater Domini Salvatoris tibi committo, cuſtodi illum.

4. Alia namque perplura optimi præſagii, quæ nos faſtidium vitantes reticemus, conſpicabantur in illo. Nam & habitudo tenerrimæ ætatis ita diſſimilis videbatur ceterorum, ut nimium admirabilis haberetur. Propterea uterque parens uno conſenſu ac voluntate, cum ſuorum omnium favorabili hortatu, Chriſto Domino vovere illum, in ejus domo aſſidue ſerviturum. Duxerunt autem illum, cum eſſet fere ſeptennis, ad monaſterium ſanctæ Mariæ, ſanctique archangeli Michaëlis in honore ſacratum, nomine Luciacum [c], in quo etiam veneranda habentur oſſa beati martyris Januarii: ibique juxta morem normæ regularis eum ipſius loci Abbati obtulerunt. Qui ſatis devote illum ſuſcipiens, ſacræ monachalis religionis etiam veſte induit. Hic nempe tradidit ei primos litterarum apices, atque hujuſce cuſtodiæ addidit præceptorem, cujus animum ſtupor invaſit nimius, quoniam velocitas ſenſus ſibi commiſſi pueri ad tantam proficiebat indaginem, ut univerſa priorum conſcholaſticorum ſtudia in brevi tranſcenderet ſpatio. proinde in admiratione non modica jam tunc tam Abbati quam fratribus ceteris habebatur.

Deo devovetur à parentibus.

c

In monaſterio eruditur.

a Ejus obitus ad Calendas Novembris notatur in Necrologio S. Germani à Pratis, his verbis: *Obiit Perenza noſtra amica, mater domni VVillelmi abbatis.*

b Aliæ editiones *Novitia*, mendoſe.

c Illud eſt monaſterium Lucedienſe, ſeu Locedienſe, de quo ſupra actum eſt anno 1016. ad Vitam S. Bononii ejuſdem loci abbatis.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXXXI. Jan. I.

5. Præterea in vicino monaſterio quædam anus, cujus erat maritus jam ſenior, congruum habebat domicilium, ad quod prædictus puer familiaris curæ providentia per dies ducebatur: in quo etiam aliquotiens quietis noctium gratia ſuſcipiebatur. Cum igitur prædicta anus eum aliquando diligentia fovendi in ſinu proprio brachiis complexa fuiſſet, mammæ, quæ laxis pendebant ac rugoſis pellibus, ſubito turgentes lac fudere uberrime. At illa, ut erat piæ mentis ac Deum timens, religioſis quibuſque ſagaciter intimare curavit, quoniam iſdem qui videbatur puer, excellentioris vitæ * ac dignitatis gratia eſſet augmentandus. In proceſſu namque temporis cum adoleviſſet, ac jam in Dei timore obedienter ſervire ſtuduiſſet, non defuere invidentiæ ſtimuli. quibus etiam ſæpius agitatus, conſtanter ſuſtulit illorum probra, in quorum profectum toto conamine laboraverat. Nam olim in Vercellenſi urbe primitus, poſtmodum apud Ticinum, ſub tuta cuſtodia regulas artis grammaticæ pleniter didicerat. Conſtituitur etenim divini officii aſſiduus cuſtos, ac ſcholæ capitalis illius loci. qui felici virtutum incremento, Deo favente proficiens, commiſſa eſt ei Secretarii cura atque adminiſtratio, necnon etiam totius ſupellectilis ſanctuarii, domi foriſque conſiliorum diffinitio.

* *Bolland.* diligentis vitæ.

Patrem ad monaſticam vitam inducit.

6. Cœpit interim cogitare, qualiter ſuum genitorem à fluctivaga iſtius ſæculi cura ſubtraheret, ac quod illi vitæ ſupererat ſecum in monaſterio pro æterna requie laborando conſumeret. Nam mater illius jam in pace obierat. Tunc nempe ſuaſit ei, ut mente tractaverat, & ille ſtatim dilecto obedivit filio, immo Deo, qui ei præſtitit talem. Sicque ſatis accurate cum plurimis donorum exeniis duxit illum ad monaſterium, ubi devotiſſimè à cunctis ſuſceptus, in ſanctæ converſationis habitu & ipſe devote vivens, non multo poſt, præſente filio, optimo fine vitam complevit.

Renuit ordinandus jurare Epiſcopo fidelitatem.

7. Interea petebatur promoveri ad diaconatus officium, qui revera ita obſequens exſtiterat inferiorum præceptionibus graduum, ut etiam ipſis Sacerdotibus imitabile foret exemplar ad iter arripiendum tutum. Sed prædictum monaſterium in Vercellenſis urbis epiſcopio ſitum, atque ejuſdem Epiſcopi ditioni ſubjacebat. Inoleverat etiam malæ arreptæ conſuetudinis uſus, ut nullus fratrum loci illius Levitici ordinis gradum prius ſuſciperet, quam ſeſe aſſertione jurandi promitteret ſervaturum fidelitatem Epiſcopo. Hoc quoque dum ſuggeſtum fuiſſet Vvillelmo, ut juxta *illorum* morem faceret, ut erat eleganter affabilis, reſpondens dixit ſe non poſſe ſalubriter reſpondere *, ut pro his quæ ſolius Dei imperio gratis præſtari deberent, horum miniſtro alicujus ſervandæ fidei aſſertionem ullo modo exhiberet. Quin potius, inquit, terribilem hujuſmodi aſſentatoribus Salvatoris ſententiam imminere. Atque hujuſmodi reſponſo prolato, omnino quod hortaverant facere diſtulit. Ilico nempe oppido ab hujuſce ſuaſoribus detractionum conroſionibus laceſſitur, ab ipſo Præſule *redarguitur*, ac veluti contumax ſui juris habetur. Ille vero talia pro *nihilo* ducens, ac magis magiſque in Dei ſe cultum adſtringens, ita ut pæne ipſi ſoli omnis cura ac ſollicitudo pſallendi, legendi, horarumque pulſandi die noctuque loci illius incumberet. erat enim caſtiſſimæ mentis & corporis, paratus ad omne bonum: ac meditabatur frequentius, ſi forte quempiam reperire locum valeret, ad quem tranſiens devotius præceptis regularibus inſervire liceret. Jam enim inibi fervor diſciplinæ regularis admodum tepuerat.

* *Boll.* perpendere.

Ideo vexatur.

Cogitat alio abire.

8. Proinde accepta quondam licentia orationis ac viſitationis gratia, ut ad monaſterium beati archangeli Michaëlis [a], quod ſitum conſtat in

[a] Hoc monaſterium non aliud videtur eſſe ab eo quod ſancto Michaëli ſacrum in Picheriani montis vertice duodecim à Ciniſio millibus ſitum fuiſſe legitur in Hiſtoria Pedemontana, quod jam à multis annis defecit à monachis ad Clericos.

Digitized by Google

altiſſimis jugis Alpium, pergeret. Qui dum ad montis radices deveniſſet, atque, ut eſt iter arduum, aſcendendi ad monaſterium jam pæne ſuperaret; ipſius equus, quem poſt ſe habena dextera injecta trahebat, ab anguſto tramite pede luendo paullulum devians excuſſa habena, quantum eſt illud immane præcipitium, totus ruit. Quod cernens vir Deo devotus, mente quidem exterritus, vultu tamen ſereno perrexit ad eccleſiam, orationi incubuit, ibique diutius ac ſi nil adverſi contigiſſet, oravit. Deinde vero exiens, miſit famulum ſi forte de equo aliter quam ſperare poterant contigiſſet, ut ei renuntiaret: qui egreſſus reperit eum in loco, ubi præceps ruerat, ſtantem incolumem, ita ut nulla omnino læſura in eo videretur, ſed neque in loris aut ligno ſedilis aliqua attritio appareret. Siquidem cum milliaria duo, & eo amplius à loco unde ruinam ceperat uſque in vallem ubi ſubſtiterat, computentur. Receptoque qui miſſus fuerat, equo, ei qui amiſit * reduxit. At ipſe gratias omnipotenti Deo referens, alacer ad monaſterium rediit. Quæ res geſta plurimis admirationem præbuit, atque indicium ſanctitatis.

* al. dimiſit.

9. Audierat, jam fama multiplici perſonante, monaſterium eſſe, cognomento Cluniacum, in partibus Burgundiæ, cujus ſanctitatis ordo, ac diſtrictio regularis, materque virtutum diſcretio, præ cunctis incomparabiliter viguerant ab initio; ad quod etiam ire, illud inviſere toto mentis flagrabat deſiderio. Contigit quoque dum hoc meditaretur agere, ut ſanctiſſimus abba prædicti loci MAÏOLUS, ſacra eccleſiarum loca ex more viſitans, ad cœnobium Luciacum diverteret. Quod cernens famulus Chriſti Vvillelmus, intelligenſque ſuum à Deo deſiderium compleri decretum, ſecretius acceſſit ad Dei virum, eique ſui pectoris patefecit arcanum. At ille nimium alacriter ſpopondit ei juvamen optabile ad omne quod in divini operis cultu decreverat exercere. Dehinc Romam pergens, perinde rediturus, ut ſecum ad diu optatum locum illum deduceret. Interim vero Vvillelmus deliberans prudenter de omnibus, quæ ad ſe pertinere videbantur, ac ſi in procinctu miles expeditus, ne forte ad fidei certamen ei properaturo res diu licenter uſæ, non neceſſitas parentum, aut ſpecioſitas carnalium fratrum, ſeu vici ac latifundia, atque caſtella eorum quæ perplura erant, non ſaltem pietas nativi ſoli, vel generalis amor cunctorum obſiſterent, ſed ut ab his omnibus liber, atque exoneratus viam mandatorum Dei, prout diſpoſuerat, currere valeret, totum ſe divinæ commiſit providentiæ. Regrediente igitur à Roma viro Dei Maïolo, memor uterque propriæ ſponſionis, ſuſcepit Vvillelmum in ſpiritualem Chriſti filiationem, ac duxit illum ad locorum ſanctiſſimum Cluniacum. Ad quod cum veniſſet, miſit ante ſe ex ſuis unum, denuntians fratribus, ut obviam ei ex more ornati procederent, quoniam excepturi erant quemdam ſecum advenientem, cui honor divinitus debebatur. Exceptus denique, ut ſanctus mandaverat, ſollemni apparatu, promovit eum honorifice cum conſilio fratrum; quippedum unà ſenſere in illo vitæ meritum. Nam & iſdem vir Dei Maïolus peculiare frequentius cum eodem Vvillelmo de his, quæ veræ ſalutis ſunt, exercebat colloquium. Jamque expleto in eodem loco plus minus anno integro, plus cunctis admirabilis, venerabiliſque, necnon honeſtioribus imitabilis habebatur. Tunc namque ſpiritualis Pater judicavit eum Sacerdotio fungi digniſſimum. Jam enim ſacratus fuerat Levitico miniſterio. at ille humiliter pavendoque ſe ſubtrahens, dicens ſe omnino non eſſe [a] dignum tractare tanti myſterii ſacramentum. Sanctus quoque nolens placorem animi ejus turbare, conſenſit ut voluit.

Cluniacum migrat.

[a] Sacerdotium recuſat.

[a] In Levitico gradu diu perſeveravit modeſtiſſimus Abbas. unde litteris Brunonis Epiſcopi pro Flaviniaco ſubſcripſit *Vvilencus Levita*: & in rotunda ſancti Benigni quam is exſtruxit eccleſia, hactenus idem nomen idemque titulus legitur. Fuit tamen poſtea ſacerdos ex prologo, ſupra n. 1. & infra n. 16.

Digitized by Google

ANN. CH. MXXXI. JAN. I.

a

S. Saturnini monaſterio præficitur.

10. Interea venit quidam frater præpoſitus cœnobii ſancti martyris Saturnini [a], quod eſt ſuper Rhodanum, precaturus ſanctum virum Maïolum, quatenus ei aliquem è ſuis commodaret, qui eum cum fratribus ſibi commiſſis ad ſalutis viam agnoſcendam inſtituere valeret. At vir miſericordiæ gemina conſideratione proſpiciens, unius videlicet juvamen, alterius quoque obeditionis probationem, domnum ei protinus commiſit Vvillelmum. Qui omnino nil dubitans aut renitens, perrexit humiliter ad Patris imperium ei obſecuturus, qui ad hoc venerat utilitatis animæ gratia. Habebat enim præfatus vir plures fratres ſecum ſimul degentes, una tamen voluntas omnium, par conſenſus, ſimilis operatio, modus orandi, ac pſallendi, atque edendi, & totus horum habitus caritatis gratia uniformis, Vvillelmo revera, ut ipſis convenerat, præceptore, Cluniacenſi ex more. Enimvero quidquid illorum erat peculii, communis in eccleſia eremus eſſe videbatur: atque iſdem poſtquam ad potiora Vvillelmus ſublimatus fuiſſet, referre erat ſolitus, nuſquam ſe locum optabiliorem reperiſſe ad eam, quam obtinere deliberaverat, pauperiem conſequi, vel extremitatem ſanctitatis.

Tum monaſt. S Benigni.

11. Memorabili igitur patri Maïolo ſub eodem tempore ſuggeſtum eſt à BRUNONE venerandæ memoriæ Lingonis pontifice, ut monaſterium egregii martyris BENIGNI, quod juxta Divionenſe caſtrum antiquitus veneratur, ad redintegrandum divini cultus ordinem, qui in eodem loco omnino defecerat, ſuſciperet, & ſicut per plurima cœnobia jamdudum agere conſueverat, ita & iſtud in melius reformare ſatageret. At vir ſanctus motus pietate, ad preces pontificis miſit continuo qui ad ſe reducerent Vvillelmum. Jam enim cum eodem fratre, cui illum commiſerat, annum & ſemis pie vivendo expleverat. Cui utique ad ſe revocato, prædicti ſancti Martyris monaſterii dulci imperio paternam ovilis Chriſti curam commiſit. Spopondit inſuper ut quidquid juvaminis ad ſpiritualis hujus negotii incrementum optaret, ipſe libenti animo æquipenderet. Epiſcopo nihilominus in Dei fide pariter & ſua conteſtatus eſt, ut illi more dulciſſimi Patris advocatus & cuſtos, adjutor atque conſolator in omnibus eſſet. Qui integerrima obſervatione monitui ejus obaudiens, ultra quam credi potuit illum in vita dilexit. Clemens igitur domnus Vvillelmus ad ſibi deſtinatum ſuſcipiendi ac regendi gratia monaſterium, miſſis cum eo à ſancto Maïolo quibuſdam ex honeſtioribus Cluniaci fratribus, ibique honorifice exceptus, atque ab eodem præſule Brunone monachorum Pater eſt ex more conſecratus.

Et Verſiacenſi.

Beſuenſi.

b

12. Cumque acerrime ac vigilanti ſtudio ſe ſibique commiſſos pro Dei amore diſciplinis regularibus ſubderet, non multo poſt commiſſum ei ab HENRICO venerabili duce monaſterium etiam Verziaci caſtri ex latere ſitum, ubi antiquus confeſſor Chriſti ſanctus requieſcit VIVENTIUS. Illud quoque, veluti primum, moderamine regulari erat deſtitutum, illoque in melius reformato, tertio nihilominus deſtituto, ac recta vivendi lege ſuper fontem Beſuæ poſito, Apoſtolorumque Principi ſacrato ab eodem Brunone pontifice conſtituitur pater. Erat antiquiſſimum, ac ſæpius paganorum ſeu peſſimorum quorumcumque hominum infeſtatione deſolatum. Ad hujus nempe redintegrationem dum toto conamine decertaret, contigit, ut prædictus Epiſcopus cum Comite [b] maximæ partis Burgundiæ VVILLELMO, qui etiam ejuſdem patris de quo ſermo eſt, extiterat affinitate propinquus, ipſo patre præſente, colloquium pacis haberet. Poſt cetera di-

a Modo prioratus eſt monaſterio Ambroniacenſi ſubjectus, vulgo dictus *ſaint Saurin*.

b Otto Comes, cognomento Willelmus ab Henrico Duce adoptatus, de quo Chronicum Benignianum paſſim. Benigniani monaſterii fuit advocatus, cui & Beſuenſi, Fructuarienſi, aliiſque locis ſacris multa bona contulit. Obiit anno 1027. in monaſterio ſancti Benigni tumulatus eſt, qui *promeruit*, inquit Chronographus, *ut ſemper memoria ipſius agatur ab hujus loci monachis*.

Digitized by Google

xit Præſul in aure Comiti, ut Abbati, utpote propinquo ſcilicet ſuo, leniter ſuggereret, ut elationem, ne forte pro virtutum gratia, vel rerum copia ſurriperet, caveret. Ille quoque reverenter accedens dixit ut monitus fuerat. Tunc pater Vvillelmus vultu alacri eidem Comiti hujuſmodi reſponſum protulit: Si, inquiens, cognoſcere potero, quod augmentum terrenarum opum vel poſſeſſionum unius tantum diei noſtræ vitæ protrahat ſpatium, perſuaderi non mihi poteſt quin ad horum extollar incrementum. Hoc autem reſponſum dum Comes retuliſſet Epiſcopo, admirati ſunt uterque ejus prudentiam, pariterque lætati propter humilem illius ſapientiam.

Ann. Chr. MXXXI. Jan. I.

Ejus humilitas.

13. Cum igitur fama ſanctitatis illius jam latius deferretur, Normannorum dux venerabilis illam comperiens RICHARDUS, miſit ad eum, reverenter ſupplicans, ut ad ſe veniret. qui tandem libenter, ut rogatus fuerat, pergens venit ad eum: à quo etiam, ſicuti decebat, honorifice ſuſceptus eſt. Cujus ſanctiſſimis cum recreatus, ut erat totius boni amator, Dux fuiſſet eloquiis, obſecrans illum ut eccleſiam ſanctæ & individuæ Trinitatis nomini & honori dicatam, in loco Fiſcamnenſi cognomento antiquitus conſtructam, à ſuo tamen patre Richardo honorificentius reformatam, ordine monachorum ſuſcipiens decoraret. Erat enim illic more vivens carnali, jugo ſoluta regulari, clericorum levis conciola. Cernens denique pater Vvillelmus illius animi devotionem, promiſit ſe cum Dei adjutorio illud, quod poſcebat, impleturum. Qui pariter venientes ad prædictum locum, ſatis ſublime ac ſollemniter commiſit ei iſdem Dux cum aliquibus Epiſcopis dominium, & curam regiminis totius loci. Tum vir Domini congregavit ibidem monachorum regularem catervam, ita videlicet perſonis numeroſam, ac bonorum ſtudiis copioſam, ut triplici ſui numero præteritorum numerum excelleret clericorum. Quod cernens jam dictus Princeps, multorum donorum ac poſſeſſionum largitionibus ampliavit locum. Monuit etiam tam Abbatem quam ceteros fratres ſæpius, ut ab illo peterent quidquid ſuorum utilitati expedire noſſent, utpote quoniam de hac re ſecundum velle provenerat ei & poſſe.

Monaſterio Fiſcamnenſi præficitur.

14. Interea cernens vigilantiſſimus Pater, quoniam non ſolum illo in loco, ſed etiam per totam provinciam illam, necnon per totam Galliam, in plebeiis maxime ſcientiam pſallendi ac legendi deficere & annullari Clericis, inſtituit ſcholas ſacri miniſterii, quibus pro Dei amore aſſidui inſtarent fratres hujus officii docti, ubi ſiquidem gratis largiretur cunctis doctrinæ beneficium ad cœnobia ſibi commiſſa confluentibus; nulluſque qui ad hæc vellet accedere prohiberetur. Quin potius tam ſervis quam liberis, divitibus cum egenis, uniforme caritatis impenderetur documentum. Plures etiam ex ipſis, ex cœnobiis, utpote rerum tenues, accipiebant victum. Ex quibus quoque nonnulli in ſanctæ converſationis monachorum devenere habitum. Cujus denique inſtitutionis labor nimium optabilem diverſis eccleſiis contulit fructum. Nam præfatum, ut dicere cœperamus, locum taliter clauſtris atque officinis regularibus, ceteriſque bonorum copiis adornavit, ut præ ceteris illius provinciæ felicibus ſemper floreat incrementis.

Scholas ibi inſtituit.

15. Contigit ergo poſtmodum, quatenus pars eccleſiæ beati martyris Benigni, cui, auctore Deo, primitus pater datus fuerat, ruinam corruens daret. Quam cum reformare cuperent artifices cæmentarii, graviorem pars eadem dedit ruinam. Quod cernens vir Deo devotus, intellexit divinitus ſibi dari indicium, quod totum à fundamentis renovari conveniret templum. Ilicoque ſummo mentis ingenio cœpit ipſius eccleſiæ reformandæ mirificum conſtruere apparatum: quam denique cum cœpiſſet reædificare poſitione mirabili, valde longiore ac latiore quam fuerat, ignotus tamen erat univerſis locellus, quo pretioſi martyris membra claudeban-

Templum S. Benigni reſtaurat.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXXXI. Jan. I.

tur Benigni, quia ſollerti cura taliter antiquitus fuerat reconditus, ut illo fiducialiter veneraretur Martyr per ævum, ubi felici morte occubuit propter Deum: ſed à quibuſdam incautis dicebatur etiam ibi non haberi. Cujus ignoratio rei nimium mæſtificabat animum patris Vvillelmi. Tali quoque defectu anxio revelatum eſt viſione pulcherrima per ipſum Dei martyrem ipſius honorabile ſepulcrum. Erat enim, ut beatus multorum ſanctorum deſcriptor miraculorum Gregorius Turonorum pontifex refert [a], pergrandis arca lapidei ſarcophagi continens illum. Pro cujus incredulitate narrat idem Sanctus alterum ſancti nominis Gregorium Lingonienſem epiſcopum acrius quondam fuiſſe increpatum. Cujus namque poſitionem loci antiqua vetuſtas occuluit. Nam coram præcipuo illius monaſterii altare profundius habebatur defoſſum memoratum ſepulcrum. Quod continuo requirens invenit, aperienſque illud contingere meruit ſacratiſſima egregii martyris oſſa, in cujus etiam cerebro, quod in deſcripta ipſius paſſione legitur [b], vulnus ferreo illatum vecte apparuit: quæ omnia integro numero præſentibus honeſtioribus tam Epiſcopis, quam ceteris diverſorum ordinum vel ſexuum cum odoriferis thymiamatibus, ac pſallentium choris, in eodem recondidit ſarcophago, indeque paullulum ad orientem illum amovens, in pulcherrimo atque incomparabili locavit tumulo. Dehinc namque Pater venerandus acriori accenſus devotione, reformandæ opus baſilicæ inſtanter, quemdmodum decreverat, accelerabat perficere. Quoniam, ut diximus, & præſto eſt cernere, totius Galliæ baſilicis mirabiliorem, atque propria poſitione incomparabilem perficere diſponebat.

Cujus ſepulcrum detegit.

16. Omnipotentis etenim Dei gratia in ipſo cooperante, cœpit illius fama ſanctitatis circum adjacentes ſeu longinquas penetrare provincias. Nam præſul Mettenſium Adalbero, reverenter ſatis illum evocans, commiſit eidem ſancti Arnulphi confeſſoris regendum ac meliorandum, ut agere conſueverat, monaſterium. Suſcipiens ergo illud brevi tempore reddidit emendatum. Tunc enim devota concepit mente, ut Apoſtolorum principis Petri ſanctiſſimi limina viſitaturus adiret. Stabiliens nempe cœnobia ſibi commiſſa idoneis Præpoſitorum ſeu ceterorum officiorum perſonis, ut decreverat, Romam orandi gratia perrexit. Viſitatis quoque ſanctorum ſepulcris, vel oratoriis, ſacris etiam Miſſarum per ſemet celebratis ſolemniis (nam præfatus Bruno epiſcopus ſacerdotium illi impoſuerat) cum apoſtolica benedictione conſolatus regreditur ad patriam, cœpit febricitans ægrotare. Jam jamque ad cœnobium ſanctæ virginis Chriſtinæ [c] perveniens, in lectum decubuit. qui paullulum convaleſcens Vercellis devenit, rurſuſque ibidem gravius periclitari cœpit. Tunc quoque, ut idem referre erat ſolitus, & etiam bonæ memoriæ GERBALDUS, almi patris Maïoli monachus, ac prædicti cœnobii ſanctæ Chriſtinæ abbas perhibebat, dum in eccleſia ſancti jaceret Euſebii præſulis, per quatuor vel quinque horarum ſpatia ita factus eſt exanimis, ut nullum omnino ſpiramen in ipſo cognoſceretur. Sed tamen ignoratur quid tunc divinitatis præſenſerit: quoniam paullulum in ſe reverſus, voce qua poterat, lingua palpitans, hæc perſonabat verba: *Domine Jeſu Chriſte rex æternæ gloriæ, ſuſcipe me, ſi placet, quoniam bonus es, non dubito ad te ex hoc corpore tranſire.* Sciendum vero eſt, quoniam iſtius mora ægritudinis, ut eventus rei ſubſequentis demonſtrat, non fuit impedimentum tantum quam gratia ſpiritalis lucri.

Monaſterium S. Arnulfi Mettis reformat.

Romam petit.

In reditu ægrotat.

[a] Scilicet libro 1. de Gloria Martyrum capite 51. Gregorii autem Lingonenſis vita habetur inter vitas patrum capite 7.

[b] Paſſio ſancti Benigni edita eſt à V. C. Franciſco du Boſquet tunc prætore Narbonenſi, in Hiſtoria eccleſiæ Gallicanæ.

[c] Monaſterium ſanctæ Chriſtinæ prope Ollonam, de quo exſtat Ludovici Pii diploma, in notis ad Capitularia & à Cointio editum tomo 7. ad annum 822.

17. Occurrentes

Digitized by Google

17. Occurrentes ei denique illuc tres ipſius germani fratres, levi evectione deduxerunt illum ad ſui juris prædia confovendum: ardenter enim deſiderabant videre illum, quoniam compungebat corda eorumdem divinæ abſentia pietatis. Convaleſcente quoque eo ab ægritudine, poſt aliquot dierum ſpatium convenere ad illum quique ſuorum ac plures domini civitatum vicinarum, & ſuadere illi cœperunt, promittentes ſe plura largituros, ſi in nativa patria cœnobium ſibi, ſicut in externa audiverant illum feciſſe, ædificàre inciperet. Tunc etiam, quod potiſſimum fuit, duo ipſius germani, videlicet Godefredus, atque Nitardus, viri ſpectabiles, ſecretius illum cum comite maximæ partis Burgundiæ Vuillelmo, qui etiam ejuſdem patris, de quo ſermo eſt, exſtiterat affinitate propinquus, adeuntes ſpoponderunt ſe ſæcularem relicturos militiam, ac ſe ſuaque omnia in omnipotentis Dei peculiare dominium devenire. His auditis Dei cultor ilico fiducialiter cœpit tractare de cœnobii, unde rogabatur, conſtructione: qui pariter communi conſilio & voluntate locum quærentes, rei hujuſmodi aptum reperere in rure paterno à Pado diſtantem flumine quaterno milliario, ſolitarium, cognomento Fructuarienſem. Ibi namque collocari præcepit baſilicam, quam præſente Arduino [a] rege cum aliquibus Epiſcopis ſacrari juſſit in honore genitricis Dei Mariæ, ſanctique Benigni martyris, atque omnium ſanctorum. In qua etiam iſdem Rex cum ſua conjuge & filiis humatus quieſcit. Ad quam nihilominus tam à Romana urbe, quam à diverſis partibus plurima congregavit ſanctorum martyrum corpora. Brevi namque in ſpatio temporis collecta eſt ibidem numeroſa fratrum congregatio Deum timentium, inſtituta beati Benedicti abbatis præcipui ſervantes, quæ iſdem pater Vuillelmus à ſancto Maïolo Cluniaci didicerat.

Fructuarienſe monaſterium condit.

18. Revertens igitur poſt hæc ab Italia, omni ſtudio ſatagebat è diverſis partibus terrarum colligere viros ſervituti Chriſti idoneos, ſuadendo eis vitæ cæleſtis gloriam, pariterque comminans inferorum ſupplicia. Tantam enim ei Dominus cum ceteris virtutibus virtutem ſalutaris verbi conceſſit, ut quibuſque doctrinam illius ſuſcipientibus ſummam conferret fidei firmitatem, bonarumque virtutum augmentum, ac vitiorum emendationem. Omnibus enim, ſicuti expedire noverat ſive leniter, ſeu aſperrime, caritative tamen hujuſmodi exhibebat. Contigit ergo illum aliquando cum viro per omnia deſiderabili, domno ſcilicet Odilone, adhuc illo in canonicali habitu degente, de vera animarum ſalute habuiſſe colloquium. Intelligens vero illum niti ad ſanctitatis culmina, cœpit illi attentius ſuadere, ut quod potiſſimum fore creditur, quantocius explere ſatageret. Negotiis videlicet ſæculi iſtius abjectis, Chriſtum-Jeſum ſequi liceret expeditius. Compunctus ilico vir clarus libenter ſe facturum promiſit, quod pater ſuaſerat Vuillelmus. Nam poſt paullulum ad cœnobium nominatiſſimum honorifice deveniens Cluniacum, ibique à ſancto Maïolo eſt devote ſuſceptus, atque in habitu ſanctæ converſationis monachus ex more ſacratus eſt. Cujus etiam converſatio in tantum exſtitit cara Deo, & dulcis Deum diligentibus, ut iſdem ſanctiſſimus Maïolus ſibi commiſſo gregi allegans illum in vita, qualiter poſt ipſius obitum haberent patrem atque paſtorem. Quod ita manifeſtiſſime & utiliter fieri contigit. Quam enim præmaximam exinde, dum adviverent, dilectionem inter ſe habuere, dum alter eorumdem alterum ſibi utrumque præferens, exprimi non valet. [b]

S. Odiloni perſuadet monaſterii ingreſſum.

[a] Defuncto Ottone III. Imperatore, Italici regnum Italiæ ad Germanos transferri ægre ferentes, Arduinum Eporædienſis Marchionis filium Regem ſalutarunt, quem Henricus Pius armis proſequutus primum ad vitam privatam, mox ad Fructuariæ monaſterium compulit.

[b] Multa hic in editis tranſpoſita ſuis quæque locis reſtituimus ope noſtri mſ. codicis.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXXXI. Jan. I. Pontificibus Roman. eſt acceptus.

19. Præterea pontificibus Romanis pater Vuillelmus, qui ſuo tempore præfuere, in tanta veneratione ac reverentia eſt habitus, ut quidquid illis ſuggeſſiſſet, ſive per ſe, ſive per aliquam legationem, libentiſſime implere ſtudebant. Nam & JOHANNEM Papam ſpiritualia dona per orbem, maxime Italicum, auri vel argenti pretio diſtracta minus curantem, tali invectione monere ſtuduit per epiſtolam, hæc continentem. [a] *Parcite, quæſo, parcite, qui dicimini ſal terræ, & lux mundi. Sufficiat hominibus jam ſemel Chriſtum fuiſſe venditum pro communi ſalute univerſorum. Jam enim refugæ veri luminis, ſolo nomine paſtores, ovile Chriſti, immo membra illius, videte poſt vos quo eunt. Si juxta fontem tepet rivus, in longinquum fætere nulli dubium eſt. Idcirco cura quibuſdam venditur ad ſuum interitum. Volo vos paſtores ac Pontifices omnes in commune judicis ſecurim geſtantis, ante januam aſſiſtentis memores.* Quam epiſtolam Papa libenter amplectens, grates ac benedictiones tanto Patri retulit, Deumque in illo glorificavit.

20. Sed & illud denique in eodem Patre fuit valde memorabile, quod multi tum etiam nobiles venenatis infecti verbis malorum, dum adverſus illum contumeliarum verba dicenda concepiſſent, ſeu jurgia ultionis vice referenda, ut ad conſpectum illius ventum fuiſſet, ſtatim mirabantur ſemet ab his quæ intenderant exprimere, alienatos fuiſſe; amiſſaque ferocitate rei præteritæ, quidquid id erat, totum procedebat ex manſuetudine. Heinrico ſiquidem Imperatori de eo ſuggeſtum fuerat, quod illi derogans, illumque contemnendum adjudicans, ARDUINI quoque parti, qui ſibi Italiæ regnum præripuerat, faveret, illumque pro poſſe defenſitaret. Ex hoc quippe viro Dei, quamvis ab re, iratus fuerat. Ille vero ut comperit, ad illum pergens, rei veritatem ſeſe purgando pandit, atque ſi quid erat odii à corde illius deterſit. In tantum etiam iſdem Imperator poſtmodum illum dilexit, ut illi dona largiretur plurima, & quidquid ab eodem vellet fieri, continuo impetraret.

Henricum Imp. ſibi conciliat.

21. Pari namque ratione Rotberto Francorum regi de ipſo indicatum fuerat, quod Brunoni prædicto Lingonum epiſcopo, qui Regi minus adquieſcebat, talia ſuaderet, quæ regali juri nimium reſiſterent. Ille vero ſimul & Regina conjux illius propter hoc illi irati, comminati ſunt aliquotiens cœnobiis ejus damnum inferre maximum. Adiens ergo intrepidus amborum præſentiam, ita illorum divini verbi virtute iram compeſcuit, ut etiam ſummam dignitatis gratiam apud illos obtineret. Nam cùm illorum filius, qui pro ſuæ juventutis elegantia ac liberalitate Hugo Magnus cognominabatur, jam in Regem unctus obiiſſet [b], ac parens uterque pro morte ipſius pæne uſque in ſuimet necem cordis dolore & luctu affligerentur; tunc acceſſit ad eos ſpiritalis medicus, & ait: „Non infelices enim „vos putare debetis, quod talem amiſiſtis: quin potius felices valde, quia „talem habere meruiſtis. Ego, inquiens, ex ullo hominum gradu non tam „pauciſſimos ſalvos futuros æſtimo, ſicut de Regum. Qui cum attoniti reſ„ponderent: Quid hoc dicis Pater? Reſpondit: Non audiſtis, inquit, ſa„cer Canon quomodo refert, vix tres de triginta Regibus bonos exſtitiſſe? „Idcirco ceſſate, quæſo, hunc juvenem flere mortuum, ſed potius congra„tulamini ei, ſicuti requiei datum & à malis liberatum. His dictis ita conſolans illos placabiles fecit, ut viderentur non habere quod plangerent, & Deum dicerent viſitaſſe illos per ſanctum virum.

Et Robertum Galliæ Regem.

[a] Præter hanc Guillelmi ad Johannem XVIII. ſummum pontificem epiſtolam, exſtat inſuper altera ad eumdem, qua monet eum, ne Eccleſiam Conſtantinopolitanam *Vniverſalis* nomen ſibi attribuere patiatur, quod quidem *Vniverſalis* nomen miſſa ad Johannem legatione Conſtantinopolitanos Patriarchas jam obtinuiſſe fama falſo vulgaverat. Hujus epiſtolæ, legationis, totiuſque negotii mentionem facit idem Glaber lib. 4. cap. 1. & Hugo-Flaviniacenſis in chronico ad annum 1024. ubi hæc altera epiſtola habetur, quam Vitæ ſubjiciemus.

[b] Hugo Roberti filius anno 1017. in regem unctus, obiit anno 1026. die 17. Septembris, ſepultus in eccleſia ſancti Cornelii apud Compendium.

Digitized by Google

22. Quorumdam etenim nomina aliquando interpretabatur, ſive ad profectum, ſive ad detrimentum ipſorum. Cum igitur poſt mortem Bertoaldi Tullenſis pontificis, qui ei monaſterium ſancti Apri confeſſoris commiſerat, eidem epiſcopatui quidam Hermannus præſul datus fuiſſet, ita cœpit exoſos hujus Patris habere monachos cum ſua inſtitutione, ut etiam honeſtiſſimum fratrem, Vvidricum nomine, qui poſt illum ejuſdem loci pater devotus exſtitit, cui tunc ceterorum cura imminebat, baculo verberaturus eum impegerit. Quod dum Patri relatum fuiſſet, ad nomen illius alludens, ait: Secundum ſuum nomen, inquiens, facit Epiſcopus iſte. Nam lingua barbara *Herman* in noſtra homo errans dicitur. Ac deinde: Si enim Chriſti paſtor fuiſſet, illius oviculas minime laceraret. Sinite illum: verus Paſtor novit, & ipſe quæ ſua ſunt colliget. Non multo poſt denique pergens in longinquum ſæcularia exacturus negotia, crudeliter obiit, peregrina potitus ſepultura. Hermannus Epiſc. monachos perſequitur, perit.

23. Simili invidia quoque Leo Vercellenſis epiſcopus ad actus univerſos iſtius patris exſtiterat infeſtus. De quo etiam talia narrare ſolitus. Hic ergo crudeliſſimus Leo totus eſt ſine Deo; quia ſi fuiſſet Deus cum eo, quæ illius ſunt amaret pro illo. Affirmabat autem poſt mortem & æternaliter illum eſſe damnatum. manifeſtiſſime ſiquidem in multis claruit, quoniam quiſquis illum odio habuit, exinde pœnas luit: ſicuti vice verſa, ſi quis illum dilexit, mercedem à Chriſto percepit illius auctore ſanctitatis. Et Leo Vercellenſis.

24. Fertilem igitur gratiam ac dona uberrima à bonorum omnium largitore Pater iſte promeruiſſe evidentiſſime paſſim claruit; ſed nos lectoris tædium caventes, plurima ſilentio tegimus. Erant namque tam monaſteria, quam cœnobia atque cellulæ monachorum circiter quadraginta, quæ illius patrocinio tute cunctorum bonorum affluebant copiis: fratres vero in ipſis degentes proculdubio plus mille ducenti. Quibus inerat fides integerrima, ut quamdiu id devote exercerent, quod ab eodem Patre didicerant, nil mundi hujus formidare debere, aut cujuſpiam ſuæ utilitatis rei indigentiam pati. Id ipſum enim ſuis ſæpiſſime inculcabat à Deo ſperare & credere, quod etiam plurimis probavere experimentis. Nam aliquando per diverſa terrarum euntes itinera, dum ex eventus facie perturbari potuiſſent, dicere erant ſoliti: Domine, in fide patris Villelmi fac nobis ſicut vis. Nec ullus illorum umquam hoc dicens ope caruit. Inſtituit quoque ſimplicioribus vel idiotis, è ſæculo ad ſe confugientibus fratribus, orandi formam, quinque modulis myſtice conſtantem: ut videlicet quot ſenſibus humani corporis Deus offenditur, totidem vocum clauſulis ad miſericordiam rogaretur. Erat autem hujuſmodi: *Domine, Jeſu, Rex pie, Rex clemens, pie Deus.* Subjungebatur vero ſingulis, *Miſerere.* Supputabatur namque taliter, ut ſi verbi gratia in decem-novennalibus articulorum juncturis, ter & quinquies idemtidem revolvendo devote diceretur, pſalterii tota ſeries mutuata perſolveretur. Unde etiam pro pſalterio apud illos habebatur, ut Pater docuit, & cognominabatur. Mortificatio nempe carnis, & abjectio corporis, ac vilitas veſtium, ciborumque extremitas vel parſimonia, in ſuorum univerſis, ac ſi naturaliter, viguit. Ipſius etenim ſermonis habitudo æqualiter cunctis, prout videbatur, in gratia erat condita. Pietati quidem & miſericordiæ expleri nequit quantum operis dabat. Cum ſupernæ dulcedinis nectare, artificialis etiam muſicæ perdoctus ac comtus dogmate, quidquid in pſallendo choris ſuorum pſallebatur, die ac nocte tam in antiphonis, quam in reſponſoriis, vel hymnis, corrigendo & emendando ad tantam derexit rectitudinem, ut nullis decentius ac rectius pſallere contingat in tota eccleſia Romana. Pſalmorum nihilominus concentum dulciſſimo ultra omnes diſtinguens decoravit melodimate.

Præeſt monaſteriis 40. monachis 1200.

In fide Guillelmi precantes exaudiuntur.

Rudes docet orare.

Officii divini cura.

Ann. Ch. MXXXI. Jan. I.

Monaſteria reſtaurata.

25. Erant igitur, ut diximus, ſub ejuſdem patrocinio tam maxima, quam minora perplura monaſteria atque cœnobia, quæ videlicet ipſe omnia aut à fundamentis innovavit, vel ampliando honeſtavit. Nam ſancti martyris Benigni, ut dicere cœpimus, cui Deo auctore primitus paſtor allegatus fuerat, baſilicam incomparabili opere pænè expletam, jam Brunone defuncto, Lambertoque in ſede illius ſubrogato, placuit ut eadem baſilica pontificali ex more benedictione ſacraretur. Tunc denique ad votum ipſius Patres convenere die deſignato è diverſis provinciis, non ſolum Epiſcopi, verum etiam quorumcumque ordinum promiſcuæ plebis innumera multitudo. Erat enim autumni dies tertius Kalendarum Novembrium, ante videlicet natale ipſius martyris. qui omnia rite ac ſollemniter, ut condecens erat, explentes, petierunt qui aderant Epiſcopi, ac quique religioſi patrem Vvillelmum, ut in die tantæ conſecrationis, tam ipſis, quam univerſæ plebi, inter ſacra Miſſarum ſollemnia divini eleemoſynam impenderet verbi. Ipſe vero, ut erat bonis omnibus obſequens, agere non diſtulit, ſed mente pia, corde contrito, vultu alacri, Spiritu-ſancto plenus

Eccleſia S. Benigni dedicatur.

In qua concionatur.

» in hæc verba cum lacrymis erupit. Conveniſtis fratres & ſorores, grex
» pretio Chriſti ſanguinis redemptus; conveniſtis, inquam, ad nuptias ip-
» ſius ſponſæ, matriſque veſtræ cæleſtis ac ſempiternæ Eccleſiæ, quæ idcir-
» co univerſalis dicitur, quoniam non ſolum quod in omnes mundi terminos
» dilatatur, ſed etiam pro eo quod nulla immanitas criminum illius ſuperat
» (ſi tantum fides adſit) dona miſericordiarum. Quæ ſcilicet Patriarcharum
» myſticis præſignata figuris, Prophetarum oſtenſa præſagiis, Apoſtolorum
» auctoritate ac labore conſtructa, & martyrum ſanguine conſecrata; in qua
» abluti ac renovati à culpa veteris piaculi per ſalutaris undam baptiſmatis,
» ſicque induimini prima ſtola angelicæ beatitudinis, quam amiſiſtis in
» tranſgreſſione parentis primi incolæ paradiſi. Deinde vero editis carnem
» ac potatis ſanguinem illius omnipotentis Agni, qui vos præ ceteris mundi
» creaturis formans, & redimens, invicta benignitate elegit ad ſui atque
» Patris regnum, ſanctique Spiritus gloriam poſſidendam, ad quam dilectiſ-
» ſimi tendere vos invito, moneo, obſecro, per caritatis ignem, & humi-
» litatis, atque caſtitatis continuam cuſtodiam. Gaudere, inquit, conti-
» giſſet mihi ex veſtræ unanimitatis devotione hujus ſanctificationis concur-
» ſus: ſed quia nimius mæror mentem deprimit ex ſignis ſatanæ, quæ eviden-
» tiſſime apparent in populo Dei: Non, inquiens, adſpicitis quibus eſt ad-
» huc mens ſanior, quæ ſciſſuræ & detruncationes veſtium rabidiſſimæ? quæ
» attonſuræ per cervices virorum? quam turpis in barba obripilatio maxil-
» larum? quam nugaciſſima pænè univerſorum & inſaniſſima actitatio?
» quam laſciva ad omnes pæne ſermones ore tetricrepo juramenta? *Iſta*
» etenim univerſa recentia & nuper craſſata, non ex religioſitate *Chriſtia-*
» *nitatis* * proceſſere, quin potius ex diabolicæ ſuperſtitioſitatis rabie emer-
» ſere. Exinde quoque pullulat radix omnium malorum ſuperbia, cetero-
» rumque vitiorum fomenta. Atque vos ipſi judicate, ſi non ipſius famuli
» eſtis, cujus inſignia & ſtigmata in vobiſmetipſis geritis. Nam & me pudet
» dicere dum pœnitet reticere, quoniam exſpectaſtis dulcedinem verbi, &
» ego propino vobis generaliter amaritudinem redargutionis. Moneo etiam
» illum, ſi quis eſt in tota hac plebe, qui vel quinque ſolidos, ſeu quippiam
» ad hujus ſancti martyris obtulit reædificandam muneris eccleſiam, quam
» præ oculis habetis, coram cunctis referat. Dum ergo non inveniretur quiſ-
» piam aliquid contuliſſe, rurſus ait: Videte, fratres amantiſſimi, inter
» quas ſpinas atque incendia peſſimorum hæc aula omnipotentis Dei per
» fidem ſui teſtis Benigni, ad quam elegantia excrevit, ipſo cooperante,
» faſtigia. Volo vos, ſi placet, aſſidue eſſe memores, quam velox unicui-
» que ſit mundanæ curæ & ambitionis depoſitio. Propter quod obſecro cum

* mſ. Chriſti bonitatis.

Digitized by Google

noſtri auctoris adjutorio reſiſtite vitiis, & maligno diabolo; virtutes quoque præclaras aſſumite & colite; benigniſſimo Deo Conditori ac Redemtori veſtro in cunctis obaudite, qui vos per fidem & orationes ac merita omnium fidelium ſuorum dignos faciat introducendi cum eis in ſempiternæ gloriæ regnum, per Jeſum-Chriſtum dilectum filium ſuum. Dumque ille ita peroraſſet, ac reſponſum ab omnibus fuiſſet, *Amen*; qui ſingultus, quantæ lacrymæ, qui gemitus per totam agebantur eccleſiam, exprimi non valet. Omnibuſque rite perfectis, cum gaudio quique rediere ad propria. Ex illo etenim die in eadem baſilica, præcipue ad tumulum glorioſi Martyris, factæ ſunt multimodæ curationes diverſarum infirmitatum, quæ etiam ob multiplicitatem ſcribi nequeunt. Sed etſi quis cum fide plena ſibi depoſcens quæcumque utilia, proculdubio adipiſcitur, ſi talis ſit ut promereatur Sanctorum meritis & orationibus. « An. Ch. MXXXI. Jan. I.

26. Nec prætereundum nobis videtur, quod dum patris Vvillelmi alloquio multi fuerint in mente recreati, plures etiam in corpore tactu ejuſdem redintegrati, oratione refocillati, viſitatione confortati, ac benedictione firmati: & quamvis nunc minus audiatur quod olim Chriſti ſequacibus uſui fuit, ſuſcitare mortuum; pauca tamen de pluribus, ut teſtati ſumus, quæ Dominus per iſtum operatus eſt dicemus. Revertenti namque illi quondam à cœnobio ſancti Viventii confeſſoris, cum jam adpropinquaret ſancti Benigni monaſterio, obviam habuit promiſcui vulgi turbam plangentem ac repedantem à ſpectaculo cujuſdam miſerrimi, videlicet ex ejuſdem ſervorum familia ſancti Benigni, quem magiſtratus crimine convictum, morteque ſuſpenſionis patibuli adjudicatum deliberaverat. Quod audiens vir miſericors miliario diſtans à loco, dimiſſo equo illuc quantocius occurrens, hoc tantum dicebat: Jeſu, Jeſu, qui pepercisti latroni in cruce, miſerere. juſſitque ſuis velocius infelicem illum, quem cernebant è trabe pendere, jam rigentem deponere: ipſe vero toto proſtratus corpore orationi incubuit. At illi ſolventes lora guttur illius arctantia, exanimis in terram cecidit. At quem accedens vir pius, ait: Surge, inquit, Dominus imperat. Ipſe vero aperiens oculos erexit ſe, admirans valde ſibi * ſupereſſe. Qui cum viro Dei egrediens, exſultantibus cunctis, ad monaſterium plures poſtea vixit annos. Multos nempe ab hujuſmodi patibuli ſuſpendio ac nece per diverſas provincias tam interventu, quam redemtionis pretio liberavit.

Vvillelmus miraculis claret.

Morte punitum ſuſcitat.

* *al.* ſupreſſe.

27. Nam & fratribus monaſteriorum utilitatibus præpoſitis illud ſæpius inculcabat, ut in exactione ſibi commiſſorum forent providi, ne forte nimis tenues pro cenſus reditu affligerentur. Dicebat enim ſe magis velle largiri egenti, quam exigere quidpiam ab indigente. Itinera quoque ejus per civitates & vicos, ſeu quorſum haberet, ingens pauperum atque infirmorum turba præoccupaverat. At ipſe liberalis & largus beneficiorum erat univerſorum impenſor. Deſiderabatur enim ab omni hominum ordine vel ſexu ipſius præſentia, ſicuti unius è Patriarchis aut Apoſtolis Domini. Aliquanti etiam referebant illum ſibi per viſum in ſomnis apparuiſſe, ſeque de pravis actibus redarguiſſe, vel monuiſſe illos de communi animarum ſalute. Teſtor ego, inquam, ipſius ac virtutum matrem caritatem, quoniam quondam meorum culpis facinorum offenſus, ut ſenſi illum ad horam amaricatum, ſeceſſi in aliud cœnobium ipſius ditioni minime ſubditum; dumque illic degerem, adſtitiſſe mihi una noctevisus eſt aſpectu placido, ac manu injecta caput mihi demulcens aiebat: Rogo ne me deſeras [a] ſi non te amare fingebas: quin potius exercere te cupio quæ promiſeras. Ipſius namque imperio maxima jam ex parte eventorum atque prodigiorum, quæ circa & infra incarnati Salvatoris annum contigere

Mitis in exactione redituum.

Auctori hujus Vitæ apparet.

[a] Editi: *Rogo ex me deſcas.*

Digitized by Google

Ann. Ch. MXXXI. Jan. I.

milleſimum, deſcripſeram. Quæ etiam cauſa ad præſens opus me compulit inflectere articulum. Idcirco omnes pariter oro ne propter hoc præjudicium de me fiat.

Omnium erga eum reverentia.

28. Beatitudo igitur eximii patris Vuillelmi jam ad tantam excreverat excellentiam, ut cunctas Latii ac Galliarum provincias ipſius amor ac veneratio penetraret. Nam Reges ut patrem, Pontifices ut magiſtrum, Abbates & monachi ut Archangelum, omnes in commune ut Dei amicum, ſuæque præceptorem ſalutis habebant. Quis enim umquam alius præter eum Veneticorum gentem in tam amica familiaritate habuit? exaggerative ſecundum Apoſtolum loquimur, quoniam ſi fieri poſſet oculos ſuos eruiſſent, & dediſſent ei. Siquidem Urſus patriarcha illorum, ipſius ſancti Patris decrevit effici monachus. Sed quia ipſe diſpendium illius gentis, quod foret pro tanti abſentia viri, conſiderans, illi in ſuo propoſito permanere ſuaſit. Quod etiam de multis ſimilis rei gratia cognitum habetur feciſſe.

Galat. 4. 15.

Ex Italia in Galliam redux.

29. Jam vero in Dei opere magis aſſiduus quam frequens, cum eſſet in Italia ſuum biennio præſtolans à ſæculo exceſſum, ſed rerum opportunitatibus exinde evocatus, ægerrime tamen ad Gallias remeavit. Cumque reviſendi caritate cunctos Gorzienſe uſque monaſterium, à ſe olim cum ceteris ad regulare ſpecimen reformatum deveniſſet, quæ ſupererant inviſere curavit. Dehinc ad prænominatum venit Fiſcannum. Poſt aliquot vero dierum acribus cœpit doloribus affligi. Jam quippe imminente ſollemnitate Nativitatis Dominicæ, prænoſcens ſuæ à Chriſto vocationis *diem*, convocatis ad ſe fratribus deliberans coram eis provide ac ſapienter de cunctis quæ ipſius innitebantur patrocinio, quid vel qualiter agendum ſeu ordinandum foret, ſicque univerſis, præſentibus ſimul & abſentibus, ſua benedictione firmatis, ac Deo commiſſis, expetiit ſibi dari ſalutare ac vivificum commeatum. Expletiſque ſollemnibus totis octo dierum, nil omnino loquens, oculos tantum ad Deum erigens, illi ſoli intendens, illum ſolum mente reſpiciens; jamque adſpiciebat felix anima, ſubito ad illum itura de vaſculo carnis, in ſua gloria Deum majeſtatis. Anno igitur ejuſdem Nativitatis Dominicæ MXXXI. Indictione XIV. à nativitate quoque ipſius patris ac Dei cultoris LXX. & ab adventu illius ad Gallias de Italia XLI. regnante Conrado imperatore, in Francia nihilominus ROBERTO rege, die Dominicæ Circumciſionis venerabili, atque ejuſdem nativitatis octavo, VI. feria mane, dum aurora ſupervenientis diei pelleret tenebras, è mundo tranſivit à ſancto iſtius Dei amici corpore anima felix & beata, lucerna videlicet orbis, ad ſempiternam ac deificam lucem, ſuis lugentibus, ſed Angelis lætantibus, cum quibus laudans, ac magnificans benedicit Deum, in quo vivit quidquid juſte ſubſiſtit. Sepultum namque eſt ſacrum illius corpus honorifice in gremio ejuſdem ſanctæ Trinitatis eccleſiæ in conſpectu euntium ac redeuntium fratrum, ut quotidie ſiquidem præ oculis imitabilem haberent patrem, quem ad æternam juſtitiæ mercedem habuere inſtitutorem: ipſiuſque meritis & precibus valeant percipere æternæ vitæ regnum, & gloriam cum ſanctis omnibus, donante Domino Jeſu-Chriſto Salvatore, qui cum Deo Patre & Spiritu-ſancto vivit & regnat per immortalia ſæculorum ſæcula. Amen.

Pie obit Fiſcamni.

Digitized by Google

EPISTOLA GUILLELMI ABBATIS ad JOHANNEM Papam.

Ex Hugone Flaviniacenſi in Chronico Virdunenſi.

GRATIA Dei & reverentia beati Petri ſedi in orbe terrarum excellentiſſimæ indepto papæ JOHANNI, VVILLELMUS crucis Chriſti ſervus, ſedem judicii cum Apoſtolis & coronam regni. Magiſtri gentium dictis inſtruimur ſeniorem non increpandum. Idem tamen alias dicit: Factus ſum inſipiens, vos me coëgiſtis. Idcirco igitur filiationis diligentia hortamur communem veſtram paternitatem, ut in uno imitemini cogitationes hominum pervidentem Dominum Salvatorem, ut dicatis ad aliquem vobis unanimem, quemadmodum & ipſe Petro: Quid dicunt homines de me? Si vero reſponſum ejus ex fide fuerit, animadvertite qualiter ſonuerit; ſi clare, cuſtodite ne obfuſcetur; ſi vero obſcure, lux mundi oranda eſt, qualiter ita fulgeatis, ut univerſis in gremio Eccleſiæ conſtitutis ad viam mandatorum Dei gradiendam lumen præbeatis. Sed eſt fama rei, quæ nuper apud vos accidit, de qua quis audiens, ſi non ſcandalizatur, noverit ſe longe ab amore ſuperno diſparari. Quoniam licet poteſtas Romani Imperii, quæ olim in orbe terrarum monarches viguit, nunc per diverſa terrarum loca innumeris regatur ſceptris, ligandi, ſolvendique in cælo & in terra poteſtas incumbit magiſterio Petri. Atque idcirco iſta diximus, ut animadvertatis non aliter Græcos quam cenodoxia, hoc quod audivimus apud vos requirere, impetraviſſe. De cetero quoque optamus, uti univerſalem decet Antiſtitem, vos acrius in correptione & diſciplina ſanctæ & apoſtolicæ Eccleſiæ vigere, æterneque & feliciter in Chriſto valere.

ALTERA VITA.

Ex Chronico ſancti Benigni Divionenſis excerpta, tomo I. Spicilegii Acheriani.

1. ANNO ab Incarnatione Domini nongenteſimo-octogeſimo, Indictione octava, regni Lotharii regis vigeſimo-quinto * anno, dedit idem Rex BRUNONI [a] Remenſis eccleſiæ clerico, ſuo vero parenti propinquitate conſanguinitatis exſiſtenti Lingonicæ civitatis epiſcopatum. Ordinatus eſt autem idem Bruno epiſcopus per manus BURCHARDI Lugdunenſis archiepiſcopi in eccleſia ſancti Stephani, viginti quatuor annos gerens ætatis: & eodem anno ſuſceptus eſt à clero Lingonicæ urbis, ab Incarnatione videlicet Chriſti nongenteſimo octuageſimo-primo. Is aſſecutus epiſcopatum, omni quo potuit niſu ſequi ſtuduit exemplum boni Paſtoris. Monaſteria igitur ipſius ad diœceſim pertinentia in ſpiritualibus religione, in temporalibus neceſſaria pæne adnullata gubernatione conſiderans, cœpit quærere quatenus Dei diſpenſante nutu ſuum in ſtatum ea quiviſſet reparare. Amovens ergo MANASSEM abbatem hujus loci [*ſancti Benigni Divione*] à dominatione, qua non bene utebatur, inſtituit in locum ejus Abbatem quemdam ex monaſterio Dervenſi, AZONEM nomine. Erat is Aquitanicus genere, ornatus bonis moribus & religioſa converſatione. Hic duobus annis in regimine peractis repedavit ad ſuum monaſterium dimiſſa hujus loci gubernatione, atque iterum Manaſſes abbas ſuum recepit officium.

* Lege 27.

[a] Bruno fit epiſc. Lingonenſis.

Meditatur reformationem S. Benigni.

2. Videns igitur domnus epiſcopus Bruno ſtatum loci in ambiguo poſitum, ſupplex adiit

[a] Hujus Brunonis præclare geſta paſſim memorat hujus Chronici auctor. Ejus vero elogium ex Martyrologio veteri monaſterii Benigniani habetur tomo I. Bibliothecæ Labbeanæ pag. 657. Erat Lotharii regis ex ſorore nepos, natus nempe ex Albrada Ludovici I. filia, Reginaldi Roccienſis Comitis uxore.

domnum Maïolum Cluniacenſis monaſterii abbatem, multaque prece popoſcit, quatenus ejus auxilio quiviſſet reparare in melius, interius religionem, & exterius poſſeſſiones. Cujus precibus flexus reverendus abbas Maïolus, dedit ei duodecim monachos ex omni congregatione electos, diſciplinis ſanctæ religionis inſtructos, divina & humana ſapientia doctos, nobilitate carnali claros. (*Monachos à S. Maïolo obtinet.*) Quibus advenientibus ita ordinavit domnus Epiſcopus, ut die Tranſlationis ſancti Benigni, monachis cum ſibi ſubjectis clericis ante ſepulcrum ſæpefati Martyris in crypta nocturnali officium peragentibus, ipſi in ſuperiori choro ante principale ſancti Mauricii altare matutinalem inciperent ſynaxim. Quod utique convenienter actum eſt; ut qui lumen religionis oſtendere veniebant, intrarent luce diei appropinquante. Proinde illis hac vel illac pergentibus, iſti in loco degentes cœperunt ſancta converſatione reſplendere, & locus qui antea pravis actibus, & ineffabili negligentia à cunctis videbatur confuſus, nunc felici exercitatione virtutum omnium videretur eſſe floridus.

3. Verum quia prædicti Patris induſtria locis aliis intenta erat, & hic locus ſine abbate eſſe non poterat, iterum domni Brunonis præſulis pulſatus precibus, quemdam fratrem, ferventiſſimum ſui Ordinis exſecutorem, & totius nobilitatis lampade præfulgidum, atque in vera humilitate & fraternæ dilectionis caritate, necnon ſummæ diſcretionis, quæ virtutum omnium mater eſſe dignoſcitur, honeſtate laudabiliter radicatum & fundatum, nomine Willelmum, hujus monaſterii gregi præfecit, & patrem ſpiritalem ſibi poſcentibus filiis inſtituit. (*Ex his Willelmus fit abbas.*) Hic Italia exſtitit oriundus, alto ſatis germine & nobili proſapia editus. Quem ſupradictus domnus Maïolus Roma veniens invenit in monaſterio Lauceïo dicto, ubi à puero educatus fuerat. Aſſumenſque eum ipſo deprecante, ſecum adduxit Cluniacum, ætate juvenili florentem.

4. Ordinatus eſt igitur abbas à domno Brunone epiſcopo, anno nongenteſimo-nonageſimo, Indictione tertia. Officio vero abbatis accepto, divinis ſe ipſum cœpit exercere virtutibus. (*Ejus virtutes.*) Erat enim corpore caſtus, mente devotus, affabilis alloquio, prudentia præditus, temperantia clarus, interna fortitudine firmus, cenſura juſtitiæ ſtabilis, longanimitate aſſiduus, patientia robuſtus, humilitate manſuetus, bonorum operum gratia plenus, caritatis equidem affluens viſceribus. Pro pauperibus ſemper erat ſollicitus, Chriſtum vero diligens totis viſceribus, dum ſicut Martha corporaliter non valebat, in egenis illum quotidie reficiebat. Omnibus hoſpitii perlargum præbuit uſum: nemo eſt exceptus, perpeſſus nemo repulſam. Divinorum præceptorum delectabatur eloquiis, quia ex his & ſuos mores componere, & ſibi commiſſos inſtruebatur docere & corrigere. Cunctis ſeipſum præbebat bene vivendi exemplum. Et ſicut in ordine, ita primus ſtudebat ut eſſet in opere, juxta illud Evangeliſtæ: *Cœpit Jeſus facere & docere.* (*Act. 1.*) Peccantes vero zelo pii amoris coram omnibus arguebat, ut ceteri timorem haberent. Sed & verba quæ ſub increpatione proferebat, ut reprehendenda reprehenderet, quaſi ſtimuli dura videbantur & aſpera, ut pæne timerentur plus quam verbera, juxta illud: *Verba ſapientis quaſi ſtimuli, & quaſi clavi in altum defixi.* (*Eccl. 12. 11.*) Alios quidem blandimentis, alios admonitionibus, alios terroribus, & ita juxta Apoſtolum, prædicans verbum inſtabat opportune, importune, arguens, obſecrans, increpans in omni patientia & doctrina. Miſerorum vero, haud ſecus ac ſi pateretur ipſe, afficiebatur calamitatibus. Os ejus ita replebatur ex cordis abundantia, ut in eodem ore pæne nihil aliud niſi lex reſonaret divina. & quia Scriptura dicit, *Qui audit, dicat, Veni*; (*Apoc. 22. 17.*) ideo quoſcumque poterat, à ſæculi nequitia ſuadendo ſubtrahebat. Et ſicut cæleſte per deſiderium totis ipſe viribus ad ſupernum regnum anhelabat, ita ſecum pergere omnes homines, ſi fieri poſſet, exoptabat. Sed nullatenus eſt fraudatus à deſiderio, quod in ſe conceperat vera dilectio. Ille enim qui caritas eſt, qui ſe timentium complet voluntatem, viri Dei ferventem affectum perduxit ad effectum. Ad ejus quippe monita multi quæ poſſederant relinquentes, regulari ſe diſciplinæ ſubdiderunt, & beati Benedicti ſequentes veſtigia, ſemetipſos abnegantes, vero Regi totis viribus militaverunt. Partibus namque ex diverſis ad ejus cœnobium multitudo confluxit innumerabilis. Sed nationibus licet diverſi, mente tamen erant uniti, ut illud ad litteram in eis impletum videretur, quod de initio naſcentis Eccleſiæ in Apoſtolorum Actibus legitur: *Erat illis cor unum & anima una.* (*Act. 4. 32.*)

5. Creſcente autem interius religionis ſtudio, exterioris ſubſtantiæ ſupplementum cœpit abundare non modice, prout Dominus promiſit ſuis in Evangelio: *Quærite primum regnum Dei & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* (*Brunonis cura in monaſt. Benignianum. Matth. 6. 33.*) Domnus namque epiſcopus Bruno, nimirum exhilaratus corde eorum bona converſatione, omni ſtudio eorum uſui neceſſaria curabat ſubminiſtrare. Reddidit igitur ſancto Benigno & ejus monachis eccleſiam in Saciaco ſitam, &c. Ubique ergo inveſtigans ablata reſtituebat, & de ſuo jure quodcumque neceſſarium & utile eis foret, libenti animo tribuebat. Utriſque vero, domno ſcilicet præſule Brunone atque venerando abbate Willelmo, in reſtauratione hujus loci ſtudioſe decertantibus, cœpit creſcere & quaſi denuo reflorere, &c.

6. Ipſe Henricus dux [*Burgundiæ Hugonis Francorum regis frater*] audita fama religionis

Digitized by Google

ANN. CH. MXXXI. JAN. I.

ligionis eximii patris Vvillelmi commiſit ei abbatiam Verſiacenſem a, pæne ad nihilum redactam, ut ab ipſo reſtitueretur in priſtinum ſtatum; quod & fecit auxiliante Deo. Domnus autem epiſcopus Bruno conſiderans patrem Vvillelmum ita ferventem in religione ac monaſtica inſtitutione, & loca ei commiſſa de die in diem in melius proficere, omnia in ſuo epiſcopio monaſteria ipſius delegavit providentiæ, abbatiam ſcilicet Beſuenſem b, Apoſtolorum Petri & Pauli honore dicatam, monaſterium ſancti Johannis, quod Reomaüs dicitur, locum ſancti Michaëlis archangeli juxta caſtrum Tornodorum, abbatiam Molundenſem, ubi ſanctus Valerius c archidiaconus & martyr quieſcit; quas omnes ita ſtrenue gubernavit, ut poſt eum ſingulæ ſingulis abbatibus diſtributæ, ſtatui illius temporis quo ab eo regebantur, non quierint æquari.

a Alia monaſt. Willelmo committuntur. b c

Romam petit.

7. Anno ſexto ſuæ ordinationis Vvillelmus abbas Romam perrexit ad Apoſtolorum limina, eorum patrocinia expoſcens prece devota, indeque ad ſanctum Angelum montem petivit Garganum. Sed Beneventum veniens graviſſimæ infirmitatis adſtrictus eſt compede. cujus infirmitatis diuturno afflictus languore, cum jam à ſuis deſperaretur poſſe evadere, quadam nocte raptus in ſpiritu tribunali metuendi Judicis ſiſtitur: ubi cum pro aliquibus increparetur exceſſibus, & maxime pro indiſcreta ſeveritate, pro his culpis metueret damnari æternis gehennæ ſuppliciis, ut ſibi viſum eſt; ſanctus papa Gregorius in ſua eum ſuſcepit fide, diligentiori deinceps victurum ſollicitudine, & priora errata pietatis & miſericordiæ operibus expianda correcturum fore. Poſt viſionem in ſemet reverſus, & ab infirmitate eadem cœpit convaleſcere die, & priorem auſteritatem permutavit in maximam pietatem. Sicque poſtea omni vitæ ſuæ tempore ſanctum Gregorium ſpeciali coluit dilectione. Cœperunt denique ex ſua patria, hoc eſt Italia, multi ad eum convenire: aliqui litteris bene eruditi, alii diverſorum operum magiſterio docti, alii agriculturæ ſcientia præditi, quorum ars & ingenium huic loco profuit plurimum. Creſcebat ergo quotidie multitudo monachorum ſub ejus magiſterio degentium, ut (exceptis his qui per alia erant monaſteria) in hac congregatione quotidie fratres eſſent ſeptuaginta aut octoginta.

Ob ſeveritatem corripitur.

Bruno episc. commendatur.

8. Inter cetera quæ domnus Bruno epiſcopus in hoc loco egit bona, longum eſt enim enumerare ſingula ejus geſta; ſed hoc breviter poſſumus dicere, cuncta ab antiquis huic loco collata, poſteaque à malignis direpta, vel à pravis rectoribus diſpertita, à Brunone epiſcopo ſunt reſtituta: & licet illi non amittant mercedem ſuæ eleemoſynæ, hic tamen non inferiori dignus eſt gratiarum actione. de emortuis enim cineribus in excellentiorem, quam umquam ante fuerat, ſtatum per eum ſublimatus eſt hic locus. A ſancto igitur Gregorio Lingonienſi epiſcopo fundata hæc abbatia, à Guntranno rege ſtabilita & ditata, à Carolo imperatore, cognomento Calvo, & domno Iſaac d epiſcopo reſtaurata; ab honorando præſule Brunone & Vvillelmo venerabili abbate, non ſolummodo in aliis rebus, verum etiam in nova eccleſiæ fabrica eſt renovata; in cujus baſilicæ miro opere domnus Præſul expenſas tribuendo, ac columnas marmoreas ac lapideas undecumque adducendo, & reverendus Abbas magiſtros conducendo, & ipſum opus dictando inſudantes, dignum divino cultui templum conſtruxerunt. Cujus artificioſi operis forma & ſubtilitas non inaniter quibuſque minus edoctis oſtenditur per litteras; quoniam in eo multa videntur myſtico ſenſu facta, quæ magis divinæ inſpirationi, quam alicujus deputari debent peritiæ magiſtri. d

Eccleſia conſtruitur.

9. Fundatum eſt autem hoc templum anno Dominicæ Incarnationis milleſimo-primo, Indictione decima-quarta, decimo-ſexto Calendas Martii, cujus longitudo ducentorum ferme cubitorum, latitudo autem quinquaginta trium exſtitit; altitudo vero in ſequentibus oportune dicetur. Inferior itaque domus orationis, in qua ſacratiſſimum corpus ſancti Benigni martyris veneratur, eumdem pæne modum habens quantitatis, fulcitur centum quatuor columnis. Hæc in figuram T litteræ facta, quatuor ordines columnarum duodeno diſpoſitarum numero, æquali extenditur in longitudine & latitudine: decem vero cubitis erigitur in altitudine, ſecreta ex utraque parte habens veſtibula. Quinque ſane in ea continentur altaria; primum in honorem ipſius ſancti Benigni eſt conſecratum, ſecundum in memoriam ſancti Nicolai & omnium Confeſſorum, tertium in venerationem ſanctæ Paſcaſiæ virginis, quæ ibidem quieſcit, & omnium Virginum; quartum in ſancti Irenæi & omnium Martyrum; quintum ſub nominibus ſanctorum confeſſorum & abbatum ſanctorum Jo-

a Alia lectio habet *Vezeliacenſem*, cui monaſterio Guillelmum noſtrum etiam præfuiſſe volunt nonnulli, forte ex hoc loco. Abbatia fuit Ordinis noſtri, vulgo *Vezelay*, hodie in canonicorum collegium converſa. Vergiacum perſeverat ſub prioratus titulo, vulgo à ſancto Viventio, qui ibi quievit, dictus *S. Vivent*, prope opidum S. Johannis de Latona.

b De hoc monaſterio infra ſingillatim agemus. hactenus perſeverat ſub noſtra S Mauri congregatione, vulgo *Beze*. ſicut & tria ſequentia. *Reomaus*, vulgo *Moûtiers-ſaint-Jean*; Tornodorenſe, & Molundenſe, vulgo *Molôme*, in prioratum ſancti Martini, qui ſibi ipſi parebat, tranſlatum.

c Is fuit Archidiaconus Lingonenſis, ſub Vandalorum irruptione occiſus.

d Caroli diploma ea de re, quod Iſaac obtinuit in gratiam monaſterii Benigniani, à Perardo editum eſt: ſicut & alterum Rodulfi regis, rogatu Gautzelini Lingonum epiſcopi, in quo Iſaac loci reſtaurator, *miræ ſanctitatis epiſcopus* dicitur.

Digitized by Google

ANN. CH. MXXXI. JAN. I.

hannis & Sequani, atque ſancti Euſtadii preſbyteri ibidem quieſcentis.

a Corpora SS. in baſilica Benigniana.

10. In hac ergo corpora ſanctorum quieſcentia ſæpedicti teſtis Chriſti beata ambiunt membra, quorum in principio hujus libri [a] nomina ſunt adnotata. Sanctorum vero Confeſſorum & Epiſcoporum Urbani & Gregorii corpora in eccleſia ſancti Johannis Baptiſtæ primitus fuerunt tumulata, poſt longa vero tempora, inde elevata: ſancti quidem Gregorii medietas corporis in eccleſia ſancti Benigni eſt recondita, tempore quo propter metum paganorum ejuſdem ſancti Martyris effoſſum corpus delatum fuit ad civitatem Lingonas; & tunc alia medietas corporis præfati confeſſoris illic eſt retenta. Sancti denique Urbani corpus levatum, & in loculo poſitum, multis miraculorum ſignis per eum Dominus lætificavit corda famulorum ſuorum in hoc loco degentium. Venerabilis vero Iſaac antiſtitis corpus cum, exigente templi ædificio, transferretur aliò à quibuſdam ſacerdotibus, maxima ex parte integrum ſimul cum capite clericalem adhuc præferente habitum fertur inventum. Similiter & domnî Argrimi pontificis ac monachi ſacerdotalia cum cucullo necnon interiore cilicio veſtimenta, in teſtimonium ipſius ſanctimoniæ incorrupta ſunt reperta. Ad hoc haud longe reperta eſt ſancta Radegundis, habens ad caput titulum ſui nominis in lamina plumbea: cujus oſſa cerato involuta linteo ſunt inventa in capſa lignea in terra recondita. Ceterorum præterea ſanctorum, quorum corpora hic noſcuntur tumulata, beatus Gregorius Turonorum epiſcopus mentionem facit, eorum deſcribens quædam miracula [b]: Benigni videlicet martyris, noſtri ſpecialis patroni; Tranquilli quoque confeſſoris, necnon Hilarii ſenatoris, & ejus conjugis, ſanctæ Floridæ ſanctimonialis, atque Paſcaſiæ virginis & martyris. Hæc à ſancto Benigno edocta & baptizata, poſt ejus martyrium, ſævitia paganorum rapta eſt ad ſupplicium. Cumque immobilis in fide Chriſti perſiſteret, primo carceris afflicta ſqualore, poſtea pro confeſſione deitatis ſententia fuit multata capitali, ut quædam vitrea antiquitus facta & uſque ad noſtra perdurans tempora eleganti præmonſtrabat pictura. Tantorum ergo venerandis corporibus ſanctorum honorabiliter hæc de qua modo agitur eccleſia non mediocriter eſt ditata, exceptis aliorum reliquiis ſanctorum, quos enumerare ſuperfluum videtur.

Oratorii S. Johannis deſcriptio.

11. Huic paullo ſuperius deſcriptæ inferiori cryptæ conjungitur oratorium ad ſolis ortum, rotundo ſchemate factum, ſenarumque illuſtratum ſplendore feneſtrarum, triginta ſeptem cubitos habens in diametro, decem in alto. Hoc ſane oratorium terno columnarum ordine in ſemet regyrato, quadraginta videlicet atque octo, geometricali diſpoſitione ambitur; hujus deſuper culmen celſo erectum faſtigio viginti quatuor columnarum, ac triginta duorum arcuum, tripertita comparis numeri machina, diviſione, eleganti transvolutum eſt opere. Hoc ſane oratorium ſancti Johannis Baptiſtæ ſacratum eſt honore, cujus altare illuſtratur trium feneſtrarum lumine. Ab hac eccleſia ſunt per cochleam dextra lævaque triginta ſeptem gradus, crebris ſufficienter illuſtrati feneſtris, per quos inoffenſo aſſcenditur tramite ad baſilicam ſanctæ Dei-genitricis Mariæ. Ipſa vero eccleſia ſexaginta octo ſubnixa eſt columnis, eumdem fere habens modum & formam in diametro, ſive in altitudine, quem & inferior, undeniſque irradiatur vitreis. Ad altare autem ejuſdem perpetuæ Virginis marmoreum per quatuor tripertitos aſſcenditur gradus, juxta quos hinc & inde ſunt altaria: ad dextram quidem Johannis Evangeliſtæ ac Jacobi fratris ejus, ſanctique Thomæ Apoſtoli; ad lævam vero ſancti Matthæi, Jacobi & Philippi apoſtolorum.

12. Huic iterum concordantes & ſatis lucidi utrimque per cochleam ad eccleſiam ſanctæ & individuæ Trinitatis triginta gradus continuatim præſtant aſſcenſum. Hæc in modum coronæ conſtructa, triginta quoque & ſex innixa columnis, feneſtris undique, ac deſuper patulo cælo lumen infundentibus, micat eximia claritate, amplitudine inferiori domui conſimilis, ſed viginti cubitorum altitudinis. Altare ſanctæ Trinitatis ita eſt poſitum, ut undecumque ingredientibus, ac ubicumque per eccleſiam conſiſtentibus, ſit perſpicuum. Inde per quadrigeminas ſcalas altrinſecus factas ad ſuprema patet aſſcenſus: quarum duæ æquali modo poſitæ per quindecim gradus uſque ad ſancti Michaëlis protenduntur oratorium, habens in longitudine cubitos triginta tres, in altitudine decem, vili facta ſchemate: feneſtras habet ſeptem. Aliæ vero duæ per quinquaginta gradus ſurſum dirigunt greſſum. Ad ima autem harum ſcalarum, bina ſuper murum deambulatoria ſunt facta, quæ æquali ſpatio ab orientali parte uſque ad occidentalem, & infra templum, per arcus deambulatorios, & ſupra tectum domus muro altitudinis trium ferme cubitorum circumquaque pergentium, à ruina protegunt inceſſum. Hæc tamen ad dexteram ſiniſtramve partem templi incipientes, interius & ſubtus alas ejus greſſum per quoſdam occultos aditus ad ſuprema tecti dirigentes plano, ut dictum eſt, calle deducunt introrſus undique, donec ſuperliminare occidentalium portarum attingentes, per pariles ſcalas viginti graduum in porticus ec-

a De his ſanctis fuſe agit Chronographus ſui operis initio, quæ ſi vis require Spicilegii tomo I. pag. 353 Urbanus & Gregorius fuere epiſcopi Lingonenſes monaſterii hujus conditores, quod ad nihilum pæne prolapſum Iſaac Brunonis deceſſor reſtituit. De Argrimo actum eſt Sæculo ſuperiori.

b In libro I. de Gloria Mart. cap. 50. & in libro de Gloria Confeſſ. capp. 42. & ſeqq.

Digitized by Google

cleſiæ majoris deponunt. quæ ad inſtar crucis ædificata habet in longitudine cubitos centum viginti octo, in latitudine, ſicut præſcriptum eſt, quinquaginta tres, in altitudine quaquaverſum per maximos triginta & unum cubitos, in medio autem quadraginta: illuminatur ſeptuaginta vitreis, fulciturque centum viginti & una columnis, quarum nonnullæ juxta capita fortiſſimarum, quæ ſunt quadraginta, pilarum quadrangulatim ſtatutæ, una quaſi ſimul coronari videntur corona, quamvis non unius ſit magnitudinis omnium forma. Habet hinc & inde geminas porticus dupliciter tranſvolutas, in quibus bis bina continentur altaria. A parte quidem aquilonis unum in honorem ſanctorum apoſtolorum Petri & Andreæ, alterum in honorem ſancti Bartholomæi & Simonis atque Thaddæi apoſtolorum. Sancti vero Pauli altare eſt in ſuperiori eccleſia, ante aram ſanctæ Trinitatis, eo quod ipſe raptus ad tertium cælum vidit ſecreta Dei. A meridie ſunt altaria, unum in honorem ſanctorum apoſtolorum Matthæi & Barnabæ, ac Lucæ evangeliſtæ: aliud in honorem ſanctorum martyrum Stephani, Laurentii, atque Vincentii. Eſt aliud altare ad occidentalem plagam eccleſiæ, in eodem latere meridiano in honorem ſanctorum Mammetis, Deſiderii, Leodegarii, Sebaſtiani, Gengulfi martyrum. Et ex parte altera ſanctorum martyrum Polycarpi, Andochii, Thyrſi, Andeoli, Symphoriani, Georgii, Chriſtophori, & ſanctorum confeſſorum Urbani & Gregorii, quorum corporibus adornatur præſens domus. Principale altare eſt ſacratum in honorem ſanctorum Mauricii atque Benigni, ſimulque omnium ſanctorum; altare ad dexteram ejus in honorem ſancti Raphaëlis archangeli & omnium beatorum Spirituum; ad lævam vero in honorem ſancti Marci evangeliſtæ; atque in medio ipſius eccleſiæ altare ſanctæ Crucis, omniumque ſanctorum. Ante hoc altare triplex conſtat introitus cryptæ, in quindecim gradibus aſſcenditur ab ipſa ad ſuperiorem eccleſiam.

13. Sepulcrum vero ſancti & glorioſi Martyris ita eſt conſtructum. Eſt tumba ex quadris ædificata lapidibus, quæ octo cubitos in longum, quinque autem tenet in latum, cujus cacumen lapideum quatuor ſuſtinetur ſuffragio columnarum: deſuper autem quatuor columnæ marmoreæ locatæ erant antiquitus. Olim ſuper lapideos arcus, qui continebant abſidam, ferebant ligneam ſex cubitorum longitudinis, & trium latitudinis, ſeptemque ac ſemis altitudinis, quæ undique auro & argento veſtita hiſtoriam Dominicæ nativitatis & paſſionis præmonſtrabat, anaglypho prominente opere, pictura ſatis optima. Verum hoc decentiſſimum, de quo loquimur, ornamentum ob recreationem pauperum tempore famis fuit diſſipatum à domno abbate Vvillelmo, & cum capſa aurea mirifice gemmis exornata; pariterque tribus tabulis ac duobus thuribulis argenteis, crucibuſque, ac omne ornamentum in auro & argento venumdatum eſt. Ante hæc vero tempora, inſignia ornamenta, videlicet gemmæ, pallia pretioſa, capſæ, tabulæ, coronæ, vaſa quoque eccleſiaſtica, ſeu candelabra ex auri argentique metallo fabricata, cum imagine Salvatoris Domini noſtri ex auro, fuſili opere facta, latronum fraude, in ipſius ſancti feſtivitate, occiſis cuſtodibus, furto fuerunt aſportata. Hæc ornamenta à Guntramno & ceteris regibus huic loco, pro veneratione & honore Dei, ſanctique Benigni martyris antiquitus collata, ſed priſcis temporibus ſacrilega peſſimorum manu ſublata, nullus poſtea exſtitit principum, qui tantum potuiſſet recuperare theſaurum. Hæc ad notificandam Divionenſis loci antiquitatem & gloriam paucis dicta ſunt. Illud in fine notificandum eſt, in templi iſtius ædificio eſſe columnas trecentas ſeptuaginta & unam, exceptis illis, quæ in turribus & altaribus ſunt. Feneſtræ clauſæ vel claudendæ vitro centum viginti, turres octo, portæ tres, oſtia viginti quatuor.

Sepulcrum S. Benigni.

Eccleſiæ ornatus ob pauperes venditus.

14. Nunc ad ea quæ omiſeramus patris Vvillelmi explicanda geſta ſtilum vertamus. Auguſtorum ſeu Regum palatia cum adiit, in iis non quæſivit quæ ſua ſunt; ſed quæ Jeſu-Chriſti, ut ex eorum ſcilicet familiari conlocutione ſubveniret oppreſſis ſua interventione; aut certe ex ſæculari vel clericali habitu Deo lucrificaret, ut juxta Domini præceptum propria relinquerent, & ſæcularibus curis ſemotis Deo in tranquillitate ſervire ſtuderent. Conveniebant igitur ad eum plurimi, ut diximus, & licet diverſi nationibus, mente tamen uniti. Lætabatur paſtor in ſui gregis augmento, magiſque gaudebat quod omnes inſtabant operi propoſito. Verum quia ſuper gregem ſibi commiſſum ſollerti vigilavit cura, divina promeruit gratia de fructu laborum ſuorum in hac gaudere vita. Nam regularis vitæ diſciplinam, quæ jam pæne deciderat per veterum negligentiam, prout beatus Benedictus eam compoſuit, in priſtinum ſtatum corrigendo reſtauravit, ac per diverſas mundi partes, per plura monaſteria à regulari tramite devia, tam per ſe quam per ſuos, quos abbates ordinaverat, monaſtico ordini ſubdidit. In hoc vero gaudens gratulabatur Deo, quod eorum quos ſua ſub cura educaverat, ad monaſticum regendum ordinem fore multos idoneos videbat: ex quibus nos aliquos dignum judicavimus huic libro indere, ut ſciant poſteri, quam ſtrenui ex hac congregatione prodierint monachi, eorumque memoria permaneat in laude.

Willelmi pia geſta.

15. Cum primum abbatis ſuſcepit officium venerabilis Vvillelmus, inter monachos in hoc loco degentes fuit quidam juvenculus, vocatus Hunaldus, quem prædictus Pater videns ſollertis ingenii, retinuit ſibi ceteris abeuntibus. Hunc præcipue omni ſtudio doctrinæ

Ejus diſcipuli. Hunaldus.

Digitized by Google

ANN. CH MXXXI. JAN. I.

imbutum, in domo Dei conſtituit vas electum. Ad omnia quippe quæ ſibi erant neceſſaria prædicti fratris juvabatur ſollertia. Denique injunxit illi curam hujus ſacri periboli, quam tanta proſecutus eſt cura, ut pæne totum quicquid fuit ornamentorum in hac baſilica, ejus ſtudio ſit aggregatum. Ad ultimum poſt obitum prædicti Patris abbatiam Tornodorenſem aſſecutus, ibidem quievit annis viginti ſeptem in regimine tranſactis. Alter quidam hujus caſtri Divionenſis civis, nobili ortus genere RODULFUS, Albus vocatus cognomine, venit ad converſionem inter ipſa primordia ejus novæ ordinationis, cujus pecuniis relevata eſt paupertas prædicti Patris, & conſilio atque adjutorio ſublevata ſollicitudo regiminis hujus loci, & Beſuenſis monaſterii, (adhuc quippe erat ei paucitas monachorum) quem prædictus frater ita juvabat in exterioribus curis, ut ſolus ſupplere videretur ſolamen plurimum. ſed præter ejus votum, hoc ſolatium tulit illi paucitas dierum. Alter quoque ſubjunctus eſt memorato patri, THEODERICUS dictus, hujus patriæ civis, quem poſt diuturnam eruditionem Fiſcannenſi cœnobio conſtituit priorem, ad ultimum Gemmeticenſium præfecit abbatem. Alius ex caſtro, Belno dicto, Miles, LEDBALDUS vocatus, & à ſtudio Sapiens cognominatus, patri Vuillelmo eſt adjunctus: cujus imbutus doctrina ſpiritali per aliquod tempus archimandrita in Tornodorenſi loco eſt ſubſtitutus.

Rodulfus. Theodericus. Ledbaldus.

16. Fama ſacræ religionis eximii patris Vuillelmi percitus quidam Mettenſis clericus, generoſis ortus natalibus, nomine BENEDICTUS, ejus diſcipulatui eſt aggregatus: brevique in tempore ſtudendo eum imitari, doctrina & converſatione perfectionem attigit monaſticæ vitæ. Per ejus igitur relationem comperit domnus ADELBERO Mettenſis pontifex patris Vuillelmi religioſam converſationem: à quo ſuppliciter evocatus, atque ſancti Arnulfi abbatia donatus, eumdem Benedictum ibidem conſtituit Patrem, ubi per multos annos ſacris intentus actibus, vita functus multis claruit virtutibus. Ne vero à tanto Pontifice reverendus abbas Vuillelmus rediret vacuus à munere, ſtolam auro textam, duaſque cappas purpureas aureo limbo decoratas, ab eodem percepit Præſule. Sed & præfatus Benedictus abbas ordinatus caſulam auro decenter ornatam, atque alia ornamenta obtulit ei pro benedictione, quæ præfatus pater tam hoc in loco, quam Fructuarienſi à ſe noviter cœpto diviſit, ut ſibi placuit. Prædictam vero ſancti Arnulfi abbatiam poſt mortem ante dicti Abbatis rexit annis multis.

Benedictus.

17. Ex Tullenſi quoque clero venit ad eum quidam, ARNULFUS vocabulo, litteris apprime eruditus, omnique mundana ſapientia doctus. Hic in brevi aſſecutus perfectioris vitæ inſtitutionem, commiſſa eſt ei cura à domno patre Vuillelmo non ſolum hujus, ſed & omnium quæ ſub ejus erant proviſione locorum. Qui quanta in hoc loco egerit bona poſt referemus &c. Domnus igitur BERTOLDUS Leucorum, qui Tullo dicitur, epiſcopus per querimoniam à ſe delapſi clerici confabulationem quæſivit ſæpefati abbatis Vuillelmi: in cujus verbis conſiderans inconcuſſam inadulatamque conſtantiam mentis, ceteraque inſignia virtutum in ejus actis & moribus reſplendentia admiratus, monuit inſtanti prece, ut abbatiam ſancti Apri ſuſcipiens emendare curaret ſecundum ſancti Benigni inſtitutionem. Cujus annuens precibus, idem cœnobium in paucis annis ad regularem commutavit ſtatum. Invenit ibidem ſtrenuos monachos, ex quibus unum, VVIDRICUM nomine, poſt non multos annos in eodem monaſterio conſtituit Patrem monachorum. Qui egregii magiſtri docilis diſcipulus, ita eum ſtuduit imitari in omnibus, ut in ſuis omnibus vel verbis vel actibus repræſentari quodammodo videretur pater Vuillelmus. Multos denique erudiens in ſancta converſatione, aliquantos aliorum monaſteriorum patres monachorum ex ſua protulit congregatione.

Arnulfus. Widricus.

18. Plures igitur ſacerdotum vel abbatum ſibi commiſſorum locorum, vel eccleſiarum relinquentes curam, ad patris Vuillelmi confluebant doctrinam. Quidam epiſcopus civitatis Albingatæ, quæ eſt juxta Genuam civitatem, ſuper mare ſitam in Italia, relicto epiſcopio, prædicti Patris ſe ſubdidit imperio. Alter quoque epiſcopus, BARNABAS vocatus, genere Græcus, in hoc monaſterio ſub ejus magiſterio plurimis annis eſt converſatus. Alius vero, BENIGNUS dictus, epiſcopus, à Roma huc adveniens, per aliquot annos cum ipſo commoratus fuit, ſubjectus & obediens [a]. Abbates etiam perplures ex diverſis partibus venientes ſponte ſe ipſi ſubjiciebant, obedire parati: inter quos fuerunt abbas JOHANNES, dictus Capuanus; alter quoque JOHANNES, abbas monaſterii ſancti Apollinaris in urbe Ravenna; BENEDICTUS quoque abbas monaſterii ſancti Severi urbis Claſſis, ANASTASIUS etiam & MARCUS, & alii abbates plures, quos longum eſt enumerare. Monachorum vero non eſt numerus, qui ab illis venerunt partibus. Archidiaconus etiam quidam Mediolanenſis, nomine GOTEFREDUS, ut nobilem decebat, nobiliter veniens cum multis theſauris, inter quos altare onychinum, auro & argento decenter ornatum, &

Epiſcopi ipſius magiſterio ſe ſubjiciunt. a Et abbates. Et alii.

a In Necrologio Benigniano alii item epiſcopi ejuſdem loci monachi habentur, nempe *Johannes archiepiſcopus Corinthi Idibus Decembris*, & Pibo Tullenſis epiſcopus IX. *Calendas Decembris*.

Digitized by Google

quidquid ad capellam pertinebat, ornamentum ſcilicet eccleſiaſticum, ſecum detulit. Pluribus annis in hoc monaſterio monachus permanſit, ac poſtea per conſenſum abbatis Vvillelmi patriam revocatus, abbas apud Mediolanum eſt conſtitutus. ANN. CH. MXXXI. JAN. I.

19. Ipſi denique ſancti viri patres & doctores Eremitarum exſiſtentes, fama ſanctitatis longe lateque notificati, ROMALDUS [a] ſcilicet, VVILLELMUS ac MARTINUS, quos in magna veneratione habebat urbs Ravenna, ceterique quos intra ſe concludit Italia, patris Vvillelmi expetebant ſocietatem. quia ſanctorum conjunctio grata & jocunda, Eccleſiæque perneceſſaria; & è contra ſocietas malorum impedimentum bonorum. Ipſi vero cultores eremi, relicta quiete ſolitudinis, gaudebant ſub ejus magiſterio aſſociari cœnobitis. Ex eorum ergo numero adjuncti fuerunt ei duo, JOHANNES & PAULUS, litteris eruditi, quorum ſapientia ad ſalutem multarum profecit animarum. Horum uterque monaſticæ religionis ferventiſſimus, & in cœnobiali converſatione ceteris erant imitandi, & in contemplativa vita lectioni & orationi aſſidue ſtudentes, videntibus exemplo fuerunt pariter & admirationi. Reverendæ memoriæ Paulus [b] apud nos in pace quievit; Johannes [c] vero homo Dei ſanctam ob converſationem vocatus à domno patre Vvillelmo, Fructuarienſi cœnobio abbas eſt inſtitutus. De quo loco, quia occaſio ſe præbuit, intimandum paucis videtur, qualiter fundatus fuerit. SS. Romualdi, &c. amicus.

20. Duo germani fratres fuerunt ſæpe dicti abbatis Vvillelmi, unus vocatus eſt NITHARDUS, alter GOTEFREDUS. Primus eorum Comitatus honore enituit, alius militiæ ſtipendiis contentus fuit; quos prædictus Pater ſæpe admonendo à mundi illecebris abduxit, & ad Chriſtum convertit. Venientes ergo uterque ad hoc Divionenſe cœnobium, exceptis aliis rebus, dederunt ſancto protectori noſtro Benigno quoddam juris ſui prædium, Vulpianum vocatum, quodam præſagio futurorum. In quo loco domnus Vvillelmus fundavit eccleſiam in honore ſancti Benigni, ut notitia & honor ipſius ſancti in illa patria adcreſceret, & ut in hereditate parentum ſuorum aliquid acceptum Deo ædificaret: deinde ut oblatio eorum ad animarum proficeret lucrum, atque ut fructus bonorum operum, quæ ibi geruntur, ſibi & illis eſſet abolitio peccatorum, & æternæ vitæ digna recompenſatio præmiorum. Unde & Fructuarienſis ille locus eſt vocatus. In brevi ergo tempore factum eſt nobile cœnobium, ubi de hoc loco & ſpiritualia & temporalia ſubſidia ſunt delata; Reliquiæ ſcilicet multæ cum corporibus ſanctorum, volumina librorum, omniaque eccleſiaſtica ornamenta, & monachi plurimi pariter illuc abierunt. Sed & de aliis ſuæ ditioni ſubjectis locis, & undecumque oblatis ſupplementis, magnificatus eſt locus poſſeſſionibus & divitiis; ita ut in vita ejus congregatio illius loci centum numero conſtaret monachis, exceptis locis cellarum ei loco ſubditis, quæ fere triginta exſiſtunt. Convocatis ergo Epiſcopis patriæ, rege quoque ARDUINO, qui ibi poſtmodum quievit, ſua cum conjuge, & multis nobilibus ipſius regni, in honore ſanctæ Dei-genitricis Mariæ, ſanctique Benigni & omnium ſanctorum fecit locum illum ſacrari. Conſtituit & alia monaſteria in eadem patria, ubi deputatis monachis, & abbatibus ordinatis adhuc ordo viget monaſticus. Sanctimonialium etiam inſtituit monaſterium. Fructuarienſis monaſt. initia.

21. Audita Dei viri fama nobiliſſimus Nortmannorum Comes RICHARDUS miſit ad eum, reverenter ſupplicans ut ad ſe veniret qui tandem libenter ut rogatus fuerat pergens, venit ad eum; à quo ſicut decebat honorifice ſuſceptus eſt, multiſque ejus precibus exoratus eſt, ut eccleſiam ſanctæ & individuæ Trinitatis nomine & honore dicatam in loco, qui Fiſcannus dicitur, olim conſtructam, & à ſe in ampliorem ſtatum decenter reformatam ſuſciperet, atque monachorum collegio decoraret. Cujus precibus annuens, ita præfatum locum omnibus religioſis ſtudiis, ceteriſque bonorum copiis adornavit, ut præ cunctis illius provinciæ locis, felicibus ſemper floreat incrementis. In quo loco multi convenerunt nobiles viri, tam clerici quam laïci, ejus doctrinis cupientes inſtitui: inter quos OSMUNDUS epiſcopus, ſanctæ & religioſæ vitæ exſtitit monachus. Duo quoque clerici liberalibus artibus adprime eruditi, aula regis poſtpoſita, Vvillelmum patrem expetierunt mente devota. Unus eorum vocabatur JOCELINUS, alter BERINGERIUS: è quibus prior poſtmodum abbas exſtitit, ſequens in eodem loco vitæ finem accepit. De transmarinis etiam partibus, hoc eſt Anglorum terra, vir quidam nobilis regali proſapia clarus, CLEMENS nomine, relictis ſæculi pompis ad idem monaſterium venit, Deo inibi cupiens militare; ſed cum ab hominibus ex ſua patria adventantibus crebro inviſeretur, magis Deo diligens ſervire cum Fiſcamnenſi monaſt. præficitur.

a Romualdus Camaldulenſium pater, Willelmus ejus diſcipulus, qui laudatur à Petro Damiani in ejuſdem vita num. 31. & forte Martinus, ſeu Marinus, ſub cujus magiſterio Romualdus prima didicit vitæ eremiticæ præcepta.

b An hic Paulus, qui in Necrologio ſancti Germani ſic deſignatur, *Paulus ſolitarius ſancti Benigni VI. Kal. Junii*. Ibi etiam recluſos fuiſſe colligitur ex ipſo Necrologio Benigniano, ubi *Johannes recluſus Idibus Julii*.

c De Fructuarienſi monaſterio infra ſeorſim agemus, ubi charta, in qua Johannes primus loci iſtius abbas memoratur.

Digitized by Google

ANN. CH. MXXXI. JAN. I.

quiete, quam vanitates mundi frequenter audire, Divionenſe expetivit cœnobium, ubi laudabilis vitæ complevit curſum. Fuit itaque ſecundum etymologiam ſui nominis, clemens animo, omnibus virtutibus adornatus, præcipue humilitate, qua in tantum ſe abjectum & vilem aſſerebat, ut cum ſacerdotii gradu fungeretur, numquam in omni vita ſua, niſi ſemel, ad hoc miniſterium accedere præſumſerit.

22. Poſtquam igitur per annos fere triginta Vuillelmus abbas Fiſcannenſe rexit cœnobium, cum jam ſenectute ſimul & ægritudine gravaretur, & elegiſſet ſibi Fructuarienſem locum ad inhabitandum, deſiderans in patrio ſolo quieſcere. Conſiderans princeps regni ROTBERTUS, qui poſt patrem & fratrem defunctos primatum tenebat Normannorum, petiit per legatos eumdem Patrem, ut abbatem ſibi ſubſtitueret, quia loci ſtatus aliter ſine detrimento manere non poſſet. Ad cujus petitionem, quemdam ſibi valde dilectum monachum, ejuſdem loci priorem, nomine JOHANNEM, conſtituit abbatem; licet eum alibi magis optaſſet præficere. Hic Italiâ partibus Ravennæ ortus, litteris eruditus, ac medicinali arte per ipſius Patris juſſionem edoctus, religioſæ converſationis ejus, doctrinæ quoque ac omnium virtutum ipſius præ cunctis aliis exſtitit imitator ſtudioſus. Qui ab exilitate corporis, Joannelinus diminutivo nomine eſt dictus: ſed humilitatis, ſapientiæ, diſcretionis, ac ceterarum virtutum tanta in eo refulſit gratia, ut (ſicut ſanctus refert Gregorius in libro Dialogorum de Conſtantio presbytero) ita ut in hoc mirum eſſet intuentibus, in tam parvo corpore gratiæ Dei tanta dona exuberare. Sed quia adhuc domum habitat luteam, ſufficit hoc tantum dixiſſe. Dicit enim Scriptura: Ne laudes hominem in vita ſua.

[Margin: Johannes abbas Fiſcamnenſis. — Lib. I. c. 5. — Auctoris ætas.]

23. Commiſit & alia loca memoratus comes RICHARDUS ſæpefato abbati Vuillelmo, ſcilicet Gemmeticum, ut jam diximus, monaſterium ſancti Audoëni, Montem ſancti Michaëlis archangeli, in quo loco poſt mortem patris prædicti, ſupradictus Johannes abbas conſtituit patrem, quemdam monachum prænominati patris Vuillelmi. vocatus eſt autem iſdem frater SUPPO, Romanorum patria exortus, & jam dicti magiſtri inſtitutione in omni ſanctitate educatus. Qui poſt modum quibuſdam contrarietatibus exortis, relicto ipſo loco, Fructuarienſem [a] abbatiam pluribus annis rexit. ROTBERTUS etiam rex abbatiam ſancti Germani apud Pariſius precatus eſt prædictum patrem ut ſuſciperet, & ſecundum regularem inſtitutionem ordinaret. quod & fecit. Necnon & ODDO comes pari devotione locum ſancti Faronis in urbe Meldorum eidem commiſit venerabili Patri. Sed & honorabilis præſul Mettenſis eccleſiæ THEODERICUS Gorzienſem abbatiam eodem zelo Dei commendavit illi, defuncto illius loci abbate: qui dum præfatum regeret locum, ex clero Mettenſi quemdam clericum, SIGIFRIDUM vocatum, litteris bene doctum, ad monaſticum attraxit ordinem. qui poſt ejus deceſſum eamdem rexit congregationem.

[Margin: Guillelmus varia monaſteria reformat.]

24. Domnus vero Arnulfus iſtius loci prior, ut jam diximus, cum patris Vuillelmi & præfati Præſulis admoneretur precibus, ut jam dicti loci ſuſciperet curam, atque abbatis officium, ipſe humilitatis amator nullo modo aſſenſit, magiſque elegit ſubeſſe quam præeſſe, ſolummodo cujuſdam parvi loci à prætaxato patre Vuillelmo ſibi expetivit curam & dominium. Eſt autem locus ille ſitus in confinio Tullenſis & Lingonenſis parrochiarum, in loco qui vocatur Brittiniaca-curtis [b]. Quomodo vero ſancto Benigno iſtius loci patrono fuerit datus, nunc referemus. JACOB Tullenſis urbis epiſcopus dum rediret Roma, incitatus fama miraculorum, quæ in hoc loco Dei operabatur clementia per iſtius ſancti merita, ad ipſius martyris Chriſti advenit tumulum, cupiens à Deo veniam adipiſci delictorum per hujus glorioſi martyris interventum. dumque per aliquot dies remorando ad tumbam ejus cælorum penetraret intima, vocatus à Domino eſt ad cæleſtia regna, ſanctique Benigni adjutus precibus, & in cælis cum eo gloriam & in terra juxta ejus tumulum condignam accepit ſepulturam. Cujus ſoror nomine LILIOSA ad ſancti Benigni veniens limina, prædictum prædium ſuum donavit ſancto Benigno martyri pro fratris ſui ſepultura, in quo loco ædificaverunt eccleſiam in honore ſancti B.nigni &c. Hunc ergo locum ſupradictus domnus Arnulfus ſibi eligens omni cura ſtuduit eum augmentare; ac primam baſilicam ibi magnam conſtruens, officinaſque ac reliqua habitacula monachis utilia, nobile cœnobium conſtituit, poſſeſſionibuſque ac terris augere procuravit. *Multa ſubjungit auctor de variis donationibus tunc temporis monaſterio Benigniano factis, quæ huc referre operæ pretium viſum non eſt. ſed & complures recenſet cellas, ſeu, ut vulgo appellantur, prioratus, quæ eodem tempore de novo exſtructæ aut certe monaſterio ſancti Benigni attributæ fuerunt. Tales ſunt* Vulnonis-villa in pago Tricaſſino, in pago Pertuenſi Albiniacum, *cujus eccleſiam Arnulfus mox laudatus* librorum ornamento decoravit, impenſas tribuendo, & domnus GIRBERTUS ſcribendo. *Is porro* Girbertus *ibidem dicitur*

[Margin: Arnulfus abbas. — Jacob epiſc.]

a Aliquot vaſa ſacra à Suppone Michaëlinæ eccleſiæ data memorat Arturus in Neuſtria pia, qui eumdem Fructuariam receſſiſſe anno 1048. ibique obiiſſe anno 1061. ſcribit.

b Huic loco duo altaria dedit Bertholdus epiſcopus Tullenſis anno 1005. *ut monaſtica religione* à Willelmo inſigniretur. Donationis chartam habet Perardus. Ejuſdem loci eccleſiam dedicavit & dotavit Bruno, poſtea Leo IX. papa factus.

Digitized by Google

ex primis quos nutrivit domnus abbas Vvillelmus, & ab officio Scriptor eſt appellatus. *Anno autem* M V. *reſtaurata eſt & novis prædiis dotata* cella ſancti Stephani prope Belnam, ac Vvillelmi providentiæ *commiſſa. Anno* MXXIII. *eidem donata fuit cella* beatæ Mariæ de Salmacia, ut monachi ibi mitterentur &c. *De iis rebus complures chartæ habentur apud Perardum. ubi etiam Lethaldus miles dat anno* M V I. *eccleſiam ſancti Petri in loco Puteolis, ut ibi monachi inſtituantur, & Haimo conſilio Lamberti epiſcopi ſancti Flaviani locum anno* M X X X. *Vvillelmo ſubjecit, ut ibi monaſticum ordinem repararet.* IMBERTUS *tunc Lingonum archidiaconus, qui poſtea Pariſiorum epiſcopus factus fuit*, obtulit per donum & laudem LAMBERTI epiſcopi, ſancto Benigno abbatiam ſancti Amatoris prope Lingonas, ut ibi monachi ſiſterentur, qui Deo hymnis & laudibus die noctuque deſervirent. *Eodem Lamberto* laudante AYMO comes dedit Vvillelmo abbatiam in honorem ſanctæ Dei genitricis Mariæ ſacratam, & ante ſuum caſtrum, quod Saxonis-fons dicitur, poſitam, quatenus ordo monaſticus, qui ibi quondam fuerat inſtitutus, ipſius repararetur ſtudio. *Ceteras donationes omittimus. Sed prætermittere non licet egregii pontificiis Brunonis encomium, quod his verbis proſequitur Chronographus.* Ann. Ch. MXXXI. Jan. I.

25. Quia longum eſt enarrare cuncta, quæ huic monaſterio collata ſunt [a] tempore domni Brunonis epiſcopi, & quibus per ipſum vel propter ipſum ab aliis augmentatum eſt bonis, ad ipſius vitæ finem, habitatoribus hujus domus Dei omni tempore dolendum & deflendum veniamus. Sed ante paucis deſcribere curabimus quis fuerit modus vitæ ejus. Fuit itaque in eleemoſynis largus, in vigiliis ſedulus, in oratione devotus, in caritate perfectus, in humanitate profuſus, in ſermone paratus, in converſatione ſanctiſſimus: erat inreverentibus terribilis aſpectu, metuendus ſeveritate, reverendus inceſſu, venerandus benignitate. Cenſuram auctoritatis temperabat manſuetudo humilitatis. non perſonæ potentiam, ſed morum elegantiam attendebat in ſingulis; & tanto eminentius unumquemque honorabat, quanto ſanctius vivere didiciſſet. Clericorum ac monachorum, ſanctimonialium quoque, necnon viduarum ac pupillorum pater erat, atque inter divites & pauperes ita medius, ut pauperes illum quaſi patrem aſpicerent, divites vero quaſi ſuperiorem ſibi divitem timerent. Quamdiu vixit, ita Burgundiam patrocinando protexit atque defendit, non clypeo & lancea, ſed conſilii prudentia, quo ſibi principes patriæ omnes devinxerat, ut cum rex Francorum Rotbertus cum exercitu maximo hanc patriam ſæpe intrans incendiis & rapinis plurima loca vaſtaverit, nihil in ea retinere potuit, quamdiu Bruno epiſcopus vixit; & quia ei nocere non poterat, hujus mali violentiæ cauſa domno abbati Vvillelmo tulit abbatiam ſancti Johannis monaſterii Reomenſis, eo quod partibus favebat, ut juſtum erat, ſui pontificis. Denique quodam tempore memoratus Rex cum plurimo exercitu Divionem caſtrum advenit, circumpoſitam regionem devaſtans ac depopulans: cujus iram timens præfatus abbas Vvillelmus, omnes monachos ab hoc loco per alia monaſteria juſſit ſecedere, aliquantos vero cum libris & omni ornatu eccleſiæ intra caſtrum Divionenſe, ac in eccleſia ſancti Vincentii, quam tunc quieto jure monachi iſtius loci poſſidebant, fecit reſidere, paucis ſolummodo fratribus ob cuſtodiam loci & ſancti Benigni ſervitium cum domno abbate Odilone in hoc loco dimiſſis: quem ad hoc accerſerat, ut ſi forte Rex aliquid mali contra hunc locum moliretur, illius precibus exoratus dimitteret. Rex vero, ut erat mente benignus, cum cognovit propter ſe monachos diſperſos, valde doluit. Paucis itaque tranſactis diebus Franciam repedavit nullo negotio peracto. Ipſo denique anno, qui fuit ab Incarnatione Domini milleſimus decimusſextus, domnus epiſcopus Bruno obiit ſecundo Calendas Februarii, peractis in epiſcopatu annis triginta quinque &c.

a Brunonis encomium.

26. Quoniam ad finem libri tendimus, obitum patris Villelmi intimare curamus. Poſtquam per annos quadraginta duos vineæ Dominicæ ſedulus cultor eam excolendo jugiter propagare, amplificareque curavit, cum jam ſenio infirmitatibuſque multis prægravatus optaret diſſolvi, & cum Chriſto eſſe, bonam conſummationem laborum ſuorum adimplere cupiens, per omnia monaſteria quæ ſub ejus fuerant magiſterio, incipiens ab Italia, circuiendo & fratres exhortando, ut ea quæ ab ipſo didicerant mente retinerent, & opere adimplere ſatagerent. Si quidem ejus doctrina fuit, ut juxta quod præcipit ſancti Benedicti Regula, in verbo, in omni actione, in veſtitus qualitate, humilitatem videntibus ſe ſemper oſtenderent; & ut honore ſe invicem prævenientes dilectionem ſine ſimulatione exhiberent. His & aliis virtutum operibus intentos, etiam diſtincte legendi atque pſallendi magiſterio erudivit. Hæc docendo ceteris monaſteriis peragratis, pervenit ad cœnobium, nomine Fiſcannum: ubi plus ſolito infirmitate prægravatus, ſentiens ſibi imminere ultimum vocationis ſuæ diem, convocatis fratribus, per octo dies exhortans eos, atque abſolutione & oratione Deo commendans, octavo die Natalis Domini, ſumto Chriſti corporis & ſanguinis

Willelmi obitus.

a Privilegia, &c. monaſterii Benigniani à Pontifice Romano confirmari curavit Bruno, ad quem Benedictus Papa ea de re binas epiſtolas dedit, quas & totidem ipſi Willelmo ſcriptas exhibet Perardus, cum aliis donationum chartis. Robertus rex poſtea rogante Lamberto Brunonis ſucceſſore monaſterii Benigniani poſſeſſiones, & prædeceſſorum ſuorum privilegia confirmavit anno 1015.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXXXI. Jan. I. ſacramento, reddidit Deo ſpiritum. Cujus corpus à medicis, qui ibi aderant, conditum aromatibus, honorificæ traditum eſt ſepulturæ in ipſo monaſterio, ante altare ſancti Taurini confeſſoris. Poſt cujus obitum domnus HALINARDUS [a] ſuſcepit curam regiminis animarum, quem præfatus Pater ſucceſſorem ſibi elegerat cum conſilio & laude fratrum, baculumque paſtoralem ei tranſmiſerat. Obiit vero prædictus pater noſter Vuillelmus anno ab Incarnatione Domini milleſimo trigeſimo uno. *Duo hic adjicere viſum eſt quæ ad Divionenſe monaſterium ſpeciatim attinent. Primum inſigne Guillelmi erga pauperes caritatis exemplum, quod in ipſo ſancti Benigni monaſterio edidit, ex Chronico Virdunenſi tomo 1. Bibliothecæ Labbeanæ; alterum Benedicti VIII. papæ epiſtolam ad eumdem Guillelmum pro monaſterio Benigniano, in qua mentio habetur Benigni epiſcopi ſupra pag. 340. memorati, quam ex ejuſdem loci hiſtoria mſ. deſcriptam habemus. Sic itaque habet Hugo in Chronico ſub finem partis 1. cap. 27.*

27. Nec debet reticeri Vuillelmi Supra-regulæ factum memorabile. Cum à Fructuarienſi cœnobio quod juris erat Divionenſis eccleſiæ rediiſſet, & Divioni ut decebat ſuſceptus, in Capitulo qualiter ſe fratres haberent, ſi neceſſaria non deeſſent, inquireret. Ut audivit omnia eſſe plena, nullumque locum indigentiæ, qui non poſſet levi obice obſtrui, interrogat de eleemoſyna: cognovitque quia etſi conſuetudinaria dabatur, non tamen pauperibus, prout poterant & habebant, ſuffragabantur: zelo ſuccenſus eo qui carnes ſanctorum exedit, increpata eorum duritia, à ſede concitus cum bona indignati animi ſtomachatione ſurrexit, & impoſita antiphona de Mandato, *Ubi eſt caritas*? non ultra progrediens, ſed hoc ejus initium ſemper repetens, ad cellarium venit, & miſſile quodlibet quod manibus Finees occurrit arripiens, cum in ore & animo ejus ſemper verſaretur, *Ubi eſt caritas*, vaſa in quibus frumentum, ordeum, & vinum ſervabatur, diſrupit, & accitis pauperibus vaſcula eorum implevit, illud ſemper corde & ore depromens, *Ubi eſt caritas*? & operis exhibitione conteſtans. Cujus animi indignitatem vix aliquando ut quod aggregatum erat expenderetur, mitigare potuerunt, cum *Ubi eſt caritas*, ſemper repeteretur; & ipſi incraſſati, impinguati, dilatati exprobrarentur. Nec antea ceſſatum eſt donec omne illud repoſitum pauperibus donatum eſt: & ipſe ad Italiam remeans; cum biennio ſuum à ſæculo exſpectaſſet exceſſum, tandem redire compulſus, ante Divionem tranſiens loca ſibi commiſſa circuibat; dehinc Fiſcannum ſe contulit, ubi imminente anno Dominicæ Incarnationis MXXI. * Indictione XIV. obiit Kalendas Januarii: ad cujus ſepulcrum puerulus decennis à maxima ægritudine ſanatus eſt. *Scrupulum hic V. C. Danielis Papebrochii levare liceat, qui in notis ad hunc locum, in vita ſancti Richardi die 14. Junii Bollandiani pag. 997. ſe perlibenter diſciturum ait*, quo in loco Ritualia habeant hanc antiphonam. *Cui breviter reſpondemus hanc hodieque in monaſteriis cantari feria 5. in cœna Domini ad Mandatum, quo nomine, uti etiam Guillelmi tempore, intelligitur lotio pedum, quæ hac ipſa die non ſolum in monaſteriis, ſed etiam in pleriſque canonicorum collegiis fieri ſolet. Habetur autem eadem antiphona in Proceſſionali monaſtico, & in libellis officii hebdomadæ ſanctæ, quibus vulgo non clerici modo, ſed & quique fideles hac hebdomada utuntur. Jam preferenda eſt Benedicti papæ epiſtola.*

* lege M. XXXI.

28. BENEDICTUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei WILLELMO venerabili abbati & in Chriſto filio dilecto ſalutem ſempiternam cum benedictione Apoſtolica. Audita vigilantia ſtudii tui qua invigilas ſuper filios commiſſos tibi, referimus gratias Deo omnipotenti. Denique comperimus te jamdiu laborare creberrimis tuorum hoſtium incurſibus, & pæne jam deſtitutam Eccleſiam tuam à diripientibus & infortuniis tuis, quæ forinſecus pateris condolemus: namque pro longanimitate patientiæ quam huc uſque exhibuiſti adverſariis eccleſiæ tuæ decet nos gaudere, & bonitatem tuam laudare. Ceterum ſufficiat hactenus hanc patientiam ita exhibuiſſe ut impune ad nihilum redigantur res Eccleſiæ penitus, & præ penuria inopiæ labefactetur ordo Religionis monaſticæ, quæ inibi ſub te dignoſcitur præpollere. Habes tecum filium noſtrum BENIGNUM Epiſcopum gratias Deo effectum monachum, quem ammonens honeſte & religioſe converſari profeſſionem Obedientiæ moribus & opere adtendere; in qua vocatione vocatus eſt, in ipſa permanere: deinde illi jubemus cum omni imperio, ut inimicos ſancti martyris Benigni inſequatur omni juſtitiæ zelo ac cum Divina authoritate feriat eos anathemate. tibi etiam præcipimus ne abſiſtas ei in hoc, ſed ſicut illi auctoritatem pervaſores tuos feriendi concedimus, jubemus & imperamus; ita tibi per veram Obedientiam mandamus, ne impedias illum nec prohibeas quin ipſos malefactores Domini verbi gladio coërceat, ac ſic bene roboretur noſtra auctoritas; & quos namque ille ligaverit Apoſtolica & noſtra auctoritate ſint ligati, & quos abſolverit ſint noſtra pariter abſolutione abſoluti. Damus etiam illi poteſtatem inordinandi, cumque juſte poſtulatus fuerit in ſancta Eccleſia ordinare, verumtamen te jubente.

[a] Halinardi, qui poſtea factus eſt Lugdunenſis archiepiſcopus, vitam ex hoc Chronici Benigniani auctore dabimus ad annum MLII. quo è vivis exceſſit.

EXCERPTA

EXCERPTA EX CHRONICO BESUENSI de eodem S. GUILLELMO.

Ex tomo 1. Spicilegii Acheriani.

1. BRUNO aſſecutus epiſcopatum Lingonenſem, omni, quo potuit, niſu ſequi ſtuduit exemplum boni Paſtoris. Monaſteria igitur ipſius ad diœceſim pertinentia, in ſpiritalibus religione, in temporalibus neceſſaria pæne adnullata gubernatione conſiderans, cœpit quærere, quatenus Dei diſpenſante nutu, ſuum in ſtatum ea quiviſſet reparare, &c. Videns igitur domnus Bruno ſtatum hujus loci, &c. conſiderans patrem WILLELMUM ita ferventem in religione ac monaſtica inſtitutione, & loca ei commiſſa de die in diem in melius proficere, omnia in ſuo epiſcopio monaſteria ipſius delegavit prudentiæ. Videns vero abbatiam iſtam Beſuenſem in honore & nomine beatorum Petri & Pauli apoſtolorum dicatam, pæne ad nihilum redactam, monuit inſtanti prece, ut eam ſecundum regularem emendare curaret inſtitutionem. Cujus annuens precibus iſtud cœnobium in paucis annis ad regularem commutavit ſtatum, &c.

Willelmus monaſt. Beſuæ præficitur.

2. Cœperunt denique ex patria ſua, hoc eſt Italia, multi ad eum convenire, aliqui litteris bene eruditi, alii diverſorum operum magiſterio docti, alii agriculturæ ſcientia periti: quorum ars & ingenium huic loco profuit plurimum. Cum vero Vuillelmus abbas Auguſtorum ſeu Regum palatia adiit, in eis non quæ ſua ſunt, ſed quæ Jeſu-Chriſti quæſivit, ut ex eorum ſcilicet familiari collocutione ſubveniret oppreſſis ſua interventione, aut certe ex ſæculari, vel clericali habitu Deo lucrifaceret, ut juxta Domini præceptum propria relinquerent, & ſæcularibus curis ſemotis, Deo in tranquillitate ſervire deberent, &c.

3. Cum primum abbatis ſuſcepit officium venerabilis Vuillelmus, quidam caſtri Divionenſis civis, nobili genere ortus, RODULPHUS Albus vocatus nomine, venit ad converſionem inter ipſa primordia ejus novæ ordinationis; cujus pecuniis relevata eſt paupertas prædicti Patris, & conſilio atque adjutorio ſublevata ſollicitudo regiminis hujus loci Beſuenſis monaſterii. Adhuc quippe erat ei paucitas monachorum, quem prædictus frater ita juvabat in exterioribus curis, ut ſolus ſupplere videretur ſolamen plurium. Sed præter ejus votum, hoc ſolatium tulit illi paucitas dierum, &c. Hic vero Rodulphus, quoniam hæc eccleſia ſecundum quantitatem, quia parva erat, tantis patronis, Petro dico & Paulo, non videbatur condigna; à fundamentis incipiens, & ad perfectum uſque perducens, in eo ſtatu quo modo eſt, conſummavit. Rexit autem hunc locum ſub abbate Vuillelmo Prior magnus, tam in exterioribus, quam in interioribus providendis & adminiſtrandis ſtrenuiſſimus: quippe qui hoc ipſum jugi cura & exercitio didicerat. Fuerat namque antequam veniret ad converſionem vicecomes Divionenſis. Convertens itaque ſtudium ſæculare in eccleſiaſticum, ex bonis initiis meliores fines obtinuit. Obiit vero hujus vitæ diem Idibus Novembris, cujus anima requieſcat in pace. Amen.

Rodulfi opera utitur.

4. Longum eſt enumerare ſingula, quæ domnus Bruno epiſcopus in hoc loco egit bona, ſed tamen quæ in chartis noſtris reperire potuimus demonſtrabimus.

In nomine Domini Dei & Salvatoris Jeſu-Chriſti Bruno, divina diſpenſante clementia, ſanctæ Lingonenſis eccleſiæ humilis epiſcopus. Si locis omnibus & præcipue ſacris, eorumque Rectoribus, noſtræ indignitati divinitus commiſſis, in ſibi neceſſariis prout valemus pie & opportune conſulimus, eorumque anxietatibus ſollicita cura ſubvenimus, non ſolum in hoc venerabilium & Deo devotorum Pontificum, piorumque paſtorum uſum & conſuetudinem exſequimur, ſed etiam ſaluti animæ noſtræ providemus. Idcirco noverit omnium noſtrûm & noſtri ſollertia, quod veniens domnus abbas Vuillelmus, (quem ob ſanctitatem & venerabilem religionem locis in noſtra diœceſi manentibus, Divionenſi atque Beſuenſi, amanter præfecimus) inſinuaverit nobis quaſdam res de ipſis abbatiis inter ſe neceſſe eſſe reddendi cenſus gratia transferri, noſque id laudare, & omni modo conſentire debere. Cujus providentiam & laudabilem diſcretionem non ſolum laudavimus, ſed etiam ut ſecundum ſuum velle locorumque neceſſitatem id accelerare deberet, attente monuimus, &c.

Brunonis charta.

5. Creſcente autem in hoc religionis ſtudio, domnus Bruno epiſcopus nimium exhilaratus de bona eorum converſatione, de ſuo jure quodcumque neceſſarium & utile eis foret, libenti animo tribuebat. Inter cetera igitur quæ huic loco contulit, ſtatuit, ut de eccleſiis à ſex leugis vel infra à Beſua tempore Rogationum omnes tam viri quam mulieres cum oblationibus ad ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli limina convenirent.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Conſiderans ego Lingonenſium Bruno epiſcopus officii mei negligentiam in damnationem animæ meæ cedere, juxta ſenſus mei modum

Altera pro Rogationibus.

Digitized by Google

Ann.Ch. MXXXI. Jan. I.

» elaboravi eccleſiis Dei proviſores efficere, qui in eis talentum verbi Dei diſſeminantes, me- » cum pariter de eo, ipſi Domino Jeſu-Chriſto lucrum reportantes, æternæ vitæ remuneratio- » ne ditarentur. Volui igitur eccleſiæ Beſuenſi domnum Vuillelmum, virum religioſiſſimum, » abbatem præeſſe, qui dum in ea cuncta regulariter ac religioſe diſponeret, intelligens pro- » pria in quibuſdam non ſatis ſufficere, quæſivit ab eccleſia Lingonenſi eccleſiæ Beſuenſi ali- » quid ad luminarii opus conferri. Cognoſcens itaque petitioni viri Dei non eſſe contradicen- » dum, cum conſilio totius Capituli Lingonenſis ſtatui, ut de eccleſiis à ſex leugis vel infra à » Beſua tempore Rogationum, tam viri quam mulieres, cum oblationibus ad ſanctorum apo- » ſtolorum Petri & Pauli limina conveniant. Illud quoque non otioſe mecum reputans, quia » cum tempore eodem Lingonas venire deberent, alii longitudine viæ, alii imbecillitate cor- » poris, ſeu aliquibus aliis occaſionibus retardati, pabulo divini verbi, & peccatorum remiſ- » ſione, quam ibi deberent accipere, fruſtrabantur. Veniant igitur illo tempore ſtatuto, & » de peccatis ſuis veniam poſtulantes ab eis, quorum linguæ claves cæli factæ ſunt, à mona- » chis illic Deo ſervientibus de ſalute animarum ſuarum admoniti, facta abſolutione, & data » benedictione læti revertantur in pace. Quicumque vero huic noſtræ inſtitutioni, &c. Acta » ſunt hæc anno ab Incarnatione Domini MVIII. Indictione VI. Epacta XI. concurrente IV. » Regnante Roberto rege, & domno Brunone ſedem Lingonicam tenente.

6. *Sequuntur complures chartæ tum Brunonis tum aliorum, qui varias poſſeſſiones eccleſiæ Beſuenſi contulerunt, quas hic referre viſum non eſt, cum nihil peculiare ad illuſtranda Vuillelmi geſta contineant. De Brunonis autem obitu pag. 547. poſt enumeratas ejus præclaras actiones, ut ſupra in Chronico Benigniano retulimus, ſic auctor concludit.* Anno ab Incarnatione Domini MXVI. domnus epiſcopus Bruno obiit II. Kalendas Februarii, peractis in epiſcopatu annis XXXV. cui ſucceſſit Lambertus epiſcopus, & ipſe augmentator bonorum hujus loci devotus.

Brunonis obitus.

Lambertus ei ſuccedit.

7. *Exhibet ejuſdem Chronici auctor donationum chartas, quæ ſub Lamberti regimine eccleſiæ Beſuenſi collatæ ſunt, inter quas aliquot exſtant Gerardi comitis Fontis-Vennæ, qui juxta ſuum caſtrum monaſterium* in honore & memoria ſancti Sepulcri ac ſanctæ Mariæ ſemper Virginis *conſtruxit, quod ſubjecit monaſterio Beſuenſi. Ex harum una diſcimus, apud Beſuam cœmeterium fuiſſe, in quo non ſolum loci hujus, ſed etiam cæterorum locorum, quæ etiam ſatis diſſita erant, corpora ſepeliri deberent, quod jus Lambertus novo monaſterio partim attribuit. ſic quippe ordinat in charta prædicta ad Gerardi conditoris inſtantiam.* Rogat etiam me obnixe epiſcopali auctoritate, ut omnium militum defunctorum corpora, quæ ab hoc Fontis-Vennæ caſtro ad Beſuam, ut conſuetudo eis eſt, non potuerint portari, in cimiterio iſtius loci à me conſecrato conſuetudinabiliter tumulentur. Cuncti etiam qui intra caſtellatum, vel in ipſo ambitu & receptu caſtellati mortui fuerunt, in prædicto ſanctæ Mariæ cimiterio perpetua obſervatione ſepeliantur. *Cum Lamberto ſubſcripſere* Beraldus Sueſſionis civitatis epiſcopus, Beraldus veteranus archidiaconus & abbas, Geraldus comes Fontis-Vennæ & alii. Anno Domini MXIX. Indictione II. Epacta XII. concurrente, III. menſe Maïo, regnante Roberto Francorum rege. *Idem Lambertus utrique monaſterio, Beſuenſi ſcilicet & Fontis-Vennæ, multa contulit, uti proſequitur Chronici auctor, qui de Vuillelmi obitu eadem prorſus habet ac Chronographus Benignianus. Vuillelmo in Beſuenſi regimine Vulgerium tunc temporis ejuſdem loci priorem ſubſtituit Robertus rex. quæ omnia fuſius perſequi non vacat, videri autem poſſunt in Spicilegii Acheriani tomo I.*

APPENDIX I.

De monaſterio Fructuarienſi à beato Willelmo condito.

Monaſt. Fructuarienſis initia.

1. *CUM vix aliquid de Fructuarienſi monaſterio habeatur tum in Vita Guillelmi à Glabro conſcripta, tum apud Chronographum Benignianum, viſum eſt hic paullo fuſius de eo agere, cum hanc habeat ſuper cætera monaſteria, quæ Vuillelmus noſter rexit, prærogativam, quod ab eo in ſuæ ipſius paternæ hereditatis fundo conditum fuerit, indeque plurimum ejus initii notitia profutura ſit ad illuſtranda ejuſdem beati viri geſta. Situm eſt inter duo flumina Orcum & Amalonem in Gallia ſubalpina, intra Eporedienſis diœceſis fines. Conditum primo fuit & dotatum liberalitate fratrum beati Vuillelmi, aliorumque ipſius conſanguineorum, tum variis aliorum donationibus auctum, ac demum Principum & ſummorum Pontificum diplomatibus & privilegiis firmatum & munitum, nulli fere totius Italiæ monaſterio tum nobilitate, tum divitiarum affluentia ceſſit. Ejus natalia paucis exprimit vetus auctor his verſibus; quos Franciſcus Auguſtinus ab Eccleſia, ex antiquo monaſterii Chronico deſcriptos Hiſtoriæ ſuæ Pedemontanæ inſeruit.*

Digitized by Google

Si quis Fructuariæ mavult prænoſcere quando
Cœnobii cœptum rite fuiſſet opus:
Milleſimus ſublimis erat tunc tertius annus
Partus Virginei Principis ætherei.
Martii ſeptenæ ſeu Indictio prima Calendæ
Tempus, vel curſum ambo ſuum peragunt.
Rex ARDOINUS ſceptri moderamine fiſſus
Regnat in Heſperia, tendit in Auſoniam.
Adjuvat ipſe locum dominus, quem munere dotat,
Rebus conſuluit fratribus aſſiduis.
Præſul OTTOBIANUS, quod jure dicando ſacravit,
Abbas WILLELMUS conſtruit hoc Domino.

2. *Sed nemo melius monaſterii ſui natalia exponit quam ipſe Guillelmus; cujus ideo chartam à laudato auctore ex Fructuarienſi Archivio relatam hic deſcribere viſum eſt operæ pretium.*

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Notum fieri volumus fratribus noſtris, tam præſentibus quam futuris, ex omnibus ſanctæ Eccleſiæ filiis, cujuſcumque ordinis, honoris & dignitatis, quod monaſterium noviter conſtructum in loco, qui Fructuaria antiquo nuncupatur vocabulo, liberrimum atque abſolutiſſimum conſiſtat ab omni ſubjectione debitâ cuique diœceſi vel monaſterio, cujus rei cauſa exponere & manifeſtare curamus, ne cuiquam ſubrepat male & inconſiderate occaſionis tumultus. Quidam frater noſter carnali germanitate, GOTTOFREDUS nomine, cum eſſet ſub habitu ſæculari, & libere degeret in paterna hereditate, elegit funditus ſæculum relinquere, & poſt Deum ire. Denique expetens ſanctum Divionenſe cœnobium, illuc, volente Deo, ſuſcepit habitum monaſticum. Verum omnes fratres ejuſdem loci, qui præſentes fuerunt, & oculis hoc viderunt, hoc ſciunt, & ſcire poſſunt, quomodo idem domnus Gottofredus in prædicto loco nullam fecit legalem donationem ex proprio, quod reliquerat, patrimonio, quia in eo ſucceſſerat frater ejus NITARDUS jure hereditario; qui non multo poſt ſecutus eſt fratrem ſuum in prætitulato Divionenſi monaſterio. Denique ROBERTUS, qui ſolus ex fratribus ſuis remanſit laïcus, inter cetera ſuæ poſſeſſionis dona, ipſe, & prædictus frater ejus Nitardus, quæ Domino contulerunt ad conſtruendum monaſterium ſpecialiter locum, Fructuaria dictum, ita ut poſſidebant quietum & ſolidum GONTARDO venerabili viro Taurinenſi archidiacono tradiderunt, ut inde faceret legale teſtamentum, quod appellatur Judicatus *. quod & factum eſt eo rationis tenore, ut poſtquam præfatorum fratrum poſſeſſio tranſiret in Domini poſſeſſionem, nullo modo primam & antiquam perderet libertatis dignitatem. Ergo quoniam de hereditate noſtrorum carnalium anteceſſorum fiebat heres Chriſtus per prædictorum duorum noſtrorum germanorum manus; tandem ſicut incœptum eſt juſto voto, ita decenter expletum eſt adjuvante Deo. Inter ea confirmatum eſt & ſtabilitum inſolide & inconcuſſe, ne ſubjaceat ulli epiſcopio, ſive monaſterio, ſeu ſæculari dominio, & corroboratum imperialibus & regalibus, ſive epiſcopalibus præceptis atque privilegiis. Inſuper autem ſubnixum ſcripto Apoſtolico à ſummis pontificibus univerſalis Eccleſiæ, prius à domino papa JOHANNE, deinde ab ejus ſucceſſore domino papa BENEDICTO, ubi in Lateranenſi baſilica ſedebat undique circumfultus plena ſynodo, in qua, exceptis Abbatibus, vel reliquis diverſi ordinis, ſeu dignitatis fidelibus, quadraginta adfuere Epiſcopi cum ſancti Petri Cardinalibus, qui omnes teſtamentum, quod dominus papa Benedictus ipſi loco fecit, poſt eum confirmaverunt, & ſignantes ſignaverunt, atque jaculo excommunicationis & maledictionis pariter omnes illud damnaverunt. Quicumque illam moleſtare tentaverit ſanctionem tantæ auctoritatis, nemo movere debet ad occaſionem quempiam ex noſtris fratribus, ſive aliquem loco inſidiare volentem injuſtis conſpirationibus, ut materiam hujus libertatis calumniandæ inde ſumere conentur, quod in cœnobio, ubi ſuperius nominati fratres ſanctæ converſationis habitum ſuſceperunt, abbas ſum ordinatus, & in ædificando monaſterio Fructuarienſi appoſuerim manus: quoniam & me defendit, ſicut ſupra monſtratum eſt, juſta occaſio, & locum tuetur ipſa reſtitutio, quia ab ingenuis poſſeſſionibus antiqua libertate liber eſt Deo donatus, & quia paupertacula eorumdem fratrum & germanorum noſtrorum non ſufficiebat ut ſtabiliretur, ad virorum multorum, præcipue ARDUINI regis & BERTÆ uxoris ejus miniſterio eſt fundatus. Præterea Nitardus inde per legale teſtamentum ſucceſſor effectus, patrimonium quod reliquerat Gotofredus, poſtea Fructuariæ legitima traditione donavit funditus. Sed ne qualibet juſta occaſione malæ ſuſceptioni detrahendis ſeminarium naſceretur, cum beneplacito domini BRUNONIS epiſcopi, de prædictis omnibus à voto noſtro non diſcrepantis, & fratrum, amicorumque utriuſque

Charta beati Willelmi.

* al. Indicatus.

ANN. CH. MXXXI. JAN. I.

partis ſumpta inſigniora ornamenta ab eodem monaſterio, & in memoriam ipſius ad eum conſolandum Divionem tranſmiſſa, ſcilicet textum unum auro, gemmis & lapidibus mire ornatum, caſulam auro decoratam, & duæ ſtolæ deauratæ cum earum manipulis, & unum cingulum, atque quatuor amicti deaurati. Itaque cauſis redditis hujus deſcriptionis, ſupereſt ut confirmetur ſubſequentibus idoneis teſtibus cum certis teſtimoniis. Ad quam confirmationem &c. ego frater VVILLELMUS, dictus abbas veridica affectione, ſicuti coram ipſo loquens teſtor Dei pro amore in ſupradictis fideliter inſudaſſe, & nunc propria ſubſcriptione hoc teſtamentum confirmans, omnes ſubſcribentes ad æqualem hujus retributionis mercedem votis omnibus pro poſſe admitto, & ſic præſentes & abſentes quamplures ſubſcribere exoro teſtes. Leoterius miſeratione Dei archipræſul Senonum ſubſcribens ſuffraganeos noſtros ſubſcribere rogavi. Goſlinus archipræſul Bituricenſis & abbas ſancti Benedicti firmavi, Fulco Ambianenſis firmavi. Fulbertus epiſcopus Carnotis firmavi, Odilis * abbas Cluniacenſis firmavi, Everardus abbas ſancti Martini firmavi. Goſbertus abbas Turonis ſancti Juliani firmavi. Ego frater Arnulfus prior &c. Teodertus * abbas. Oſmundus epiſcopus, Ecmonus &c. Ego Rotbertus gratia Dei rex Franciæ meum, & filii mei regis Ugonis nomen ſcribere rogavi. Ego Rotbertus rex firmavi manu propria. Ego Ugo rex firmavi. Ego Erveus archiclavis ſancti Martini Turonenſis firmavi. Ego Ugo archipræſul Turonenſium firmavi. Ego Rotbertus Rotomagenſis archiepiſcopus omni auctoritate firmo. Ego Ugo Bajocacenſis eccleſiæ epiſcopus firmavi. Ego Ugo Conſtantinenſis epiſcopus firmavi. Ego Ugo Ebroïacenſis epiſcopus firmavi. Ego Norgaudus Avrincacenſis * epiſcopus firmavi, Ego Rotgerius Liſuncenſis * epiſcopus firmavi, Siefredus epiſcopus Saxicenſis * firmavi.

* al. Odo.

* f. Theodebertus.

* Abrincenſis.

* Lexovienſis.

* Sagienſis.

Variæ confirmationes ab Henrico Imp.

3. *Quo anno inſtrumentum iſtud confectum fuerit incertum mihi eſt, cum id aut non expreſſerit ipſe Vvillelmus, aut certe datam omiſerit qui ipſum ex autographo deſcripſit, qui etiam aut ob legendi imperitiam, aut neſcio qua alia de cauſa, monumentum iſtud adeo pretioſum multis mendis videtur reſperſiſſe. Ceterum ex variis chartis, quæ à Guichenone in Bibliotheca Sebuſiana & ab Ughello tomo* 4. *Italiæ ſacræ in Epiſcopis Eporedienſibus referuntur, patet nihil à Vvillelmo abbate omiſſum fuiſſe, ut Fructuarienſis monaſterii libertatem, tum in temporalibus, tum in ſpiritualibus adeo firmiter ſtabiliret, ut poſteris temporibus facile non convelleretur. Primum ab Henrico Imperatore confirmari ſibi curavit, quæcumque aut à ſuis propinquis, aut ab aliis piis viris monaſterio tradita fuerant. Exſtat ea de re ejuſdem Henrici diploma, datum anno* MXIV. *ex quo non ſolum multa de variis poſſeſſionibus, quas jam tunc poſſidebat cœnobium Fructuarienſe comperta fiunt, verum etiam exinde innoteſcunt tum nobiliſſimum Vvillelmi noſtri genus, tum alii nonnulli viri illuſtres, qui poſtpoſitis mundi illecebris tunc temporis eo in loco monaſticam vitam ducebant : quin &* Gonthardi judicatus, *ſupra in Vvillelmi inſtrumento laudatus, ab Henrico confirmatur.* Domnus, *inquit*, abbas Vvillelmus noſtram clementiam adiit petens quoddam monaſterium noſtra auctoritate corroborari, ſitum in loco, qui dicitur Fructuaria, ex propria hereditate fratrum ejus Gotfredi, Nitardi atque Roberti, in honore ſanctæ Dei-genitricis Mariæ, ſanctique Benigni martyris conſtructum, velut in charta Judicatus à Gontardo diacono edita continetur. Cujus precibus ſuſceptis prius regali præcepto confirmavimus &c. *Inter alios monaſterii benefactores recenſet Otthonem-Vvillelmum, noſtri Vvillelmi conſanguineum, ut ſupra diximus, cujus complures exſtant chartæ in Benigniani, ſicut & in Fructuarienſis monaſtrii favorem datæ.* Habeat & teneat quieto jure Caſtellum-Longobardorum cum omnibus ſuis pertinentiis, & omnia prædia illa & cortes, quas dedit Ottho, qui & Vvillelmus, Comes, filius Adalberti, nepos Berengarii regis, ipſo loco infra fines Longobardiæ ex hereditate parentum & propinquorum ſuorum. Statuimus etiam per hanc noſtri præcepti firmitatem in perpetuum habendas omnes terras illas, quas habere debet jam ſæpe nominatum monaſterium ex hereditate Roberti, quondam viri nobiliſſimi, qui fuit genitor jam dicti abbatis Vvillelmi.... Confirmamus omnem illam hereditatem & poſſeſſiones, quæ ex paterno & materno jure debebantur Otberto, qui fuit filius Gerardi, & nepos Otberti comitis, qui fecit heredem ſuam ſanctam eccleſiam Fructuarienſem, quando pater ejus & ipſe reliquerunt mundum, dantes ſe & omnia ſua Deo factis monachis.... *Sub finem enumerat cellas, ſeu prioratus, qui jam tunc à monaſterio illo pendebant; ſcilicet* Cellam Aſtenſem, cellam Navigenſem, cellam in Quaranta, cellam in Cavalliaca, Cellam in Paderno. *&c.*

4. *Anno Chriſti* MXXIII. *aliud item privilegium ab eodem Imperatore obtinuit Vvillelmus, quo monaſterium Fructuarienſe* prout in charta Judicatus à Guntardo Diacono edita continetur, *ſub ſpeciali ſua defenſione ſuſcipit, ac Privilegium Benedicti* VIII. *confirmat.* Dehinc, *inquit*, ut ſtabilius permaneat imperiali auctoritate corroboramus, ſub noſtra defenſione ea ratione recipimus, ut nullus Dux, Marchio, &c. Statuimus quoque & Dei noſtraque auctoritate confirmamus, ut idem locus ſupra memoratam libertatem in cunctis obtineat, & quæcumque de ejus libertate & ſtabilitate, de abbatis electione & conſecratione à domno

Digitized by Google

apoſtolico Benedicto, multiſque Epiſcopis in privilegiis & ſynodalibus decretis ſtatuta ſunt, rata omni tempore & inconcuſſa firmitate ſubnixa conſerventur. *Obſervat Hugo abbas Flaviniacenſis in Chronico Virdunenſi, Vuillelmum noſtrum, quem* rectorem ſtrenuum & religione præſtantiſſimum *appellat, beato Henrico acceptiſſimum fuiſſe. Et paullo inferius eumdem Vuillelmum* Supra-Regulam *dictum fuiſſe ait,* à rigore ferventioris propoſiti.

5. *Poſt Henrici Auguſti obitum Conradus ejus ſucceſſor, à beato Vuillelmo rogatus, iiſdem pene verbis ac Henricus monaſterii Fructuarienſis libertatem ſua pariter auctoritate roboravit, ut ex ipſius charta patet, quæ ab eodem Guichenone refertur, in qua Johannes ejuſdem loci abbas memoratur, qui in Chronico Benigniano, ſupra pag.* 342. *appellatur* Joannelinus; *& Henricus, ejuſque ſucceſſores Auguſti* in fratrum ſodalitium *dicuntur adſciti.* Dignum duximus Fructuarienſe cœnobium litteralibus præceptis confirmare, exorante domno Vuillelmo Divionenſi abbate, qui prædictum monaſterium ex prædiis, eleemoſyniſque propinquorum ſuorum, ac ceterorum fidelium Chriſti à fundamentis conſtruens, plurimos ſecundum Regulam ſancti Benedicti Deo ſervientes inibi congregavit. Nos noſtroſque in perpetuum ſucceſſores, prout divæ memoriæ prædeceſſorem noſtrum Henricum ſuo ac fratrum contubernio ſociaverit, omnium benefactorum ſuorum participium habere cupiens, primum ejuſdem cœnobii abbatem, nomine Johannem, ejus in præſentia conſecrari fecit, & tam ipſum quam totum eumdem locum ſuæ imperiali tutelæ commiſit, ea maxime pro cauſa, ut eamdem illi in omnibus libertatem conſervet, quam Cluniacenſe monaſterium habere dignoſcitur. Nos ergo ſaluti noſtræ conſulentes, &c. *Privilegia quoque & Synodalia decreta Benedicti Papæ ceterorumque epiſcoporum, confirmat iiſdem verbis ac in Henrici diplomate ſupra laudato, quod & ab aliis Imperatoribus, immo & à Pontificibus Romanis factum fuiſſe obſervat Franciſcus Auguſtinus ab Eccleſia in Catalogo Fructuarienſium abbatum, Hiſtoriæ chronologicæ Pedemontanæ cap.* 27. *ubi Johannem abbatem hic memoratum Guidonis comitis ſancti Martini filium, Arduinique Italiæ regis nepotem fuiſſe dicit.*

Item à Conrado.

6. *Non minori devotione Robertus Francorum rex erga monaſterium Fructuarienſe tenebatur quam Imperatores, quamvis eſſet extra ſui ipſius ditionem ſitum. Unde cum ab eo requiſiiſſet Guillelmus bonorum aliquot confirmationem, quæ in Francia monaſterio ſuo conceſſa fuerant, ultro ei piiſſimus Rex præbuit aſſenſum, atque generali præcepto aſſeruit Fructuarienſi monaſterio quæcumque vel jam data ipſi eſſent, aut quæ poſtea forte traderentur, intra regni ſui fines. Sed charta integra exhibenda eſt, utpote quæ nonnulla continet ad iſtius temporis hiſtoriam conducentia. Sic itaque habetur in Bibliotheca Sebuſiana centuria* 1. *num.* 80.

Et à Roberto rege.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Robertus gratia Dei Francorum rex. Noverit omnium ſanctæ matris Eccleſiæ fidelium induſtria, ut præſens ſed etiam futura, quod quidam noſter Comes, Guillelmus nomine, noſtræ ſerenitatis adierit præſentiam, rogans & obnixe poſtulans, ut quamdam eccleſiam in honore ſancti Martini ſacratam, in ſuburbio Belnenſis caſtri ſitam, olim abbatiam, ſed jam omnino deſtructam, quam etiam jure noſtri beneficii poſſidebat, ſe mihi liceret credere, eo conventionis tenore, ut eamdem eccleſiam cuidam congregationi in loco Fructuariæ juxta Alpes Deo regulariter ſervienti comminus traderemus perpetualiter habendam. Cujus rationabili & devotæ petitioni libenter condeſcendere volui, quoniam eidem cœnobio jam pridem quamdam abbatiam ſanctæ Mariæ, in ſuburbio Cabilonenſi ſitam, cum eccleſia Buſciani, & alodum Caſſiniaci cum eccleſia ejuſdem villæ per præcepti firmitatem conceſſeram. Quæ omnia dedi inſtinctu & petitione domini Guillelmi abbatis, ejuſdem loci Fructuarienſis devoti fundatoris, interveniente & ſubſcribente Goſfrido Cabilonenſi epiſcopo cum reliquis Epiſcopis qui interfuerunt concilio nuper Ariaci habito. Innoteſco igitur cunctis prædictam Belnenſem eccleſiam Guillelmum Comitem mihi reddidiſſe, & me eam Fructuarienſi cœnobio dediſſe; erga quem locum taliter noſtræ benevolentiæ inculcamus affectum, ut quicumque in omni noſtræ dominationis regno pro redemtione peccatorum ſuorum aliquid inibi conferre voluerit, noſtræ auctoritatis habeat aſſenſum; & ſicut noſtri præcepti auctoritate firmavimus, ita etiam legaliter dandi in poſterum habenda abſque declamatione decernimus, & harum rerum conventionem anuli noſtri impreſſione ſignamus. Actum Avaloni, anno Incarnati Verbi MXXIII. regnante Roberto XXXVII. Ego Baldoinus cancellarius relegendo ſubſcripſi.

7. *Porro Guillelmus comes in hac charta memoratus, qui eccleſiam ſancti Martini Belnenſis monaſterio Fructuarienſi ſubjecit, is ipſe eſt* Vuillelmus cognomine Otto, *jam ſæpius laudatus, ut patet ex ejus donationis charta, quæ à Guichenone refertur centuria* 2. *num.* 72. *ubi Raynaldus ejuſdem Otthonis filius appellatur, ipſe ſcilicet qui patri in Burgundiæ comitatu ſucceſſit. Idem dedit alia multa Fructuarienſi monaſterio, quæ in ejus charta libro laudato num.* 30. *ſingillatim recenſentur. Gerardus Comes Mettenſis poſſeſſiones aliquot cum Vuillelmo commutavit, anno* MXX. *quas poſtea ipſe Vuillelmus Fructuarienſi monaſterio tradidit, ut patet ex duabus chartis ibidem relatis, in quarum altera, data anno* MXX. *Vuillelmus, etſi adhuc vivens,* beatæ memoriæ *appellatur. Sed iis omiſſis proferre ſufficiat Lamberti Lingonenſis epiſcopi chartam, qui Fructuarienſis monaſterii ſubjectionis à Divionenſi immunitatem, quam à Brunone Guillelmus*

Lamberti charta pro Fructuarienſi monaſt.

Digitized by Google

ANN. CH. MXXXI. JAN. I. *impetraverat, confirmavit. cujus tamen nullum habebatur publicum inſtrumentum, quod Bruni morte præventus rem non abſolviſſet. Hæc autem charta eſt veluti ceterarum omnium, quæ pro aſſerenda monaſterii ejuſdem libertate ſupra protulimus, compendium. Habetur centuria 2. num. 79. ex archivio regio Taurinenſi deſcripta.*

Ego LAMBERTUS ſanctæ Lingonenſis eccleſiæ epiſcopus, notum fieri decrevi tam præſentibus quam futuris, quod quidam dilectus ex dilectis, abbas videlicet Vvillelmus, adiit paternitatem noſtram juſtis precibus, ut Synodali decreto quoddam teſtamentum, quod ad votum præventu mortis beatæ memoriæ prædeceſſoris noſtri Brunonis adimplere nequivit benignitas, noſtræ benevolentiæ perficeretur auctoritate. quod quidem non immerito tanto facilius debet impetrare, quanto Dei cognoſcitur zelo id omnino poſtulare. Quidam enim ſuus carnali propagine germanus, nomine Godefredus, ad ſanctam veniens converſionem, totum quodcumque habuit ſecum Deo devote contulit, ea maxime intentione ut, de proprio ſuo conſtrueretur monaſterium, quod ne alicujus epiſcopio, vel cœnobio fieret aliqua ſubjectione obnoxium, ſollerti pertractatum eſt conſilio, ut in quodam loco, antiquitus Fructuaria dicto, ædificaretur, quod legalem per chartulam à Nitardo & Rotberto germanis ipſius Gotefredi cuidam Guntardo levitæ traditus eſt, ut ipſe inde faceret Judicatus teſtamentum ſub liberrima omnino conditione. quod & factum eſt; ſed non ſine multorum, maxime Arduini regis & Bertæ uxoris ejus adjutorio; quorum ſagaci induſtria legali legaliter confirmata ſunt teſtamenta, & ſancto Divionenſi cœnobio non parvi pretii, ut patet; collata ſunt ornamenta; ſcilicet textum unum auro, gemmis & lapidibus mire ornatum, caſula auro decorata, duæ ſtolæ deauratæ cum earum manipulis, & unum cingulum, atque quatuor amicti ſimiliter deaurati. quod & ideo facere ſtuduerunt, ut & locus unde Fructuarienſis videlicet ſumſit exordium, his honeſtaretur emolumentis, & hoc memores in poſterum non habeant, unde ſcandalum ſtruere iniqua poſſent voluntate. Et nos igitur æquitatis jura appendentes, & animarum lucris magis quam cupiditatibus perverſorum conſulentes, ſed & ſancti prædeceſſoris noſtri promiſſa complentes, à privilegiis quoque apoſtolicis, atque decretis epiſcopalibus, à præceptis denique imperialibus ac regalibus non diſcrepantes, Fructuarienſe cœnobium cum omnibus quas poſſidere videtur rebus, tam mobilibus quam immobilibus, in nulla ſubjectione, in nullo jure cuiquam noſtri epiſcopii pertinentiæ obnoxium proclamantes; quinimmo ſub proprio paſtore, ut per omnia abſoluta libertate à Romana ſede ſibi conceſſa potiatur, & à ſublato hujuſmodi ſubjectionis vinculo conſtet alienum Volumus & nos, & ſtatuimus ſub ſynodali decreto, ut nullus monachus, aut præſcripti videlicet domni W. abbatis ſucceſſor, contra præfatum locum aliquid querelæ vel calumniæ inferat, vel quicquam proprietatis ſeu ſubjectionis requirat. Ut ſit igitur ipſe locus, Fructuaria dictus, noſtra quoque auctoritate inconvulſa ſtipulatione liber & abſolutus, & ab omni querela immunis, & in fructificandis animabus ſemper Chriſto duce ſacris aptus incrementis; teſtibus ex noſtro clero admiſſis noſtra ſubſcriptione ſignamus. Signum Lamberti Lingonenſis ſedis epiſcopi. Signum Beraldi archidiaconi. Signum Beraldi abbatis ſancti Stephani Divionenſis *&c.* Actum apud Divionem publice III. Idus Januarii anno ab Incarnatione Domini MXVII. Indictione XV. Regnante Roberto Francorum rege. Ego Oddo cancellarius in ſynodo ſanctæ Lingonenſis eccleſiæ hoc teſtamentum perlectum, & ab omni ſynodo laudatum & confirmatum recognovi & ſubſcripſi.

Arduinus rex apud Fructuariâ obit. 8. *Fructuarienſis monaſterii celebritate multi allecti, non ſolum ſua ei; ſed & ſe ipſos tradidere. ex iis celebris fuit Arduinus Italiæ rex, qui rebus male adverſus Henricum imperatorem geſtis, ſæculo valedicens in monaſterium prædictum ſe recepit; ubi defunctus & ſepultus à nonnullis* Beati *nomine donatus eſt. Hoc titulo inſignitur in Benedictino Menologio Bucelini, ubi die 2. Martii, anno MXVIII. obiiſſe memoratur. Hæc ſanctitatis opinio qua Fructuaria tunc temporis commendabatur, ad poſteros etiam tranſmiſſa fuit, ut ex variis chartis facile colligi poteſt, quæ à Guichenone referuntur.* Agnes imp. *Locum hunc præ ceteris coluit Agnes imperatrix, Henrici auguſti mater, cujus, & beati Annonis Colonienſis archiepiſcopi interventu Alexander II. ſummus Pontifex privilegia ejuſdem monaſterii ſuo diplomate confirmavit anno MLXX. Certe cum beatus Anno, ut refert Lambertus Schafnaburgenſis, auctor æqualis, in Italia agens ad Fructuarienſe monaſterium orationis cauſa divertiſſet,* ibi admiratus monachorum artiſſimam, & ſecundum Regulæ inſtituta converſationem, nonnullos eorum in opere Dei probatiſſimos ſecum rediens abduxit, *quos in monaſterio Sigebergenſi à ſe ipſo condito conſtituit: quæ, inquit idem auctor, occaſio fuit, ut in ceteris quoque monaſteriis regularis obſervantia repararetur.*

Huc ſeceſſit. 9. *Sed & ipſa Agnes auguſta, ſæculi vanitate abnegata, prius quam Romæ ſedem fixiſſet, apud Fructuariam morabatur. quantum vero ejuſdem loci monachos veneraretur, ex ejus epiſtola, quam paullo ante quam apud eos ſecederet, ſcripſit, conjici poteſt. ſic autem ſe habet apud Guichenonem Centuria 2. num. 77. ex Chartario Fructuarienſi deſcripta.*

* Andreæ. Ejus epiſtola. A. Imperatrix & peccatrix A. * patri bono & fratribus in Fructuaria congregatis in nomine Domini. Servitutem ancillæ, cujus oculi in manibus dominæ ſuæ ſunt, conſcientia

Digitized by Google

mea terret me pejus omni larva, omnique imagine. Ideo fugio per ſanctorum loca quærens latibulum à facie timoris hujus. nec minimum deſiderium eſt mihi veniendi ad vos, de quibus comperi, quia veſtra interceſſio certa ſalus eſt. ſed noſtræ profectiones in manu Dei ſunt, & non in noſtra voluntate. Interim vero mente adoro ad pedes veſtros, rogans ut Gregoriana pietate in Trajanum, petatis mihi veniam à Domino. quia namque ille unus homo ab inferni clauſtris exoravit paganum, multi vos facile ſalvabitis Chriſtianam unam. Quod ſi decreveritis, peto, ut in ſignum pietatis ſocietatem & fraternitatem veſtram mandetis, & mittatis mihi quam primum. Rogo etiam ut parvum quod mitto munuſculum admonitionis ſignum ſuſcipere dignemini, quatenus credam quia de me curam incœperitis. Valete, & tu Pater bone diligenter commenda me ſpiritalioribus fratribus de cœnobiis atque cellis, ut faciant me participem in orationibus & jejuniis, atque omnibus benefactis ſuis. ANN. CH. MXXXI. JAN. I.

10. *Eadem Auguſta interveniente Henricus Imperator, filius ejus, monaſterio Fructuarienſi Rivum totum cum omnibus appenditiis ſuis in comitatu Aquenſi dedit, ut ex ejus charta certum eſt, quæ centuria* II. *num.* 76. *refertur. Initio ſæculi ſequentis Patriarcha Jeroſolymitanus cum Fructuarienſis monaſterii fratribus ſocietatem iniit, cujus ea de re epiſtola habetur, ibidem num.* 75. *Totus eſt in Fructuarienſis monaſterii laudibus deſcribendis Petrus Damiani opuſculo* 18. *cap.* 3. *ad Adhelaidem comitiſſam. ubi ſe ibi decem diebus hoſpitio ſuſceptum fuiſſe perhibet. Perſeverat etiam nunc celebre iſtud cœnobium ſpirituali ſimul & temporali juriſdictione ampliſſima gaudens, in quo Mauricius Sabaudiæ Ducis filius, qui eidem loco initio ſæculi currentis præerat, Collegium Canonicorum ſæcularium inſtituit.*

APPENDIX ALTERA.

De monaſterio Fiſcamnenſi.

Monaſterium Fiſcamnenſe celebre.

1. *Etſi abbatis nomine quadraginta fere monaſteriis, ut habet Glaber, beatus Guillelmus præfuerit, eumque pro reparata diſciplina regulari, aliiſque beneficiis quam plurima Galliarum & Italiæ cœnobia certatim ſibi vindicent; præ ceteris tamen hanc habet prærogativam percelebre ſanctiſſimæ Trinitatis Fiſcamnenſe monaſterium, quod poſt annos ferme triginta regiminis, ipſius ſepulcro inſignitum fuerit. Certe eum anno* MI. *Fiſcamnenſis monaſterii regimen ſuſcepiſſe diſerte habetur in duplici Chronico, apud Labbeum tomo* I. *Bibliothecæ novæ, quorum unum Rotomagenſe, alterum Fiſcamnenſe ibi appellatur. His conſentit auctor Chronici Benigniani: eum vero anno* MXXXI. *obiiſſe nullus in dubium revocare poteſt. Eſt autem Fiſcamnum, vulgo* Feſcan, *oppidum intra diœceſis Rotomagenſis fines, quamvis omnino liberum, ſitum in Caletis ad proſpectum maris, quo in loco Vvaningus, vir nobilis, ſæculo ſeptimo monaſterium virginum conſtruxerat: ſed eo per Nortmannos deſtructo, aliud pro viris Nortmanniæ Ducum liberalitate ſæculi hujus initio conſurrexit, illudque etiamnunc opibus & nobilitate ceteris provinciæ cœnobiis præeminet, ſub noſtra ſancti Mauri congregatione. Vvaningi primi ejus fundatoris Vitam, ſeu potius mutila ipſius Vitæ fragmenta ex incertis auctoribus, Sæculo ſecundo protulimus. Præter hanc vitam habemus præ manibus ex codice mſ. ejuſdem monaſterii librum, cui titulus eſt:* De revelatione, ædificatione & auctoritate monaſterii Fiſcamnenſis, *in quo ejuſdem loci initia, caſus & clades à Nortmannis illatæ, ac demum ejus reparatio fuſius exponuntur. Ex hoc libro diſcimus ſanctum Maiolum Cluniacenſem abbatem à Richardo I. Nortmannorum Duce fuiſſe invitatum, ut monachos Cluniacenſes Fiſcamnum tranſmitteret, canonicis qui tunc hanc eccleſiam occupabant, ſubſtituendos. quod cum vir ſanctus facere renuiſſet, poſtea Richardi junioris tempore Guillelmus noſter, jam abbas Benignianus, eidem loco præpoſitus eſt, ubi monaſticam vitam reſtituit. Guillelmum præ ceteris viris piis, qui tunc temporis in Nortmannia florebant, à Richardo dilectum fuiſſe teſtatur Hugo Flaviniacenſis in Chronico Virdunenſi, ubi præmiſſis Richardi laudibus, qui pulſis Canonicis monachos ſub Guillelmi moderamine Fiſcamni inſtituit, ſic concludit:* Hujus tempore viris religioſis floruit Normannia, qui ad eum confluebant velut apes ad alvearia, inter quos hunc virum beatum, *Guillelmum abbatem,* propenſiori coluit reverentia, adeo ut ſpeciali eum amore diligeret, & præceptis ejus obtemperare conſiliiſque adquieſcere gauderet. *Hanc ſibi auctoritatem comparaverat Guillelmus vitæ ſuæ ac ſuorum ſanctimonia. qua vero ratione eo in monaſterio inſtituta fuerit ſub ejus regimine monaſtica vita, jam ex Chronographo Benigniano didicimus, ſed ex laudato libello plenius patebit, quem quidem librum integrum edere primum ſtatueramus, quod multa complectatur de Fiſcamnenſi monaſterio ſcitu digna, & Vvillelmo abbati Fiſcamnenſi, ſecundo an tertio, ſit nuncupatus. Verum cum jam fere integer ab Arturo du Monſtier in Neuſtria pia editus ſit, ſufficere viſum eſt ea proferre, quæ ſpecialius ad noſtrum ſpectant inſtitutum. Sed prius dicendum paucis de viris illuſtribus, qui in monaſterio Fiſcamnenſi tunc temporis floruerunt.*

Digitized by Google

Ann. Ch mxxxi. Jan. 1.

Viri illuſtres Fiſcamni.

2. *Viri illuſtres qui ſub Vuillelmo abbate in monaſterio Fiſcamnenſi floruerunt, in Chronico Benigniano recenſentur. Locum integrum ſupra dedimus. Fuerunt & nonnulli principes ex nobiliſſimo Nortmanniæ Ducum ſanguine exorti, qui iiſdem temporibus ibidem cucullum induerunt, ex quibus Guillelmus Gemmeticenſis* Willelmum *memorat libro 5. cap. 13. Richardi II. filium,* apud Fiſcamnum monachili vellere in adoleſcentia functum. *Paullo poſt* Nicolaus *Richardi tertii filius ibidem etiam, compellente Roberto ſuo ipſius patruo, qui in ejus locum Nortmanniæ ducatum obtinuit, monaſticam vitam ſub Johanne abbate amplexus eſt. is poſtea ſancti Audoëni apud Rotomagum abbas factus multis virtutibus claruit, ut refert Ordericus Vitalis libro 8. ubi fuſe laudes ejus deſcribit. His accenſent nonnulli Malgerium, qui demum ad ſedem Rotomagenſem evectus fuit. ſed hujus opera natalium ſuorum gloriam obſcurarunt.*

Abbates Fiſcamnenſes.

3. *Paucis verbis tres priores Fiſcamni poſt reſtaurationem abbates laudat Ordericus libro 4. ex quibus colligere licet, quanta tunc fuerit ea tempeſtate illius monaſterii fama.* Fiſcamnenſe, *inquit,* cœnobium in proſpectu maris poſitum, &c. poſt Guillelmum Divionenſem, virum ſapientem & in religione ferventiſſimum, Johannes venerabilis abbas annis quinquaginta & uno rexit, poſt quem Guillelmus de Roz, Bajocenſis clericus, ſed Cadomenſis monachus; fere xxvii. annis tenuit. Hic ut myſtica nardus, in domo Domini flagravit caritate, largitate, multimodaque probitate. Opera quæ palam ſedulo fecit, vel in occulto coram paucis arbitris omnipotenti Deo libavit, atteſtantur quis ſpiritus in illo habitavit, ipſumque totum poſſidens ad ſolium Domini ſabaoth coronandum perduxit. *Plura de Guillelmo II. habet idem auctor libro 11. ubi inter cetera profert ejuſdem epitaphium ab Hildeberto Cenomannenſi editum. Sed his omiſſis, utpote quæ jam edita ſunt, proferemus ex mſ. codice Fiſcamnenſi fragmentum* epiſtolæ Balderici epiſcopi ad Fiſcamnenſes, referente Adelino, qui ei cuſtos & miniſter in hoſpitali fuerat deputatus. *Illud autem fragmentum tale eſt.*

Balderici epiſtola de Guillelmo II. abbate.

4. Guillelmus prædeceſſoribus ſuis, ſuiſque provincialibus tantum enituit, quo pacto, & quantum ceteris luminaribus ſol rutilat eminentior. Iſte ſiquidem magna litterarum peritia præditus, primo Bajocenſis archidiaconus, poſtea Cadomenſis monachus, demum Fiſcamnenſis abbas, reverenda & cana perſona quædam religionis majeſtas domum iſtam morum ſuorum extulit cenſura, parietibus dilatavit, & quod ei ſpecialiter præcipuum fuit, fratrum conventum ditavit. Multi ſiquidem nobiles laïci & clerici religionis ejus odore provocati ad converſionem exciti ſunt, & ultronei monachum induerunt, & ſanctis ipſius inſtitutis informati ſunt. Ego ipſe, qui vobiſcum loquor, in longinquo poſitus, bonam etiam noſtri G. opinionem audivi, qua illectus per licentiam abbatis noſtri, abbatem ſiquidem alium habebam & habeo, gratia ei adhærendi Fiſcannum adii, grataneer ſuſceptus ſum, licet homuncio nullius momenti. Omnes nos quos vides pæne ipſe aggregavit: ſed plures quam modo ſumus, fuimus, quoniam ducem ſuum poſt ipſius tranſitum quidam noſtrorum pedetentim ſecuti ſunt. Ordinis ipſe vigor præſtitit, verbis & exemplis nos inſtruxit, paterno affectu ſibi nos omnes inviſceravit. Nam ne veritatem tacuerim, propter Deum omnibus omnia fuit. idcirco ſubſequuntur eum lacrymæ noſtræ, propterea comitantur eum ſuſpiria noſtra. Eo die noſter dux erat, in lacrymis nullus fuit uberior, in lectulo ſuo ſuſpirando ſecum litigabat, in turba nobiſcum quietus erat, in angulo eccleſiæ, vel in grabati ſui ſolitudine totus turbatus erat. Diſceptabat ſiquidem ſecum pro noſtris exceſſibus, & crucifigebat immiſericorditer ſeipſum. Si quid contigiſſet fratrum reatibus, cujus hunc exceſſum compatiendo non fecit ſuum? Toties ſeipſum mactavit, quoties aliquis, vel ego miſer peccavi, in orationibus frequenter pernoctabat, Deumque quietiſſime gemebundus inquietabat; ſine offenſa cum eo litigabat, & per amicum litigium, ipſum ſibi nobiſque, velut alter Salomon pacificabat: redimebat nobis cum eleemoſynis, quia quod ei committebat fideliter erogabat. Cujus enim pauperis neceſſitudo manum ſuam ſenſit ſterilem? Quæ eccleſiæ ſuam non habent munificentiam? Circuibat angulos & compita leproſorum, & cum ipſis familiariter loquuturus, manus etiam elephantioſas plerumque deoſculaturus tuguriola ſubintrabat, ut omnium neceſſitatibus adeſſet, ut eum miſelli cujuſlibet anguſtia cognoviſſet. Non poteſt enucleari verbis ſanctitas ejus bonæ converſationis. *Eumdem abbatem ob formæ elegantiam Puellam, vulgo* la Pucelle, *cognominatum fuiſſe tradunt. Complures eccleſias in oppido Fiſcamnenſi conſtruxit, univerſalem eleemoſynam pauperibus ſingulis diebus erogandam inſtituit, rexit monaſterium annis viginti novem, ſepultus eſt in capella beatæ Mariæ veteris, ex oppoſito altaris. Obitus ejus in Necrologio laudato habetur his verbis,* vii. Kalendas Aprilis. depoſitio domni Vuillelmi abbatis tertii Fiſcamnenſis. *Fiſcamnenſis monaſterii laudes videſis apud Dudonem ſancti Quintini decanum, qui librum ultimum de moribus & actis Normannorum Fiſcamnenſis monaſterii encomio claudit: paucos exinde verſus decerpere ſufficiat.*

O Fiſcanne ſacris ſemper fœcunde favillis,
Sanctorum cineres meritorum flore micantes,
In gremio terræ conſervans jamque ſacratæ:
Trino reſplendens profuſo dote ſalutis.

Olim

Olim virgineo micuiſti ſtemmate ſacro,
Cum LEODEGARIUM ſervaſti luce privatum.....
Vivas Fiſcannis ſemper fœlicibus annis,
Fiſcannis gaude. quia tu digniſſima laude,
Vos Fiſcannenſes virtutum cingitis enſes
Eccleſiæ poſtes, nebuloſos ſternitis hoſtes.

Sed jam tempus eſt libri fragmenta exhibere, quæ ſupra polliciti ſumus.

EXCERPTA EX LIBRO DE REVELATIONE, ædificatione & auctoritate monaſterii Fiſcamnenſis.

LIBELLUM de revelatione, ædificatione, & auctoritate Fiſcannenſis monaſterii, pater inclyte VVILLELME, compoſui, & compoſitum tuæ dilectionis ſincero judicio corrigendum & confirmandum deſtinavi, quatinus tuæ celſitudinis aſſenſus & libellum edere præcipiat, & edito libello pondus & auctoritatem concedat. Ego quidem, pater inclyte, ignorantiam meam maluiſſem cauto ſilentio tegere, quam alicujus ſcripturæ præſumenti indicio publicare, ſed fratrum noſtrorum juſſione inſtanti & inſtantia jubenti compellitur noſter animus poſſibilitatem excedere, ſuamque inſcitiam multorum aſpectibus hominum improviſus aperire. Compellitur, inquam, noſter animus ſuam ignorare ignorantiam, & noſtrorum fratrum roganti imperio exhibere obedientiam, cui exhibendæ & mentis judicium nullatenus adquieſcit, & propoſiti noſtri verecundia omnino contradicit. Verum cum obedientia ſancta nullum opus difficile vel impoſſibile excuſet, aut excuſare debeat, diu cunctans multarumque procraſtinationum inducias fingens, urgente fraternæ dilectionis continua juſſione, onus tandem imperatum ſuſcepi, & Fiſcannenſis monaſterii exordia ſubſequentis libelli agreſti & ignobili ſtilo aperui & expoſui. In quo libello nulla falſa fallaciter interpoſui, verum ſacras hiſtorias antiquorum virorum fideli narratione cognitas, ſuorumque poſterorum tenacis memoriæ ſinu cuſtoditas, & noſtris temporibus ſuccedentium virorum diligenti relatione illatas ſcripſi, & ſcriptas ad auctoritatem Fiſcannenſis eccleſiæ, & ad utilitatem legentium fratrum edidi, &c. PROLOGUS.

Interea contigit Fiſcannenſes canonicos aliorum canonicorum mores imitari, latas perditionis vias ingredi, & rerum temporalium luxus & deſidias voluptuoſe ſectari: quam canonicorum miſeram vitam & imminentem miſeriam Dux prudentiſſimus Richardus audiens, & audiendo cognoſcens, valde doluit, hominumque pravorum mores & converſationem exhorrens, legatos feſtinanter Cluniacum direxit, & ſanctum MAIOLUM magnæ humilitatis precibus Fiſcannum accerſivit, atque ſecundum ſancti BENEDICTI Regulam & Conſtitutionem diſponi & ordinari novam eccleſiam exoravit. Cui ſanctus Maïolus: Hujus, inquit, laboris magnitudinem talis rationis conditione, cariſſime fili Richarde, ſuſcipiam, ſi per totum Ducatum tuum conſuetudinem, quæ vulgariter paſnagium [a] dicitur, Deo donaveris, nullumque tuæ poteſtatis principem aliquando amplius exigere decreveris. Ubi Richardus Dux non morbo avaritiæ, verum occulta Dei providentia diſponente, & ſancto WILLELMO Abbati gloriam ordinandi ſanctam eccleſiam transferente, ſuorum hominum conſilio adquievit, & ſancti Maïoli interpellationem non exaudivit. unde contigit ut ſanctus Maïolus Cluniacum reverteretur, & canonicorum correctio vel expulſio per aliquot tempora protelaretur, &c. EX CAP. XV.

Interea diligenter inveſtigabat & inveſtigando inquirebat, cui potiſſimum juxta ſancti Benedicti Regulam & inſtitutionem diſponendam & regendam ſanctæ & individuæ Trinitatis crederet & committeret eccleſiam. Illo tempore beatæ memoriæ VVillelmus abbas ſuæ religionis affluentia totius partes Romani imperii illuſtrabat, abbatumque multorum tepidos animos ſui fervoris imagine informabat & accendebat. Apprime enim liberalibus artibus eruditum, atque diſciplinis eccleſiaſticis, cunctiſque ſpiritualibus officiis, nihilominus etiam fere virtutum omnium gratia imbutum & illuminatum, Divionenſium eccleſiæ beatus Maïolus præpoſuerat & conſtituerat abbatem & magiſtrum. Tanto igitur ac tali viro dux inclytus Richardus ſuos legatos direxit, & ſui propoſiti intentionem patefecit, atque ut Fiſcannenſem eccleſiam juxta beati Benedicti Regulam diſponeret & erudiret, magnæ humilitatis precibus exoravit: quibus beatæ memoriæ VVillelmus abbas primum reſpondiſſe fertur: Cariſſimi filii, audivimus duces Nortmannos, homines barbaros & truculentos, ſubvertere, & non ædificare ſancta templa; delere & effugare, & non colligere aut nutrire ſpiritualium hominum congregationes ſanctas. Quapropter ad Ducem veſtrum redite, & nos hujus rei omnino imparatos reſpondete, cum nobis & fratribus deducendis deſunt equi, atque ſtipendiis deducendorum fratrum deſunt clitellarii. quod reverſorum legatorum rela- CAP. XXI. Legatos Richardus ad Willelmum dirigit.

[a] Paſnagium, aliis Paſtionaticum ſeu Paſtinaticum vulgo *panage*, cenſus eſt ſeu tributum pro glandatione & jure paſcendi porcos aliave animalia in ſilva domini.

Digitized by Google

ANN. CH. MXXXI. JAN. I.

tione Dux inclytus comperiens, extimuit; multoſque equos & clitellarios feſtinus præparavit, quos revertentibus legatis beatæ memoriæ abbati Vvillelmo humiliter remiſit.

CAP. XXII. De adventu Vvillelmi abbatis.

Tunc beatus abbas Ducis intuens importunitatem & perſeverantiam, atque de importunitate & perſeverantia compenſans animi voluntatem & devotionem ſanctam, collecta ſpiritualium fratrum multitudine maxima, iter arripuit, pauciſque decurſis diebus, æſtuantis Ducis deſiderio ſuam & multorum fratrum præſentiam exhibuit. Quem Dux egregius totius animi ſinceritate totiuſve ſinceritatis dilectione ſuſcipiens, velut ſuſcepto Chriſto, aliis amotis ſervientibus, ipſe propriis manibus ſervivit, medioque brevis temporis intervallo Fiſcannum deduxit, & ſanctæ Trinitatis eccleſiam donavit & tradidit, eamque donatam & traditam juxta ſancti Benedicti Regulam & inſtitutionem diſponi & ordinari exoravit. Donavit, inquam, & tradidit dux egregius Richardus beatæ memoriæ abbati Vvillelmo ſanctæ Trinitatis Fiſcannenſem eccleſiam, canonicorumque carnalium expulit enormem multitudinem: quorum poſſeſſiones eccleſiæ penitus retinens & reddens, expulſis & converti nolentibus, canonicis abbati congruam reſtituit recompenſationem.

CAP. XXIII. Canonicis monachi ſubſtituuntur.

Nocte igitur, cujus ſequenti die Fiſcannenſis eccleſia ſpirituales ſuſcepit monachos, carnaleſque expulit canonicos, ipſis canonicis eccleſiæ culmen totum aquilis operiri videbatur: quibus aquilis, & ingredientium monachorum theoria, & ſpiritualis volatus, & deinceps protegentium Angelorum deſcenſus & converſatio congrue figuratur.

CAP. XXIV. Eorum pia converſatio.

Igitur beatus & glorioſus abbas Vvillelmus ſuſceptam eccleſiam cœpit gubernare & adminiſtrare, & juxta ſancti Benedicti inſtitutionem diſponere & corrigere, atque de diverſis provinciis viros fideles convocare & in obſequiis cæleſtibus unire & confirmare. Subita igitur converſione Fiſcannenſis eccleſia cæleſtium virorum ſtudiis fervebat & flagrabat, & multæ opinationis gloria circumpoſitas eccleſias præcellebat & obſcurabat. Faſtigium quippe tantæ celſitudinis ſua momentanea tranſlatione Fiſcannenſis eccleſia conſequebatur, quatinus ita omnes Galliarum eccleſias tranſſcenderet re & habitu ſummæ religionis, quemadmodum tranſſcendebat verbo & ſpeciali privilegio ſuæ nuncupationis. Parſimonia & pudicitia, & voluntariæ paupertatis abundantia Fiſcannenſis eccleſia valde radiabat; virtutum, quarum evidentia latentem ſuæ formæ ceteram pulcritudinem deſignabat, atque contuentium mentibus ſuæ converſationis conſilium inire & imitari, apertarum argumento virtutum accendebat & provocabat. Ignorabat illo tempore Fiſcannenſis eccleſia totius proprietatis ſingularitatem, ſoliuſque communitatis cognoſcebat unientem dilectionem, quæ juxta diverſitates indigentium partes diverſas diſtribuens, ſanctorum Apoſtolorum renovabat & repræſentabat primitivam imaginem. Quorum igitur bonorum eminenti perſeverantia, dux Richardus Fiſcannenſi eccleſiæ totus alligabatur, atque utilitatibus ejuſdem Eccleſiæ totius providentiæ diligentia transferebatur. Adeo enim Fiſcannenſis eccleſiæ illuſtrium virorum regularem vitam & religionem veram diligebat, & diligens frequentabat, ut totius ſui ducatus collecta, vel, ut ita dicam, pinguedine cæleſti congregationi deſerviret, atque epulaturis fratribus ſervientium conſuetudine frequenter ipſe miniſtraret, tantæque humilitatis completo miniſterio fratrum omnium ultimus reſideret, & regularium epularum delectabili pabulo refici congauderet.

CAP. XXV. Libertas Fiſcamnenſis monaſterii.

Senſit interea dux inclytus quorumdam clericorum corroſiones & detractiones, præſagiique cujuſdam futuras adverſitates, quos ob Ducis nimiam caritatem & ſanctæ eccleſiæ maximam religionem invidiæ morbus magnus infecerat, infectoſque crudeli inteſtini livoris moleſtia cruciabat. quorum ergo detrahentium malevolentiam Dux comperiens, clericorumque præſumtiones ſuperbas, & præſumentes ſuperbias cognoſcens, totius Normaniæ Epiſcopos, & viros nobiles feſtinus Fiſcannum convocavit, & Fiſcannenſem ſanctæ Trinitatis eccleſiam ab omnium Epiſcoporum jugo & conſuetudine juſta vel injuſta eripuit & liberavit. Hanc autem libertatem RODBERTUS Rothomagenſis archiepiſcopus fecit & fieri voluit, atque alias duodecim Eccleſias ob patris ſui memoriam & fratris præſentis juſſionem & voluntatem ab omni epiſcopali conſuetudine & exactione abſolvit & liberavit; donatæ libertatis chartam Archiepiſcopus, aliique Epiſcopi ſigno & conſenſu corroboraverunt, atque corroborandam nobilium virorum adſtipulationibus tradiderunt. Cupiens ergo Dux providus ſanctam eccleſiam modis omnibus liberare, & libertatem factam modis omnibus confirmare & permanere; ROBERTUM regem & multos Galliarum proceres Fiſcannum accerſivit, atque regali charta & auctoritate, ſuorumque æqualium conſenſu & adſtipulatione ab omnium Epiſcoporum jugo & conſuetudine Fiſcannenſem eccleſiam eripuit & liberavit; & ſuam ſuorumque nobilium chartam & ordinationem firmavit & corroboravit. Eccleſiæ igitur Fiſcannenſis libertati conſtitutæ dux Richardus congratulans, futuramque perennem mentis vivacitatem diſcutiens, beatæ memoriæ Vvillelmum abbatem compulſavit, ſuæque legationis injuncto officio ad Romanæ ſedis apoſtolicam auctoritatem multis onuſtum exeniis direxit. Confecto itaque itinere abbas Vvillelmus Romam pervenit, & piæ memoriæ papæ Benedicto adventus ſui rationem & mittentis Ducis voluntatem aperuit, &

Digitized by Google

factæ chartæ confirmationem, & apoſtolici privilegii auctoritatem magnæ humilitatis oratione congrua poſtulavit. Papa igitur Benedictus Ducis diligentiam admirans, & ſuſcepti amici præſentia ſumma exultatione congaudens, oblatas chartas ſuæ ſigillo excellentiæ confirmavit, & privilegia poſtulata voluntarius tradidit, & Fiſcannenſem ſanctæ Trinitatis eccleſiam ab omnium Epiſcoporum jugo, ſubjectione & conſuetudine liberans & eripiens, ſub ſolius Romanæ Eccleſiæ gubernatione & patricinio conſtituit & ſuſcepit. Conſtituit, inquam, Fiſcannenſem eccleſiam ſoli Romanæ Eccleſiæ ſubjacere, atque ab omnium aliarum eccleſiarum poteſtate immunem, abſolutam, & omnino liberam forma Cluniacenſis monaſterii permanere. Acceptis igitur apoſtolicæ auctoritatis exquiſitis privilegiis beatæ memoriæ Vuillelmus abbas, feſtino curſu Nortmanniam remeavit, & ducis Richardi deſiderio ſuæ voluntatis effectum, injunctæque legationis officium feliciter conſummatum enucleavit & oſtendit. Unde dux ineffabiliter exhilaratus, trino & uni Deo gratias totius intentionis fervore reddidit, qui eccleſiam, quam pater Richardus fundaverat, atque ipſe patris Richardi rogatu & juſſione compleverat & ordinaverat, divinæ providentiæ arcano conſilio tantarum perſonarum convenientia ab omnium hominum jugo & prælatione abſolvebat & liberabat. Magnis deinde exeniis ſuum dilectiſſimum abbatem Vuillelmum honoravit, honoratumque ſanctæ Trinitatis eccleſiæ Fiſcannenſi remiſit, iterum atque iterum enixius exorans, quatinus commiſſam eccleſiam juxtà cœpti ordinis religionem cuſtodiret, & cuſtodiendo perficeret, & confirmaret. cujus igitur ſanctas preces ſanctarumve precum nimias humilitates beatus Abbas velut oracula divina ſuſcipiens, Fiſcannum intravit, & per multam annorum vertiginem uſque ad ducatum Hieroſolymitæ Rotberti Fiſcannenſem eccleſiam rexit, ſubjectoſque ſuos verbo & exemplo ſuccendit & reformavit, ad imaginem & ſimilitudinem, honorem & gloriam omnipotentis Dei, qui vivit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Ann. Ch. MXXXI. Jan. I.

VITA S. DOMINICI ABBATIS

Ann. Ch. MXXXI. Jan. XXII.

SORANI IN ITALIA.

Auctore Alberico S. R. E. Cardinale.

Ex Bollando & codicibus mſſ.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *ALBERICUS ex monacho Caſinenſi Cardinalis ab Alexandro II. creatus, in litteras retulit vitam ſequentem Dominici Sorani, quem nonnulli perperam confundunt cum Dominico Loricato diſcipulo Petri Damiani. Præter hanc vitam, quæ ex mſ. codice Caſinenſi primum eruta eſt, alia exſtat in ejuſdem monaſterii Bibliotheca tantiſper compendioſior, ſed tamen quædam continens, quæ in prima edita deſiderantur. Ad hæc, tertia legitur in eadem Bibliotheca Dominici Vita elogii inſtar. Primam hic exhibere ſatis fuerit, referendo in adnotationes, ſi qua tum in aliis duabus obſervatu digna ſunt, tum etiam in Vita Italica, quæ per Felicem Tamburellum epiſcopum Soranum, typis Fulingæ edita eſt anno* 1645. *De Dominico hæc habet Leo Marſicanus in lib.* 2. *Chronici Caſinenſis cap.* 61. His diebus, anno ſcilicet Domini milleſimo triceſimo-primo, beatus Dominicus, mirabilium patrator innumerum, & cœnobiorum fundator multorum, apud Soram Campaniæ civitatem jam ferme octogenarius migravit ad Dominum, & ſepultus eſt in monaſterio Soræ vicino, quod nunc ejuſdem vocabulo nuncupatur.

2. *Hoc monaſterium primitus ædificatum fuit in honorem Deiparæ, ejuſque conditio deſcribitur in ſequentis Vitæ num.* 18. *&* 19. *Unitum fuit Caſæmarienſi ab Honorio tertio, atque Ordini Ciſtercienſi attributum anno* 1222. *Caſæmarienſe vero, tribus ab urbe Verulo miliaribus, & ſeptem à Sora diſſitum, quod à Johanne Dominici diſcipulo ceperat originem, anno* 1149. *ab Eugenio tertio ad eoſdem Ciſtercienſes tranſlatum eſt: cujus loci abbas fuit Johannes alter, ad quem exſtat ſancti Bernardi abbatis epiſtola* 333.

3. *Exſtat apud Baronium ad annum* 1030. *primarium conditi monaſterii Sorani inſtrumentum, datum anno* M. XXX. *indictione* XIII. *quo anno* domnus Petrus Senior, *id eſt dominus,*

Digitized by Google

ANN CH. MXXXI. JAN. XXII. Soræ, filius bonæ memoriæ domni Rainerii, & domna Doda, filia bonæ memoriæ Oderiſii Comitis, uxor ſupradicti domni Petri, *res ſuas in hoc pium opus contulerunt. Ibidem etiam editum eſt aliud inſtrumentum de origine monaſterii Caſamarii in agro Verulano, quod* quidam boni meriti clerici, *adjunctis quibuſdam* laïcis fidelibus ejuſdem civitatis *conſtruere, & incolere cœperunt, eccleſia in honorem ſanctorum Johannis & Pauli dedicata: &* non poſt multum quatuor ex ipſis, ſcilicet Benedictus, Johannes, Urſus & Azzo presbyteri, euntes ad venerabilem JOHANNEM abbatem ſancti Dominici, ſuſceperunt ab eo habitum ſanctæ religionis: indeque in locum jam dictum redeuntes, abbatem unum de ſuis ſibi elegerunt Benedictum virum religioſum, qui fuit natus in dicta civitate Verulana: & ſub eo in dicto loco Chriſto Domino ſervierunt.

PROLOGUS
ad DODONEM monachum.

Cauſæ ſuſcepti operis.

1. VENERABILIS Patris DOMINICI ortum, vitam, obitumque, & de miraculis quædam, quæ per eum, vel auris adhuc fruentem vitalibus, vel carnis jam eductum ergaſtulis, cæleſtis eſt operata dignatio; laciniosò impolitoque nimis quidam ſermone deſcripſerat: &, quod culpa accidiſſe arbitror relatoris, nonnulla aliter quam ſint geſta ediſſerens, ſtilo hiſtoriam vitioſam, mendaciis vitioſiorem reddiderat. Quæ ita habere ſe omnia, diligenti, DODO frater cariſſime, indagine deprehendens, frequenti importunaque à me tandem precum extorſiſti inſtantia, ut locum tecum illius ſepulturæ adirem, reverendumque Abbatem BENEDICTUM, Dominico tam ſanguine, quàm ſanctitate propinquum, reverendoſque loci ſenes, ſub diſciplinâ olim educatos Dominici, convenirem; eiſque relatoribus geſtorum meram veritatem cognoſcens, ortum, vitam, mortemque Dominici, & de miraculis quæque potiſſima, ſtilo excultiore & labem mendacii neſciente, apicibus memoriæque mandarem.

Teſtes ad faciendam fidem.

2. Egiſtique ſtudio & induſtria tua, ut nihil per me litteris mandaretur, quod non perſonarum idonearum teſtimoniis credibilibus firmaretur. Multa enim eorum, quæ poſterorum de Dominico trado memoriæ, in cognitionem mei ex memorati Abbatis relatione perducta ſunt: multa edidici relatore HILDEPRANDO monacho, & honeſtæ vitæ, & fulgore ſcientiæ omnimoda veneratione digniſſimo. Pleraque vero JOHANNES ſenex grandævus fermeque decrepitus, ore præ vetuſtate dentibus vacuo ac balbutiens, in auribus meis retexuit: qui in annis adhuc puerilibus Dominico in diſcipulum traditus, cum eo ad ipſum uſque eſt vitæ exitum converſatus. Fuere in audientia mei relatores ...... Dominici & alii venerandi ſenes, quorum vocabulorum non memini, qui ſancti viri degentis in corpore familiarem habuere notitiam ...... Fratres præterea mihi ibidem contuendos nonnullos, qui ſe ad ſancti viri tumulum conteſtatione propria diverſis adſtruebant malis valitudinibus liberatos. Verum de his hactenus.

3. Porro ſtilum in hoc opere figuræ ſum mediocris proſecutus, qui & peritiorum auribus horrori eſſe non debeat, & minus eruditorum intelligentia percipi non refugiat, labori meo induſtriæque tuæ, illud divinitus optantes reſtituendum, ut interventione Dominici plenam uterque mereamur indulgentiam conſequi delictorum.

Digitized by Google

INCIPIT VITA.

4. DOMINICUS igitur Fulignæ Etruriæ opido oriundus [a] fuit, patre JOHANNE, matre APA * nomine, viris & genere & religione illuſtribus. Hic in annis adhuc puerilibus conſtitutus, ita à ludis ac omnibus, quæ in illa præſertim ætate aſſolent dominari, ineptiis ſeſe exterum exhibebat, ut jam tunc in Dominico quaſdam ſuperventuræ ſanctitatis lineas Dei videretur præſignare Spiritus. *a* — * *al.* Ampa. — Dominici patria & parentes.

5. Traditus autem puer à parentibus in monaſterio ſancti Silveſtri, cui Aſeri [b] cognomentum eſt, litterarum ſtudiis imbuendus, cœpit & vivacitate ingenii, & memoriæ tenacitate, & intellectus acumine eos etiam vincere, qui ſeſe tranſſcendebant ætate. Cumque plenam, pro ritu regionis, legendi atque canendi in brevi eſſet adeptus peritiam, ad ſuperiores gradus per congrua temporum intervalla promotus, apice tandem meruit preſbyterii ſublimari. — Inſtitutio in litteris. *b* — Sacerdotium.

6. Non multa poſt hæc interlabuntur tempora, cum de terra & de cognatione Dominicus egreſſus ſua proficiſcitur, qui à ſimulacro dei Ammonis, quod ibidem olim divinis gentilitas cultibus honorabat, Petradæmonis corrupte, quaſi dei Ammonis, uſque in diem hodiernum [c] vocatur. Ibique in monaſterio quodam ſanctæ Dei genitricis Virginiſque perpetuæ nomini dedicato, per manus DOMNOSI mira abbatis ſanctitate conſpicui, ſancti Ordinis indutus eſt habitu. Qualis autem deinceps Dominici vita exſtiterit, quam parca in cibis, quam pernox in vigiliis, quam in oratione crebra, quam in lectione aſſidua, quam poſtremo totius diſciplinæ monaſticæ obſervatione conſpicua, incredibile eſt fere memoratu. — Vita monaſtica. — *c*

7. Conſummatus igitur in cœnobiali converſatione Dominicus, pleneque fraterna ex acie ſpiritualia edoctus certamina, conceſſa ſibi à proprio Abbate licentiâ, montis cujuſdam haud multo eminus à monaſterio conſtituti conſcendit apicem, ſola deinceps ibi manu vel brachio cum noſtri generis humani hoſte vetere congreſſurus. — Solitaria.

8. Non potuit autem, juxta illud Veritatis elogium, latere civitas ſuper montem poſita, neque divinitus accenſa lucerna modii operiri velamine. Forte enim actum eſt, ut eorum qui loci incolebant viciniam, unus & alter montem, in cujus abditis latitabat Dominicus, neceſſitate qualibet urgente conſcenderent. qui montis undique peragrantes receſſus, ſancti viri latibulum in locis abditioribus repererunt. Quibus nimirum viſa vulgantibus, non fuit de terræ incolis quiſpiam, quem lateret Dei quemdam famulum illius montis cacumine vitam ſolitariam degere. Cœperuntque eum illorum plurimi, vitæ ipſi temporalis deferentes ſubſidia, frequenter reviſere, atque ex ejus ore ad perennis vitæ cupidinem animos accendentia eloquia intenti audire. — *Matth.* 5. 15. — Fama.

9. Induit continuo alas fama, volatuque celeri ſanctum virum per vicos vehit, per villas, per opida; nuncque in turribus locupletum, nunc in tabernis pauperum, nunc in magalibus etiam invenitur paſtorum. Quid tantis? HUBERTI tandem Marchionis [d] potentiſſimi percellit aures, eumque ad viſendum Dominicum audiendumque perducit. Placet viri ſanctitas uſque adeo Marchioni, ut eum obnixa multiplicique rogatione ſeduliter precaretur, ut in quocumque ei dominationis ſuæ loco congruum *d*

a Annum ejus natalem 951. ſignat Vita italica.

b In tertia vita, *quod dicitur Sub-Aſeri*, vernacule *Curaſero.*, olim extra, nunc intra muros Fulingæ, ſancti Spiritus Xenodochium, ex Vita italica.

c Nempe in regione Sabinenſi, ut in Vita italica, quæ annum 974. monachatui S. Dominici aſſignat.

d Et quidem in eadem provincia Sabinenſi, ex eadem Vita.

Digitized by Google

ANN. CH. MXXXI. JAN. XXII.

videretur, ſervorum Dei monaſterium ædificare ſtuderet. Nec defecit à precibus & obſecrationibus Marchio, quouſque à Dominico quæ poſcebat meruit obtinere. Conſtruxit itaque in Scandrilia Dominicus monaſterium, quod ſancti Salvatoris voluit nominari: tantaque loco de reditibus juris proprii Marchio memoratus conceſſit, quibus ibidem uſque in hodiernum cœnobitarum numerus non exiguus ſufficienter in neceſſariis quibuſlibet ſuſtentetur.

Monaſteria conſtructa.

10. Ædificato igitur cœnobio, fratrumque ibi multitudine numeri collecta non parvi, quemdam ipſis ex eorumdem numero, CONSTANTIUM nomine, ſtatuit præficiendum in Patrem, virum ad id officii & vita, & ſcientia, & lingua pariter commodiſſimum. Ipſe vero juncto ſibi JOHANNE quodam nomine, vitæ venerabilis monacho, ad locum cui Domus vocabulum eſt commigravit: ubi in monte qui Pizi dicitur, in humili tuguriolo commorantes, meditationem legis Domini ſoli per dies metiebantur, excurſu noctium in eamdem partem maximam conſumentes.[a]

11. Non tamen eis ibi latebris potiri dilectis productiore conceſſum eſt tempore; à nonnullis enim repertus ibidem agnituſque eſt, atque per eos in Prato Cardoſo occultari Dominicum BERALDO, THEODINO, RANDISIO, terræ Comitibus intimatum; qui impigri ſanctum Domini adeuntes, obnixe eum & inſtantiſſime ſtuduere precari, ut quod in locis nonnullis aliis ab eo factum edidicerant, in Valvenſi non pigritaretur territorio facere, conſtruere videlicet habitaculum abrenuntiantibus ſæculo, Deoque ſub diſtrictionis diſciplinâ monaſticæ famulari decernentibus aptum. Conſtruxit igitur præfatorum ibi ope Comitum loco ſatis congruo monaſterium, quod dicitur ſancti Petri de Lacu; cui nimirum loco inter largitiones ceteras uberes, quinque lacus prædicti Comites conceſſione perpetua, legali ſcriptione firmarunt.[b]

12. Eis autem diebus quædam ſe Dominicus confeſſus eſt contemplatum, quæ non ſunt obvelanda ſilentio. Quadam namque nocte, dum erectis in cælum luminibus preces fundit, columnam cernit arcui cæleſti colore ſimillimam, quæ nimirum cælum vertice, imis vero partibus cellam, quam Dominicus incolebat, videbatur contingere. quam videlicet viſionem viſum eſt Dei famulo intimis ac familiariſſimis ſibi religionis merito fratribus minime reticendam; ne videlicet ſolus eſſet, qui ex tanta viſione gratiarum Deo actiones perſolveret.

Viſa & miracula.

13. Item nocte alia dum in cella poſitus quædam de cæleſtibus meditaretur, lucem ſubito vidit à ſuperis radiaſſe mirabilem, in qua videlicet luce tres conſpicatur columnas fulgore ſimiles, menſura pares, locis quoque continuas. quas dum ſtupens admiraretur, repente ſe in earum ſummitatibus ſuper nubes elevatum perſenſit, atque (quod eſt dictu quoque mirabile) in ictu oculi orbem ſimul terræ univerſum conſpexit. Mox vero redeunti ipſi conſpectæ lucis pars aliqua, in eodem quo morabatur loco, per tempus aliquantum apparuit.

14. Per idem tempus puer quidam, Leo nomine, de opido, cui Caſtrum nomen eſt, cum validæ febris ardoribus exæſtuaret, epota aqua, quæ de manibus viri Dei ſeſe abluentis deciderat, hora eadem integerrimæ reſtitutus eſt ſoſpitati.

[a] In ſecunda Vita hæc inſeruntur ad hunc locum. *Viſitatus à terra illius magnatibus rogatur Dominicus, ut alterum in monte, alterum vero in planitie, juxta fluvium Aventinum conſtrueret monaſterium. quibus juxta votum rogantium ædificatis & ordinatis, diſcedit Dominicus, & de ſola ſolitudine cogitans, circumibat quærens ubi poſſet commodius commorari: cum ecce ad Valvenſem Comitatum profectus, locum conſpicit qui ab incolis Pratum cardoſum appellatur, &c.* Porro *monaſterium S. Petri de Lacu, territorio Balvenſi* ſubjectum fuit monaſterio Caſinenſi ex lib. 3. Chronici Caſin. cap. 19. de hoc, & aliis monaſteriis, in hac Vita memoratis, vide Lubin. in Notitia abbatiarum Italiæ.

[b] In ſecunda Vita item inſertum legitur: *Ipſe nihilo minus ſolitudinem meditans, ad imas montis partes, quod dicitur Argometta ſeceſſit, in locum videlicet qui Plataneta vocatur: ibique cellam parvam conſtruens, altare quoque in ea ſibi conſtituit.*

Digitized by Google

15. Quædam quoque illuſtris mulier, dum fluxu ſanguinis diutius laboraret, & à nullo medicorum ſanitatem conſequi poſſet; virum tandem Dei directis ſtuduit apicibus flagitare, ut aquam, quæ ejus manus ablueret, ſibi dignaretur dirigere, inhæſitanter ſe credere aſſerens, quod ejus hauſtu plenam deberet conſequi ſoſpitatem. quod vir humillimus ut ſcelus execrabile eſt aſpernatus. Verum ne tantæ devotionis feminam ex toto videretur contemnere, aquam de more Eccleſiæ benedictam ad feminam deſtinavit, mandans quod cum ea Dominus, non ſecundum Dominici merita, ſed ſecundum fidem propriam eſſet acturus. Hauſit aquam fide inambigua mulier, & hora eadem ſanguinis fluxu reſtincto, priſtinam ſanitatem recuperare meruit. ANN. CH. MXXXI. JAN. XXII.

16. Nec illud tacendum eſt, quod ruentem ſuper ſe maximam fagum Dominicus extenſa dextra in partem alteram cadere compulit. Cœpit igitur his & his ſimilibus multiplicibus pariter ac mirabilibus ſignis orbi declarari Dominicus, & non jam ſervus Dei, non jam homo juſtus & timoratus dumtaxat, ſed vere ſanctus, vere amicus Dei, vere vita, ſignis, atque doctrina antiquorum ſanctorum ab omnibus imitator haberi. Comedebat autem Dominicis ſeu feſtis diebus far cum ſale elixum, ſine ullius prorſus pinguedinis condimento: panes vero ei à monaſterio ſtatuti numeri per hebdomadas ſingulas mittebantur.

17. Præterea rogatus à BORELLO majore, in Sangro quoque conſtruxit cœnobium, quod ab enormi arbore avellana, quæ juxta olim conſtiterat, ſancti Petri de Avellana nuncupationem accepit, idque Borellus ſatis liberali terrarum muneratione ditavit. Poſt hæc in Campaniam ad locum, qui Triſaltus [a] dicitur, per revelationem profectus, à nefariis multis ejuſdem loci accolas, & ab illicitis præſertim conjugiis, ſua prædicatione convertit; conſtruxitque ibi in deſerto monaſterium juxta fontem limpidiſſimum, quod ſancti Bartholomæi nomini ac memoriæ voluit dedicari. Aliud nihilominus ſtatuit in latere montis, qui appellatur Cacumen, idque ſancti Angeli nomine cenſuit appellari. Alia cœnobia condita.

18. Per idem tempus cum vir Dei [de] cœnobio ſancti Petri de Lacu ad Triſaltum viſitandorum fratrum gratia pergeret, PETRUS RAINERII Soræ dominus ſeſe illi obvium facit, de criminibus ſuis multis & maximis ſatis humiliter expetere judicium cœpit. Cui vir ſanctus inter ceteros pœnitentiæ fructus, illud etiam in præceptis dedit, ut in juris proprii territorio monaſterium conſtrueret, idque de propriis tanta rerum liberalitate ditaret, ut certus ibidem Deo famulantium numerus affluenter exinde vitæ ſubſidia percipere poſſet. Acquieſcit libenter viri Dei juſſionibus Petrus, eumque ſuppliciter obſecrat ſecum pariter equitare, terram dominii ſui univerſam proſpicere, & quocumque loco ſibi viſum aptius ei fuerit, cœnobium ſe pollicetur ædificare. Annuit juſtæ petitioni Dominicus: & terram pariter perluſtrantibus, tandem juxta Soram locus ſeſe Dominico obtulit, quem monaſterio conſtruendo ſanctus aptiſſimum judicavit: ibique ex præceptione viri Dei monaſterium in honore ſanctæ Dei genitricis MARIÆ mox Petrus ædificavit, & largitione multimoda omnia quæ eſſent loco neceſſaria contulit.

19. In quo videlicet loco cum ſanctimoniales neſciente Dominico locatæ fuiſſent, & earum mores minime profeſſioni congruerent, quin potius turpis converſationis earum fama aures etiam Dominici perculiſſet; Petrum ad ſe protinus advocans acriter convenit, cur in monaſterio, quod ex ejus præceptione conſtruxerat, ſe inconſulto feminas locare voluiſſet. Simulque illi quam fœda & turpia de illis audierat, enarravit. Præcipit igitur, ut mox, ſine aliquo dedecore expulſis illis, fratres inibi ſub regulari magiſterio ſervituros Domino congregaret. Tunc Petrus veſtigiis viri Monachæ ejectæ.

[a] Hoc cœnobium modo pertinet ad Cartuſianos, in Campania Romana ſitum.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXXXI. Jan. XXII.

Dei proſtratus commiſſi veniam poſtulat, facturum ſe quidquid juſſerat, pollicetur. Illud quoque intentiſſime & inſtantiſſime flagitans, ut eis, quos inibi aggregandos jubebat, ipſe in Patrem, ipſe ſemper præeſſe in Rectorem deberet. Reſiſtente rogatibus iſtis Dominico, & inſiſtente nihilo minus Petro, victus tandem importunitate precum Dei famulus ceſſit, pollicitus ut expulſis ſanctimonialibus illis ſervorum Dei, qui deinceps in eodem loco aggregarentur, paternam deberet curam ſuſcipere; eoque, quo prædiximus ordine, univerſa completa ſunt.

20. Per hos dies puer quidam Berolenſis mutus & claudus ad virum Dei delatus eſt: cujus cum linguam pedeſque, crucis impreſſo ſigno, & invocato Trinitatis nomine, tetigiſſet, & greſſum pedes, & lingua loquelam hora eadem divinitus receperunt.

Dominici extremus morbus.

21. Vir autem Domini cum jam octoginta ferme annos exegiſſet ætatis, die quadam cauſis urgentibus neceſſariis, Tuſculanum proficiſcebatur; cum ecce inter eundum letali ulcere, quod papulam vulgus appellat, à maxilla invaditur. Quod Johannes reverendus monachus, qui tunc ei comes itineris erat, conſpiciens, cohortatur inſtanter virum Dei, ut acceleret reditum, maturet regreſſum, feſtinet ſeſe fratribus reddere, niſi forte velit abſentibus illis obire; proculdubio proteſtans, ulcus quod in facie videbatur, mortis contiguæ ſigna manifeſta prætendere. Acquievit cohortanti Dominicus, & ad monaſterium protinus eſt regreſſus. Mox vero univerſos ad ſe Fratres præcipit convocari, eoſque primum de obſervatione propoſiti & de caritatis vinculo commonens, poſt exhortationis verba ſollemnia, demum ſibi omnia, quæ circa morientes fratres aſſolent fieri, jubet protinus exhiberi. Conſummato itaque officio, cum Dominici quoque corporis ac ſanguinis myſteria percepiſſet, ejulantes fratres egredi, foriſque paullulum præcipit commorari.

22. Cumque egreſſis omnibus ſolus ipſe remanſiſſet in cella, voces ei loquentis & alterius colloquentis cum eo ſunt à fratribus, qui forinſecus excubabant, auditæ; non tamen adeo, ut verborum eorum ſenſus aliquatenus potuiſſet ab eis intelligi: quam vir ſanctus confabulationem cum vita pariter, ut Domino placuit, conſummavit. Nam cum voces illæ deſtitiſſent fratrum auribus inſonare, ingreſſi cuncti eum jam repererunt exſpiraſſe, ejus qui cum eo colloqui eſt auditus nulla contuentes indicia, certum tenuerunt omnes ad migrantis ſolatium Angelum deſtinatum. Obiit autem vir ſanctus undecimo Kalendas Februarii, anno ab Incarnatione Domini milleſimo triceſimo-primo, humatumque eſt cadaver ejus in monaſterio, quod nunc ejuſdem cognominatur vocabulo, ſito in Campania in vicinia Soranæ civitatis, cujus etiam in ſuperioribus [a] facta eſt mentio: ubi ejus orationibus multa Chriſtus operari non deſinit mirabilia uſque in hodiernum diem, ad laudem & gloriam nominis ſui, qui cum Patre & Spiritu-ſancto vivit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Obitus anno 1031.

[a] Nempe num. 18. & 19. Dominico in iſtius monaſterii regimen ſucceſſiſſe Benedictum ejus conſanguineum ac diſcipulum legitur in Vitæ italicæ cap. 7.

DE

DE VV. GERARDO, GRADULFO & GIRBERTO abbatibus Fontanellenſibus in Normannia, & de V. GUNTARDO abbate Gemeticenſi.

1. NEMO neſcit monaſterium Fontanellenſe, quod ſancti Vvandregeſili à ſuo ipſius conditore poſtea nomen accepit, inter cetera Normanniæ monaſteria celeberrimum ſemper exſtitiſſe, ob id potiſſimum, quod multos morum ſanctitate præſtantes monachos protulerit. De eorum pleriſque, qui ſuperioribus ſæculis floruerunt, jam actum eſt ſuis locis: nunc vero de iis qui præſens ſæculum undecimum illuſtravere, paucis dicendum, quantum licebit, pro monumentorum paucitate. *Fontanellæ monaſt.*

2. Pertulerat communem Normanniæ, immo & totius fere Franciæ, monaſteriorum cladem à Normannis illatam Fontanellenſe cœnobium, diſperſiſque per varias provincias ſacri hujuſce aſceterii monachis, nihil fere præter veteres ædificiorum ruinas ſupererat, cum opera MAINARDI, cui tum monacho ſancti Petri Gandavorum, Fontanellenſis abbatia commendata fuerat, cœpit reſtitui. Hoc nonnulli ſub Richardo I. Normannorum duce, alii ſub Richardo II. ejus filio contigiſſe volunt. Certe monaſterium Fontanellenſe à ſancto Vvandregiſilo ædificatum, & ab Haſtingo deſtructum, à Richardo II. reſtauratum fuiſſe teſtatur Ordericus Vitalis. Sed parum intereſt; nam Mainardus paullo poſt hanc reſtitutionem, monaſterio montis ſancti Michaëlis, canonicis exinde pulſis, præfectus eſt, & res ſancti Vvandregeſili in deterius abierunt. Mainardi honor & amplitudinis incrementum, inquit auctor appendicis ad Chronicon Fontanellenſe Spicilegii Acheriani tomo 3. lamentabilis fuit Fontinellæ dejectio & irreparabile detrimentum. nam poſt ejus receſſum ſub tribus rectoribus, de quibus ſilere curavimus, per aliquot annos nullo rerum genere crevit, quin potius in multis decrimenta ſua indoluit.... locus qui ex cineribus ſuis aliquomodo cœperat, ut de Jeruſalem in Propheta legitur, excutere, & in brevi tempore velut ex infirmitate videbatur aliquantulum convaluiſſe, miſera poſtmodum deſidia ſuorum procuratorum velut æger recidivo languore in deterius cœpit proruere, &c. *Reſtauratur.* *Iterum ruit.*

3. Is erat Fontanellenſis monaſterii ſtatus, cum GERARDUS, ex Latiniacenſi monacho abbas ſancti Arnulfi Criſpeienſis, in Normanniam acceſſit, Richardum ducem, neſcio qua de cauſa, inviſurus. Eum pius princeps ad Fontanellenſis monaſterii regimen ſuſcipiendum invitavit, pollicitus ſeſe omnia præſtiturum, quæ ad ſacri loci reſtitutionem neceſſaria forent. Conſenſit Gerardus, dimiſſoque Criſpeienſis monaſterii regimine, Fontanellenſis abbas inſtitutus eſt anno MVIII. Multas ejus laudes proſequitur auctor hiſtoriæ Miraculorum in Tranſlatione ſancti Vulframni geſtorum, quæ in modum appendicis ad Chronicon Fontanellenſe edita eſt tomo 3. Spicilegii Acheriani. Sed cum hæc hiſtoria jam ſupra edita ſit Sæculo 3. parte 1. hic pauca ſolummodo repetemus, quæ ſcilicet ad Gerardi ſanctitatem commendandam ſufficient. *Gerardus abbas.*

4. Exſtitit religioſus pater, *Gerardus*, origine carnis ingenuus ex pago Medantiſſæ, & patrimonio Jelia oriundus, cujus pater Fulbertus, mater vero Ailendis dicti ſunt. Carnoti tempore Fulberti præſulis undecumque doctiſſimi litteras adoleſcens didicit..... non multo poſt ſancti Benedicti diſciplinis in monaſterio Latiniacenſi ſe ſubmiſit regularibus....atque ad ſummum religionis monaſticæ, cæleſti præventus gratia, tenorem perve- *Ejus geſta.*

Digitized by Google

ANN. CH. MXXXI. NOV. XXIX. nire promeruit. Cui cæleſtis favor in ipſo etiam vultu & habitu non deerat. Nam decoram illius faciem canities gratificabat, honeſtâ ſtatura procerus, ore ſuavis erat & facundus, nihil indecens in eo vel incompoſitum deprehendebatur. *Sed & ſuperius cum eum dixiſſet* monaſticæ vitæ tenorem, neque ad dexteram neque ad ſiniſtram declinando, enixius ſequentem ceteris præſtitiſſe, *multa ſe præterire monet*, quæ de tanti viri bonitate & prudentia, ſtudio & conſtantia, diſtrictione in regulari diſciplina, ſagacitate in rerum temporalium procuratione providentiſſima, caſtitate corporis & operis munditia, jejuniorum, orationum, lacrymarum, & in pauperes eleemoſynarum, ceterarumque virtutum, quibus ſedulo vacabat gratia dici poterant. *His invidens omnium bonorum inimicus parricidam excitavit, qui beatum virum* poſt laborem diei, quem in jejunio & orationibus more ſuo expenderat, *quieſcentem ſecuri percuſſum interfecit*, anno Domini MXXXI. tertio Calendas Decembris. *Id* nocte ſubſequentis ſabbati *contigiſſe paullo antea dixerat. at alteruter locus emendandus eſt. Nam dies* III. *Calendarum Decembrium eo anno erat feria ſecunda. legendum forte* VI. *pro* III. *Gerardus martyris titulo à nonnullis, pro illorum temporum more, donatur. Nullum tamen hactenus obtinuit in monaſterio Fontanellenſi cultum publicum. Tranſlationem ſancti Vulframni ipſius tempore factam vide Sæculo 3. loco ſupra laudato.*

Occiditur.

Gradulfus ſuccedit.

5. *Gerardo ſubſtitutus eſt* GRADULFUS *ab ipſo in regulari diſciplina eruditus, qui pariter titulo* ſancti *à nonnullis inſignitur. Ejus geſta ex laudato libro de Miraculis ſancti Vulframni repetenda ſunt. Eo curante major monaſterii baſilica à Roberto Rotomagenſium archiepiſcopo, adſiſtentibus compluribus aliis epiſcopis & abbatibus, ſollemni ritu conſecrata fuit. Cujus etiam conſilio Hunfredus condidit monaſterium Pratellenſe, ubi Anſfredus monachus Fontanellenſis primus abbas inſtitutus fuit. Tanta denique erat apud omnes de ejus ſanctitate opinio, ut* cum, *inquit auctor*, epiſcopalis honor ſanctæ ſedis Rotomagenſis paullulum multis ex cauſis declinaret, viſum eſt pontifici Malgerio præfatæ metropolis, quod & omni clero plebique non mediocriter placuit, ut eumdem Gradulfum abbatem ſibi ſubſtitueret, & vicarium ſub ſe benedictione epiſcopali inſigniret &c. *Sed pius abbas Fontanellam reverſus, ut ea de re apud ſe maturius deliberaret, in gravem morbum incidit, atque* accepta corporis Dominici & ſanguinis communione *exceſſit è vivis anno* MXLVII. *die* II. *Nonas Martii.*

Ejus virtutes.

Tum Robertus, dein Girbertus.

6. *Succeſſit ei* ROBERTUS *ipſius frater, quo ad monaſterium ſancti Germani à Pratis tranſlato, anno* MLXII. GIRBERTUS *monaſterio Fontanellenſi præfectus fuit. Nihilo minus Roberti regimen uſque ad annum* MLXVIII *protrahunt Sammarthani in Gallia Chriſtiana, ubi de abbatibus Fontanellenſibus, quibus favet Aimoini continuator, qui Huberti Germanenſis abbatis obitum anno* MLXVI. *conſignat. ſed his prævalere debet, ut videtur, charta Guillelmi Nothi auctoritas apud Arthurum in Neuſtria pia, data anno* MLXXIV. *Indictione* XII. *Gregorii papæ II. Vuillelmi regis* VIII. *Girberti abbatis in abbatia* XII. *qui omnes chronologici characteres optime ſibi cohærent, Girbertumque anno* MLXII. *Fontanellenſi monaſterio præfectum fuiſſe adſtruunt.*

Girberti cura pro officio divino

7. *Celebris eſt ille abbas apud auctores æquales ob vitæ meritum ac diſciplinæ monaſticæ accuratam obſervationem. Laudatur præcipue cum Ainardo Divenſi & Durando Troarnenſi abbatibus ob ſtudium erga officium eccleſiaſticum. qua de re ſic loquitur Ordericus Vitalis libro quarto.* GIRBERTUS Fontinellenſis & AÏNARDUS Divenſis ac DURANDUS Troarnenſis, quaſi tres ſtellæ radiantes in firmamento cæli, ſic iſti tres archimandritæ multis modis rutilabant in arce Adonaï. Religione & caritate multiplicique peritia pollebant, ſtudioque divinæ laudationis in templo Dei jugiter inhiabant. Inter præcipuos cantores ſcientia muſicæ artis ad modulandum ſuaviter potiti ſunt, & dulciſonos cantus antiphonarum atque reſponſoriorum ediderunt. De ſummo Rege, quem laudant Cherubin & Seraphin & omnis

Digitized by Google

militia cælorum: de intacta virgine Maria, quæ nobis peperit Salvatorem ſæculorum: de Angelis, & Apoſtolis, ac Martyribus; de Confeſſoribus ac Virginibus mellifluas laudes ex dulciſſimo corde manantes promſerunt, & Eccleſiæ pueris ad concinendum Domino cum Aſaph & Eman, Etham & Idithun, & filiis Chore fideliter tradiderunt. *Eumdem abbatem* virum eruditiſſimum *alias appellat, ſub finem ſcilicet ejuſdem libri. At libro* 7. Ea tempeſtate in Normannia florebant Anſelmus Beccenſis, Gerbertus Fontanellenſis, Guntardus Gemmeticenſis, aliique plures in templo Dei lucentes lucernæ, à quibus inſigniter illuſtrata ſalubris hauriebat ubertatem doctrinæ. ANN. CH. MXXXI. NOV. XXIX.

8. *Girbertum apud Moguntiam celebrem Germaniæ urbem ortum fuiſſe diſcimus ex ejus epitaphio à nobis inferius exhibendo. Eumdem genere nobiliſſimum affirmat Guillelmus Pictavenſis in libro de geſtis Guillelmi Nothi, ubi eum refert Maurilii poſtea Rotomagenſis archiepiſcopi, in anachoretica vita ſocium fuiſſe, quem habuerat antea in ſtudiorum exercitiis ſodalem.* Hi in ætate florentiſſima, *inquit*, alto multoque perſpicaciori mentis acumine quàm Plato, nuda profeſſione impedimenta rerum temporalium evaſere, deſpicantes mundanæ philoſophiæ vehementi applicatione à ſe amata gymnaſia, patrii ſoli dulcem arriſum, opibus ac generoſitate claram parentelam, ſpem ſublimium provectuum. Sic animò victore expediti, nunc ſub jugo cœnobiorum, nunc in eremi lucta æmulis Macchabæorum decertabant ſudoribus. *Et paullo ſuperius Maurilii* parem & in anocheritici rigoris commilitio ſedulum contubernalem Gerbertum appellat. *Hi porro fuere, uti conjicere licet, ex illis* viris præſtantibus & præcipuæ auctoritatis, *qui, ut commemorat Gozechinus in epiſtola ad Valcherum, Analectorum tomo* 4. *rerum mundanarum vanitatem pertæſi, abdicatis litterarum ſtudiis toto ſeſe ſancto otio dederunt, illis temporibus, quibus Berengarius ſacrorum dogmatum veritatem impugnabat, veriti ne ipſi, quod nimium ſibi ipſis fiderent, in reprobum ſenſum aliquando dilapſi, æterna ſalute, quæ humilibus promiſſa eſt, privarentur.*

Ejus patria & vitæ compendium.

Cum Maurilio in eremum ſeceſſit.

9. *Eo animo patriam dimiſerant Maurilius & Gerbertus, ut ab omni prorſus cura liberi ſibi ipſis ſolis vacarent; omni extremitate contenti*, nullam, *inquit Guillelmus loco ſupra laudato*, prælationem in exſilio mundi prætereuntis ambientes. *quod ſe eo facilius eſſe conſecuturos ſperabant, quod in Italia longe à ſua patria conſtituti putabant ſe nemini fore notos. At tanta virtus diutius latere non potuit, famaque ſanctiſſimæ eorum vitæ per varias regiones dilatata, Maurilius, uti dicemus in ejus elogio, abbas inſtituitur, quæ res ipſi ac Girberto in Gallias accedendi occaſionem præbuit. Quippe cum tantam vitæ ſanctitatem ferre non poſſent ejus loci monachi, Maurilium abbatem veneno enecare conati ſunt. quare vir ſanctus, beati Benedicti exemplum ſecutus, monaſterii regimen abdicare, alioque ſecedere conſtituit.*

10. *Celebris erat tunc Normannia ſub Guillelmi cognomento Nothi principatu, ob variorum monaſteriorum reſtaurationem, quæ tum ab ipſo duce, tum ab aliis viris nobilibus procurabatur. Eo contendere viri illi religioſi, ac Maurilius Fiſcannum adiit, ibique privatus vixit uſque dum ad archiepiſcopalem provinciæ ſedem evectus eſt. quo vero ſeceſſerit Girbertus incertum. Innuit tamen Ordericus Vitalis eum ſimul cum Maurilio apud Fiſcamnum divertiſſe. Etenim libro* 5. *ait, Maurilium ex Italia* in Neuſtriam, cum Gerberto ſapienti & religioſo monacho, tempore Johannis abbatis compatriotæ ſui Fiſcannum veniſſe, ibique ſtabilem ad cultum ſummæ & individuæ Trinitatis habitationem ſibi elegiſſe. *Ibi autem manſit uſque ad annum* MLXII. *quo, ut ſupra diximus, Roberto abbati Fontanellenſi ad monaſterium ſancti Germani à Pratis regimen tranſlato, ſubſtitutus eſt. Id ab ipſo duce Guillelmo præſtitum fuiſſe ſcribit Guillelmus Pictavenſis, qui, inquit*, Girbertum cunctæ ſanctitatis conſcientia & fama juxta beatum aliquot poſt annos cœnobio ſancti Guandregeſili præfecit, ordinem dilapſum reſtituere intendens per abbatem ſpiritualem.

In Normanniam veniunt.

Girbertus fit abbas.

Digitized by Google

ANN. CH. MXXXI. NOV. XXIX. Ejus virtutes.

11. *Spem pii principis non feſellit Girbertus. Virtutes ejus multa paucis verbis in illius Epitaphio comprehenduntur. Tanti eum faciebat ſanctus Anſelmus, ut eum* patrem *ſuum appellare non fuerit dedignatus, cujus conſiliis ſtandum eſſe ſuadebat. ſic quippe ſcribit epiſtola* 76. *lib.* 1. *ad Gualterum.* Habetis vobiſcum domnum & patrem noſtrum reverendum abbatem Gerbertum, qui vobis de ea, quam ſcripſiſtis, quæſtione, & de aliis pro quibus vos velle meam adire parvitatem ſignificaſtis, melius poteſt præſens colloquendo, quam ego vel loquendo, vel ſcribendo ſatisfacere. *alias ejus caritatem commendat, epiſtola nempe* 9. *ejuſdem libri ad ipſummet ſcripta. ſed & ipſe Guillelmus Dux expeditionem parans in Angliam; Girbertum cum aliis optimatibus Juliobonam convenire voluit, ut eorum conſilio in re tanti momenti adjuvaretur. Litem inter monaſterium Fontanellenſe & comitem Ebroïcenſem idem ipſemet princeps componere voluit, ut ex ejus charta patet ea de re data anno* MLXXIV. *quæ habetur apud Arthurum in Neuſtria pia. Defuncto anno* MLXXXVII. *eodem Guillelmo, Girbertus cum Normanniæ epiſcopis, multiſque abbatibus ejus exſequiis interfuit, ut teſtatur Ordericus Vitalis ſub libri* 7. *finem.*

Obit.

12. *Biennio tandem elapſo poſt Guillelmi mortem, ipſe Girbertus meritis ſimul & annis plenus in ſenectute bona quievit. Eum cum aliis multis in Purgatorio maculas vitæ ſuæ abſtergentem vidit Gualchelmus presbyter apud Ordericum libro* 8. Sancti *titulo donatus paſſim occurrit apud auctores, potiſſimum recentiores, nullo tamen officio publico colitur apud noſtros Fontanellenſes. Memoratur in Appendice Martyrologii Benedictini, ab Hugone Menardo editi, ſicut & in Bucelini Menologio die* 8. *Februarii. Defunctus tamen dicitur quarto die Septembris in ejus Epitaphio, ex codice mſ. ſancti Audoëni deſumto, ubi à Deodato compoſitum dicitur, quodque pro coronide hic deſcribendum duximus ex tomo* 1. *Analectorum.*

Quarta Septembris ſolvit ſua debita membris,
    Luce ſua propria fungitur ex patria
Abbas GIRBERTUS, plenus pietate repertus:
    Hoc jacet in tumulo, non careat titulo.
Hunc genuit florem Maguntia, nobiliorem
    Quo nullum genuit, cernere nec valuit.
Hic ſupradictus nullo diſcrimine ductus
    Tempore militiæ lux, decus Eccleſiæ.
Pauperibus vixit, caput in membris benedixit:
    Mors ſibi vita fuit, vivere namque luit.

Gontardus abbas Gemetici.

13. *Celebris eſt inter Girberti diſcipulos* INGULFUS, *ex monacho Fontanellenſi Croylandenſis abbas factus, qui inter Anglicanæ hiſtoriæ ſcriptores locum meruit. At illuſtrior fuit* GONTARDUS, *Gemeticenſi monaſterio præfectus, quem, ut ſupra obſervatum eſt, Ordericus Vitalis inter præcipua Normanniæ lumina cum Anſelmo tum Beccenſi abbate, & Girberto Fontanellenſi recenſuit. De ejus electione ſic habet idem auctor libro* 4. De Fontanellæ monaſterio Guntardus cœnobita electione ſapientum aſſumtus eſt, & poſt obitum Rodberti abbatis Gemmeticenſibus rector datus eſt. Spiritualis doctrinæ pabula commiſſis ovibus curioſe impendit: & rigorem monaſtici ordinis viriliter tenuit. Manſuetos & obedientes, ut pater filios mulcens honoravit; in reprobos autem & contumaces, Regulæque contemtores, ut ſeverus magiſter diſciplinæ virgam aſſeruit. *Idem auctor refert libro* 7. *Guntardum noſtrum cum Giſleberto epiſcopo Lexovienſi ſedulo regi Guillelmo ad mortem ægrotanti adſtitiſſe, ut ſollicite* de ſpirituali ac corporali *ipſius* ſalute *tractarent. Interfuit ejuſdem Principis exſequiis.* Denique, *inquit idem auctor loco ſupra laudato in libro* 4. ad Concilium quod Urbanus Papa anno ab Incarnatione Domini MXCV. Indictione III. apud Clarummontem tenuit, præfatus Pater cum ceteris collegis ſuis Nor-

mmanniæ paſtoribus perrexit, ibique jubente Deo, finem vitæ VI. Kalendas Decembris habuit. *Cum* ſancti, *aut* beati *titulo paſſim apud auctores recentiores memoretur, nondum tamen ullum obtinuit in eccleſia cultum publicum: ſatis fortaſſe fuiſſet eum venerabilem nuncupare.* Ann. Ch. MXXXI. Nov. XXIX.

DE BEATA HELVISA RECLUSA IN MONASTERIO COLUMBENSI.

Circa Ann Ch. MXXXIV. Febr. X.

1. *PIA olim conſuetudo fuit, ut juxta Ordinis noſtri virorum monaſteria cellulæ nonnullæ exſtarent, in quas feminæ reciperentur, ibique ſub abbatis, aut monachorum ab ipſo deputatorum moderamine piis exercitiis vacarent. Inter hujuſmodi mulieres Deo ſacratas celebris hoc ſæculo fuit* HELVISA, *mulier haud minus ſanctimonia vitæ quam generis nobilitate clara, quæ recluſa ſub* BERINGERIO *abbate in cellula aliquamdiu degit juxta monaſterii Columbenſis baſilicam, ibique beato fine vitam conſummans inter cælites meruit annumerari. Ejus feſtum agunt noſtri Columbenſes monachi die* XI. *Februarii, ob beatæ Scholaſticæ ſollemnitatem; nam decimus hujus menſis dies ei ſupremus fuiſſe traditur. Mirum autem eſt ejus nomen nequidem in faſtis Benedictinis reperiri. Quo in loco ſacrum ejus corpus ſepultum fuerit ignoratur, licet ejus caput cum aliquot reliquiis religioſe in ſacrario Columbenſi aſſervetur. de ejus autem actis nihil reſcire licuit, præter ea quæ ex nonnullis notitiis in vetuſto chartario Columbenſis monaſterii deſcriptis hauſimus, ex quibus aliquot proinde huc referre viſum eſt.* Recluſæ juxta monaſteria. Ex his Helviſa.

2. *Prima continet donationes quaſdam ab Helviſa monaſterio factas, & confirmatas à Gualcranno Mellenti comite anno* MXXXIII. *Quo proinde anno adhuc illa vivebat, quamvis notitiam poſt ejus mortem, forte ex ipſa donationis charta, factam fuiſſe inde colligamus, quod in ea ſemel & iterum* beata, *ſive* ſancta *Helviſa nuncupetur. Sic autem habet:* Bona monaſt. confert.

Notum ſit omnibus quod HELVISA devotiſſima femina dedit eccleſias ſcilicet & terras, ſicut legaliter in dotalio à viro ſuo HUGONE caput Urſæ ſuſceperat, ſanctæ Mariæ Columbenſi in uſibus fratrum Deo omni tempore inibi ſervientium contulit. Quarum nomina eccleſiarum hæc ſunt: eccleſia Ledisvillæ una, & Moſteriolis alia, cum omnibus videlicet quæ ad eas pertinent; id eſt cum decimis, cum ſepulturis, cum atriis, & cum univerſis appenditiis ſuis. Terræ autem medietatem Ledisvillæ & Maiſgrimoldi cum omnibus boſcis, cum vicaria, cum bannis & incendiis, & cum univerſis redditibus vel conſuetudinibus quæ inde exeunt. Adiambi quoque villam, quatuor hoſpites, & quamdam ſilvæ partem. Hæc omnia vero beata Helviſa eccleſiæ Columbenſium ſanctæ Mariæ contulit & tradidit ita libera & quieta, ſoluta & pacifica, ut nemo umquam in his, exceptis Columbenſibus monachis, quicquam reclamare vel calumniare præſumat vel audeat. Hanc igitur donationem poſtulaverunt & deprecati ſunt BERINGERIUS Columbenſium tunc temporis Abbas, & ſancta jam ſæpe dicta Helviſa comitem Galeranum concedere, ſuaque auctoritate corroborare. Quorum ipſe precibus libenter annuit, unaque cum filio ſuo Hugone & cum uxore Adeladis gratanter conceſſit, tali ſiquidem tenore, ut omni tempore ſemel in anno Mellenti caſtrum ad feſtivitatem ſancti Nigaſii abbas Columbenſis pergeret; & ipſe præ ceteris, quotquot [*ibi*] abbatum intereſſent perſonis, primatum teneret & Miſſam celebraret. De

Digitized by Google

Circa Ann. Ch. mxxxiv. Febr. x.

cetero ſi quis, quod abſit, inſtigante diabolo hanc donationem vel eleemoſynam à ſæpedicta ſancta Helviſa ſanctæ Mariæ collatam nævo invidiæ depravare, invadere vel calumniare præſumpſerit, cum diabolo & ſatellitibus ejus judicium damnationis incurrat, & gehennæ ignis incendium ſuſtineat, niſi citius reſipuerit, & digne Deo, necnon & beatiſſimæ Dei genitrici Mariæ, cui tantam intulit injuriam, ſatisfecerit. Actum publice Mellenti caſtro, incarnati Verbi MXXXIII. regnante Henrico Rege anno IV. imperii ejus.

S. Galeranni Comitis. †. S. Adeladis uxoris ejus. †. S. Hugonis filii ſupradicti Comitis. S. Vviboldi de Meld. S. Amaurici Turii. S. Guillelmi Barbati.

3. *Exſtat in eodem Chartario altera notitia, ex qua patet beatam Helviſam terram dictam Altarium eidem cœnobio Columbenſi tradidiſſe. quam cum Richardus ejus nepos poſtea invaſiſſet, demum compunctus eam anno* MLXVI. *monaſterio reſtituit, ut patet ex ipſo inſtrumento.*

Ejus elogium.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus-ſancti. HELVISA morum & doctrinæ merito clariſſimo genere præfulgens, ex dominica traditione ſæculari gloriæ renuncians, atque in cella ſolitaria juxta beatæ Mariæ Columbenſis baſilicam cultui divino ſeſe religans, terram Altarium cum ipſa eccleſia præfati cœnobii fratrum uſibus eccleſiæ ceſſit, patrimonii ſui Chriſtum faciens hæredem. Itaque ea ſuperſtite prætaxati fratres eo beneficio cum pace diu potiti ſunt. At poſtquam pretioſa anima carnis ergaſtulo migrare meruit, Richardus nepos ipſius præfatam terram Altarium diu violenter obtinuit. Ipſe tamen poſtea diſpoſitionis divinæ miſericordia, quæ delinquentes pœnitere mavult quam perdere, ab injuria violentiæ ſuæ revocatus, ſub favore & præſentia clariſſimi Normannorum Ducis Guillelmi, & uxoris ejus nobiliſſimæ Mahildis, eorumque clariſſimæ prolis Rotberti, jam ſupradictam terram fratribus beatæ Mariæ Columbenſi ſervientibus liberam in perpetuum clamavit, atque omni nexu devote abſolvit. Cujus etiam rei ſeriem litteris commendari voluit. Quam ſi quis calumniæ alicujus nævo fuſcare tentaverit, in viventis Dei manum, qui ſolus protector noſter eſt, pro iniqua repetitione incidat. Actum publice Fiſcannum, anno Verbi incarnati MLXVI. Indictione IV. regnante Philippo Rege Id. Aprilis.

S. Guillelmi Comitis. †. S. Mahildis Comitiſſæ. †. S. Rotberti filii eorum. †. S. Rotberti fratris ejuſdem Comitis. †. S. Rotberti Comitis de Caſtronom. S. Guillelmi filii Heſberti. S. Rogerii de Montisgommerici. S. Rogerii Barbati. S. Ingenulfi de Aquila. S. Hugonis Epiſcopi Liſoviæ. S. Hugonis Pincernarii. S. Hugonis Comitis. S. Hugonis de Novicaſtri. S. Simonis de Monteforti. S. Richardi filii Herluini. S. Rotberti monachi. S. Odoni monachi. S. Rotberti fratris Richardi. S. Johannis piſtoris. S. Vitalis. S. Martini. S. Goffridi coqui.

4. *Hanc eamdem Altarium villam Richardo mortuo, turbatis poſt Henrici Anglorum regis mortem Normanniæ rebus, Rogerius quidam cognomento Balbus rurſus invaſit, quæ res magna Columbenſibus monachis faceſſivit negotia, ſed quæ hic nihil attinet referre. Satis fuerit hujus rei notitiæ initium exhibere, quod Helviſæ laudes contineat, & ex eo diſcamus Richardum, quem jam ejuſdem beatæ feminæ nepotem fuiſſe vidimus, patrem habuiſſe Herluinum. ſic vero incipit:*

Quoniam homo natus de muliere brevi vivit tempore, & cujuſque terrena opera cito tolluntur de memoria, niſi ea renovet aliqua notitia, utile judicavimus memoriæ litterarum tradere, quod Helviſa nobilibus orta natalibus, inſpirata gratia divina ſæculi renunciavit operibus, & patrimonii ſui Chriſtum heredem faciens, ut nudata ſæculari onere eum ſequeretur expeditius, juxta Columbenſem eccleſiam in breviſſima ſe recluſit cel-

Digitized by Google

ſula, & fratribus ibi Deo ſervientibus inter alia dona dedit villam Altarium & omnia ad eamdem villam pertinentia, ut quod ipſa habebat in dominio, ipſi ſimiliter in dominium haberent; cetera vero omnia & fevos & reliqua poſſeſſores ab eis tenerent. Quæ dum vixit in corpore, ejus dona fratres tenuerunt in pace. ſed poſtquam illa glorioſa anima à corpore eſt ſoluta, Richardus Herluini filius nepos ejus prædictam Altarium villam diu violenter obtinuit. Sed tandem divina reſpectus gratia, quæ mavult peccatoribus parcere quam eos perdere, anno ab Incarnatione Domini milleſimo ſexageſimo-ſexto, cum Dux Normannorum Guillelmus pararet ſibi armis ſubjugare Angliam, ſæpe dictam Altarium villam Columbenſibus fratribus coram prædicto Normannorum Duce Fiſcanni reddidit ab omni nexu liberam & quietam. Ab eo itaque tempore Columbenſes fratres ea uſi ſunt in pace; ſed poſt mortem Henrici Anglorum Regis cum Normannia eſſet ſine principe, Rogerius Balbus omnem terram Columbenſis Eccleſiæ cœpit opprimere, præcipue tamen villam Altarium, quæ quanto vicinior habebatur, tanto magis affligebatur & intolerabilibus angariis opprimebatur, &c.

5. *Exſtat de eadem re charta Rotroci Ebroicenſis epiſcopi, quam huc referre nihil juvat: in ea vero* Helviſa recluſa *dicitur, quæ primum eamdem villam Columbenſi eccleſiæ contulerat. Majoris eſt momenti ad rem noſtram charta Richardi, qui, ut ſupra diximus, ipſam villam Altarium primo à ſe invaſam poſtea reſtituit, ſed & inſuper alia nonnulla Columbenſibus monachis tradidit, ut ex eadem charta patet, in qua Helviſam* amitam *ſuam appellat, & ſe Roberti abbatis Columbenſis fratrem nuncupat. ſic autem in ea loquitur:* Ego RICHARDUS HERLVINI filius, conſiderans brevem eſſe vitam hominis, & erga Columbenſem eccleſiam naturali devinctus amore, & præcipue ob amorem fratris mei ROBERTI, qui ejuſdem eccleſiæ abbas exſtitit, & Dei amicæ religioſæ amitæ meæ Helviſæ recluſæ do prædictæ eccleſiæ, &c. *Ceterum eo tempore cum floreret maxime in prædicto monaſterio accurata vita religioſæ obſervatio, quam paucis antea annis Odelgerius Aurelianorum antiſtes, reſtaurato monaſterio, inſtitutoque ibi abbate Beringerio ſtabilierat, multi ad ipſum confluxere, etiam viri nobiles, qui ibi monaſtica veſte induti Chriſto nomen dederunt, aut ſaltem, ſi id eis non liceret, in communi fratrum monaſterio ſe poſt mortem ſepeliri efflagitarunt, ut patet ex vetuſtis monaſterii tabulis, in quibus eorum nomina paſſim inſcripta habentur. Perſeverat hodieque Columbenſe monaſterium beatæ Mariæ ſacrum, vulgo* Coulombs, *ſub Benedictina ſancti Mauri congregatione in Dorcaſſini comitatus finibus & diœceſi Carnotena, haud procul à Novigento-Regis non ignobili opido.*

VITA SANCTI SYMEONIS

ANN. CH. MXXXV. JUNII I.

MONACHI ET RECLUSI APUD TREVIROS.

Auctore EVERVINO abbate Trevirenſi, coæquali.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. SYMEONIS *vitam ſcripſit Evervinus abbas, auctor ſane fide digniſſimus, non ſolum quod ea quæ coram viderat & audierat conſcripſerit, ejus itinerum comes, verum etiam quod cum eo tanta familiaritate uſus fuerit, ut Symeon morti proximus nulli alteri arcana ſua & corporis ſui ſepeliendi curam committere voluerit. Hunc porro auctorem, quem codices* Evervinum, Evrinum, Eubroïnum, *paſſim ſcri-*

Digitized by Google

bunt, Theologienſem ſeu Dolcienſem in diœceſi Trevirenſi abbatem fuiſſe opinio erat apud omnes recepta, priuſquam noſtri Symeonis vita à Bollandianis vulgata fuiſſet; ſed aliter ſenſit Godefridus Henſchenius die I. *Junii Bollandiani, ubi ex antiquiſſimis, ut ipſe teſtatur, manuſcriptis, è quibus unum ſancti Martini Trevirenſis diſerte laudat, contendit Evervinum vitæ ſancti Symeonis auctorem, non Theologienſem, ſed ejuſdem ſancti Martini Trevirenſis monaſterii abbatem fuiſſe. Præter editos tamen codices, Einſidlenſis mſ.* Ebroïnum abbatem Theologienſem *profert. Colonienſis locum non exprimit. Trithemius Theologienſem abbatem diſerte appellat, ſed eum hac in re falſum fuiſſe, contendit Henſchenius. Contrarium tamen veri ſimilius videtur ex Symeonis pſalterio in monaſterio Theologienſi ſervato, de quo infra dicemus. Eumdem Evervinum aſſerit Trithemius interfuiſſe concilo Salegunſtadienſi, quod ſane ex antiquis monumentis habuit, quamquam nullus abbas iſti concilio ſubſcripſiſſe cernitur in conciliis Labbeanis. Vitam ſancti Symeonis, tacito auctoris nomine, laudat Hugo Flaviniacenſis in chronico; Evervinum vero Trevirenſem abbatem laudat auctor vitæ ſancti Richardi, quod utrique loco competere poteſt. Ceterum vitam hanc ab Evervino ſive Theologienſi, ſive ſancti Martini abbate ſcriptam, mutato ſtilo ediderat Surius, quam pro more noſtro Colonienſis codicis ope, & ad Bollandianos codices exactam primigenio ſtilo reſtitutam huc proferimus.*

Symeonis in Concilio Lemovicenſi encomium.

2. *Porro licet Evervinus ea accurate omnino deſcripſerit quæ ad Symeonis vitam attinent, nonnulla tamen ab eo omiſſa fuiſſe, ut jam olim annotavit Hugo Flaviniacenſis, fatendum eſt. quæ proinde ex aliis auctoribus, potiſſimum ex Chronico Virdunenſi jam laudato, & Brouveri Annalibus ſupplenda ſunt. Præterea egregium Symeonis doctrinæ & auctoritatis teſtimonium habetur in Concilio Lemovicenſi* II. *quod ad annum* MXXXI. *Philippus Labbeus Tomo* IX. *retulit, ubi cum de Apoſtolatu Martialis Lemovicenſium epiſcopi ageretur, clericus quidam Ecoliſmenſis ſancti Symeonis ejuſque ſocii auctoritatem protulit his verbis coram ſacra ſynodo.* Libenter me audiat ſacer patrum conventus. Ante hos plures annos quidam ex fratribus de monte Sinaï in hanc partem advenerunt occiduam Dei diſponente nutu, moribus graves, doctrina catholicæ fidei profluentes, vita per omnia honeſti, utriuſque linguæ periti, qui cum diu nobiſcum Engoliſmæ fuiſſent exſpectantes Principem civitatis, & litteris Græcis & Latinis eos videremus ad unguem imbutos, ſuper hac re interrogare curavimus eos. *Profert deinde Symeonis ſententiam, qua Martialem apud Græcos pro uno è ſeptuaginta duobus Chriſti diſcipulis haberi atteſtatus fuerat.*

Rotomagi claret.

3. *Non minus Rotomagi, quam Ecoliſmæ Symeonis ſanctitatem aut prudentiam enituiſſe diſcimus ex Chronico Virdunenſi, ubi multa habentur, quæ hic exponere juvat, quod ab Evervino prætermiſſa ſunt. De monaſterii ſanctæ Catharinæ conſtructione ſic loquitur.* Igitur ad beatum Symeonem reflectentes articulum, quid apud Richardum Normanniæ Principem egerit, ſicut in armario Rotomagenſi continetur, licet libellus vitæ ejus hoc ſileat, paucis explicemus. Ad hunc itaque veniens cum ſociis commendatus eſt cuidam viro nobiliſſimo, Gozelino nomine, qui eos gratanter ſuſcepit hoſpitio, & benigne poſt laborem refecit. At vero clementiſſimus princeps Richardus caritate profluus, miſericordia copioſus, ſervi Dei tam prolixi itineris motus labore, neceſſitati ſervorum Dei de monte Syna compaſſus, plurimas eis largitus eſt divitias, quas venerabilis Symeon per fratres qui ſecum advenerant, fratribus miſit, & ipſe cum præfato Gozelino uno tantum contentus famulo, Stephano nomine, viro æque ſancto, biennio manſit, cujus hortatu idem vir nobiliſſimus monaſterium

Conſilium dat Gozelino conſtruendi monaſterium.

ſanctæ Trinitatis in vicino monte Rotomagenſis urbis ædificavit. Illo in loco vir mitiſſimus domnus Symeon reliquias ſanctæ Catharinæ quas ſecum ferebat depoſuit, gaudens divina præordinari diſpoſitione, ut ſcilicet occidentalis plebs tanto gauderet ſuffragio, dum ejus frequenter relevari mereretur antidoto. Hæc autem eſt ſancta Catharina, quæ à Maxentio

Ubi S. Catharinæ reliquias deponit.

Cæſare apud Alexandriam martyrio coronata, ab angelis ad montem Sinaï delata & in habitaculo angelicis manibus præparato locata, quod quidem in modum turriculæ in edito porrectum, uno tantum foramine ſcala appoſita aditum præbet, oleo quod de ejus corpore profluit, omnibus medetur infirmis. Porro ad radices ejuſdem montis, ipſius ſanctæ Virginis exſtat oratorium, in quo multa turba monachorum, die noctuque Deo laudes canentium, beatæ Martyri devotum exhibet famulatum. His moris eſt die dominico montis ſupercilium aſſcendere, & miſſis ibi celebratis duos vel tres ibidem ſemper fratres dimittere ob excubias ſacri corporis, quibus alii viciſſim fratres per hebdomadas ſuccedunt, ſacrumque oleum quod de illo effluere non deſinit, vitreo vaſe ſuppoſito debilium uſibus reſervandum, ſumma cum veneratione excipiunt, quo non ſolum Chriſtiani, verum etiam pagani, quod dictu mirabile eſt, inuncti, opem ſibi medicinæ reportant. Inter quos cum beatus Symeon, ſuæ ſeptimanæ fungeretur officio, cum illo ſalutaris olei liquore, tria admodum minuta de ſarcophago diſtillantia meruit oſſa excipere, quæ diligenter collecta, & in concha vitrea cum ipſo oleo recondita, ſecum conſervavit multis profutura, & ea poſtmodum, ut diximus, eccleſiæ præfatæ ſanctæ Trinitatis Rodomi contulit, auro & argento pretioſiora. Continetur adhuc in eodem cœnobio vas illud vitreum cum reliquiis, id eſt tribus

minoribus

minoribus articulorum juncturis, quod vas ob inundantiam ſancti olei quaque ſeptimana vacuatur, & petentibus pro reliquiis ſancti corporis datur. Beatus autem Symeon apud præfatum Gozelinum biennio manens, cogitavit tandem patrem ſuum Richardum abbatem ſocioſque ſuos inviſere, & ſic valedicens omnibus Virdunum venit, & cum eodem patre diebus quam plurimis manſit, & frequenter injuriatus, tamquam agnus manſuetiſſimus omnia pertulit, & ſpeculum totius ſanctitatis omnibus ſe præbuit. ANN. CH. MXXXV. JUNII I.

4. *Hæc Chronicon Virdunenſe in Bibliotheca nova Philippi Labbei tomo* I. *editum, unde diſcimus Symeonem biennio Rotomagi degiſſe, ibique occaſionem præbuiſſe monaſterio ſanctiſſimæ Trinitatis, quod jam ejus conſilio exſtructum fuerat, ſanctæ Catharinæ nomen imponendi. Complura miracula quæ ibi hujus ſanctæ Martyris interceſſione patrata fuerunt, collegit vetus auctor: ſed cum ea nihil ad noſtri Symeonis vitam illuſtrandam conferant, conſulto prætermiſimus. Porro hæ reliquiæ etiamnunc aſſervantur à Cartuſienſibus, qui ſanctæ Catharinæ monaſterium, quod jam ab aliquot annis è monte ſanctæ Catharinæ in ſancti Juliani eccleſiam tranſlatum fuerat, obtinent. Ceterum etſi in nonnullis Evervinus à Chronici auctore diſſentiri videatur, neutrius tamen contemnenda eſt auctoritas, cum in præcipuis factis inter ſe conveniant. Deinde ex Evervini elucubratione ſatis apparet, ea tantum ab ipſo fuſius expoſita fuiſſe, quibus præſens adfuerat, ceteris obiter relatis, qualia ſunt ea quæ beatus Symeon tum Ecoliſmæ, tum etiam Rotomagi operatus eſt.*

5. *Sed hic inveſtigare libet, quo in loco ſanctus Symeon vitam monaſticam poſt ejus in Occidentem adventum egerit. Biennium integrum tranſegit Rotomagi cum Gozelino viro nobili, ut aſſerit Hugo Flaviniacenſis, & quidem, ut probabile eſt, in monaſterio ſanctiſſimæ Trinitatis, quod ejus hortatu Gozelinus pro monachis Benedictinis excitarat. id ſuadet donatio Reliquiarum ſanctæ Catharinæ huic loco facta. Ubi vero degerit poſt ejus ex urbe Rotomago diſceſſum uſque ad iter Jeroſolymitanum, quod cum Poppone Archiepiſcopo aggreſſus eſt, non una eſt, etiam veterum auctorum ſententia. Certe Auctor vitæ ſancti Meinverci ſcribit, Symeonem totum id tempus in monaſterio ſancti Maximini Trevirenſis ſub Richardo abbate tranſegiſſe. At id omnino eſſe incertum vel ex hoc ſolo probatur, quod nullus fuerit tunc temporis abbas Richardus in monaſterio ſancti Maximini. Quare facile crediderim, hunc auctorem Richardum ſancti Vitoni Abbatem, quem veluti patrem ſuum Symeon venerabatur, pro ſancti Maximini abbate uſurpaſſe. Hæc conjectura firmatur ex Chronico Virdunenſi, in quo Symeon dicitur Gozelino valedixiſſe, ac poſteà ad Abbatem Richardum ſocioſque ſuos inviſendos Virdunum veniſſe, ubi* cum eodem patre quam plurimis diebus manſit, &c. *Evervinus tamen, qui aſſerit Symeonem diutius in ſuo monaſterio vixiſſe, innuere videtur hanc moram uſque ad Popponis iter debere extendi; ſic enim ait num.* 10. Occurrit autem animo, ut ſuum cariſſimum patrem, Richardum ſcilicet abbatem, noſque ſuos comites inviſeret, quod & fecit. Per longum autem tempus moratus eſt nobiſcum.... Interea domnus Poppo, &c. *Unde cum Symeonis iter Jeroſolymitanum ejuſdem in ipſo monaſterio commorationi proxime ſubjungat, licet inferre, Symeonem Rotomago diſcedentem primo quidem petiiſſe Virdunum, ubi aliquamdiu cum Richardo abbate verſatus eſt; ac tandem Evervini abbatis viſendi cauſa, ad ejus cœnobium ſe contuliſſe, ibique uſque ad Popponis profectionem manſiſſe, unde nata fuerit tanta inter Symeonem & Evervinum familiaritas.* Ubi vixit.

6. *Supereſt ut aliquid de beati Symeonis ſanctitate præmittamus. Miraculis non ſolum vivens, ſed etiam mortuus ita claruit, ut eorum fama brevi per Germaniam & Italiam divulgaretur. His permoti Trevirenſes à Sede apoſtolica petierunt, ut tanti viri nomen Sanctorum catalogo adſcriberetur. Rem in ſe ſuſcepit Poppo archiepiſcopus, cui ſanctitas Symeonis, quem itineris comitem habuerat, magis perſpecta & explorata erat, atque ea de re ad ſummum Pontificem, qui tunc temporis erat Benedictus* IX. *ſcripſit, à quo impetravit litteras, quibus Pontifex non ſolum inter ſanctos Confeſſores Symeoni locum dedit, verum etiam conſtituit, ut ejus feſtivitatis dies à cunctis feriatus haberetur. Utriuſque litteras hic exhibere viſum eſt ex Brouveri Annalium Trevirenſium libro* XI. *ad annum* MXLII. *quo ipſa data ſunt.* Miraculis clarus poſt mortem.

EPISTOLA POPPONIS ARCHIEPISCOPI Trevirenſis ad Benedictum IX. ſummum Pontificem.

Pro obtinenda canonizatione beati Symeonis recluſi apud Treviros.

7. REVERENDISSIMO Patri Patrum gratia & nomine Benedicto, Poppo licet indignus, divina tamen largiente clementia ſanctæ Trevirenſis eccleſiæ Miniſter, cum totius affectus dilectione, debitam ſubjectionem. Superiori tempore, cum annuente venerandæ memoriæ domino Johanne, in hac ſancta ſede Apoſtolica prædeceſſore veſtro, amore viſionis ſepulcri Dei hominis Jeſu-Chriſti, Jeruſalem profectus peregre fuiſſem, in regione noſtra pravorum hominum ſupercrevit iniquitas, ita ut nec adhuc manus poſſint ab incœpta retrahere nequitia, omnia per circuitum diripientes & devaſtantes. Super quo ſæpiſſime deprecatus ſum faciem domini mei Regis, quatenus manum mihi porrigeret ſuæ animad- Epiſtola Popponis ad Papam Benedictum IX.

Digitized by Google

verſionis, nihil profeci; ſæpe etiam ſupra nominato prædeceſſori veſtro, pro eodem ſupplicavi, nec quicquam uſque adhuc conſolationis impetravi. Quam ob rem deſidero, ut vel nunc ſolatietur mihi Deo amabilis Paternitas veſtra; mittatque virum de honoratioribus ac prudentioribus veſtris, qui mihi in neceſſitatibus meis, conſilio ſimul & auxilio ſuffragetur: auxilietur, dico, de adverſis; conſilietur vero de his quæ latere non credo aures veſtræ Sanctitatis. At vero ſi hactenus vos latuerunt, jam nunc obſecro uti benignum litteris meis accomodare velitis auditum. Vir quidam vitæ ſanctitate laudabilis, apud nos diebus iſtis ex hac luce migravit; quem ſi ſignis & virtutibus, quæ per eum Dominus operatur, credere debeamus, procul dubio eum cum Sanctis æternæ beatitudinis habere conſortium non dubitamus. Sed non tam ſigna quæ fidelibus & infidelibus communia ſunt, quam fidei virtus qua fideles ab infidelibus ſequeſtrati ſunt, qua ipſe dum adhuc in corpore maneret, plurimum viguit, de ejus ſanctitate nos certos reddit. Proinde accerſivit nos tam Clerus quam populus eccleſiæ noſtræ, obſecrantes, uti litteris noſtris ad hanc apoſtolicam Sedem, cui vos, auctore Deo, præſidetis, cum illius viri ſancti vita & miraculis miſſis peteremus; quod petitione dignum credimus; quatenus, ſi ita vobis cautum videatur; dato nobis veſtri Apoſtolatus decreto, nomen ejus liceat cum ſanctorum nominibus conſcribi, ceteraque honoris ſanctis debiti ipſi impendi. Itaque quid ſolatii, quid conſilii ſuper allevatione anguſtiarum noſtrarum hinc & inde obortarum, prudentia veſtra mihi ineundum decreverit, ſine longa temporis dilatione dignemini inſinuare. Honor veſter & meritum apud Deum & homines augeatur.

8. *Huic petitioni annuit ſummus Pontifex, Popponi adjutorem Legatum apoſtolicum conceſſit, qui canonizationis ſancti Symeonis litteras Trevirim attulit, ex quibus* pæne verbatim, *Brouverus, ut ipſe loquitur; hæc excerpſit.*

Ex tabulis canonizationis S. Symeonis excerpta.

Quoniam crebris nuntiorum indiciis, crebriſque litteris clamor magnus, ſtrepenſque rumor ex Trevirorum partibus uſque Romam ad nos, jamque etiam ulterius pervolavit, eſſe ibi viri cujuſdam Symeonis admirabile corpus, ſignis & prodigiis, virtutibus & miraculis radians; Deum benediximus toto corde, tota mente, totis viribus, qui noſtris benigne temporibus, intra ſanctum ſuum corpus Eccleſiæ, hoc præcipuum membrum divino lumine accendit, ut ſit lucerna ardens poſita ſupra candelabrum, quæ luceat omnibus, qui ſunt in domo Domini. Itaque convicti & pulſati à cariſſimo fratre noſtro domino Poppone ejuſdem Treviris archiepiſcopo, concordi deliberatione determinamus, & alta ſententiæ radice fundavimus eumdem virum Dei Symeonem, quem Dominus commendat atque probat ſignificatione tantarum virtutum, ſanctitatis ac gratiæ plenum, ab omnibus populis, tribubus & linguis ſanctum proculdubio eſſe nominandum, ejuſque natalem ſingulis annis recurrentem ſollemniter obſervandum, & ferialiter celebrandum, ac venerandum ad inſtar diei feſti; nomen quoque ipſius Martyrologio Sanctorum nominibus ſuo loco inſerendum. *Binas Benedicti pontificis litteras, ad Popponem ſcilicet, & ad univerſos orbis Chriſtiani fideles directas, integras exhibet Papebrochius die* 1. *Junii Bollandiani.*

9. *His acceptis litteris Poppo ſollemniter beatum Symeonem inter ſanctos confeſſores habendum & colendum eſſe declaravit; idque anno* MXLII. *factum habet ſequens inſcriptio, quam ex antiquis monumentis à Brouvero editam Papebrochius ad autographum emendatam refert:* Anno Dominicæ incarnationis MXLII. Indictione X. Benedicti Papæ IX. regiſque tertii Henrici, Conradi regis filii IV. canonizatus eſt beatus Symeon Trevirenſis IV. feria, XV. Kal. Decemb. piiſſimo archipræſule Poppone, anno ordinationis ſuæ XXVI. juſſu & litteris noni Benedicti Papæ, eſt congregatio canonicorum ibidem ordita. *Et quidem Poppo, ut illuſtre ſua erga ſanctum virum devotionis monumentum relinqueret, templum magnificum conſtrui curavit in ejus turris loco, quam Symeon vivens incoluerat; ibique collegium canonicorum, quod hodieque perſeverat, pluribus eidem dotando collatis poſſeſſionibus, inſtituit. in qua demum eccleſiâ corpus ſuum ſepeliri mandavit. Ejuſdem loci canonicos obviam iviſſe corpori ſancti Modoaldi, cum in monaſterium Helmvvardeshemenſe deportaretur, legimus in ejuſdem Tranſlationis hiſtoria apud Bollandianos die* 12. *Maii; templi vero ſancti Symeonis iconem æri inciſam exhibent iidem ad* 1. *diem Junii, cum illius accurata deſcriptione ex Annalibus Trevirenſibus Brouveri.*

Inventio corporis.

10. *Beati Symeonis corpus poſt annos ferè quadringentos, quam in hac ipſa eccleſia fuerat ſepultum, initio ſæculi* XV. *repertum eſt integrum, idque novæ feſtivitati inſtituendæ occaſionem præbuit, ut narrat Brouverus libro* XVIII. *Antiquitatum Trevirenſium; at ipſammet* Elevationis hiſtoriam, *quam Fredericus ſancti Paulini præpoſitus, teſtis oculatus, quo curante tranſlatio facta eſt, integram edidere Bollandiani. ſatis ſit nobis huc ea proferre quæ ad rem noſtram facient.* Anno igitur Domini milleſimo quadringenteſimo.... feria ſexta, quæ fuit quinto Idus Januarii, ego indignus, *inquit ipſe Fridericus,* cum Michaële Decano, Johanne urbis officiale ac Jacobo canonicis & fratribus cariſſimis, de conſcientia Johannis eccleſiæ præpoſiti, ipſam eccleſiam appropinquante nocte, gratia hujus deſiderati theſauri reperiendi, cum ingenti ardore introïvimus pariter & tremore. Cumque ſancto hoc cœpto negotio

Digitized by Google

cum deſiderio valde diu fuiſſet laboratum, multorumque pavimentorum dura perforata ſoliditate, in eo loco quo ejus tumba poſt altare ſtat eminenter erecta, ne deſperatio tæderet, auxiliante Domino, in medio fere noctis ſilentio, hoc ſacratiſſimum corpus à die ejuſdem depoſitionis, ut apparuit, integrum reperimus & intactum. ſupra cujus etiam pectus beatiſſimum plumbea reſedit tabula, litteris conſcripta ſic vetuſtiſſimis: HIC JACET QUIDAM SYMEON DE BABYLONIA NATUS, IN SINAÏ MONACHUS, HIC AUTEM SOLITARIUS, OBIIT KALENDIS JUNII. Valde utique gaviſi in Domino, atque hujus beatiſſimi viri Symeonis caput, cum parte una brachii ſiniſtri, ceteriſque ipſius manuum & pedum reliquiis de hoc ſacratiſſimo corpore ſumtis, impetrata indulgentia reverendiſſimi patris & domini domini Vverneri, hujus ſanctæ urbis archipræſulis, cum gaudio ſummaque qua potuimus excepimus veneratione. Porro reſiduum corpus in plumbea reconditum tumba, cum plumbeto indigna manu mea ſuper re geſta conſcripto, priori loco eſt recommendatum. *Dominica prima die Februarii miſſis ſollemniter celebratis ſancti reliquiæ palam oſtenſæ fuerunt; atque exinde celebris fuit inſtituta Inventionis ſollemnitas, quam etiam nonnulla Martyrologia habent.* Ann. Ch. MXXXV. Junii I.

II. *Præcipua tamen Symeonis feſtivitas die I. Junii, qua quidem die eum obiiſſe conſentiunt omnes, celebratur. Hanc commemorant Martyrologia Romanum, Benedictinum, Gallicanum, varia Germanica, & alia paſſim, quæ à ſæculo undecimo conſcripta fuerunt. Sed non una eſt auctorum ſententia in aſſignando extremo ejus anno. nonnulli quippe eum aiunt obiiſſe anno* M. XXXVII. *ut poſt Trithemium & Surium exiſtimavit Baronius. Alii vero id anno* MXXXIV. *contigiſſe putant, quam ſententiam veteri inſcriptione ex Bibliotheca Trevirenſis eccleſiæ accepta confirmare nititur Brouverus. ſic autem habet:* Kalendis Junii anno MXXXIV. Indict. II. Conrado ſecundo regnante anno X. imperante autem VIII. Poppone videlicet Trevirorum archiepiſcopo honorem ſui pontificatus regente XVIII. obiit beatus Symeon. *Nihil in hanc rem luculentius hac inſcriptione poſſet afferri, ſi re ipſa ab auctore æquali, ut putavit Brouverus, conſcripta fuiſſet. At ut id fateamur vetat ipſiuſmet Evervini vitæ ſcriptoris auctoritas; nam præter locum ex nonnullis codicibus deſumtum, ubi Symeon diſerte anno* MXXXV. *obiiſſe dicitur, ea quæ habet num. 15. id invicte probant. ait nempe Symeonem in octavis Pentecoſtes in morbum incidiſſe, dieque Dominica ſequenti I. Junii abiiſſe ad ſuperos. quæ verba abſque ulla affectatione prolata, & ab omni interpolationis ſuſpicione aliena. exigunt, ut Symeonis obitus anno illi conſignetur quo ſecunda Dominica poſt Pentecoſten in diem I. Junii inciderit, proindeque ut Paſcha occurrerit die 30. Martii, quod anno* MXXXV. *optime congruit, neutri vero ex iis annis quos memorati auctores aſſignarunt. Symeonem laudant Sigibertus in Chronico ad annum* MXVI. *Chronographus Magdeburgenſis mſ. ad annum* MXIV. *Trithemius in Chronico Hirſaugienſi ad annum* MXX. *& iterum ad annum* MXXXVII. *magno autem honori ducebat ſe habere tria folia pſalterii græci, quo olim vir ſanctus uſus fuerat, quæ, ſunt ipſius Trithemii verba,* propter ejus meritum tanti facio, ac ſi theſaurum pretioſum argentique poſſiderem. *Idem repetit in nova & fuſiori Chronici Hirſaugienſis editione, ubi codicis formam & characteres deſcribit:* Hujus ſanctiſſimi, *inquit*, viri Symeonis græcum pſalterium, antiquis græcis litteris, pulcris, parvis, ſed optime legibilibus, ſcriptum memoratus abbas [*Evervinus*] ejus vitæ ſcriptor ab archiepiſcopo Bobbone oblatum pro memoriali accepit, quod in Tholeienſi monaſterio vidimus & legimus; & quatuor folia reliquiarum loco à Gerardo abbate impetravimus. *Jam vero proferenda eſt beati viri Vita, quam eamdem eſſe cenſemus, quæ dicitur ad ejus canonizationem impetrandam à Poppone oblata ſummo Pontifici.* Feſtivitas. Pſalterium ejus.

EPISTOLA EVERVVINI ABBATIS ad dominum Popponem Trevirorum archiepiſcopum,

De vita ſancti SYMEONIS *monachi.*

I. DOMINO venerabili POPPONI archiepiſcopo, frater EVERVVINUS[a] Abbatis nomine indignus: devotos utriuſque hominis famulatus. Mones, immo jubes, ſanctiſſime Pater, ut impos * ingenio, ſtultus eloquio, aliquid de vita, converſatione & obitu viri Dei Symeonis, & de miraculis quæ per eum Dominus operatur ediſſeram: multiſque ad laudem & gloriam Domini ſcire a * Einſ. inops.

[a] In codice Einſidlenſi, qui hanc Epiſtolam habet, Ebroinus.

Digitized by Google

ANN. CH. MXXXV. JUNII I.

deſiderantibus notum faciam. Fateor grande onus mihi imponis: maximè cum toto corpore debilis tremendum Dei judicium pertimeſcam, ſi aliquid falſitatis confingam. Confiſus igitur de Dei adjutorio, tuis juſſionibus quamvis tremens obtemperabo; plano, brevi & ſimplici ſermone deſcribens, quæ, vel ipſe ex ejus ore audivi; vel à fidelibus viris ab ipſo audita ſive de miraculis viſa didici. Tui igitur examinis eſt judicare, ſi iſtud tantillum opus jubeas in publicum venire, ſive tuis ſcholaſticis ad corrigendum, exornandum, dilatandumve tribuere. Quidquid enim in me reprehendetur, tibi potius præcipienti, quam mihi obedienti neceſſario imputabitur.

INCIPIT VITA.

Symeonis parentes & patria. a

2. IGitur vir Dei Symeon patre Græco Antonio dicto, matre Calabrica in Sicilia, civitate Syracuſana [a] progenitus à nobiliſſimis & chriſtianis parentibus chriſtianiter eſt educatus. Cum vero bonæ indolis puer ſeptem annorum eſſet, à patre qui militaturus erat, Conſtantinopolim deducitur; ibique eruditiſſimis viris, ſacris imbuendus litteris traditur, & in timore Domini diligenter enutritur. Adultus itaque incremento virtutum in dies cœpit augmentari; videnſque quoſdam ex noſtris partibus deſiderio infatigabili currere ad ſepulcrum Domini, deſiderabat & ipſe pro nomine Chriſti peregrinari. Deſpectis ergo cunctis mundi vanitatibus, abjectis deſideriis carnalibus, domum, patriam, parenteſque relinquens, pauper pauperem Chriſtum ſequi cupiens, ſanctorum gratia locorum, Jeroſolymam venit, ubi deſiderio quo venerat, loca paſſionis, reſurrectionis atque aſſcenſionis ſæpius frequentando aliquamdiu manſit.

In Terram S. peregrinatur.

3. Poſt hæc cum Hilario quondam ſanctiſſimo viro, qui pro hoc negotio [b] Laodiciæ habitabat, per ſeptem annos ductor peregrinorum fuit. Jamjam quidem totus in amore Chriſti fundatus requiſivit, ſi illis in partibus aliquis inveniretur pro nomine Chriſti ſolitarius, cujus inſtrui moribus, cujus ſubdi valeret dogmatibus. Audivit quemdam ſuper ripam fluminis Jordanis in cujuſdam recluſione turris commorari, virtutibus præclarum, ſanctitate conſpicuum. Illum ergo tota mentis intentione ſitiens, illius alloquio atque conſortio frui concupiſcens requiſitum reperit, inventum dilexit, eique tota dilectione inhæſit, & in quantum potuit devotiſſime miniſtravit. De illo Chriſti ſervo vir Dei Symeon multa ſolitus erat narrare, & quod prophetiæ ſpiritum habuiſſet, plenius his verbis edicere. Cum quadam die in inferioribus ejuſdem turris partibus habitarem & mulierculas, quæ camelos & cetera animalia in flumen adaquare venerant inaniter & laſcivè per feneſtram proſpicerem; per ſpiritum quidquid vanitatis retinerem in corde, vir Dei in ſuperioribus manens, & me omni modo videre non valens cognovit, factoque ſigno, in loco quo verba loquentis audire poſſem evocavit, mihique ſtupenti quæ egeram vel cogitaveram increpando retulit, atque tali ſermone dulciter corripuit: Quid tibi, fili, prodeſt patria bona reliquiſſe, ſi mundi deſideria & carnis illecebras in corde vis retinere? Si ergo cupis diſcipulus Chriſti fieri, non debes deinceps vanitatibus mundi implicari. Decet enim Dei ſervum ſpirituali virtute eſſe circumſeptum, ne callidus tentator decipiendi inveniat aditum. Cumque inter has & alias ſermocinationes, verecundo me videret rubore perfuſum: Noli, ait, noli fili timere; bonam ſpem per Dei gratiam habeo de te. Tuum eſt contra hoſtem pugnare, Dei eſt auxilium

b Cujuſdam Eremitæ diſciplinæ ſe ſubdit.

Qui ei abdita cordis pandit.

a Hujus feſtum in Syracuſana civitate fieri notat Ferrarius in Catalogo generali ſanctorum 1. die Junii.

b Surius habet *in Lycaonia*, codex Colonienſis cum 2. Bollandianis *Laodicia*, quæ nempe urbs eſt Syriæ Jordani proximior, quam aut urbs Licaonia in Phrigia, aut Licaonia provincia Cappadociæ. Alii codd. apud Bolland. habent, *ibidem*, quam lectionem ceteri præferunt.

Digitized by Google

præbere ut poſſis evincere. Credo in Deo meo quod majora tibi parantur certamina, ſed confide quod divina præſens aderit clementia. Et inter cetera: Deus, inquit, retribuat tibi, cariſſime, ſervitium quod mihi per hos annos impendiſti: ego vero frequentiam populi amplius non poſſum pati. cedendum eſt mihi alio ubi ſecretiori poſſim vivere loco; inter turbas enim frequentantium meum non valeo implere propoſitum. Cumque multis lacrymis illum rogarem ut quocumque iret ſequi poſſem, non aſſenſit; ſed me ad alia occupato aufugit, me quoque ignorante quo abiret reliquit.

Ann. Ch. MXXXV. Junii I.

4. Igitur Symeon Dei famulus tanto patre viduatus cogitare cœpit quid ageret, anxiari quo ſe verteret, nec erat qui nutantem animum conſolaretur, unde magis magiſque turbabatur. Jam tunc eremiticam & ſolitariam vitam concupierat: ſed quomodo inciperet fas non erat. Igitur vitas Patrum frequenter legens & relegens intellexit nullum in eremo ſibi poſſe præeſſe, niſi prius in monaſterio didicerit ſubeſſe; nec perfectum aliquem fore in contemplativa, qui exercitatus non fuerit in activa vita. Conſolatus ergo, Bethleem, nativitate Chriſti præclaram civitatem, adiit; ſeque in monaſterio ſanctæ Mariæ monachum fieri expetiit, quod & obtinuit. In omni ergo monaſterii diſtrictione probatus, atque diaconatus officio functus, poſt duos annos ad aliud monaſterium, quod eſt ſitum ad radices montis Sinaï, in eo ſcilicet loco, ubi ſanctus Moïſes ardentem vidit non ardere rubum, ſeceſſit: ubi ab abbate receptus per aliquot annos in ſervitio fratrum manſit.

A quo deſertus Symeon in monaſterium ſe recipit.

5. Creſcente ſiquidem deſiderio abbatem humiliter rogavit, ut liceret eum in aliquo ſecretiori commanere loco; & impetravit. Super ripam igitur Rubri maris parvulam ſibi ſpeluncam in quadam rupe invenit, ubi per duos ferme annos ſolus habitavit. De monaſterio vero ſecundum numerum dierum, numerus ſibi omni dominica mittebatur panum; aqua ſtillans de rupe ſitienti hauſtum præbebat: hoc paſtus eſt edulio, quamdiu in eodem manſit loco. Cum vero à navigantibus, vel etiam ab his qui propter varios uſus ſanitatum oleum colligebant, quod firma de petra prope ſpeluncam illius fluebat, frequentari cœpiſſet: fratrem quoque qui ſibi panem deferebat frequentatione & longitudine itineris fatigari vidiſſet; ſcienſque ſe homines amplius latere non poſſe, ad monaſterium repedavit; & juxta cujuſdam viri ſancti habitationem cellulam ſibi acquiſivit. Cujus fidei ſe totum commendans, & magiſtrum eum poſt tantos labores adoptans, illius vivebat imperio; quippe qui eum aliquando ab oratione, lectione vel opere vacantem, paterne reprehendebat, & quaſi noviter converſum inſtanter arguebat. In vertice autem montis Sinaï, eo videlicet loco, quo Moyſes gloriam Domini vidit, & legem in tabulis lapideis ſcripſit, aliud monaſterium erat, quod propter Arabitas incurſantes, qui per illam eremum ſemper vagantur, omni habitatore deſertum remanſerat: ubi poſt hæc exercitia, vir Dei Symeon mittitur, & ut ibi moretur præcipitur. Implet quod jubetur, & nova machinamenta antiqui hoſtis perpetitur. Nocturnis horis Miſſam ut celebret dæmon hortabatur. Ipſe non plenè dormiens nec perfecte vigilans contradicit, non debere ſine preſbyterii ordine aliquem hoc myſterium implere. E contra inimicus inſtare ſe Dei legatum eſſe, Chriſtum hoc velle; nec decere ſanctum locum myſterio tali diutius privari. Renitentem ergo & contradicentem, adjuncto ſibi conſortio alterius diaboli, de lectulo educunt; ante altare jam vigilantem ſtatuunt, alba induunt; de ſtola utrique altercantur. Hoſtis more preſbyteri, Symeon more diaconi contendebat ſibi imponi. Tandem Dei famulus ad ſe reverſus, virtute orationis, & ſignaculo ſanctæ crucis inimicum repellit, ſeque deluſum ingemiſcit.

Vivit in ſpecu.

In monaſterio montis Sinaï tentationibus variis agitatur.

ANN. CH. MXXXV. JUNII I.

Poſt hæc ad monaſterium regreditur, ſuo magiſtro iterum ſubditur. Cui confitens perpeſſas inſidias diaboli, diſtrictiori abſtinentiæ regulam conſtruunt [a]; per aliquot hebdomadas in die tantum dominico cibum ſumentes. Regula autem monaſterii talis erat, ut non prohiberetur quicumque jejunare vellet.

Tempore famis frumentum monaſterii non minuitur.

6. Dignum ergo duxi huic operi adjungere, quod ſuis temporibus in eodem monaſterio mihi retulit contigiſſe. Per totam Ægyptum orta eſt fames valida, ita ut in ſola civitate Babylonia [b] mortuorum corpora numerarentur uſque ad centum millia, civibus refertis auro, gemmis, ceteriſque ornamentis morientibus præ inopia panis. Fratres igitur monaſterii hac tempeſtate conſtricti, ex toto corde Deum invocant, ut qui filios Iſraël in eodem deſerto paverat pane cæleſti, ſervis ſuis dignaretur miſereri. Sicque facto conſilio, cum pſalmis & orationibus ad modicum cumulum qui ſuperfuerat frumenti accedunt. Et quia ab abbate in mandatis acceperant, ut unuſquiſque quo abire vellet licentiam haberet: unanimiter ſe conſolantur; ut quamdiu unum granum ibi inveniri poſſet, nullus recederet. Mira res! Ab ipſa die uſque ad novum fructum non defecit illud frumentum cum quotidie ſumeretur; & non ſolum victui fratrum pararetur, verum Arabitis, qui cum mulieribus & parvulis clauſuram monaſterii obſederant, abundantiſſime diſtribueretur. Sed ad propoſitum redeamus.

In ſolitudinem iterum ſecedit.

7. Vir itaque Domini Symeon omnes labores ſuos quaſi nihilum ducens, & amore ſolitudinis interius ardens, de monaſterio caute exiens eremum pervagatur; & ubi ſine humano auxilio ſolus vivere poſſet, inquirit diligenter & ſpeculatur. Itineris equidem ſui veſtigia molli ſabulo impreſſa, arte qua poterat deſtruebat, ne inſequi vel ab aliquo poſſet inveniri. Panem quem portabat laſſus frequenter rejiciebat: ſed recogitans ſe diu non poſſe vivere ſine cibi ſuſtentatione, gaudens reſumebat. Tandem de altiſſimis rupibus deorſum ſuſpectans, parviſſimam planitiem contra morem eremi raro gramine virentem reſpicit: ſeque illuc non ſine magno periculo deponit. Parvum fontem reperit; Deo gratias reddidit, ibique manere diſpoſuit. Deliciæ quas ſecum detulerat erant pſalterium, ſanctum Evangelium, vas ad potandum, panis, ſemina caulium; præter pauca veſtimenta nihil aliud poſſidebat. Sata ſemina poſt dies triginta jucundum ſine igne præbuerunt victum. Cum capreolis & aliis eremi beſtiolis ne ſibi caules auferrent cum ad potandum veniſſent; frequens habebat prœlium. Poſt multos ergo dies, ab abbate requiritur ubi frater Symeon haberetur; reſponſum à quodam fratre eſt, in eremo illum eſſe ſe ſcire, ſed ubi locorum neſcire. Ad requirendum fratres circumquaque mittuntur: & ut ad monaſterium revertatur, per obedientiam mandatur. Diu requiſitus vix *poſt aliquot* dies invenitur: & ſecundum abbatis præceptum ad monaſterium regreditur.

Sed paullo poſt in monaſterium redire cogitur.

In occidentem mittitur.

8. Interea fratres aliqui pro neceſſitatibus loci in occidentalibus partibus directi moriuntur. Pecunia pro qua fratres abierant, quæ de terra Richardi [c] comitis Normanniæ monaſterio debebatur, ab ipſo diligenter conſervatur, utque aliquis fidelis frater mitteretur, qui eam monaſterio deferret, per legatos mandatur. Communi conſilio ad hanc obedientiam famulus Dei Symeon deſtinatur. Illud * prius renuere: aliud ſibi animo dicens ineſſe; multum obeſſe ſibi vanitatibus hujus ſæculi deinceps immiſceri; propoſitum quod retinebat in corde, ut liceret implere, quibus po-

* *al.* Ille.

[a] Boll. *Diſtrictiori ſe abſtinentia conſtringit, in die: . . . ſumens.*

[b] Babylonia ſcilicet Ægypti, quæ vulgo Cairus appellatur.

[c] Richardus hujus nominis II. cujus pietatem in mittendis ad loca ſacra Orientis muneribus laudat Glaber Rodulfus lib. I. cap. 5. ubi & obſervat monachos ex monte Sina tunc temporis ſolitos fuiſſe Rotomagum venire ad colligendas Principum eleemoſynas.

Digitized by Google

terat verbis humiliter cœpit precari. Cum vero prædicaretur, non ſuam voluntatem, ſed præpoſitorum ſequi debere juſſionem, aſſenſum præbuit; ſe dicens per viſionem vidiſſe illud iter inutile fore, multa ſe adverſa in via pati debere, quod & contigit. Nam cum paraturus quæ ad navigandum neceſſaria eſſent Babyloniam veniſſet, à portariis tenetur, & quaſi ignotus & patriæ delator, cum ſua ſupellectile ad palatium ducitur, trahitur, calumniatur. expurgatus igitur de quibus criminabatur, liber abire jubetur. Portarius quod virum innocentem ad ſedem adduxerat imperialem, tunditur, colaphizatur, propellitur. Igitur famulus Dei Symeon libertati donatus per aliquot dies in civitate moratur. ANN. CH. MXXXV. JUNII I.

9. Interea navis de Venetia illuc cum mercibus venerat: hanc compoſitis rebus, cum quodam fratre monacho intrat. Cum igitur proſperis ventis per Nilum navigatur, forte aliæ naves obviant illis, & illis in locis piratas ad prædam congregatos denuntiant: illos gladiorum evadere non poſſe, niſi per aliquod tempus dum ſegregentur libeat eis navigationem exſpectare. Cumque aliæ atque aliæ naves eadem frequentarent, & nauta confiſus in ſua virtute & armis non attenderet, famulus Dei Symeon proprio eum vocans nomine, dixit: Si tibi, frater [a], de cælo angelum Chriſtus miſiſſet, tu territus aſpectum illius ferre non poſſes: nunc vero, quia hodie, heri & perendie non unum, ſed plures legatos miſit tui conſimiles, legationem Dei non negligenter ſuſcipere deberes. * Crede conſiliis meis, & vel per iſtos tres dies exſpecta, fortaſſis ab iſto periculo liberabit nos miſeratio divina. quod ſi non feceris, & te, & nos omnes perdis. Ille ergo non acquieſcens omnimodis, ſequenti die in latrones incidit. Ab hora diei tertia uſque prope nonam utrimque debellatur. Sed cum latrones viderent ſe pugna nil prævalere, ad dolos convertuntur, ut in navim recipiantur, pugnaturi adverſus alios latrones humiliter expoſcunt, contradicente Symeone famulo Dei, ne in navim recipiantur. Depoſitis igitur armis, & omnibus quaſi poſt laborem quieſcentibus, prædones, novem enim erant, unanimiter inſurgunt, gladios impie ſtringunt, fortiter undique feriunt, inimica cædes exercetur. Ipſi nauclero primum caput amputant, ceteros crudeliter mactant, omnes pariter occidunt & jugulant. Solus Chriſti famulus in puppe ſtat, illum qui non deſerit ſperantes in ſe toto corde exorat, ab omnibus acclamatur ut inimicus conſiliator perimatur, ut caput amputet ferus gladiator adeſt. Ille rejecta veſte projecit ſe in flumen. multa poſt illum jacula jaciuntur; ſed non poteſt perire quem Chriſtus vult ſalvare. Per fundum graditur, pſalmus in corde ruminatur: *In mari via tua, & ſemita tua in aquis multis.* Ergo per vices natando, per vices in profundo gradiendo, in litore valde laſſus tandem nudus exponitur. Poſt hac ad vicum qui proximus erat tendit; ſi homines illi Chriſtiani an pagani eſſent ſcire non potuit. Inſtructus enim Ægyptiaca, Syriaca, Arabica, Græca & Romana eloquentia linguam illius gentis intelligere non potuit. Biduo ita nudus manſit; tertia die quidam ex illis hominibus miſeratus, viliſſimum veſtimentum illi projicit, quo indutus, per multas tribulationes & anguſtias Antiochiam venit. Ubi à fidelibus viris caritative ſuſceptus induitur, amplexatur, & honorifice ſuſtentatur. In brevi Patriarchæ & ipſis principibus habetur notiſſimus. Omnes enim qui eum noverant, quaſi dulciſſimum Patrem venerabantur & diligebant.

In navim conſcendit. — *a* — ** al. debes.* — *Pyratarum furorem evadit.* — *Pſalm. 76.* — *Quinque linguas callet.* — *Antiochiam venit.*

10. Ea igitur tempeſtate contigit [b] Richardum abbatem, virum perfectis viris imitabilem, piæ devotionis gratia ſancta Hieroſolymæ velle inviſere loca. Dum ergo per Antiochiam iter habuiſſemus, ibique ne- *b*

[a] Cod. Col. *frater Dominice.*

[b] Is eſt Richardus ex Decano Remenſi monachus, tum Abbas S. Vitoni Virdunenſis, cujus vitam dabimus infra ad annum 1046.

Ann. Ch. MXXXV. Junii I.

ceſſitate itineris cogente, aliquamdiu moraremur; famulus Dei Symeon junctus eſt nobis in amicitia, prædictum abbatem Richardum adoptans ſibi in patrem. Cui cum expoſuiſſet per ordinem quæ ſibi injuncta eſſent, vel quæ contigiſſent, addidit nullis periculis vel anguſtiis ſe retineri poſſe, quin Abbatis ſui mandata impleret pro poſſe. Imus ergo & redimus: cumque nobiſcum venire paratum invenimus. Cumque in comitatu noſtro eſſet frequenter injuriatus atque flagellatus, quaſi mitiſſima ovis patienter portavit. Pervenientes itaque uſque ad civitatem [a] Bellegradam, quæ eſt in confinio Bulgariorum atque Ungariorum, à civitatis infeliciſſimo Principe prohibitus eſt nobiſcum tranſire. Igitur flens & Deo gratias reddens, reliquit nos triſtes atque flentes. Per multas denique anguſtias & latronum inſidias revertitur uſque ad mare, quo tranſacto proſpere iter faciens per Romam pervenit in Franciam. A quodam igitur ſibi noto Comite [b] Vuillelmo benignè ſuſcipitur: & apud eum aliquamdiu moratur. In illis ergo partibus quidam monachus Coſmas nomine, vir ſanctiſſimus, quem ſecum de Antiochia adduxerat, moritur: unde multum contriſtatus, cum recogitaſſet quia nihil fit ſine diſpoſitione Dei, poſt multas lacrymas conſolatur. Deſtitutus vero omni humano conſilio, totam ſpem ſuam ponens in Domino, ſolus venit Rotomagum, quæ eſt civitas Nortmannorum nobiliſſima, ſancti Audoeni confeſſoris corpore & meritis valde præclara. Ubi cum Richardum [c] comitem jam mortuum reperiſſet, & de pecunia & cenſu, qui de terra illius pro eleemoſyna ſuo monaſterio debebatur nullus ſibi reſponſa daret; mæſtificatus aliquantulum non pro ſuo labore, ſed quod locus montis Sinaï fruſtratus eſſet tanta utilitate, toto corde converſus ad Deum quid ageret quærit conſilium. Occurrit autem animo, ut ſuum cariſſimum patrem, Richardum ſcilicet abbatem, noſque ſuos comites inviſeret: quod & fecit. Per longum autem tempus moratus eſt nobiſcum; & ut breviter concludam, quamdiu apud nos manſit irreprehenſibiliter vixit.

In Franciam venit.

11. Interea dominus Poppo archiepiſcopus, ſanctæ Trevirenſis eccleſiæ ſtrenuus proviſor, audiens devote Prophetam de Chriſto dicentem: *Et erit ſepulcrum ejus glorioſum*, gratia orationis Hieroſolymam ivit, huncque famulum Dei eundo & redeundo ſecum conviatorem habuit. Cuique poſt reditum in ſuo epiſcopatu quocumque vellet, manendi facultatem obtulit, & libentiſſime conceſſit. Ex revelatione igitur Dei proſpectans ſibi locum idem famulus Chriſti, ubi ſolus potuiſſet vacare orationi, in turri quæ antea Nigra-porta vocabatur, parvulum tugurium expetiit; ubi domnus præſul præſenti clero & populo in feſtivitate ſancti Andreæ [d] illum reclusit: & quaſi mortuum, ut vere erat ſæculo, devotiſſime ſepelivit. Recluſus igitur, ut verè credimus, vir ſanctiſſimus ſilentio & multis jejuniis attenuavit corpus ſuum, in primis aliquando ſolo pane, aliquando reficiens aqua infuſo legumine. In noſtra ſiquidem terra propter infirmitatem ſtomachi uſus eſt ſemper modica potatione vini.

Iſai. 11.

Poſt aliud iter Jeroſolymitanum, Treviris à Poppone archiepiſcopo recluditur.

12. Illo etiam tempore non defuerunt graves tentatoris inſidiæ. Per noctes enim audiebat rugitus leonum, ululatus luporum, grunnitus porco-

[a] Bellogradum ſeu Alba-Græca urbs vel ſuo nomine celebris ad Savi & Danubii confluentes, Turcis ſubjecta, Taurunum antea dicebatur. Hanc Chriſtiani captam anno 1688. paullo poſt, anno ſcilicet 1690. iterum amiſerunt.

[b] Hunc fuiſſe Guillelmum IV. Pictonum comitem & Aquitaniæ ducem, cognominatum Ferreumbrachium, ſuſpicatur Papebrochius. Porro Guillelmi nomen, ſicut & Coſmæ & pleraque alia nomina propria, omiſit Surius. Coſmas monachus laudatus fuit in Lemovicenſi concilio pro apoſtolatu S. Martialis.

[c] Mortuus eſt Richardus hujus nominis II. anno 1026. ejuſque ſucceſſor & filius cognominis anno 1028. cui Robertus ſucceſſit. Ceterum in Chronico Virdunenſi Symeon à Richardo bene exceptus dicitur, an quod primum vivente adhuc Richardo advenerit, à quo benigne fuerit ſuſceptus, quamvis paullo poſt turbatis rebus ob Roberti in Richardum fratrem rebellionem, vacuus abire coactus fuerit.

[d] Anno 1028. ut ex vita Popponis obſervat Papebrochius.

rum,

rum, ceterarumque duras infeſtationes ferarum, quæ quaſi impetum facientes ut eum devorarent illud tugurium &, ut verius dicam, ſepulcrum immenſis clamoribus replebant. Cum ſiquidem voces audiret & impetus ſentiret, nihil cernere valebat. Expanſis denique manibus ſtans in oratione, cum ſe nec inclinare nec convertere auderet, nec etiam ſomnum capere poſſet, fideli mente converſus ad Dominum oravit, dicens: Domine, ſi corpus meum eſt traditum his feris ad devorandum, credo tamen quia tu miſereberis animæ meæ, quam redemiſti tuo pretioſo ſanguine. Confidentem ergo in te, ſcio quia non me vivum extrahent de iſta recluſione. Quidquid ergo diſpoſuiſti de me, fiat mihi ſecundum multitudinem miſericordiæ tuæ. Reſpectu igitur divinæ clementiæ liberatus ab hac infeſtatione, ſenſit ſibi in proximo aliam adeſſe. Videbatur nempe ſibi quod vultures, corvi, aquilæ, milvii, & omnes volucres cæli congregatæ, ad ipſum per feneſtras irrumpere vellent: ſed cum ſæpius facto impetu nihil prævalerent, ingenti clamore ipſum locum replebant. Voces igitur audiens, nihil penitus videbat. Certus itaque quod diabolus hæc monſtra mitteret, ut terrorem ſibi incuteret, attentius orabat, & ſupra vires jejunabat. Liberatus itaque ab hac tempeſtate, quadam nocte cum pervigil maneret in oratione, ſenſit totam fabricam illius turris fundo tenus concuti, & quaſi facto terræ motu in profundum mergi. Recognoſcens vero inſidias diaboli, fiducialiter canere cœpit: *Si aſſcendero in cælum tu illic es, ſi deſcendero in infernum ades. Si ſumſero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris; etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* & ſic illa commotio quievit. Alia quoque nocte cum expergefactus oculos aperuiſſet, vidit cellulam ipſam immenſo lumine fulgere; & primum miratus, cum recordatus eſſet Apoſtolum dicentem, quod ſatan transfigurat ſe in angelum lucis: Domine Jeſu-Chriſte, ait, non iſtud lumen quæro in terris, ſed tuum quod eſt inexſtinguibile in cælis. ſicque clauſis oculis in oratione uſque ad diem manſit. Corporalibus ſiquidem oculis ipſum antiquum hoſtem teterrimum & multiformem frequenter aſpiciebat, quem ſævientem multimodis argumentis, oratione, & ſigno Crucis repellebat.

[Margin: Tentatur à dæmonibus. — *Pſalm.* 138. — 2. *Cor.* 1.]

13. Sed cum ipſe inimicus nulla infeſtatione per ſe valeret nocere, inſidias adverſus Dei famulum per membra ſua mox conatur excitare. Tunc ſiquidem temporis, peccatis noſtris promerentibus, nimia aquarum inundantia increvit ſæculis. Cauſa periculi hujus Symeon deputatur ab omnibus. Hunc maleficum eſſe, pro ſuis ſceleribus hoc malum mundo imminere, ut deponatur à Pontifice populus acclamat quotidie. Ex urbe tandem concurſus agitur, ad cellulam viri Dei pervenitur, ſaxa in altum projiciunt, tugurii feneſtras obruunt, Symeonem lapidare contendunt. Vidimus, fateor, feneſtram fractam; ſed athleta Chriſti Symeon fundatus ſuper firmam petram immobilis perſiſtebat, atque Deo gratias reddens, pro perſecutoribus gaudens orabat. Quantas poſtea cruces, quantas inibi paſſiones pertulerit, quis noſſe valeat, quis digne deſcribere queat? Solus hæc novit ſcrutator cordium: ipſe enim ſibi fuit vivere, & mori lucrum.

[Margin: Calumnias patitur.]

14. Interea volventibus annis, vir Dei reſolutionem ſui prævidit corporis. Denique domnum Epiſcopum rogat, ut expenſas & operarios, qui ſibi lectum componant mittat; ipſe in parte ſui diverſorii locum ſepulturæ parat. Hæc, inquiens, requies mea in ſæculum ſæculi, hic exſpectabo diem Domini. Paucis poſtmodum tranſactis diebus, ipſum ego humilis adii vocatus: & qui pedum illius oſculo eram indignus, in cellulam ab eo ſum intromiſſus. Poſt orationem, amplexus, oſcula & fletus, conſedimus. Revolvuntur in primis multa de theſauris ſanctæ Scripturæ, de orthodoxa fide, de ſalute animæ; poſtremo: Revelante Deo, inquit, diſſolutionem

[Margin: Mortem ſuam prædicit.]

Digitized by Google

ANN. CH. MXXXV. JUNII I. mei corporis in proximo adeſſe cognovi. Peto humiliter, ut hoc corpuſculum meum his veſtibus exuas, iſtis quoque, quas etiam ad hoc paravi, ordinatim reinduas, & in hoc locello diligenter componas. Cui cum obſtupefactus reſponderem: Quid, pater, ſi domnus Præſul ad domum [a] ſancti Petri, vel ad aliud monaſterium te vult ſepeliri? Reſpondit: Indica illi ex noſtra parte, ut pro Chriſti nomine hæc peregrina membra conſentiat hic putreſcere, & me permittat hic diem Domini exſpectare. Igitur cum iterum interrogarem, Quid ſi præſens non fuero? Eris, inquit, eris, & ſicut diſpoſui de me ordinabis. Cumque valde tremens attentius intenderem, ſenſi, fateor, odorem de corpore ejus fragrantem, omnibus aromatibus ſuaviorem. Miratus multum alia ſecreta ex ejus ore audivi, quæ hic ſcribere non libuit.

15. Interpoſitis ergo centum & quinque diebus, in octavis Pentecoſtes infirmatur; Stephano qui ei ſerviebat injungit, ut ſibi per aliquot dies requiem daret, quatenus plus ſolito contemplationi vacare poſſet. Ille unum diem exſpectat; in tertia feria ad veſperam ſignum facit, corbem cum pane ad feneſtram ſuſpendit. Mane facto ſicut dimiſerat intactum reperit, multum anxius ad eum aſſcendit; interrogatus hoc ſolum reſpondit: Quid vis? vade in pace. Ille timens, Gozeloni clerico, qui viro Dei ſatis familiaris exſtitit, per ordinem pandit, quia domnus Symeon valde infirmaretur, nec ſibi ſicut ſolitus erat loqueretur. Clericus in quinta feria illum viſitat, famulus Dei nullum reſponſum dat: ſed tamen de manu ejus potum ſuſcipit, ſeque in lectulum recolligit. In die octava dum reviſit illum valde diluculo, in extremis reperit, mihique notum facit. Concitus cucurri, infirmus toto corpore, & maxime debilis pedum invalitudine, quaſi ſanus aſſcendi ſine dolore: reperi adhuc viventem, & jam ultimum ſpiritum trahentem. Exſequias quæ pro abſolutione animæ debebantur, cum ſolis duobus fratribus [b], qui mecum advenerant, prout potuimus expendimus: ſicque animam ſanctam hora tertia in Kalendis Junii benigniſſimo, cui ſemper ſervierat, reddidit Creatori. *Obit.* Subito fit concurſus omnium, monachi, clerici, Deo ſacrati [c], vulgus promiſcui ſexus; & quicumque audire poterant ad tanti viri funus properabant.

16. Igitur ſicut ipſe diſpoſuerat, immo prædixerat, corpuſculum more ſuæ patriæ componimus: & cum pſalmis & laudibus Dei in ſepulcro collocamus. Quod apertum dimittentes, qui vigiliis & obſequiis deſervirent deputavimus. In craſtino tota civitas quaſi vir unus congregatur, interior domus ornamentis decoratur. Dum ergo exſequiæ communiter celebrantur, ſancti viri corpus, ſicut ſolent homines in calidiſſimis balneis, ſudare cœpit. *Corpus ejus exanime ut in balneo ſudat.* Miramur omnes: aliqui ſudorem extergebant, vivere eum credentes. Sed cum multis modis probatum eſſet quia non de vivo corpore ille ſudor proflueret, & hoc ſine providentia Dei non fieret; viſum eſt omnibus, ut illud tanti viri corpus non negligeretur; ſed à clericis per proximos triginta dies viciſſim cuſtodiretur deputatis. Igitur poſt horam nonam ſepulcrum diligenter clauditur. Cum igitur clerici vice ſua in cellula, ubi humatum erat corpus viri Dei, pſalmos canerent; unus negligentior dormitare cœpit, qui gravi depreſſus ſomno audivit quaſi de cælo ingentem ſonitum ſuperveniſſe ipſi loco, quo territus aliis excitantibus eſt expergefactus. Oculis igitur apertis vix ſenſum recepit; ſed per aliquot horas officium linguæ perdidit. Admonitus ergo ab aliis, ut quam non poterat ſermone confeſſionem, faceret in corde; ante ſepulcrum

a Id eſt in cathedralem eccleſiam, quæ hodieque ſanctum Petrum agnoſcit patronum. Ceterum Germani & Itali etiamnunc primariam cujuſque civitatis eccleſiam abſolute *domum* appellare ſolent.

b Boll. *fratribus, Aſelmo ſcilicet & Roberto, qui* ... *ſicque anno Dominicæ Incarnationis milleſimo trigeſimo quinto animam ſanctam hora tertia Dominica dici in Kalendis Junii, &c.*

c Sur. *ſacrata.* Boll. *ſacrata virgines.*

Digitized by Google

viri Dei veniam petiit, pectus tundit: ſicque ejus meritis abſolutionem linguæ recepit, & quæ contigerant ſibi, enarravit. Cumque eadem ſibi contigiſſent iterum dormitanti, omnibus nimio timore perterritis, extra cellam, ad pedes ſcilicet viri Dei, deinceps pſallere placuit. Credimus ſiquidem angelicam ibi viſitationem adveniſſe, quam mortalia corpora non poterant ferre. *Ann. Chr. MXXXV. Junii 1.*

17. In triceſima itaque obitus viri Dei Symeonis die, multus populus cum cereis & aliis donis ad ſepulcrum cœpit confluere. Quædam ergo anus de civitate, quæ per plures annos curva incedebat, & ſe omnino erigere non poterat, cum reliqua multitudine venit; & ceteris aſcendentibus ad ſepulcrum viri Dei, & ipſa ſi aſcendere poſſit tentare cœpit. Erecta igitur toto corpore aſcendit, viro Dei gratias reddidit; ſicque mirantibus civibus qui eam noverant, ſana & incolumis ad domum remeavit. Multi etiam infirmi variis doloribus & infirmitatibus detenti, in ipſa die ſunt liberati. Extunc ſepulcrum viri Dei à populo frequentatur & veneratur. *Miraculis claret poſt mortem. Mulier contracta erigitur.*

18. Cum ergo commodus aſcenſus in ædificio turris pararetur, quoddam lignum à multis trahebatur: & cum jam in altitudinem elevaretur, rupto fune cœpit multitudini, quæ convenerat & ſubtus ſtabat, mortem minari. Exterritis omnibus, atque ut vir Dei Symeon adjuvet acclamantibus; dictu mirabile! quaſi manibus ſuſtentaretur, fluitando paullatim deponitur, atque multitudine perterrita utrimque locum dante, ad terram ſine periculo acclinatur. Qui periculum evaſerunt laudes Chriſto referunt, & Symeoni tanti miraculi miniſtro gratias reddunt. *Aliud miraculum.*

19. Hic duo miracula placuit inſerere, quæ iidem ipſi, qui ſanati ſunt teſtificantur in ejus vita contigiſſe. Cum per longum tempus quædam femina, Cæcilia dicta, in valida invalitudine corporis vexaretur, & præ nimia ægritudine oculorum viſu omnimodis privaretur; quadam nocte in ſomnis vidit, quia ſi de manu viri Dei Symeonis cibum ſumeret, ab ipſo morbo liberata fieret. Mane facto maritum interrogat, quis Symeon eſſet, dicens ſe illum per viſionem vidiſſe, & ſi de pane illius guſtaſſet ſibi ſalutem promiſſam eſſe. Ille ſaluti uxoris congaudens, cœpit diligenter inquirere de viro Dei Symeone. Dictum eſt ſibi à quodam Gozelone clerico, quia is eſſet qui cum domno Epiſcopo de Jeroſolymis veniſſet, & cum eo maneret. Deo gratias ille refert, viſionem ſuæ uxoris profert, & ut de manu ejus cibum accipere mereatur humiliter precatur. Clericus per ordinem viro Dei nuntiat, & ut quod petebatur impleat multum rogat, & vix impetrat. Cum vero panem & piſcem cum viri Dei benedictione ſancta tranſmiſſum, jam deſperata, pæne & mortua, mulier ſuſcepiſſet, panem comedit, de piſce oculos inunxit, atque ita obdormivit. In galli cantu expergefacta, & cum lumine oculorum plena corporis ſanitate recepta, ad opus reſedit; & mirantibus amicis, Jeſu-Chriſto gratias reddidit, qui per merita famuli ſui Symeonis perfectam ſanitatem ſibi conceſſit. *Vivus mulierem cæcam & vix exanimem curarat.*

20. Quidam puerulus, nomine Bezelinus, hydropiſi morbo miſerabiliter diſtentus, cum etiam à medicis deſperaretur; venter enim, virilia & quæque interiora ita intumuerant, ut vix incedere, ſtare vel ſedere valeret, petiit ſe ad virum Dei Symeonem deduci, dicens quod medici non poſſent illum curare. Adductus igitur, per tres dies illius potu potatus, quarto demum die cœpit inde meliorari: ſicque oratione viri Dei reſtitutus eſt priſtinæ ſanitati. *Item hydropicum.*

21. Quædam mulier de Mettenſi pago progenita, quæ manum dexteram digitis in palmo adhærentibus aperire numquam poterat, ad ſepulcrum viri Dei Symeonis venit; manum cum fide ſupponit, moxque digi- *Duæ mulieres ad S. ſepulcrum ſanantur.*

Digitized by Google

Ann. Ch. MXXXV. Junii I.

tis extenſis, ſanam viri Dei meritis retraxit. In feſtivitate, quæ dicitur ad Vincula ſancti Petri, alia mulier quæ ſiniſtrum brachium cum manu contractum habebat, ad ſepulcrum viri Dei Symeonis venit: quæ, extenſis nervis & rupta cute, ſub omni celeritate medelam promeruit, & ſana receſſit [a].

Duo muti loquelam recipiunt.

22. Eodem tempore, quidam puer mutus ad ſepulcrum viri Dei eſt adductus, officio linguæ eſt reſtitutus. Alius ſimiliter mutus, cujuſdam Adelardi preſbyteri puerulus, dum ad viri Dei ſepulcrum mittitur, in via loquitur; domum reverſus, ſicut antea mutus efficitur: iterum cum votis ad ſepulcrum remittitur, perfecte ſanatur.

Item alia miracula.

23. Quadam Dominica die, dum quædam puella, cujus brachium ventri inhærebat, ad ſepulcrum famuli Dei Symeonis veniſſet, brachium quod excreſcente carne jam vix videri poterat, præſente populo exſilivit, & perfectam ſanitatem quam petebat promeruit. In alia Dominica quædam mulier, de villa fratrum, quæ vocatur Mandiricium, cum parvula filia, quæ cæca à nativitate fuerat, venit ad viri Dei ſepulcrum. Dum ergo miſſa celebratur, puella illuminatur. Matrem igitur reſpicit; ſed non cognoſcit. Illa interrogans quid ſibi eſſet, cognovit quod filia ſua videret. Gaviſa, factam in ſe miſericordiam populo nuntiat; populus virtutem Chriſti in meritis viri Dei Symeonis laudat. Sed cum clerus magnitudinem tanti miraculi non crederet; ſubito parentes illius mulieris, & miniſteriales de villa adveniunt, qui illam à nativitate cæcam teſtificati ſunt. Mox tota Eccleſia Chriſtum laudat, qui famulum ſuum Symeonem tot miraculis glorificat.

24. Quidam Adalmannus preſbyter, civis Trevirenſis, iter faciens, hoſpitatus eſt in domo cujuſdam hominis, qui filium habebat cæcum. Suaſit ergo quia ſi illum ad ſepulcrum viri Dei duceret, miſericordiam inveniſſet. Ille votum faciens cenſum aliquot annis viro Dei promittit, moxque in domo ejus puer lumen recepit. Videntem itaque ad ſepulcrum adducit, & gratias viro Dei Symeoni reddidit. Quædam mulier de pago Trevirenſi per multos annos viſu oculorum privata, dum ſepulcrum viri Dei per aliquot dies frequentaret, meritis illius eſt illuminata. Ad ſepulcrum viri Dei quædam dæmoniaca adducta, quæ quos poterat dentibus mordebat, & manibus laniabat, per noctem ibi ligata manſit. Mane facto, dæmone liberata, incolumis remeavit ad propria [b].

Ancilla ſanatur.

25. Quidam ſervus Palatini Comitis habuit ancillam, cujus manus una arida, imbecillis & tam exilis erat, ut ad nullum opus valeret. Cum ergo ſibi non prodeſſet, ipſam ancillam tradidit ad ſepulcrum viri Dei Symeonis. In ipſa nocte mirum in modum ipſa manus in tantum crevit, atque ſanata eſt, ut alteri diſſimilis non eſſet.

Item alia paralytica.

26. Quidam miles, nomine Bertrannus, quamdam in ſervitio *habuit* ancillam, quæ ita paralyſi toto corpore diſſoluta eſt, ut de lecto ſurgere, nec in latus aliud ſe vertere poſſet. In cophino igitur ad viri Dei ſepulcrum deportata, per aliquot hebdomadas ibi prope eſt hoſpitata. Cum ergo in quadam ſollemnitate populum videret ad Miſſam feſtinare, & ipſa ſubito de lecto exſiliens, cum eis cœpit ambulare. Ad ſepulcrum igitur viri Dei veniens, & ſua vota coram populo promittens, quæ deportata fuerat aliorum manibus, ſana & incolumis propriis ad propria repedavit pedibus.

Contractus erigitur.

27. In Calendis Novembris cum placuiſſet domno Epiſcopo in ædificio turris, ubi corpus viri Dei ſepultum erat, unum altare in honore omnium ſanctorum conſecrare, multus undique populus cœpit confluere. Dum ergo fit apparatus, & domnus præſul exſpectatur, quidam puerulus contractus ante ſepulcrum viri Dei erigitur.

[a] Hic deſinit codex Bonifontis in Remenſi diœceſi. [b] Hic deſinit codex Colonienſis.

28. Eodem die cum quidam juvenis ad tantam lætitiam aſſcendere vellet cum reliqua multitudine, nullo modo valet. Impingitur itaque à populo, trahitur & portatur: ſed vires portantium deficiunt, & ipſe toto corpore ſanus, magis magiſque fit ponderoſus. Conſultus igitur, confeſſionem de peccatis ſuis facit; & tandem ad veſperam levis factus aſſcendit: emendationem vero vitæ viro Dei Symeoni promittit, ſicque lætus domum redit. Confeſſionis efficacia.

29. Alio tempore cum quædam meretrix aſſcendere ad ſepulcrum viri Dei vellet, quaſi à quodam repellente repulſa, de gradu cecidit, & exanimis facta, cum putaretur à populo ſtatim moritura, foras trahitur; ſed cum de illo ædificio exportata eſſet, quaſi nil mali paſſa in pedes conſtitit, & de illa civitate concita aufugit. Item meretrix.

30. Quidam ruſticus, Godefridus nomine, cum debile corpus ac pæne diſſolutum, manibus atque genibus rependo miſerabiliter traheret, & per quinque menſes viri Dei ſepulcrum indeſinenter frequentaret, quadam die profuſis lacrymis virum Dei his vocibus interpellare cœpit: Eïa, famule Dei Symeon, quam durus & quam immiſericors mihi factus es? quotidie te quæro, quotidie te invoco, tu ad miſericordiam non flecteris, mihi ſoli denegans beneficium quod aliis impendis. Certe deinceps ad te venire recuſo, jamjam deſperatus domum remeo. Sed quid dicam vicinis, amicis, & propinquis meis? Noli, noli, ſancte Dei, tam immiſericorditer me miſerum dimittere: vel quantulumcumque tuæ benignitatis munuſculum mihi indigenti concede. Tunc animo conturbatus, ad hoſpitium ſe retrahit, ordinaturus in craſtinum qualiter ad patriam reportari poſſit. Igitur præ nimio dolore gravi ſomno depreſſus, poſt galli cantum quaſi in ecſtaſi factus, vidit quemdam venuſto vultu cum magno lumine aſſiſtere ſibi, hiſque verbis ipſum blanditer affari: Quid jaces homo? ſurge velociter, & ad viri Dei Symeonis ſepulcrum concitus procede. Cumque ille reſponderet ſe non poſſe ire, ſæpius illuc veniſſe, & nihil profeciſſe; ad hoc ille: Ego te, inquit, adjuvo, ego te ſuſtento, jam nunc noli tardare, præſto ſum auxilium tibi præbere. Excitatus denique ſenſit membrorum virtutem ſibi rediiſſe; ſicque melioratus, qui ſolebat curvus atque proſtratus infirmis repere manibus, ad viri Dei ſepulcrum, mirante nimis populo, toto corpore erectus, reſolidatis aſſcendit pedibus. Ruſticus ſanatur.

31. Ea tempeſtate cum Trevirorum civitas tantis polleret miraculis, ad domini Symeonis ſepulcrum apportatus fuit puer octo annorum, cui morbus ambulandi eripuerat officium, pro quo jam triduo Symeonem interpellarat devotio parentum. Forte erat apud nos de Allemannia monachus, non mediocriter liberalibus inſtitutus diſciplinis, verum tantis non bene credens miraculis, qui etiam tunc præſens aderat, cum ibidem Dei effulgent miracula, & exorabile beati Symeonis meritum votis adſpirat adſtantium. Puer utriſque manibus altari adhærebat, donec membrorum reſoluta compage, ſano adſtitit erectus in corpore. Itaque ingreditur pedibus, ſed tremuli titubant inceſſus, quos nondum naturæ docuerat uſus. Tandem ſanus rediit; iſque, de quo diximus, viſis credidit, Deum laudavit, hæcque commemorans lætus abſceſſit. *Nonnulla item alia miracula Bollandiani habent, quæ potiſſimum patrata ſunt poſt beati viri canonizationem. Sed cum nihil ſingulare contineant ad res noſtras illuſtrandas, ea viſum eſt omittere.* Claudus.

Digitized by Google

DE BEATO MEINVERCO

EPISCOPO PADERBORNENSI.

Ubi de monaſterio Abdingoffenſi, aliiſque ab eo conditis aut dotatis.

Meinvvercus erga Ord. S. B. beneficus.

1. *ETSI beatus* MEINVERCUS *Paderbornenſium antiſtes monaſticam profeſſionem numquam emiſerit, merito tamen noſtris accenſeri poteſt, tum ob ſummam ejus in ordinem noſtrum propenſionem, quem ſemper & ubique fovit, & multis prædiis dotavit, tum ob ipſius ſepulturam in monaſterio Paderbornenſi Ordinis Benedictini, quod cum vivens à ſe conditum præ omnibus locis ſemper dilexiſſet, poſt mortem multis miraculis illuſtravit. Ne tamen erga limites nobis præſcriptos longius abire videamur, vitam ejus integram referre viſum non eſt operæ pretium, ſatis eſſe ratis, ſi ea ſolummodo excerpamus quæ ad res Benedictinas illuſtrandas conferre poterunt, additis paſſim ex aliis auctoribus variis teſtimoniis; quæ nobis profutura exiſtimabimus, præſertim ex Brouvero ſocietatis Jeſu preſbytero & Adolpho Overhamo monacho Benedictino abbatiæ Vverthinenſis, qui eam vitam à ſe editam notis & obſervationibus eruditis illuſtraverunt.*

Ardor in monaſteriis condendis.

2. *Tantus erat Meinverci in condendis monaſteriis ardor, ut ejus rei fama etiam ad exteras nationes pervolaret. Hinc cum Henricum Cæſarem in Italiam fuiſſet comitatus, benigne à Romano pontifice ſuſceptus eſt, qui ei inſignes ſanctorum Martyrum reliquias conceſſit, quas ab eo magnopere deſiderari ſciebat, ad monaſteria conſtruenda.* Ibi, *inquit vitæ auctor num. 27.* domnus Apoſtolicus, (*erat tunc temporis Benedictus octavus,*) Meinvercum epiſcopum, præconio virtutis & pietatis eximiæ ubique carum & præclarum habitum, benigne ſuſcepit, & ejus ardentiſſimæ in Deum dilectioni & devotioni congaudens & congratulans; de omnibus quæ ab eo petiit, parata & devota caritatis benivolentia ſatisfecit. Denique deſiderium ejus de Reliquiis ſanctorum ad conſtructionem monaſteriorum audiens, tertium dimidium corpus ſeptem Fratrum filiorum ſanctæ Felicitatis, qui ſub Antonino imperatore paſſi ſunt, Philippi videlicet, Juvenalis & Felicis, & craneum ſancti Blaſii, qui ſub Licinio, anno Dominicæ Incarnationis CCCXXII. glorioſa paſſione migravit ad cælos. Brachium quoque ſancti Miniatis, qui ſub Diocletiano VIII. Calendas Novembris paſſus eſt, cum aliorum plurimorum ſanctorum Reliquiis tribuit. *Anno* MXXVI. *iterum in Italiam profectus eſt Meinvercus cum Conrado, ſancti Henrici ſucceſſore; cumque ſemper eodem Reliquias ſanctorum habendi ad condenda monaſteria deſiderio teneretur, corpus ſancti Felicis à Vvolfgango Aquilegienſi epiſcopo obtinuit, ut laudatus auctor habet numero 96.* Rege autem in Longobardia manente, Wolfgangus patriarcha Aquilegienſis ei obviam venit, imprecatuſque novo Regi proſpera, epiſcopum Meinvercum conſanguineum ſuum ſalutavit. Epiſcopo autem ad conſtructionem monaſteriorum reliquias ſanctorum expetente, Patriarcha gratanter annuit, & corpus ſancti Felicis, qui ſub Diocletiano imperatore Heronio præſide, cum Hilario epiſcopo & Taciano diacono, poſt eculeum atque alia tormenta cum Largo & Dionyſio martyrium conſummavit, poſtmodum miſit. *Sancti Felicis corpus in monaſterio Abdinghoffenſi depoſitum eſt, ut infra dicturi ſumus, aliæ reliquiæ in aliis locis. Notat Brouverus, & poſt eum Overhamus, Miniatem ſub Decio paſſum fuiſſe, quamquam hic in Vita ſancti Meinverci ejus martyrium ad Diocletiani perſecutionem revocetur. Obſervare etiam potuiſſent nullum è ſeptem Fratribus beatæ Felicitatis filiis Juvenalem nominatum fuiſſe. ſed ejuſmodi errata à Vita auctore admiſſa hic emendare non eſt animus.*

Helmvvardeshuſunenſe monaſterium.

3. *Anno* MXI. *qui fuit Meinverci ordinationis tertius, beatus Antiſtes* poſt Pentecoſten Helmvvardeshuſun venit, & monaſterium quod Ekkihardus comes in proprietatis ſuæ fundo conſtruxerat, in honore ſanctæ & individuæ Trinitatis, ſanctique Salvatoris, & victorioſiſſimæ Crucis, & ſanctæ Mariæ perpetuæ virginis, ſanctique Petri Apoſtolorum principis, & omnium Apoſtolorum & Sanctorum omnium Nonas Junii dedicavit. *Hujus monaſterii initia anno milleſimo conſignat auctor Chronici Saxonici, quod penes nos manuſcriptum habemus, ubi hæc leguntur:* Cœnobium quod dicitur Helmvvardeshuſen, & ſibi vicinum Hilduvvardeshuſen, in ſuperiori parte fluminis [Wiſurgis] ſitum, ab Ekkihardo comite fundantur. *Sed ea de re præ ceteris audiendus eſt Thietmarus ejuſdem loci ſæculi ſequentis initio*

Digitized by Google

abbas, qui in hiſtoria Tranſlationis ſancti Modoaldi apud Bollandianos die 12. *Maii, de ſui monaſterii variis fortunis fuſius agit. Refert autem capite* 1. *Ekkehardum comitem, ejuſque uxorem Mathildem, loci dominos, poſt unici filii mortem, de condendo monaſterio ſerio cogitaſſe, atque ea de cauſa Ekkehardum Romam perrexiſſe, ut privilegium à Pontifice obtineret. quod, & quidem ampliſſimum à Silveſtro II. impetraſſe ſcribit, nec defuit Imperatoris auctoritas, is erat Otto tertius, qui cum Comitem probe noſſet, quæcumque à Pontifice obtenta fuerant imperiali auctoritate confirmavit,* de cœnobii videlicet conſtructione & loci libertate, de canonica abbatis electione, & advocati ſubſtitutione, de omnimoda ſui ſuorumque ſervitii immunitate, dans ei ſuper his imperialis privilegii chartam, ſigilli ſui impreſſione ac propriæ manus ſigno roboratam. *His munitus Comes manum operi ſtatim admovit, monachoſque ſub Haulfo abbate ibi conſtituit. Jam, ut ex loco vitæ ſancti Meinverci ſuperius laudato colligere licet, eccleſia dedicata fuerat, cum ecce Ekkehardus ejuſque conjux Mathildis immatura morte excedunt è vita. Peſſumdatus ilico fuit totus monaſterii ſtatus, res ejus dilapidatæ, prædia detracta, ipſaque omnis ſupellex diſſipata ab Ekkehardi propinquis, viris in ſæculo potentibus, ægre admodum ferentibus, bona quæ ſibi ipſis deberi arbitrabantur, à ſuo parente eccleſiæ attributa fuiſſe.*

Id vindicat Meinvvercus.

4. *Is erat rerum ſtatus anno* MXVII. *quo celebris Principum conventus in loco, qui dicebatur* Liezgo, *factus eſt, præſente Imperatore cum multis epiſcopis & viris nobilibus.* Ibi, *inquit Vitæ Meinverci auctor num.* 42. ab heredibus Ekkihardi comitis de abbatia Helmvvardeshuſun querela habita, & diu multumque inter Principes ventilata, tandem regno eſt adjudicata. Et quia nec in facultatibus, nec in miniſterialibus regno ſervitio eſſe potuit, interventu & conſultu Epiſcoporum & Principum prædictorum, epiſcopo Meinverco, ſuiſque ſucceſſoribus, à Patherbrunnenſi ſede epiſcopaliter ſecundum Regulam ſancti Benedicti regenda & poſſidenda, eſt collata. *Hanc Meinvercum ab Imperatore petiiſſe refert Thietmarus num.* 6. *quod monachi qui ibi degebant nimia paupertate depreſſi, præter ſedis Apoſtolicæ privilegium, aliquo etiam Imperatoris, ſeu alterius benefactoris ſubſidio indigerent ad ſubſiſtendum. Donationis Diploma huc referendum ex Overhamo, qui jure Brouverum reprehendit, quod, ut locum hic memoratum in Bremenſi diœceſi conſtitueret,* Laerghe *appellavit. Monaſterium vel ex ipſo Thietmari loco certum eſt infra Paderbornenſis diœceſis limites ſitum fuiſſe. ſed id penitus evincet Henrici Auguſti diploma.*

Henrici diploma.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, HEINRICUS Dei gratia Romanorum imperator auguſtus. Canonum ſtatuta non ore hominum, ſed Spiritu Dei condita præcipiunt, ut Epiſcopi frequenter clauſtra monachorum viſitent, &, ſi quæ extra Regulam illic invenerint, abſcindant & corrigant. Hæc vigilanter interius contemplantes, & in hujus vitæ itinere onera noſtra Epiſcopis imponendo levigantes, caritatis cauſa, ſine qua dives pauper eſt, cum interventu amantiſſimæ conjugis noſtræ, CUNIGUNDÆ videlicet imperatricis auguſtæ, cum archiepiſcoporum Erchambaldi Magontini, Popponis Trevirenſis, Geronis Magathaburgenſis, Unvuani Bremenſis; & epiſcoporum Arnoldi Halverſtadenſis, Epponis Bavenbergenſis, Thiederici Mettenſis, Heinrici Uuirciburgenſis; Thiederici Mimigardevordenſis, Thiemmonis Meiſburgenſis, Erici Havelbergenſis; laicorum quoque Bernardi ducis, Sigifridi, atque Ezziconis comitum, abbatiam, nomine Helmvvardeshuſun, cum omnibus ſuis appendiciis, mobilibus & immobilibus, ſedi Patherbrunnenſi, in honore ſanctæ Mariæ, ſanctorumque Kiliani atque Liborii conſtructæ, cui inſignis acquiſitionis præſul Meinverchus in præſentiarum præeſt, in proprium dedimus, deque noſtro jure & dominio, in jus & dominium ipſius à modo poteſtative, & juxta Regulam ſancti Benedicti epiſcopaliter diſponendam atque poſſidendam tradidimus. Et ut hæc noſtræ traditionis pagina firma & inconvulſa permaneat, manu propria corroborantes atque confirmantes, ſigilli noſtri impreſſione ſubtus eam ſigillari juſſimus. Signum domni Heinrici invictiſſimi Romanorum imperatoris auguſti. Guntherius cancellarius vice Erchanbaldi archicapellani recognovit. Data V. Idus Julii, Indictione XV. anno Dominicæ Incarnationis MXVII. Anno vero domni Heinrici ſecundi regnantis XVI. imperii IV. Actum Lietzgo feliciter. Amen.

5. *Hoc diplomate accepto beatus Antiſtes Helmvvardeshuſum venit, ut monaſterio ſibi commiſſo provideret; at tenues adeo erant ejus proventus, ut monaſticæ diſciplinæ vigorem tanta cum penuria ſubſiſtere poſſe non putaret: quare, teſte Thietmaro, cogitavit monachos alio transferre, in caſtellum ſcilicet ſui juris, nomine* Warthberg, *quo in loco monaſterium ædificare meditabatur. Sed neutrum perfecit, divina id impediente diſpoſitione. certe à ſuo conſilio Meinvercum nocturnis etiam viſionibus deterritum fuiſſe ſcribit laudatus auctor.*

6. *Anno* MXXIV. *congregatis in caſtro Vverla Saxoniæ proceribus, hanc occaſionem nactus eſt Meinvercus Ekkehardi comitis heredes ſibi conciliandi, qui monaſterium Helmvvardeshuſenſe vexare nondum deſierant. qua id ratione præſtiterit audiendum ex ipſo Vitæ auctore num.* 91. *ubi ſic habet:* Ibi domnus Meinvvercus epiſcopus, & Thietmarus frater ducis Saxoniæ Bernhardi, quidquid injuriarum vel controverſiarum de abbatia Helmvvardeshuſun, aut aliis rebus ad invicem habuerunt, penitus dimiſerunt, & intervenientibus Sigifrido avunculo ejus, Herimanno de Weſtfalan, Bennone, Amulungo comitibus, aliiſque præſentibus, plenarie recon-

Digitized by Google

Ann. Ch. MXXXVI. Die v. Jun.

ciliati, hujuſque reconciliationis teſtes litteris ſunt mandati. *Sopitis omnibus de monaſterii fundo controverſiis, facilius fuit monachorum neceſſitatibus providere. Cumque fratrum ibi Deo ſervientium religio, uti refert Thietmarus in hiſtoria Tranſlationis jam laudata num.* 9. longe lateque ſui opinionem dilataret, plures Chriſti fideles, illorum accenſi & animati exemplo, res hujus eccleſiæ ſuis cœperunt redditibus dilatare. *Inter præcipuos loci benefactores locum habere debet Conradus imperator, à quo Vvino, ſecundus memorati monaſterii abbas,* poteſtatem obtinuit conſtruendi mercatum, conſtituendi monetam, accipiendi telonium in loco Helmvvardeshuſen dicto, in comitatu Bennonis comitis, & in pago Angeri ſito. *Ibi etiam idem Imperator* totius publicæ functionis negotium decrevit colendum, haud ſecus quam Mogontiæ, Coloniæ & Trutmaniæ. *quæ omnia habentur in diplomate dato Northuſæ anno* MXXXIII. *Indictione* I. XI. *Kalendas Junii, quod ab Overhamo laudatur, in notis ad num.* 122. *vitæ ſancti Meinverci, ubi de Vvinone agit, qui, ut ex num.* 120. *diſcimus, ex monacho Paderbornenſi abbas Helmvvardeshuſenſis factus, à beato Antiſtite Jeroſolymam miſſus fuit, ut inde ſancti ſepulcri reliquias afferret, aliaque præſtaret, quæ ibidem num.* 122. *memorantur. Sequentes ejuſdem monaſterii abbates ex Diptychis Corbeienſis monaſterii Overhamus recenſet hoc ordine. Poſt Haulſum & Vvinonem,* Albricus, Thietmarus, Berthgerus, Thietmarus II. Reinboldus, Atholfus, Vvulfgerus, Conradus, Reinhardus, Vvirinus, Arnoldus, Henricus. *Ex his Thietmarus eccleſiam ſuam multis ſanctorum reliquiis locupletavit, potiſſimum corpore ſancti Modoaldi epiſcopi Trevirenſis, quod à Brunone ejuſdem urbis antiſtite impetravit anno* MCVII. *Hujus vero Tranſlationis hiſtoriam deſcripſit ipſe Thietmarus, quæ ex mſ. codice edita habetur tomo* 3. *Maii Bollandiani ad diem* 12. *ex qua multa didicimus de monaſterio Helmvvardeshuſenſi. Conradus autem qui decimus recenſetur, in concilio Remenſi ab Eugenio tertio Pontifice Romano privilegiorum ſui monaſterii confirmationem obtinuit anno* MCXLVIII. *Poſtea vero iſtud monaſterium è Paderbornenſium epiſcoporum dominio detractum rurſus inter Imperialia locum habuit. quo in ſtatu uſque ad ſæculum proxime elapſum perſeveravit: ſed tandem, cum in Haſſia Landgraviorum ditione conſtitutum eſſet, communem plerorumque Germaniæ monaſteriorum ſortem à Lutheranis everſorum pertulit, hodieque incultum jacet.*

Wino, &c. abbates.

7. *Eodem anno, ſcilicet* MXVII. *quo Meinvercus Helmvvaldershuſenſis abbatiæ tutelam ſuſcepit, Corbeienſem in ſua itidem diœceſi ſitam, priſtino ſuo ſplendore pene omnino deſtitutam, ad meliorem ſtatum revocare conatus eſt; ſed ea res magnos ipſi labores procreavit, quod monaſterium iſtud ſub imperatoris ſpeciali patrocinio exſiſteret. Vicit tamen pii antiſtitis patientia, & ſui tandem voti compos eſt factus, ut ex ejus vita diſcimus num.* 43. Epiſcopus, *inquit vitæ auctor,* fortuitu Corbeïam tranſivit, & recordatus beati Stephani protomartyris eo loci patroni, pro ſe ſuiſque omnibus in memoriam ejus hoſtiam ſalutarem Domino Deo immolare eo divertit. Eadem autem eccleſia in ripa fluvii Vviſeræ ſita, à Luthevvico filio Karoli imperatoris magni conſtructa, à beato vero Badurado Patherbrunnenſi epiſcopo eſt dedicata, temporum incrementis, tam religionis quam temporalis poſſeſſionis proficiens & ſuccreſcens augmentis. Sed cum deliciæ rigorem exſolviſſent diſciplinæ, Meinvercus epiſcopus factus ad eam venerat, ut ſecundum canonicam auctoritatem corrigeret, quod irregulare inibi animadverterat. Sed expulſus cum grandi ſua ſuorumque injuria regem Heinricum adiit, & ut abbate, Wal nomine, depoſito, alius nomine Druthmarus, per quem religio clauſtralis reformaretur, ſuccederet obtinuit. quod ut religioſis eum commendabilem, ita irreligioſis eum reddidit odibilem: adeo ut durante odii & invidiæ livore, ejuſdem eccleſiæ cuſtos, nomine Boſo, præparato altari ſtomachando accurrens, præparaturam dejiceret, & ſecundum auctoritatem ejuſdem loci & libertatem, divina celebrari niſi ſua permiſſione interdiceret. Quod Epiſcopus audiens, conventum intravit, & habito ad fratres verbo de prælatorum reverentia, de ſubjectorum inobedientia, ad ſatisfactionem & injuriam facientem & conſentientes provocare humiliter curavit, dicens debere & decere eos honorem deferre ſedi, in cujus conſiſterent diœceſi; cujus præſides, etſi non caute interdum incederent, eorum enormitas devitanda, pervicacia eſſet arguenda, non autem poteſtas cathedræ, quæ non ſacris locis propter perſonas, ſed propter ſacra loca perſonis conceditur, conſtaret evertenda. Qui cum ad eum audiendum ſegniores haberentur, pulpitum aſſcendit, & pauca pro re & tempore ad populum locutus, omnibus quæ facta fuerant innotuit; eumque, qui injuriam irrogaverat, ad ſatisfactionem publice coram omnibus vocavit. Qui cum tertio vocatus non veniſſet, non vindictæ voto, ſed prophetiæ præconio ei præcepit, ut quocumque die ipſe de corpore exiret, ille ſecum ad tribunal Chriſti, ſibi reſponſurus de illata injuria, migraret. O ſancta anima! ô pura conſcientia! quæ adhuc carnis adamicta velamine, animas ligabat coram divino examine. Epiſcopo autem taliter diſcedente, abbas cum fratribus eum in civitatem Patherbrunnenſem proſecutus, plenariam reconciliationem obtinuit. Sed pro eo qui contumeliam fecerat, ſæpe & multum rogatus, decretum Dei non poſſe immutari perhibuit. *Exſtat etiam nunc percelebris hæc abbatia, quæ medios inter Lutheranos fidei catholicæ veram confeſſionem, & principis dignitatem retinet. de qua fuſius actum eſt in vita ſancti Adhelardi. Ejus vero abbatum Catalogum duplicem exhibet Bucelinus in Germania ſacra.*

Corbeiæ diſciplinam reſtituit.

8. *Hic*

Digitized by Google

ANN. CHR. MXXXVI. DIE V JUN.

Aliis providet.

8. *Hic tantus beati viri ardor, quo ad monaſteria aliaque loca ſacra tuenda, ac in meliorem ſtatum revocanda ferebatur, fecit, ut Imperator, inſtigante potiſſimum Chunigunde piiſſima auguſta, lubens ei monaſteria, etiam qua ſub Imperii peculiari tuitione erant, commendaret. Ex his memorat Vita auctor num.* 58. abbatiam Sceldize, ſitam in pago Weſſaga, in comitatu Fritherici comitis. *Donationis inſtrumentum refert Overhamus, datum Goſlaria die* XIII. *Kalendas Aprilis anno* MXVIIII. *Henrici regni* XVII. *Imperii* VI. *Hujus monaſterii advocatia penes epiſcopos Paderbornenſes diu perſeveravit, ſed poſtea ad Comites Ravensburgi tranſiit, ut patet ex Bernardi epiſcopi litteris anno* MCCXLII. *& tandem poſt varias fortunas, monaſterium ipſum amiſſo abbatia titulo ad canonicas tranſiit, quarum hodie pars potior Catholicam fidem retinent, cetera Lutherana aut Calviniana tabe infecta ſunt.*

Monaſt. Herivordenſe.

9. *Neque hic omittenda qua praſtitit beatus Antiſtes in gratiam Herivordienſis monaſterii, quod Thietmari cujuſdam principis viri vexatione opprimebatur. In faciem quippe Thietmaro illi Meinvercus reſtitit, eumque non ſolum ad reſtituenda ea qua violenter abſtulerat adegit, verum etiam revocavit ad meliorem frugem. Id narrat Vita auctor num.* 32. §. 70. Thietmarus ſenior frater Bernhardi ducis Saxoniæ, vir in hoc mundo valde idoneus fuit, ſed tantum vitiis plenus quantum rebus, ſuperbia tumidus, in acquirendis rebus avaritiæ facibus accenſus. Denique contra jus & fas ubique fidelium res invadens & diripiens, inter cetera tyrannidis ſuæ opera, quodam tempore iter ſuum ad monaſterium Herivordiæ direxit, facienſque ibi magnam munitatem, ſanctorum ibidem requieſcentium, & ſuæ ſororis abbatiſſæ, nomine Godeſti, & congregationis ſanctæ Mariæ theſaurum confregit, & inde plus juſto pecuniæ detraxit. Poſtea ad ſynodum ſecundum canonicam conſtitutionem ab epiſcopo Meinvverco vocatus, ad corrigendum commiſſa eſt admonitus. Quo ſalubriter compuncto, & utiliter correcto conſtitutum eſt, eum Epiſcopo dare triginta talenta denariorum. *Exinde monaſterium Hervordienſe paullatim in priſtinum ſtatum reſtitui cœpit; cumque eccleſia in honorem beata Maria adificata, plane perfecta fuiſſet, eam Meinvvercus conſecravit, ut ex vita auctore num.* 49. *diſcimus:* In Herivordia baſilicam ſanctæ Mariæ, quæ vocatur Ad crucem, dedicavit, quam ipſa unica ſpes mortalium ad ſingulare inibi miſerorum refugium ſibi conſtrui mandavit. Si quidem eccleſia Herivordenſis, ſicut eccleſia Corbeïenſis in epiſcopatu Patherbrunnenſi ſita à Luthuvvico filio Caroli-Magni conſtructa, & à beato Badurado Patherbrunnenſi epiſcopo conſtat dedicata, quæ omni priſtini honoris & decoris ornatu tam Ungariorum devaſtatione quam Thietmari fratris Bernardi ducis Saxoniæ invaſione ſpoliata, propemodum fuerat deſtituta.

10. *Explicat fuſius idem auctor numero ſequenti, quomodo beata Virgo eccleſiam ſibi conſtrui in eodem loco imperarat, quave ratione Baſilica* Ad crucem *nuncupata fuerit.* Cuidam, *inquit,* fame & nuditate afflicto pauperi in die natalis ſanctorum martyrum Gervaſii & Protaſii ad præfatum Herivordenſe monaſterium propter auditam inibi ſanctimonialium munificentiam ire volenti, ipſa piiſſima virgo Maria facie ad faciem apparens, abbatiſſæ & ſororibus ejuſdem monaſterii nuntiare mandavit, ut mutata priſtina vita, tantum ſpirituali inſiſterent exercitio, quantum temporali inſtabant ædificio, dicens ſe per hoc ſedem ſuam reviſuram, & invocantes ſe perpetua tuitione cuſtodituram. adjiciens ſe locum in quo ei apparuit, ad ſui nominis venerationem & Chriſtianorum præelegiſſe interceſſionem, ut ſi quis eam ibi fideliter quæſierit inveniat, & quod juſte petierit ſe adeptum gaudeat. Paupere autem tantam viſionem indicare trepidante, & ad ſuæ legationis veritatem confirmandam ſignum aliquod ſuppliciter expetente: Hoc erit tibi ſignum, ait Virgo piiſſima, quod nullius illatæ pœnæ, ne cicatricis quidem ullius aliqua te contingat moleſtia. Quo ad majus veritatis indicium, aliud adhuc expetente ſignum: Præcide, ait Dei-genitrix, baculum, & faciens inde crucis ſignaculum, pone ubi meorum ſtatum cognoveris eſſe pedum, & ſi non credunt verbo ſigni prioris, credant oſtenſioni ſequentis: quia quocumque tempore ad locum hunc veniunt, me ſuper eamdem quam facturus es crucem, in columbæ ſpecie ſedentem videbunt. Abbatiſſa ergo, nomine Godeſti, cum ſororibus hoc nuntio accepto, epiſcopus Meinvvercus cum vicinis proximorum monaſteriorum clericis accerſitur; conſultu omnium jejuniis & orationibus à Deo res inquiritur, nuntius judicio aquæ ferrique igniti examinatus, ſecurus declaratur: columba in loco oſtenſo inquiſita, ſuper crucem ſedere invenitur, & maxima omnium devotione & veneratione baſilica fabricatur & dedicatur, & nomen Ad crucem ſortitur. *Tantam fuiſſe miraculi hujus famam obſervat Brouverus in notis ad hunc locum, ut ejus memoriam etiam nunc in ea regione perſeverare affirmet, etiam apud Lutheranos, qui hunc locum* Ad Viſionem *appellant. Prolixiorem vero ejuſdem apparitionis hiſtoriam haberi in mſ. codice Bodecenſi teſtis eſt Overhamus, ubi laudat inſcriptionem qua hactenus in ade canonicarum viſitur, in qua hæc beata Maria apparitio anno* MXI. *facta fuiſſe memoratur. Ceterum de Hervordienſi monaſterio fuſius actum eſt in obſervationibus pramiſſis ad Hiſtoriam Tranſlationis ſancti Viti, Saculo* 4. *Benedictino parte* I. *ad annum* DCCCXXXVI. *pag.* 526. *& ſeqq. Hujus loci ſanctimoniales ſaculo* XII. *ad canonicarum mores & habitum tranſierunt: at cum anno* MDXXXIII. *Herifordenſes opidani Lutheri hareſim admiſiſſent, hac*

ANN. CH. MXXXVI. DIE V. JUN.

labes brevi canonicas quoque infecit: exinde locus ille à puellis heterodoxis, nobili genere natis ſemper occupatus fuit.

Monaſterium Paderbornæ ædificat.

11. *Multo plura huc referri poſſent de variis eccleſiis ac locis ſacris, quæ Meinvvercus aut reſtauravit, aut de novo condidit; verum cum ea tantummodo nobis tractanda propoſuerimus quæ ad ſacrum noſtrum ordinem ſpectant, aliis prorſus omiſſis, dicemus de Abdinghoffenſi monaſterio, quod ſanctus antiſtes apud Paderbornam conſtruxit ac dotavit. Monaſterii hujus initia deſcribit auctor Vitæ ſæpe laudatus num.* 30. *ubi narrat ſanctum virum cum Henrico auguſto ex Italia redeuntem Cluniacum divertiſſe, atque ex eo loco monachos ſecum Paderbornam adduxiſſe, quos, querelis nonnullorum æmulatorum poſthabitis, in Occidentali urbis parte locavit.* Dimiſſo autem, *inquit*, Imperator exercitu in terram ſuam, regni negotiis ubique prudenter diſpoſitis, per omnia virtutis & pietatis veſtigia dereliquit; & ubicumque ſervorum Dei habitacula inveniſſet, eorum res adaugens & amplificans, omnium ſe orationibus commendavit. Cluniacum quoque inter alia ubique terrarum pro ſuæ religionis fervore, & ſitu loci nominatum, cum domno Meinvverco epiſcopo, & paucis familiaribus ſuis adiit, & multa ſanctitatis & religionis indicia, quæ audierat, vera eſſe comprobans, coronam auream pretioſiſſimis gemmis adornatam, ad Miſſam quæ de cathedra ſancti Petri celebratur obtulit, & fraternitate monachorum humiliter petita & accepta, cum maxima contritione cordis omnium ſe orationibus commendavit, &c. Ibi Imperatore favente, & ſuum in omnibus auxilium ſpondente, epiſcopus Meinvvercus ab Abbate & Congregatione tredecim fratres ad conſtruendum vitæ monaſticæ cœnobium petiit, & impetravit. Cum quibus aſſumta libra panis & potus, & Regula, & antiphonario uno, & hymnario, feſtinanter repatrians, capellam in honore ſancti Benedicti in occidentali parte Patherbrunnenſis civitatis fundavit & celeriter conſummavit. Monachorum autem æmulis adventum eorum cauſantibus, eiſque utilius ſecundum nominis ſui etymologiam à turba & civitate remotos fore, civitati vero honeſtius in eo loco clericos vel moniales degere affirmantibus, venerabilis Epiſcopus humiliter rationem reddidit, dicens: Femineum ſexum naturæ ſuæ qualitate fragilem eſſe, & infirmorum animas per eas ſcandalizare, & ſcandalizari facile poſſe; monachos vero convenientius vicinos & conjunctos eſſe clericis, quam clericos; ut in variis lubricæ vitæ exceſſibus & eventibus, in divinis & humanis fraterna caritate & unitate invicem ſuccurrerent, & conſulerent, & ceteris regendis norma & forma facti, Epiſcopo ſub cujus umbra alarum requieſcerent, in utriuſque vitæ proviſione & diſpoſitione auxilio & conſilio forent: adjiciens id decere, & debere fieri, ut ad ſervitium laïci, & ad conſilium admitterentur clerici. Qua ratione data & audita, quique boni & diſcreti dicta ejus & facta approbantes, rationabiliter cœpta feliciter proſperari & conſummari optaverunt. Similes autem ſimilibus congaudentes, diſſimilibus & melioribus invidere & derogare non ceſſaverunt.

12. *Meinvvercus cum ſancto Henrico Cluniacum adiit anno* MXIV. *cui anno monaſterii Paderbornenſis initia conſignanda ſunt. Ex his vero quæ hic narrantur merito Brouverus redarguit Crantzii errorem à Baronio in Annalibus eccleſiaſticis adoptatum, ſcribentis monachos è Cluniacenſi monaſterio à beato Henrico accitos & ab eodem imperatore in monaſterio Paderbornenſi inſtitutos fuiſſe. Haud leviorem cenſuram meretur Annalium Boicorum auctor, qui parte* 1. *libro* 15. *ad annum* MXV. *uti refert Overhamus, ait ab Henrico imperatore Vvalonem abbatem Corbeienſem loco motum fuiſſe, & eos, quos integriores noverat, ex eo ſanctitatis domicilio ſelectos ſecum Paderbornam deduxiſſe, ubi ponerent religioſa novi cœnobii fundamenta: quæ quidem omnia cum ſatis ex iis quæ ex Meinvverci vita ſupra protulimus, tum ex iis quæ dicemus infra maniſeſte falſa ſint, ſingillatim refellere non vacat. Laudavit tamen Henricus beati Meinvverci de conſtruendo apud Paderbornam monaſterio conſilium, eique non ſolum ad obtinendos aliquot è Cluniaco monachos, ut ſupra diximus, opem impendit, verum etiam & ad ſuſtentandos monachos variis temporibus multa bona contulit, ut ſuo loco dicemus. Hic audiendus eſt vitæ auctor monaſterii incrementa deſcribens num.* 33. Cum ergo, ut prædictum eſt, anno Dominicæ Incarnationis MXV. capellam in honore ſancti Benedicti Epiſcopus inchoaſſet, tanto citius, quanto devotius eam conſummavit, & in capite jejunii proximi anni XVI. Kalendas Martii ſollemniter eam conſecrans, in dotem ejus domum unam in Nortburgnon cum decima delegavit; de qua eidem eccleſiolæ provideri luminaria, & infirmorum uſibus adminiſtrari neceſſaria ordinavit. Domus autem infirmorum poſtea ita conſtructa eſt, ut unus murus utrumque, capellam & domum conjungeret, & ſacerdos aſſiſtens altari per feneſtram muri infirmum communicaret. Ipſa autem die dedicationis per ſalutarem confeſſionis pœnitentiam, generalem abſolutionis Epiſcopus populo tribuit indulgentiam; proponens eis in ſermone ad exemplum pœnitentiæ vitam pœnitentium & pauperum voluntarie. De fratribus autem quos adduxerat, unum, Sighardum nomine, in abbatem conſecrans aliis præpoſuit, & quoſdam pueros miniſterialium & civium ſuorum regulari norma imbuendos inibi contradidit, qui cum mundi contemtu & virtutum appetitu regulariter incederent, & odorem bonæ opinionis & ſanctæ converſationis longe lateque in populos ſpargerent; de converſione eorum & converſatione non modice epiſcopus lætabatur, illum proſequens gratiarum

A S. Henrico juvatur.

Primus abbas.

Digitized by Google

actione, de cujus munere venit, ut ei à fidelibus ſuis digne & laudabiliter ſerviatur. Unde monaſterii fundamentis poſitis, & clauſtralibus officinis congrue diſpoſitis, inchoata conſummari accelerabat eo inſtantius, quo ad alia inchoanda ferventius anhelabat. Terminum autem clauſtralem quieti & utilitati monaſteriali congruum late præfixit: & quidquid in gyro per circuitum monaſterii à via publica, qua in urbem iter eſt rectum uſque in coquinam Epiſcopi, adjacet, juri ipſius eccleſiæ addixit. Areas autem verſus Occidentem ex utraque parte Patheræ contiguas, diverſis curiæ ſervitoribus & artificibus, & ad mandatum pauperum in cœna Domini deputavit: & in quotidiani miniſterii neceſſitatibus, in alimentorum veſtimentorumque utilitatibus, non minus decenter quam utiliter filiis ſuis proſpicere curavit. Quoties autem clauſtrum introiſſet, relictis foris popularibus, aſſumtis gravibus & religioſis perſonis, quæ ſciebant & ſua tegere, & aliena non publicare, clauſtrum introivit. Et hoc deinceps faciendum, tam canonum traditione quam ſua inſtitutione mandavit. *Eodem anno prædia* Dodonhuſun & Golthbeke *eidem monaſterio contulit beatus Antiſtes: aliquanto poſt mortua matre, idem* Epiſcopus, *ait Vitæ auctor num.* 40. cum ſorore ſua bona hereditaria in inferiori terra diviſit, & illa partem ſuam ſancto Vito in Eltene conferente, ipſe ſuam cœnobio quod in civitate Patherbrunnenſi, ut prædictum eſt, inchoaverat, legavit.

ANN. CH. MXXXVI. DIE V. JUN.

13. *Anno* MXVII. *in Procerum conventu apud Liezgo, ut narrat vitæ auctor num.* 42. Imperator à domno Meinwverco epiſcopo fundationem novi monaſterii ſingularis quodammodo ejus ſtudii audiens, & devotioni ejus congaudens, gratiarum actiones ei retulit, & prædium quoddam ſitum in pago Heſſe-Saxonico, in comitatu Herimanni comitis, in villa Nedere nominata, cum mancipiis utriuſque ſexus; & omnibus quæ ullo modo inde provenire poſſent utenſilibus, quod quidam, Redialdus nomine, ad manus imperiales legaliter & capitulariter hereditaverat, fratribus in eodem monaſterio Chriſto ſervituris VI. Idus Julii contulit. *Anno denique* MXXI. *cum Meinwvercus in reconciliandis inter ſe Henrico & beato Heriberto epiſcopo Colonienſi, multum, diuque laboraſſet, ea tandem reconciliatione facta, Imperator aliud item prædium monaſterio Paderbornenſi contulit, ut ex Vita num.* 65. *diſcimus:* Venerabilis autem epiſcopus Meinwvercus de reconciliatione mutuæ dilectionis, quam inter eos, *Imperatorem ſcilicet, & beatum Heribertum*, reformare ſæpe laboraverat, non modice lætabatur, & ut peccata ſua quæ in ſanctum virum, licet ignoranter commiſerat, miſericordiæ operibus plenarie coram Deo dilueret; Imperatorem hortabatur. Imperator ergo Chriſtianiſſimus, eruditus omni ſcientia litterarum, & per ſe id expedire ſibi intelligens, & conſulenti libenter obaudiens, per interventum ac indefeſſum ſervitium ipſius epiſcopi Meinwverci, pro redemtione animæ ſuæ, dilectæque conjugis ſuæ Cunigundæ imperatricis, quamdam regii juris curtem Triburi nominatam, in pago Saxonico Wveſtfala ſitam, in comitatu Herimanni comitis; cum omnibus appenditiis, ſervis & ancillis, liberis quoque cum tali ſervitio & cenſu, qualem regi perſolvebant & agebant, & ceteris omnibus ad eumdem locum pertinentibus, ad abbatiam in Patherbrunno à prædicto epiſcopo inchoatam & ſtabilitam, ibidem in Colonia XII. Kal. Martii teſtamentaria auctoritate dedit; & inde divertens Bavenberge, Quadrageſimam ibidem celebravit. Sic Dei miſeratione, in Patherbrunnenſi cœnobio creſcente religione crevit & cenſus ipſius eccleſiæ, formam dans poſteris normæ rectiſſimæ, ut & pro cunctis animæ & corpori neceſſariis, Patri cæleſti ſcienti quid nobis neceſſe ſit devote ſerviatur: ne dum religio parit divitias, divitiæ religionem deſtruant, & ſic ambo pereant diſcrete caveatur.

14. *Adeo quippe ſedulus erat Meinwvercus, ne quidquam ſuis monachis deeſſet, ut ſæpius monaſterium circuire fuerit ſolitus ad inveſtigandum num eis omnia neceſſaria ſuppeditarentur; & ſi forte aliquid alicui deeſſe deprehendiſſet, paterno animo providebat. quod evidentius patebit ex ipſo vitæ auctore, qui numero* 45. *& ſequentibus ſic habet:* Quodam tempore officinas monaſterii ſui novi more ſolito circumiens, fratribus ad capitolium conſedentibus, coquinam intravit, & ſervis fortuitu vacantem inveniens, invento fruſto panis in ollas igni appoſitas truſit, nullius autem pinguedinis vel admixtionis ſpeciem, præter aquam & cibum animadvertens ſimplicem, tempore loquendi conventum introivit, & cauſatus filiorum ſuorum & fratrum aridum cibum, quæ in coquina vidiſſet & feciſſet retulit. Abbate autem ob virtutum cuſtodiam ſervandam aſſerente parſimoniam, reſpondit venerabilis Epiſcopus: ut ſi ipſe religioſus eſſe vel videri vellet, circa vitam propriam ſeverus, erga ſubditorum benignus exſiſteret, Evangelicis & apoſtolicis documentis propoſitis, quomodo laborans agricola mercede operis ſui dignus eſſet. Et data auctoritate, quomodo Dominus Eccleſiæ claves beato Petro apoſtolo tradiderit, & Eccleſia tantam habens poteſtatem, generali Synodo monachis, quoniam olei copiam non haberent, non carnium quadrupedium eſum, ſed carnibus cognatum adipem indulſerit; advocatis villicis, porcos dari ordinavit, de quorum ſagimine & pinguedine cibum fratrum parari mandavit. Ecce quomodo diligentibus Deum omnia in bonum cooperantur, & regnum Dei & juſtitiam ejus rigore clauſtralis diſciplinæ in capitulo

Digitized by Google

quærentibus, exterioris vitæ neceſſaria adjiciuntur. Laudabilis ſane pii paſtoris erga oves creditas tam benignus affectus, imitabilis quoque diligentibus Deum in religione & exſecutione clauſtralis diſciplinæ profectus.

Probare autem volens epiſcopus diſpoſitionis ſuæ obſervantiam, quadam die indutus cappa laïcali, coquinam iterum fratrum introivit, & quaſi advena ignotus de ſitu, ſtatu, habitu monaſticæ converſationis, clauſtralis religionis, quotidianæ refectionis curioſe quæritans, beatam vitam quantum ad Deum inibi duci, miſeram vero quantum ad corporalis indigentiæ uſum agi à coquo audivit. Unde feſtinus ad cubiculum rediens, Abbatem advocari velociter mandavit, & de ſegni diſpoſitionum ſuarum exſecutione eum graviter incuſans, novem pernas optimas ſecum ad clauſtrum deferri mandavit. *Concilium generale, quod, hic referente beato Meinvverco, adipis uſum monachis indulſit, aliud non eſt ab Aquiſgranenſi Synodo ſub Ludovico Pio habita, in qua capite* 22. pinguedinem ad eſum, *exceptis quibuſdam diebus conceditur. qua quidem indulgentia uſi ſunt Cluniacenſes, è quorum familia monachi Paderbornenſes prodierant.*

15. *Sed redeamus ad auctorem Vitæ, qui de beato Pontifice ſic proſequitur:* Succenſus autem igne divini amoris, nihil ſubterfugit terreni laboris, quin pro ſubjectorum ſalute, eccleſiæque ſuæ utilitate inſiſteret omnibus modis & horis: affectans denique imaginem cæleſtium ſprevit ſpeciem terreſtrium, nec pro Chriſto humiliari, nec pro ipſo erubeſcens injuriari, &c. Recordatus autem voti ſui, quod Romæ ſancto voverat Alexi, monaſterium cum congregatione in honore ejus, in loco qui Sulithe dicitur, ædificare diſpoſuit: ſed timens humanæ mutabilitatis incertitudinem, interim ei perſpicui operis capellam in introitu urbis, juxta novum monaſterium conſtrui fecit, eamque decimo-tertio Calendas Februarii conſecrans, proviſioni ejuſdem monaſterii deputavit, & in commemoratione beati Alexis, tali jure miſericordiæ dotavit & inſignivit, ut quicumque forenſi lege convictus, & ſententiæ damnationis addictus capellam contigiſſet, addictæ pœnæ obnoxius non eſſet. *Porro monaſterii conſtructionem in honorem ſancti Alexii voverat Romæ beatus Meinvvercus, cum ibi cum Henrico imperatore verſaretur, anno* MXIV. *ut narrat ipſe Vitæ auctor num.* 29. Cum autem, *inquit*, Epiſcopus inibi *Romæ*, cum Rege aliquamdiu moratus lue graviſſimæ mortalitatis, quæ immaniſſime exercitum depopulabatur, mæſtus eſſet, acceſſit ad eum quidam Romanorum conſilians ei, ut pro ſuorum incolumitate aliquam ſe venerationem in terra ſua facturum ſancto Alexi voveret. Qui ilico ſublatis ad cælum manibus & oculis, ſe monaſterium honori & amori ejus congruum facturum, ſi ſuis precibus ſuorum incolumitatem à Deo obtineret, ſinceriter vovit. Et ſe ejus meritis à Deo exauditum, ſuorum omnium jumentorum & hominum incolumitatis receptione & conſervatione veraciter probavit. *Monaſterium tamen in honorem beati Alexii à ſancto Meinvverco conſtructum fuiſſe nuſquam legimus: ſed erat, ut mox ex auctore Vitæ dicebamus, juxta monaſterium capella beato Alexio ſacra, cui adhærebat cella, in qua beatus Paternus aliquamdiu incluſus fuit, uſque ſcilicet ad urbis incendium, quo ipſe ſimul cum cella ſua flammis abſorptus fuit, ut infra dicemus ad annum* MLVIII. *ubi de eodem Paterno. Tempore Brouveri ne ullum quidem veſtigium ſupererat Alexianæ capellæ, ſed anno* MDCLXX. *novæ ſtructuram incœpit Henricus* VI. *Abdinghoffenſis abbas, quam triennio poſtea conſummatam, ſollemni ritu ipſa die* 17. *Julii ſancto Alexio dicatam, conſecravit celſiſſimus Princeps Ferdinandus Furſtenbergius Paderbornenſis antiſtes eruditiſſimus, quam ſollemnitatem ſingulari libello,* Monumentum ſancto Alexio confeſſori ſacrum *inſcripto, poſteritati mandavit idem abbas, ut ex Overhami notis diſcimus.*

Capella S. Alexii.

16. *Præter hanc ſancti Alexii capellam, aliam quoque in honorem ſancti Bartholomæi per Græcos operarios conſtrui curavit Meinvvercus, quam ſuo monaſterio pariter ſubjecit, ſicut & novam parochialem eccleſiam, de quibus auctor vitæ numero* 48. *ſic proſequitur.* Juxta principale quoque monaſterium, capellam quamdam capellæ in honore ſanctæ Mariæ perpetuæ virginis à Geroldo Caroli-Magni imperatoris conſanguineo & ſignifero contiguam, per Græcos operarios conſtruxit, eamque in honore ſancti Bartholomæi apoſtoli dedicavit. In pleriſque parochiis miſericorditer ſubvenit populis in difficultate longiſſimi eccleſiarum itineris, ſive parochiis novis, in diviſione aliarum factis, ſive capellis in eis conſtructis. Inter quos populo de Subdurgnon, ad parochiam forenſis eccleſiæ in Patherbrunnenſi civitate pertinenti, eccleſiam conſtruere conceſſit, eaque ſuper terram pertinentem ad curiam ab eo monaſterio ſuo novo attributam fundata, banno epiſcopali ad jus majoris eccleſiæ conſervato, eidem monaſterio proprietario jure eam poſſidendam delegavit. *Porro ejuſmodi capellas, quæ hic memorantur, juxta ſe aliquod domicilium habuiſſe extra dubium eſt, ita ut monaſteriola quædam dici poſſent, in quibus quandoque unus aut alter, quandoque etiam plures monachi habitarent, qui principalis monaſterii abbati ſubjecti eſſent. Certe jam ſupra vidimus Paternum monachum juxta beati Alexii capellam incluſum uſque ad urbis & monaſterii incendium perſeveraſſe; & Brouverus refert in ſcholiis ad hunc ſancti Meinvverci vitæ locum, beati Bartholomæi oratorium hic memoratum, cum adjuncto ſibi domicilio, ſuo etiam tempore exſtitiſſe.*

Alia S. Bartholomæi.

Digitized by Google

quas ædes ſocietati ſuæ ad inhabitandum conceſſas fuiſſe ait, ac ipſis alio demigrantibus, annuntiationis beatæ Mariæ ſodalibus ceſſiſſe. ANN. CH. MXXXVI. DIE V. JUN.

17. *Sub finem anni* MXXII. *Meinvvercus Henricum ex Italia reducem invitavit, ut Paderbornam, eccleſiæ monaſterii ſui conſecrationi adfuturus veniret. Annuit Imperator, & licet ob eccleſiæ ſanctuarium, neſcio quo caſu everſum, dedicatio ad aliud tempus dilata fuerit, Paderbornæ Natalem Domini celebravit, ibique multis diebus moratus eſt. qua occaſione narrat vitæ auctor multa, quæ inter ſanctum Antiſtitem & piiſſimum Imperatorem contigere, ex quibus ea quæ ad noſtrum pertinent inſtitutum delibabimus ex numero ſcilicet* 77. *& ſequentibus.* Epiſcopus autem Meinvvercus monaſterium inchoatum accelerans conſummare, ſanctuario teſtudinato Imperatorem in Nativitate Domini Patherbrunno invitavit, & ſperans eum imperiali magnificentia aliqua daturum prædia, in præſentia ejus hoc dedicare propoſuit; ex inopinato autem ſanctuarium, caſum ipſius eccleſiæ futurum præſignans, cecidit; & ita Epiſcopo domi foriſque negotiis regni multipliciter occupato, monaſterium hoc uſque ad annum Dominicæ Incarnationis MXXXI. indedicatum permanſit. *Venit tamen, ut jam diximus, Paderbornam Imperator, ibique Dominicæ Nativitatis noctem in ipſo monaſterio cum Meinvverco celebravit, ex num.* 79. Cantatis veſperis, in ſacris vigiliis miſit Imperator ſcyphum ſuum mirifici operis cum ſicera Epiſcopo commendans, & præcipiens nuntio, ut non rediret viſurus faciem ſuam ſine ſcypho. Epiſcopus autem condigna gratiarum actione miſſa ſuſcipiens, diutina & varia verborum altercatione & dilatione cum ferente habita, ſcyphum non reddidit, egreſſoque tandem eo, obſeratis firmiter poſt eum januis, adſcitiſque aurificibus ſuis Brunhardo & filio ejus Erphone, ipſa nocte Nativitatis Domini calicem de ſcypho fieri juſſit. Matutinorum autem ſollemniis apud monaſterium novum, Imperatore præſente celebratis, inter Evangelium ſubſequentis Miſſæ matutinæ Epiſcopus perfectum calicem conſecravit, & ut in præſenti divina myſteria in eo celebrarentur miniſtris tradi mandavit. Capellanus autem Imperatoris ad eam Miſſam ſubdiaconi functus officio, epigrammata calicis legit, & lecta Imperatori ad legendum obtulit: quibus ab Imperatore quoque lectis, ad Epiſcopum acceſſit, & furti eum reum arguens, Deum rapinam illam odio habere in holocauſto dixit: Ego inquam, epiſcopus non rapinam ſed avaritiam tuæ vanitatis cultui mancipavi divinitatis. Tu ad augmentum tuæ perditionis aufer Deo, ſi audes, oblationem meæ devotionis. Ego, inquit, Imperator Deo mancipata non auferam, ſed quæ mea ſunt ei ſuppliciter offeram: tu de tuis juſtis laboribus honora Dominum, dignatum in hac nocte pro ſalute naſci omnium. Mox ergo inchoato offertorio, Imperator calicem ad altare ſollemniter obtulit, animæque ejus & corpori imprecatus Epiſcopus proſpera, non modicas gratiarum actiones retulit. *Eodem fere modo in miſſa diei Meinvvercus curtem quamdam regiam pro eccleſia majori ab Imperatore extorſit.* S. Henricus Paderbornam venit.

18. Quarto autem Nonas Januarii cryptam in novo ſuo monaſterio in honore ſancti Stephani protomartyris conſecravit, & lapidem quemdam altaris ſpectabilis magnitudinis à beato Leone papa conſecratum, de eccleſia Thietmelle allatum in ea collocavit, & adorandas ejuſdem protomartyris reliquias cum aliis multorum ſanctorum in eo repoſuit. *Die* 15. *ejuſdem menſis Imperator Meinvverco aliquot prædia contulit, quæ ille ſtatim eccleſiis à ſe conſtructis attribuit, ut narrat Vitæ auctor num.* 84. Devotiſſimus igitur Imperator circa memoratum locum Patherbrunnon multis donis piiſſima largitate celebratis, quaſi ſpiritu quodammodo præcognoſcens ſe eo amplius non venturum, erga Deum & eumdem locum, dilectumque ſibi epiſcopum ſuæ dilectionis indicia non minima dereliquit. Interventu namque venerabilis Cunigundæ imperatricis aſſidue monentis, atque inceſſabiliter ei in memoriam revocantis, quod epiſcopus Meinvvercus plus ceteris fidelibus ſuis jugi devotione in ſervitute regia ſudaſſet, contulit ei prædium quoddam, Hoenſile dictum, in pago Weſtfalon ſitum, in comitatu Bernhardi comitis, quod Epiſcopus eccleſiæ ſuæ novæ mox tribuit cum omnibus ejuſdem prædii appenditiis. Die quoque eadem *Meinvverco prædium nomine Steini donavit, quod ille ſtatim majori ſuæ eccleſiæ contulit. Numero ſequenti auctor meminit privilegii ab eodem Imperatore monaſterio Paderbornenſi conceſſo.* Ipſo, *inquit*, die videlicet XVIIII. Kalendas Februarii, eccleſiam ab Epiſcopo noviter conſtructam Imperator ab omni ſæculari violenti exactione vel invaſione ſtabilivit & communivit, imperialis edicti auctoritate decernens, ut nulla perſona quemlibet abbatem ipſius eccleſiæ cum ſuis fratribus ſuper bonis conceſſis vel concedendis inquietare, moleſtare, aut diveſtire præſumat, aut aliqua judiciaria poteſtate ſe intromittat; excepto advocato ab Abbate & fratribus in defenſorem electo. adjiciens hoc in præcepto, ut ſi quis hoc infringeret, centum libras auri componeret, quinquaginta regiæ cameræ, quinquaginta eidem eccleſiæ. *Sed Imperiale edictum proferendum eſt integrum ex Overhamo in notis ad hunc Vitæ locum, quod ſic ſe habet.*

19. In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, HEINRICUS divina favente clementia Romanorum imperator auguſtus. Quoniam divinæ dignationis clementia ad regendum

Digitized by Google

ANN. CH. MXXXVI. DIE V. JUN.

totius Reipublicæ ſtatum nos provexit ſuæ immenſæ pietatis magnificentia, ante omnia ad hoc laborare debemus, ut qui corona terreni imperii gloriamur, illa inæſtimabilis gaudii gloria non privemur: quod certiſſime poſſe fieri creditur, ſi loca eccleſiaſticis obſequiis à Chriſtianis viris deputata, noſtra auctoritate confirmentur & corroborentur: ut omni exteriori inquietudine remota, divinis laudibus in eis mancipati, in pace & quiete Domino ſervire delectentur; & qui curis & negotiis ſæcularibus gravamur, eorum qui in lege ejus die ac nocte meditantur, precibus à peccatorum noſtrorum nexibus liberemur. Qua propter omnium fidelium Chriſti noſtrorumque noverit univerſitas, qualiter dilectus nobis venerabiliſque Meginvvercus Patherbrunnenſis eccleſiæ antiſtes celſitudinem noſtram adiit, ſuppliciter exorans, ut monaſterium in occidentali parte Patherbrunnenſis ſuburbii ab eo in honore ſanctæ Dei genitricis & perpetuæ virginis Mariæ, omniumque ſanctorum fundatum noſtra imperiali auctoritate confirmaretur, quatinus fratres ipſius monaſterii in divino ſervitio jugiter permanſuri, ab omni ſæculari violentia & moleſtia remoti & muniti, tanto expeditius viam mandatorum Dei currerent, quanto eis terrenæ incommoditatis impedimenta nulla obſtarent. Cujus laudabilis ſtudii intentione congaudentes, & per interventum dilectiſſimæ conjugis noſtræ, Cunigundæ videlicet imperatricis auguſtæ, aliorumque fidelium noſtrorum juſtis petitionibus gratuito aſſentientes, imperiali auctoritate decrevimus, ut omnia à nobis vel ab ipſo venerabili Epiſcopo, de ſua hereditate, vel aliunde, per commutationem aut precariam, vel ab aliis Dei cultoribus eidem monaſterio collata, videlicet in territoriis, villis, areis, curtis, ædificiis, mancipiis utriuſque ſexus, terris cultis & incultis, pratis, paſcuis, campis, aquis aquarumque decurſibus, molis, molendinis, piſcationibus, ſilvis, venationibus, exitibus & reditibus, viis & inviis, quæſitis & inquirendis, cum omni utilitate & integritate, quæ ullo modo ex eis provenire poterit, ipſius monaſterii abbas cum ſuis fratribus proprietario jure poteſtative habeat atque poſſideat, & cum Epiſcopi licentia quidquid illis placuerit, ad communem uſum eccleſiæ faciat. Inſuper etiam firmum & ſtabile perpetuo jure ſancimus, ut nullus Dux aut comes, aut aliqua perſona, parva vel magna, quemlibet Abbatum ipſius monaſterii cum ſuis *fratribus*, ſuper eiſdem bonis inquietare, moleſtare, aut diveſtire, aut aliqua judiciaria poteſtate ſe intromittere præſumat, niſi advocatus eccleſiæ ab Abbate & fratribus in defenſorem electus, & ab Epiſcopo conſtitutus: eo videlicet tenore, ut jure contentus eccleſiæ, cum præcepto & conſilio abbatis omnia faciat atque diſponat. Si quis autem hoc noſtræ imperialis confirmationis edictum aliqua præſumptione infringere temptaverit; centum librarum examinati auri ad noſtrum pondus compoſitione multetur, ut quinquaginta noſtræ cameræ perſolvat, quinquaginta eidem eccleſiæ, quam auſu temerario inquietare præſumpſit. Et ut hæc confirmatio verius credatur, ſtabiliſque & inconvulſa omni tempore habeatur, hanc imperialis edicti paginam inde conſcribi, & manu propria confirmantes, ſigillo noſtro inſigniri juſſimus. Signum domni Heinrici Romanorum invictiſſimi imperatoris auguſti. Guntherius cancellarius vice Aribonis archicapellani recognovit. Datum XVIIII. Kalendas Februarii. Indictione VI. anno Dominicæ Incarnationis milleſimo vigeſimo-tertio, anno vero domni Heinrici ſecundi regnantis XXI. Imperii verò ejus VIII. Actum Paderbrunnon feliciter. Amen.

Conradus Imp.

20. *Poſt Henrici imperatoris obitum Conradus, ejus non minus in Meinvvercum fuit beneficentiæ quam imperii ſucceſſor, teſte ipſo vitæ auctore, qui complura ipſius dona quæ Paderbornenſi, aliiſque eccleſiis contulit, paſſim recenſet: ſed ne extra metas quæ nobis impoſita ſunt divagemur, ea ſolummodo proferemus, quæ ad monaſterium à beato Meinvverco conditum ſpectant, cujus dedicationem narrat numero* 109. *ſequentibus vero fuſius differit de variis oblationibus, quæ hac occaſione eidem eccleſiæ collatæ fuerunt.* Monaſterio autem, quod in occidentali parte Patherbrunnenſis ſuburbii Epiſcopus inchoaverat, pleniter & decenter cum omnibus clauſtralibus officinis conſummato, ab Imperatore hoc dedicandi & conſummandi licentiam petiit & accepit: regreſſuſque dedicationi attinentia cum ſumma abundantia præparari præcepit. Miſſo autem à Wolffgango patriarcha Aquilegienſi corpore ſancti Felicis cum duobus palliis, quinto Nonas Octobris Epiſcopus in eodem monaſterio, cum maxima cleri totiuſque civitatis populi frequentia illud excepit. Et experiri volens ſalutis ipſius auxilio, ſi ſibi ſuoque ſuccurrere poſſet populo, rogum maximum in medio clauſtri ſub divo fieri præcepit, in quem cum tertio corpus miſiſſet, totienſque in favillam redactus ignis exſtinctus fuiſſet, cum maxima omnium exultatione & laudum jubilatione, corpus manibus propriis excipiens ſuper principale altare detulit, & omnium venerationi ſollemnem ſanctum illum deinceps haberi inſtituit.

21. Oblationis ergo quam pro ſpe ſuæ ſalutis & incolumitatis, pro remedio animæ ſuæ omniumque parentum ſuorum Deo offerre diſpoſuit, teſtes & cooperatores idoneos adhibuit, adſcitiſque Hunfrido archiepiſcopo Parthenopolitano, & Epiſcopis bonæ memoriæ, Godehardo Hildenesheimenſi, Siberto Mindonenſe, Sigifrido Monaſterienſe, aliiſque quatuor,

Digitized by Google

eos nuptiis ſuis feſtivis intereſſe petiit. Magontinus autem Archiepiſcopus Aribo eodem anno Romam profectus orationis cauſa, in reditu VIII. Idus Aprilis obierat, & Bardo Werthenenſis abbas, qui Imperatricis machinamento ſubintraverat, quique ante paucos menſes Arnoldo à Herveldenſi regimine depoſito ſucceſſerat, variis negotiis occupatus ſecundum deſiderium Epiſcopi intereſſe non poterat. Sollemnitate ergo omnium Sanctorum Kalendis Novembris in civitate Patherbrunnenſi cum prædictis epiſcopis, & innumerabili multitudine promiſcuæ ætatis & dignitatis feſtive celebrata, ſequenti die Epiſcopis præſentibus, & ſua auctoritate faventibus, monaſterium ſuum in honore beatæ Mariæ perpetuæ virginis, ſanctorumque apoſtolorum Petri & Pauli atque omnium ſanctorum devotiſſime conſecravit,& in dotem ejus prædia hæc ſollemniter delegans, Vvithun, Gelondorph, Merebeke cum eccleſia, Rimi, Driburi, Goltbeke, Dodenhuſon, Vvaldmanninckuſon, Havergo, Nedere, Balehornon cum decima, Leſſete cum decima, Vvanbeche, Hoënſile, in Radincheim curtem cum familia, cum capella & decima ſuper dimidiam villam. In Putten curtem cum familia, eccleſia, & decima ſuper omnem parochiam; capellam in Vvorthuſen ad eamdem eccleſiam pertinentem, in Teſterbant curtem cum tota familia, matrem eccleſiarum in Tuilon cum quatuor capellis attinentibus, Niuvela, Helve, Haſten, Gamberem cum decimis earum. Burgnon, item Burgnon, Andepo cum omnibus ſuis pertinentiis, & ceteris omnibus, quæ quomodocumque donari poſſunt, utilitatibus, in mundiburdium & tuitionem omnipotentis Dei, omniumque ſanctorum commiſit: admonens & conteſtans ſub nomine Domini noſtri Jeſu-Chriſti, ut nullus ſucceſſorum ſuorum, ſive alia aliqua perſona, magna vel parva, contra eccleſias Dei ſæviens foris aut intus, eidem monaſterio, rebuſque ſibi conceſſis ſeu concedendis, aliquam violentiam ſeu rapinam ulla temeritate inferre, vel de præfato monaſterio aliqua auferre vel minuere, de theſauris vel prædiis, vel monachis ibidem conſtitutis vel conſtituendis vim aliquam ſive moleſtiam irrogare præſumat. Eccleſiam quoque in Haldinghuſon cum banno epiſcopali & tribus capellis attinentibus eidem monaſterio delegavit: & ne quid eccleſiaſticæ dignitatis aut temporalis in aliquo ei deeſſet, ſollerter proſpicere curavit. *Hæc ille auctor. ſed privilegium ipſum, prout illud deſcripſit Overhamus, exhibere viſum eſt.*

ANN. CH. MXXXVI. DIE V. JUN.

Monaſterii dedicatio.

22. In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Rerum omnium creatorem Deum ſummum & incommutabile eſſe bonum, omnium conſtat ratione fidelium, cujus omnipotentiam aliquo indigere ſuperfluum eſt æſtimare vel credere. Quoniam vero in libro Salomonis ſcriptum invenimus, Divitiæ hominis redemtio animæ illius; & ab ipſo Auctore mundi præceptum legimus, Date eleemoſynam & omnia munda ſunt vobis; reſtat ut ex beneficiis ab eo nobis collatis, ob redemtionem animarum noſtrarum qualiacumque poſſumus, in ejus ſervitio expendamus; pauperibuſque ejus membris ſuccurrendo, de mammona iniquitatis faciamus amicos, qui nos recipiant in tabernacula æternæ beatitudinis. Hac igitur ratione ammonitus ego Meginvvercus, utinam Epiſcopus! conſilio & auxilio beatæ memoriæ Heinrici imperatoris, pro remedio animæ meæ parentumque meorum, in ſuburbio epiſcopii mei monaſterium conſtruxi, & in honore omnium ſanctorum devotiſſime conſecravi, ejuſdemque in dotem eccleſiæ ex hereditate parentum meorum, ſive acquiſitione propria, prædia ſubtus nominata cum omnibus ſuis pertinentiis ſollemniter tradidi, delegavi, conceſſi: Widun cum eccleſia, Golendorp, Rumbeke, Merebeke cum eccleſia, Dotenhuſon, Walimanninghuſon, Rime, Driburi, Golſbeke, Havergo, Nedere, Balehornon cum decima, Laſſethe cum decima, Vvambeke, Hoenſele, Radengheim cum eccleſia & decima, Putten cum eccleſia & decima, & eccleſiam in Worthuſin; Teſterbant cum eccleſiis Tulen, Haſhtin, Gambron, Helvi, Niuvelon & decimis earum; Burgnon cum decima, & de epiſcopatu meo item Burgnon cum decima, Andepo cum decima, bonis meis centies reſtituta & redempta. Hæc igitur omnia præfato monaſterio à me collata cum ſuis pertinentiis, terris videlicet cultis & incultis, mancipiis utriuſque ſexus, villis, paſcuis, pratis, ſilvis, venationibus, aquis, aquarumque decurſibus, piſcationibus, molendinis, viis & inviis, exitibus & reditibus, quæſitis & inquirendis, ceteriſque omnibus quæ quomodocumque donari poſſunt utilitatibus, in mundiburdium & tuitionem omnipotentis Dei ſanctorumque omnium committo, ammonens & conteſtans ſub nomine Domini noſtri Jeſu-Chriſti, ut nullus ſucceſſor meus, ſive alia aliqua perſona, magna vel parva, contra eccleſias Dei ſæviens, foris aut intus eidem monaſterio rebuſque conceſſis ſeu concedendis aliquam violentiam ſeu rapinam ulla temeritate inferre præſumat. Si quis autem de præfato monaſterio aliqua auferre vel minuere de theſauris vel prædiis injuſte temptaverit, vel monachis ibidem conſtitutis violentiam aliquam ſive moleſtiam intulerit, omnipotentis Dei ſanctorumque ejus iram atque offenſam incurrat, & in die judicii ſi non emendaverit, Dominico maledicto ſubjaceat: Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus eſt diabolo & angelis ejus. Conſtituimus autem & volumus, non cenſus vel debiti, ſed inviolabilis cauſa dilectionis, ut Abbas prænominati monaſterii omni anno in dedicatione eccleſiæ ſuæ, Epiſ-

Digitized by Google

Ann. Ch. MXXXVI. DIE V. JUN. copum, ſi præſens eſt, canonicoſque ſuos ad convivium invitet; nihilque aliud aliquid, præter quod caritas dictaverit, aliquando perſolvere cogatur. Defuncto vero abbate, habeant monachi poteſtatem abbatem ſecundum Dei timorem eligendi; nec quiſquam eis per aliquam violentiam ſeu per malignum conſilium in hac re obſiſtat. Hoc autem votum meum, Domine Jeſu Chriſte, peto ut clementer ſuſcipias, tribuaſque, ut quicumque hanc traditionem noſtram atque licentiam liberalem infringere vel permutare quolibet ingenio temptaverit, maledictionem & ultionem, quam invaſoribus eccleſiarum tuarum præparaſti, incurrat. Actum in die conſecrationis ejuſdem monaſterii, anno ab Incarnatione Domini MXXXI. Indictione XIIII. quarto Nonas Novembris, præſentibus & adjuvantibus auctoritate ſua epiſcopis, domno Hunfrido Parthenopolitano, Godehardo Hildenesheimenſe, Sigeberto Mindenſe. Hanc autem traditionem Amalungus comes ſummus matris eccleſiæ advocatus manu ſua ſuſcepit, & regiæ poteſtatis banno in Comitatu ſuo ſtabilivit. Super his præſentium atque futurorum orationem nobis prodeſſe obſecramus, ut ipſe mihi mercedem in die judicii reſtituat, pro cujus amore hæc incœpi atque perfeci. † Meginvvercus Paterburnenſis epiſcopus.

23. *Ejuſdem monaſterii dedicationem memorat Chronicum Saxonicum manuſcriptum, ubi Meinvvercus* monachicum ordinem Cluniacenſem *ibidem inſtituiſſe dicitur: tres vero ſolummodo epiſcopos recenſet qui ſollemnitati adfuerunt, eoſdem ſcilicet qui in Meinvverci charta habentur, nulla Sigifridi Monaſterienſis epiſcopi, aut aliorum quatuor facta mentione, qui tamen, ſi Vitæ auctori credamus, ad hanc dedicationem occurrerunt. Sed & alia memorat idem Vitæ auctor à Meinvverco eidem eccleſiæ collata, quæ in charta non habentur. quare operæ pretium erit ejus verba deſcribere, ex numero ſcilicet* III. *& ſequentibus.* Iſte eſt autem ornatus, quem eidem monaſterio tradidit, quemque frater Andreas, conſignante abbate Sigehardo, in cuſtodiam recepit. Tabula ante principale altare argentea, calix aureus octo marcarum examinati auri, ſeptuaginta duorum lapidum decoratus ornatu; calix fuſilis argenteus triginta marcarum, in quo opere paſſio ſancti Stephani protomartyris continebatur, calix argenteus minor viginti duarum marcarum, calices minores diverſæ qualitatis & quantitatis puriſſimi argenti ſex; cruces argenteæ duæ cum baculis; candelabra duo, tertiam dimidiam marcam examinati argenti habentia; coppa argentea, ampullæ argenteæ quinque, dalmaticæ quinque, caſulæ quatuordecim; ſtolæ auro textæ ſeptem, ex quibus una habuit viginti ſeptem tintinnabula, alia viginti & unum, adjunctis cingulorum & mappularum pertinentiis. Item aliæ ſeptem ſtolæ, ſubtilia tria, cappæ viginti quinque, pallia coccinea duodecim, coopertoria altaris varii generis ſex, mappulæ coccineæ novem, offertoriola coccinea duo, dorſalia lanea quinque, choralia quinque, cortinæ quinque, bancalia ſeptem, tapetia tredecim, albæ quinquaginta cum ſuperhumeralibus ſuis & zonis, coopertorium analogii coccineum, lapides cryſtallinos triginta tres, coronam argenteam ante principale altare continentem in feſtis præcipuis duodecim candelas in honore omnium Apoſtolorum, aliam coronam æque argenteam in medio monaſterii, continentem candelas in memoriam ſeptuaginta duorum Chriſti diſcipulorum, & alia multa diverſa ad eccleſiaſticum apparatum pertinentia.

Liberam quoque poteſtatem abbatem eligendi ſecundum timorem Dei ad regularis auctoritatis firmamentum, ſua epiſcopali conceſſione ejuſdem eccleſiæ filiis ſtabilivit & confirmavit; ita ut damnationem & ultionem invaſoribus eccleſiarum à Deo prædeſtinatam incurrat, quicumque in hac re per aliquam violentiam, vel per malignum conſilium eis obſtiterit, & ſuam traditionem & conſtitutionem atque licentiam liberalem infringere vel permutare quolibet ingenio tentaverit.

Super his atque aliis monaſterii utilitatibus facto teſtamento, ipſe piiſſimus pater, & ceteri epiſcopi præſentes ſibi in confirmatione ſingillatim ad pulpitum ſuccedentes, ſua illud pontificali auctoritate, & banno terribili ac formidabili ſtabilire, firmare & roborare curaverunt: ut videlicet ſi quis contra hujus teſtamenti ſeriem cœnobio ipſi quodlibet diſpendium ſive injuriam irrogare tentaverit, omnipotentis Dei, ſanctorumque ejus iram atque offenſam incurrat; & in die judicii, ſi non emendaverit, divino maledicto ſubjaceat: Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus eſt diabolo & angelis ejus.

Conſtituit autem non cenſus vel debiti, ſed inviolabilis cauſa dilectionis, ut Abbas prænominati monaſterii omni anno in dedicatione eccleſiæ ſuæ, Epiſcopum, ſi præſens eſt, canonicoſque ſuos ad convivium invitet: nihilque aliud aliquid præter quod caritas dictaverit, aliquando perſolvere cogatur. Hanc traditionem comes Amulongus, ſummus matris eccleſiæ advocatus, manu ſua de altari ſuſcepit, & regiæ poteſtatis banno in comitatu ſuo ſtabilivit. Super his præſentium atque futurorum orationes ſibi apud Deum Epiſcopus prodeſſe obſecravit, ut ipſe ſibi mercedem in die judicii reſtituat, pro cujus amore ſe incœpiſſe dixit & perfeciſſe. De prædiis autem eidem eccleſiæ collatis Vvithun, Rime, Merebeche, Goltbeke, Dotenhuſon, Vvaltmanninchuſon, Havergo, Vvanbiche, & bona in inferiori terra hereditario jure poſſederat; Nedere vero & Driburi ac Hoënſile imperator Heinricus ei ad

ipſum

Digitized by Google

ſpſum monaſterium dederat; Gelantorph quoque, ut prædictum eſt, à domna Godruna & filio ejus Hodan obtinuerat: Leſſete vero quædam nobilis mulier ad ipſum monaſterium dedit; de quo Epiſcopus cœnam fratribus provideri diſpoſitione cellerarii inſtituit. Decimas autem ſuper curtes infra epiſcopatum ſuum conſtitutas, eidem monaſterio delegatas, ei conceſſit, & ſuper manſos attinentes, quod prius ſolverant, ſolvi permiſit: nolens maculare alterius juris imminutione, tanta à ſe conſtructum devotione. Ab omni autem hoſtilicio & ſæcularium exactionum negotio ipſum monaſterium liberum & immune eſſe conſtituit; & ad innuendam futuris, & prædia ipſius tranſituris, tam conſtruentis devotionem, quam conſtructi in crucis trophæo ſpeciem & defenſionem, per omnia prædia eo pertinentia, crucem ſive in portis, ſeu aliis eminentioribus locis figi præcepit. ANN. CH. MXXXVI. DIE V. JUN.

24. Monaſterio ergo hoc anno Dominicæ Incarnationis MXXXI. Indictione XIV. IV. Nonas Novembris, ut dictum eſt, ſollemniter conſecrato, poſt feſtum proximum Natalis Domini, Epiſcopus Imperatorem Patherbrunnon invitavit; ubi interventu Giſlæ imperatricis, ſuæque amantiſſimæ prolis Heinrici regis & Egilberti Friſingenſis epiſcopi, quæ eidem monaſterio in quibuſcumque rebus Epiſcopus contulerat, imperiali præcepto Imperator ſtabiliens decimo-ſeptimo Kalendas Februarii confirmavit & corroboravit, eo videlicet tenore, ut ſub pleniſſima immunitatis tuitione hæc conſiſtant, & ſub imperialis auctoritatis defenſione præfatæ eccleſiæ fratres ea poſſideant; ita ut nullus judex publicus, vel quiſlibet aliqua judiciaria poteſtate præditus, loca vel poſſeſſiones eidem eccleſiæ conceſſas vel concedendas, ad cauſas judiciario more audiendas, vel freda, tributa exigenda, manſiones, vel paratas faciendas, aut fidejuſſores tollendos, aut homines ipſorum, tam litos quam & ingenuos ſuper terram eorum commanentes, contra rationem diſtringendos, ullo umquam tempore ingredi audeat, nec ullas publicas functiones aut redibitiones, vel illicitas occaſiones requirere, vel exigere ullo modo præſumat; ſed prænominatæ eccleſiæ Abbas cum ſuo advocato, quem communicato fratrum ſuorum conſilio in defenſorem elegerit, cauſas rerum agendarum ſagaciter providens & ſapienter diſponens, ſuis ſuorumque fratrum utilitatibus, in omnibus fideliter & utiliter proſpiciat. Hominibus autem liberis, eidem eccleſiæ collatis, qui Saxonice dicuntur Malman, eamdem regiæ auctoritatis defenſionem concedens, quidquid fiſcus regius de eis conſequi debuit, eidem monaſterio contulit, quæ Epiſcopus diverſis uſibus aſſignans, cenſum horum Leſſete ſolventium, ad proviſionem luminis in dormitorio deputavit. *Datum eſt Conradi diploma* anno Dominicæ Incarnationis MXXXII. XVII. Kalendas Februarii, Indictione XV. anno Conradi ſecundi regni VIII. Imperii autem V. Actum Paderbrunnon. Odalricus cancellarius vice Bardonis archicapellani recognovit. *qua temporum notæ, ut obſervavit Overhamus, habentur in apographo typis edito. Hoc autem diploma cum aliis bene multis in ejuſdem monaſterii gratiam datis Ferdinandus II. Romanorum imperator confirmavit Viennæ anno* MDCXXVIII. *die* 20. *Novembris, rogatus à domno Vuilhelmo Rivio abbate Abdinghoffenſi.*

25. Taliter vir Dei, *uti proſequitur Vitæ auctor numero* 116. ſpe cæleſtium bonorum animatus, & conſilio ac auxilio Chriſtianiſſimi regis Heinrici ejuſdem nominis ſecundi, imperatoris primi, venerabiliſque Cunigundæ imperatricis in omnibus adjutus & confortatus, monaſterium hoc, ubi noviſſimam tubam exſpectare diſpoſuit, monaſticæ vitæ amore maxima devotione inchoavit, & epiſcopatus ſui anno XXIII. regni Conradi ejuſdem nominis ſecundi ſeptimo, Imperii quarto, ut dictum eſt, conſummavit, & ad alia conſtruenda licentiam ab eodem Imperatore petiit & impetravit. *An alia item Ordinis noſtri monaſteria exſtruxerit beatus Meinvvercus, non liquet. Eccleſiam in honorem ſanctæ Dei genitricis Mariæ & ſanctorum Petri & Andreæ ab eo ædificatam multiſque poſſeſſionibus locupletatam memorat vitæ auctor numero* 121. *ſed eam canonicis attribuit. de monaſterio vero quod apud Sulithe in honorem ſancti Alexii ædificare voluerat diximus, ſed re infecta Meinvvercum obiiſſe colligimus ex numero* 122. *ubi ſic loquitur de monaſteriis ab eo juxta Paderbornam exædificatis:* Talia viri Dei pro ſpe æternitatis opera, hæc circa civitatem ſibi commiſſam dilectionis indicia! qui ſi vixiſſet, in civitatem honoris & decoris eam in regno promoviſſet. Nam ſicut in occidentali & orientali parte civitatis congregationes ſervorum Dei conſtruxerat, ita in auſtrali parte in Campo, in aquilonali, Sulithe in modum crucis conſtruere diſpoſuerat: ut ſicut ab eo de nimia paupertate tam hereditaria traditione, quam jugi inſtantia & ſervitio, à regibus aliiſque fidelibus acquiſitione fuerat ditata & promota, ita à Crucifixo ſervientibus, & eam orationum ſuarum armis defendentibus contra omnia inimici jacula eſſet munita & inſignita.

26. *Meinvverci obitum numero ſequenti deſcribit vitæ auctor, quem contigiſſe ait, aliquot diebus poſt dedicatam ſanctorum Petri & Andreæ baſilicam, quod ab eo anno* MXXXVI. *octavo Kalendas Junii factum numero* 121. *dixerat.* Feria, itaque, *inquit*, tertia ante Aſcenſionem Domini hac dedicatione peracta, ſollemnitateque Aſcenſionis Domini celebrata, cœpit aliquantulum infirmari, ſentienſque diem ſuæ vocationis inſtare, precibus & eleemoſynis continuo cœpit operam dare. Erant autem duæ capellæ ad domum epiſcopalem, una in Meinvverci obitus.

Digitized by Google

ANN. CH. MXXXVI. DIE V. JUN. tranſitu, una ſuper columnas facta in honorem ſanctorum Primi & Feliciani ante eccleſiam principalem. In hanc ante altare hora diei prima., in Vigilia Pentecoſtes, Nonis Junii ſe deferri mandavit, & Dominici corporis & ſanguinis perceptione munitus, ſublatiſque ad cælum manibus & oculis, hora diei tertia, ea inquam hora, qua Spiritus-ſanctus ſuper Apoſtolos in linguis igneis deſcenderat, quique in ejus mente gratuitam manſionem habuerat, inter verba orationis animam ſuam in manu Patris commendavit. Dies ille à ſabbato, cujus veſpera in prima luceſcit ſabbati, (cujus ſacratiſſima nox tam ſemper floret gaudio præteritæ Chriſti reſurrectionis, quam exſpectatione venturi, ut creditur, eadem nocte Judicis) eo anno quinquageſimus habebatur: qui numerus tam Decalogi legalis, quam gratiæ ſpiritualis indulgentia ac remiſſione ſacer habetur ac prædicatur. Annus hic vere jubileus epiſcopo exſtitit, quo abſoluto originali & actuali debito, libertati gloriæ filiorum Dei reſtitui meruit. Eadem autem die & hora, qua Epiſcopus ex hac vita migravit, Boſo Corbeienſis eccleſiæ monachus, *qui, ut ſupra diximus ex Vita numero 43. beato Antiſtiti reſtiterat*, cum raderetur in clauſtro ſanus & incolumis, intuens intuentes, alloquens alloquentes, repente exſpiravit, & non irritandum Spiritum-ſanctum in cordibus fidelium habitantem, exemplo ſui terribiliter declaravit. Corpus autem Epiſcopi in eccleſiam beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli delatum, ibidem, ut ipſe vivens diſpoſuerat, ſepelitur: ubi quid apud Deum promeruerit fideliter depoſcens ſalubriter experitur. Tanta autem omnium generum eſcarum abundantia in Epiſcopi reperta eſt ſubſtantia, ut ſpeciali quadam magnificentia pauperibus de omni provincia accurrentibus ſeptem noctibus erogaretur eleemoſyna. Beatus vero Godehardus Hildeneſheimenſis epiſcopus per revelationem obitu ejus agnito, animam ejus divinæ pietati attentius commendavit, & hora diei tertia, diſpenſatore ejus prandium paratum nuntiante, ipſe ut parata paratis ad prandium apponeret, mandavit, dicens, ſe nuntium quemdam accepturum, & ante prandium miſſarum ſollemnia celebraturum. Mox veniente nuntio obitus Epiſcopi, hoſtiam ſalutarem Domino pro animæ ejus remedio immolavit: regreſſuſque ad prandium, accepta ambabus manibus ſimila appoſita, O beate, inquit, Meinvverce epiſcope, quomodo te lata tua ſimila à morte communi non liberavit? Et ego, inquit, quamdiu ſuperſtes fuero, de albo pane non guſtabo. & biennio, exceptis quatuor hebdomadibus & tribus diebus, quo ſupervixit, complevit quod dixit. Ecce virum probabilem, perfectis per omnia imitabilem, in quo habet monachus quod admiretur, clericus & laïcus quod imitetur, omnis denique fidelis anima quod veneretur. Omni ergo prædicandus gloria, digna poſterorum veneretur memoria, ſitque memor memorum apud Jeſum-Chriſtum Dominum, cui eſt honor & gloria per omnia ſæculorum ſæcula. Amen.

Vindicatur Vitæ auctor.

27. *Ex his porro ita aperte patet beatum Meinvvercum obiiſſe anno* MXXXVI. *ut mirum ſit Papebrochium ejus mortem ad annum uſque* MXL. *diſtuliſſe. quo errore falſus in alium dilapſus eſt, vitæ auctori errorem affingens, quaſi Idibus Junii beati viri obitum male conſignaverit, qui pridie Idus reipſa contigiſſet. Indeque ejus auctoritatem minuere conatus eſt in Appendice ad* XIX. *Aprilis, ubi de ſancta Emma agens, ſic loquitur:* Et vero qui poſſit non aliquot poſt ſæcula ſcripſiſſe videri, qui in referenda ipſa ſancti morte pridie Pentecoſtes anno ſæculi undecimi quinquageſimo obita, adeo turpiter erravit, ut quoniam Idibus Junii ſanctus Meinvvercus colitur, eiſdem etiam obiiſſe crediderit: non animadvertens quod eo anno juxta Paſchales cyclos Pentecoſte celebratum fuerit III. Idus Junii. qui dies cum minime idoneus eſſet faciendis exſequiis, pridie defuncto Epiſcopo, dilatæ ſunt hæ uſque in feriam tertiam Pentecoſtalis hebdomadæ in ipſas Idus cadentem: & ſic eæ annuo illius feſto deinceps obligatæ manſerunt. *Et quidem auctori vitæ concordant Chronicum Hildesheimenſe, Chronicum Saxonicum manuſcriptum, aliaque vetera monumenta, in quibus diſerte Meinvvercus anno* MXXXVI. *obiiſſe dicitur. Unde de his forte ab Overhamo commonitus Papebrochius ſententiam mutavit, beati viri mortem anno* MXXXVI. *conſignando die 5. Junii Bollandiani. Meinvverci memoria, etſi nondum ullo cultu publico ab eccleſia decreto celebretur, ſemper tamen venerabilis fuit. Certe jam anno* MXLVIII. *Rotho epiſcopus Paderbornenſis monaſterio Abdinghoffenſi, cui tunc Vvolfgangus præerat, nonnulla delegavit,* de quibus continuum lumen ad ſepulcrum domni Meinvverci epiſcopi provideatur. *Ejus memoriam recolunt Martyrologium Buſtorfianum, monaſterii ſcilicet, quod in honorem ſanctorum Petri & Andreæ pro canonicis ædificavit, & Necrologium Abdinghoffenſe. Celebratur item à Gelenio & Theodoro de Rhay, ab aliiſque paſſim auctoribus. Sacrum ejus corpus, uti ex Overhamo diſcimus, in crypta monaſterii ſui Abdinghoffenſis, uti juſſerat, ſepultum, anno* MCCCLXXVI. *à Conrado abbate tranſlatum eſt in ejuſdem eccleſiæ chorum, ubi è terra paullo elevatum hodieque viſitur. Hac in tranſlatione caſula ejus incorrupta omnino reperta eſt. Cujus deſcriptionem ex Actis abbatum ejuſdem monaſterii retulit Brouverus, quam hic proferre nemini ingratum fore exiſtimamus.*

Caſula incorrupta.

28. Ad miraculum uſque memoria dignum eſt, quod caſulam, ſeu pallium ſacrum, quo anno Chriſti MXXXVI. amictus ſepulturæ traditur ac humatur in crypta ſancti Ste-

Digitized by Google

phani protomartyris ſub principali choro; atque ibidem trecentis & quadraginta annis in tumulo quievit beatus Meinvvercus epiſcopus, nec vermes nec putredo totum abſumpſerunt. Nam etiamnum in monaſterio noſtro hodie viſitur: quin etiam ſingulis annis, quinta die menſis Junii, quando Meinvvercus vita humana exemtus eſt, monaſterii hujus antiſtes in eadem caſula ſummum peragit ſacrum. Hinc reſtant verſus, qui, ut tunc ætas tulit, compoſiti, ciſtæ ligneæ, quæ pallium cuſtodit, præfixi ſunt: ANN. CHR. MXXXVI. DIE V. JUN.

Veſtem, quam cernis, & præſens continet arca,
Meinvverci egregii præſulis ipſa fuit.
Ut nobis veteres c. ter x l. que loquuntur,
Annis ſic latuit corpus, & ipſa ſimul.

Pallium autem hoc ſacrum ex albo Damaſceno confectum, noſtris quibus hodie utimur admodum diſſimile eſt. Nam ante & retro & in utroque latere clauſum & integrum, infra amplum, rotundum & apertum, ad imos pedes dimiſſum, ſupra foramen per quod exerere ſeſe hominis caput poſſit, habens. Fimbrias quoque habet à fronte & à tergo aureis litteris verum exoleſcentibus intextas. Hujus beati Meinvverci corporis reliquias, & caſulam præfatam, ex inferiori crypta ad ſuperiorem chorum dominus Conradus ab Allenhauſen, abbas ordine vigeſimus ſecundus transferri fecit, anno Domini MCCCLXXVI. in feſto ſancti Marci Evangeliſtæ. Tumbæ eminentiori ante annos aliquot fuit inciſum tale diſtichon, ibidem in medio chori.

Hic lapis ad ſpeciem Meinvverci ſculptus, eumdem
Plurima qui Chriſti fecit amore, tegit.

29. *Exſtat etiamnunc illuſtre Meinvverci pietatis monumentum, monaſterium ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli intra muros Paderbornenſes ſitum, quod vulgo Abdinghoffenſe dicitur. Varias, ut fert rerum humanarum conditio, paſſum eſt variis temporibus fortunas: adeo religione valuit, ut ob multos ex eo Prelatos & abbates aſſumtos ſeminarium abbatum à nonnullis appellatum fuerit; compluribus gaudet privilegiis, ipſiuſque antiſtes poſt epiſcopum in tota diœceſi primum locum obtinet. Plura videri poſſunt apud Bucelinum in Germania ſacra, ubi ejuſdem loci abbatum catalogum profert, nonnihil tamen ex Overhami notis in Vitam beati Meinvverci emendandum.*

VITA S. GODEHARDI EPISCOPI HILDESHEIMENSIS IN SAXONIA.

ANN. CHR. MXXXVIII. IV. MAII.

Auctore WOLFERO ejus æquali & diſcipulo, ejuſdem eccleſiæ canonico.

Ex cod. mſ. Compendienſi cum editis collata.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *PRÆTER ſanctum Bernvvardum, cujus vitam ſupra ad annum* MXXIII. *dedimus, habemus hoc ſaculo alterum eccleſiæ Germanicæ lumen, quod nobis ſuppeditat Hildesheimenſis eccleſia. Is eſt Godehardus, cujus acta ab auctore gravi & æquali ſcripta, Surius, Brouverus, ac tandem Bollandiani typis edidere. De hujus vitæ auctoritate nemo ambigit, quamvis de illius auctoris nomine non ſit una omnium ſententia. Brouverus quippe & Surius eam Arnoldo cuidam attribuunt, ex fide codicum aliquot mſſ. ex quibus ſe eam deſcripſiſſe teſtantur. At Bollandiani, ceterique recentiores Vvolferum ejus vitæ fuiſſe primum auctorem contendunt, ex antiquiore codice Gracienſis Abbatiæ. Præterea tomo 7. Maii in Appendice alium item codicem laudant, Bambergenſem ſcilicet, ubi idem vitæ auctor* Wolferius *diſerte dicitur. cui poſteriori ſententiæ facile aſſentimur, ſi concedatur hanc vitam, quæ à Vvolfero primitus conſcripta fuerat, poſtea ab Arnoldo relectam fuiſſe, à* Vitæ ſcriptor.

Digitized by Google

ANN. CH. MXXXVIII. IV. MAII. *quo nonnulla miracula, quæ in priori vita deſiderabantur, adjecta fuerunt. Illud opus Vvolferus magiſtro ſuo Albuino nuncupavit, quod Arnoldus pariter Menghardo inſcripſit. unde factum eſt ut in nonnullis exemplaribus Vvolferi ad Albuinum, in aliis vero, & quidem plurimis, licet recentioribus, Arnoldi ad Menghardum nuncupata inveniatur.*

Æqualis. *2. Verum hæc difficultas nullum faceſſere debet negotium, ſiquidem omnes fatentur primum hujus operis auctorem ſancto Godehardo æqualem fuiſſe, ac ſæpius cum eo, & quidem familiarius fuiſſe converſatum, quod ex toto operis contextu manifeſtum eſt, ex quo etiam apparet ejuſdem auctoris & in ſcribendo ſinceritas, & in factis diſcernendis ſollertia. Canonicum fuiſſe exinde colligitur, quod referat ſe audiiſſe Guntherum abbatem fratribus ſuis in capitulo concionantem, cum tamen ipſe cum aliis extra capitulum eſſet: quod nemini in habitu canonico capitulum ingredi Lex monaſtica permitteret. Alias tamen innuere videtur ſe vitam monaſticam amplexum fuiſſe, cum ſe in monaſterio Altahenſi educatum profiteatur, & abbatem ſuum Athelbertum appellet. Ceterum hanc vitam à poſteriori auctore nonnihil amplificatam fuiſſe conjicimus, quod in nonnullis codicibus paullo prolixior quam in ceteris habeatur. Integram vero hic eam exhibemus, ſed ita ut ea quæ non omnes codices habent includantur anſulis, ut quivis facile diſcernere poſſit, quid in omnibus, quidve in aliquot ſolummodo codicibus habeatur.*

Tranſlationis hiſtoria, &c. *3. Vitæ ſubjicimus Hiſtoriam Tranſlationis ejuſdem ſancti viri, quam auctor etiam oculatus conſcripſit: nec enim licuit omittere tanti pretii monumentum, ex quo nempe multa erui poſſunt ad hiſtoriam Eccleſiaſticam illuſtrandam. Ex his diſcimus Canonizationem ſancti Godehardi in Concilio Remenſi ſub Innocentio II. ſummo Pontifice, ubi ipſe præerat, factam fuiſſe, cujus etiam decretum refertur. quæ quidem in omnibus Conciliorum editionibus deſiderabantur. Hinc etiam patet Synodum, quæ apud Leodium ſub eodem pontifice habita eſt, Remenſem præceſſiſſe; quamvis Remenſi primus locus datus ſit à Conciliorum editoribus, qui in hoc ſancti Bernardi vitæ auctorem incaute ſecuti ſunt, ut animadvertit Brouverus. Ceterum Bernardus epiſcopus, cujus præcipue opera ſanctus Godehardus in Sanctorum Catalogum adſcriptus fuit, inſigne monaſterium in ejuſdem ſanctiſſimi Antiſtitis honorem condidit. cui ædificando primum impoſuit lapidem anno* MCXXXIII. *advocatis ex monaſterio Fuldenſi Benedictinis monachis, qui ibi ſub Friderico abbate inſtituti, hodieque Deo favente perſeverant. Sancti Godehardi obitum omnes fere ad* IV. *Maii diem referunt, nonnulli ad ſequentem: priorem ſententiam, quæ poſteriore certior videtur,*

Annus mortis, memoria, &c. *prætulimus. ſed de anno major eſt difficultas. Brouverus ejus obitum ad annum* MXXXVII. *revocavit; nos cum Henſchenio ſequenti conſignamus, quod ex actis hic relatis probari poteſt. Idem diſertis verbis habetur in Chronico Saxonico mſ. tum in Chronico Hildesheimenſi, quod Franciſcus Quercetanus tomo 3. ſcriptorum hiſtoriæ Francorum edidit. Celebris eſt ſancti Godehardi memoria apud omnes ferme Germaniæ ſcriptores, cujus nomen repræſentant paſſim ſacri eccleſiarum faſti, etſi in Martyrologio Romano deſideretur. Colitur die 4. Maii in Benedictinis. Sacrum ejus corpus in crypta ſubterranea ſub choro eccleſiæ cathedralis adſervatur, quod non impedit quominus aliæ, & quidem multæ eccleſiæ, ſe aliquot ejuſdem ſancti reliquiarum partes poſſidere glorientur.*

EPISTOLA WOLFERI ad ALBUINUM.

1. SUMMÆ reverentiæ decore venerando domino meo & magiſtro ALBUINO [a], toto ſemper devotionis ſtudio colendo, Vvolferus ſpiritu & corpore modicus, quicquid pro plurali ſubjectionis debito jure proprius. Hiſtoriam de vita & inſtitutione beatæ memoriæ patris, ac paſtoris noſtri GODEHARDI epiſcopi ſcripturus, inter ſpem & metum anxius diu multumque deliberando dubitavi; quia me ad tam arduum, ac præclarum opus imparem, minuſque idoneum non ignoravi. Nam quantum ſpe & delectatione virtutum, quas per illum Dominus oſtendit, delectatus advocabar, tantum multiplici propriæ negligentiæ conſcientiâ & metu territus, retrahebar; donec tandem Præceptorum, ac fratrum, maximeque beati viri & veri Dei cultoris ATHELBERTI abbatis noſtri juſſis, partim ſponte, partim invitus obediens, tale faſtigium attingere tentavi, tuæque clementiæ, ô præceptor nobilis, ſecretius offerendum æſtimavi; apud quem & pro erratis facilis locus eſſet veniæ, & pro demendis vel addendis, promtior & non ſuſpecta benignitas cautelæ; vel ſaltem indiffamata celeritas taciturnita-

a Brouverus & alii *Menghardo*, & infra *Arnoldus*, ut dictum eſt in obſervationibus præviis. Nonnulli codices exhibent ſolummodo primam litteram utriuſque nominis M. A.

Digitized by Google

tis æternæ. Nec etiam, Pater venerabilis, aut dedignando mireris, aut admirando dedigneris, quod tu ſolus ex generali Pontificum, Abbatum, ac Doctorum collegio, quaſi ad meæ nugacitatis inſpectionem ſpecialiter eligaris; cum & hoc prudens prædicti monitoris, & impulſoris mei induſtria providerit; maxime quia tibi pro fidei & dilectionis tuæ merito, ejuſdem Patris noſtri vita, & ante & poſt pontificalem promotionem, præ ceteris ſemper claruit; & quia ipſe tibi ſecretius ac familiarius, exemplo Chriſti ac diſcipuli quem diligebat, cordis ſui arcana præ cunctis aperuit. ideoque & me, ut prædixi, imparem, minuſque idoneum ad idem opus præſertim impulit, quod per adoleſcentiæ meæ tempora inter Herveldenſe & Altahenſe cœnobium, quaſi Oroſii [a] more, diſcurſitaverim, & primæva ejus geſta, à Chriſti fidelibus & frequenter audierim, & etiam pro parva adhuc ingenioli capacitate, libenter retinuerim. Deum ergo, qui ſecreta cordium intuendo rimatur, teſtor, me nihil in ejus memoriæ laude deſcripturum, niſi quod aut ipſe vidi & audivi, aut à verè veridicis & etiam probatis agnovi. Maxime tamen cum Altaha ſtudii cauſa exſularem, cujuſdam veterani preſbyteri, Reginoldi [b] nomine, quem & tu melius noveras, familiaritate & colloquio ſæpius utebar, & ſi Deus quandoque dignaretur, ejus veriloqua relatione adhoc ipſum inſtituebar; qui certe ei ab ipſa infantia fideli miniſterio ſemper adhærebat, eumque ſacræ eruditionis litteras primus inſtruebat, & omnia ejus dicta & facta, uſque ad monachicam profeſſionem, & etiam ad pontificalem promotionem, ipſe melius noverat.

Auctoris fides.

2. Sed & ego ſolito priſcæ obedientiæ more, ſi quid forte vel aptum, vel ineptum compilare quiverim, primò ſagacitati tuæ merito offerendum decrevi; ut certe per te errata corrigantur, hiantia ſuppleantur, ſuperflua diradantur, neceſſaria ſupponantur, &, ubi ubi deviaverim, quod fateor facile fit, ſtoliditas mea veniam conſequatur, quin & contra inſultantium irriſionem auctoritatis tantæ defenſione muniatur. Cum tamen, Deo teſte, pro hoc minime movear, ſi quis me talium elatus irriſerit, vel inurbanum quicquam conflaſſe verboſius objecerit, ut tantum ſtudioſis & Deum timentibus ſimplicem veritatis ſententiam conſtruxerim; & his qui forte, Spiritus Domini inſpiratione annuente, poſt hoc dum livor invidiæ nubila prætendens occiderit, prædicti Antiſtitis actus, & vitam condigna reverentia condecorare noverint & voluerint, rerum & temporum certum ordinem depinxerim. More ſiquidem ſagacioris canis, qui annuente venatore, vel nutu, vel ſigno emiſſus, tota die indeſinenter, & quaſi infatigabiliter laborat, non ut ſibi ſolummodo, quod nec præſumit, prædam arripiat, ſed ut jubentis domini ludicram voluntatem perficiat, rarum ſcilicet & inſolitum quiddam capiendo, unde non ſolum dominus cum ſuis domeſticis feſtivius lætetur, ſed & ſuperventuris forte amicis lautioris cænæ jocunditas reſervetur. Hujus, inquam, more me libenter laborare profiteor; non ut mihi laudem, quam in hoc non mereor, nec dignor, acquiram; ſed ut vel modernis, vel poſteris, ſicut prædixi, æternam juſti memoriam quamvis indocili taxatione proponam. Quare ergo erubeſcam me canibus, qui certe majorem & excellentiorem inter bruta animalia, dono puto Creatoris, intellectum habent, aſſimilari, cum nec Evangelica illa Chananæa erubuerit, immo & gaviſa ſit, ſe à Domino canibus comparari; nec etiam Lazarus ſpretus à divite horruerit his lingentibus conſolari! Nam quantum brutis excellentiores, tantum rationabilibus ſunt propinquiores. Nec ſaltem ſuper hoc fidelium quiſque moneatur, quod à prædictis illuſoribus fatuitati meæ objicitur,

[a] Oroſius preſbyter varia ſuſcepit itinera cauſa diſcendi. Sic miſſus eſt ab Auguſtino ad Hieronymum.
[b] Mſſ. 2. apud Boll. *Ratmundi*. alii duo, *Rumoldi*.

Ann. Ch. MXXXVIII. IV. Maii.

non decere tam præclari ac inſignis viri quaſi infimam [a] genealogiam diffamare, ſed magis, ut ipſi putant, in laudem ejus ſilendo celare: cum quilibet ſanum ſapientes, non adeo attendant vanam generoſitatis jactantiam, quam utiliorem divinæ inſpirationis prærogativam, quibus certe nemo nobilis videtur, niſi quem virtus nobilitare probatur, cum ſcriptum ſit, *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas*. Et Propheta dicit: *Dominus pauperem facit & ditat, ſuſcitat de pulvere egenum, & de ſtercore erigit pauperem; ut ſedeat cum principibus, & ſolium gloriæ teneat.* Quod in illo veraciter impletum eſſe, tota ſancta Eccleſia teſte, deſcribimus, quia eum per vias à Domino deductum rectas, & in conſpectu Regum magnificatum, cum principibus glorioſe conſediſſe, & inter principes ſapientiam locutum eſſe, & ſolium gloriæ feliciter tenuiſſe vidimus. Unde & à nullo fidelium dubitatur, quod modo in ſanctorum ordine ſacerdotum coram Chriſto proculdubio lætatur. Si ergo jam frivola loquacitatis meæ ſententia ultra licitum vel placitum ſermocinando proceſſit, quod certe timiditas omnia etiam tuta timens effecit, tu Pater & Doctor egregie, qui hoc non ſolum prædicti Præſulis memoriæ, ſed & noſtræ imperitiæ & debere crederis, & velle; tu, inquam, in quo eſt & approbandi peritia, & improbandi potentia, quorumlibet oblocutione contemta, ſapienter provideas, ut & inepta & inutilia æterna taciturnitate ſepeliantur; & profutura, Domino donante, ſine adulationis fuco proferantur. Quia ſi quid à vero diſſidet, non meæ imperitiæ, ſed tuæ imputatur incuriæ. Sed, ſi forte quid aptius erit, non mea, ſed tua pars erit, ut quidam ſe humilians ait:

Vera Nobilitas è virtute. — 2. *Cor.* 3. — 1. *Reg.* 2.

Si quid ab ore placet, laus monitoris erit.

PROLOGUS.

Matth. 5. — *Tob.* 12.

3. QUia evangelica voce veritatis præcipitur, ut lucerna accenſa non ſub modio, ſed ſuper candelabrum ad illuminationem fidelium conſtituatur; & quia ſecreta Regum celari jubentur, opera vero Dei revelanda & magnificanda jure panduntur; ideo dignum & etiam glorioſum putavimus vitam beati & venerandi patris noſtri Godehardi epiſcopi, quantum divina clementia donaverit, in exemplum modernis & poſteris proponere, & geſtorum ejus probabile magiſterium Deum timentibus exponere. Vere etiam metuimus nos culpa negligentiæ non carere, ſi patiamur ea quæ ab eo laudabilia & vidimus & audivimus, ſub ſilentio latere. Quem enim Bajoaria olim ab initio verbi Dei vomere exculta, & ſacræ fidei ſemine ſufficienter fœcundata, verum religionis eruditorem, nobis quibus opus erat medicus, concedente Chriſto tranſmiſit: nos Saxones vel certe Saxigenæ, & ut vera nobis, prô dolor, inſultationis irriſione objicitur, verbo Dei diu indomabiles, periculo non caremus, ſi ejus gloriam domeſtica deſidia obdurante ſilendo negligimus.

INCIPIT VITA.

4. IGitur ſeptingenteſimo quadrageſimo-primo Incarnationis Domini anno, quo [b] Karolus primus filius Pippini primi, filii Anchiſi, filii Arnulfi, ex hac vita demigrans filiis ſuis Carolomanno & Pippino regnum

[a] Sic Bollandus, & quidem rectius ad Auctoris ſenſum, qui hic de S. Godehardi familiæ obſcuritate loquitur; Brouverus autem & codex noſter habent *intimam*. Ceterum ex hoc loco rejicitur Crantzii & aliorum quorumdam ſententia, qui Godehardum ex Bavariæ Principum familia oriundum putarunt.

[b] Hic auctor Carolum Martellum appellat Carolum I. licet enim Regis nomine uſus non fuerit, omnia tamen ita penes ipſum erant, ut regnum filiis ſuis reliquerit eodem modo adminiſtrandum, donec tandem exauctoràto Childerico, Pippinus nomen Regis, quod re jam habebat, aſſumſit.

Digitized by Google

reliquit, quo etiam ſequenti anno iſte Pippinus Carolum magnum genuit, initium [a] Altahenſis monaſterii à Chriſti cultoribus ſapienter incœptum, & in religione monachicæ inſtitutionis feliciter eſt perfectum [b], ante diſtributionem Epiſcopiorum, quæ decimo poſt anno in Bajoaria à ſancto Bonifacio Archiepiſcopo eſt facta, ex decreto Zachariæ Papæ, & conſenſu Pippini Regis, cui ante tunc temporis triennium frater Carolomannus Romæ tonſoratus & monachizatus hereditariam partem regni & proprietatis dimiſit, quando Vuillebaldo Eiſtad, Johanni Salzeburk, Eremberto Friſingge, * Gaibaldo Radiſbona commendatur, & Chriſtiana religio ibidem digne Deo corroboratur; in prædicto certe cœnobio ſervimen Chriſti ab initio feliciter ſuccrevit, & per centenos ferè annos in monachico propoſito laudabiliter profecit uſque in deteſtabilem illam diſſenſionem, quæ cœpit inter Ludovicum imperatorem filium Caroli Magni, & filios ejus Ludovicum, Lotharium & Carolum; ac deinde Imperatore defuncto inter ipſos fratres, per multos annos, ut Chronica teſtantur, permanſit. In ea ergo tempeſtate eccleſiæ plures deſpoliabantur, cœnobia diſturbabantur: inter quæ & ejuſdem Altahenſis eccleſiæ proprietas ibidem à fidelibus collata, & eotenus inconvulſa diripiebatur, & huic ſceleri militantibus, juxta debacchantium voluntatem, beneficii, immo maleficii cauſa dividebatur. Hac enim neceſſitate monachica ibidem norma defecit: ſub regula tamen Canonicorum idem locus uſque in tempora piæ memoriæ [c] Henrici Ducis, quem poſtea Imperatorem vidimus, item per centum annos perſtitit. Quod & Otto pius rex filius regis Henrici Saxonii ſæpius decrevit in aliquibus locis redintegrare; ſed plurali infortunio obſtante, maxime tamen fratris ſui Henrici Ducis Bajoarici machinatione præpediente, non potuit perficere. Qui certe ſibi in prima regali ordinatione in præſentia patris ac principum quaſi jocularia indignatione ſe nobiliorem jactitans reſtitit, & in eadem vana voluntate ſemper contra fratrem Regem privatim & ſubdole, contra filium Regis * Ludovicum, ut Bajoaria adhuc teſtatur, publice perſtitit.

a b Altahenſis monaſterii initia.

* Garibaldo.

Deſtruitur.

c

* alii Ludolfum.

5. Præclaræ igitur indolis puer, Godehardus nomine, juxta Altahenſe monaſterium ex ejuſdem eccleſiæ familia, in villa Rithenbach diœceſis Patavienſis, à vere Chriſtianis piis & honeſtis parentibus, feliciter natus eſt & enutritus, ſtudiis litterarum adhuc infantulus contra intentionem quodammodo parentum ſuorum, ſe tradidit. [[d] Erant ſcholæ quas viſitavit, prope monaſterium Altach, trans flumen Danubium. Cum autem mane ſurgens ſanctus puer, gratia viſitandi ſcholas veniret prope Danubium, quod pons ibi non erat, ut poſſet fluvium pertranſire, Deo dante, vadens ad ſcholas, aut inde rediens, quemdam reperit qui ſibi per flumen continuum & ſanum præbuit conductum.] In eodem monaſterio puer prædictus fideliter à parentibus oblatus, à Fratribus devote ſuſceptus, litteralis ſcientiæ hauſtum Domino tribuente laudabiliter imbibit, & divinæ legis notitiam pro parvulo adhuc ætatis ingeniolo libenter accepit, juxta quod dicitur, Facillime diſcitur, ubi Spiritus Dei doctor adeſt. [Cœpit namque ſanctus puer, in primævo ætatis, ſeu juventutis ſuæ flore vanitates declinare, atque levitates evitare, magis eligens jugum Dei ſubire, & virtutum tramites adire, quam vanitatibus hujus mundi, ut illa ſem-

S. Godehardi ortus.

d

Monaſterio Altahenſi à parentibus offertur.

a Monaſterium Altahæ inferioris in Bavaria in Epiſcopatu Patavienſi, quod perſtat etiamnunc ſub Regula S. P. N. Benedicti.

b Editi habent, *feliciter eſt perfectum quindecim fere annis, ante diſtributionem Epiſcopiorum, quæ poſt annum in Bajoaria à ſancto Bonifacio Archiepiſcopo facta eſt.* Mſ. autem Græcienſe in Notis Bollandi ſic habet. *A S. Pirminio & domino Odilone Duce Bauvarico, aliiſque Chriſti cultoribus ſapienter incœptum, & in religioſa monaſtica inſtitutione feliciter eſt perfectum, ante diſtributionem Epiſcopiorum, quæ decimo poſt anno in Bauvaria à ſancto Bonifacio, &c.*

c Is eſt Henricus è Bavariæ Duce imperator, ſanctitate celebris.

d Hoc miraculum deeſt in noſtro mſ. codice, ſicut & alia multa, quæ ſuis locis includuntur anſulis.

Digitized by Google

ANN. CH. MXXXVIII. IV. MAII. per aſſolet ætas: cœpitque de bono in melius, de meliori in optimum non ſegniter ſe transferre. Ob hoc ſemper terebat eccleſiæ limina, ut ibidem hauriret ſacræ legis flumina, ut exinde mentem ſuam inebriaret ſitibundam. Aderat ei Dei timor, ipſum ab omni retrahens laſcivia puerili. Sic igitur ſe omnibus exhibuit, ut organum quoddam Spiritus-ſancti eſſe veriſſime appareret. unde & factum eſt ut in habitu ſæculari, quo inter Religioſos manebat, multos de Religioſis in vitæ ſanctitate pelliceret evidenter.

6. Cum autem bonam moribuſque honeſtis hujuſmodi vitam laudabilem in dicto monaſterio Altach per aliquot annos peregiſſet; & adoleſcentiæ annos attigiſſet, & vitæ ſanctæ fama per totam Bavariam ſe dilataſſet] eo tempore beatus vir Chriſtianus [a] Pataviæ Epiſcopus idem monaſterium beneficii cauſa gubernavit tempore Henrici ducis prioris. Et Fratres ibi in divino ſervimine coadunati, poſtquam ejuſdem pueri laudabilem in timore Dei indolem cognoverunt, eum [Patavienſi epiſcopo, qui tunc idem monaſterium beneficii cauſa gubernavit, eum commendando notificaverunt. [b]] Quo ille audito ut certe erat prudentiſſimus Deo gratias retulit: illumque inde eductum in ſuam familiaritatem aſſumſit. Quem ubi de virtute in virtutem, gratia Chriſti provehente, ſcandere cognovit, amplius eum pro collata divinitus induſtria gratulans amavit, [ac Cancellariæ ei officium commiſit, in quo officio talem ſe exhibuit, ut divinæ organum ſapientiæ ſe omnibus exhiberet,] ac per triennium ſecum per diverſa expeditionum, ceterorumque commeatuum difficiliora itinera, quaſi prætentandi gratia circumvexit; & ſacræ fidei ac religionis catechiſmo devotius inſtruxit. [Timuit autem ſanctus juvenis Godehardus, ne quid in tantis quibus præpeditus erat negotiis, vanum illaberetur animo: ideo à dicto Patavienſi recedendi petita licentia, & vix obtenta, is] eum ejuſdem cœnobii fratribus in ſupplementum divinæ ſervitutis obnixe repetentibus; ſubdiaconii gradu decoratum remiſit. Qui ibidem in ſanctæ converſationis ſtudio de die in diem per adoleſcentiæ tempus ſagacius invigilans, communi etiam fratrum commodo & utilitati devotius intendens, majores ſcilicet juxta Apoſtolum, honore præveniendo, coævos juſtis exemplis adhortando, ſubjectos ſacris ſæpius monitis ad meliora ſollicitando; & ita divina clementia comitante, in brevi veræ religionis diſciplinam ad integrum conſecutus, diaconii quoque honore ſublimatus, eidem monaſterio, ut verè poſt patuit, Deo prædeſtinante, Præpoſitus eſt conſtitutus.

7. Anno deinde poſt partum Virginis nongenteſimo octogeſimo-octavo [c], Ottone imperatore ſecundo, poſt periculoſiſſimum & etiam infeliciſſimum Calabriæ bellum, adhuc per orbem terræ clade & infamia notiſſimum, ex hac vita ſublato, & Romæ cum ſummo totius *Chriſtianiſmi* mærore, ſatis tamen honorifice ſepulto; poſt inconſideratam [d] Merſburgenſis epiſcopatus deſtructionem, & poſt innocentem juxta vocem populi

a Bollandus habet, *Fridericus Juvavenſis*, id eſt Saliſburgenſis, Archiepiſcopus, & quidem rectius, ut ipſi videtur, quod Hundius Tom. 2. Metrop Saliſburgenſis ubi de monaſterio Altahæ inferioris, referat Godehardum à Friderico Saliſburgenſi Archiepiſco, qui tunc Altach in beneficio habebat, Acolythum ac deinde Subdiaconum ordinatum fuiſſe, atque etiam Canonicorum præpoſitum. quæ omnia hic de Chriſtiano dicta non ſatis cohærere exiſtimat, cum ipſe anno CM. XCI. Patavienſis Epiſcopus electus ſit, quo tempore jam Erchambertus monaſterium Altahenſe adminiſtrabat, qui hujus loci regimen anno CMXC. iniiſſe dicitur apud eumdem Hundium loco laudato.

b Sic cod. Bodec in Appendice Bolland. ceteri, *eum notitiæ pontificis intimaverunt*.

c Legendum eſt *octogeſimo-tertio*. quo defunctus eſt Otto II.

d Hanc eccleſiæ Merſburgenſis deſtructionem fuſius exponit Dithmarus libro 3. Cujus bona ad diverſos diſtracta ſunt, ipſaque privata ſede epiſcopali Halberſtadenſi eccleſiæ ſubjecta fuit, Abbatiâ in locum Cathedralis eccleſiæ erectâ. quod ad annum MV. perſeveravit. Tunc enim, ut idem habet Dithmarus libro 6. Henricus Rex anteceſſorum ſuorum nævum cupiens emendare, Epiſcopatum Merſeburgenſem inſtauravit, & Vvigberto ſuo capellano dedit, quem poſtmodum multis bonis locupletavit.

Geronis

Digitized by Google

Geronis comitis necem prædictus Henricus Dux Bajoariæ, pater Henrici Imperatoris, ab Imperatore patruele certe ſuo, ante ſeptennium ob infidelitatem & tyrannidem quam contra eum paterno more exercuit, ab honore ſummotus. Tunc occaſione vindicandi * in ſpem regnandi, arrogantiæ furore incaſſum elatus, herilem filium dignum Dei ordinatione regni heredem opprimere, ſemetque in Monarchiam regni ſuadente ſeductore, conatur erigere. Cujus tamen nugalis machinatio à primoribus regni Deum ſane timentibus, & maxime à Vvillegiſo Metropolitano Maguntiaco & Bernardo duce Saxonico pacifice ſedatur, eique poſt multa apta & inepta quæ modo melius ſilentur, quia in Chronicis plenius continentur, priſcus ducatus redonatur. In proximo autem natalis Domini die, Otto puer coronam regni à prænominato Metropolitano honorifice percepit, & in omni eccleſiaſtica perfectione feliciter more avito creſcere cœpit. Cujus quidem laudabilis induſtriæ initiale fuit indicium, quod ſeptimo ſuæ ordinationis anno ſæpe dictum Altahenſe monaſterium Epiſcoporum conſilio, auxiliante demum Duce præfato, in priſtinum monachicæ religionis reformari fecit ſtatum.

* *Boll.* juſtitiæ.

8. Quidam igitur venerabilis vir, ERCHEMBERTUS nomine, illic Abbas præponitur, per quem, auxiliante Domino, divinum ibi miniſterium juxta regulam ſancti Benedicti religioſe diſponitur. Ad cujus ſtatim ſaluberrimam ammonitionem promtæ obedientiæ juvenis Godehardus, corde & animo à ſæculi vanitate converſus, cum aliquantis ejuſdem loci fratribus monachus eſt factus, anno, ut ipſe ſæpius nobis intimavit, ætatis ſuæ triceſimo-primo, pluribus tamen ex eodem cœnobio, ut non ignotum poſtmodum memoriæ, fratribus digredientibus, inter quos erat quidam T. [a] quem poſtea Mindenſis Eccleſiæ epiſcopum vidimus. Sed novellus novæ religionis tyro adoptatus melioris vitæ tyrocinio, ut in priori propoſito ſolebat, toto cordis ac mentis affectu ad cæleſtem aulam anhelabat; adeo ut novus præceptor novo auditori, quod certe in talibus inſolitum eſt, conſiderata ejus * probabilitate omnem divini ovilis curam poſt ſe penitus commendaret, eumque ſibi in ſpiritalis exercitii filiationem ſingulariter præoptaret. [Erat enim caritate fervidus, in labore ſtrenuus, in oratione devotus, meditatione profundus, contemplatione ſuſpenſus, corpore honeſtus, corde mundus, ſibi rigidus, defectibus aliorum compatiens, humilitate præcipuus, in paupertate lætus, & in vera nitidus caſtitate.] Qui tamen prædictus Abbas poſt triennium vel cauſa infirmitatis, vel tædio curæ ſæcularis idem regimen reliquit, & ad ſecretioris vitæ ſolitudinem in conſpectu interni Arbitri vacare decrevit.

Monaſtica religio Altahæ reſtituta.

Quam profitetur ſanctus Godehardus. [a]

* *Bol.* probitate.

9. His etiam diebus prææmemoratus Bajoariæ dux obiit, cujus loco pius Henricus filius ejus ſurrexit, non patris inſolentiam, ſed initium ſapientiæ timorem Domini pleniter ſecutus, quia erat omni litterarum ſtudio principaliter imbutus, & totus ſane fide & actu catholicus. Qui ſtatim in divini famulaminis cultu ſuccenſus, prænominatum cœnobium iterum ſpirituali privari paſtore indoluit, & eumdem Godehardum tunc preſbyterum, Abbatem ibi præponere voluit: cui ille per biennium juſta ſatis excuſatione reſtitit, quia ſedem & locum Paſtoris ſui ipſo ſuperſtite uſurpare non debuit. Sed poſtquam Abbas à fratribus & etiam ab Epiſcopis

S. Henricus Dux Bavariæ.

Godehardum Altahæ præficit.

[a] Sic codex Compend. Brouverus tamen & Henſchenius die 4. Maii Bollandiani habent *Thietmarus*. Henſchenius aliquid in textu deeſſe ſuſpicatus puncta interpoſuit, cum his voculis *ſed non*, quæ nec apud Brouverum, nec in noſtro exemplari habentur *eccleſia... ſed non epiſcopum*. Idem laudat codicem Græcienſem qui hunc locum ſic exhibet: *quidam Dietricus quem, &c.* ſed hanc lectionem rejicit, quod nemo occurrat, ut ipſi viſum eſt, tunc temporis epiſcopus Mindenſis hoc nomine donatus. Hanc tamen ſinceram eſſe lectionem veriſimilius exiſtimo, nam in Chronico Saxonico quod penes nos habemus mſ. ad annum MXXII. habetur *Theodericus Mindenſis præſul* XI. *Kal. Martii deceſſit*, qui proculdubio hic memoratur. nemo enim neſcit, *Dietricum & Theodericum* idem eſſe nomen.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXXXVIII. IV. Maii.

vocatus revenire recuſavit, eiſque licentiam quem in locum ejus vellent ſubſtituere mandavit; tandem epiſcopali auctoritate, & fratrum unanimitate victus idem regimen juxta ducis decretum ſuſcepit. Qui ſtatim in exordio ſuæ promotionis totum ſe Chriſto vigilanter mancipavit, & diſtrictiorem regularis vitæ tramitem cum conſociatis ſibi fratribus ingredi anxie curavit, & in tali ſtudio ſe ibidem per octo annos indeſinenter exercuit, & præter hoc tamen manuali labore multiplicem fructum ac neceſſariam utilitatem acquiſivit. Qui & ibi in monte quodam, qui Helinhgeresberg [a] dicitur, Caſtellum firmum & in eo eccleſiam pulcherrimam in honorem ſanctæ matris Chriſti Mariæ, in cujus ſpeciale ſervimen futurus erat, cum condecenti ædificio conſtruxit; & circumquaque, maxime in ſaltu Boëmico, qui eidem provinciæ proxime adſtat, ad triginta & eo amplius manſos labore tantum manuum cum fratribus Apoſtolico exemplo ſilvis & vepribus erutis, ad uſum utilitatis inibi Deo ſervientium reformavit. Interim MII. Incarnationis Domini anno, nobilis imperator Otto tertius ex vita hac, immatura morte diſceſſit, in cujus regnum prædictus Henricus dux omni pietate perſpicuus ſucceſſit.

Monaſterii Herveldenſis miſer ſtatus.

10. Erat in illo tempore in [b] Herveldenſi monaſterio ſancti Wichberti B. abbas [c] venerabilis genere & dignitate memorabilis; qui tamen, ut ſalva * pace dicatur, ultra ſui propoſiti ordinem, humano more popularis famæ laudi intentus, ejuſdem cœnobii fratres forte aliquando debita converſatione fovit indulgentius, ita ut more Canonicorum proprietates ſibi tam in privatis ædificiis, quam & in equis, & cultioribus quoque plurimis veſtimentis, ac ceteris mundanæ gloriæ pompis vendicarent, & licentiam quoque dandi & accipiendi cum illicitis ac ſuperfluis conviviis ceteriſque talibus uſurparent. Quo ſcilicet Abbate biennio ante finem ſui ægrotante, & ultra Fuldam flumen in monte, quo ipſe monaſterium in honorem ſancti Petri apoſtoli conſtruxit, cum militibus ac ceteris ſibi familiaribus refrigerii lenitate commorante, fratres indignatione permoti & quaſi à patre contemti, ad Regem tam per ſemetipſos, quam per litteras ac legatos ſæpius diverſas querimonias dirigunt, ſibi victus & veſtitus denegari neceſſaria, & illis cum ceteris Chriſti pauperibus eſurientibus, res eccleſiaſticas per vana & inutilia prorſus diſſipari. Quam eorum querimoniam Rex ſapiens altius quam ipſi opinarentur intelligens, ſed & vitam illorum non neſciens, diutius diſſimulando diſtulit; ſed ad poſtremum importunitate eorum devictus, modificato ſermone reſpondit, libenter ſe patrem eorum, ſi Dei dono convaluerit, de talibus ammoniturum, ſin vero obierit, eis immo & ſibi in præponendo paſtore in divinis & humanis, ſapientum conſilio juxta timorem Domini proviſurum.

* al. in.

Reformandum ſancto Godehardo traditur.

11. At memorato Abbate paullopoſt defuncto, prædictum Godehardum eis patrem gubernatoremque Epiſcoporum conſilio præpoſuit, quem etiam ut in omnibus eis juxta timorem Domini, & monachicam religionem provideret ſollerter præmonuit. Qui illuc per Willegiſum Archiepiſcopum perductus, & per eum etiam, ſicut Deo gratias optime noverat, ad bene faciendum ſapienter inſtructus; in primo adventu gratias divinæ pietati referens, ejuſque directionem in præteritis, præſentibus & futuris ſollicite quærens, primitus eis juxta regulare præceptum duriora & aſpe-

a Jacobus Gretſerus ad calcem vitæ S. Henrici, in libro de divis Bambergenſibus, varia edidit diplomata in gratiam monaſterii Altahenſis, cui tunc S. Godehardus præerat. Quintum eſt de villa *Helingerſperge* datum anno MIX. apud Merſeburg.

b Hersfeldiæ monaſterium celeberrimum Ordinis noſtri in Haſſia, ubi corpus ſancti Wigberti depoſitum fuit.

c Sic hujus abbatis nomen in cod. noſtro exprimitur, Brouverus & Bolland. *Bertholdum* appellant. codex Græcienſis, ut notat Henſchenius, *Bernhardum*, quæ videtur germana lectio. etenim Chronicum Saxonicum mſ. hanc Godehardi in Herveldenſis monaſterii regimen inſtitutionem ipſiſmet hujus vitæ verbis referens, *Bernharium abbatem* appellat. codex Bodec. in Append. Boll. habet *Berinherius*.

Digitized by Google

Ann. Chr. MXXXVIII. IV. Maii.

riora mandata propoſuit, & licentiam eis ad preces Metropolitani, aut ſecum hæc celebrandi, aut quo vellent diſcedendi contribuit. qui ſtatim unanimiter conſpirati ſimul omnes, paucis tamen ſenioribus vel puerulis remanentibus, egreſſi, per diverſa loca varie ſunt diſperſi; quos tamen poſtea ſaniori conſilio, & eorumdem qui remanſerant certe induſtriam ejus ac manſuetudinem intelligentium auxilio, quoſdam citius, quoſdam vero ſerius, pæne omnes ad ovile revocavit, eoſque ſub levi jugo Chriſti facile, Domino gubernante, coadunavit. Civitatem vero ipſam & clauſtrales cohabitationes à ſuperfluis & ineptis pluribus ædificiis ilico purgavit, & in condignam monachicæ neceſſitatis habitudinem honeſte reformavit; & cum inibi inventis & aliunde acquiſitis fratribus, in eodem cœnobio per ſeptem annos Deo digne & hominibus laudabiliter miniſtravit. Commendata ſunt ei & alia duo monaſteria, Degarenſe & Cremenſe [a] quæ pari quoque diligentia in Chriſti ſervimine gubernavit.

Boll tantum.

Item Tegernſenſe & Cremenſe.

12. Iiſdem temporibus fuit in Thuringiæ partibus quidam vir nobilis, dignitate, & meritis illuſtris, nomine [b] GUNTHERUS, qui pro delictis juventutis ingemiſcens, & conſiderata diligentius actuum ſuorum qualitate, faciem Domini in confeſſione præveniens; ſed propriæ diffidens imbecillitati corporis & animi [Herveldiam ad novum Abbatem digne, ut poſtea patuit, pœnitendo acceſſit, eique omne ſecretum cordis ac voluntatis ſuæ funditus aperuit. Quem Abbas juſte in Deo timoratus, blanda conſolatione, & condigna etiam proviſione, pœnitentem ſuſcepit, & ad monachicam uſque profeſſionem ſaluberrima ſui commonitione Domino cooperante, convertit. qui ſtatim] ad penitus abdicanda quæcumque ſunt ſæculi, multiplicem ſuæ hereditatis proprietatem quam acceperat à progenitoribus, ſancto Vuichberto cum conſenſu heredum ſuorum firma traditione delegavit, primitus tamen, ſub teſtibus teſtamento pactus, ut monachus factus monaſterium, quod [c] Gelinge dicitur, victus & veſtitus gratia, ipſe poſſideret, ac fratribus illic Chriſto ſervientibus ſecum inde neceſſaria provideret. Sed Abbas prudenti pertractans conſilio homini noviter converſo talem pactionem in via mandatorum Dei maximo futuram eſſe periculo, & plus inde per dies animæ naſci diſpendium quam corporis ut putabat ſubſidium; interim illum provida mente ab incœpto ſuſpendit, & laïco habitu adhuc uſum ad Altahenſe monaſterium ſecum perduxit. Ibidem vir prædictus corde tenus compunctus petiit ab Abbate, ut ante profeſſionem liceret ſibi Romam petere & Apoſtolorum Chriſti, aliorumque Sanctorum interceſſionem pro tranſactæ vitæ deviis, & pro novæ vitæ ingreſſu quærere. Quo permittente it, & redit, tandemque ante altare ſancti Mauricii [d] cingulum deponens, caput & barbam totondit, & facta de more petitione ſuſceptus ac aliquamdiu regulariter probatus, ab eodem paſtore monaſticæ vitæ habitum eſt adeptus.

Güntherus Hersfeldam ſecedit.

Fit monachus Altahæ.

13. Verum poſt votum profeſſionis non immemor ſuæ quam præſcripſimus pactionis, adiens Abbatem licentiam petit patriam repetendi, & locum quem pepigerat juxta condictum incolendi. Quod pius pater interim conſenſit, nolens eum obſtinata contradictione ab affectu quamvis iniquo

Gellingæ præficitur.

a Boll. *Tegerenſe & Chremſenſe.* Utrumque etiam nunc ſupereſt ordini Benedictino addictum. Primum *Tegernſe*, vulgo à lacu vicino dictum, in Bavaria ſuperiori, cujus abbas inter Principes Imperii locum habuit, ut patet ex privilegio Ludovici IV. anno MCCCXXI. dato: alterum vero in Auſtria ſuperiori *Cremminſter* dictum, ob ædificiorum magnificentiam, &c. celeberrimum. *Monaſterio ſancti Quirini quod ſitum eſt in loco qui nominatur Tegrinſe*, duos manſos dedit S. Henricus Imp. ad petitionem *Chunigundæ* ſuæ conjugis & Gotehardi abbatis, cujus diploma anno MXIX. datum, edidit Gretſerus ad calcem vitæ S. Henrici.

b De Günthero agendum infra ad annum MXLV. ubi vitam ejus exhibebimus.

c Gellinge monaſterium, quod olim erat in Turingia. Ibi Arnoldus, S. Godehardi in Hersfeldenſi regimine ſucceſſor, obiit anno MXXXI. ex Lamberto Scafnaburgenſi.

d Sic Bolland. cui conſentit vita ſancti Guntheri. Codex autem noſter cum Brouvero & aliis mſſ. *S. Mariæ.*

Ann. Ch. MXXXVIII. IV. Maii.

prohibere, donec ratione dictante illicita cupientem animum paullatim poſſet mitigare. Venienti igitur ad locum Gelinge dictum, & diſponenti neceſſitates ibidem commanentium, ex occultis tentatoris inſidiis, Deo ut certe credimus ad exemplum beati Job permittente, multa & varia ei occurrerunt incommoda, pro quibus dum ipſe ſcilicet antea paupertatis ac laboris inſolens ad Abbatem ſæpius queritando confugeret, ejuſque pro talibus conſilium & auxilium anxie perquireret, ſollicitus pater fluctuationem mentis ejus profunde proſpiciens, & ſubſecuturam forte cordis mutabilitatem vehementer pertimeſcens, blanda interdum conſolatione & ſuaviloqua commonitione mæſtitiam ejus mitigans; interdum vero juxta Apoſtolum arguendo, obſecrando, increpando, oportune, importune nutantem ejus animum caſtigans, ad viam ſalutis eum reducere ſtuduit, quod tamen adhuc modicum profecit. Sed cum in hac altercatione ſæpius luctarentur, & in hujuſmodi moleſtia ambo crebrius fatigarentur, illi iterum quadam die ſuæ ſollicitudinis querelam ſuggerenti, vir Dei debito juſtitiæ zelo permotus, turgente, ut aïunt, pulmone reſpondit, aut in promiſſa obedientiæ ſtabilitate Deo devotius ſerviret, aut certe ad ſolitam ſæculi vanitatem laqueis iterum ſatanæ irretitus, abjecto habitu rediret. Ad quam vocem ſtupefactus auditor intremuit, & erroris ſui nimietatem ſero tandem perhorreſcens ingemuit [a], omni prædicta pactione corde tenus oblita, & tota cujuſcumque incommodi querimonia abolita, ad Altahenſe monaſterium, ubi tunc ſub ejuſdem patris cura, ut in gratia omnium loquar, ſingulare divini cultus ſtudium fervebat, ſe contulit, & illic fratribus humillime ſubjectus, & in ſacræ religionis diſtrictione pleniter in brevi tempore divini roris infuſione inſtructus, ultra regulare præceptum ſemet etiam Prælatis admirantibus afflixit.

Altaham redit.

14. Tertio namque ſuæ converſionis anno in prædicto Boëmico ſaltu eremum petiit, in qua ad triginta ſeptem [b] annos in ſtudio ſanctæ religionis & in ſumma veraciter diſtrictione ſpontaneæ paupertatis, cum ſibi commanentibus vixit. Annona denique eorum erat ſimplex & modica, agili ſtudio [c] à Rege Ungarico & de Bohemia & Polonia, necnon & ceteris diverſis provinciis ſimul cum veſtitu conquiſita: de potu, ut omnibus notum eſt, nihil prorſus ibi niſi ſola aqua habebatur, & ipſa etiam hoſpitibus ad ſufficientiam, fratribus vero ad menſuram dabatur. Nam litteras omnino frater ille, niſi tantum Pſalmos, non didicit, & tamen omnem rationem & intellectum Evangelii, legis & prophetarum & hiſtoriarum quoque, ex crebra fratrum relatione, & etiam avidiore verbi Dei exauditione mirabiliter percepit; adeo ut ſæpiſſime obſcuriora [d] myſticæ intelligentiæ interdum jocando, interdum vero ammonendo ſtupentibus auditoribus proferret. Quod nos quidem qui eum familiarius novimus, frequenter audivimus, præcipue tamen cum in ſumma ſua feſtivitate, in nativitate ſcilicet ſancti Johannis Baptiſtæ ſpecialis ſui patroni, ſermoni ejus affuimus, quo in capitulari collatione eodem die fratres ſuos ammonebat: dum eos de ejuſdem patris vita & moribus, victu & etiam veſtitu, & operibus ad paupertatis ſuæ Domino Deo placitam tolerantiam inſtruebat. Verum enim dico & coram Deo non mentior, quia omnes pæne qui aderant eidem ſermoni, ad uberrimam lacrymarum effuſionem dono Dei ſunt compuncti. Aſſedit ibi venerabilis Abbas Altahenſis Ratmundus cum pluribus ſui cœnobii fratribus, & aliis inſuper multis hoſpitibus, præ-

Secedit in eremum.

Nota.

a Codex Bodec. apud Boll. in Append. Maii addit: *ſed & hanc cauſam pio imperatori Henrico per ordinem Abbas totum ſecretius intimavit, &c.* quæ habentur in ipſa Guntheri vita, ab eodem Wolfero hujuſce Godehardi vitæ ſcriptore edita, quam infra habes ad an. MXLV.

b Idem codex & Bamberg. *ferme triginta ſex annis.*

c Sic iidem mſſ. alii, *erat varia vario certe ſtudio.* Brouver. & cod. Compend. infra, *Vngarico de Bochin & Poliam & ceteris.*

d Cod. Bamberg. *ut nonnumquam obſcuriora quaque.*

Digitized by Google

ter nos quos in canonico habitu illuc ingredi religio vetuit, quos tamen fratrum familiaritas & maxime Abbatis licentia circumquaque ad feneſtras, concionatore ignorante, clanculo collocavit. Erat enim, ut de ſancto Benedicto dicitur, quem poſt Deum vita & moribus ſequebatur, & ſcienter neſcius & ſapienter indoctus.

ANN. CH. MXXXVIII. IV. MAII.

S. Greg. l. 2. Dialogor. cap. 1.

15. Beatus igitur Godehardus ſenio & labore jam feſſus, & etiam tædio ſæcularis curæ repletus, annuente Rege Herveldenſe regimen illuſtri viro ARNOLDO ſuo prius eo loci præpoſito, & BERTHOLDO [a] æque venerabili ſuo primicerio Dagarenſe commendavit; ſicque ad Altahâ remeavit, ubi, ſi Deo tantum placuerit, in finem vitæ ſuæ in debito cœptæ religionis ſtudio perſeverare decrevit. Idem enim monaſterium omni devotione, ut vel hodie ibi liquet, adornare ſtudebat, libris ſcilicet & pretioſiſſimis miſſalibus, indumentis, ceteriſque variis & utilibus eccleſiaſticis ornamentis; maxime tamen, quod & ubique notiſſimum eſt, plurimos in eodem cœnobio fratres ſcientia & moribus illuſtres enutrivit, quos poſtea inter diverſa monaſteria, patres & doctores, Regis ac Epiſcoporum petitione diſpertivit. Sed cum jam in laborioſa, ſibi tamen placita, illa ſua quiete per decem annos in hujuſmodi ſtudio pauſaret, totaque cordis intentione in regione vivorum Domino placere diurnis nocturniſque ſuſpiriis præoptaret, mirabile tandem ſomnium vidit, ut ipſe nobis ſæpius intimavit, poſt quam certè viſionem ſe de hoc mundo quo Deus juſſerit, obiturum non dubitavit [b].

S. Godehardus regimẽ Hersfeldiæ, &c. dimittit.

16. Quadam igitur nocte, ut ſemper per triginta jam annos conſuevit, poſt primam tantum noctis quietem eccleſiam ingrediens, pſalmodiæ ceteriſque talibus officiis intentus, pernoctabat; ſed & poſt matutinas in incœpto decreto perſtabat: jamque aurora irradiante, modice dormitans cubiculum intravit, ſeque ſuper ſcamnum tantum inclinans, hujuſmodi ſomnium vidit. Nam oliva pulcræ magnitudinis, ibi in clauſtrali atrio ſtabat, & putabat ſe ſub eadem arbore lectionis ſtudio ſedere, & ad ſe quaſdam graviores & ignotas perſonas accedere, quæ ſe à Rege illo miſſas aſſererent, ut eamdem olivam ſuffoſſam, ſibi in regale ſervimen deferrent. Nec mora ut ſibi videbatur, ſecures & foſſoria arripiunt, eamque ſumma feſtinatione exſtirpare contendunt. Sed quanto altius infodiunt, tanto denſiorem radicum tenacitatem inveniunt. Quod ipſi videntes, feſtinationis cauſa admotis ſecuribus radices ſecando præcidunt, ſicque evulſam arborem ſecum auferentes diſcedunt, & ſtatim, ut æſtimabat, ex relicta radicum denſitate innumera & ſpecioſa virgulta ſuccreverunt, quæ etiam totum atrium ſua multiplicatione repleverunt, ita ut & vulgus diverſi ſexus & ætatis acceſſerit, & de iiſdem fructetis plantaria plura evellens per rura & compita diſſeminaverit. At ille evigilans eccleſiam ſtatim intravit, totumque ſe ſe, cogitatum ſuum in Domino jactans, divinæ clementiæ attentius commendavit, quia ſe poſt idem ſomnium diſceſſurum certius [c] æſtimabat. Quod tamen ſapiens quique alia evidenter portendere patenter intelligit, qui multiplicem doctrinæ illius numeroſitatem ſollicite perpenderit, & illic in prioris religionis exercitio relictam, & poſtea ubique per diverſa divini roris dogmata ſalubriter diſperſam.

Ejus ſomnium.

17. Quandoquidem [d] beati viri vitam non propria ſcientia quæ certe nulla eſt, ſed divina clementia favente, ab exordio hactenus per multa

Prologus ſecundæ partis.

a Codex Græcienſis habet *Parchardo*. In noſtro autem exemplari prima ſolum hujus nominis littera B. habebatur, ſicut & ſupra pro *Arnoldo*, A.

b Bamberg. *propter quod ſe de hoc mundo tranſiturum certiſſima viſione putavit.*

c Bamb. *quia ſecundum illud ſomnium ſe inde diſceſſurum citius exiſtimavit.*

d Hic incipit ſecunda pars Vitæ ſancti Godehardi, ſcilicet de ejus epiſcopatu, in nonnullis cod. & apud Brouverum, ubi hujus numeri initium ad hæc verba. *Anno*, &c. veluti præfatio quædam *ad Defenſorem* inſcribitur. Is autem alius non eſt ab eo cui primam partem nuncupavit, ut ex ejus lectione patet.

ANN. CH. MXXXVIII. IV. MAII.

laudabilia deſcripſerim, gratias pro ſcire condignas eidem clementiæ refero, tuumque venerande Pater auxilium, quem à fine uſque in finem in omnibus & in hoc præcipue negotio eruditorem, defenſorem, correctoremque præelegi, tuum inquam, tuique ſimilium auxilium & interventum ad Deum imploro, ut deinceps majora & laudabiliora illius directione ſine mendacii fuco veraciter & congrue deſcribam. Anno igitur poſt incarnati verbi Dei myſterium MXXII. regni vero domini Henrici vigeſimo-primo, Imperii autem nono, felicis memoriæ [a] BERNVVARDUS venerabilis noſtræ eccleſiæ antiſtes ex hac vita ad perpetuam migravit, cujus certe obitus totam regionem maxime contriſtavit. Erat enim, ut feſtinando omnem vitæ ejus hiſtoriam tranſcurram, in cuncto divinæ ſervitutis ſanctæ ſtudio juſte fervidus, & in tota mundanæ utilitatis ſagacitate ſapienter providus, contra rebelles & induratos jure ſeverus, erga obedientes & modeſtos rite manſuetus, in eleemoſynis & miſeratione compatiens & largus, vigiliis, jejuniis & orationibus convenienter intentus. [b] Monaſterium noſtrum itaque libris, ſerico, auro, argento, gemmis, picturis, aliiſque eccleſiaſticis ornamentis pluribus decenter redimivit, clericos auxiliante Deo multos & etiam in divino ſervitio utiles enutrivit. Venerabile templum ſancti Michaëlis proprio labore conſtructum, ſuaque hereditate & acquiſitione ſufficienter dotatum, in monachicam religionem Deo conſecravit. Turres vero munitiſſimas & etiam honorificas cum adhærente muro in orientali & occidentali parte noſtræ civitatis, in tuitionem civium conſtruxit. Eccleſias multas cum variis & utilibus ædificiis, per diverſas epiſcopii curtes ædificavit, & omni prorſus pontificalis proviſionis honeſtate in divinis & humanis ſollerter invigilavit.

S. Bernvvardi elogium.

Godehardus epiſc. recuſat.

18. Eodem tempore Imperator Gruona ſedebat, & præmemoratum Abbatem ſolito ſemper pietatis more ſecum habebat. Adveniente igitur legato cum hac lugubri legatione, Imperator fidelem Chriſti ſuique amicum, condigno mærore deflevit, & piam ejus animam Deo & ſanctis Dei Angelis debita commemoratione commendavit. Deinde Abbatem ſecreto ſoliloquio convenit, eique ſuæ voluntatis arcanum de epiſcopatu ejuſdem ſedis aperuit. cui ſtatim ille in faciem reſtitit, & ſe indignum tanto ac tali officio & honore reſpondit. quem item itemque ex abundantia cordis devotius ammonuit. Ille vero in cœpta excuſatione firmiter perſtitit, dicens certe ſe majora onera divitiarum ob hoc rejeciſſe, ut ſoli Deo liberius vacaret, & fragilis vitæ finem in ſolita, dilectaque ſibi paupertate ſecurius expectaret. Imperator vero per Epiſcopos cordis ejus duritiam emollire tentavit, eoſque de talibus illum convenire rogavit; in quorum ille colloquio ſolita fiducia reſtitit, & ſe tandem ſi hoc tamen nomine dignus eis videretur, donec Radiſbona aut Patavia vacaret, ubi non ſibi ſed ſuis tantum prodeſſe poſſit, libentius expectare retulit. Sicque ibidem per totam hebdomadam de hoc inter eos cauſa tractabatur, ſed ille ſemper in eadem ſuæ ſententiæ tenacitate renitebatur.

Viſione cæleſti monitus ipſum ſuſcipit.

19. Tandem in vigiliis ſancti Andreæ apoſtoli, quæ tunc in quinta feria ante Adventum Domini evenerant, item ſomnium vidit, quod tunc ſoli Imperatori, poſtea vero & nobis gratulando & etiam lacrymando ſæpius intimavit. Aſpexit enim in viſione poſt ſolitas nocturnas vigilias ac preces matutinas, ut ſibi videbatur, in atrio ejuſdem eccleſiæ, in qua poſt triduum Deo conſecrandus erat, nimiam certe multitudinem inter ſe tumultuantem & de epiſcopio Hildenesheimenſi ſerio concertantem. Tunc acceſſit ad eum in media multitudine cum pulcra puellarum caterva, quædam matrona venerabilis, vultu & habitu mirabilis, & apprehenſa

[a] Sancti Bernvvardi vitam ſuperius exhibuimus ad annum MXXIII. quo anno eum obiiſſe, eique Godehardum ſucceſſiſſe nobis viſum eſt vero ſimilius.

[b] Monaſterium vocat eccleſiam Cathedralem.

Digitized by Google

manu ejus de frequentia turbarum eum in eamdem eccleſiam introduxit, & extenta dextra nutu tantum eum ad agendam ante crucifixum veniam [a] ammonuit; ſtatimque ipſo ſe ad preces inclinante, ipſa cum circumſtantibus clara voce Deo ita pſallere cœpit: Infunde unctionem tuam clemens noſtris ſenſibus. Ad quam vocem ipſe à ſomno evigilans & ejuſdem viſionis myſterio cumpunctus eccleſiam intravit, & coram altari Domini proſtratus, divinæ pietati ſe ſuamque viſionem commendavit. Facto autem die Imperatorem ſecretius convenit, & mentis ſuæ pertinacia remiſſà, viſionis ei ſeriem aperuit, & tandem ſe divinæ prædeſtinationi & ejus etiam conſilio ac voluntati obſecuturum devovit. Nec mora eodem die diluculo clerus noſter cum militia advenit: quibus dum Imperator ſuum ſecretum, immo divinum decretum intimavit, tota eorum unanimitas gratanter Deum laudando ſuſcepit, quamvis primo quod nec mirum erat, aliqui vel ob ignotam ejus vitam, vel etiam ob auditam olim juventutis ejus nimietatem, ad tempus expaveſcerent, ſibique tale aliquid pertimeſcerent. Sequenti vero die in natali Apoſtoli cum ſummo cleri plebiſque tripudio eidem paſtoralis cura commendatur, qui proxima dominica adventus Domini ab Aribone Metropolitano Magontiaco digne Deo conſecratur.

20. Sed tamen in ipſo ejuſdem honoris, ſive, ut ipſe putavit, oneris initio, juſtis à Deo, ut vere creditur, prædeſtinata non defuit tentatio. Nam iſdem ejus conſecrator Aribo eodem die ante miſſarum ſollemnia ſecretius eum cum epiſcopis convenit, eique in [b] Gandersheimenſi loco, & circumjacenti territorio omnem pontificalis officii proviſionem banni ſui interpoſitione prohibuit. Quem quidem bannum ipſe ſuæ ſimplicitatis more, nec approbavit nec retinuit, ſed ſtatim ad Imperatorem, ab eo ſolummodo patrocinium in talibus quærens, confugit; qui confeſtim Archiepiſcopo cum fratribus familiariter accerſito, & diſſimulata cordis ſui moleſtia, hunc novum conflictum banno ſoluto ſapienter pacificeque diremit. Et ſic prædicta conſecratione feſtive celebrata, eamdem diem in timore Dei exultantes læti peregerunt, & ita in pace ſuum conventum ſolverunt.

Lis Gandersheimenſis renovata.

21. Non ergo vobis ô lectores incommodum vel faſtidioſum videatur, ſi hujuſmet conflictus initium, vobis certe in poſteris neceſſarium, altius neceſſitatis cauſa repetatur. Quidam Dux Saxonicus Luitolfus nomine cum ſua conjuge Oda,* cum conſilio & licentia [c] ſancti ALTFRIDI quarti noſtræ Eccleſiæ Epiſcopi Romam petiit, & à beato Sergio Papa reliquias ſanctorum præſulum Anaſtaſii & Innocentii impetratas domum detulit. In quorum honore monaſterium & cœnobium Virginum primo in Bruneſteshuſen, deinde quarto poſt anno in Gandersheim conſtruxit: & eaſdem villas cum adjacente territorio, & omni ſua hereditate illuc in utilitatem Chriſto militantium contulit, & filiam ſuam HATHAMUDAM * Abbatiſſam ibi primam eodem epiſcopo ordinante conſtituit. Sicque totum idem territorium ab initio ſemper ad Hildenesheimenſes Epiſcopos per ducentos quadraginta [d] annos pertinuit, & nullus Magontinus præſul quicquam inde vel ſibi vel ſuæ eccleſiæ vendicavit, donec à Rabano duodecimus Vvillegiſus Metropolitanus Magontiacam cathedram

Hujus diſſidii origo exponitur.

* al. Yda.

* al. Hadmutam.

a Id eſt, ut inclinato corpore reverentiam ei exhiberet.

b Quanti jam fuerint excitati tumultus pro juriſdictione in Gandersheimenſi monaſterio, quam Archiepiſcopus Moguntinus ſibi contra jus Hildesheimenſis Epiſcopi arrogabat, patet ex Vita ſancti Bernvvardi, ubi etiam epiſcopi Hildesheimenſis jus recte ſtabilitur, & tota hæc controverſia fuſius exponitur.

c Altfridus ſucceſſit Ebboni Remorum Archiepiſcopo in Epiſcopatu Hildesheimenſi. qui Ebbo è ſede Remenſi ejectus ob conjurationem in Ludovicum Pium aliquamdiu hanc eccleſiam rexit. obiit Altfridus anno DCCCLXXV. ad quem annum ejus Elogium Sæculi IV. parte ſecunda edidimus.

d Legendum procul dubio *centum quadraginta*, non enim plures anni ab anno 856. quo monaſterium Gandersheimenſe ab Altfrido conſtructum fuit, ad Willegiſi ætatem interceſſere.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXXXVIII. IV. Maii.

inſedit; vir certe in omni catholica pietate præclarus, ſed in hoc ſolo tantum periculoſe temerarius, qui ſuadente, ut impune veritatem loquar, domina Sophia ſorore Imperatoris Ottonis tertii, quæ juvenili jactantia & generis dignitate elata à Palligero [a] tantum velari geſtivit, eumdem locum ſibi uſurpare tentavit. quæ tamen machinatio in conſpectu Regis & Principum, Oſdago octavo poſt Altfridum noſtræ eccleſiæ epiſcopo, veritatis ei & juſtitiæ voce reſiſtente diſperiit; quando vix obtentu Regis ejuſque matris licentiam ab eodem epiſcopo obtinuit, ut ibi in natali ſancti Lucæ Evangeliſtæ miſſam celebraret Archiepiſcopus, & prædictæ Sophiæ velationem ſimul cum eo ageret; de ceteris vero velandis virginibus, noſter Præſul ſuo jure provideret. Poſt pauca prædicto [b] Oſdago Epiſcopo defuncto, & Gerdago etiam nobis electo, & poſt biennium finito, dominus Bernvvardus Regius Capellanus eamdem ſedem obtinuit, quem idem Archiepiſcopus conſecravit, ſed ſuper eadem repetitione prorſus obticuit, donec domina [c] Gerberga abbatiſſa venerabilis, novum monaſterium, quod ipſa poſt incendium conſtruxit, voluit conſecrari: ſed quia ipſa detenta infirmitate ea providere non valuit, prædictæ Sophiæ ſpirituali certe filiæ, ac etiam nepti hanc procurationem commendavit. Quæ ſtatim ſolito more proprium Epiſcopum contemſit, Archiepiſcopum ad talia honorifice vocavit, qui iterum pro hujuſmodi ſuaſione juris oblitus, eumdem locum invadere feſtinavit, ſed Præſulis noſtri litteris commonitus diſtulit. item invitatur, itemque auctoritatis jure repellitur. Ad tertiam vero invitationem Archiepiſcopus illuc advenit, eccleſiam ut putabat dedicaturus; quod certe ei Eggiardus Sleſvvicenſis Epiſcopus vere fidelis noſtræ eccleſiæ filius, illo cum clero à noſtro domino miſſus, ſcripturarum auctoritate intercepit. Poſt multas autem & varias hujuſmodi diſceptationes, eadem cauſa tandem ab Epiſcopis comprovincialibus uſque in præſentiam Romani Pontificis [d] comperendinatur.

Ottonis III. obitus.

22. Sed eo tempore pius OTTO tertius Imperator ad Chriſtum migravit, cujus loco, ut prænotatum eſt, HENRICUS in regnum intravit, qui ſtatim natale ſancti Laurentii Patherbrunne celebravit, ubi domina Cunigund regalem coronam percepit. Prædicta etiam GERBERGA Gandersheimenſis abbatiſſa ſæculo exemta, SOPHIA ei ſuccedens ſolito iterum more ibidem obtentu Principum, licentiam domini Bernvvardi à Palligero benedicendi impetravit. Deinde novus Rex primum ſui honoris annum in natale Domini Palidi inchoavit, ubi coram eo per Principes ſæpius dicta Epiſcoporum lite recitata corde tenus indoluit, & ad illam ſedandam ſæpe interceptam dedicationem eccleſiæ Gandersheimenſis, collectis nonnullis epiſcopis, in vigilia Epiphaniæ Domini celebrare deſtinavit. Illuc ergo ſtatuto die advenientes, & dedicationis officium inchoantes, intus ſacro myſterio peracto, Rex cum Epiſcopis & Primatibus ante fores ad populum proceſſit, ubi [cum Moguntinus metropolitanus una cum aliis epiſcopis adveniſſet, & dedicationis officium conſummaſſet, domnus [e]] Vvillegiſus archiepiſcopus publico ſermone æſtimatione ſua culpam profeſſus, juri & repetitioni ejuſdem loci [præſente Rege & multis primatibus ſuis] abrenuntiavit, & in teſtimonium hujus abrenuntiationis ferulam epiſcopalem domino Bernvvardo, ut poſtea in Frankene-

[a] Id eſt archiepiſcopo. Bamberg. tamen habet, *ab Adalgero tantum epiſcopo.*

[b] Anno CMLXXXIX. ut habetur in Chronico Hildesheimenſi apud Franciſcum Quercetanum Tom. 3. de ſcriptoribus hiſtoriæ Francorum. Bruſchius ejus obitum ad annum ſequentem refert, eo quod fortaſſis Gerdagus hoc ipſo anno fuerit ordinatus: ſed Oſdagus circa finem anni CMLXXXIX. obiit, & Gerdagus menſe Januario anni CMXC. ordinatus fuit.

[c] Gerberga, in cod. Bamberg. *Gerbirga*, Bamb. *Gerburc*, erat ſoror Ottonis ſecundi, Sophia autem ejus filia & ſoror Ottonis III.

[d] Editi poſt vocem *Pontificis* addunt, *Imperatoriſque*, & id verum eſt ex Vita S. Bernvvardi.

[e] Quæ anſulis clauduntur ex ſolo cod. Bamberg. habentur.

vordenſi

vordenſi concilio claruit, coram clero & populo condonavit. Archiepiſcopus vero hac lite ſedata, Præſulem noſtrum omni honore & caritate ultra, quoad vixit, dilexit, & in noſtro cœnobio fraternitate honorifice acquiſita, ſummam dilectionem & loco & fratribus providit. Qui quinto poſtea anno plenus dierum & bonorum etiam operum ad Chriſtum migravit, cujus ſucceſſorem ERKAMBALDUM Fuldenſis cœnobii prius Abbatem dominus Bernvvardus Kal. Aprilis Magontiæ conſecravit. Qui ibidem novem annos præſidens, ordinatorem ſuum, conſanguinitate etiam ſibi propinquum, debita devotione percoluit, & de ſupradicta controverſia omnino conticuit. Huic autem Aribo regius capellanus ſucceſſit, quem imperialis anuli dono, regio more præſignatum, Bernvvardus epiſcopus ad principale altare prænotatæ Gandersheimenſis eccleſiæ preſbyterum ordinavit, eique Verbi Dei, & banni ſancti Petri auctoritate, ejuſdem altaris & etiam loci vel circumjacentis territorii uſurpationem, invaſionem, vel repetitionem adſtante Imperatore cum Epiſcopis publice interdixit. In hujus banni vindictam, ille novo noſtro Patri intulit tentationem prædictam. Erat tamen, ut veritatem non occultemus, idem Archiepiſcopus genere & dignitate, & probabili etiam morum gravitate, vere ſed in hac tantum temeritate erga nos pro parte culpabilis. Hæc ergo hujus conflictus abbreviatio ideo hic annotatur, ut ſubſequentis diſceptationis de eodem Gandersheimenſi territorio veritas & ratio clarius cognoſcatur.

Ann. Ch. MXXXVIII. IV. Maii.

Erkambaldus Willegiſi ſucceſſor.

Ac ipſius Aribo.

Qui controverſiam renovat.

23. Beatus igitur Godehardus pontificatus infulis decoratus, nonas Decembris Hildenesheim advenit, omneſque in ſuo adventu gratulantes invenit. Qui mox ut cœnobii noſtri religionem eatenus rationabiliter, Deo gratias, conſervatam agnovit, condignas ilico divinæ miſerationi laudes perſolvens, omni eam devotionis ſtudio ampliare, & in divini cultus exercitio condecorare ſategit. Forinſecus vero, de generali cleri & populi gubernatione epiſcopali ſpeculatione ſollerter invigilavit, pro qua etiam die ac nocte, omni vitæ ſuæ tempore, indefectivo gemitu, Deo indeſinenter ſupplicavit. Semetipſum autem in ſanctimonia ſolita, & in primitus cœpta bonorum operum aſſiduitate non ſolum caute cuſtodivit, ſed etiam religioſe dietim augmentavit, in vigiliis & orationibus, ac continua & certe vix credibili jejuniorum frequentatione, & largiſſima eleemoſynarum profuſione, & in ſumma totius divini timoris gravitate, uſque in finem, Spiritu-ſancto corroborante, perſeveravit. Fuit ergo, ut nulla prorſus virtutis ejus panegyrica prætermittam, Regibus & Primoribus, & formidini, & honori; ceteris vero unicuique ſecundum ſe timori pariter & amori, pro cunctis ſcilicet rite ſollicitus, & in Chriſto omnibus omnia factus, ſoli tantum ſibi gravis & auſterus perſtitit & parcus. Cœnobium ſuum paſtorali cura ſapienter gubernavit, & Fratrum commoda in victu & veſtitu, ceteriſque indigentiæ humanæ neceſſariis, ſæpius adauxit; quos etiam ad ſacræ religionis obſervantiam apoſtolice arguendo & obſecrando, multipliciterque informando, conduxit. Juvenes quoque & pueros, quos inibi bonæ indolis & ſapidos invenit, per diverſa ſcholarum ſtudia circumquaque diſpertivit, quorum certe poſtea ſervimine variam ac multiplicem ſuæ eccleſiæ utilitatem in lectione, ſcriptura, & pictura, ac plurali honeſtiori clericalis officii diſciplina conquiſivit. Theſaurum nihilominus eccleſiaſticum, quem inibi numeroſum invenit, tam decenter quam & utiliter ampliavit, & quicquid in ædificiis eccleſiaſticis non ſolum principalis ſuæ civitatis, ſed & in aliis ſuæ proviſionis locis, dirutum vel veteranum reperit, totum ſumma celeritate diſtrahere, renovare & meliorare feſtinavit. Inter quæ tamen omnia baptiſmalem eccleſiam, quam felicis memoriæ OTVVINUS, decimus noſter Antiſtes, in honore ſanctæ

S. Godehardi adventus in ſuam urbem.

Ejus virtutes.

Juvenes bonis diſciplinis inſtrui curat.

Eccleſiam S. Epiphanii reſtaurat.

Digitized by Google

ANN. CH. MXXXVIII. IV. MAII.

Mariæ ſanctique Epiphanii epiſcopi, quem de Papia civitate, Dei dono, patronum nobis adduxit [a], in auſtrali parte noſtræ eccleſiæ conſtruxit, ſenio certe & negligentia delapſam diruit, & in eodem loco monaſterium honeſtum in prætitulato honore, primo ſuæ ordinationis anno fundavit, quarto conſummavit, & ibidem congregationem canonicam, pluris ſane honoris & utilitatis in Dei timore coadunavit, quam concambii ſui acquiſitione ſufficienter veſtivit & pavit, abundantemque illic in futurum ad talia ſufficientiam condonavit.

Primum miraculum in epiſcopatu.

24. Miraculum igitur primum, quod per eum gratia Chriſti ipſo ſuo primo anno ordinationis ſuæ fecerat, in ſpem & gaudium lectorum hic merito interponendum opinor, quod, ipſa veritate quæ Deus eſt teſte non mentior, ab ipſo quidem uſque in finem penitus celatum, ſed à clero & populo qui intererant divulgatum. Eodem anno Aribo Archiepiſcopus Imperatorem in Pentecoſtes Magontiam invitavit, ubi Concilium generale coadunavit, in quo Epiſcoporum conſilio, plura quæ deviaverant correxit, præcipue tamen Ottonem comitem de Hamerſtein & Irmengardam illicite commanentes ſeparare diſpoſuit. quod tamen penitus perficere non potuit, quia ille ſe partim regali timore, partim epiſcopali commonitione utcumque correxit; illa vero publice bannos prævaricans, ibidem jus legemque, ut vel hodie claret, funditus perdidit. Ad idem Concilium Præſul noſter, & imperiali & pontificali vocatione allegatus, pulcra cleri & militiæ frequentia, etſi non ſponte; comitatus illo properabat, & quadam die in pago, qui Longingaha dicitur, juxta prædictum caſtellum Gruona, ubi Dei gratia & electus & conſecratus eſt; iter carpebat. Et contigit ibi in villa quadam mulierem ab ſpiritu immundo vexari, & à parentibus vel propinquis, per eccleſias ad Sanctorum patrocinia circumduci. Qui dum novum Epiſcopum adventare illuc cognoverant, in occurſum ei ſancta ejus opinione fiduciati, ſimul cum infirma concite properabant. Immundus vero ſpiritus ipſa eorum feſtinatione pavefactus, per os infirmæ anxio clamore quo duceretur inquiſivit. Cui cum dicerent quod in occurſum Godehardi epiſcopi traheretur, horrifico ſtatim mugitu & ululatu cœpit miſerabiliter refragari, & ne ad Epiſcopum veniret, ipſis qui eum ducebant mirantibus pariter & paveſcentibus reluctari, ejulans & vociferans Godehardum ſe nec audire, nec poſſe videre. In eo certamine, dum infirma à fidelibus fide & ſpe, ut vere patuit, ferventibus trahebatur; ſpiritus autem nequam tota violentia reluctabatur: tandem, Deo gratias, fugato dæmone mulier liberatur, & ad virum Dei, ubi ſub quadam arbore refrigerii gratia conſedit, ſana corde & corpore perducitur. Qui cognitis rebus, timore pariter & gaudio compunctus, lacrymans gratias divinæ pietati in faciem proſtratus jure perſolvit, eidemque manus imponens eam benedictione pariter & prece in fide confortavit, & valentem immo & gaudentem cum gaudentibus civibus & amicis remiſit, ſicque iter quod cœperat peregit. unde eum omnes qui cum eo comitabantur amplius & amabant & timebant; cujus coram Deo tale meritum cognoſcebant, quibus tamen [& tam parentibus puellæ quam & his qui ſecum erant] ſuper hoc facto ſeria auctoritate ſilentium indixit; ſed nec ægra quæ ſenſit, nec turba quæ ſalutare miraculum vidit, reticuit.

Synodus Moguntina.

Dæmoniacam ſanat.

Xenodochium condit.

25. Erat etiam in Orientali parte civitatis noſtræ palus horrifica, & circummanentibus omnino plurali formidine inviſa, eo quod ibi, ut opinabantur, tam meridiano quam nocturno tempore illuſiones quaſdam

[a] Ob tranſlationem ſcilicet ejus corporis ex Papienſi urbe in Hildesheimenſem, ipſo Otvvino curante, factam anno CMLXIII. cujus tranſlationis Hiſtoriam edidit Brouverus. Vide & Bolland. die 21. Januarii. Hodieque hujus ſancti viri reliquiæ Hildesheimii habentur, ſed in eccleſia cathedrali. Monaſterium vero quod hic memoratur, occupant Patres Societatis Jeſu, ut Brouverus & Henſchenius monent.

Digitized by Google

horribiles vel audirent vel viderent, quæ à fonte ſalſuginis, qui ibidem in medio bulliebat, Sulza dicitur: qua ille ſpectata, & illuſione etiam fantaſtica qua bruta plebs terrebatur audita, eamdem paludem ſecundo ſui adventus anno, cum cruce & reliquiis Sanctorum invaſit, & habitationem ſuam ibidem aptavit, & in medio periculo oratorium in honore ſancti apoſtoli Bartholomæi fundavit [a]. Quo conſequenti anno conſummato & dicato, omne dæmonum fantaſma exinde funditus exſtirpavit, & eumdem locum omnibus commorantibus, vel advenientibus gratum, & ſine qualibet tentatione habitabilem reddidit. Ubi xenodochium Chriſti in receptionem pauperum ædificavit, quod omni humanæ indigentiæ commoditate abundans, fideli cuidam ſuo preſbytero Bernvvardo, cujus hic nomen pro fidei merito jure interponitur, commendavit; per Chriſti nomen eum frequentius terribiliter obteſtans, ut [b] non ſolum illic commorantibus, ſed & cunctis forte adventantibus, victus & veſtitus neceſſaria ita convenienter provideret, ſicuti pro hac ipſa ſua diſpenſatione Deo rationem reddere deberet.

26. Quoddam tamen talium genus, illos ſcilicet qui vel monachico, vel canonico, vel etiam græco habitu per regiones & regna diſcurrunt, quos & Platonis more Peripateticos irridendo cognominavit, illos inquam, prorſus exprobrando quaſi exſecrabatur: quos tamen propter nomen Chriſti quod profitebantur, neceſſaria ſuſtentatione biduo vel maxime triduo conſolabatur, ſicque præbitis calciamentis vel veſtibus, eos ne curſus ſui ſolitum obliviſcerentur, diſcedere hortabatur. aliquibus vero cum eo diutius permanere cupientibus, illam Gregorii in Dialogo ſententiam ironice objecit, quomodo ſtultum viatorem ad ſacra loca properantem, inimicus per conviatorem ſuum, & per fontis vel prati amœnitatem, vel etiam ciborum dulcedinem decepit. Interdum autem à ſuis familiaribus, quod nec ei diſplicebat, ammonitus, quod inter tales ſæpius veri Dei amici invenirentur, illud ſtatim Hieronymi ridiculum appoſuit, quia mendaces faciunt ut veridicis vix credatur. Si quos tamen talium in Dei cultu, vel timore ſtabiles agnovit, hos [c] nimirum privatim potius quam publice, quod & ipſi malebant, in iis quæ ad Deum pertinent adamavit. Sed & ſuper delinquentes & noxios mira erat miſeratione mitis & placabilis: ita ut, ſi quilibet talium confeſſionis & pœnitentiæ gratia ad eum confugerint, & delicta eis prompta clementia ſtatim indulſerit, & vigilanti cura eis ne ulterius in talia neceſſitatis cauſa inciderent, [prudenti conſilio correxerit, &] omnem ſufficientiam in poſterum protulerit, more quidem & exemplo ſancti ſui patroni Nicolai epiſcopi, qui eleemoſynarum auro, & virginum inceſtus, & patris earum inopiam, & totius familiæ deteſtabilem ademit infamiam, & quorumlibet pauperum ad ſe quoquo modo pertinentium pia clementia ſedavit indigentiam. Hujus, inquam, exemplo Præſul noſter ſatagebat inopes ubique ſemper conſolari, cui & cordi erat cum talibus colloqui, cum eis ludificando & etiam convivando jocondari.

Diſcretio in hoſpitum pauperum receptione.

Lib. 2. Dialog. c. 13.

Caritas in pauperes.

27. Eo etiam anno, certe à nativitate Domini MXXIV. piæ memoriæ Henricus Imperator, ordinationis ſuæ anno XXIII. ad Chriſtum migravit, cujus quippe obitus totam chriſtianiſmi lætitiam, quæ ſub eo floruit, flebiliter conturbavit. Cui ſuccedens vir nobilis & ſtrenuus KONRADUS, primum ſuæ felicitatis annum in natale Domini Mindæ initiavit; inde poſt Epiphaniam Hildeneshein venit: ibi etiam prædictus Aribo

Conradus S. Henrico ſuccedit.

a Hic locus poſtea ſæculi 12. initio Præmonſtratenſibus ceſſit, beneficio Bruningi epiſcopi, ex Brouvero.

b Bamberg. ſic habet, *ut ita diligenter in pauperum cura deſudaret, ſicut pro hac ipſa diſpenſatione Deo rationem reddere deberet; in quo loco cunctis quærentibus prodeſſe voluit, maxime tamen his quos non diſcurſores & illuſores eſſe cognovit.*

c Idem, *hos omni affectu fovens, publice ac privatim ſecum habuit.*

ANN. CH. MXXXVIII. IV. MAII.

Archiepiſcopus, qui vivente Imperatore jam per biennium obmutuit, iterum inventa occaſione beatum Godehardum ſuper Gandersheim inquietare cœpit, quam tamen ejus machinationem novus Rex Primatum conſilio diremit. Sicque Rex peragrata compendioſo itinere Saxonia, quadrageſimali tempore per Thuringiam, Franciamque * in Bajoariam progreſſus, Regineſburg (Remerſburch) ſanctum Paſcha honorifice feriavit; & ea æſtate partes Bajoariæ, Sueviæ, & Karentinorum cum circumjacentium provinciarum terminis pertranſiens, natalem Domini Leodii celebravit, ad Purificationem vero ſanctæ Mariæ Auguſtæ manſit; inde iter ſuum ad partes Italiæ direxit; & proximum Paſcha Vercellis proſpere celebravit, & ita contiguas circumquaque regiones in novo regio decore viſitando paragravit. Tertio quoque ſuo anno [a] Præſul noſter Montem-ſpecioſum in occidentali parte civitatis incolere cœpit, quem quinto poſt anno titulo ac nomini ſancti Mauricii ſummi ſui patroni dicavit. eccleſiam etiam pulcram in [b] Holthuſen in honore ſancti Benedicti Abbatis, monachicæ converſationi aptam dedicavit: & circumquaque per epiſcopii ſui terminum, baſilicas multas vel ipſe ſtudioſe ædificavit, vel ab aliis fidelibus Chriſti conſtructas gratanter Deo conſecravit.

* Bod. Frankoniam.

a Godehardus eccleſiam S. Mauricii ædificat.

b Item aliam S. Benedicti.

28. Eo tempore prædictus Aribo Archiepiſcopus in natale ſancti apoſtoli Matthæi Selimggenſtad [c] Concilium generale epiſcoporum duodecim concivit, in quo Præſulem noſtrum ſuper prædicto Gandersheimenſi territorio publice convenit, quam tamen ſynodum unanimitas fratrum in futurum annum comperendinavit. Rex autem natale Domini feſtum [d] Iporeæ initiavit; inde ad limina Apoſtolorum tendens, feria tertia ante Cænam Domini Romam felici proſperitate gaudens intravit, & in ſancto Reſurrectionis Domini die coronam Imperialis honoris à beato Johanne Apoſtolorum vicario glorioſe percepit. Inde in proxima dominica regreſſus, ac pervaſa circumquaque poteſtative ea regione, in pace repatriavit, & nativitatem ſancti Johannis Baptiſtæ Imbripoli [e] novus Imperator celebravit, ubi & defuncto in bona ſenectute Henrico duce Bajoariæ, filio ſuo domino Henrico eumdem ducatum, Principum delectu, commendavit.

Concilium Salegunſtadienſe. c d e

29. Eo item anno Aribo Magontinus Franconovordi Concilium ſynodi coadunavit, præſidente Imperatore cum epiſcopis viginti tribus, in quo iterum beatum virum Godehardum de ſæpius præventilata cauſa more ſuo inquietavit; ibi Præſul noſter tandem, ſumma veritate quæ Deus eſt miſerante, pariter & adjuvante, epiſcopatus ſui proprietatem ſuper totum Gandersheimenſe territorium, teſtimonio ſeptem Epiſcoporum, qui prædictam pactionem in Gandersheim & audierant & viderant, canonice detinuit, ſcilicet Brunone Auguſtenſi concionante, VVernhero Argentinenſe decernente, ipſo vero Metropolitano, vere invito, verbi Dei banno affirmante. Hi enim erant Epiſcopi qui ſeniori noſtro ſuum teſtimonium, ſicuti audierant & viderant, præbuerunt, id eſt Bruno Auguſtenſis epiſcopus, * Everhardus Bavenbergenſis epiſcopus, Meinhardus * VVerciburhgenſis epiſcopus, Meinvvercus * Bartherbrunnenſis epiſcopus, Sigebertus

Synodus Francorfordienſis.

* Ebehardus.
* Wirzburgenſis.
* Paderbornenſis.

a Bamb. *regni ſui anno.*

b Diruto licet monaſterio, nomen locus retinuit ad Viſurgim fluvium, XI. circiter milliaribus germanicis diſtans à civitate Hildesheimenſi verſus occidentem.

c Celebre eſt monaſterium ad Mœnum inter Hanoviam & Aſchaffemburgum.

d Iporea ſeu Eporedia, nunc autem Ivrea, urbs eſt epiſcopalis in finibus Salaſſorum ſub metropoli Taurinenſi ad Duriam fluvium.

e Mirum eſt quantum hic locus ſcriptorum ingenia torſerit. Surius in veteri editione repoſuerat *Herbipoli*. Mſſ. autem varie habent, *Imbrolis*, *Imbripolis* & *in Bripoli*. Haud dubium quin legendum ſit *Imbripoli* unico verbo, quam urbem Brouverus putat eſſe Verlam Saxoniæ opidum; Bollandus autem aſſerit eſſe Ratiſbonam celeberrimam urbem, aitque apud antiquos Teutones voce *Regen* imbrem indicari. verum licet hanc ethymologiam improbet noſter Adolphus Overham in notis ad vitam S. Meinverci, invictiſſime tamen probat, Ratiſponam ſæpius Imbripolem dictam fuiſſe.

Digitized by Google

Anno Chr. MXXVIII. IV. Maii.

Mindenſis epiſcopus, Hildeuvardus * [a] Cizenſis epiſcopus, Bruno Merſburgenſis.

* Citizenſis.

Ordo ſeſſionis Epiſcoporum in Synodo.

30. Pulcra enim erat ibi & rationabiliter ordinata tam regalis quam & epiſcopalis conſeſſio. Nam in orientali parte ante altare; Archiepiſcopus Aribo cum ſuis Suffraganeis Vverhhero Argentinenſe, Brunone Auguſtenſe, Meinvvercho Patherbrunenſe; Everhardo Bavenberbenſe, Meginhardo Vverciburhgenſe, Godehardo Hildeneshеimenſe, Branthoo Halverſtadenſe, Vuiggero Verdenſe, Hazecone Vvormacienſe conſedit. In occidentali vero parte Imperator conſedit, & à dextris ejus * Bilegrimus Coloniæ Archiepiſcopus, cum ſibi ſubditis Sigeberto Mindenſe, Sigifrido * Mimigardenſe, Bennone Trajectenſe. A ſiniſtris Hunfridus * Parthenopolitanus Archiepiſcopus, cum ſuis Hildevvardo Citizenſe, Brunone Merſburgenſe, Luizone Havelbergenſe, Theoderico Miſnenſe. In Auſtrali autem plaga Epiſcopi Rambrectus * Vverdunenſis, Rodulfus * Fleuvizenſis, [b] Hildolfus Mantuanus, * Reinoldus Aldebergenſis aſſiderunt. In Aquilonali etiam Abbates Richardus Fuldenſis, * Reimboldus Loreſheimenſis, Arnolfus Herveldenſis, Gerbertus Moguntinus cum aliis etiam ejus ordinis [c] VII. affuerunt. Subſequens etiam natalis Domini feſtum Imperator Leodii celebravit; Paſcha vero Aquiſgrani feſtive feriavit, ubi & filius ejus Henricus regalis nominis coronam à Bilegrimo Archiepiſcopo, cleri plebiſque electione honorifice percepit. Eo anno iterum Aribo Synodum ſuam Geizlice concivit, ad quam item ſeniorem noſtrum Godehardum inquietandum legatis & ſcriptis vocavit. quo ille ire diſſimulans, venerabilem virum Tadilonem decanum noſtri cœnobii cum fratribus obviam ei miſit, qui eum honorifice ex parte ſenioris ſalutando, de præteritæ ſynodi diffinitione commonuit, & plurali altrinſecus auctoritatum collatione profuſa, Epiſcoporum auxilio, eum ab ipſa repetitione tunc tantummodo compeſcuit.

* Piligrinus.
* Monaſterienſi.
* Magdeburgenſis.
* Virdunenſis.
* Sleſvvicenſis.
* Reginoldus.
* Regimboldus.
b
c

Synodus Geizlicenſis.

31. Sequenti quoque nihilo minus anno, Imperatore Palidi conſedente, prædictus Archiepiſcopus ibidem Synodo habita, querelam contra beatum virum præſente Imperatore incœpit; ſed poſt multa & varia diſceptationum colloquia, vix tandem ab Epiſcopis commonitus deſtitit. Hoc etiam anno Bruno Auguſtæ civitatis epiſcopus obiit, cui Eppo ſucceſſit. Vvernherus etiam Strazburgenſis præſul ſuſtollitur, poſt quem Vvillehelmus ſubrogatur. Proximo quoque anno Imperator Merſburg Pentecoſten celebravit, ubi prædictus Aribo Archiepiſcopus, & ſenior noſter Godehardus inter ſe invicem ſuper diuturna eorum diſceptatione reconciliati ſunt. Nam [d] ipſe Metropolitanus patrem Godehardum ſecreto coram Epiſcopis convenit, ſeque ſuper hac parochia erraſſe, confitendo nuntiavit, & omnem fraternam ſatisfactionem, ſed & de præterita lite perpetuam taciturnitatem ſub vero Chriſti & Eccleſiæ teſtimonio, promiſit, ſibique priora errata propter Deum remitti ſuppliciter petiit. Iſtud ergo hic veraciter inſcribitur, quia ipſo domino Godehardo idem ſæpius in ſuo ſermone publice proteſtante verum eſſe comprobatur. Eo anno Unvvanus Archiepiſcopus Hammaburgenſis obiit, Liebizo ſucceſſit. Deinde Imperator natalem Chriſti Patherbrunne egit, ubi Aribo Metropolitanus in Sancto die inter miſſarum ſollemnia publico ſermone habito, licentiam

Synodus Palithi.

Aribo reconciliatur cum S. Godehardo.
d

[a] Sub eo epiſcopatus Citizenſis ſedes Neoburgum tranſlata eſt.

[b] Hic ſolus ex Italis affuit huic concilio, ſicut & Francofordienſi anno MVII. ubi erectio Bambergenſis epiſcopatus à Germaniæ Epiſcopis confirmata fuit. Apud Ughellum tomo I. Italiæ ſacræ Iſolphus dicitur, qui natione Germanus eccleſiam Mantuanam ab anno MVII. ad MXLIV. adminiſtravit, monachos Benedictinos in eccleſiam ſancti Andreæ induxit, ac monaſterium multis bonis locupletavit.

[c] Omnes editi habent *ſex*.

[d] Bamb. habet, *cujus dilationis termino tandem adveniente*, *Erbo* (ſic Aribonem ſemper appellat) *archiepiſcopus*, *Dei ut vere credimus præmonitus nutu*, *ſeniorem noſtrum beatum Gotehardum ſecreto convenit*, *ſeque ſupra prædicta erraſſe confitendo nuntiavit*, *& ita coram epiſcopis omnem fraternam*, *&c.*

Digitized by Google

ANN. CH. MXXXVIII. IV. MAII. Poſt iter Romanum obit.

ab Imperatore & confratribus Romam pergendi rogavit, ſimulque à clero & populo indulgentiam ſibi à Deo impetrari poſtulavit. Sicque poſt Purificationem ſanctæ Mariæ iter aſſumens, Romam abiit. inde vero digrediens, octavo idus Aprilis ah, ah, obiit anno ordinationis ſuæ XI. cunctis certe catholicis merito flebilis, quia in omni Eccleſiaſtica religione erat vere laudabilis: cui vir ſimplex & rectus [a] Bardo Herveldiæ Abbas ſucceſſit, qui Deo manifeſte provehente, brevi ad culmen ſummæ perfectionis feliciter proceſſit. Cujus pietatis vita & actus hic plenius ideo non inſcribuntur, quia, Deo gratias. Magontiæ pro ſanctitatis ſuæ meritis inter Apoſtolicos ſacerdotes honorifice celebratur. Unum tamen perfectionis ejus privilegium dicam, quod ei in noſtris confiniis à ſanum ſapientibus clericis honoris cauſa oblatum eſt, ſcilicet, ut æquivocato cum beato Johanne epiſcopo cognomine, propter dulciſonam prædicandi melodiam Bardo-Chryſoſtomus diceretur.

Ei ſuccedit Bardo.

32. Quodam etiam tempore, cum more epiſcopali beatus præſul noſter Godehardus viſitandæ commiſſæ plebis gratia, parochiæ ſuæ terminos circuiret, Hirgenhuſim * curtem ſuam adiit, ut [ibi pernoctaret, &] cum ſibi eleemoſynarum largitate, qua præ cunctis ſtudebat, pauperes reficeret. Quædam vidua pauper ex eadem familia, filium ſuum conſpectui ejus obtulit puerulum pauperculum, miſerrimo infirmitatis genere debilitatum. Nam partim paralyſi, partim lepra vexabatur, diſtortiſque nervis membrorum, à tota corporeæ formationis utilitate diſſolvebatur. manus enim cum brachiis, & genua cum pedibus & tibiis putrido tumore & profluenti ſanie manabant, adeo ut nec greſſum quoquomodo movere, vel ſaltem reptando poſſet uſquam prodire. Quem ille [b] & vultu & corde hilari, quaſi vere donum Dei gratanter ſuſcepit, & ſuis cubiculariis diligentius commendatum ſecum deduci præcepit. Potens eſt, inquit, Deus, qui ab initio non dedignabatur miſeris & peccatoribus diverſo pietatis ſuæ remedio ſubvenire, nos etiam ſuper hoc pauperculo, ſolito pietatis ſuæ more lætificare. Qui puer ad principalem noſtram eccleſiam cum Epiſcopo perductus, & non ſine magno puerorum, qui eum ſervabant, labore per aliquot hebdomadas ſuſtentatus, tandem poſt quatuor vel quinque menſes cœpit paulatim, plane ex beati viri meritis & precibus, convaleſcere, & ſedato partim tumoris ac ſaniei profluvio, interdum aſſurgendo, interdum vero proreptando, quaſi ad greſſum membrorum nervos exercere. Quod Præſul pius agnoſcens, præ gaudio ſæpius lacrymans, divinæ miſerationi grates debitas retulit, cui & intentus ſupplicare, ut poſtea vere, donante Deo, patebat, non deſtitit. Nam infra anni ſpatium, ut certe apud nos omnibus notum eſt, puer fugata morborum multitudine, laxataque nervorum contractione, in melius convaluit, & de die in diem ad quodlibet ſervitutis officium valenter profecit. Idem namque homo, Vverinus nomine, jam per viginti & eo amplius annos in capella epiſcopali incolumis deſervit, niſi quod quaſi in teſtimonium virtutis Dei in ſemetipſo, certe in cruribus & in manibus ipſas membrorum torturas, & ut ita dicam, gibbos quoſdam, cunctis ſe videntibus oſtendit.

* Huginhuſen ſeu Engelhuſen.

S. Godehardus puerum contractum & leproſum ſanat.

33. Aliis quoque permultis varia humanæ fragilitatis conditione laborantibus; quibuſdam ſcilicet, quod & graviſſimum eſt, peccatorum pondere preſſis, quibuſdam vero diverſa infirmitatum moleſtia detentis ad ſe confugientibus, opem ſuæ interceſſionis impertivit; eoſque infatigabili ſanctarum precum inſtantia, & ab imminente periculo liberavit, & in futurum, Deo auxiliante, à talibus cuſtodivit. De quibus quam multa, multis planè cognita, veraciter enarrare potuerim, ni ea ab illis tunc,

Multa alia patrat miracula.

a De eo agemus ad ann. MII.
b Bamberg. addit, *hunc, inquam, puerum, Werinum nuncupatum ſanctus Epiſcopus*,

Digitized by Google

ipſo cogente diſſimulata, ea maxime cauſa ſilendo modo præterierim, ne aut lectoribus altius faſtidium ingeratur, aut ad talia pigris incredulitatis peccatum augeatur. Unum tamen dicam, quod quaſi joculare ridiculo [a] Goſlariæ effecit, quando ibi in curte regali in poſtremo ætatis ſuæ tempore, juſſu & petitione Giſlæ Imperatricis eccleſiam conſtruxit. Erat ibi matrona quædam in laïcali converſatione poſita, ſed in timore Dei devota, Hatteha * nomine, cujus filium ipſe Epiſcopus pro fidei religione quam in ea ſentiebat, de ſacro fonte ſuſcepit; quam quodam tempore contigit graviſſimo oculorum dolore vexari, & per aliquot dies, adeo ut nec cibum nec potum accipere, nec aliquam corpoream quietem habere poſſet, cruciari. Quæ tandem, graviſſima cogente doloris anxietudine, filiolum ſuum ad Epiſcopum cum eulogiis tranſmiſit, eique ſuæ infirmitatis nimietatem intimans, aliquod medelæ ſubſidium ab ejus pietate quæſivit. quibus Præſul auditis, læta hilaritate ſubriſit, & quoſdam flores rubicundos de arbore, quæ lingua Theutonica Spinnelbaum [b] dicitur, ei forte in ipſo momento à paupere quodam illatos, ſigno crucis munivit, & eidem puerulo dedit, dicens: Affer, inquit, hos floſculos amicæ meæ matri tuæ, ut illos in mei memoriam ſecum habeat, & à Deo ſalutis remedia poſcat. Nec mora, ut nobis ſæpius jurando retulit, ut ipſos flores ægris oculis admovit, omnem ilico totius infirmitatis dolorem à ſuo capite mirabili celeritate diffugere cognovit: & ſtatim apertis vel oſtiis, vel feneſtris cubiculi, quæ jam per aliquot dies diligentius ejus ægritudinis cauſâ claudebantur, cœpit clarius videre, & nihil prorſus hujuſmodi moleſtiæ amplius ſentire. Quæ poſtera die ad Epiſcopum pervenit, & gaudens ſimul & lacrymans, gratias condignas divinæ miſerationi, ejuſque viſitationi humiliter retulit. Quam ille benigne conſolando ſuſcipiens, & in Domino corde firmo ſperare, & indeſinenter bene facere præcipiens, oculos ejus à preſbytero ſacro oleo, quod infirmorum dicitur, ungi mandavit; quæ certe unctio, & ejus pia deprecatio, eam ab eodem dolore uſque in finem integre ſanavit.

Ann. Ch. MXXXVIII. IV. Maii.

*Hathzeca.

Mulierem ab oculorum dolore ſanat.

34. Illud quoque, quod in antepenultimo præſentis vitæ anno ei accidit, propono in exemplum, & cautelam fidelibus, & timorem ac formidinem negligentibus. Erat ſanè in noſtra congregatione quidam preſbyter, ex familia eccleſiæ ortus, litteralis ſcientiæ, ut in pace veritas procedat, pæne ignarus, ſed mundanæ ſagacitatis ſubtiliter, & ſupra modum gnarus, qui ex infima paupertate ad ſummas divitias cunctis mirantibus ſuccrevit. Qui primo à domino Bernvvardo epiſcopo feliciter exaltatus, ſed ab Imperatore Henrico pro quibuſdam cauſis, quæ modo melius ſilentur, humiliatus, iterum ab hoc viro beato, quia utilis ei ad res eccleſiæ videbatur, pia miſeratione ſublevatus, varie tamen inter adverſa & proſpera ſæpius habitus. Poſtremo autem in tantum ſibi tanti Pontificis animum ſua calliditate conciliavit, ut perplures ante fideliter miniſtrantes Epiſcopo abalienaret, eoſque tam herili gratia, quod eis certe moleſtum erat, quam & dignitate ac proprietatis utilitate privaret. Sed ne hoc aliquibus mirum videatur, quia, beato Gregorio teſte, ſæpius fit ut occupato in pluribus & maxime in divinis animo facile ab adulantibus ſubripiatur. Tandem ille ab omnibus publice maledicitur, & etiam interdum Epiſcopo à ſanum ſapientibus hujuſmodi inſolentia objicitur, qui & ab iis tandem qui inſontes abalienati ſunt, in gratiam reducitur.

Preſbyter S. Virum fallit.

35. Præſul pius tamen poſt aliquot annos de talibus clarius certificatus,

In conventu publico accuſatur.

[a] Goſlaria urbs libera inferioris Saxoniæ. eccleſia quam ibi ſanctus Godehardus conſtruxit à beato Leone IX. ſummo Pontifice dedicata eſt circa annum MXLIX.

[b] Cod. Bodec. *de arbore qua fuſarius lingua Belgica.* & quidem hanc arborem fuſis fabricandis aptam eſſe aiunt.

Ann. Ch. MXXXVIII. IV. Maii.

& ſuper eos qui injuſte lædebantur aliquando ad veniam humiliatus, die quadam convenire de noſtra congregatione Præpoſitum, & Decanum cum aliquot fratribus, ceteriſque ſuis primoribus Holthuſem, ubi tunc forte manebat, mandavit, aſſedente etiam viro venerabili, ſuo ex ſorore nepote, Rathmundo Altahenſis monaſterii Abbate, præſente eodem Presbytero, omnibus qui ſe ab eo læſos querebantur, coram licentiam fandi donavit. Statimque ſine mora plura querelæ genera, tam ab ipſo Abbate ſuiſque qui hoſpites intererant, quam & à noſtris proferuntur, quæ contra eum publice à cunctis quaſi uno ore dicuntur. Querebantur enim omnes ſimul, primo generale Eccleſiæ & epiſcopalis honoris ſcandalum; deinde cives & hoſpites quiſque ſpeciale injuriarum ſui detrimentum. Quibus ille auditis quaſi inſultando, ut erat callidiſſimus, ſubriſit, & velut admirans, quæ hæc eſſent inquiſivit: ac deinde commentis mundanæ ſuæ ſapientiæ, qua plane plenus erat, quæ vere ante Deum ſtultitia computatur, ut in ipſo manifeſte patuit, objecta quæque eloquenter reppulit, omneſque ſibi adverſantes mirabiliter quaſi mutos & elingues reddidit.

Interrogatus.

36. Pius Præſul tandem Spiritu-ſancto vere compunctus, & inſuper etiam mirabili ſtudio permotus, conſiderans pariter & manifeſtam rerum veritatem, & fiducialem cordis ejus temeritatem, ilico omnium voces compeſcuit, & modificato ſermone cunctis admirantibus ita incœpit: Hildevvin, inquit, ſic enim vocabatur, ecce enim omnes circumſtantes, ut tibi videtur, viciſti, ecce omnes ſubtilitate tua, Deo veritatem inſpiciente, quaſi mendaces oſtendiſti: jam modo ad me convertere, & ſoli mihi per Chriſtum adjuratus veritatem reſponde. Evangelica, inquit, te ſententia aggredior, & quia ſenſum evangelicum non plene ſapis, te theutonico ſermone alloquor. Hildevvin, inquit, diligis me? At ille ſtatim fiducialiter: Vere, ait, diligo te. Item Epiſcopus: Hildevvin, inquit, diligis me? At ille: Certe, ait, diligo te. Item Epiſcopus tertio: Hildevvin, inquit, diligis me? Tandem ille miſer evangelico illo exemplo ſtupefactus, ſed non rite, pro dolor, compunctus, irato pariter & flebili ſermone reſpondit: Deus, inquit, qui omnia ſcit, ipſe ſcit quia vere diligo te. Tunc præſul: Ecce, inquit, ſiquidem verum dicis, mihi ſatisfeciſti; ſin autem deſipis, temetipſum miſerabiliter obligaſti. ſed ſi me, ut dicis, fideliter diligis, paſce oves meas, id eſt, dilige fratres & amicos meos, etiam hoſpites & pauperes meos; dilige conſervos & domeſticos tuos. Unde & per Deum te commoneo, ut ſi vere juraſti, te in veritate cuſtodias; ſi quominus, digne pœniteas. & ſub hoc pacto jam domum regredere, & dignitate pariter & beneficio ac proprietate tua in gratia mea, ſiquidem Deus annuerit, utere. ſicque conventum illum cunctis admirantibus pariter ac paventibus dimiſit.

Pejerat.

37. Illos tamen pariter ibi caritatis exhibitionem ſuſcipere, & ſic in pace diſcedere præcepit. Inter quos Hildevvinus lætus & hilaris, & quaſi de victoria ſua exſultans, ad prandium conſedit; & inde incolumis rediit. Ad veſperum vero cum ſuis domi conſedit jocundus & epulans, & in eos ſane à quibus ſe læſum dolebat, convicia & minas intentans, ſic lectum petiit, & ſoſpes, ut ſibi videbatur, quievit. Mane diluculo ad providendum ſuum miniſterium iturus valenter ſurrexit, calciamenta citius induit, ſed ad induendas tunicas aſſurgens concitus corruit, & mirabili celeritate præoccupatus miſerabiliter exſpiravit. Plures tamen & ampliſſimas [opes] in ſua proprietate, in innumeris & pretioſis veſtibus, & alia pecunia & etiam peculio dimiſit; quas tamen beatus Præſul, de ejus morte ultra quam credi poteſt condolens, totas pro animæ illius remedio pauperibus erogari præcepit, remiſſionemque ei peccatorum ex corde, etſi ſero indulſit, & pro illius animæ ereptione, jejuniis & obſecrationibus ſæpius inſudare

Miſere perit.

ſudare

Digitized by Google

ſudare non deſtitit. Quia ergo nos eum modo ultra debitum, plus neceſſariæ veritatis quam invidiæ vel odii cauſa reprehendimus, & ejus negligentiam noſtra fortaſſe minorem de pluribus patefecimus, obſecramus ô lectores veſtram dilectionem, ut cum hæc legeritis, indulgentiam ei & remiſſionem peccatorum pro * veſtra certe felicitate à Domino imploretis; & ſic forte hæc reprehenſio, fiet illi ante miſericordiam judicis venialis remiſſio.

Ann. Ch. MXXXVIII. IV. Maii.

* *Edit.* noſtra.

38. Erat quoque in noſtra congregatione vir vitæ venerabilis, ac in omni Canonicæ regulæ obſervatione jure laudabilis, nomine Tadilo, de quo etiam ſupra pauca retuli; primo ſub domino Bernvvardo pro fidei & induſtriæ prærogativa vicedominus, ſed ab hoc beato Pontifice pro utilitate Eccleſiæ decaniæ ac ſcholari magiſterio præſtitutus: & quia ei pro * religionis & caritatis merito corde tenus complacuit, eum ſibi in conſecretalem & ſymmiſtam in Dei ſervimine adoptavit. Erat enim, tota eccleſia quæ eum noverat teſte; grandævus & emeritus, humilitate & dilectione præclarus, in regendis vero ac commonendis Fratribus media caritate ſeverus, & in toto virtutum exercitio coram Deo ſollicitus. Nam in admonitione ſua illo ridiculoſo proverbio ſæpius utebatur: Diligant, inquit, homines, oderint vitia. Huic beatus Pontifex ante aliquot annos [a] ſæpius, ut nobis videbatur, jocando prædixit, quod aut ſecum aut paullo ante ſe ex hac vita eſſet emigraturus. Noviſſime vero ei in poſtremis decumbenti, per prædictum Abbatem nepotem ſuum, quem ad eum viſitationis gratia, ſua vice direxit; ſerio mandavit; quod ſacram olei unctionem vere pœnitendo, & commiſſa ſua confitendo, plena fide ſuſciperet, & corporis ſanguiniſque Chriſti ſacramento munitus intrepidus præmigraret, promittens ei veraciter ſe ſuperſtitem, pro ejus animæ remedio Dei gratiam indeſinenter obſecraturum, & eum in proximo anno in pace Chriſti ſubſecuturum. Qui Abbas eumdem dilectum, & jure ſemper memorandum magiſtrum noſtrum, cum adſtantibus fratribus ſacro oleo perunxit, eique ex poteſtate & juſſione Epiſcopi plenam remiſſionem indulſit, qui poſt biduum vere felix ad Chriſtum migravit; cujus tamen obitus nos acriter contriſtavit, quia congregationem noſtram, [immo totam noſtram eccleſiam,] tanti viri patrocinio & conſilio, magiſterioque privavit. Verum certe, & clero & populo teſte, dicimus, quia nunquam ejus ordinis virum in omni eccleſiaſtica probabilitate honeſtiorem vel vidimus, vel videbimus. Cujus certe memoriam jure nos corde tenus retinere debemus, quem vere ante conſpectum Sanctorum noſtri recordari non dubitamus. Sic ergo prophetiam beati Præſulis liquido Deus implevit, qui eum poſt [b] annum & tres tantum menſes ex hac vita feliciter exemit.

S. Godehardus Tadilonis mortem prædicit, & ſuam.

* *Boll.* pietatis & caſtitatis.

39. Jam autem beati patris Godehardi appropinquante manifeſtius fine, ſemper operum bonorum augmentis de virtute in virtutem anhelabat, ut videre mereretur Deum deorum in Sion, & jam ceſſante practicæ plurali officio, in ſolo ſe indeſinenter theoriæ affixit exercitio, tria tantum de generali ſpecialiter eximens, pſalterium, eleemoſynam, & præ omnibus jugiter ſibi ſociam & amicam abſtinentiam, adeo ut ſi rare feſtiviori tempore cogentibus per obedientiam Fratribus, aliquid lautioris cibi, vel fortioris potus contra morem ſtomachi percepit, moleſtiæ magis corpori quam refectioni fuerit. Et tunc ſupremum præſentis vitæ natalem Chriſti, anno ſcilicet [c] MXXXVI. Imperatore Goſlare ſedente, ipſe Holthuſen votive

Morti proximus ſpiritualibus exercitiis incumbit.

a Editi, *menſes*. Paullo aliter codex Bamberg. *Pontifex, ſicut ex Spiritu-ſancto cognoverat, diem exitus ſui ſæpe prædixerat; ſcilicet quod ipſe ante annum & ſex menſes, tranſitum beati patris noſtri Godehardi eſſet præceſſurus.*

b Bamberg. *qui eum ante ſe anno & ſex menſibus.*

c Henſchenius repoſuit ann. MXXXVIII. Conradus tamen Imperator eo anno erat in Italia ac Parmæ Natalem Domini celebravit. Unde conjicit vir eruditus, auctorem noſtrum ea quæ anno MXXXIX. contigerunt, cum iis quæ præcedenti anno geſta fuerant confudiſſe. Codex Græcienſis habet *anno* MXXXIX.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXXXVIII. IV. Maii.

celebravit, ſolvens certe ſecundum Evangelium quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ Dei Deo; ſemet quippe prædicto more Chriſto ſpirituale ſacrificium immolans, ſed & ſuis nihilo minus, clero ſane & populo, in divinis & humanis, pro ritu & etiam debito juxta vires congratulans, ſacratiſſimos autem dies Quadrageſimæ, & ut ipſe ſæpius jocundando proclamabat ſaluberrimos, ſummo cordis ac mentis affectu hilaris exſpectabat, quos corporaliter quaſi extra corpus mirabiliter tranſiens, vix cohærentibus nervis, ad ſacro-ſanctum Paſcha pervenerat. Attamen [a] Dominicam palmarum, Cœnamque Domini, & feſtum Reſurrectionis Chriſti debito Epiſcopali officio, ultra vires collecto robore, peregit; ſicque Paſchæ ferias per circumpoſitas ſtationes juxta ſolitam religionem admonendo fideles viſitavit, in quibus etiam diebus, ſæpius publice denuntiavit ſe modo cum illis ultima corporalis conſortii lætitia jocundari, & [b] in Aſſcenſionem Domini, quo Deus juſſerit, invitari. Nos vero hæc audientes quaſi deriſimus, quia eum jam * quantocius de regreſſione antiquæ ſuæ patriæ, videlicet Bajoariæ, nobis minitantem audivimus.

Edit. quantoties.

In morbum incidit.

40. Poſt Albas [c] itaque à nobis digreſſus, cum ſuo prædicto nepote Radmundo Abbate, Adenſtad *, quo incœptam jam noviter eccleſiam conſummare ſtudebat, devenit, nec infirmitati diutius reluctari valens, deficiente carne decubuit. Quo flebili rumore comperto, prædictus Rathmundus [d] abbas, vir certe corde & animo divinæ ſervituti mancipatus, & præpoſitus noſter ac Decanus cum prioribus ad eum viſitationis gratia convenerunt, quem tamen diſſimulato languore ſolito more eccleſiaſtico labori aſſidentem, circumſtantiumque manibus ſuſtentatum invenerunt. Quos advenientes ſola caritatis hilaritate lætus ſuſcepit, & quaſi oblita moleſtia, adventus eorum cauſam admirando perquirens; reportari ſe ad cubiculum præcepit. Ibi * adunato ſpecialiter clero, primo ſingulos quoſque de ſuæ obedientiæ procuratione ſollerter admonebat, ac deinceps omnes generaliter, de ſacræ fidei & religionis obſervatione, tam ſalubriter quam & terribiliter obſecrando ſimul & arguendo informabat. Deinde ſe orationibus eorum, contra callidi tentatoris inſidias & fraudes commiſit, eiſque obitus ſui diem & tempus, funeriſque & exſequiarum, & etiam ſepulturæ ordinem, ut poſtea evenit, quaſi alludens liquido prædixit. Ite, inquit, & ad ſuperventuram Dominicæ Aſſcenſionis lætitiam vos quiſque, pro ſuæ obedientiæ qualitate, & etiam pro ſpiritualis prærogativæ quantitate præparate, & meum adventum læti, & quaſi vere mecum hic & in futuro congratulaturi exſpectate. Nam in vigilia Aſcenſionis in Montem ad ſanctum meum patronum Mauricium adveniam, & ibi noctem diemque ſanctam agam: Abbatem tamen vobis, qui vice mea proceſſionis & miſſarum ſollemnia peragat mittam. & ſic elevatis oculis altiuſque ſuſpirans, quaſi tamen arridens: Nocte, inquit, illa ut Chriſtus voluerit peracta, in feria ſexta diluculo ad ſanctum Michaëlem veniam, cum Abbate & fratribus pernoctaturus, inde ſabbato ad ſanctum Andream oraturus, & inde vos adeam, vobiſcum penitus permanſurus. Diem vero Dominicam convocatis fratribus & amicis ſollemniter celebremus; & ita totius feſti noſtri jocunditatem penitus terminemus. Et hæc dicens, benedictionem dedit; ſicque nos mirantes pariter & ſtupentes dimiſit.

*al. Elſtat.

* admiſſo.

Suam mortem prædicit.

Puerum ſecum moriturum prædicit.

41. Habebat quoque beatus Pater in privato ſuo miniſterio, juvenem quemdam illuſtrem, filium viduæ, pictoriæ artis opificem, qui vllia ejus

a Bamb. *Præcipue tamen ſupremo præſentis vitæ anno per totam Quadrageſimam ſe caſtigans, vix collecto robore peregit debito epiſcopali officio Dominicam Palmarum, &c.*

b Bamberg. *quoniam oporteret eum ad alium locum in Aſſcenſione Domini proficiſci.*

c Sic vocant plerumque Dominicam in Albis, quod ea die recens baptizati veſtes albas deponerent.

d Bodec. *Adelbertus abbas*. Boll. *prædictus abbas*.

Digitized by Google

veſtimenta calciamentaque ſervabat, nomine [a] Bunonem, cui ab initio ejuſdem anni, quod ſecum patriam ſuam, id eſt Bajoariam, perrecturus eſſet ſæpe præcepit. Nam, ut prædiximus, longe ante ſæpius ſe patriam ſuam reviſitaturum ſerio promiſit, & pluribus cujuſque ordinis ſe ultroneis offerentibus, ac pariter cum eo proficiſci cupientibus, grates devotioni eorum retulit, & ſolum tantum Bunonem ſecum iturum prælegit. Eodem quippe die ante adventum cleri, ut prædixerat [b], dum more ſuo in abditis veſtimenta ſua mutaret, eidem juveni præcepit, ut eadem veſtimenta quæ depoſuit indueret, & ad eum concitus veniret. Quæ verba ille quaſi deliramenta vel irriſione plena contemſit. Præſul vero ac ſi dedignando cubiculariis dixit: Ite & veſtimenta quæ depoſui induite ei, & ad me deducite. Qui ſtatim eum poſt velum cubiculi trahentes induerunt, & in conſpectum velut irridentes deduxerunt. Quem ille diu intuens, ait: Vere ſcias, quia in eadem veſte [c] rumorem invenies. His dictis puer exivit, & in ipſo momento intolerabile eum frigus invaſit, & hora eadem ægrotans lecto procubuit. Quem cum poſt diſceſſum fratrum epiſcopus requireret, dictum eſt quod ægrotaret. Qui ſtatim accerſito procuratore, præcepit ei dicens: Puerum illum caute & ſine moleſtia fac ad matrem ſuam deduci, ut in occurſum meum paratus mecum poſſit proficiſci Qui [d] ſtatim deducitur, & decreſcentibus dietim viribus ad extrema præparatur.

42. Deinde Præſul noſter ingraveſcente febre Holthuſen, ubi confluente eccleſiaſtico more ad viſitationem tanti viri multitudini ſufficiens ædificiorum erat copia, provehitur. Ibi inter multam cleri populique frequentiam, quadam die venerabilis domina Sophia de Gandersheim advenit, quæ tandem, ut in pace loquar, depoſita priori pertinacia, plena ſe fide & devotione, ad beati viri familiaritatem convertit; quæ [e] tunc occaſione inventa, & populari turba remota, adſtante clero de frivola quadam pertinacia, quæ de ſuæ eccleſiæ clericis contra beatum virum increvit exordium fecit, & debitam ſatisfactionem promittere cœpit. Ad cujus verba ille, partim morbo cogente, partim vero, ut nobis videbatur, indignatione permovente, iracunde reſpondit, & in futurum talia ſuſpendi rogavit. Illa vero commotionem ejus diſſimulans, & obitum ejus celeriorem formidans, item itemque in ſua ſatisfactione etiam lacrymando perſtitit, eamque ut recipere dignaretur obſecrando poſtulavit. At ille: Domina, inquit, per Deum pauliſper reticete, & hæc donec in feſtivitate ſanctæ Mariæ conveniamus ſuſpendite. Ipſa autem, ut videbatur omnibus, finem ejus citius adventurum intelligens, & tamen verba ejus vehementer expaveſcens: Utinam, inquit, ô Pater dilecte, tamdiu vita veſtra nobis ſuperſit, donec hoc tempus venerit. Ille vero fortiter collectis viribus, apertiſque oculis, & omnibus diu circumſpectis, ait: In poteſtate quidem Dei vita noſtra exituſque vere conſiſtit, in veritate tamen, quæ Deus eſt, dico vobis, quia in feſtivitate ſanctæ Mariæ, ubi Deus voluerit, certe ſimul erimus; ibidemque coram veraci teſtimonio & de his, & de aliis etiam quæ inter nos diſſident, tractabimus. Et hæc dicens, compreſſis oculis reticuit. At ipſa nimio ſtupore pavefacta, ſilenter circumſtantibus ait: Heu me miſeram, numquidnam ſum moritura, eumque in proximo ſubſecutura? Nec tamen amplius eum inquietare præſumſit, ſed humiliter ſibi ab eo indulgentiam ſimul & licentiam petiit. Item ille apertis oculis eam breviter, immo & ſalubriter de ſacræ religionis obſervatione commonuit,

Holthuſium proficiſcitur.

Huc advenit Sophia.

Cui mortem prædicit.

a Ubique ſcribitur *Bunonem.* Surii tamen prima editio habet *Brunonem.*

b. Sic Bamberg. alii vero *prædiximus.*

c Bollandus ea voce rheuma deſignari putat, legendum forte *humorem.*

d Bamberg. *proficiſci. Ex ea die præſul noſter, decreſcentibus dietim viribus, ad extrema præparatur, & à præfata villa ad Holthuſen.*

e Idem. *pro quibuſdam cauſis eccleſiæ ſuæ eum interpellavit, omnemque de reliquo ſubjectionem, & de præterito errore ſatisfactionem promittere, &c.*

Digitized by Google

ANN. CH. MXXXVIII. IV. MAII.

ac de plurali ſuæ obedientiæ proviſione coarguit, & ſic elevata dextra eam benedictione munivit, eique pro tempore remiſſionem indulgens non ſine magno, ut ipſa fatebatur, timore dimiſit.

Extremæ-unctionis Sacramentum accipit.

a Ac deducitur in montem S. Mauricii.

43. Tranſacta autem hebdomada, beatus Pater, jam deficiente funditus corpore, ab Abbate, ceteriſque fratribus ſacri olei liquore eccleſiaſtico more perungitur, & ita ut prædixit, in vigilia Aſſcenſionis Domini in montem ſancti Mauricii [a] tranſvehitur. Ibi ſtatim ad eum flendo fratres [cum innumerabili alia multitudine fidelium] convenerunt, nec amplius amaritudinem doloris, quo corde tenus vexabantur, abſcondere valuerunt. Cetera vero innumerabilis confluxit fidelium multitudo, quam non minor pro obitu cariſſimi Paſtoris afflixit amaritudo. Quos tamen ille, licet deficiente jam pæne lingua, benigne conſolando dimiſit, & diluculo iterum advenire mandavit. Quibus diſcedentibus, & ſacram noctem illam in magno dolore ducentibus, beatus Pater conſueto more, ſibi Pſalmos ſemper quaſi pro dulci refectione ruminabat, & in tali meditatione curſum ſuum conſummans, animam ſuam attentius Deo commendavit [b]. Summo vero diluculo iterum clerus peractis matutinis advenit, quem ipſe affatu tunc ſupremo, breviter, attamen ſalubriter, de ſacræ religionis & obedientiæ obſervantia commonuit, ſicque confeſſionis verſu cum eis communiter prolato, ad celebranda cum Abbate miſſarum ſollemnia valedictione ultima dimiſit. Præſul autem clemens, non immemor ſuæ promiſſionis, de prædicto ſuo cubiculario Bunone requiſivit ſollicite; quem ubi deſperari corporaliter cognovit, ei per nuntium mandavit, dicens: Conſolare puer meus in Domino & confortare, quia jam tempus inſtat, quo mecum ad patriam æternæ beatitudinis debes vere pervenire. Quæ verba puer lætus audivit, & nil jam de vita præſenti meditans, in ipſa ſacra Aſſcenſionis Domini die viaticum ſalutare petivit, quo percepto, gaudens promiſſionem beati Præſulis exſpectavit.

* feſtive.

1. Cor. 14.

44. Miſſarum igitur apud nos celebritate peracta, refectioneque * feſtine percepta, Fratres iterum jam hora diei decima, ad dilectum Pontificem revenerunt, & officio pæne linguæ ceſſante, corde vero juxta Apoſtolum ſpiritu & mente pſallente, pſalmos in ſolo pectore difficulter ruminantem invenerunt. Tunc inito conſilio, pueros quatuor ſcholares ex utraque lectuli parte ſtatuerunt, quos pſalterium à principio aperte & diſtincte recitare fecerunt. Quibus Pater beatus auditis, quaſi hac melodia delectatus, aliquantulum quievit, interdum & ſimul cum illis pſallere geſtivit. Verſus tamen illos præcipuos, qui ſpecialiter Domino ad ſupplicandum pertinebant, apertis elevatiſque oculis, altius ructitabat. Media autem nocte, jam finito pſalterio, jam imminente manifeſtius fine, matutinale officium incœperunt; & dum ad pſalmum *Benedictus Dominus Deus Iſraël*, pervenerunt, vir beatus in ultimo tunc agone deſudans, vix dum apertis oculis, clero cantante, *Illuminare his qui in tenebris, & in umbra mortis ſedent*, ille, *Ad dirigendos*, inquit, *pedes noſtros in viam pacis*. Et in hoc verbo, dum à clero, *Gloria patri* cum Antiphona, *Aſſcendo ad Patrem meum*, & Patrem veſtrum canebatur, ipſe ab adſtantibus de lecto levabatur, ſicque felix vere illa anima, quaſi obdormiente corpore, carnali ergaſtulo ſolvebatur. Conſonantibus ſtatim ibidem campanis, Fratres qui in monaſteriis felicem ejus obitum ſollerti vigilantia exſpectabant, pro tam dilectæ animæ remedio preces exſequiales frequentabant devote.

Luc. 1.

Pſallens obit.

Ac paullo poſt Buno.

45. Non ergo nunc æſtimo ſilentio prætereumdum primum meriti ejus indicium, in ipſo beato obitu Deo teſte declaratum. Nam ſæpe dictus puer

a De hoc monte Chronicum Saxonicum mſ. ad an. MXXV. *Montem ſpecioſum in occidentali parte ſua civitatis incolere cœpit, quem poſtea titulo ac nomini ſancti Mauricii ſui ſummi patroni dedicavit.*

b Sic Ban. b. alii, *conſummans pernoctabat.*

Buno in domo matris ſuæ juxta eccleſiam ſancti Michaëlis, eodem momento membris præmortuis, extremo tantum ſpiritu in pectore palpitante, deſperatus jacebat: qui reſonantibus ilico campanis, quaſi à ſomno evigilans, quid hoc eſſet ſtupens exquiſivit. Cui cum mater diſſimulans matutinale officium ſignari diceret, ipſe acſi indignans matris adſtantiumque fallaciam: Cur me, inquit, fallitis? Cur veritatem celatis? Vere cum hoc ſigno dilectus Dominus meus cælum ſcandit, & promiſſionum ſuarum, ah, ah, immemor miſerum me reliquit. Surgite, ait, & elevatis manibus cordibuſque, ejus dilectam animam divinæ clementiæ commendate, & ut mei modo meminerit obſecrate. Et elevatis niſu quo potuit ad cælum oculis: O Præſul, inquit, ſancte, ô Pater clementiſſime, per ipſum te adjuro ad quem vadis, ut nunc memineris mei, & ne me in carne jam poſt te relinquas, quem tecum ad patriam iturum ſæpius promiſeras. Illi ſtupentes pariter ac mærentes, dum juſſioni ejus obtemperant, vix eum reflexis oculis ſtatim exanimem aſſpexerunt, quem ilico ſtratu deponebant, & omiſſo fletu, eum quod optaverat obtinuiſſe gaudebant. ANN CH. MXXXVIII. IV. MAII.

46. Fratres vero in monaſteriis exſequiarum debito, matutinalique officio peracto, Miſſarum celebratione, pſalmorumque frequentatione paſtorem ſuum divinæ miſerationi tanto devotius commendabant, quanto ſe ab ipſo commendandos fiducialius ſperabant. Adveniente autem felicis memoriæ BRUNONE Mindonenſis eccleſiæ epiſcopo, quem ipſe Pater venerabilis ſibi in ſpiritualem filium adoptaverat, qui etiam cognita ejus infirmitate, juxta noſtra confinia habitabat, hora ejuſdem diei tertia, totus clerus cum populo militiæ certe & familiæ, & plurali civium, comprovincialiumque, & maxime pauperum frequentia, ad montem ubi ſpecialis noſter theſaurus ſervabatur proceſſit; eumque ad monaſterium ſancti Michaëlis, ut ipſe vivens prædeſtinavit, deduxit. Quo dum appropiatur, ante portas atrii funus defuncti juvenis, cum non modica parentum civiumque turba profertur, quod & ante pedes Epiſcopi per diſpoſitas eccleſias à miniſtris circumfertur. Quantus vero planctus & lamentatio, vel cleri, vel populi, vel etiam pauperum ibidem exſtiterit, ingenii noſtri facundia certe ad enarrandum non ſufficit; quia in una cujuſlibet mente vel voce, luctus & lætitia pariter ſonuit: dum pectora fidelium de præſenti mæror, de futuro pertulit gaudium: quia, ſicuti de ſancto Martino canitur, pium erat flere, & pium gaudere. Merito ergo flevimus, quia talem paſtorem amiſimus; ſed & jure gaudebamus, quod talem interceſſorem præmiſimus.

Corpus S. Viri in monaſterium S. Michaëlis deportatur.

47. Vigiliis igitur ibi pro noſtro modulo condigne peractis, beatum corpus mane ad ſanctum Andream honorifice eſt delatum, ibique oblatis ſacrificiis, inde in principali noſtrâ eccleſia cum debita veneratione collocatum. In craſtinum vero, illuceſcente Dominica, ex diverſis per Saxoniam cœnobiis fratres & ſorores in obſequium tanti patroni convenerant, qui deſtitutionem cleri & deſolationem populi, ac generale Chriſtianiſmi totius damnum, debita lamentatione defleverant; ſicque ab Epiſcopo miſſali officio devotiſſime peracto, ſacrum beati viri corpus in medio noſtro choro, eccleſiaſtico more terræ eſt collatum, quod ibidem uſque in hodiernum diem à fidelibus Chriſti, juxta humanæ fragilitatis poſſibilitatem, condigna eſt reverentia frequentatum. Prædicti autem pueri corpuſculum ante occidentalem templi introitum, ab eodem Epiſcopo prius eſt humatum. Domina vero Sophia, de qua etiam ſupra retulimus, jam de ſua præmonitione magis magiſque ſollicita, ſorores ſuas ac preſbyteros, illo cum oblationibus tranſmiſit, ſeſeque beati viri meritis & precibus ſuppliciter commiſit: ſicque ſuperventuram beatæ Matris Chriſti Aſſumtionem ſimul & Nativitatem, pavens exſpectavit. Quæ tamen, incipiente

Exinde in eccleſiam S. Andreæ.

Tandem in Cathedralem ubi ſepelitur.

ANN. CH. MXXXVIII. IV. MAII. Sophia obit.

ſequenti anno, triduo ante Purificationem ſanctæ Mariæ, ex hac vita emigravit: ſic & in hoc Deus beati patris prophetiam liquido declaravit. Nos quoque quantum, Deo annuente, poſſumus, merito ejuſdem Abbatiſſæ animam divinæ miſerationi ſæpius commendare debemus, quæ congregationem noſtram, dum vixit, omni ſemper dilectione percoluit, ejuſdemque dilectionis certum teſtimonium poſteris reliquit.

Miracula poſt mortem S. Godehardi edita.

48. De miraculis igitur, quæ per beati Patris merita, poſt diſſolutionem corporis ejus, in ſalutem credentium divina pietas clementer oſtendit, melius pauca quam plura ſcribenda putavimus, ne aut ſtudioſis aut deſidioſis faſtidium, vel etiam infidelibus incredulitatis periculum, narrationis prolixitate contrahamus. Præcipue tamen propter quaſdam vanæ mentis perſonas, quæ in noſtra patria uſitato more per ſacra loca diſcurrentes, ſe aut cæcos, aut debiles, aut elingues, vel certe obſeſſos temere ſimulant, & ante altaria vel ſepulcra Sanctorum, ſe coram populo volutantes, pugniſque tundentes, ſanatos ilico ſe proclamant; ea ſcilicet ſola veſana voluptate, ut ſic tantum majorem ſtipem, vel quæſtum à plebe percipiant. Sicque fit, ut & beatum virum ſæpius de talibus dixiſſe præmiſimus, quia mendaces, inquit, faciunt ut veridicis vix credatur. Et cum in hujuſmodi fallacia tales liquido deprehenduntur, etiam veræ Sanctorum virtutes in periculoſam deſperationem hac dubietate retrahuntur: vel certe & hi qui vere ſanantur, etiam non ſolum à perfidis, ſed & interdum à fidelibus fallere creduntur, ſicut utique nobis de quadam muliercula palam venit.

* *al.* Hetelonis.

49. Primo namque prædicti noſtri Antiſtitis [a] Helizonis * anno, in ſpeciali noſtra feſtivitate, id eſt in Aſſumtione ſanctæ Mariæ, anus quædam nobis ignota, velato capite, nubilata facie, ante ſepulcrum beati viri ſe projecit, ibique prædicto amentium more, diutius volutata tandem proſiliens, ſe per multos annos cæcam ibidem tunc illuminatam proclamavit. Quo ſtatim rumore diffamato, clerus populuſque concurrit, ipſe etiam Epiſcopus advenit. Cumque jam ad agendas publice Deo gratias properarent, cives illius, qui eam prius noverant, eamque in hujuſmodi falſitate ſæpius notaverant, venerunt, qui illam & modo, & ſæpe etiam antea talia mentitam veraciter dixerunt. In quam cum jam populus merito, ut male tractaretur, inſurgeret, à clero tamen pro beati pontificis veneratione defenſa, confuſa diſceſſit, & nuſquam nobis poſtea comparuit.

Miracula ſola certa enarrat.

Talibus ergo fallaciis, cauta conſideratione poſt hæc devitatis, pluribus ignotorum dictis, quæ certe vera eſſe poterant, dubitando diſſimulatis, ad ea tantummodo ſola quæ præſentes, veritate Dei teſte, vidimus, vel quæ certe ab his audivimus, quos veraces in timore Domini cognovimus, narrationis noſtræ ſeriem intendimus.

Operarius claudus quē ſanctus alebat.

50. Primum namque fuit, quod & erat, & eſt omnibus notiſſimum. Quidam de operariis noſtræ eccleſiæ, nomine Luidgerus, cum in eccleſiæ atrio ligna collocarent, graviori quadam trabe decidente, femore cum tibia & pede miſerabiliter contrito, penitus debilitatus eſt. Quem beatus Pater, quia prius eum fidelem & utilem cognovit, ante menſam ſuam quotidie cum pauperibus ad eleemoſynam ſedere præcepit. Qui miſer ſuper debilitatis ſuæ dolorem, graviori ſemet mærore ſæpius afflixit, quia ad opus cui mancipatus erat, utilis eſſe non potuit. Quicquid tamen vel ſedendo vel proreptando agere potuit, in hoc ſe voluntaria utilitate ſtudioſus exercuit, nec prorſus aliquod tempus, niſi cum ſomnum vel cibum

[a] Is è præpoſito Goſlarienſi in epiſcopum Hildesheimenſem aſſumtus eſt poſt mortem Azelini anno MLIV. quam ſedem annis viginti quinque obtinuit, ac ſepultus eſt in eccleſia ſancti Mauricii in monte, quam primo pro Monialibus ac deinde pro canonicis, fundarat. Porro monet Henſchenius, nonnulla hic in codice Græcienſi de tribus S. Godehardi proximis ſucceſſoribus, Thietmaro ſcilicet, Akelino, & Helizone ſeu Ethelone, haberi.

caperet, tranſire ſibi patiebatur, quin ſemper in aliquo utilis eſſe videretur. Conſuetudo namque dilecto noſtro Pontifici fuit, ut puerulos, vel etiam pauperes validiores ſæpius per plateas, vel defoſſas petrarum foveas ageret, qui ſibi lapillos minutos quoſdam nivei coloris, vel nigri, vel rubri, interdum vel varii, deferrent, quos ipſe elimatos & politos, variaque colliſione, vel confricatione in ſimilitudinem pretioſorum lapidum redactos, aut in altaribus, aut libris, aut capſis honeſte collocavit. In quo nimirum opere prædictus ille pauper ſe privatim exercuit, & ceterorum induſtriam utiliter prævenit, & pro curioſitate tali, Epiſcopo penitus complacuit. Interdum autem & pictoribus, & eis qui vitro feneſtras componebant, ſe admiſcuit, inter quos etiam utiliter operoſus exſtitit. Ann. Chr. MXXXVIII. IV. Maii.

51. Beato vero Pontifice ex hac luce ſublato, ipſe detonſus & laneis indutus, carne & reliqua lautiore refectione abſtinens, ad ſepulcrum ejus contulit ſe, ibique tam cuſtodibus quam & ceteris fidelibus, quanta potuit fidelitate ſervivit, & poſtremo conſentientibus magiſtris, totam ſepulcri cuſtodiam penitus uſurpavit. Vix tamen debili crure ligno ſuſtentato, reliquo vero corpore baculo ſublevato tale obſequium exercuit. Attamen vires quas invalitudo denegavit, obediendi devotio miniſtravit. Pſalmos quippe non noverat: verba tamen quæ fidelium narratione vel admonitione perceperat, devotius invigilando, ſæpiuſque in modum veniæ, fidelium more decumbendo, ſollicitus frequentabat. Quo ibidem in hac ſedulitate firmius perdurante, & altiora quantum ad ſe proficere ſatagente, quadam die ſabbati ad veſperam, dum in choro veſpertina laus canitur, ipſe juxta ſepulcrum pontificale proſternitur, & ibi diutius aut ſomno, aut ecſtaſi quaſi immobilis detinetur, &, ut ipſe poſtea fatebatur, intolerabili quadam membrorum ac nervorum diſtenſione, vel contractione inviſibiliter cruciatur. Sed finita laude quaſi ſoporatus ſurrexit, & velut plus ſolito ægrotans, vix habitaculum repetiit. Statimque lectulo collocabat ſe, & per totam noctem in illa membrorum diſtractione durius laborabat: ſed paullo ante Matutinum, tandem ſopitus dormivit, & ſomnium in quo ſurgere, & ad eccleſiam ad agendas Deo gratias properare juſſus eſt, vidit. Somno tamen cito excitus ſurrexit, moxque remoto femorali ſuſtentaculo, rejectoque baculo, matutinali hora & eccleſiam intravit, & coram omnibus Deum evidenti profeſſione laudavit, & poſtmodum in finem vitæ incolumis, quanto diutius, tanto devotius miniſtravit.

Fit cuſtos ejus ſepulcri. — *Sanatur.*

52. Mulier etiam quædam, nomine Merſvid, omnibus nobiſcum commanentibus notiſſima, quæ per multos annos errabat cæca, ad idem beati Præſulis ſepulcrum in craſtinum poſt Aſſumtionem ſanctæ Mariæ, coram clero & populo eſt illuminata.

Mulier cæca lumen recipit.

53. Quidam quoque ruſticus de pago eccleſiæ, qui Holthlaon dicitur, nomine * Emko, diutina infirmitate miſerabiliter fatigatus, contractione lumborum per multos annos eſt crurum officio ſpoliatus: qui tandem ad viri ſancti memoriam baculorum ſuſtentatione vix dum proreptando pervenit, ibique in anniverſario ejus die integram ſanitatem coram clero & populo, omnibus nobis intuentibus recepit.

* Deniko. *Claudus greſſum.*

54. Nobilis vero quædam femina non ignota, de Epiſcopatu Mindonenſi, Siuve nomine, puellam fratris ſui filiam nutrivit, quam in locum filiæ adoptatam intime dilexit: quæ graviſſimâ infirmitate præventa, periclitari cœpit, & quaſi præmortua biduo exanimis jacebat. Propinquis vero cum familia & civibus aſſidentibus, & tantam puellæ elegantiam pro multiplici miſeratione amare deflentibus, anus quædam, quæ ad eccleſiam ſerviebat, de memoria noſtri Præſulis ſermonem habuit, & qualiter ad ejus tumulum infirmi per divinam miſerationem ſanarentur expoſuit. Cujus admonitione domina ipſa compuncta, matutinali tempore

Puella fere exanimis.

Digitized by Google

ANN. CH. MXXXVIII. IV. MAII.

eccleſiam intravit, & coram altari proſtrata, profuſis lacrymis, Deo, ſanctæque Mariæ, & beati etiam Præſulis animæ, pro eadem ſua nepte oblationes intima devotione devovit; & continuo; ut ipſa nobis flendo juravit, regrediens puellam jam videntem, jam loquentem reperit; quæ refectionem petiit, & accepit, &, Chriſto pro beati viri meritis annuente, ſanitatem integram recepit. Quam amita ipſius quinta poſt die ad ſanctæ Mariæ altare, & ad tumulum Præſulis cum promiſſis oblationibus deduxit, & qualiter ſanata ſit, cum ſufficienti civium ac provincialium ſuorum teſtimonio, coram multitudine comprobavit.

al. * Folchardus. Item & puer.

55. Frater quoque noſter non ignotæ memoriæ, * VOLCVVARDUS preſbyter, eo tempore Vicedominus, poſtea noſter præpoſitus, poſtremo felix Brandeburgenſis eccleſiæ epiſcopus, qui eidem patri noſtro, ut omnibus notum eſt, & fideliter ſervivit & intime complacuit. cum poſt obitum ejus epiſcopales curtes more ſolito circuiret, in villam quæ * Eckershuſon dicitur devenit, & in domum quamdam ad prandendum divertens, puerulum miſera languoris infirmitate detentum invenit, qui tunc per aliquot hebdomadas, omni membrorum officio deſtitutus jacebat, & ad exitum dietim, ut omnibus videbatur, appropinquabat. Quem idem preſbyter, ſicut ſemper erat ſuper talibus miſerans, lacrymando diutius intuebatur; languoriſque tempus & eventum ex familia ſciſcitabatur. Quod ut agnovit, flenti matri, ut ad tumulum ſancti Pontificis candelas juxta pueri menſuras promitteret perſuaſit. quod & ipſa ſtatim libentiſſime fecit. Sed cum pauper illa ceram ad talia non haberet, ipſe ex lino * lumen parari præcepit, & puerum per ſingula membra metiri fecit, ut certe menſuram ſecum deferret, & per ſe præſtita cera candelas pro ægrotante, ad beati viri memoriam offerret. Quo facto, ad prandium conſederunt, & quaſi oblito puero, alia quædam inter ſe fabulari cœperunt. Interim vero puer mira celeritate quaſi ex morte revixit, & in lecto cunctis admirantibus reſedit, & vocata matre de ſtratu prorepſit, & refectionem petiit, & eodem momento percepit; & poſtea pro beati viri meritis incolumis permanſit.

al. * Aſchgereshuſen.

* lychnum.

Diaconus cæcus recepit viſum.

56. Erat etiam in noſtra congregatione juvenis quidam ex laïco converſus, Deſiderius nomine, & eodem beato viro jubente in clero tonſoratus, & uſque ad Diaconatus ordinem promotus: & quia plenum officium cantando & legendo cum Fratribus frequentare non potuit, eum ne penitus vacaret, cum cuſtodibus eccleſiæ miniſtrare præcepit. Tempore autem Azelini noſtri præſulis [a], poſt miſerabile incendium noſtri monaſterii, dum idem Frater noſter infra feſtivos dies nativitatis Domini, quadam veſpera in ſcholis cum pueris ſermocinando conſedit, ſubita cæcitate miſerabiliter perculſus cecidit, & alia etiam infirmitate concreſcente, longo tempore decubuit. Quadrageſimali vero tempore, cæcitate durante, ex infirmitate convaluit, & eccleſiam debito more frequentans ad pontificale ſepulcrum ſpe ſanandi ſæpius proſtratus procubuit, & contigit quadam feria ante Paſcha, certe in Kalendis Aprilis, quando celebramus adventum reliquiarum ſanctorum [b] Cantianorum martyrum, dum in matutinis ibidem procumberet, ilico quaſi pruriente dextro oculo, & durius manu confricato, ſanguis non modicus prorupit, & ſtatim in eodem oculo viſum recepit, pro qua clementia divina pietas ab omnibus in commune laudabatur, & pro reliquo ſolita miſerationis Domini potentia exſpectabatur. Poſt Paſcha vero in anniverſario die ſancti Patris noſtri, cum in ejus

a Bamberg. *reverendi pontificis noſtri Wecelini.*

b Sic dicti ſunt SS. Cantius, Cantianus & Cantianillus, qui cum Proto pædagogo ſuo paſſi dicuntur Aquilegiæ pridie Calend. Junii. Eorum paſſionis Hiſtoria tribuitur ſancto Ambroſio apud Mombritium: alia ex antiquo codice mſ. C. V. Ulrici Obrechti edita eſt in Appendice Liturgiæ Gallicanæ.

memoria,

Digitized by Google

memoria, Miſſa pro defunctis ab Epiſcopo celebrata eſt, tempore oblationum coram clero & populo quaſi infirmatus corruit, & prærumpente ilico ſanguine ex oculis & naribus, & etiam auribus, aperto oculo viſum liquido percepit. Miſſali denique officio peracto, Epiſcopus habito ſermone clerum & populum ad laudes debitas Deo perſolvendas admonuit, & profuſis unanimiter lacrymis, Deum pariter & ipſe laudavit. Qui frater eodem momento *, Deo gratias, penitus convaluit; & poſt hæc in promiſſa profeſſione uſque in finem fideliter permanſit.

ANN. CH. MXXXVIII. IV. MAII.

* al. die.

57. Plurima igitur beati Paſtoris noſtri præconia, ea ſolummodo quam præmiſimus ratione, præterimus, quæ per divinam clementiam ab initio uſque adhuc, glorioſe fieri ſæpius ſentimus. Nec tamen illud reticebimus, quod, tota ſancta Dei Eccleſia teſte, verum eſſe novimus, quia plures plerumque ad ſepulcrum ejus cum oblationibus gaudentes adveniunt, qui ſe ſe ſuoſque à variis tribulationibus vel infirmitatibus celeri ſubventione, per virtutum ejus merita liberatos publice referunt. Namque ut alicui aliquid incommoditatis, vel moleſtiæ occurrerit, ſtatim cum ad ſancti hujus Patris memoriam, vel abſens oblationis ſuæ votum ubicumque promiſerit, proculdubio eodem momento quamcumque conſolationem in vera fide ſperans obſecrat, celerius eam meritis ejus ſuffragantibus impetrat, [per eum, qui omnia operatur in omnibus, Dominum noſtrum Jeſum-Chriſtum, qui cum Patre & Spiritu-ſancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.]

Plurima miracula omittuntur.

MIRACULA DECEM A S. GODEHARDO facta, dum adhuc eſſet Abbas.

I. *De quodam febricitante, quem ſanavit in Bavaria.*

58. JOHANNES quidam civis Patavienſis, febris incommodo vexabatur per longa tempora: contigit autem, ut ſanctus pater Godehardus adhuc Abbas in ſuo monaſterio Altach, pro negotio dicti ſui monaſterii Pataviam adveniret; & infirmus ille, ipſius cognita præſentia, fratrem ſuum miſit ad eum, rogans, ut ipſum cauſa Dei viſitare dignaretur. quod & fecit. Viſis autem ipſius in quibus decubuit febribus, ingemuit, & ait: O Pater Adam, quis te tam celeriter excæcavit, ut mandatis Dei creatoris tui contraires, & tot malis nos omnes peccato tuo ſubijceres! Ecce poſt hæc, quæ temporaliter hic patimur, niſi mandata ejus ſervaverimus, æternaliter pati formidamus; & erit hoc malum temporale initium nobis malorum æternorum. Hoc autem cum dixiſſet, accipiens ſcyphum quemdam, & vinum in eum fundens, ſigno crucis ſignatum benedixit, & tradidit viro decumbenti, dicens: Bibe frater in nomine Domini noſtri Jeſu-Chriſti; & in eo confortare. Qui bibit confidens in Dei clementia, & ſancti viri meritis, ilico ſurrexit ab omni febris incommodo penitus liberatus, & ivit ad eccleſiam ſancti Stephani laudans Deum.

II. *De quodam monacho, quem precibus ſuis à febre acutiſſima liberavit.*

59. Vir ſanctus Godehardus monachum quemdam de monaſterio ſuo Altach, ad monaſterium Herveldenſe ſecum duxit; qui poſt ibidem febrium moleſtia decumbebat. Hunc ſanctus Pater conſolationis gratia frequenter viſitavit. Quodam autem tempore dixit infirmo: Frater mi, quomodo habes? Et infirmus ait: Ecce, Pater, febrium moleſtia nimium me vexat, ita ut vita quaſi nulla amodo ſit in me. Et ait ei vir Sanctus: Do-

Digitized by Google

ANN. CH. MXXXVIII. IV. MAII. minus noſter Jeſus-Chriſtus majora pro nobis paſſus eſt, quam hæc febrium tuarum poſſunt eſſe incommoda. Cui decumbens ait: Scio, Pater mi, ſcio, quod multo graviora pro nobis paſſus eſt ad mortis amaritudinem tormenta. Et ait ſanctus Godehardus: In nomine Jeſu-Chriſti, qui graviora pro nobis ſuſtinuit, ſurge; & in fratrum tuorum collegio pſallens benedic eum, qui te ſuo ſanguine abluit, & redemit. Et infirmus ait: Surgam in nomine Jeſu-Chriſti, & ibo ad patrem meum; qui & Pater Domini mei Jeſu-Chriſti, & dicam ei: Jam non ſum dignus vocari filius tuus, ſed fac mecum miſericordiam tuam, quaſi cum ſervo tuo, ſed à via tua deviante, & ad te clementer ſuſcipe revertentem. Et, inter hæc verba, ſurrexit, & ad chorum ivit, & omnibus admirantibus, cum adſtantibus laudans Deum & cantans, benedixit.

III. *De quadam juvencula à moleſtia febrium liberata.*

60. Juvencula quædam in opido Teckendorff, in territorio Bavarienſi, cum febrium moleſtia nimium gravaretur, adſtabant ei quædam honeſtæ feminæ, referentes ei qualiter prædictus in Patavia meritis beati Godehardi poſt hauſtum vini per eum benedicti, à febrium rigore fuerat liberatus. Quibus auditis, dixit infirma patri ſuo: O mi dilecte pater, rogo te per Jeſum-Chriſtum, ut mittas ad ſanctum virum Godehardum, petendo eum, ut benedicat parum vini in cupha, vel ſcypho ſuo, & mittat ad me, ut bibam ex eo, ut allevier à fervore febrium, quibus inceſſanter affligor atque uror. Pater autem his auditis, miſit ut voluit, & vinum benedictum accepit à ſancto Godehardo, quod juvencula bibit infirma in nomine Jeſu-Chriſti; & ſubito ſanata eſt, & ſurrexit laudans Deum, qui meritis ſancti Godehardi eam clementer à vi febrium liberavit.

IV. *De quodam ſcholare ſanato à ſimili febrium moleſtia.*

61. Servus Dei Godehardus, quia erat ex corde miſericors, & ſuper afflictos pia geſtabat viſcera, infirmorum ſive decumbentium, vel per ſe, aut per alios ſemper viſitavit domicilia. Contigit autem quodam tempore, cum adhuc in abbatia Altahenſi præſideret, quemdam ſcholarem cujuſdam viduæ pauperis, febrium moleſtia graviter infirmari; quem pietate ſolita ſæpius viſitavit, cui & quodam tempore dixit: Fili viriliter age, ſuſtinens flagella Domini, ac confortetur in eo cor tuum. Ipſe enim eſt, qui percutit & medetur; atque ſanat, ſuos caſtigans electos, ne morti tradantur ſempiternæ. Et juvenis ait: Quæ eſt fortitudo mea, ut hæc gravia ſuſtineam, & patienter agam? Et pater ſanctus ait: Confide, fili, *ſciens* quod non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis; & libenter gloriari velis cum Apoſtolo in infirmitatibus tuis, ut in te ſicut in eo habitet virtus Chriſti. nam virtus in infirmitate perficitur. Cui infirmus ait: Peto, ſancte Pater, ut Deum pro me miſero ſuppliciter exores. At Pater ſanctus, pomum in manu habens, quod forſan ſecum tulerat, aut juxta lectum infirmi invenerat, benedixit; & dedit infirmo, dicens: Accipe fili, & manduca pomum, in nomine Jeſu-Chriſti: &, ſi eſt voluntas ejus, de lecto ſurge ſanus; ſin autem, maneat hæc infirmitas tibi, & patienter age, ut à Deo præmium vitæ æternæ, in quo æterna eſt ſanitas, valeas promereri. Comedit ille, & ſurrexit ſanus laudans Deum.

V. *De juvene ſubmerſo, meritis ſancti Godehardi reſuſcitato.*

62. Juvenis quidam de caſtro Stauvvenborch in Bavaria, prope Da-

Digitized by Google

nubium fluvium pertranſire volens, procellis navem ſubvertentibus, mergitur in flumen; ubi pluſquam tribus horis remanſit incognitus. tandem corpus exanime ad litus ejicitur, & mortuus ad domum parentum deportatur. Lacrymantur proximi, & gemunt affines ob mortem tam ſubitam juvenis tam famoſi. Sanctus autem abbas Godehardus caſu tranſiens locum illum, & audiens voces ululantium, ait: O mors, quam amara eſt memoria tua homini! quam ſubito & inopinate exſtinguis! quæ & peccatoribus es peſſima, juſtis autem nimis deſiderabilis atque pretioſa. Cum autem hæc & his ſimilia diceret, venit mater miſera juvenis, & ad pedes procidit viri ſancti, dicens: Domine, ſi quid potes apud Deum, miſerere mei, & reſuſcita filium meum. Cui ſanctus Pater: Crede mihi mulier, ut verum eſt & experientia docet quotidiana, omnes ſubjacemus mortis imperio, ideoque beati mortui qui in Domino moriuntur. Mors enim omnes qui in mundo vivunt, non uno, ſed quaſi mille modis ſternit. Beatus qui vigilat, & in adventu præmunitur. Et iterum mulier ait voce lacrymoſa: En filius meus unicus & dilectus, in flumine ſuffocatus interiit ſubito; huic timeo damnationem, quia mundanus erat nimis. Rogo igitur, pie Pater, ſi quid potes apud Deum, reſuſcita filium meum; ut tantum ſua confiteatur delicta, & ſanctis Eccleſiæ ſacramentis muniatur: & poſt, ſi Deo placet, in pace feliciter requieſcat. Cui vir ſanctus, Salvatoris utens verbis, ait: O mulier magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut petiiſti. Et tranſiens cum ea ad cadaver in libitina jacens. & tenens manum ejus dixit: Adoleſcens tibi dico ſurge. Et juvenis ſurrexit incolumis atque ſanus; & ſanctum virum petiit, ut cauſa Dei confeſſionem ejus audiret, & pro peccatis ſuis ſibi injungeret pœnitentiam ſalutarem; & annuit ſanctus Pater petitioni ejus, & audita confeſſione ejus, ſacris Eccleſiæ ſacramentis eum præmunivit. Quo facto, juvenis ait: Jube me, ſancte Pater, nunc iterum in pace quieſcere; quod mundum nimis horreo, qui ſuos amatores mittit in gehennam, cujus pœnam graviſſimam ex parte ſum expertus. Et vir Dei ait: Dormi, fili mi, & quieſce feliciter in pace Jeſu-Chriſti. Et ille reſpondit, Amen. Et inclinato capite, in gratia Dei feliciter obdormivit. Felix autem mater ejus, his auditis & cognitis, ſemota prorſus omni triſtitia, cum gaudio corpus filii eccleſiaſtico more tradidit ſepulturæ, ac Deo, devotione quanta potuit, animam ipſius lætiſſime commendavit.

VI. *De muliere in partu laborante, & orationibus ſancti à dolore partus liberata.*

63. Sanctus pater Godehardus, dum in cella ſua poſt vigilias matutinas orationis cauſa reſideret, contigit ut quædam mulier habitans in confinibus monaſterii, partu laborando cruciaretur; cui compatiens vir ſanctus, terræ procumbens orationi ſe dedit, dicens: O Domine Deus omnipotens, adjuva plaſma tuum, miſerere filiæ Evæ in matris ſuæ maledicto laborante. Et ilico, modo quodam inopinato mulier conticuit; quia peperit filium: quæ poſtea obdormiens, ei revelatum eſt, quod precibus ſancti Godehardi à dolore partus ſit liberata. quæ gratias egit Deo, qui eam ſancti viri meritis tam clementer viſitavit: filium autem ſuum Godehardum vocari fecit, & in puerili ætate eum tradidit ſancto viro regularibus diſciplinis imbuendum. Hac igitur de cauſa mulieres regionis illius, in dolore partus ſancti Godehardi patrocinium conſueverunt invocare, & multæ petitionis ſuæ ſentiebant effectum adoptatum.

Digitized by Google

Ann. Chr. MXXXVIII. IV. Maii.

VII. *De quodam quem in via ſocium habebat, qui cadens crus fregit, ſed ſanctus vir ſubito eum ſanavit.*

64. Cum ſanctus Godehardus pro negotio forſitan ſui monaſterii ad Romanam iret curiam, habens aliquos de ſuis monachis ſecum in ſuo comitatu, inter quos quidam ceteris ſenior, Erkenfridus nomine, incaute procedens, dum montem, qui Godehardi dicitur, aſcenderet, equus cum eo cecidit, & crus ejus dextrum ex toto confregit. Qui gemens cum lacrymis, ait, contra ſanctum Dei murmurando: Ut quid pater, me duxiſti ad montis iſtius præcipitium, ut me interficeres? cui ſanctus pater ait: Scio, fili mi dilecte, quod invite mecum iter hoc cœpiſti; & intra te ipſum murmurando, mihi detraxiſti. Ideo tunc reddita eſt tibi merces tua. Pœnitere igitur, & ora Deum ut dimittat tibi offenſam hanc, ut ſaneris. Qui ait: Adjuva pater infirmitatem meam, & remitte mihi quod deliqui contra te: & cruciet me flagellum Dei, quantum libet. Vir autem Dei, audita ejus devotione, tetigit confractum os cruris ejus, & ait: Sanat te, frater, Dominus Jeſus-Chriſtus: & tu in nomine ejus ſurge, ut ambulemus. Qui ſurrexit ex toto ſanus, & ultra profectus cum eo. Idem poſtmodum ſecutus eſt eum Hildeneshem, & manſit apud eum uſque ad diem mortis ſuæ.

VIII. *De muliere cæca, quam ipſe illuminavit cum Deo.*

65. Contigit quadam vice, ut ſanctus Godehardus pertranſiret opidum * Stravvigen diœceſis Ratiſbonenſis; & obviavit ei quædam cæca mulier mendica oſtiatim quærens panem, quæ forſan equorum nitebatur declinare ſtrepitum, & in lapide lædens pedem, cecidit graviter nimis. Sanctus autem Godehardus, hoc viſo, ſubito deſcendit de equo, & accurrens amplexando eam relevavit, &, quantum potuit, luti ſorditiem de mantello mulierculæ terſit diligenter; &, ait: Quare cecidiſti mater? Et illa dixit: Cæca ſum, amice; & ideo offendicula viarum cavere non valeo, nec poſſum devitare. Sanctus autem Pater ſibi ex corde compatiens, ait, O mi Deus meus, quot ſunt in terra convicia & gravamina tui plaſmatis! bene ergo dicitur, Væ, væ, væ habitantibus in terra. Et cum dixiſſet, lutum cum ſputo miſcuit, more noſtri Salvatoris, & linivit oculos ejus dicens: O Domine Jeſu-Chriſte, qui in conſpectu diſcipulorum tuorum lutum ex ſputo feciſti, liniviſtique oculos cæci cujuſdam, & vidit; illumina etiam oculos hujus pauperculæ tuæ, ut confiteatur nomini tuo, & glorietur in prædigna laude tua. His ſic actis, & dictis, mulier cœpit ſanctum virum intueri; ceciditque ad pedes ejus dicens: Viderunt oculi mei *ſalutare* Dei: & prona oſculabatur pedes ejus; & ivit ad propria, laudans Deum pro virtutibus & meritis ſancti viri.

* *Stravvbingen.*

IX. *De obſeſſa ſanata meritis ſancti Godehardi.*

66. In civitate Ratiſbona, quodam tempore, ſanctus Godehardus morabatur pro negotio forſan ſui monaſterii: ubi quædam obſeſſa à dæmonio ad eum ducebatur, ut ſanaretur ab eo. Quam vir Dei inſpiciens, ait: Reſponde mihi, immunde ſpiritus, ad ea quæ à te quæro. Quid hic agis in creatura Dei? At dæmon ait: Pleno jure eſt anima ipſius mea, quod incantatrix eſt, & per eam multas animas lucratus ſum. Et ait vir ſanctus: Quare propter incantationem tua eſt? Et dæmon ait: Nonne legiſti quia Dominus pythones, divinos & incantatores juſſit exterminari? quid enim tales faciunt, niſi quod mihi meiſque principibus deſerviunt, idololatræ

Pythones ſunt idololatræ.

Digitized by Google

enim ſunt. vix etiam aliquos tanto jure poſſidere poſſumus, quanto hujuſmodi vitiis irretitos. Numquid ignoras, quod inter mille incantatrices aut divinos, vix una invenitur, quæ vel qui velit hoc vitium confiteri? ſic enim ora ipſorum claudimus, ut de talibus loqui nihil valeant quovis modo. Et ait vir ſanctus: Scio, quia magna eſt malitia tua & tuorum ſimilium; nec tamen dubito, quod major bonitas Dei eſt & clementia. Ergo, immunde ſpiritus, da honorem Deo, & recede ab hac creatura ejus, ut redeat ad gratiam, quam tu ab ea abſtuliſti. Et dæmon ait: Cur me in tantam agis violentiam? Quid feci tibi, aut quid habes contra me? Et ille ait: Audi proterve & immunde ſpiritus. In illa æterna patria, de qua tu ſuperbiens cecidiſti, tanta mihi erit lætitia de bono communi, ut de meo proprio, immo & multo major: & ideo hic dolere convenit de malo alieno multo fortius, quam de malo proprio. Per hoc enim vitam æternam promerebor. Habeo ergo contra te juſtam cauſam, quod minus juſte poſſides, & punis ſororem meam, plaſma Dei creatoris tui. Non enim, ut aſſeris, ago tibi violentiam; ſed pro gloria Dei & amore plaſmatis ejus, pro quo Unigenitus ejus ſanguinem ſuum fundens, amariſſimam mortem ſuſtinuit, contra te non pugil, ſed victor glorioſus [decerto.] Ergo, tibi præcipio, ſuperbe & immunde ſpiritus, in nomine Jeſu-Chriſti, recede ab ea; & non præſumas amodo creaturam Dei moleſtare. Et ſic ſpiritus ille malignus abſceſſit: & mulier, ut mortua cecidit. Sed vir ſanctus ſubito eam erexit: erecta vero publice vitium incantationis quod dudum multoties perfecerat, cum lacrymis eſt confeſſa; quam & vir ſanctus abſolvit virtute paſſionis Jeſu-Chriſti. ANN. CH. MXXXVIII. IV. MAII.

X. *De puero multum hebete, quem oratione ſua docilem fecit.*

67. In civitate Patavia erat quidam civis dives valde, qui habuit filium quem tenerrime dilexit; qui puer adeo hebes erat, ut in tribus annis non potuit efficere, ut diſceret minus alphabetum. Unde pater ejus ſanctum Godehardum adiit, retulitque ei duritiam cordis filii ſui, petens obnixius, ut pro eo ſuppliciter orare dignetur; quatenus Deus omnipotens eum illuminare dignaretur. Sanctus vero Godehardus, vocato ad ſe puero, ſuper eum legit quæ ſequuntur: Omnis ſapientia à Domino Deo eſt; cum collecta, Deus qui per coæternam tibi Sapientiam, hominem cum non eſſet condidiſti, &c. & addidit: Vade fili; & ille magiſtrorum Optimus, qui ſubito docuit Apoſtolos, te inſtruat, & in via recta ad agnitionem perducat clariorem. Qui puer ita mutatus eſt, ut in brevi tempore omnes ſuos conſanguineos, & omnes ſibi coætaneos, immo ſeniores, atque doctiores ſe, ſapientiæ plenitudine anteiret. qui poſtea, propter intellectus & ſapientiæ profunditatem, in epiſcopum Patavienſem eſt electus atque ordinatus; unde ſibi & ſubditis pro animarum ſalute inſtantiſſime laboravit.

Sequens miraculum factum eſt, cum eſſet Epiſcopus.

De mortuis, qui ad præceptum ſancti Præſulis ſurrexerunt de ſepulcris, exeuntes de eccleſia, quia excommunicati, quod vivi facere noluerunt.

68. Accidit, ut ſanctus Præſul Godehardus, quoſdam de ſuis ſubditis, ob eorum rebellionem, poſt monitiones conſuetas excommunicaret; quorum aliqui, malitiæ ſuæ veneno excitati, ipſo celebrante, eccleſiam intraverunt arroganter & proterve. Quo cognito, ſe divertit ab altari dicens: Præcipio vobis omnibus, qui eſtis excommunicati, in virtute Spiritus-ſancti, & ſanctæ obedientiæ, ut exeatis de eccleſia. Rebelles autem & excommunicati hoc præceptum non curantes perſtiterunt, remanentes in

Digitized by Google

Ann. Ch. MXXXVIII. IV. Maii.

ecclesia. Sed quidam de mortuis, qui multis annis quieverant in monumentis, qui & forſan, ignorantibus eis, qui eos ſepelierunt in excommunicatione [a] ſepulti fuerant, ſurrexerunt, & de eccleſia exierunt. Quod videntes illi rebelles, erubuerunt; & poſt mortuos exierunt. Sanctus autem Præſul, finita Miſſa, ad eos exiens dixit: Audite rebelles, & increduli, & videte juſtum Dei judicium contra vos. Ecce mortui Deo in ſuo vicario obediunt, vos autem ſuperbo referti ſpiritu, obedire contemſiſtis. Surgent igitur mortui iſti contra vos in judicio, & ſententiam damnationis allegabunt contra vos, niſi plenam & condignam pœnitentiam egeritis. Et, his dictis, convertit ſe ad mortuos dicens: Ego vos, fratres, auctoritate Domini noſtri Jeſu-Chriſti, abſolvo à ſententia excommunicationis, qua huc uſque fueratis innodati, in nomine Patris & Filii & Spiritus-ſancti, Amen. Ite, revertimini ad loca, & in pace requieſcite, adventum Judicis præſtolantes. Mortui autem, inclinatis capitibus, & junctis manibus, quaſi gratias agentes ad loca ſua remeaverunt, & quieverunt.

CANONIZATIO ET TRANSLATIO ſancti GODEHARDI.

Quomodo beatus Godehardus in ſanctorum numerum ſit relatus, & de miraculis ſubſequentibus.

Prologus.

1. GLORIA ſummo Creatori, & humani generis Reparatori, qui non noſtris meritis, ſed ſua immenſa bonitate, dignatus eſt confeſſorem ſuum beatum Godehardum pontificem, ad ſalutem omnium credentium hominibus noſtri temporis revelare, & eum qui pro longinquitate temporis, jam quadam nube oblivionis obfuſcatus fuerat, ut tandem ab incolis noſtræ eccleſiæ veneraretur, voluit nationibus diverſarum terrarum manifeſtare; ut gloria ipſius non tantum ad domeſticos fidei attingeret, ſed etiam in exteras nationes ſe dilataret. Qualiter autem, & quo ordine, tranſlatio prædicti confeſſoris noſtri facta fuerit, non turgido eloquio, vel nitens grandi coturno, ſed ſimplici ſtilo aggredior deſcribere: non confiſus ingenii mei igniculo, ſed illo Evangelico dicto: Aperi os tuum, & ego adimplebo illud. Et iterum: Non vos eſtis, qui loquimini; ſed Spiritus Patris mei, qui loquitur in vobis. Per ſcripturas enim res prætęritæ, & brevi tempore in oblivionem tradendæ, ad memoriam revocantur; & per res virtuoſe in Eccleſia geſtas, cum leguntur, fideles accenduntur, & torpores mentium diſcutiuntur.

Pſalm. 80. *Matth.* 10.

Scripturarum utilitas.

2. Anno Dominicæ Incarnationis [b] MCXXVIII. obitus vero beati Godehardi nonageſimo, [c] BERTHOLDUS vir venerandus, & in omni eccleſiaſtica religione perſpicuus, utpote ſcientia litterali admodum eruditus, & morum honeſtate valde decoratus, Cathedræ noſtræ eccleſiæ præſidebat, quam diſcrete gubernando, & religioſos viros undique ex diverſis eccleſiis ad ſe colligendo, adeo ſublimavit, ut diverſas cellas ſuis temporibus ædificaret, & in ſpiritali converſatione, dulci adhortatione confirmaret. Quo reſidente in communi conventu cleri ſibi commiſſi, & de populi eccleſiæ noſtræ utilitate, uti mos ejus erat, ſemper pertractante,

Bertholdi Hildesheimenſis Antiſtitis elogium.

[a] Similem hiſtoriam refert S. Gregorius, lib. 2. Dialogorum cap. 23. ubi ſanctimoniales à B. P. Benedicto excommunicatæ, ab eccleſia in qua ſepultæ fuerant, videbantur exire, quoties Diaconus in Miſſa clamabat, *Si quis non communicat, det locum.* Sed tandem oblatione S. Patris abſolutæ fuerunt.

[b] Ex hoc loco etiam probatur beatum Godehardum anno MXXXVIII. obiiſſe. Si enim annos XC. aliis MXXXVIII. addideris, annum MCXXVIII. quem hic auctor aſſignat, reperies.

[c] Bertholdus hanc ſedem quindecim annis obtinuit, obiitque anno MCXXX. Erexit monaſterium Bertholdirodenſe pro Canonicis regularibus non longe ab urbe Hildeshemio, quod poſtea Ciſtercienſibus ceſſit.

Digitized by Google

ANN. CH. MXXXVIII. IV. MAII.

Deo faciente, uti poſt effectus indicavit, ex improviſo ſermo de patrono noſtro beato ſcilicet Godehardo exoritur; item atque item à pluribus replicatur, conquerentibus & condolentibus ſe tam miſericordem habere patronum, & condignum ſibi in eccleſia Dei non exhiberi honorem. Nam quantam miſericordiam, & quam manifeſtam gratiam prædictus confeſſor fratribus noſtris, ſuis meritis apud Deum obtinuerit, ab ipſis viris auctorabilibus, in prædicto conventu exſiſtentibus omnibus manifeſtatur: per quod, mentes aſſidentium omnium non ſolum exhilarantur, ſed qualiter laudes ipſius in Eccleſia Dei multiplicentur, unanimiter omnes accenduntur.

Adhuc juvenis hominem caſu lancea percuſſerat.

3. Prædictus enim antiſtes noſter Bertholdus privatam gratiam, ſibi à patrono noſtro conceſſam, omnibus aſſidentibus indicavit, & qualiter eum pium interceſſorem apud Deum eſſe cognoverit, non ſine contritione cordis fratribus noſtris enumeravit. Nam, tempore juventutis ſuæ, cum ipſe inter ceteros adoleſcentes ludicris rebus eſſet intentus, contigit ut ipſe in ſuburbio noſtræ civitatis quemdam laïcum non voluntarie lancea perforaret, & eum quaſi mortuum ad terram proſterneret: qui quaſi ſemivivus domum deducitur, lecto affigitur, & uſque ad mortem periclitatur. Sed præfatus Antiſtes noſter dolens & mærens in diverſa rapitur, ſe ſacris Ordinibus quaſi homicidam eſſe repellendum anguſtiatur; & ita in diverſas cogitationes animus ipſius invitatur. Tandem nutans quaſi navis deprehenſa in fluctibus maris, ad patronum noſtrum beatum Godehardum, ut ad portum tutum ſe dirigit, ſpem ſuam in eum quaſi anchoram in firmum litus infigit, ut ab imminente anxietate eum eriperet, corde contrito & humiliato ſpiritu poſtulavit. Sed vir vulneratus, dum jam eſſet in agone poſitus, ipſe fide firmus, ad ſepulcrum ſancti Patroni noſtri ſe proſtravit, totamque noctem in oratione pernoctavit, & magis rugitu cordis, quam propalatione vocis miſericordiam imploravit. Sed tandem prope termino noctis, vigiliis defatigatus, & dolore conturbatus, quietem intrare compellitur. In qua ei & ſtatura & forma patroni noſtri in viſione, [a] quantum tamen quam in hac vita viderat, certiſſime manifeſtatur. Nam, dum adhuc eſſet inter vigilias & adultam quietem, perſona patroni noſtri ei in viſione apparuit, ut Miſſarum ſollemnia celebrari faceret, ei diligentiſſime indixit, & ut officium, Ne timeas Zacharia, exaudita eſt oratio tua, decantari faceret, continuo adjunxit. His viſis excitatus, orationes ſuas magis ac magis continuare inſtituit: ſed in via nuntium ſuſcepit, qui certiſſime ægrum evaſiſſe mortem nunciavit. His auditis, corde & animo exhilaratus, Deum cæli benedixit, qui nobis talem patronum in eccleſia noſtra reſervavit.

Qui S. Godehardi meritis convaleſcit.

Tangens ſancti ſepulcrum punitur.

4. Fuit vero tunc temporis in conventu noſtro ſacerdos quidam religioſus, Adelbertus nomine, qui regulari vita in cella beati Bartholomæi, quæ ſita eſt in Orientali plaga noſtræ civitatis, vivebat; qui cum audiſſet quæ Præſul noſter narravit, videns tempus idoneum, & ipſe ſibi gratiam à Domino collatam Patrono noſtro, omnibus intimavit. Dum enim ipſe quadam nocte patrocinia ſanctorum implorando, altaria noſtræ circuiret eccleſiæ, tandem juxta ſepulcrum beati Confeſſoris ſe proſtravit: ſed ſurgendo manu indiſcrete tenendo ſarcophagum ejus ſe ſublevavit; ilico pollex ejus de propria junctura emarcuit. Videns autem jam ſeſe manu debilitatum, ſupplex & gemebundus ſe ad terram proſtravit; veniam & miſericordiam à beato Godehardo poſtulavit. Et ſtatim in proprium locum, ſine mora & læſione, pollex reſiluit.

Epilepticus ſanatur.

5. Audiens hæc magiſter quidam de monte ſancti Mauricii, Reinardus

[a] Boll. habet, *quam tamen numquam viderat*, quod an rectius, incertum. Si enim Bertholdus octogenarius aut nonagenarius obierit, ſanctum Godehardum adhuc viventem videre potuiſſet.

ANN. CH. IMXXXVIII. V. MAII.

nomine; vir provectæ ætatis; & ipſe manifeſtam gratiam Patroni noſtri expertus, cum oportunum videret, non eam ſubticuit, ſed omnibus in conventu noſtro exſiſtentibus evidenter patefecit, dicens: Fuit enim puer quidam cuſtodiæ ipſius addictus, in clericali arte erudiendus, qui epileptico morbo, quem vulgari nomine caducum appellant, adeo vexabatur, ut quotidie ſexies ad minus ad terram proſterneretur, & uſque ad mortem; nimiâ fatigatione periclitaretur. Hic quadam die ad patrocinium beati Confeſſoris noſtri deducitur, ſed in via bis ad terram proſternitur. Orationes ad tumbam ipſius pro eo funduntur; eleemoſynæ pauperibus largiuntur, & perfecte ſanatus in domum ipſius regreditur.

De ſancti canonizatione tractatur.

6. His tribus ſignis in communi conventu ab auctorabilibus viris recitatis, omnes hilari mente percipiunt, ipſum Antiſtitem noſtrum, quod voluntarie per ſe faceret: inſtigant, ut omnibus modis elaboraret, qualiter beatum pontificem noſtrum Godehardum inter ceteros ſanctos Dei canonizaret. Sed dum in rebus minimis, nedum in maximis, in quibus lætum exſpectamus finem, divinum invocandum ſit auxilium, placuit omnibus, ut ſpeciales ubique in eccleſia noſtra funderentur ad Deum pro hac cauſa preces, ne quid incaſſum, vel inconſultum contra nutum Domini inciperemus, quod ad bonum effectum perducere non valeremus. Igitur ſtatutum eſt, ut omnes tam majores, quam minores, finita matutinali hora, ad tumbam ipſius beati patroni noſtri Godehardi convenirent, & ſeſe humiliter ad terram proſternerent; & pſalmum *Benedixiſti, Domine, terram tuam*, corde contrito & humiliato, Domino decantarent. Statutumque eſt, ut in ſingulis cœnobiis, in territorio noſtræ eccleſiæ conſtitutis, ſpeciales pro eo fierent orationes & eleemoſynarum largitiones; quia impoſſibile eſt multarum non exaudiri voces orationum.

Preces indicuntur pro felici ſucceſſu.

Bertholdi obitus.

7. His ergo aliquanto tempore peractis, eccleſia noſtra nova tribulatione concutitur. Nam prædictus Pater noſter, pro dolor, nobis ex hac vita ſubtrahitur: & omnis eccleſia noſtra tanto paſtore deſolata conturbatur. Sed qui conſolatur miſeros in tribulatione ſua Deus, non permiſit eccleſiam ſuam in fluctibus hujus ſæculi ſine gubernatore diu fluctuare, ſciens quia ubi non eſt gubernator, corruet populus. nam omnis eccleſia noſtra ſimul coadunata, [a] BERNARDUM ſummum præpoſitum, virum omni clericali ſcientia eruditum, & moribus optimis decoratum, communi conſenſu cleri & alacritate populi, reclamantem, & omnibus modis renitentem, ſeque indignum vociferantem, in ſpiritualem Paſtorem elegit; & uſque ad cathedram ſummi ſacerdotii perduxit. His ita geſtis, cauſa Patroni noſtri, quæ propter tribulationes noſtras jam aliquantulum deciderat, redintegratur; & quo ordine ad effectum perduceretur, ab omnibus elaboratur.

[a] Cui Bernardus ſuccedit.

Rurſus de S. Godehardi canonizatione agitur.

8. Sed cum canonica cenſura, propter illuſiones dæmonum, quæ frequenter in Eccleſia Dei in talibus contigerunt, ſtatutum ſit, ne quis ſine Apoſtolica auctoritate, & vita ipſius per viros auctorabiles approbata, canonizaretur, quod tamen in præcedentibus, tum propter difficultatem, tum propter longinquitatem itineris, cauſam noſtram valde retardaverat: factum eſt, Deo annuente, ut quod ante, ſine magna impenſa, ac ſummo labore, non poterat ad effectum perduci, id nobis quaſi ante oſtium inopinate deferretur. Nam in Leodicenſem civitatem curia indicta eſt, ubi INNOCENTIUS Papa cum Romana Eccleſia, & magna parte Galliæ, cum Lothario Rege & fere univerſis Epiſcopis Theotonicæ regionis con-

Synodus Leodicenſis.

[a] Bernardus ab anno MCXXX. ad MCLVII. eccleſiæ Hildesheimenſi præfuit. cum tamen IX. annis ante mortem cæcus factus fuiſſet, Brunonem eccleſiæ ſuæ decanum coadjutorem habuit, qui poſtea ipſi in epiſcopatu ſucceſſit. quantum eccleſiæ Hildesheimenſi & Ordini noſtro profuerit, ex tranſlatione ſancti Godehardi, & monaſterii ſancti Godehardi erectione facile eſt judicare.

venerunt,

venerunt, ut de violentia Romanæ Eccleſiæ per Petrum Leonis perpetrata, qui tum temporis papatum ſibi violenter uſurpavit, pertractarent; & qualiter illud idolum in templo Domini poſitum deſtruerent, elaborarent. Factum igitur eſt, ut ad Dominicam *Lætare Jeruſalem* ad prædictam civitatem multi catholici viri, tam cum Apoſtolico, quam cum Rege convenirent, & de communi ſtatu Eccleſiæ pertractarent. Inter quos præſes noſter Bernardus cum majoribus noſtræ eccleſiæ aſſiſtens, videns opportunitatem ultro ſibi collatam, ipſum Apoſtolicum cum omni curia Romana aggreditur; vitaque Paſtoris noſtri coram ipſis recitatur, & ut per eum in Eccleſia Dei canonizetur, devotiſſime preces funduntur. Ann. Ch. MCXXXVIII. IV. Maii.

9. Sed cum conſuetudo ſit Romanæ Eccleſiæ, in generali Concilio ſanctos Dei canonizare, quod tunc temporis in Remenſem civitatem in feſto ſancti Lucæ indictum fuerat; accepto conſilio, petitionem eccleſiæ noſtræ uſque in prædictum locum diſtulit, ibique diffiniturum certiſſime promiſit. His ita geſtis, Antiſtes noſter Apoſtolica promiſſione animatus, lætus regreditur, & ab omnibus devote ſuſcipitur, & quæ ſibi reſponſa ſint, enarrantur. Tunc omnes audientes quæ per Apoſtolicum promiſſa ſunt, unanimiter lætantur, preceſque apud Pontificem noſtrum devotiſſime funduntur, ne ſe tantæ promiſſioni ſubtrahat, ſed licet laborioſum ſit, ipſe ſe tamen una cum majoribus eccleſiæ noſtræ ad indictam Synodum repræſentet. Jam dies advenerat, in qua Synodus univerſæ Eccleſiæ citramontanæ indicta fuerat. Tum vero præfatus antiſtes noſter Bernardus, una cum Metropolitano Magdeburgenſe Norberto [a], qui tunc temporis in Eccleſia Dei magni nominis fuerat, & majoribus eccleſiæ noſtræ, ad præfatam Synodum iter inſtituit, &, Deo annuente, cum magna proſperitate & opportunitate ad Remenſem locum pervenit. Ubi honorifice ſuſcepti, dum jam Synodus aliquot dies eſſet celebrata, Antiſtes noſter Bernardus Apoſtolicum Innocentium cum ſuis Cardinalibus convenit, & de cauſa patroni noſtri beati Godehardi uſque eo induciata, devotiſſime ſubmonuit. Sed Deo annuente & id faciente, omnes unanimes & concordes in ſua petitione invenit, ut poſt ipſa res indicavit. SS Canonizatio in generalibus Conciliis.

10. Nam poſtera die cum in Synodo generali Apoſtolicus reſideret, nullo admonente, ſed Deo faciente, Apoſtolicus ad omnes luculentam orationem habuit, in qua diſertiſſime petitionem noſtræ eccleſiæ de Patrono noſtro expoſuit; &, ut aſſenſum præberent, devotiſſime poſtulavit. His ita geſtis, epiſcopus Tarraconenſis [b] vir religioſus, & litterali ſcientia eruditus, quo ordine tranſlatio fieri deberet, expoſuit; ſcilicet ſi ea quæ dicebantur de Patrono noſtro, eccleſia noſtra per legitimos teſtes, ac juramento comprobaret. His vero verbis Apoſtolicus ſe interpoſuit; & ſe à Principibus terræ noſtræ adeo in Leodicenſi eccleſia certificatum fuiſſe aſſeruit, ut non opus eſſet id ſecundo teſtificari, quod lucidius ſole poſſet comprobari. Auditis autem, quæ ab Apoſtolico dicebantur, omnes unanimiter, ut canonizetur aſſenſum præbent, & ut laudes Domino perſolvantur, admonent, qui dignatur ſervos ſuos ab infirmitate hujus carnis eripere, & inter ſanctos & electos ſuos collocare. Continuo *Te Deum laudamus* canitur; laus omnipotenti Deo perſolvitur, & ſic demum coadunata Synodus terminatur. Tum vero Antiſtes noſter, munitus Apoſtolicis litteris, ad nos uſque regreditur, & à clero & populo benigne ſuſcipitur: litteræque Apoſtolicæ reſerantur. quibus recitatis, Deo laudes perſolvuntur. Tenor vero Apoſtolicæ conceſſionis ſequitur in hæc verba. Synodus generalis Remis habita. Summus Pontifex rem exponit. Ac de ſanctitate S. Godehardi patres certiores facit.

11. INNOCENTIUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis, Clero & populo Hildenesheimenſi, ſalutem, & Apoſtolicam benedictio- " Litteræ " Canoni- " zationis.

a Hic eſt celebris Norbertus Præmonſtratenſis ordinis inſtitutor.
b Michaëlem appellat Henſchenius in notis ad hunc locum.

Digitized by Google

An. Ch. MXXXVIII IV. Maii.

» nem. Veniens ad nos venerabilis frater noſter Bernardus epiſcopus » veſter, in plenaria Synodo, quæ Remis per Dei gratiam fuerat congre» gata, atteſtatione fratrum noſtrorum Epiſcoporum, & Abbatum, & alio» rum qui ſecum venerant, ſanctæ memoriæ Godehardum epiſcopum » veſtrum laudabiliter vixiſſe in mundo, & tam in vita, quam poſt mortem » multis miraculis coruſcaſſe aſſeruit. Unde nos, cum fratribus noſtris, om» nipotenti Deo gratias referentes, habito eorum conſilio, & collaudatio» ne, quia eumdem in cælis cum ſanctis credimus coronari, ipſum inter » ſanctos honorari præcipimus: mandantes vobis, ut & eidem beato viro » ſollemnitatem in veſtra Eccleſia ſtatuatis; & ad eam annualiter conveni» re curetis. Data Remis IV. Kalendas Novembris.

Indicitur tranſlatio facienda IV. Maii.

12. Sed quia tunc hibernum tempus imminebat, nec ad tantum negotium ſe expedire valebat, viſum eſt congruum, quæ per Apoſtolicum conceſſa ſunt catholicis & religioſis viris nunciari; & ipſam tranſlationem uſque in quartum Nonas Maii differri. Et jam tempus advenerat, cum tam celebris rumor, ſcilicet de tranſlatione tanti Patroni, in noſtram civitatem plures tam religioſos, quam promiſcui ſexus homines coadunabat. His viſis, conſilium in communi conventu capitur, qualiter caute, ſine turbatione transferatur; ne aliquod ſcandalum eccleſiæ noſtræ inde oriatur. Nam fuere quidam religioſi viri admodum timentes, propter longinquitatem temporis, vel corpus non inveniri, vel nullum indicium ſanctitatis reperiri. Sed tandem poſt multas diſceptationes, in hoc omnes conveniunt, ut remota multitudine, ante matutinales horas omnes conveniant; & ſic tumbam, in qua poſitus fuerat, cum omni devotione aperiant.

Sepulcrum ipſius aperitur.

Mediæ ergo noctis tempore Antiſtes noſter, una cum religioſis viris, tam monachis quam regularibus, ſibi coadunatis, cum magno timore ac tremore, cryptam noſtræ eccleſiæ ſubiit, & ſarcophagum, in quo poſitus fuerat noſter Patronus, aperiri præcepit, ipſeque cum ceteris fidelibus, orationibus interea devotiſſime inſtitit; ſed ubi ſummus labor in frangendo ſarcophago antea viſus fuerat, jam, Deo faciente, ilico ſe aperiebat, & aditum facillimum ad corpus præbebat. Tum vero aperto ſarcophago, quantas lacrymas adſtantium adſpiceres? quos ſingultus audires, quam ſpiritualem diſpoſitionem corporis ipſius proſpiceres, quis vel ſermone, vel ſtilo exprimere valeat? Quid plura? divinus quidam, & incognitus odor

E quo ſuavis odor emanat.

fragrabat, qui quoſdam adſtantes, quaſi quadam ſpiritali dulcedine refocillabat, & in perfecta fide ſanctitatis ipſius eos corroborabat. Tum vero videres omnes ſeſe humiliter excuſare, ſeque eſſe indignos tanti patroni corpus attingere; cum noverint vitam ſuam longe ab ejus ſanctitate diſcordare. Tandem, omnibus cunctantibus & longam moram facientibus, per fratrem noſtrum præpoſitum Bertholdum corpus ſublevatur, & propter multitudinem populi, quæ ad tantam rem videndam convenerat, in ſecretum ſacrarii noſtri deportatur.

Poſt Tranſlationem multis claret miraculis.

13. Sed hæc hactenus dicta ſufficiant qualiter ſit beatus Godehardus tranſlatus. Nunc ſupereſt caritati veſtræ intimare, qualiter per eum mundus ſit illuminatus, & uſque ad remotiſſimas gentes & paganiſſimas exaltatus. nam ex longinquitate temporis merita vitæ ipſius fuerunt pæne abolita, & paucis tantummodo cognita, quæ per tranſlationem corporis ipſius evidentiſſime omnibus ſunt manifeſtata. Tot enim Dominus per eum fecit miracula, ut nec lingua valeant exprimi, vel ſcriptura. Ea autem quæ ſunt notiora & manifeſtiora aggredior deſcribere, ut in eis

Aquis præfocatus ad vitam revocatur.

poſteritas de patrocinio tanti Patris poſſit confidere. Nam ipſa die tranſlationis, cum corpus ipſius uſque ad montem ſancti Mauricii cum magna reverentia cleri & populi defertur, contigit quemdam in flumen [a], quod

[a] Ingra ab incolis dicitur, qui tribus circiter leucis infra Hildeshemium Leinæ miſcetur.

Digitized by Google

præterfluit civitatem noſtram, incidiſſe, & longo tempore ſub undis morantem omnino exſpiraſſe. Hic dum corpus Patroni noſtri ad eum appropiat, vitæ priori reſtituitur: & Domino opitulante ſanus & incolumis à terra ſublevatur. Qui poſtea per multa tempora in famulatu Patroni noſtri apparuit, & pro vita reſtituta non ingratus Deo exſtitit. *Ann. Ch. MXXXVIII. IV. Maii.*

14. His vero auditis, eccleſia noſtra non ſtatim & indiſcrete acquievit, ſed aliud certius & manifeſtius miraculum humiliter exſpectavit. Poſtera vero die, cum dies anniverſarius Patroni noſtri illuxiſſet, finita Miſſa, & horis conſtitutis, mulier quædam muta, habens filium privatum lumine, ſubito quaſi in ecſtaſim rapitur, ac per horam parvam in terra volutatur. Tranſacto vero aliquanto tempore, matri lingua reſeratur, lumen puero reſtituitur: & manifeſtum eſſe miraculum omnibus comprobatur. Nam fuere in civitate noſtra tunc temporis quidam viri auctorabiles de [a] Corbeia, ipſius mulieris comprovinciales, qui eam cognoverunt, & veriſſime eam mutam, filiumque ejus lumine privatum longo tempore fuiſſe nunciaverunt. His auditis, [in] eccleſia noſtra tam clerus, quam populus in unum coadunantur, laudes Creatori perſolvuntur, qui novit electos ſuos ab omni ambiguitate abſolvere, & in perfecta fide ſolidare. Signa enim debentur infidelibus non fidelibus, ut per miracula & inuſitata confirmentur in his, quæ à ſenſibus noſtris & memoria ſunt remota. *Muta loquelam & cæcus viſum recipiunt.* *a*

15. Vix laudes de miraculo prædicto Deo perſolvuntur, cum claudus quidam, qui longo tempore contractus fuerat, ſe ſubito erigebat; & pedem firmo greſſu terræ affigebat. Sicque factum eſt, ut ipſa die anniverſarii patroni noſtri infra baſilicam noſtram quinque miracula contingerent, quæ omnibus manifeſta fuiſſe apparerent. Cæcus enim videt, mater ipſius loquitur, claudi tres poteſtatem ambulandi receperunt. His ita geſtis, rumor & fama Patroni noſtri propter frequentiam multitudinis, quæ ad Tranſlationem tanti viri convenerat, magis & magis innotuit, & ſeſe in omnes comprovinciales terras dilatavit. Unde factum eſt, ut tanta multitudo hominum patrocinia Paſtoris noſtri implorantium in civitatem noſtram conflueret, quantam nullus hominum nec antea in eccleſia noſtra vidit, nec, ut arbitror, deinceps videbit. Nam omnes habentes infirmos, languidos, claudos, ſurdos, & mutos, necnon & dæmoniacos, vel quovis morbo detentos uſque ad patrocinium Paſtoris noſtri pro recuperanda ſanitate deferunt. *Tres claudi greſſum.*

16. Contigit vero circa idem tempus, quod quidam viri auctorabiles de [b] Thuringia adveniunt, qui ſuum Paſtorem una manu debilem ſecum adduxerunt. Hi ut patrocinium beati Godehardi imploraverunt, ilico ſanitatem recepit, & manum debilem erexit. Quo facto, omnes unanimiter laudes Deo referebant; & in ſignum veritatis, manum manui comparabant. Nam manum qua paſtoralem virgam ante tenebat, rugoſam & induratam invenerunt: alteram vero cum qua non laboraverat, candidam & mollem repererunt. *Manum habens aridam ſanatur.* *b*

17. His ita geſtis, matronæ quædam ab eadem terra uſque ad nos pervenerunt, ducentes ſecum mutum longo tempore loqui non valentem; quæ dum orationibus inſiſterent, ac pro ipſo patrocinium beati Godehardi implorarent, ſubito vinculum linguæ eſt ruptum, & officium ipſius per miſericordiam Dei eſt reſtitutum. *Mutus loquitur.*

18. Fuit vero tunc temporis Erpiſfordiæ [c] Vicedominus, habens pro miſericordia Dei claudum, & pæne omnibus membris debilitatum, eleemo- *Claudus greſſum recipit.* *c*

a Inſigne monaſterium Saxoniæ, quod ſancto Adhelardo ſuam originem debet, ut in ejuſdem ſancti vita Sæculo IX.

b Thuringia ampliſſima olim regio, quæ etiam Regni titulum habuit ſub prima Regum noſtrorum ſtirpe: nunc valde imminuta, provincia eſt Germaniæ in Saxonia ſuperiori, quæ diverſis ſubeſt Principibus.

c Urbs Thuringiæ præcipua, celebrem habet academiam.

Digitized by Google

ANN CH. MXXXVIII. IV. MAII.

ſynis ſuis addictum; quem auditis miraculis, quæ per patronum noſtrum fiebant, uſque ad patrocinium ipſius, in eccleſiam noſtram direxit. Et ſicut credidit, ſic per miſericordiam Dei recepit. Nam quem debilem & omnino incedere non valentem, uſque ad nos tranſmiſit, Deo adjuvante, ſanum & incolumem ſuſcepit.

Item alius claudus. [a]

19. Fuit vero circa idem tempus in [a] Cella beatæ Paulinæ, multo tempore quidam claudus, omnibus notus & manifeſtus. Hunc potens quidam de Thuringia per licentiam Abbatis ad ſe recepit; & quæ corpori neceſſaria fuerant, pro miſericordia Domini ipſi erogavit. Hic ad patrocinium beati Godehardi pervenit, & integritatem corporis percepit.

Puella gibboſa curatur.

20. Fuit etiam tunc temporis in Thuringia puella quædam gibboſa, in dorſo valde curvata. Hæc veniens ad patrocinium beati Godehardi, per miſericordiam Dei eſt erecta, & quod raro fieri ſolet, gibbo eſt omnino privata. Vir quidam ab eadem terra natus, per miſericordiam Domini & beati Godehardi, ab eodem morbo eſt liberatus.

Item puer.

Mulier calculoſa. [b]

21. Iiſdem vero temporibus fuit matrona quædam ab [b] Haſſia, omnibus comprovincialibus nota, & maximis infirmitatibus per multa tempora detenta. Hæc cum nihil jam præter mortem ſperaret, tandem patrocinium beati Godehardi humiliter imploravit; ſeſeque ad terram proſtravit, & miro modo ſanitatem recepit. Nam & in inguine ubi antea caro ſana fuerat, ſubito ſe aperuit, & duos lapides tantæ magnitudinis, quantæ in humano corpore nemo prius viderat, ſubito emiſit. Quo facto, unum ſecum in ſignum miraculi, uſque ad patrocinium beati Godehardi *in eccleſiam* noſtram detulit; alterum vero in ſignum virtutis Dei domi reſervavit.

Fur ſuſpenſus mortem evadit.

22. Circa idem tempus contigit in Thuringia inſigne miraculum, & dignum memoriæ tradendum. Nam duo viri, pro dolor, mala ſocietate conjuncti, furtum quoddam peregerunt, & pelles cuidam ſurripuerunt. Factum eſt ergo ut uterque caperetur, & ad judicium traheretur. Sed cum jam uterque convicti ſuſpendio traderentur, alter ipſorum toto corde ingemuit, &, quod ſolum poterat, corde contrito & humiliato, patrocinium beati Godehardi imploravit: alter vero quaſi deſperans nulli petitioni inſtitit, vel vocem compunctionis emiſit. Factum eſt igitur, ut uno fune colligarentur, & uno ramo ſuſpenderentur; quo facto, alter ſpiritum ilico emiſit: alter vero, qui patrocinium beati Godehardi imploraverat, ſine læſione & moleſtia pependit. Sed jam longo ſpatio horarum tranſacto, ille cujus pelles fuerant propius accedens, & videns alterum exſpiraſſe, huic quem adhuc vivere putavit, in hæc verba prorupit, quærebat enim ſi viveret, aut ſi vitam retinere potuiſſet. Ille vero ſperans ſibi adjutorium adveniſſe, confeſſus eſt & ſe vivere, & nullum dolorem ſentire. Hoc audiens qui eum ſuſpendi fecerat, magnam inhumanitatem ei intulit. nam fune quo ſuſpenſus fuerat tornato, firmo niſu ad terram corpus depreſſit; & ſic ſpondilia colli ſe fracturum ſperavit. quo facto, ſtatim diſceſſit, & omnem voluntatem ſuam ſe jam adimpleſſe non dubitavit. Factum eſt autem poſt diſceſſum eorum longo tempore, ut prædictus vir manus poſt tergum ligatas diſſolveret, & pannum præ oculis ligatum diſrumperet, & ſic tandem funem quo ſuſpenſus fuerat confringeret. Ad terram vero proſtratus videns ſe nullam læſionem habere, in fugam ſe convertit, & ſilvam quæ vicina erat, cum feſtinatione introivit. Hoc videntes quidam, qui non remote diſceſſerant, eum admirantes proſequuntur, & rogantes eum ſilvam exire, & nihil niſi bene de eis ſperare. Qui tandem adhortatione ipſorum

[a] Monaſterium Thuringiæ à Paulina Comitiſſa erectum ſub Henrici IV. Imperatoris principatu, advocatis è monaſterio Hirſaugienſi monachis: de hoc conſule Trithemium in Chronico Hirſaugienſi ad annum MCVII. ubi primus Abbas dicitur fuiſſe Gerungus monachus Hirſaugienſis.

[b] Haſſia Germaniæ provincia ex Circulo Rheni, cujus principes Lantgravii dicuntur.

confortatus, ſilvam exivit, & cum eis magnificans & glorificans Dominum, uſque ad eccleſiam pervenit. Hic poſtea ad patrocinium beati Godehardi venit; & quæ ſibi per miſericordiam Dei & beati Godehardi contigerant, conteſtantibus civibus ſuis, qui plures una ſecum advenerant, nobis omnibus enarravit. Quot vero ſuſpenſos & jam in articulo mortis Deus per merita beati Godehardi liberaverit, longum eſſet per ſingula deſcribere: maxime cum funes quibus ſuſpenſi fuerant, omnibus in eccleſiam noſtram adventantibus poſſint demonſtrari.

ANN. CH. MCXXXVIII. IV. MAII.

23. Tunc temporis duæ mulieres de longinquo ad patrocinium beati Godehardi venerunt, quæ gratiam ſibi ab eo collatam devotiſſime nobis omnibus narraverunt. Nam altera poſt immenſam infirmitatem, omnem appetitum cibi & potus amiſit, adeo ut nec cibum, nec potum infra duos menſes ſumſerit. Videns autem ſe vitam ſic longo tempore non poſſe retinere, miſericordiam beati Godehardi imploravit, & priſtinum ſtatum recepit. Altera vero, cum longo tempore lumine eſſet privata, in via, in qua ad patrocinium beati Godehardi pergebat, eſt illuminata.

Mulier inedia & altera cæcitate laborantes curantur.

24. Fuit vero iiſdem temporibus in [a] Mindenſi epiſcopatu, vir quidam dæmoniacus adeo obſeſſus, ut vix plures eum retinerent, quin ſe ipſum interimeret, & alios neci traderet. Hic tandem manibus poſt tergum ligatis, & pedibus concatenatis, per parentes ſuos ad patrocinium beati Godehardi deducitur, ejuſque auxilium ab omnibus humillime imploratur. Dominus vero ſuus, Hezelinus nomine, videns ſummam ejus vexationem ac maximam tribulationem, miſertus ejus ipſum manumiſit, ac ſervum beato Godehardo tradidit. quo facto, ſtatim ſanitatem recepit, & cum parentibus ſuis, ſolutis vinculis, integer & incolumis domum remeavit.

a Item dæmoniacus.

25. Sub eodem tempore venit in eccleſiam noſtram vir quidam magnæ pœnitentiæ & auſteritatis, qui per multa tempora carnem ſuam vigiliis & jejuniis domaverat; adeo ut & loricam indutus ad carnem portaret. Hic cum devote coram Patrono noſtro orationibus inſiſteret, multis videntibus, per gratiam Dei, lorica quaſi tela araneæ dirupta eſt; & uſque ad terram dilapſa. O virum omni laude digniſſimum, cujus meritis & vincula peccatorum diſrumpuntur, & ligaturæ ferreæ diſſolvuntur!

Pœnitentis lorica ferrea dirumpitur.

26. Habebat tunc temporis Abbatiſſa de [b] Vvunſtorff claudum quemdam valde debilem, qui omnino os in genu amiſerat, & crus in quamcumque partem volebat, quaſi ſine junctura vertebat. Tunc Abbatiſſa, cum tanta miracula per Patronum noſtrum fieri perciperet, ſecum prædictum claudum uſque ad limina Patroni noſtri perduxit, & Deo faciente, ſanum & incolumem reduxit. Sed cum ad eccleſiam ſibi commiſſam remearet, cum hymnis & laudibus eum reduxit, referens gratias Deo pro omni dono ſibi collato. Hæc videns mulier quædam minus religioſa, nec Dominum timens, in hæc verba prorupit: ſe numquam velle patrocinia beati Godehardi implorare, niſi puerum quemdam omnibus membris debilitatum, quem tunc temporis in platea reptantem vidit, recto greſſu videret incedere. Factum eſt igitur, ut parentes ipſius pueri, poſt paucos dies ad patrocinium beati Godehardi eum deferrent, & factis orationibus pro ipſo, ſanum & incedere valentem reciperent. Quod poſtquam vidit præfata mulier, ex verbis temerarie prolatis, corde contrito & humiliato pœnituit; & ſe viſitaturam Patronum noſtrum Domino vovit. Hoc facto, ex imo cordis ſuſpiria duxit, conſiderans ſibi neceſſaria viæ deeſſe, vel unde pueris ex ſe genitis domi poſſit providere: quæ dum ſic

b Claudus ſanatur.

Incredula miraculis convincitur.

a Minda urbs Weſtphaliæ Anzeatica, olim ſub dominio proprii epiſcopi, pace Monaſterienſi, Electori Brandeburgico data eſt.

b Monaſterium in diœceſi Mindenſi à Theoderico ejus urbis Epiſcopo conditum.

anxiaretur, factum eſt ut parvulus ipſius inſcius domum egrederetur, portans panniculum, quem in platea invenerat, in quo mater novem nummos, quaſi neſciente puero quid ageret, reperiebat. His ita geſtis, laudes Deo & beato Godehardo perſolvit, qui & ipſam ab anxietate eripuit, & omnem dubietatem à corde ipſius exſtirpavit.

Claudus ſanatur.

27. Circa idem tempus fuit puer in epiſcopatu Mindenſi in villa, quæ *Lanesberge* appellatur, claudus, & miro modo contractus. Hunc parentes ipſius, licet pauperes, ad patrocinium beati Godehardi adduxerunt, & pro ejus ſanitate recuperanda, devotiſſime miſericordiam ipſius implorabant. Sed dum aliquantulam moram facerent, nec ullum profectum in puero viderent, ad proprias manſiones redire parabant, quia ſe exaudiri deinceps dubitabant. Sed dum prope ad villam, quæ *Runeberge* appellatur, veniſſent, & in quodam prato ſe quieturos diſpoſuiſſent, in lacrymoſa verba proruperunt, conquerentes ſe in multa tribulatione ad patrocinium beati Godehardi veniſſe, ſed nullam gratiam in puero ſuo percepiſſe. Qui dum ſic colloquerentur, ſubito puer membra, quæ antea fuerant incurvata, extendit, & de curru in quo vehebatur lætus & ovans proſiluit. Quod poſtquam gens vicina viderat, ilico unanimiter Dominum collaudabant, & ad proximam eccleſiam puerum ſanatum devotiſſime deducebant. Sed ne tantum miraculum in oblivionem traderetur, in prædicto loco caſam quamdam comprovinciales erigebant, ubi fideles prætereuntes in reverentia iſtius miraculi, poſt multo tempore oblationes deferebant.

[a] Item claudus.

28. Fuit item claudus quidam illis temporibus in [a] Goſlaria omnibus notus, qui & ipſe pro recuperanda ſanitate ad beatum Godehardum ſe contulerat, & Domino adjuvante, ſanitatem recipiebat, adeo ut ſcabella quibus antea reptabat, quaſi in ſignum memoriæ, in eccleſia noſtra derelinqueret, & ipſe erectus incederet. Hoc plures religioſi illius civitatis viri omnibus fiducialiter affirmabant, qui per multa tempora eum claudum agnoſcebant.

Fiſtula laborans curatur.

29. Fuit vero tunc temporis in loco, territorio eccleſiæ noſtræ addicto, qui Aulica appellatur, vir tantæ ægritudinis in morbo, qui fiſtula appellatur, ut jam omnino vitam deſperaret: quia nodum femoris in junctura ante poſitum amiſerat, & ceteram partem jam ſe amiſſurum timebat. Hic ad patrocinium beati Godehardi ſeſe deferri præcepit, & ſanitatem corporis, Deo faciente, recepit. Poſt hæc nodum, quem antea manu ferebat, in ſignum miraculi & doni ſibi à Domino collati, in eccleſiam ſuſpendi juſſit, ac deinde lætus & alacer domum remeavit.

[b] Paralytica.

30. Circa idem tempus fuit matrona quædam, de [b] Hervordenſi loco genita, quæ omnino fuit paralytica, & omnibus membris diſſoluta. nullum enim membrum ipſius proprium officium exercuit, ſed nec per multos dies adimplere valuit. Hæc maximam partem ſubſtantiæ ſuæ in medicos expenderat, ſed per eos ſanitatem corporis recuperare non poterat. Audiens vero tantam gratiam per merita beati Godehardi hominibus à Domino conceſſam, ſpretis exterioribus medicis, totam ſe miſericordiæ Domini commendavit, & ad patrocinium beati Godehardi deferri præcepit. Quæ dum aliquanto tempore moram faceret in noſtra eccleſia, tum per orationes fidelium, tum per beati Godehardi patrocinium ſanitati eſt reddita, & omnia membra ejus priſtino vigori reſtituta. Hæc poſtea frequenter ad limina beati Godehardi pervenit, & pro dono ſibi collato, gratias non immodicas Domino perſolvit.

Alia os faucibus adhærens ejicit.

31. Non multo poſt tempore venit vir quidam in noſtram eccleſiam,

[a] Goſlaria urbs eſt Inferioris Saxoniæ ſui juris, ad fontes Okræ fluvii, in Ducatu Brunſvvicenſi, haud procul ab Hildeshemio diſſita.

[b] Hervordia urbs imperialis & Anzeatica Weſtphaliæ, ſub Electore Brandeburgico, non longe à Monaſterienſi civitate diſtat.

habens filiam valde dilectam, quæ gravi morbo laborabat, & jam morti propiabat. Nam gutturi ipſius os immenſæ magnitudinis, & ex utraque parte magni acuminis per ſex dies adhæſerat, quod nullus extorquere quavis arte valebat. Qui primum medicos in civitate noſtra tunc temporis commorantes circuibat, & ab eis conſilium, quid de filia eſſet acturus requirebat. ſed nullum ſalubre conſilium adinveniebat. Deſtitutus autem omni exteriori conſilio, ad patrocinium beati Godehardi ſe una cum filia contulit, ipſumque pro ea humillima devotione imploravit. Factum eſt ergo, ut ipſa die puella os ſine læſione ejiceret, & integram ſoſpitatem recuperaret. Non multo poſt eodem morbo quidam per ſeptem dies laborabat, & jam certiſſime ei mors imminebat: hic veniens ad patrocinium beati Godehardi, ſtatim liberatus eſt, & in priſtinum ſtatum reſtitutus.

Ann. Chr. MXXXVIII. IV. Maii.

Item alius.

32. Contigit vero circa idem tempus, quod Eckehardus quidam de Vvigeleve, cognatum quemdam ſuum vi & injurioſe captivavit, & contra jus & fas incarceravit. Qui dum aliquanto tempore in captivitate detineretur, contigit in ipſa nocte Pentecoſtes, dum matutinales horæ celebrarentur, ut ad terram ſe proſterneret, ac patrocinium beati Godehardi pro ſua liberatione imploraret. Tandem ab oratione ſe elevans, foramen adeo arctum acceſſit, ut puer trium annorum pertranſire [non] potuiſſet: ſed dum caput applicaret, ut ſibi viſum eſt, foramen ſe dilatavit, & ipſe ſanus & incolumis pertranſivit. His ita geſtis, ſine mora omnibus innotuit captivum de carcere erupiſſe, & omnia evaſiſſe. Statim omnes unanimiter eum proſequuntur, vias quibus evadere poſſit, cuſtodiis muniunt, & qualiter eum apprehendant omnibus modis elaborant: ſed Domino adjuvante & beato Godehardo, factum eſt, ut omnium inſidias pertranſiret, & ipſos cognoſcens à nemine cognitus eſt. Hic ſine mora ad patrocinium beati Godehardi ſe contulit, & pro ſua ſolutione gratias Domino in eccleſia noſtra perſolvit.

Captivus liberatur.

33. Fuit vero tunc temporis in Marchia Ungariæ, vir quidam in captivitate poſitus, & fortiſſimis compedibus compeditus, qui nihil aliud ſperabat, quam vel omnia ſua amittere, vel mortem ſubire. Ad aures ipſius fama beati Godehardi intonuit, & quanta Dominus pro ejus amore operaretur, ipſi innotuit. Mox ad terram ſe proſtravit, & ejus patrocinium devotiſſime imploravit. Factum eſt igitur, ut ipſa nocte catena qua ligatus erat ſe diſſolveret, & ipſe de captivitate, Deo adjuvante, evaderet. Hunc omnes in eccleſia noſtra viderunt, & ſic eveniſſe circa eum veraciter perceperunt.

Item alius.

34. Iiſdem vero temporibus, fuit quidam paganus de ulterioribus partibus Sclaviæ captus, & in * Halverbergenſi urbe incarceratus. Hic fama revelante, de patrono noſtro audierat, & quanta Dominus pro ejus amore operaretur quocumque modo, utpote paganus, perceperat. Hic quadam nocte mortis timore coactus, inter ſpem timoremque pendulus, orationem ex immo cordis ad beatum Godehardum direxit, & ut ſui miſereretur, devotiſſime exoravit. Quo facto, ſine mora ex trunco magnæ molis & fortitudinis, quo concluſus fuerat, integro remanente, quaſi ex liquida re ſine læſione pedes eduxit: & qualiter id ſibi accidiſſet ignoravit, nec fugam ullatenus iniit. Die vero illuceſcente cuſtodes advenerunt, & non ſine admiratione magna eum repererunt. Sciſcitantes vero qualiter id ſibi ad invocationem nominis beati Godehardi accidiſſet, admirati ſunt, dominoque ſuo retulerunt, & quid deinceps eſſent acturi quæſierunt. Dominus vero compunctus tanto miraculo, gratiam impendit, ipſumque

Item paganus.

* Havelberga urbs epiſcopalis ſub Metropoli Magdeburgenſi ad Havelam fluvium, à quo nomen ſumſit, ditioni Electoris Brandeburgici ſubjacet.

Digitized by Google

ANN. CH. MXXXVIII. IV. MAII. Et multi alii.

captivum ſine læſione abſcedere juſſit. Quantos vero, & quot incarceratos, & maximis compeditos compedibus, Dominus per patrocinium beati Godehardi à ſumma tribulatione abſolverit, longum eſt per ſcripta enumerare, cum quibus ipſa tormenta in eccleſia noſtra pendentia poſſit cognoſcere. Qua propter non ſupervacaneum duximus plurima ex his, quæ longa forent ſcribere, præterire, & ad alia innoteſcenda tranſire.

Puer obrutus ad vitam revocatur.

35. Non multo poſt ea quæ diximus, fuit vir quidam habens filium unigenitum valde ſibi dilectum; qui puerili more per campos curſitando ludebat, ſed fortuito ad foſſatum quoddam veniens, maxima multitudo terræ ex improviſo ſuper eum corruebat. Sed pater hæc ignorans, nec ipſum puerum domi reperiens, uſquequaque quærebat, nec ullatenus eum invenire poterat. Unde factum eſt, ut quidam diceret ſe circa foſſatum puerum ludentem vidiſſe, nec poſtea comparuiſſe. Quo audito pater cum feſtinatione, ubi ultimus puerum viderat prædictus vir, tranſcurrit, & magnam multitudinem terræ noviter corruiſſe conſpexit. Quo viſo, adjunctis ſibi plurimis, terram cum magna feſtinatione retexit, & puerum nullum indicium vitæ habentem invenit. His ita geſtis, quia magnæ miſericordiæ patronum noſtrum beatum Godehardum fuiſſe audierat, ilico preces devotiſſimas ad ipſum dirigit, adjiciens, ſi Dominus per merita ipſius vitam priſtinam reſtitueret, ipſum ei in perpetuum ſervum offerret. Quo facto puer vitæ priſtinæ reſtituitur, ac domum ſimul cum patre regreditur, hunc poſtea cum patre in eccleſia noſtra vidimus, & ab ipſo patre ſic de puero eveniſſe certiſſime cognovimus.

Paralyticus ſanatur.

36. Fuit vero tunc temporis vir quidam in loco, qui Mindin appellatur, adeo in hydropiſi detentus, ut circiter annum in eo laboraret; & jam nihil niſi mortem ſperaret. Hic audito nomine beati Godehardi, in adjutorium ſuæ infirmitatis eum ſuppliciter invocabat; & ut ſibi in neceſſitate poſito ſubveniret, humiliter exorabat. Factum eſt ergo non multo poſt, ut quidam quem nec antea viderat, nec poſtea vidit, ad eum intraret; & facta inciſione, tantam abundantiam aquæ ex eo manare faceret, quantam vix tina quis ferre potuiſſet. Quo facto, adhibita cura abſceſſit, nec deinceps comparuit. Hunc poſtea perfecte ſanum vidimus, &, eo referente, ſic circa eum eveniſſe veraciter cognovimus.

Peregrini à paganis invaſi eripiuntur.

37. Circa idem tempus, per beatum Godehardum inſigne contigit miraculum, & dignum memoria retinendum. Nam quidam peregrinantes de [a] Ruzia ad patrocinium beati Godehardi adventabant; & in die Palmarum quoddam deſertum intrabant. Sed Chriſtiano more, cum divinum officium niterentur peragere, contigit, ut ſubito multitudo paganorum in eos irrueret, & quotquot poterant neci traderent. Factum eſt ergo ut Sacerdos, qui una cum ipſis fuerat, occumberet, & per paſſionem ad Dominum migraret: alii vero videntes ſe una interimi, licet inermes reſiſtere eis parabant; ſed propius protectionem beati Godehardi devotiſſime implorabant. Quo facto, licet plures & armati contra inermes congrederentur, tamen, Domino faciente, pagani ſe in fugam verterunt, & arma paſſim à ſe rejecerunt. Ipſi vero hoc videntes baculis quibus utuntur peregrini, illos feriebant, & circiter ſex morti tradiderunt; victoreſque effecti, arma quæ à ſe latrones rejecerant acceperunt, & tam ſcutum quam gladium in ſignum victoriæ in eccleſiam noſtram detulerunt.

Puer à tempeſtate liberatur.

38. Non multo poſt hæc, contigit piſcatorem quemdam cum puero ſuo Vveſeram [b] velle tranſire, & ſolito more utilitati ſuæ inſiſtere. ſed cum jam fere medium aquæ obtinuiſſet, tanta tempeſtas incubuit, ut vita [ſalva] ſe evadere dubitarit. Videns autem ventum magis ac magis in-

[a] Bollandiani putant eſſe legendum *Pruſſiam*, quod inter Saxoniam & Ruſſiam tota Polonia interjiciatur.
[b] Wiſurgis fluvius apud Germanos notiſſimus.

ſurgere,

ſurgere, magiſter ſignum adjutorii populo intonuit; puer vero orationem ad beatum Godehardum direxit. Factum eſt ergo, ut magiſter, qui natare noverat, confidens in populi adjutorio ſubmergeretur, puer vero natare neſciens, per ſuffragium beati Godehardi liberaretur. ANN. CH. MXXXVIII. IV. MAII.

39. Tunc temporis venit quoque quædam paupercula in civitatem noſtram, de [a] Spirenſi loco genita, ducens ſecum puellulam omnibus membris debilitatam, nec prorſus incedere valentem; quæ dum circiter menſem in civitate noſtra moram faceret, nec ullam gratiam in filia perciperet, triſtis in terram ſuam redire inſtituit, quia jam ſe indignam audiri autumavit. Sed cum ſuper ripam Vveſeræ, in loco qui Munden appellatur, perveniſſet, & aſinum paſtum miſiſſet, filiamque de curru depoſuiſſet, matre ſemota, puella quæ antea fuerat debilis, ſubito ſe erexit, & in hæc verba prorupit. Clamabat enim ſe gratiam beati Godehardi realiter percipere, & illum ſecum ibi manere. Quo dicto, omnia membra illius quæ antea fuerant debilia, in naturalem ſtatum ſunt reſtituta; & ipſa integraliter eſt ſanata. Hanc omnes in eccleſia noſtra ſanatam vidimus, Dominoque de dono ſibi collato laudes perſolvimus. Puella debilis ſanitati reſtituitur. [a]

40. Fuit circa principium Tranſlationis beati Godehardi, quidam Sclavus, lumine longo tempore privatus, intra paganos moram faciens. Hic audiens virtutes, quas Deus in honore beati Godehardi operabatur, uſque ad limina ejus pervenit, ac patrocinium ejus humiliter imploravit. Sed dum communes pro eo in eccleſia noſtra fierent orationes, quia noviter relicto errore gentilitatis venerat ad ſacramentum baptiſmatis, factum eſt, peccatis noſtris exigentibus, ut ſanitatem non reciperet, ſed omni ſpe deſtitutus poſt aliquod tempus domum remearet. Contigit autem ut ſui contribules, adhuc in ſua gentilitate permanentes, qui eum viſum non recuperaſſe viderunt, continuo in opprobrium & deriſionem eum deduxerunt, ſcilicet quod Deum ſuum dereliquiſſet, & in alio nullam ſalutem inveniſſet. Hæc & his ſimilia illis exprobrantibus, factum eſt, ut prædictus vir pudore confunderetur, & mortem ſibi inferre niteretur. Sed, ô virum omni laude digniſſimum, qui & vitam temporalem ei conſervavit, & à morte æterna eum liberavit! Nam dum adhuc in hac intentione permaneret, ut mortem ſibi inferret, per merita beati Godehardi eſt illuminatus; iis à quibus prius contumelioſa ſuſceperat, deos ſuos ſurdos & mutos exprobrabat, & ſe numquam ab eis bene quid accepturos veriſſime confirmabat. Hunc poſtea in eccleſia noſtra plures viderunt, & eum fuiſſe illuminatum veriſſime cognoverunt. Neophytus cæcus viſum recipit.

41. Contigit vero non multo poſt, quemdam de Polonia ad patrocinium beati Godehardi adventare; ſed dum jam oſtium noſtræ eccleſiæ niteretur introire, ſubito à maligno ſpiritu eſt raptus, & ad terram horribili modo dejectus; qui dum in eccleſiam vi duceretur, & ad tumbam beati Godehardi applicaretur, tanto furore cœpit debacchari, ut quivis poſſet admirari. Tandem corpus beati Godehardi ad eum defertur, & ſigno ſanctæ crucis benedicitur; & ſine mora ſtatim cum indicio magni fœtoris liberatur. Dæmoniacus liberatur.

42. Fuit vero tunc temporis in Trajectenſi epiſcopatu vir quidam arti mercatoriæ deditus, qui frequenter mare tranſivit, & quæ ſibi neceſſaria erant conquiſivit. Hic quodam tempore maxima tempeſtate in medio mari deprehenditur, ab omnibus conclamatur, & nil jam niſi ultimus vitæ terminus timetur. Tandem finito aliquanto tempore, reſumtis viribus animæ, auxilium beati Godehardi implorabant, & argenteam navim delaturos, ſi evaderent devoverunt. Hos in eccleſia noſtra navim argenteam Quidam è tempeſtate maris erepti.

[a] Spira urbs olim Nemetes dicta, Epiſcopalis ſub Metropoli Moguntina in Palatinatu inferiori ſub proprii Epiſcopi dominio.

ANN. CH. MXXXVIII. IV MAII.

deferentes poſtea vidimus, & ſic eis eveniſſe veriſſime cognovimus.

Item alii ex inundatione maris.

43. Contigit etiam tunc temporis in Hollandia, quod quodam tempore mare per inundationem influxit, & infinitam multitudinem populorum ſubmerſit. Hoc quidam percipientes, in baſilicam quamdam in honorem ſanctæ Mariæ dedicatam ſeſe receperunt, in qua mortem ſe evaſuros ſperaverunt. Sed cum jam mare magis ac magis efflueret, & jam ipſum murum baſilicæ impingeret, videntes ſe non poſſe evadere, auxilium beati Godehardi imploraverunt. quod ſtatim evidenter perceperunt. Nam continuo mare ad ſolitum locum relabitur, & ne deinceps locum habeat evagandi divinitus inhibetur. Factum eſt igitur, ut Dominus noſter patrocinium beati Godehardi nobis non tantum in terris oſtenderet, ſed etiam in mari certiſſime manifeſtaret. nam quot naves in magna tempeſtate deprehenſas Dominus per eum liberavit, teſtantur adhuc cereæ naves in eccleſia noſtra pendentes.

Item alius in undis ſubmerſus.

44. Circa idem tempus Lotharius Imperator Romanorum legatos ſuos, ſcilicet Eilbertum præpoſitum Goſlarienſem fratrem noſtrum, ad Imperatorem Conſtantinopolitanum dirigebat, & antiquum fœdus Imperatorum, quod jam pæne neglectum fuerat, inter ipſos reparabat. Hic dum mare tranſiret, & jam proſpero curſu pergeret, contigit ut quidam famulus ipſius reſupinus de puppi caderet, & longo tempore ſub undis maris exſiſtens, nulli appareret. Factum eſt ergo, dum ab undis maris eſſet abſorptus, & omnis vox eſſet interrupta, ſola intentione qua poterat patrocinium beati Godehardi implorabat, & ut eum à mortis periculo liberaret, devotiſſime rogitabat. Eo ſic cogitante, apparuit ei quidam canutâ facie, educenſque in ſuperficiem maris, quod ante non noverat, docuit natare. Videntes autem qui in navi fuerant, velum relaxabant, & minori navi quæ eos comitabatur, uſque ad eum pervenerunt. Sic prædictus famulus à morte, jam pæne abſorptus eripitur, & miro modo vitæ reſtituitur. Hunc omnes poſtea in eccleſia noſtra vidimus, & circa eum ſic eveniſſe, veris aſſertionibus cognovimus.

Comitis filius reſuſcitatur.

45. Non multo poſt tempore contigit in Ungaricis regionibus celebrari miraculum & dignum memoria retinendum. Nam Comes quidam illius regionis filium habuerat, in quo omnem ſpem temporalem & fiduciam poſuerat. Contigit vero eum ægrotare, & jam uſque ad mortem periclitari. Factum eſt igitur, dum omnes ſollicite nocte dieque circa eum vigilarent, & inter ſpem timoremque hæſitarent, ut puer morti appropiaret; & quadam die circa horam primam exſpiraret. His ita geſtis, dum omnes luctum, lamentaque geminarent, & quæ exſequiis erant neceſſaria præpararent, forte quidam vir de Bavarica regione advenerat, qui & ipſum puerum de ſacro fonte levaverat. Hic igitur videns incomparabilem dolorem patris & matris; miſertus eorum, cœpit eis nomen beati Godehardi intimare, & quantam gratiam fidelibus in eum ſperantibus Dominus adminiſtret, devotiſſime annunciare. His auditis, ſine cunctatione pater & mater firma fide ad terram ſe proſternunt, miſericordiam beati Godehardi devotiſſime implorant, ſeſeque devovebant cum ſuis oblationibus ad limina ipſius iter inſtaurare, ſi ad priſtinam vitam per ejus patrocinium filium ſuum poſſint recuperare. His finitis, jam veſpertinum tempus advenerat, cum inſperato modo puer ad vitam redit; &, quod mirabile dictu eſt, ſine indicio læſionis de lecto ſurrexit ægritudinis. Votum vero quod prædictus pater & mater fecerant, ſine mora adimpleverunt, & oblationibus non modicis limina beati patroni noſtri Godehardi viſitaverunt. Nos in eccleſia noſtra honorifice ſuſcepimus, & ſic eis contigiſſe veraci relatione cognovimus.

46. Circa idem tempus, dum tanta miracula per beatum Godehardum

Digitized by Google

ſlorerent, contigit duos viros, nimia potatione ingurgitatos, civitatem noſtram exire, & ad proximam villam velle tranſire; qui dum medio campo conſiſterent, alter ipſorum fortuito os invenit, quod ſublevans manu per horam ſecum portavit. Sed videns ipſum os eſſe magnæ pulcritudinis & candoris, dicebat ſe terram velle pertranſire, & omnibus notificare, ſe Reliquias noſtri Patroni deferre; & ſic temporale lucrum, ut ceteri acquirere. Quo dicto, ſine mora in veſaniam raptatur, & loquens aliena domum deducitur, & mala morte proxima nocte traditur. His auditis, maximus terror hominibus incutitur, &, ſi qua dubietas cordibus ipſorum de noſtro Patrono irrepſerat, omnimodo ab eis eliminatur.

ANN. CH. MXXXVIII. IV. MAII. Falſam reliquiam ſupponens ſubito moritur.

47. Fuit temporibus illis piſtor fratrum, Adelvvardus nomine; ad cujus hoſpitium peregrini quidam declinaverunt, & hoſpitali more, ſecum nocte permanſerunt: qui dum equos ſuos adaquandum deducerent, filium ejus adhuc parvæ ætatis exſiſtentem, caballo impoſuerunt, & patre ignorante abduxerunt; qui dum equos adaquarent, fortuito infans exterritus de caballo præcipitatur, & ſine mora undis ſubducitur, & ubi quæri poſſit, ab omnibus ignoratur. Sed peregrini non valentes puerum reperire, triſtes domum redeunt, patrique quæ circa filium evenerant nunciaverunt. Quibus auditis, pater concito ſurgit, triſtis ad aquam pergit, navimque longe ſubductam requirit; & ut filium ſaltem mortuum, cum non poſſet vivum, adinvenire elaboravit. Qui dum diu puerum in loco ubi deciderat quæreret, nec inveniret, ad terram rediit, uncum quæſivit: quo reperto, poſt longum ſpatium puerum invenit. His ita geſtis, in domum proximam declinavit, ibique puerum mortuum, & nullum vitæ ſignum habentem depoſuit, tantumque quæ exſequiis neceſſaria erant, ſollicite quæſivit. Dum hæc ſic geruntur, mater pueri cum ceteris mulieribus, quarum magna multitudo domum introierat, miſericordiam Domini & beati Godehardi implorat; &, ut ſolitam benignitatem, quam omnibus impenderat, non ſibi ſubtrahat, devotiſſime exorat. Quid plura? poſt parvum tempus, puer ſingultus emittit; aqua, quam hauſerat, cum magno impetu effluxit; & tandem vitam priſtinam reſumpſit.

Puer in aquis ſuffocatus reviviſcit.

48. Fuit vero circa idem tempus vir mercatoriæ arti deditus, qui negotiando diverſas terras pertranſibat; & ſibi ſuiſque victum difficulter quærebat. Contigit vero ut hic quodam tempore cauſa mercaturæ, cum pluribus aliis inter paganos tenderet, & poſſeſſionem non modicam ſecum deferret. Qui dum proſperato itinere pergerent, contigit eos vaſtam ſolitudinem introire, ubi non modicam multitudinem paganorum obviam habuere. Quod videntes ad arma cucurrerunt, defenſacula undique ſibi præparaverunt: ſed multitudini illorum reſiſtere non valuerunt. Tunc vero quoſdam ex ipſis morti dederunt, quoſdam corpore truncaverunt, quoſdam captivaverunt, bonaque ipſorum diripuerunt. Inter quos captivos prædictus vir, cum quodam puero filio fratris ſui captivatur, & in remotiſſimas partes paganorum deducitur; ibique in quadam inſula Oceani [a] detinetur, ubi cum diu ſervili opere deſudaret, & unde eriperetur non haberet, utpote ubi mare undique circumflueret, nec ullum locum evadendi inveniret, tandem ſe ad patrocinium beati Godehardi patroni noſtri iturum devovet, ſi per quam partem manus illorum effugere poſſet, illi demonſtraret. His ita geſtis, quadam die dum circa litus maris anguſtiando, & orationibus inſiſtendo deambularet, cymbam parvam in obſcuro loco litoris invenit, in qua ſe mare tranſire, Dei adjutorio ſperavit; ſed quia mare magnum, & ſpatioſum fuerat, tantum periculum attentare trepidabat, ſeſeque orationibus beati Godehardi commendabat,

Mercator cum puero captus liberatur.

[a] Inſulam maris Baltici mallet legere Henſchenius, veroſimiliter Rugiam, terrarum à Slavis detentarum ultimam.

ANN. CH. MXXXVIII. IV. MAII.

petens ut animo illius inſpiraret, & competentia adminicula ei præpararet, quibus tantam tribulationem evadere potuiſſet. His finitis, jam nox advenerat, cum jam fixo animo ſe ad fugam præparabat. Acceptis igitur duabus lanceolis, & panno de culcitra abſtracto, ad puerum filium fratris ſui, qui in alia villa morabatur pergit, eumque ſecum abduxit. Sed cum ad naviculam veniſſet, lanceolis & panno quem ſecum portavit, velum adaptavit, & ſic ſe miſericordiæ Domini, & beati Godehardi commendavit. Quod videntes qui in inſula commorabantur, eum ſubito proſequuti ſunt: ſed, Deo adjuvante, eum comprehendere nequibant; domumque infecto negotio, remigabant. Prædictus vero vir, non immemor quod Deo voverat, ſine mora ad patrocinium beati Godehardi veniebat, & lanceas & pannum, unde velum fecerat, in memoriam tanti miraculi, in eccleſia noſtra ſuſpendi rogabat.

APPENDIX.

Henricus Archiepiſc. Colonienſis reliquias S. obtinet.

49. Interea dum hæc aguntur, & memoria beati Godehardi valde celebris habetur, contigit, ut Archiepiſcopus Colonienſis, HENRICUS [a] nomine, civitatem noſtram cum non modica manu cleri & populi pertranſiret: & prædicta miracula, quæ per eum fiebant, cognoſceret. In conventum ergo fratrum noſtrorum venit, & fraternitatem noſtram devote poſtulavit. Ad cujus fraternitatis confirmationem, dari ſibi de reliquiis beati Patroni noſtri humiliter petiit, promittens ſe facturum, ut in omni diœceſi ſua celebris haberetur, & congruus honor tanto viro exhiberetur: ſed quia petitionem ejus propter abſentiam paſtoris noſtri diſtulimus; & tunc nos ſatisfacturos voluntati ipſius polliciti ſumus, ubi is adeſſet. Non multo poſt tempore, dominus noſter cum in conventu noſtro hæc ſupradicta cognoviſſet, petitioni Archiepiſcopi acquievit, & quæ ab eo poſtulabantur ſibi donari præcepit. Mox Abbas beati Godehardi ad eum cum portione reliquiarum tranſmittitur, & ab eo devotiſſime ſuſcipitur. Hanc vero portionem Archiepiſcopus in terram nativitatis ſuæ, id eſt in Sueviam, tranſmiſit, ibique quamdam eccleſiam in honorem ipſius inſtituit: ad quam cum multi confluerent, & certiſſimam ſalutem animæ & corporis recuperarent, contigit, ut quadam die cuidam viro manus abſcinderetur, adeo ut nec minima particula corpori jungeretur. Videns ergo mancum ſe eſſe, manum arripuit, & fide firmata eam ad truncum appoſuit, & ad eamdem eccleſiam ad patrocinium beati Godehardi migravit: ubi cum devotiſſime miſericordiam ipſius imploraret, contigit celeberrimum miraculum, ut trunco manus conglutinaretur, & in priſtinum ſtatum reſtitueretur.

Eccleſiam in Suevia conſtruit, ut ibi eas deponat.

Ibi manum habens abſciſſam, reſtituitur.

Theodoricus ſodalitatem in honorem S. Godehardi inſtituit.

50. Vir quidam honeſtus, cujus nomen Theodoricus, civis Hildeneshemenſis. Hic devotione ſingulari motus, fraternitatem inſtituit ſancti Godehardi, & in eam utriuſque ſexus homines induxit; tribuens de propriis eleemoſynam pauperibus ſatis largam in feſto dicti pontificis Godehardi. Hic in infirmitate quadam decumbens, quæ phthiſis dicitur, à medicis derelinquitur, qui de vita ipſius deſperabant. Quadam vero nocte, quam pæne duxit inſomnem, apparuit ei ſanctus Godehardus in habitu pontificali, dicens ei: Quid agis frater? cur ſic jaces proſtratus in lecto? Cui Theodoricus reſpondit: Infirmitate gravatus valida, aliud non poſſum quam proſtratus jacere; ſed rogo te, ſancte Godeharde, ora pro me. Cui vir ſanctus ait: Surge in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti; & vade ad

Cujus meritis à phthiſi liberatur.

[a] Henricus I. comes de Molenarck ſancto Engelberto ſucceſſit anno 1225. ad annos 12. qui potius hic deſignari videtur quam Henricus II. de Wirnemberg anno 1306. ordinatus. quod miraculum infra num. 51. relatum, Cæſarii Heiſterbachenſis ætate patratum ſit.

Digitized by Google

eccleſiam, & oſtende te confratribus tuis, & dic eis: Quia Dominus Jeſus meritis meis te ſanavit, eo quod honorem meum in hac infirmitate procuraſti. Inſuper dic eis, ut in incœptis perſeverent, & ego frater eorum ero, & defenſor ab hoſte maligno, & ab omnibus quæ honorem, vitam, ſive famam eorum lædere poſſunt, & apud Deum interceſſor ero ſemper. Dictus autem infirmus ſurrexit, & quod ei dictum fuerat fecit. Et omnes qui audierant verbum, Deum benedicebant, qui talem eis patronum dedit, & interceſſorem. Dictus autem Theodoricus ſanus & hilaris, poſtea vixit annis multis, devote Deo & ſancto Godehardo ſe commendans.

ANN. CHR. MXXXVIII. IV. MAII.

51. Magiſter [a] Johannes Decanus Aquenſis, cum ſcholaris eſſet, tam graviter quodam tempore infirmatus eſt, ut confeſſus & inunctus nihil ei niſi mors videretur. Qui cum materia rapta eſſet in cerebrum, ſolus jacens in exceſſum venit, viditque homines ſibi ignotos intrare, qui lances quas manibus portabant, cum lignis brevibus & quadratis ante ipſum ponebant. Stantibus ipſis ex una parte lectuli, contemplatus eſt introire tres inclytos confeſſores; ſanctum videlicet Martinum Turonenſem, & ſanctum Godehardum Epiſcopum Hildeneshemenſem, beatumque Bernvvardum, qui eum parte ex altera circumſtetere. In quorum conſpectu puer Johannes uni imponitur lanci, & ligna ponderis alteri. Cumque elevata ſtatera, juvenis æger minus habens inventus eſt, prædicti Confeſſores puerulum parvum & mendicum ſinui ejus impoſuerunt, qui ſimul lancem adverſam mox ſuſpendentes, lignis graviores apparuerunt, ſtatimque Johannes, qui mihi hanc viſionem retulit, in ſudorem erumpens criſin fecit, & de eadem infirmitate citius convaluit.

[a] Viſio Johannis Aquenſis.

Poſtremum miraculum editionis Lipſianæ, vitæ brevioris.

52. Anno Domini MCCCXXXVIII. civitas Patavienſis per epiſcopum Patavienſem [b], cum multa armatorum militia, circumvallata ſic artabatur, quod populus in ea deſperatus de ſalute, hoſtibus ſuis ſe tradere volebat. Contigit autem, ut unus inter eos in ſancto Godehardo ſpecialem gerens fiduciam, & inter majores civitatis reſidens, diceret: Audivimus multa pietatis inſignia, & ſalutaris auxilii augmenta non modica, quomodo ſanctus Godehardus de hac noſtra ortus terra, immo de hac noſtra diœceſi: multis adſtitit tribulatis, & conſolationem ab eo receperunt, ut multis eſt notiſſimum. Expedit ergo, ut & nos ipſius adjutorium imploremus, petentes devotione ſupplici, ut clementer nobis adſiſtat, & iram Dei, per quam meruimus hanc calamitatem, à nobis avertat. Placuit omnibus verbum ſenis; ejuſque omnes favent hortamento, & votum fecerunt unanimiter ſe miſſuros aliquot de civibus cum oblationibus, petentes ut eis in neceſſitatibus ſuis citius ſubveniret. Quo voto emiſſo, mira celeritate ſe invenerunt conſolatos. Nam generoſus Princeps dux Bavariæ [c] veniens, negotium intercepit, & inter epiſcopum Patavienſem, & cives dictæ civitatis ab eo obſeſſæ, treugas conſtituit amicabiles. Sicque Præſul abſceſſit, & civitas pace gaudebat inſperata. Sed & medio tempore dictus dux Bavariæ pacem inter Epiſcopum & civitatem incœptam confirmavit, & conſolationem hominibus utriuſque ſexus condonavit. Cives autem dictæ civitatis ſuos, ut voverant, ad ſepulcrum miſerunt ſancti Godehardi cum votivis oblationibus, omnibus ibidem narrantes

Civitas Patavienſis obſeſſa liberatur.

[a] Idem miraculum refertur à Cæſario libro 8. Miraculorum cap. 77.

[b] Albertus Saxoniæ dux occupatam Patavii ſedem militari more magis, quam ut eccleſiaſticum deceret, adminiſtravit.

[c] Ludovicus, uti Henſchenio videtur, Ludovici Bavari filius, qui patre Imperium ambiente, Bavariæ ducis titulum promereri potuit, etiam Marchio Brandeburgicus appellatus eſt.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXXXVIII. IV. Maii.

qualiter ſuffragiis ſancti Godehardi de tribulatione maxima ſubito fuerint liberati.

APPENDIX ALTERA.

Miracula in exteris provinciis facta, in quas delata ſunt S. Godehardi reliquiæ.

*Dokkinge. Abbas à fluxu ſanguinis liberatur.

Mulier ab hydropiſi & podagra.

Item alii multi.

53. Scire volentibus quæ & quanta Dominus operari ſit dignatus per merita beati Godehardi, cum eſſemus in provincia Trajectenſi, & in aliis locis, habentes nobiſcum venerabiles reliquias ejuſdem, breviter quædam annotare curavimus. Honorabilem virum Abbatem in * Dokkinge curatum evidenter cognovimus à fluxu ſanguinis, quo vehementer & diu laboraverat. Per ejus ſuffragium matronam etiam quamdam, quæ bona ſpe eaſdem reliquias ad ſe deferri petiit, Deus à duplici morbo, hydropico & podagrico, quo diu laboraverat, ejuſdem meritis potenter atque evidenter liberavit. Præterea zonis multorum applicatis ad eaſdem reliquias, & appoſitis ad membra infirmorum, tam ſæcularium, quam clauſtralium, in continenti ſanitatem recepiſſe noſcuntur; videlicet infirmi laborantes quotidiana, tertiana, dolore capitis, oculorum, dentium & ceterorum membrorum.

S. Confraternitas.

54. Cum femina quædam inter concives ſuos, dantibus nobis confraternitatem more ſolito, ab ipſa ſe abſentaret, monita per viſum à beato Godehardo, cur ſe tanto beneficio privari vellet: & reſpondens quod nihil offerendum haberet; audivit, ut mane ſurgens, quicquid apud ſe inveniret, offerret: ſicque in burſa duos gravioris monetæ nummos inveniens obtulit, & idem factum coram populo profeſſa eſt.

Eccleſiæ S. Godehardi infeſtus punitur.

55. Vir etiam quidam magnus, nobis valde contrarius exſiſtens, cum populum à nobis avertere, & negotium noſtrum omnimodis impedire ſtuderet, ita per inflationem gutturis & totius capitis periclitari cœpit, ut jam pæne deficere videretur; donec in ſe rediens, & corde pœnitens, per ſuffragia beati Godehardi ab ipſius mortis faucibus liberatus, errorem ſuum devotione & humilitate correxit.

Mulier in partu laborans liberatur.

56. Quædam mulier cum geminos generaret, uno ſoluta ante noſtrum adventum, tribus diebus cum altero periclitari cœpit: ſed nobis advenientibus, attactu zonæ ſanctis reliquiis appoſitæ, in continenti enixa dinoſcitur.

Eccleſia Cathedralis Trajectenſis ab interdicto ſolvitur.

57. Præterea cum major eccleſia Trajectenſis ſuſpenſione divinorum longo tempore nimis turbaretur, propter adventum reliquiarum beati Godehardi, divina reſumſit [a]; & toti populo ingens gaudium tribuit, in dedicatione, videlicet ipſius eccleſiæ.

[a] Hoc miraculum ad ſæculi 15. initium revocandum eſſe videtur, quo Abbas Inſulæ beatæ Mariæ, teſte Heda, Trajectenſes Romani pontificis auctoritate excommunicavit, qui Suederum epiſcopum rejecerant. id ad annum 1437. perduravit. quo anno, agente Nicolao Cardinali Cuſano, Walrarius Rudolfo poſt Suederum electo ceſſit.

DE SANCTO EGELNOTHO cognomento Bono, Archiepiſcopo Cantuarienſi.

1. EGELNOTHI *Archiepiſcopi Cantuarienſis vigeſimi-noni, cui ob inſitam morum probitatem, Boni cognomentum inditum eſt, elogium prætermittere non licet. Varie à variis auctoribus nomen ejus effertur. quæ nominum multiplicitas apud antiquos ſcriptores, maxime Anglicanos, ſæpius occurrit. Alii Athelnothum, alii Alnotum, quidam Agelnothum ſeu Egelnothum appellant. Ultimum nomen, quod apud auctores frequentius invenitur, ceteris pratulimus. Ejus vitam nemo ex antiquis litteris mandavit, aut certe ſi hac aliquando conſcripta fuerit, ubinam deliteſcat ignoratur. Trithemius ſe eam vidiſſe innuit libro* 3. *de viris illuſtribus ordinis ſancti Benedicti, ubi cap.* 147. *ſic habet:* Egelnothus ex monacho in Anglia archiepiſcopus Cantuarienſis, vir ſapientia & ſanctitate clariſſimus, magnos in Eccleſia Dei utiliter impendit labores, & plura ſanctitatis ſuæ veſtigia reliquit. Claruit anno Domini MXX. cujus geſta habentur. *Sed cum ignota ſint, quæ ex variis auctoribus Anglicanæ hiſtoriæ colligere licuit, huc proferemus.* Vita anſcripta.

2. *Egelnothus Agelmari nobilis viri filius dicitur apud Rogerium de Hoveden ad annum* MXX. *ejus patrem paullo aliter, Ægelmarum, Florentius Vvigornienſis vocat, quem poſteriores hiſtorici, neſcio quo fundamento, Comitem fuiſſe ſcripſerunt. Ut ut ſit, Egelnothum à beato Dunſtano baptiſmi ſacramentum recepiſſe ex Chronographo Glaſtonienſi Tom.* 1. *Monaſtici Anglicani diſcimus, qua occaſione res mira accidit, quam hic omittere non licet:* Iſte, *inquit*, cum à beato Dunſtano baptizaretur, erectam manum tenuit, more Epiſcopi benedicentis populum; unde beatus Dunſtanus divinitus inſpiratus, eum Archiepiſcopum futurum prædixit. *Monaſticam vitam egit in percelebri cœnobio Glaſtonienſi, ut teſtis eſt Vvillelmus Malmesburienſis, cujus verba inferius proferemus. an vero ejuſdem monaſterii decanus fuerit, vel potius hanc dignitatem obtinuerit in eccleſia Cantuarienſi, ut innuit Gervaſius, priuſquam ad primam Anglicanæ eccleſiæ cathedram eveheretur, incertum eſt. Dubitandi locum prabet Vvillelmus, qui Egelnothum ex decano in ſummum ſacerdotem aſſumtum fuiſſe refert. Verum ſive Glaſtonienſis, ſive Cantuarienſis decanus fuerit, perinde eſt ad monaſticam ejus profeſſionem probandam, cum ex eodem auctore certum ſit, & Egelnothum Glaſtoniæ monachum fuiſſe; & Regulam Benedictinam non minus in eccleſia Cantuarienſi quam Glaſtoniæ viguiſſe. Id unum certum eſt, Egelnothum animo ſemper erga Glaſtonienſes propenſiſſimo fuiſſe, quod inter alia probat inſigne privilegium à Cnutone rege, eo operante, Glaſtonienſi monaſterio conceſſum, quod huc referre viſum eſt integrum ex Vvillelmo libro* 2. *de geſtis Regum Anglorum capite* XI. *ubi ejuſdem ſancti viri elogium præmittit, his verbis:* Parentes.

3. Erant tunc in Anglia ſummi & ſapientiſſimi viri, quorum præcipuus EGELNOTHUS archiepiſcopus poſt LIVINGUM. Hic ex decano ſummus ſacerdos, multa opera prædicabili memoria digna fecit, Regem ipſum auctoritate ſanctitudinis, in bonis actibus mulcens, in exceſſibus terrens: ſedem archiepiſcopatus & prius præſentia corporis ſancti Elphegi ſublimavit, & poſtea Romæ præſens in priſtinam dignitatem reparavit. Domum rediens, apud Papiam brachium ſancti Auguſtini Doctoris, centum talentis argenti & talento auri comparatum, apud Coventreïam miſit. Porro CNUTO Glaſtonienſem eccleſiam, ut fratris ſui EDMUNDI ma- Viri illuſtres in Anglia.

Ann. Ch. MXXXVIII. Oct. xxx.

nes inviſeret (ſic enim eum vocare ſolitus fuerat) feſtinavit; factaque oratione ſuper ſepulcrum, pallium miſit, verſicoloribus figuris pavonum, ut videtur, intextum. Adſtabat regio lateri ſupradictus EDELNOTHUS, qui ſeptimus Glaſtonienſis cœnobii præſidebat cathedræ Cantuarienſi. Primus Brithvvaldus, ſecundus Athelmus, qui primus Vvellis epiſcopus, tertius nepos ejus Dunſtanus, quartus Egelgarus, qui Novi-monaſterii Vvintoniæ abbas primus, deinde Ciceſtrenſis epiſcopus; quintus Siricius, qui factus archiepiſcopus, nutriculæ ſuæ ſeptem dedit pallia, de quibus in anniverſario ejus tota antiqua ornatur eccleſia; ſextus Elphegus, qui ex prioratu Glaſtoniæ primus factus eſt abbas Bathoniæ, deinde epiſcopus Vvintonenſis; ſeptimus Ethelnothus, qui cum Regi anteceſſorum ſuorum privilegia oſtendiſſet, rogavit & rogando obtinuit, ut ſcripto regio in hæc verba confirmaret.

Cnutonis præceptum.

» 4. Regnante in perpetuum Domino, qui ſua ineffabili potentia omnia » diſponit atque gubernat, viceſque temporum, hominumque mirabiliter » diſcernens, terminumque incertum, prout vult æquanimiter imponens, » & de ſecretis naturæ myſteriis miſericorditer docet, ut de fugitivis & ſine » dubio tranſitoriis manſura regna Dei ſuffragio adipiſcenda ſunt. Quapro- » pter ego CNUT Rex Anglorum, ceterarumque gentium in circuitu per- » ſiſtentium Gubernator & Rector, cum conſilio & decreto archipræſulis » noſtri EDELNOTHI, ſimulque cunctorum Dei Sacerdotum, & conſen- » ſu Optimatum meorum, ob amorem cæleſtis regni, & indulgentiam cri- » minum meorum, & relaxationem peccaminum fratris mei regis EDMUN- » DI, concedo eccleſiæ ſanctæ Dei genitricis MARIÆ Glaſtoniæ, jura & » conſuetudines in omni regno meo, & omnes foriſfacturas omnium terra- » rum ſuarum; & ſint terræ ejus ſibi liberæ & ſolutæ ab omni calumnia, & » inquietatione, ſicuti meæ mihi habentur. Verum illud præcipue ex omni- » potentis Patris & Filii & Spiritus-ſancti auctoritate, & perpetuæ Virginis » interdictione prohibeo, & univerſis regni mei Præpoſitis & Primatibus » ſuper ſuam ſalutem præcipio, ut nullus omnino illam Inſulam intrare au- » deat, cujuſcumque ordinis aut dignitatis ſit; ſed omnia, tam in eccleſiaſti- » cis quam in ſæcularibus cauſis, tantummodo Abbatis judicium & conven- » tus exſpectent, ſicuti prædeceſſores mei ſanxerunt, & privilegiis confir- » maverunt, Cenvvines, Ines, Cuthredus, Ailredus, Alfredus, Edvvardus, » Ethelredus, Ailſtanus, & glorioſiſſimus Edmundus, & comparabilis Edga- » rus. Si quis autem quovis deinceps tempore, ſub aliqua occaſione inter- » rumpere, atque irritum facere hujus privilegii teſtamentum niſus fuerit, » ſit à conſortio piorum ultimi examinis ventilabro diſpertitus. Si quis vero » benevola intentione hæc facere, probare & defenſare ſtuduerit, beatiſſi- » mæ Dei genitricis Mariæ, & omnium ſanctorum interceſſione amplificet » Deus portionem ejus in terra viventium. Scripta eſt hujus privilegii do- » natio, & promulgata in lignea baſilica, ſub præſentia regis Cnutonis, anno » ab Incarnatione Dominica MXXXII. Indictione....

Romam iter.

5. *Egelnothus itaque in Archiepiſcopum aſſumtus poſt Livingi obitum, qui anno* MXX. *accidit, diſpoſitis prius eccleſiæ ſuæ rebus, biennio exacto, Romam petiit, ubi à Benedicto* VIII. *Pontifice cum ſummo exceptus honore, ut teſtatur Florentius Vvigornienſis, & alii ſcriptores cum eo, Pallium à ſede apoſtolica more majorum ſuorum ſuſcepit. In Angliam rediens, Papiæ brachium ſancti Auguſtini Eccleſiæ doctoris emit, ut ſupra ex Vvillelmo Malmesburienſi vidimus. quare mirari ſubit id factum Cnutoni regi à Cardinali Baronio tributum fuiſſe ad annum* MXXVII. *ex ipſis, uti ipſe loquitur, Vvillelmi verbis: & quidem ea ipſa refert, quæ ſupra retulimus, quaſi de Cnutone ſcripta fuiſſent, quæ tamen de Egelnotho à Vvillelmo prolata eſſe nemo eſt qui ambigere poſſit, ut legenti cuique patere poteſt. Quin & idem auctor libro* IV. *de Geſtis Pontificum Anglorum, ſcribit pretioſum illud pignus in monaſterio Conventrienſi*

Digitized by Google

ANN. CH. MXXXVIII. OCT. XXX.

trienſi religioſum aſſervari in theca argentea incluſum, cum hac inſcriptione: Hoc brachium ſancti Auguſtini Egelnodus archiepiſcopus rediens à Roma ad Papiam, emit centum talentis argenti & talento auri. *Hoc ipſo anno, quo in Angliam reverſus eſt Egelnothus, aut certe proxime ſequenti, corpus ſancti Elfegi prædeceſſoris ſui, quod Londini ſepultum fuerat Cantuariam tranſtulit, cujus Tranſlationis hiſtoriam ex Oſberno ſupra edidimus cum ejuſdem ſancti vita ad annum* MXII.

6. *Verum nihil magis Egelnothi prudentiam & religionem commendat, quam quod ex Cnutone, homine barbaro, qui Angliam invaſerat, Regem pium ac manſuetiſſimum effecerit, ita ut vix alius ullus inter tot reges qui Angliæ præfuerunt, reperiri queat, qui eccleſiæ, totique populo ſibi commiſſo adeo profecerit. Hujus rei veritatem confirmat celebris illa collectio legum tam Eccleſiaſticarum quam civilium, quam ſuis curis adornatam, in tota Anglia obſervandam edixit & promulgavit. Idem probat iter Romanum, quod* pro peccaminum ſuorum relevatione & ſalute populorum ſibi commiſſorum *Deo voverat, ut ipſemet loquitur, in Epiſtola quam ad Egelnothum ceteroſque Angliæ Epiſcopos & primates per Livingum abbatem Taviſtokenſem tranſmiſit. quæ, inquam, omnia recte facta in Egelnothum refundi debent. nam ipſe, ut ait Vuillemus loco ſuperius laudato,* Regem ipſum auctoritate ſanctitudinis, in bonis actibus mulcens, in exceſſibus terrens, ſedem archiepiſcopatus.... in priſtinam dignitatem reparavit. *Præclarum hujus rei exemplum habetur in Chronico Johannis Bromtoni Abbatis Jornalenſis, ubi Cnutum beatæ Edithæ ſanctitati detrectantem Egelnothus non ſolum verbis, ſed & miraculo repreſſit. ſic ille auctor rem exponit.* De ſancta Editha legitur, quod dum Rex Kanutus in quodam feſto Pentecoſtes apud Vuiltoniam convivans, cachinnos in ſanctam Editham effunderet, dixit ſe numquam crediturum filiam regis Edgari, qui ſemper libidini & tyrannidi deditus fuerat, ſanctam fore. Contradixit Ethelnodus archiepiſcopus tunc præſens, qui ſtatim ſepulcrum Virginis aperuit, ubi defuncta Virgo cingulo tenus ſe erigens, in contumacem Regem impetum facere viſa eſt. Hoc ille metu turbatus, humi quaſi exanimis cecidit: ſed tandem reſpirans lætus erubuit, & gaviſus quod pœnitentiæ reſervatur.

Regem ad pietatem induxit.

7. *Anno* MXXXII. *eccleſiam ſancti Edmundi martyris in agro Suffolcienſi dedicavit, quam Cnutus rex monachis Benedictinis poſſidendam dedit, advectis ex monaſterio ſancti Benedicti de Hulmo monachis duodecim. Hujus cœnobii fundationis charta habetur in monaſtico Anglicano tomo* I. *cui Egelnothus cum ceteris Angliæ primoribus ſubſcripſit; cumque poſt aliquot annos Arfaſtus epiſcopus Tetfordenſis hujus monaſterii privilegia violare voluiſſet, lite agitata coram Rege Vuillelmo, præſentibus archiepiſcopis Lanfranco Cantuarienſi, & Thoma Eboracenſi, ac Odone epiſcopo Bajocenſi Regis fratre, ceteriſque Regni primoribus; omnium judicio Epiſcopus cauſa cecidit, Rexque ſtatim præceptum dedit, quo Cnuti aliorumque Regum anteceſſorum ſuorum privilegia confirmabat, cui omnes quotquot aderant ſubſcripſere. Datum eſt apud Vuintoniam anno* MLXXXI. *cujus exemplar videſis editum in monaſtici Anglicani tom.* 1. *p.* 289.

8. *Alia ſunt & quidem bene multa religionis, quam Egelnothus Cnuto inſpiraverat, argumenta, præter ea quæ recenſuimus. Sed de iis ſingillatim agere non vacat. Pietatem vero & ſinceram animi devotionem præ ceteris ſpirat præceptum monachis Croylandienſibus ab eo conceſſum, quod ideo ex Ingulfi Hiſtoria huc exhibere viſum eſt.*

CNUTUS Rex totius Angliæ & Danmarchiæ & Norvvagiæ, & magnæ partis Svvavorum, omnibus provinciis, nationibus, & populis meæ poteſtati ſubjectis, tam minoribus quam majoribus, ſalutem. Cum terram Angliæ progenitores mei & parentes, duris extortionibus, & diris deprædationibus ſæpius oppreſſerunt, &, fateor, innocentem ſanguinem frequenter in ea effuderunt; ſtudium meum à principio regni mei fuit, &

Præceptum pro Croylandenſibus.

Digitized by Google

ANN. CH. MXXXVIII. OCT. XXX. ſemper erit in futurum, tam penes cælum, quam penes ſæculum; propter hæc mea peccata, & parentum meorum ſatisfacere, & ſtatum totius ſanctæ matris Eccleſiæ, & uniuſcujuſque monaſterii ſub imperio meo conſtituti, cum in aliquo meo patrocinio indiguerint, devotione debita emendare, omneſque ſanctos Dei per hæc & alia bona opera, mihi in meis neceſſitatibus reddere benignos, ac deprecationibus meis favorabiles & placatos. Ideo in arrhas hujus meæ ſatisfactionis, offero ſancto Gutlaco de Croyland, & ceteris ſanctis ejuſdem loci, de ſubſtantia mea unum calicem, confirmans Brithmero abbati; & monachis ſuis totum monaſterium ſuum Croylandiæ cum inſula circumjacente, & duobus mariſcis adjacentibus, ſcilicet Alderlound, & Goggiſlound, eiſdem terminis & limitibus, quibus in chirographo incliti quondam regis Edredi reſtauratoris ſui; dicta inſula, dictique duo mariſci ſatis aperte deſcribuntur. Confirmo etiam omnes eccleſias & capellas, terras & tenementa, libertates & privilegia, in ejuſdem Regis chirographo contenta, cum quibus omnibus dictus rex Edredus dictum monaſterium Croylandiæ ad honorem Dei, & ſancti Gutlaci Confeſſoris ſui corporaliter in eo requieſcentis dotavit, donavit, ditavit, & ſuo chirographo confirmavit. Nulluſque hominum meorum audeat amodo dictos monachos inquietare, vel in aliquo conturbare pro prædictis. Quod ſi quis facere præſumſerit, vel tentaverit uſurpare; vel gladii mei ſentiet aciem, vel gladii pœnam ſacrilegis debitam ſubibit; abſque omni remiſſione & redemtione puniendus, juxta modum & menſuram injuriæ dictis monachis irrogatæ. Ego Cnutus rex anno Dominicæ Incarnationis milleſimo triceſimo-ſecundo Londoniis, iſtud meum chirographum ſigno ſanctæ Crucis confirmavi †. Ego Egelnothus Archiepiſcopus Dorobern. ſigno ſanctiſſimæ crucis confirmavi †. Ego Alfricus Archiepiſcopus Eboracæ hoc Regis chirographum affirmavi †. Ego Leffius Vvicciorum epiſcopus conſignavi †. Ego Elfvvardus Lond. epiſcopus col. laudavi †. Ego Briethmerus Lichefeld epiſcopus conſtabilivi †. Ego Brichtegus abbas Perſorenſis communivi †. Ego Vvlnothus abbas Vveſtmonaſterii ſignavi †. Ego Oſvvius abbas Thorneienſis approbavi †. Ego Godvvinus comes conſenſi †. Ego Leofricus comes conſenſi †. Ego Edvvinus frater Leofrici Comitis affui †. Ego Haroldus filius Godvvini Comitis interfui †. Ego Algarus filius Leofrici Comitis aſtiti †. Ego Turkillus miniſter Regis audivi †. Ego Alfgetus miniſter Regis aſpexi †.

Pia opera. 9. *Verum non Anglicanis ſolummodo eccleſiis profuit Cnutus, verum etiam in externis provinciis pietatis ſuæ monumenta reliquit, ut probant ingentes eleemoſynæ, quas pauperibus & eccleſiis ab eo in itinere Romano erogatas fuiſſe paſſim teſtantur auctores vulgati. Idem rex pecunias, quibus nonnullas eccleſias indigere ſciebat, tranſmittere curabat. Carnotenſem eccleſiam ejuſmodi ſubſidiis relevatam fuiſſe diſcimus ex Vvillelmo Malmesburienſi, qui hæc omnia Egelnothi monitu facta fuiſſe aſſeverat.* Ejuſdem etiam Archipræſulis monitu, *inquit*, Rex ad tranſmarinas eccleſias pecunias mittens, maxime Carnotum ditavit, ubi tunc florebat Fulbertus, &c. *Idem habet Trithemius in Chronico Hirſaugienſi. Gratias ea de re Cnutoni egit Fulbertus Epiſtola* XCVII. *eamque pecuniam in perficienda Eccleſia Cathedrali inſumſit, quam igne concrematam à fundamentis reſtaurare incœperat. Ex his licet conjicere, quænam fuerit Egelnothi in Regem & Regis in Egelnothum animi propenſio.*

Egelnothi obitus. 10. *Sed tandem piiſſimus antiſtes pluribus perfunctus laboribus, potiſſimum in ſua eccleſia reſtauranda quam Dani devaſtarant, ut ait Godvvinus, anno ſui regiminis decimo-octavo, videlicet* MXXXVIII. *è vivis exceſſit, qua in re conſentiunt omnes ſaltem antiqui hiſtoriæ Anglicanæ ſcriptores. Varii tamen variis diebus ejus obitum conſignant, alii enim* III. *alii* IV. *alii* V. *Calendas Novembris eum obiiſſe ſcribunt. In Martyrologio quodam Anglicano, quod à Bollandianis laudatur, me-*

Digitized by Google

moria ejus die 30. *Octobris recolitur. quo die ejus feſtum celebratur in Martyrologio Benedictino & in Catalogo ſanctorum Philippi Ferrarii. Ejus vitam hac ipſa die exhibet Maihevius in Trophæis Benedictinis. die tamen* III. *Kalendas Aprilis* obiiſſe *dicitur in Catalogo archiepiſcoporum Cantuarienſium Stephani Birchingtoni, tomo* I. *Angliæ ſacræ. Ceterum haud ſcio an umquam feſtus ejus dies in eccleſia celebratus fuerit, quamvis certum ſit eum ſanctiſſimum virum etiam ab auctoribus ſupparibus appellatum fuiſſe, qui etiam eum, ut jam obſervavimus,* Bonum *ob præclara merita & pietatem cognominarunt.* Piæ memoriæ *dicitur in diebus obitualibus Eccleſiæ Cantuarienſis, tomo* I. *Angliæ ſacræ.* Ann. Ch. MXXXVIII. Oct. XXX.

II. *Sunt qui Egelnothum inter ſcriptores eccleſiaſticos recenſent. Pitſeus Libro de Illuſtribus Angliæ ſcriptoribus, ad annum* MXXXVIII. *ejus opera ſic recenſet: Librum ad Leofricum Ceſtriæ conſulem & Conventriæ Comitem, de Brachio ſancti Auguſtini, quod ex Italia retulerat. Librum de laudibus beatæ Mariæ virginis ad Fulbertum Carnotenſem, librum unum Epiſtolarum ad diverſos, & alia quæ non enumerat. Verum an iſti libri alicubi exſtent, vel an re ipſa beati Egelnothi ſint ſinceri fetus, nobis aſſeverare non licet, cum de iis nullus veterum, quem quidem ſciamus, ſcripſerit. Primus qui ea opera Egelnotho tribuit, videtur fuiſſe Trithemius, qui Egelnothum veluti hominem & pietate & eruditione celebrem, iſtis operibus recenſitis, laudat in Chronico Hirſaugienſi ad annum* MXXXVII. An libros ediderit.

VITA S. CHUNEGUNDIS IMPERATRICIS ET VIRGINIS.

Ann. Ch. MXL. Mart. III.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Ubi de ſancto HENRICO imperatore ejus conjuge.

I. PAR *illuſtre conjugum ſimul & virginum,* HENRICUM *ſcilicet imperatorem &* CHUNIGUNDEM *auguſtam ejus uxorem, merito ſibi vendicat Ordo Benedictinus: quorum ille, obedientiæ quam Regulæ voverat adſtrictus, in ſæculo remanens; altera vero poſt viri obitum, ſuſcepto monaſtico habitu, ac in ſancta converſatione in monaſterio Confugienſi, quod ipſa à fundamentis erexerat, vitam finiens, inter ſancti Patris Benedicti alumnos merito computari debent.* Henricus & Chunegundis Ordinis Benedictini.

2. *Porro animus non eſt hic de utriuſque majoribus, ac familiarum antiquitate aut nobilitate diſſerere; nec etiam res ipſorum in Republica adminiſtratione egregie geſtas fuſius exponere vacat. Hoc nempe ad eos qui Romani Imperii Annalibus deſcribendis incumbunt pertinet, quod jam à multis abunde præſtitum eſt. Nobis itaque ſatis erit commemorare ea, quibus noſter Ordo piis illis principibus adſtrictus eſt, præclara ſcilicet & immenſa beneficia, quæ Ordini Benedictino contulerunt; aut egregia facta, piaque opera quibus eumdem illuſtraverunt. Hinc beati Henrici vitam proferre huc integram viſum non eſt operæ pretium, quod multa contineat à noſtro inſtituto prorſus aliena. Sanctæ vero ipſius conjugis vitam, qualiter à Gretſero & Bollando ad diem* 3. *Martii edita eſt, ad nonnullos codices manuſcriptos collatam infra dabimus, utpote complectentem ea fere ſolummodo, quæ egit in monaſterio Confugienſi, ubi poſt peractum in vita religioſa exercitiis aliquot annorum curriculum, vivendi finem habuit.* Eorum geſta.

3. *Henricus itaque è Bavariæ duce, poſt Ottonis III. imperatoris obitum Cæſar anno* MII. *creatus, nihil antiquius habuit quam, ut Eccleſiam, viroſque Dei obſequio mancipatos, non modo ſua auctoritate & protectione foveret, ſed etiam ut bonis omnibus affluenter dotaret. qua in re Chunegundem nedum adjutricem, ſed & incitatricem habebat, utpote quæ non minori ſtudio ac ipſius conjux ad ea quæ Deum ſpectabant, ferretur. Hinc epiſcopatus aut de novo erecti, aut reſtituti, aut certe novis poſſeſſionibus ab illis adaucti paſſim memorantur. Nullum ferme fuit his temporibus in Imperio Romano monaſterium, quod eorum beneficentia aut reſtauratum non fuerit, aut in ſuis poſſeſſionibus confirmatum, & novis cumulatum. Enituit ſane inter præclara eorum* Propenſio in Eccleſiam.

Digitized by Google

ANN. CH. MXI. MART. III.

opera Bambenbergenſis epiſcopatus erectio, pro qua re nec ſumtibus pepercerunt, nec laboribus, qui ſane multi fuerunt, tum à Wirceburgenſi epiſcopo, qui ægre ferebat, diœceſis ſuæ partem ab eccleſia ſibi commiſſa divelli, tum ab ipſis ſuis conſanguineis & principibus, qui ea ſpecie, quod familiæ ſuæ bona eo pacto diſſiparentur, adverſus ſanctum Imperatorem rebellarunt. Sed hæc omnia Henricus & inſigni magnanimitate, & incredibili patientia vicit & ſuperavit.

Monaſteriũ Bambergæ.

4. *Verum ne novæ ſedis Clero deeſſet ordo monaſticus, in monte juxta urbem ad aquilonarem partem poſito, qui exinde Mons-monachorum dictus eſt, inſigne monaſterium ſub ſancti Michaëlis ceterorumque angelorum patrocinio erexerunt, quod multis poſſeſſionibus, ac prædiis dotatum, ab omni externa poteſtate liberum, Regulæ Benedictinæ addixerunt. Ipſius dedicationem anno* MXXI. *conſignat Trithemius in nova editione Hirſaugienſis Chronici, quam ab Eberhardo primo Bambenbergenſis eccleſiæ epiſcopo* cum ſumma devotione *factam fuiſſe commemorat. Servantur etiamnunc in iſtius monaſterii theſauro pretioſa cimelia, quæ ipſi à Chunigunde collata ſunt, inter quæ à Bollandianis recenſentur in prolegomenis ad ipſius Vitam num.* 25. *Crux aurea operis græci antiquiſſimi, uti ex inſcriptionibus & figuris colligere licet; cingulum ipſius beatæ Chunigundis, cum ejuſdem coronis duabus ex gemmis. Floruiſſe etiam eo in loco complures doctrina & ſanctitate viros illuſtres idem auctor obſervat:* Multi, *inquit ad annum* MVII. ſucceſſu temporis clariſſimi viri, ſub monaſtico ſchemate in eodem cœnobio floruerunt, eruditione, & vitæ merito ſanctam illuſtrantes Eccleſiam. *Sæculo ſequenti cum eo in loco regularis obſervatio paullulum tepuiſſet, eam, reſtauratis in primum ſplendorem ædificiis, poſtliminio revocavit ſanctus Otto Babembergenſis antiſtes, uſus hoc in negotio Hirſaugienſium monachorum opera, qui tunc temporis Benedictinum Ordinem per univerſam Germaniam & ſanctitate morum & accurata Regulæ praxi illuſtrabant. Ceterum inſigne Montis ſancti Michaëlis cœnobium huc uſque perſeverat, cujus abbatum catalogum exhibet noſter Bucelinus in Germania ſacra.*

Iter in Italiam.

5. *Henricus in Italiam profectus vindicanda adverſus Græcos Eccleſiæ cauſa,* Beneventanum monaſterium condidit, *quod, ut refert ipſius Vitæ auctor cap.* 22. omni ornatus decore locupletavit. *Ex Chronico Dithmari libro* 7. *diſcimus ab eodem Principe epiſcopatum fuiſſe inſtitutum* in Bobia civitate, ubi Chriſticolæ & ſancti confeſſores incliti Columbanus & Attala corporaliter requieſcunt, *idque* communi conſilio & licentia comprovincialium Epiſcoporum. *Addit Trithemius in Chronico Hirſaugienſi ad annum* MVII. *novam hanc ſedem ab eodem Imperatore dotatam fuiſſe;* locumque eccleſiæ Cathedralis *alium non fuiſſe à cœnobio, quod beatus Columbanus conſtruxerat,* à multitudine monachorum Deo ſervientium *inhabitato, quos ideo* monachos electores conſtituit eſſe Pontificis. *Hæc ille. Porro mutata poſtmodum fuit hæc à beato viro conſtituta rerum diſpoſitio, cum eccleſia Cathedralis à monaſterio fuit ſejuncta, atque utrique loco ſuus datus eſt præfectus. quæ res magnas lites inter epiſcopos & abbates Bobienſes commoverunt, vix tandem ſummorum pontificum auctoritate compreſſas.*

Henricus à S. P. B. ſanatus.

6. *Hic vero omittere non licet inſigne miraculum, quod in hac Italica expeditione factum eſt meritis beati Patris Benedicti, qui Imperatorem Ordini ſuo addictiſſimum calculi morbo diriſſime vexatum, in ipſo Caſinenſi monaſterio, quo ſeſe pius Princeps deportari juſſerat, ſanitati reſtituit. Res eſt auctoris ipſius Vitæ verbis referenda, qui cap.* 22. *eam ſic eveniſſe narrat.* Cum *Henricus* civitates Apuliæ pertranſiret, & quæ ad utilitatem & honorem regni pertinebant, in eis prudentiſſime diſpoſuiſſet, cœpit in infirmitate calculi laborare. cujus morbi moleſtiam vir ſanctus tanta patientia ſuſtinuit, ut paſſiones carnis ad cuſtodiam humilitatis à Deo ſibi collatas aſſereret; & flagellum correptionis certiſſimum ſignum dilectionis eſſe affirmaret. Fomenta tamen curationum ſibi fecit adhiberi, ſed nulla medicorum ſubtilitate ad integrum potuit liberari. Ingraveſcente autem dolore, aſſcendit montem Caſinum.... ibique per interceſſionem beati Benedicti, & ſanctæ Scholaſticæ precibus & lacrymis poſtulavit à Deo ſalutem corporis & animæ ſibi præſtari. Impletumque eſt quod per Prophetam dicitur: Exquiſivi Dominum & exaudivit me, & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

Pſalm. 33.

Nam petiit & exauditus eſt: pulſavit ad oſtium perſeveranter miſerantis potentiæ, & intromiſſus eſt. Interea Rex cœpit cogitare quæ de tranſlatione ſancti Benedicti audierat, & quia reliquiæ ejus dicebantur furtim ſublatæ, & in alium locum tranſlatæ: ideo vir ſanctus de corporali ejus præſentia dubitabat. Completa itaque oratione homo Dei ad hoſpitium ſe contulit, & laſſatus ac debilitatus in lectulo ſe collocavit. in quo obdormiens vidit ſanctum Benedictum ſibi adſiſtere, & ferrum ſectorium ad medicinales ſectiones aptum manu tenere, qui dixit ei: » Quia ſperaſti in Deo & in ſanctis ejus, ecce miſſus ſum à Deo, ut per meam » medicinam ab infirmitate tua libereris. Ecce ego, cujus oſſa furtim ſublata eſſe putabas, » præſentiam meam tibi exhibeo, & in argumentum veritatis paſſiones tuas curabo. Hæc dicens partem illam corporis, ubi calculus jacebat, medicinali ferro quod manu tenebat, aperuit; & evulſo molliter calculo, hiatum vulneris ſubita ſanitate redintegravit; calculumque quem tulerat, in manu regis dormientis repoſuit. Quo facto Chriſtianiſſimus Imperator evigilavit, & pertractans ſecum quæ circa ipſum per Confeſſorem Chriſti geſta fuerant, videnſque calculum quem manu tenebat, vocavit ſatellites, qui regio more ſibi ſemper adſiſtebant, dixitque ad eos: Pontifices, regnique noſtri Principes vocate ad me, ut cognoſ-

Digitized by Google

cant & videant mirabilia Dei, quæ ineffabilis miſericordia, & inenarrabilis potentias ejus fecerunt in me. At illi mandata Regis celeri curſu perferentes ad Principes, perduxerunt eos ad Regem; quos Rex ſalutans, reſalutatuſque ab eis, ſic allocutus eos eſt: Fratres & commilitones mei, magnificate Dominum mecum & exaltemus nomen ejus in idipſum, quia ipſe eſt magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non eſt finis. Ipſe percutit & medetur; flagellat peccatores & pœnitentibus miſeretur. Hunc humiliat & hunc exaltat, quia calix in manu Domini vini meri plenus miſto. En ego, qui heri morti proximus fui, per miſericordiam Dei hodie vobis appareo ſanus, & aculeum mortis, quem heri geſtavi incluſum corpori meo, hodie oculis veſtris viſibiliter oſtendo. Hæc dicens oſtendit calculum, quem manu tenebat, & oſtendens cicatricem vulneris, omnia quæ per ſanctum Benedictum circa ipſum geſta erant, cunctis audientibus ex ordine referebat.

7. At illi videntes & audientes mirabilia Dei, & pluſquam credi poteſt admirati ſunt; & benedicentes Deo, diuque in laudem ejus acclamantes, de incolumitate Regis gaviſi ſunt. Rurſumque Rex ad eos: Quas, inquit, gratiarum actiones, aut quæ munera tantis beneficiis condigna medico noſtro Benedicto poſſumus rependere? At illi omnes judicaverunt, eum regia munificentia dignum eſſe. Rex ergo ex conſilio Principum ſuorum ingentia munera in prædiis, in auro in argento, in ornamentis plurimis eccleſiæ ſancti Benedicti contulit. Et valefaciens fratribus, qui eidem eccleſiæ præſidebant, à Caſino monte hilaris & ſanus diſceſſit. Ab eo autem tempore & deinceps, quadam ſpeciali dilectione & veneratione ſancto Benedicto, & omnibus monaſticæ religionis cultoribus ſtuduit deſervire, & in amplificandis ac protegendis rebus eccleſiaſticis benignus ac devotus pater exſiſtere. Hæc in Caſino monte ſcripta inveniuntur, ut & moderni magnalia Dei in memoria habeant, & apud poſteros per antiquitatem temporis in oblivionem non veniant. *Henricus ſtatim Romam venit, uti narrat idem Vitæ auctor, ac Benedictum papam de ſanitate recepta fecit certiorem.*

8. *Scripta quæ hic Vitæ ſancti Henrici auctor laudat in Caſinenſi monaſterio aſſervata, alia non fuiſſe à Leonis Marſicani Chronico mihi facile perſuaderem, niſi miraculum à ſancto Patre Benedicto patratum, quod in illis ſcriptis eo modo ac ipſe auctor narravit, deſcriptum procul dubio erat, aliter à Leone referretur, qui ſcilicet iſtud miraculum ſic narravit, ut eſſet validiſſimum ad aſſerendam Caſinenſibus ſancti Patris corporis poſſeſſionem, argumentum. Scribit enim libro 2. cap. 42. & ſequentibus, Henricum imperatorem ſimul cum Benedicto VIII. ſummo Pontifice Monaſterium Caſinenſe adiiſſe, in quorum præſentia Theobaldus abbas Caſinenſis electus, ab ipſo Pontifice conſecratus fuit. Tunc temporis, uti proſequitur, Henricus acutiſſimo ilii dolore vexabatur, cui nec plene dormienti, nec prorſus vigilanti apparuit beatus Benedictus, eique de vera in ſacro Monte corporis ſui exſiſtentia dubitanti hæc dixit:* Scio quoniam tu me hactenus hic dubitaſti quieſcere: ſed ne ſuper hoc amplius aliquatenus dubites, meumque in loco iſto certiſſime quieſcere credas corpuſculum, hoc tibi ſignum erit. Cum primum hodie ſurrexeris, in egeſtione urinæ tuæ tres lapillos non parvos mingere habebis, & ex tunc dolore iſto, & amplius non laborabis. *Protinus itaque evigilans Henricus ſurrexit, atque eo modo, quo prædixerat ſanctus Pater, ſanitatem recepit: ac mane facto in capitulum veniens cunctis fratribus rem geſtam retulit, & alia multa quæ fuſe proſequitur ille auctor, totus in eo ut ex hoc miraculo evincat beati Patris reliquias numquam in Galliam allatas fuiſſe. quod ſane ex Vita ſancti Henrici facile non colligitur. ſed quid de hac re ſentiendum fuſe diſputatum eſt Sæculo 2. ubi etiam de hoc ſancti Benedicti miraculo actum eſt.*

9. *Non itaque in dubium revocari velim tam illuſtre miraculum. Potuit enim ſanctus Pater, etſi ipſius oſſa in Galliis jacuiſſent, ſeſe Imperatori dormienti viſibilem in monte Caſino præbere, ut alias feciſſe dicitur in locis quibuſdam, quos nec vivus, nec mortuus umquam ſui corporis præſentia illuſtraverat. Cujus rei exemplum ipſe Leo nobis ſuppeditat capite 45. ubi refert eumdem ſanctum Benedictum olim minitabundo vultu Henrico, priuſquam ad Imperium fuiſſet evectus, apparuiſſe, quod in cujuſdam monaſterii clauſtro equos ſuos pernoctare paſſus fuiſſet.* Nocte, *inquit*, eadem Benedictus pater eidem Duci, torvo ac terribili valde intuitu apparens, eique multa quod ita domum ſuam tractaret, comminitans, virga, quam manu geſtabat, illius latus percuſſit, & ex tunc dolore illi torqueri vehementiſſime cœpit. *Certe hoc ipſum ſanati apud Montem Caſſinum Henrici miraculum narrat auctor Vitæ ſancti Meinvverci, ſed non habet ea quæ ſanctus pater de ſui corporis præſentia dicit apud Leonem, quæ proinde ab ipſo Leone excogitata fuiſſe conjicimus.*

10. *Enumerat idem Leo cap. 43. pretioſa munera, quæ Henricus ob recuperatam ſanitatem tunc temporis beato Benedicto obtulit.* Textum, *ſcilicet*, Evangelii, deforis quidem ex uno latere adopertum auro puriſſimo, ac gemmis pretioſiſſimis, ab intus vero uncialibus, ut aiunt, litteris, atque figuris aureis mirifice decoratum; calicem aureum cum patena ſua gemmis & margaritis ac ſmaltis optimis adornatum; planetam diapiſtin liſtis aureis adornatam, ſtolam quoque & manipulum * atque cingulum ſingulas intextam auro. Pluviale etiam diaſprum cum liſtis auro textis, necnon & tunicam ejuſdem ſubtegminis aurei operibus exornatam, ſimul & cum mappula diapiſtin auro nihilominus decorata; ſitulam quo-

Munera ab eo oblata.

* mappulam.

Digitized by Google

ANN. CH. M X L. MART. III.

que & coppam argenteam quantitatis non modicæ, cum qua videlicet fratres in præcipuis feſtivitatibus biberent. Recollegit præterea à Judæis veſtem unam de altario ſancti Benedicti, quæ quondam fuerat Caroli regis, quam iidem Judæi retinebant in pignore pro quingentis aureis, necnon & calicem argenteum Saxonicum majorem cum patena ſua, quem Theodoricus Saxonum rex beato Benedicto olim tranſmiſerat. Quæ omnia pariter in fratrum præſentia ſuper altare beati Benedicti ponens, obtulit; prædictumque Papam ſuæ auctoritatis ſcriptionem de ipſis omnibus in hoc loco facere rogavit, apoſtolici anathematis innodatione eidem ſcriptioni appoſita, ne quis umquam vel hæc quæ diximus, vel alia, quæ in antea idem Imperator huic monaſterio conceſſerit, auferre præſumat.

Item à Papa, &c.

11. *Quin & Benedictus Pontifex & Piligrinus Colonienſium antiſtes, ſua pariter munera obtulerunt, quæ Leo recenſet eodem loco:* Idem quoque Apoſtolicus Imperatoris ſaluti valde congratulans obtulit & ipſe beato Benedicto eodem die planetam optimam veneti coloris, liſtis nihilominus aureis decenter ornatam, & ſtolam unam optimam auro bruſtam cum manipulo ſuo. Sed & Belgrimus archiepiſcopus, ob gratiam imperatoriæ ſanitatis, ſimiliter obtulit beato Benedicto planetam purpuream optimam, aureis liſtis menſium duodecim ſigna habentibus in circuitu adornatam, & ſtolam cum auro, & pluviale unum. Poſt hæc idem Chriſtianiſſimus Imperator, adhuc parum quid exiſtimans ſe præ nimia hujus loci dilectione feciſſe, admonitus ab eodem Piligrino, & Theodorico cancellario ſuo, altera die fecit præceptum conceſſionis in hoc loco de Rocca, quæ dicitur Vantra, cujus poſſeſſores, ac ſi latrunculi quidam, hoc monaſterium frequentiſſime infeſtabant; ac propter ea illam de eorum manibus ereptam, ad uſus ſervorum Dei hujus loci in perpetuum habendam, & retinendam contradidit. Fecit & aliud præceptum de univerſis ubique terrarum hujus loci poſſeſſionibus, juxta tenorem videlicet Imperatorum anteceſſorum ſuorum, per quod etiam præceptum, monaſterium ſanctæ Mariæ in Canneto in finibus Termulenſis imperiali auctoritate in hoc monaſterio confirmavit. Sicque commendans ſe plurimum patri Benedicto, & omnibus fratribus, cum illorum benedictione reverſus ad propria eſt. Et ne tanti benefactoris ſui beneficium obliviſci aliquatenus videretur, mox ut domum rediit, planetam optimam diarodinam, aureis liſtis pulcherrime decoratam, una cum alba & cingulo, ſtola atque manipulo, qualia Imperatorem mittere deceret, huc ad beatum Benedictum cum maximis gratiarum actionibus tranſmittere ſtuduit: tantæque de cetero circa hunc ſanctum *locum* devotionis exſtitit, ut ſi aliquanto diutius viveret, relicto Imperii faſtigio, Deo ſe ſub ſanctæ profeſſionis habitu hic ſerviturum ſponderet.

Monachorum pater dicitur.

12. *Tanta autem erat Henrici in noſtros propenſio, ut vulgo, teſte auctore Chronici Laureſheimenſis ad annum* M. Monachorum pater appellaretur. *Et ſane vere eorum patrem fuiſſe & patronum probant vetera paſſim inſtrumenta, in eorum gratiam data. Novem ex iis profert Gretſerus in libro de Divis Bambergenſibus, quorum octo pro Altahenſi monaſterio, nonum pro Tegernſeenſi ſunt, omnia fere promovente & excitante ſancta Chunigunde conceſſa. Quinque alia exhibet Bullarium Caſinenſe tomo* 2. *pro variis Italiæ monaſteriis. Alia plerumque in aliis libris habentur, quæ ſingillatim recenſere non vacat. Præter Bambergenſe monaſterium, de quo ſupra*

Monaſteria condit & reparat.

diximus, & Confugienſe quod potiſſimum à Chunegunde dotatum fuit, monaſterium Schutterenſe in Argentoratenſi diœceſi, pæne omnino deſtructum, à fundamentis renovavit, ampliavit, multiſque poſſeſſionibus ditavit, ut teſtatur Trithemius in Chronico Hirſaugienſi ad annum M V I I. *Virdunenſe ſancti Vitoni ejuſdem ſumtibus reſtauratum eſt, ut infra habetur in Vita beati Richardi. Nec prætereundum nobile ſacrarum virginum cœnobium, quod ſimul cum Chunegunde apud Neoburgum Bavariæ urbem in ipſa Danubii ripa idem Imperator condidit. Hoc in loco opibus & religione celeberrimo perſeveravit ordo Benedictinus uſque ad ſæculi proxime elapſi finem, quo tempore Lutheraniſmo invaleſcente, poſt Magdalenæ Hundtin de Lauterbach abbatiſſæ obitum, nova electione interdicta, fas poſtmodum non fuit virgines ad profeſſionem monaſticam admittere, immo iis quæ reſiduæ erant nubendi permiſſa licentia eſt; ſed eam omnes conſtanti animo reſpuerunt.* Omnes, *inquit Bucelinus in Germania ſacra*, pane tribulationis ab obitum uſque ſuſtentatæ, Numini ſeſe in adverſis egregie probaverunt & commendaverunt. *Rebus poſtea pacatis Virgines ibi nullæ reſtitutæ ſunt, ſed incidit monaſterium in manus patrum Societatis Jeſu. abbatiſſarum catalogum exhibet idem Bucelinus loco laudato.*

Viros ſanctos colit.

13. *Porro non minus ac loca ſacra viros virtute & ſanctitate illuſtres colebat Henricus, quorum ope ac conſiliis in ſua ſuorumque ſubditorum ſalute procuranda, aſſidue utebatur. Tales fuere, Vuolfgangus epiſcopus Ratiſponenſis, qui ejus in prima ætate inſtitutor fuiſſe dicitur, Godehardus primum Altahenſis abbas, poſtea epiſcopus Hildesheimenſis, Heribertus Colonienſis, Poppo Stabulenſis abbas, Richardus Virdunenſis, Odilo Cluniacenſis, Vuillelmus Divionenſis, Pandulfus Agaunenſis, & aliis complures, qui tunc temporis monaſticum ordinem illuſtrabant. Certe auctor eſt Petrus Damiani ſanctum Romualdum die quadam ad Henricum tunc temporis in Italia agentem acceſſiſſe, cui, inquit,* non pauca locutus eſt de reſtituendo jure eccleſiarum, de violentia potentum, de oppreſſione pauperum, &c. *quod iniquo animo non tulit Imperator, immo viri ſanctitatem reveritus, ei monaſterium ſancti Amiati, in quo tepuerat obſervan-*

Digitized by Google

tia regularis, ſua ipſius Congregationi ſubdendum tradidit. Etenim delicia ejus erant cum viris religioſis converſari. Hinc ex Italia in Germaniam rediens, dimiſſo exercitu, Cluniacum cum paucis è ſuis familiaribus perrexit, ubi, *inquit Vita ejus auctor cap.* 26. cum plurima ſigna religionis & ſanctitatis vidiſſet, ſancti-Spiritus igne ſuccenſus, coronam auream pretioſiſſimis gemmis adornatam, ad Miſſam, quæ de cathedra ſancti Petri celebrabatur, obtulit, & fraternitatem monachorum ſuſcipiens, cum maxima humilitate & contritione cordis orationibus eorum ſe commendavit, & in ſupplementum neceſſariarum rerum in Alſatia optima prædia eidem Congregationi contradidit. Inde iter faciens, per Leodium & Trevirim tranſitum fecit, & congregationes inibi Deo famulantes plurimis largitionibus & prædiis ditavit.

ANN. CH. MXL. MART. III.

Cluniacum inviſit.

Regulam Benedictin. profitetur.

14. *Narrat auctor Vitæ beati Richardi, quam inferius ad annum* MXLVI. *prolaturi ſumus, Henricum aliquando Virdunum acceſſiſſe, ut beatum Richardum quo ſæpe familiarius utebatur, inviſeret. Cumque monaſterii ſancti Vitoni, cui ille abbas præerat, ædificia perluſtraret, clauſtrum ingreſſus, ſtatim hunc pſalmi verſiculum dixit: Hæc requies mea in ſæculum ſæculi, hic habitabo quoniam elegi eam. qua de re turbatus Heymo Virdunenſis epiſcopus, qui præſens aderat, clam Richardum monuit, ne Henricum, quod hoc ſine incredibili Imperii damno fieri nequiret, monachum fieri apud ſe ſineret. Poſtridie itaque Henrico coram omnibus in capitulo adſtanti petiit Richardus, num vellet fieri monachus, ipſique tamquam proprio abbati in omnibus penitus obedire ſecundum Regulæ præceptum. quod cum ſpopondiſſet Imperator, atque ut monachus ſuſceptus fuiſſet, dixit abbas: Volumus ergo & præcipimus, ut ad gubernandum vobis à Deo delegatum Imperium redeatis. Sicque pius Imperator Regulæ adſtrictus, reliquum vitæ tempus in virtutum exercitiis tranſegit, beatumque Benedictum vere ut patrem coluit. Simile huic factum contigit in monaſterio Gellonenſi ſæculo duodecimo, ubi Berengarius de Mayroſio obedientiam pari modo vovit Richardo Gellonenſi abbati, ut patet ex ejus profeſſionis cedula quam ex mſ. codice ejuſdem monaſterii huc referre viſum eſt.* Anno ab Incarnatione Domini MCLXII. In nomine Domini, Ego Berengerius de Mayroſio volens renunciare terrenis, & inhiare cæleſtibus, trado in manu Domini Richardi abbatis ſancti Guilleſmi, me ipſum ad monachicum habitum ſuſcipiendum, quando abbati Domino placuerit. ſed & in præſentiarum promitto ei obedientiam ſecundum Dei & beati Benedicti Regulam. *Porro hanc in beatum Benedictum Henrici propenſionem probat lamina aurea, quæ, ut ex variis auctoribus refert Angelus de Nuce in notis ad lib.* 2. *Chronici Caſinenſis cap.* 43. *in Baſilienſi majori eccleſia, quam Henricus reſtauraverat, viſebatur; ubi quatuor angeli cum ſancto Benedicto depicti erant, atque in eorum medio Chriſtus Dominus repræſentabatur, ad cujus pedes Henricus cum Chunegunde uxore ſua advolvebatur. Obiit Henricus Julii* 14. *anno* MXXIV. *atque in Bambergenſi eccleſia ſepultus eſt, qui poſtea ab Eugenio III. ſummo pontifice in ſanctorum Catalogum adſcriptus, publice in tota Eccleſia celebrari cœpit.*

Chunegundis vitæ auctor.

15. *Chunegundis viri obitu plane libera fuit, ut quemque mallet vitæ ſtatum poſſet amplecti. Placuit ei præ ceteris Confugienſe monaſterium, in quod ſeſe recepit, eo modo quo in ejus vita deſcribitur, quam cum integram proferamus, fuſius de ipſius geſtis hic loqui inutile foret. Porro Vitam ejus à Nonnoſio quodam monacho ſcriptam fuiſſe auctor eſt Hofmannus in Annalibus Bambergenſibus: ſed quonam ille tempore floruerit, aut utrum hæc ipſa ſit quæ ad nos uſque pervenit, incertum eſt. Certe auctorem vitæ, quiſquis ille fuerit, in aliquo loco per beatam Chunegundem dotato vixiſſe, certum videtur. Is enim num.* 5. *ait indignum fore, ut ipſe illi ſubtrahat officium oris, cujus providentia quotidie alimenta percipiebat corporis. Ætatem ſuam non adeo evidenter prodit; indicat tamen num.* 5. *ſe poſt ſancti Henrici Canonizationem, quæ anno* MCLII. *per Eugenium tertium facta eſt, ſcripſiſſe, cum ait ſcripta de beato Imperatore ab Eccleſia recepta fuiſſe. quin & cum ea occaſione ſibi veniſſe in mentem dicat, ut de beata Chunegunde ſcriberet; hoc ipſo tempore quo de beato Imperatore in ſanctorum numerum publice accenſendo agebatur, eum vixiſſe conjici poteſt. quamquam nonniſi ſub ſæculi duodecimi finem ſcripſiſſe fatendum eſt, niſi miracula, quæ poſt vitam habentur, ab altero quopiam auctore deſcripta fuiſſe dicamus. Ceterum præter ea Miracula, quæ inferius à nobis edita ſunt, habetur in apographo Bambergenſi item alius Miraculorum liber, ſed quem omiſimus, quod nihil fere contineat præter ea quæ protulimus. Si quis tamen illum legere cupiat, adire poteſt Gretſerum in libro de Divis Bambergenſibus, aut Bollandum ad diem* 3. *Martii, ubi integer exhibetur.*

Monaſteriũ Confugienſe.

16. *Porro monaſterium Confugienſe, quod Capungum Dithmarus libro* 7. *appellat, vulgoque* Kauffungen *dicitur, haud longe à Caſſellio Haſſiæ opido celebri, uſque ad ſæculum proxime elapſum in regulari obſervantia perſeveravit. ſed tunc temporis tota regione ad Lutherani partes accedente, tandem anno circiter* MDXXXI. *ſub Lantgravio Philippo ſanctimoniales proſcriptæ, & religio catholica penitus ibi abolita fuit. De hoc monaſterio plura obſervat noſter Adolphus Overham in Nota ad num.* 86. *Vitæ beati Meinvverci epiſcopi Paderbornenſis.*

Faſtis ſacris inſcribitur.

17. *Chunegundis memoriam non faſti ſolum Benedictini, ſed & pleraque Germaniæ & Belgii peculiaria Martyrologia cum Romano commemorant, in quibus variis diebus, pro varia ratione, ejus feſtivitas celebratur. Præcipua eſt die* 3. *Martii, quo eam è vivis exceſſiſſe certum eſt, idque anno* MXL. *aut ſequenti, ſi annos quindecim, poſt unum viduitatis annum in monaſterio tranſege-*

Ann. Ch. MXL. Mart. III.

rit, ut aſſerit ipſius Vitæ ſcriptor. quamquam Lambertus Scafnaburgenſis mortem ipſius anno MXXX. *& Trithemius poſt Marianum Scotum, anno* MXXXVIII. *conſignaverint.*

Chunegundis Imper. nupta.

1. EX præclaro parentum ſanguine, & auguſtæ nobilitatis gradu, duo immarceſſibilis gloriæ flores mundo enituerunt, ſanctus videlicet HENRICUS, cognomento Pius, glorioſiſſimum Romani Imperii decus, ejuſque digniſſima contectalis [a], piæ memoriæ CHUNEGUNDIS auguſta & imperatrix. Eadem vero beata & Deo dilecta Chunegundis terreno Imperatori corporaliter [b], non carnaliter conjuncta, cæleſti Regi ſuam virginitatem conſecravit, quam uſque in finem, caſti conjugis conſenſu, Deo teſte, conſervavit. Quod poſtmodum divinitatis teſtimonium, ne lumen in tenebris lateret, oſtendit: dum eam ad confundendum virginitatis hoſtem, & obſtruendum os mendacia contra Virginem Chriſti loquentium, ſuper ignitos vomeres incedere & illæſam procedere dedit.

Virginitatem miraculo probat.

2. Qualiter autem id factum ſit, ad communem ædificationem prætereundum non eſt, ut & caſtimoniæ erudiamur exemplis, & divinorum ſecretorum admiratione moveamur, intelligentes quemadmodum diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Tantis namque ac talibus bonis tentatio deeſſe non potuit. Invidus enim omnium bonorum diabolus, ubi thorum immaculatum ſauciare non potuit, zelotypiæ livore fœdare cogitavit, & ejus ſaltem famam lædere, cui vulnus corruptionis infligere non valuit. Facta eſt igitur, auctore diabolo, ſuſpecta criminis, quæ non noverat maculam corruptionis. Sed quia crudelis eſt, qui famam ſuam negligit; expurgationis gratia ad vomeres candentes illud ſibi judicium elegit, quod propter duritiam hominum inſtitutum eſſe cognoſcitur. Cumque dilecta Deo ad illud judicium, velut ovis ad occiſionem duceretur, ingemuit, & ait: Domine Deus creator cæli & terræ, qui probas renes & corda, judica judicium meum & eripe me. Te enim teſtem & judicem hodie invoco, quia nec hunc præſentem Henricum, nec aliquem virum carnali commiſtione umquam cognovi. Hoc dicto, ſtupentibus & flentibus univerſis qui aderant, vomeres candentes nudo veſtigio calcavit, & ſine aduſtionis moleſtia ſecura pertranſiit. Ita Deus omnipotens vinculum caſtæ dilectionis ſervavit, innocentiam comprobavit, integritati cuſtodiam humilitatis adhibuit.

Loca ſacra condit & dotat.

3. In faſcibus itaque conſtituta, continentiæ ſuæ gloriam ſub terreni chlamyde imperii ſatagebat abſcondere, ut tanto propenſius, quanto efficacius poterat, promoveret, quæ Deo inſpirante necnon adjuvante, ad ipſius laudem cogitabat perficere. Denique poſt novellam fœcundiſſimæ plantationis ſuæ eccleſiam Babenberc, quam cum illo ſtudioſiſſimo ſuo cooperatore Henrico in loco Babenbergenſi, venuſtiſſime, ſicut hactenus cernitur, fabricavit ſub patrocinio principis Apoſtolorum Petri atque ſancti Georgii martyris; monaſterium ſub Regula ſancti Benedicti ad aquilonarem plagam, in honore ſancti Michaëlis archangeli exſtruxit, non minori ſtudio prædiorum ac diverſorum donariis ornamentorum; tertiam demum verſus meridiem ſub ordine Canonicorum, ſub titulo ſancti Stephani protomartyris, parvo quidem ſchemate, ſed majori opera de ſuo patrimonio eccleſiam fundavit. Ad quam dedicandam BENEDICTUM [c] papam, quem præfatus Deo dignus Henricus imperator ad confirmandum Babenbergenſem pontificatum advocaverat, venire rogavit. Ipſa autem

a Aliquot mſſ. *collectalis.* ſed melior noſtra lectio, quod eodem tecto, non autem lecto uterentur. Et quidem eadem voce utitur ipſe Henricus in variis diplomatibus.

b Gretſerus cum mſ. I. *copulariter.*

c Benedictus VIII. qui Sergio IV. ſucceſſit anno 1012.

illud

illud Pſalmographi ſecum decantans: Domine dilexi decorem domus tuæ, Ann. Chr.
diverſa eidem eccleſiæ juxta imperialem munificentiam munera contulit MXL. Mart. IIII.
in diverſis eccleſiæ ornamentis: quæ omnia ipſe dominus Apoſtolicus, ut Pſal. 25. 8.
ſemper memoria ipſius fundatricis illic floreat, nequando per fraudem, aut violentiam, vel furto inde ſubtrahantur, dura banni ſui innodatione, ſeptuaginta quoque duorum [a] Epiſcoporum, qui ibi aderant, auctoritate ipſo die confirmavit. Item monaſterium in honore ſancti Salvatoris, & ejus victorioſiſſimæ Crucis, in loco qui Confugia dicitur, magnificentiſſime conſtruxit, & ancillarum Dei ibidem Deo ſecundum Regulam ſancti Benedicti ſervientium, congregationem decentiſſime ordinavit. Porro cooperante ei in omnibus imperiali majeſtate, idem monaſterium omni ornatu decoravit. Ante principale altare iconem ex auro & lapide pretioſiſſimo ſtatuit; calices aureos & argenteos, catinos, urceos, pallas, caſulas, vela, cortinas, cappas auro & gemmis pretioſis intextas, & cetera utenſilia, ſive vaſa miniſterii tanto ſtudio, & tam ſumptuoſis impenſis eidem eccleſiæ contulit, ut quicumque ea intuentur, regiam magnificentiam, & miram utriuſque, Imperatoris videlicet ac Imperatricis, in Deum devotionem magnopere mirari non ceſſent.

4. Præter has principales ſuæ fundationis & primarias eccleſias, quæ Collapſa
conventualis eccleſia, quæ monaſteria illorum donativo non gloriantur, reſtaurata.
aut in prædiis dilatata, aut decorata ornamentis? Alias enim antiquitate collapſas reædificaverunt, quaſdam etiam deſtructas, & ad nihilum redactas in priſtinum vel in meliorem ſtatum reſtauraverunt; & ſicuti prudentes virgines oleum ſuæ miſericordiæ in diverſos effuderunt, ut merito
dicere poſſint: Chriſti bonus odor ſumus in omni loco. O conjugium non 2. Cor. 2. 15.
voluptate, ſed bona voluntate copulatum! O ſanctum matrimonium, ubi una fides inviolatæ caſtitatis, ubi unus ſpiritus miſericordiæ ac veritatis, ubi idem velle in virtutibus, idemque nolle in vitiis: ubi nec primus nec alter diſcerni potuit; dum alter, quod primus, voluit: ubi par animus in multifariis operum effectibus, pares in duobus oſtendit affectus: Quales has nuptias dixerim neſcio. Unum ſcio, quia neſcit noſtra modo regio tales, dum illi propter regnum cælorum ſe caſtrantes, nec prolem terrenæ fœcunditatis exſpectantes, cœlibem à Deo generationem receperunt, à quorum ore laus Dei numquam deficiet. Hæc eſt generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob: qui viventes in Chriſto, membra ſua mortificantes propter Chriſtum, ſuper terram morientes, modo regnantes cum Chriſto bona Domini ſui vident in regione viventium.

5. Quoniam de vita & virtutibus pii & ſancti Henrici chriſtianiſſimi im- Auctor aggreditur vitam S. Chunegundis.
peratoris, & miſerationibus variis, quas fecit in domo Domini, de ſignis quoque & miraculis, quæ poſt tranſitum ipſius per eum fecit Deus, ſatis ac digne ſcripta ſancta recepit Eccleſia: nunc animum pungit, ac in mentem venit, vitam memorandæ virginis noſtræ Chunegundis breviter explicare, & memoriæ ſcripto commendare; ut ad exemplum ejus ſe intuentes, quæcumque virgines, quæcumque vere viduæ, perfectæ vitæ normam arbitrentur converſationem illius. Indignum enim nobis, ſed magis operæ pretium duximus, ut illi officium non ſubtrahamus oris, cujus providentia quotidie alimenta percipimus corporis.

6. Henrico itaque ſuo ſuæ caſtitatis patientiſſimo ſemper cuſtode, ubi Defuncto marito piis operibus inſiſtit.
eam ſuis virginem, uti traduxerat in Chriſto, in ultimo ſpiritu conſtitutus reſignavit, ad cæleſtia, quæ jugiter ſuſpirabat, gaudia tranſlato, illa ſe ad Dominum, ut ſemper, totam contulit: illum ſuæ caſtitati, neceſſitati, ſaluti adeſſe, illum ſuis eccleſiis; illum filiis, quos ei in Chriſto adgregaverat, præſentem affore, advocare vigiliis, orationibus inſtare, die practicam

[a] Codex Bodecenſis habet *quadraginta*.

Ann. Ch. MXL. Mart. III.

cum Martha, noctu contemplativam cum Maria vitam agere non ceſſabat. Quanta vero eleemoſynarum largitate, quanta orationis inſtantia, pro beati conjugis defuncti anima deſudaverit, in ſubſcripta pagina, quam ipſa per ſe (nam litterarum, ſicut & aliarum artium, diſtinguere auro, gemmiſque ſacras veſtes fuit peritiſſima) compoſuit & conſcripſit, quicumque ſcire voluerit cognoſcere poterit.

Ejus epiſtola.

» Chunegundis divina diſpenſatione ſolo nomine Imperatrix, ſpecia-
» liter dilectæ congregationi in Confugia, quidquid juſtæ convenit dilectio-
» ni. Propriæ adverſitatis ſarcinam, veluti æſtimo, facilius tolerarem, ſi
» veſtras res ſalvas incolumeſque exſiſtere viderem. Quamvis enim mens
» proceſſoſis curarum fluctibus undique quatiatur, veſtræ tamen recorda-
» tionis anchora à cordis profunditate non evellitur. Et licet longe remotæ
» ab oculis ſitis, ab animo tamen nuſquam receditis. Quis nos ſeparabit à
» caritate Chriſti? caſus doloris, an longinquitas remotionis? Quin etiam
» ſi amiſſæ facultatis uſus concederetur, voluntas hæc operis exhibitione
» comprobaretur. Ipſum tamen modicum, quod adhuc, Deo volente, reli-
» quum tenemus, veſtræ commonitioni alienum eſſe nolumus, ut participa-
» tione parvitatis relevetur magnitudo devotionis. Mater namque ſi parum
» habuerit, parum filiis tribuit. Ecce hæc modici ſumtus munuſcula ad re-
» fectionem vobis mittuntur carnis, ut animam ſenioris patris veſtri conti-
» nua orationis alimonia reficiatis; quoniam tot juſtorum preces unanimiter
» continuatæ apud Deum multum poſſunt proficere, Jacobo atteſtante:
Jac. 5. 16. » Multum valet deprecatio juſti aſſidua. Ille etiam atque etiam juſtus Do-
» minus, qui juſtitias dilexit, æquitatem ſupplicationis exaudire non reſpuit:
» ſed vobis indefeſſis interceſſoribus ſupradicti cari memoriam facientibus
Matth. 10. 22. » ſalutis dabit præmium, quod ipſe promiſit dicens: Qui perſeveraverit
» uſque in finem, hic ſalvus erit. Atque bonus in conſpectu etiam Dei placi-
» tum eſſe cernitis, ſi non ſolum pro illis, qui in hac vita poſiti multa vo-
» bis bona, ſed pro illis etiam qui nulla fecerunt, oraveritis. Obſecro ergo
» ut eum à cordibus veſtris numquam abjiciatis, qui vos tamquam proprias
» amavit, atque hunc locum veſtra ſervitute florere voluit. Eſtote quoque
» meæ neceſſitatis memores, ſemper in hilaritate cordis miſericordes, ſe-
Rom. 12. 9. » cundum illud Apoſtoli: Dilectio ſine ſimulatione. Necnon veſtræ mentes
» in quamdam mutuæ caritatis ſoliditatem magis ac magis concreſcant,
» quatenus in die tribulationis clamorem veſtrum ipſius aures exaudiant,
Matth. 18. 20. » qui dicit: Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in me-
» dio eorum ſum. quod vos omni modo promereri hortor, eodem præſtante,
» qui cum Patre & Spiritu-ſancto vivit & regnat per omnia ſæcula ſæculo-
» rum. Amen.

7. Denique Conrado ſibi ſuccedente in regno [a], ipſa curis ſæcularibus, ſicut jam diu deſideraverat, exonerata, in ipſo anniverſario die tranſitus ſancti Henrici Archiepiſcopos cum Epiſcopis ad dedicationem Confugienſis eccleſiæ convocat: ubi inter Miſſarum ſollemnia, imperiali decentiſſime omni cultu ornata, ante principale altare virgo Deo devota proceſſit, ibique theſaurum incomparabilem, ligni Dominici crucem, parvam quidem in materia, ſed maximam in virtute, Deo obtulit. At ubi lectio Evangelii, in qua ſupra arborem crucis aſſcendens ſuſpicientem ſe Jeſum ſuſcipere, & ab eo benedictionem puſillus meruit accipere, lecta fuit; regalem purpuram exuens, tunicam fuſciorem, quam ipſa ſibi ſuis manibus operata fuerat, veſtem religionis data ſacerdotali benedictione induit. Et multis pro ſe quidem flentibus, pro illa autem gaudentibus, quæ jam ſæculum damnaſſet in veſtibus, capillis, qui huc uſque in eodem monaſterio pro ipſius ſervantur honore, præciſis, impoſito ſibi ab Epiſco-

Monaſticam veſtem induit.

[a] Anno ipſo 1024. quo fuerat defunctus Henricus.

Digitized by Google

pis velo, anulo fidei ſubarrhata, gratulabunda ſuccinuit: Poſuit ſignum in faciem meam, & anulo ſuo ſubarrhavit me Dominus meus Jeſus-Chriſtus. Ita Chriſto ſponſo ipſa ſponſa conſecrata, dum filiarum ſuarum ſe ſanctiſſimo contubernio applicuiſſet, non ut mater filiabus ſe præferebat; ſed in omnibus ſervitiis ſervilem ſe perſonam oſtendebat: ita tamen, ut cum omnia faceret, oſtentationem fugeret ſingulorum, ne in præſenti ſæculo reciperet mercedem ſuam. Operabatur manibus ſuis (nulli enim in diſtinguendis auro gemmiſque veſtibus plurimum, aut in ſtolis aut in cingulis æſtimabatur inferior) ſciens ſcriptum eſſe: Qui non operatur, non manducet. Sponſo aut orans loquebatur aut pſallens. Ad eccleſiæ limina pæne inviſa properabat. Nihil ſeveritate illius jucundius, nihil jucunditate ſeverius. Triſtis in riſu, in triſtitia ſuavis. Breve vitæ ſpatium æterna memoria compenſabat. Idem illi locus orationis & quietis fuit, idem ſemper habitus, incultum corpus: dum ſciret rejiciendas delicias corporis, quod paullo poſt vermibus exarandum ſit: ſemper eam legere, aut legentem audire videres. Multa illi circa contubernales devotio, frequens decubantium viſitatio, ſollicita pauperum conſolatio. Præterea plura eam miracula feciſſe credimus, ſed quod gratiam hominum & oleum adulationis ſemper fugeret, eſſe ſuppreſſa. quod tamen incuriæ ſcriptorum, ſeu revolutioni temporum, non defectui deputandum eſt virtutum. Pauca tamen quæ in ſcriptis reperimus, aut veridica ſanctimonialium, ubi illa Chriſto militabat, relatione cognovimus, hic inſerere dignum duximus.

Ann. Ch. MXL. Mart. III.

Pia ejus exercitia.

1. Theſſ. 3. 10.

8. Cum poſt orationis frequentiam inter lectionis laſſitudinem ancilla Chriſti in lecto, non plumis exſtructo, ſed cilicio ſtrato, membra ſopore gravata remiſiſſet, puella ſacrata, quæ de more illi aſſidebat, ſacros codices legens, cum fere ad medium noctis lectionem extenderet, caligantes oculos clauſit, lumenque è manibus illius prolapſum paleas corripiens, ſui fragore circumjacentes ſorores excitavit. Clamore ex concurſu facto, virgo Chriſti de ſomno excuſſa, dum colluctantes inter ſe, & concrepantes flammas circa ſe adſpexit, ad orationis arma ſe convertit, & ſigno crucis aduſtionem illam abſque omni ſuarum læſione veſtium avertit. Tua ſunt hæc, Chriſte, opera, qui olim Babylonium Regem in ſuo furore confudiſti, & Chaldaïcos ignes, ut pueri tui liberarentur illæſi, tua virtute exſtinxiſti.

Miraculis claret.

Incendium extinguit.

9. Aliud miraculum tam ſtupendum quam mirandum hic placuit ſubſcribere, in quo animi illius conſtantiam & rigoris ſeveritatem diſcere poteris. Habuit ſecum ſororis ſuæ filiam, JUTTAM [a] nomine. Hanc à primis annis educatam, omni diſciplina, ſæcularium quoque litterarum ſcientia inſtruxerat. Hæc materteram non minus religionis quam dilectionis amore ſecuta & conſecrata fuit. Quam in omnibus plene inſtructam, ubi ejus in orationibus vigilantiam, in jejuniis perſeverantiam, & ad omnia patientiam perſpexit, omnium aſſenſu & rogatu, primam in ipſo cœnobio eam abbatiſſam præfecit. Tum virgo mater filiam ſuſcipiens, juxta commonitionem ſanctam dudum habitam, præcedentium illi Patrum repetens alloquia, monet ob ſalutis affectum utilia ac Deo placita ſæpe dicere, frequenter audire, ſolitas religioſi itineris vias non deſerere, magis magiſque errorum devia & diabolica calcare figmenta; nullam luci ac tenebris, veritati atque mendacio, turpitudini atque honeſtati apud Dei ſervos docet eſſe communionem; ſollicite cavendum ne vana ſectando deſineret eſſe templum Dei, & habitatio dæmonum fieret, & dæmonis monumentum: lumina ſua in Dei figere adſpectum, primam quæ doceret facere, ut

a Jutta ejus neptis abbatiſſa.

a Variant codices in hujus nomine ſcribendo. Editi veteres habent *Vtham*, mſſ. 2. *Vtham*. Hofmannus *Judithām*. Juitham Chunegundis ſororem Wolfi nuptam, & Jutam ſeu Mutam ipſius neptem Comitis Limburgenſis uxorem memorat Miræus in Notitia eccleſiarum Belgii pag. 148.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXL. Mart. III.

fructum doctrinæ ſuæ ipſa in cælis, Deo adjuvante, poſſit invenire. Hæc & ejuſmodi iterum & iterum materno ſtudio ei inculcans, quaſi in omnibus jam perfectam, & ipſa magiſtram venerari cœpit. Illa, ubi immatura libertate potita eſt, paullatim à rigore ſuo deficere, molliorem cultum, lautiorem cibum, quæ vitiorum alimenta ſunt, deſiderare: ultima in choro, prima in convivio, puellarum fabulis intereſſe, ac in omnibus laxius agere cœpit. Pro hujuſmodi levitatibus dum eam frequenter ſancta Dei inter ſe privatim, publice coram omnibus ſecundum Apoſtoli præcepta, ſæpius argueret, obſecraret, increparet; nec illa materteræ velut patrocinio aut familiaritate vane confiſa ullo modo emendaretur; quadam die dum ipſa cum conventu Crucem, nam dies dominicus erat, ſequitur, abbatiſſa defuit [a]. quam illa inquirens, & epulantem cum coævis in conclavi reperiens, zelo pietatis armata, cum verbo correptionis dextera maxillam ejus percuſſit; quæ quaſi ſigillum quoddam formam digitorum ejus accepit, qua omni tempore vitæ ſuæ non caruit. De quo nimirum facto conſtat, quia non tantum pro ſe, ſed & pro aliorum emendatione hoc pertulit, ut hujus viſio aliis proficeret, & ad melioris vitæ ſtatum à vitiis ſuis retorqueret.

Chirotecham ejus radius ſolis ſuſtinet.

10. Forte & iſtud detractoribus fabuloſum & infidelibus incredibile putabitur, quod ſanctitatem illius, quam humilitatis gratia ipſa homines latere voluit, muta elementa loquuntur. Denique cum poſt lectionem Evangelii, ſuo ſollemni more ſacrificatura accederet ad altare, dexteræ manus ſuæ chirothecam detrahens, cum nullus qui reciperet adeſſet, à ſe rejecit: quam radius ſolis per feneſtræ rimulas intrans ſuſcepit, & tamdiu quaſi famulando ſuſtinuit, donec illa poſt ſacrificium rediens, eam reciperet. Tale etiam quid in beati viri Goaris veſte aliquando divina virtute oſtenſum fuiſſe legitur [b]; qui dum à ſede Ruſtici Trevirenſis pontificis deſpicitur, à ſumma majeſtate per majoris luminaris honoratur famulatum. Omnium itaque capax erat meritorum, qui judicem cunctarum meruit habere virtutum.

Morbus ejus extremus.

11. Quindecim in ſancto propoſito ſupervixit annos, tam humilitatis gratia, quam religionis reverentia, omnibus admiranda. Tandem pro nimia ciborum abſtinentia, orationis & vigiliarum incredibili perſeverantia, cœpit corpore langueſcere, & ingraveſcente morbo paullatim deficere. ſed dum membra dolore contraherentur exterius, ſpiritu tamen, nam laus Dei ſemper in ore ejus fuit, confortabatur interius. Vocabat ſanctos angelos, quorum hic vita, illic jam conſortio fruitur; Apoſtolos & confeſſores, quorum fidem & confeſſionem ſemper tenuit, interpellabat: Virginum Chriſti in ſuo exitu invitabat chorum, quarum æmulatione, in carne, dum præter carnem viveret, immaculatum Chriſto conſervaverat thorum, omnium Deo famulantium ſibi adeſſe, ſibi occurrere orabat auxilium. Vere quod eſt ſcriptum: Timentibus Deum omnia cooperantur in bonum, in obitu tantæ virginis vidimus comprobatum. Necdum ſpiritum exhalaverat, necdum Chriſto debitam reddiderat animam, & jam fama volans tanti prænuncia luctus, non tantum ſacratas virgines, aut diverſi ordinis viros, verum etiam totius urbis populos ad exſequias unius congregabat. Sonabant pſalmi, & totam domum, ubi ſanctum corpuſculum in medio ſuper illo ſuo nobili cilicio compoſitum jacebat, in ſublime reſonans letania pro exeunte anima quatiebat. Interim ex more regales tamquam Imperatrici, non ut pauperculæ debentur ſorori, parantur exſequiæ, aurea feretro obtendenda proferuntur velamina. Tum illa pallen-

Rom. 8. 28.

a Id eſt Proceſſioni, quæ etiam nunc ante majus ſactum in cœnobiis, diebus Dominicis fieri ſolet, non interfuit.

b Duplicem beati Goaris vitam, ubi hoc miraculum deſcribitur, habes Sæculo 2. Benedictino ad annum circiter DCXLIX.

Digitized by Google

tes vultus, quos ante, ad ſe Sponſo venienti lætos exhibuerat, videres ad os retorquere, manu abnuere: Amictus iſte, ait, non eſt meus: auferte hinc, ornatus hic alienus eſt. His terreno ſponſo, iſtis cæleſti copulata ſum; nuda de utero matris meæ egreſſa, nuda regrediar illuc: his vilem miſeræ carnis materiam involvite, & corpuſculum meum juxta tumulum fratris mei ac domini Henrici imperatoris, quem me jam vocantem video, in proprio locello reponite. His dictis in manus Domini ſpiritum ſuum commendans, ad ſuum anima revolavit auctorem, & in antiquam poſſeſſionem diu peregrinata conſcendit: terris matrem communem ſe amiſiſſe flentibus: cælis autem concivem in ſuum conſortium ſe ſuſcepiſſe gaudentibus.

Ann. Chr. MXL. Mart. III.

Reſpuit regales exſequias.

Obit.

12. Ita demum ſacro illo corpore feretro ſuperpoſito, longo nobilium ordine præeunte, multis hinc inde confluentibus, cum illo ſibi ſemper familiariſſimo pauperum contubernio, ad locum Babenberc ſepulturæ ſuæ prædeſtinatum felices exſequiæ uſque delatæ ſunt. Tum vero relictas urbes, vacua rura, deſolatas civitates, undique concurrere populos videres; matres parvulos ſuos in brachiis geſtantes, infirmos in grabatis jacentes ſanitatis gratiam ſperare, felicem ſe credere, ſi cui aut feretro jungi, vel ab ipſo contigiſſet obumbrari. Tandem in eccleſiam beati Petri apoſtoli corpus non ſine labore deportatum, triduanas ibi meritis ſuis ac beneficiis condignas habuit exſequias: filii quos ipſa illic in Chriſto adunaverat, de matris pace jam ſecuri, pro ſe autem ſolliciti inceſſanter pſallebant, dum eam ſibi ad horam ſubtractam ſine timore amiſſionis, in ſpe perpetuæ interceſſionis recepiſſe plaudebant: mater de cælo filiorum proſpectans affectum gaudebat. Ita velatum ſacrum corpus, ſacris veſtibus, diademate Chriſti capiti ſuperpoſito, ſuo loculo in dextro latere, ſicut hactenus veneratur, repoſitum eſt [a]. O felix Babenbergenſis eccleſia, recepiſti theſaurum quem amiſeras! Procax & malefica lingua detractorum, oculorum teſtimonio confutata eſt, dum virginitas ejus rebus approbata, ſanctitas clareſcentibus ſignis videtur teſtificata.

Bambergæ ſepelitur.

a

13. Chriſtianæ religioni proficiens Eccleſia fidelis, (quæ in Evangelio, voce Domini teſtante, Dei mater & filia per gratiam nominatur: mater, quia ſanctæ operationis exemplo filios Domino generat; filia, quia Virginis Filio pro ſalute mundi incarnato, eruditione ſanctorum Patrum quotidie generatur,) ſalutem miſſam à Domino, cæleſtis archiatri effectibus medicinæ plenam, tam mentis quam corporis auribus animadvertat. Mundanæ machinæ conditor humano generi per inobedientiam lapſo condolens, ut æternæ vitæ fructus facientem novam plantationem, ſcilicet primitivam Eccleſiam insereret, patriarchas & prophetas in mundum mittere dignatus eſt: qui creditum ſibi officium quinque corporis ſenſibus, ſextoque, qui eſt ſpiritus prophetiæ, myſterium Incarnationis Chriſti, & omnia quæ de ipſo annuncianda erant prædicantes, alii aſperitate vitæ, alii diverſis pœnarum mortibus, ipſi quem prophetabant, famulatum ſuum fideliter impleverunt. Horum limes Chriſtus æterni Patris conſilio, pro liberandis hominibus de intemeratæ Virginis utero proceſſit, ut jam inchoatæ plantationi, miſſis per orbem Apoſtolis, atque de ſuo corpore fuſo cruore fabricatam, novellam ſuperædificaret Eccleſiam, quæ ſanctæ Trinitatis fide imbuta, & mundata baptiſmi gratia, martyres, confeſſores, & infirmi ſexus virgines animo tamen conſtantes, primitias obtulit. Inter quas beata Chunegundis, flos Babenbergenſis eccleſiæ, cum ſancto Henrico, qui Romanorum Imperium tenuit, ſub conjugii ſpecie, immortali ſponſo caſtæ virginitatis honore deſervit. Unde jam ejus ſanctitatis merita

Miracula poſt obitum.

Matth 12.

a Multa hic interſeruntur in Bruxellenſi editione de voce ſcilicet audita cælitus in tumuli apertione, qua Henrico præcipiebatur, ut locum cederet Chunegundi.

Digitized by Google

ANN. CH. MXL. MART. III.

per orbem manifeſta declaratione apparent: quia in loco ubi ſanctum ejus corpus quieſcit, infirmi quacumque laborantes ægritudine ſanitatem recipiunt. Ut autem ad omnia teſtes cautiſſimi ſimus, veritatis amatoribus ætati noſtræ ſuccedentibus, de his quæ ſcribimus curioſe indagantibus, ſcilicet quo tempore opera curationum præfatæ Imperatricis initium habuerint, largiente Domino, prout poſſumus, volumus explicare.

Energumenus liberatur.

14. Anno Dominicæ Incarnationis M. CLXXXIX. Indictione II. TIEMONE tertio-decimo Babenbergenſis eccleſiæ epiſcopo; quarto pontificatus ſui anno, ad Vincula ſancti Petri, ne de ſanctitate præmemoratæ Virginis ambigeremus, ſignorum experientia certificati ſumus. Nam dum ſolito more populus ad prædictum locum orationum & vigiliarum cauſa conveniſſet, adfuit quidam dæmoniacus de villa, quæ dicitur Dierrut [a], qui nec pietatem agnoſcens, nec ſcelus abhorrens, filium ſuum igne cremaverat. Hic duris funibus adſtrictus ad ſepulcrum ſanctæ Chunegundis ita manſueſcere cœpit, ut furiali morbo abſolutus Deum omnipotentem laudaret; eique cujus patrocinantibus meritis hæc ſibi accidiſſe cognovit, cum caterva, quæ præſens adſtiterat, debitas acclamabat laudes. Igitur dum hæc tam cleri quam populi ſollemni devotione agerentur, tres contracti, unus in ſuburbio de hoſpitali ſancti Ægidii [b], qui magis reptando quam ſcabellis volvebatur: alter de domo Chunradi majoris eccleſiæ præpoſiti, tertius item de domo Ottonis in eadem eccleſia canonici, ſuper ſepulcrum beatæ virginis poſiti, ab unius dolore paſſionis una erecti ſunt manu divinæ curationis. Mulier paralytica, & altera ſanctimonialis [c] femina uno pede claudicans, & claudus de caſtro, quod dicitur Giet, poſt momentaneam orationem vix completam, in ipſa nocte curati ſunt. Puer cui tanta membrorum mollities inerat, ut pæne oſſibus carere putaretur: alter de Licendorf, macie deformi conſumtus, greſſum & loquendi officium, quibus omnino caruere, receperunt. Puella ſciatica de Giſenuelt *, necdum tumbæ ingeſta ſacræ propter turbam: puer ex contractione nervorum carens officio pedum; puella de Nuornberc [d] planta pedis ſurſum recurva, geniculo contracto; item de eodem pago puella manum aridam habens inter orationes & vigilias curati ſunt.

Et alii ab aliis morbis.

* al. *Giſfeld.*

15. Quidam pro equo furtim ſublato apud Vverram fluvium, in vico qui dicitur Vvaſegen, ſuſpendio addictus eſt. Qui in tormento poſitus, voce qua poterat, beatæ Chunegundis virginis aures appellavit, cujus etiam feſtinatam opem ſibi adeſſe præſenſit. Divina enim virtute, ubi populus abſceſſerat, vincula manuum diſſoluta ſunt, & ipſe ſibi laqueum deponens, in civitatem reverſus, cunctis ereptionem ſui, dans gloriam Deo & ſuæ ſalvatrici expoſuit. Quorum fideli teſtimonio ad nos uſque delatus, ad cenſum quinque denariorum à ſuis parentibus, ut pridem dum damnaretur, pro ipſo devoverant, inſcriptus eſt. Apud nos quoque non huic diſſimile de ſervulo quodam, dum illaqueatus ab omnibus mortuus putaretur, ſignum apparuit. Nam poſt ejectam urinam, quod ſignum mortis in talibus tormentis eſt, cunctis adſtantibus inſpiratæ ſaluti ac vitæ reſtitutus eſt. Tali modo apud Rottenburc, imperiale caſtrum, duo abſoluti multorum atteſtatione uſque ad nos pervenerunt.

Puer mortuus reſuſcitatur.

16. Mira, at nil Deo impoſſibile, & forſan noſtræ ætati incredibilia dicturus ſum, ſed tota Bambenbergenſium civitas hujus facti expers non fuit. Mulier de proxima villa Elrin vagientem ſuum, infra quadraginta dies ſine baptiſmo defunctum, ſupra tumbam beatæ virginis non ſine ſpe

a Editio Lovanienſis *Beyrent.* Aliis *Beyrrent.*

b Conditum fuit ad pedes Montis-monachorum à beato Ottone Bambergenſi epiſcopo, ut narratur in ipſius Vitæ lib. I. cap. 27. cui monaſterio ſubditum fuit ex cap. ſequenti.

c In apographo Bambergenſi non dicitur ſanctimonialis, ſed, *quæ ſæcularem habitum veſte lugubri mutaverat.*

d Apog. Bamb. *Nuremberg.*

Digitized by Google

ANN. CH. MXL. MART. III.

reſurrectionis poſuit. Teſtor eum, qui eſt primogenitus mortuorum, qui mortuos ſuſcitat, ubi miſerabilis omnibus mater exſtincti, ſanctæ virginis nomen Chunegundis ingeminando multos fletus effudit; quem exanimem poſuerat, de ſepulcro vivum levavit. Quis ſe à lacrymis, quis à laudibus contineret? Una vox omnium, ut frequens turba ſabbato confluxerat: Qualis eſt hæc? quam ſancta? quam Deo cara? quæ claudos currere, cæcos videre, mutos loqui, exſtincta quoque membra reviviſcere facit? Beatus venter qui hanc portavit: benedicta à Domino ubera, quæ hanc lactaverunt; de benedictione jam ſæculo pereunti tanta gratiarum munera effluxerunt.

Item ſuffocatus.

17. Aliud non huic diſſimile ſignum, alio vero eventu in trienni puero, in vico Grunberc celebratum eſt, qui à mane uſque ad veſperam in limoſo lacu ſuffocatus jacuit, ubi à mulieribus ſub lini faſciculis repertus & ſublevatus, multo ejulantium comitatu domum uſque delatus eſt. Illic per noctem lugubres parentibus exſequias celebrantibus, ubi mane ſacerdos debitum humanitatis complere adſtitit, populus qui aderat, qui jam multa de ſignis beatæ Chunegundis viderat & audierat, præſentiam illius ſibi adeſſe in multa ſpe exauditionis rogitabat. Mirum in modum puer anularem digitum movere cœpit, & ſtupentibus omnibus poſt ſpatium unius horæ ſanus ſurrexit. Hujus facti primum ipſe ſacerdos ſub ſtola, deinde milites octo ſub ſacramento, ipſo puero in medium locato, cum omni frequentia ſuæ plebis, teſtes ad nos venerunt.

Item puella.

18. Puella ſeptennis in parochia Liuberſtat, dum ad fontem incaute hauriret, infelici caſu ſubmerſa eſt. Quam cum ad ſua à Crucibus homines fuiſſent reverſi, nam dies Rogationum inſtabant, de fonte exſtinctam levantes, poſt votum ad memoriam beatæ Chunegundis factum, quam dudum lamentabantur mortuam, non ſine laudibus divinis viventem admirabantur. In hac trium reſuſcitatione mortuorum, cum & alia duo corpora ad invocationem ſanctæ Imperatricis ejuſdem vitæ reddita, veriſſima teſtium approbatione ac ipſorum puerorum præſentatione cognoverimus, quis niſi ſancta Trinitas operata videtur, quæ ſecundum ſigna, quæ ipſa facit, hæc & his majora facere poſtmodum ſuis promiſit?

Mutus vocem recipit.

19. Illud quoque clariſſimum, clariſſimis regni Primoribus coram adſtantibus, celebre ſuper muto factum ſub oculis omnium, memoriæ hominum tradere non indignum duximus. Nam rem geſtam ita per famulam ſuam Chriſtus clare operari voluit, quod pæne nullum latere potuit. PHILIPPUS [a] rex propter ſui confirmationem, interim vero, quod magis favorem ſibi præſtare credebat, propter tranſlationem beatæ virginis comitia indixerat: mutus quidam ſervulus in comitatu probabilium virorum de Pogen convenerat, quorum vaſa, quia & ipſi pœnitentes erant, portabat. Regina ad eccleſiam proceſſura, cum de more ſollemniter à clero ſuſcipitur, confuſus interim populorum clamor exoritur, non fruſtra moriturо denique homini, ſed laudes cum Chriſto ſuo jam viventi conclamantium. Teſtor Chriſtum & ejus apoſtolos, iſte qui prius nullam, utpote mutus, linguam noverat, ſingulis ad interrogata propria lingua diſertus reſpondebat.

Lupus mitis.

20. Quid referam de bruto animali, cujus innata ſibi rapacitatis ingluvies, dum prædam rapuit, quaſi nomen Chunegundis contra ſe invocatum ſenſiſſet, à ſuo furore quievit? Nam lupus dum circa caulas ovium veſpertinus naturæ ſuæ ingenio verſatur, parvulum ante fores incaute relictum luſtris ſuis intulit. Aliorum autem, qui territi fuerant per lupum, mater pueri clamore excitata, omnes cives ſuos manibus comploſis pectora tun-

[a] Is Friderico Ænobarbo natus Henrico fratri ſuo ſucceſſit, electus anno 1198. refragantibus nonnullis qui Ottonem elegerunt. Philippo anno 1209. occiſo, regnum penes Ottonem remanſit.

ANN. CH. MXL. MART. III. dens, multis ejulatibus in dolorem commovit. Omnibus beſtiam inſequi, quia nox inſtabat, incaſſum judicantibus, mater ad eccleſiam confugiens, ſignis velut mortuo tertio compulſatis, pro conſervatione filii aures virginis illic pernox appellare non deſinebat. Mane facto, nutricius ille ſilvâ erumpens, parvulum quem rapuerat, illæſum reportat, & in ſulco ubi boves pridie araverant, in pellicula ſua diligenter involutum collocat; ipſe propter ſedens cuſtodias obſervat. Ubi vero ruricolas & vomeres jam appropinquare ſibi videt, quaſi de parvuli quiete ſecurus, manſuetus diſcedit. Quem illi, ut mos eſt, clamore perſequentes, ſervus qui boves ſtimulabat, pelles adſpiciens: Ecce, ait, tegumenta pueri, quem lupus rapuit. Accurrentes dormientem parvulum intactum, vultu ſplendidum reperiunt, & non ſine multa admiratione hæc conſiderantes, civibus & matri nuntiant. Illa advolans, & præ gaudio in lacrymas prorumpens, ubi & quomodo fuiſſet, inquirit. Ille juxta ætatem ſimpliciter: Canis, ait, ille qui me aſportavit, blande me perlingens in ſinu ſuo compoſitum tota nocte dormire fecit.

Miracula omiſſa. 21. Iſta quæ modo ſuccinčte miracula diximus, & alia plura quæ vitio prolixitatis tranſimus, ne more hirudinis lectorem, quem huc uſque ſtudioſum tenuimus, effluendo faſtidioſum occidamus, ſignum in ſervulo quaſi annorum ſedecim divina operatione factum exponamus. Qui ceteris membris ſecundum ordinem naturæ bene diſpoſitis, in principali, quod eſt caput, tanta paſſione agitabatur, ut ſine intermiſſione parieti, ſi proximus eſſet, allideretur: pectus mento tunderet, ſcapulas tempore verberaret, numquam in eodem ſtatu, vel verba fundens, cibum aut potum vix aliquando ſumens, permaneret. Si quando illi dormire contigiſſet, ſolo collapſus modo caput terram, modo cælum pulſare videres: & quod miſerabile dictu, dum ab omnibus, propterea quod horribilis viſu foret, fugeretur, à ſingulis videri optabatur. Iſte ante fama quam aſpectu notus, dum ad nos perveniſſet, ſtipem inter domos accipiens, aliquamdiu ſuſtentatus eſt. Hunc Archiſynagogus videns: Si veſtra Chunegundis, ad Chriſtianos ait, iſtum curaverit, me Chriſto ac fidei veſtræ applicare poterit. Sed, quod dicit Apoſtolus, Judæi ſigna quærunt, in hoc Judæo oſtenſum eſt. Nam patiens tertia Dominicæ reſurrectionis feria, dum ſuper ſepulcro ſalutiferæ Virginis ſalubri premeretur ſopore, manu invi ſibili quadam tactus, inde ſanatus, cum ſumma omnium admiratione ac laude abſceſſit. Judæus vero infelix à perfidia ſua æternos paſſurus ignes non receſſit.

1. Cor. 1, 22.

22. Illud autem in ultimo, quod tamen ſignorum illius non ultimum fuit, ſubnectam. Quoniam terra circa ſepulcrum ejus à fidelibus collecta, in ſpeciem luciđiſſimi thuris, aut etiam mundiſſimi grani fuit frequenter redacta. Super hoc INNOCENTIUS papa in ſermone ad populum in Lateranenſi palatio habito, vitæ illius merita & miraculorum inſignia commemorando ſubintulit: Recte, fratres cariſſimi, pulvis ille, quo gleba hujus ſanctiſſimæ Virginis debito humanitatis ſepulta tegitur, in thus atque granum redigitur, quæ ſe ſub ſexu fragili, dum viveret, à licitis continens, ab illicitis abſtinens, illibatum Domino holocauſtum obtulit; & dives Chriſto, pauper ſibi, pauperes Chriſti ſub diverſi ordinis atque ſexus profeſſione quotidie paſcit. Merito ergo in catalogo ſanctorum erit adſcribenda, quæ vitam ſanctorum ſemper ſtuduit imitari. Collectam itaque à nobis conſcriptam, cum officio totius Miſſæ huic noſtro ſermoni appoſuimus, & apoſtolica auctoritate omnibus eccleſiis in honore tantæ virginis decantari direximus.

A Papa approbantur.

Auctoris epilogus. 23. Hæc pauciſſima de virtutibus & ſignis Chunegundis ſanctiſſimæ virginis, prudentiſſimæ caritati veſtræ inter innumerabilia dixiſſe ſufficiat: quæ ſi quis evolute perſtringeret, prius ipſa pagina quam materia deficeret.

Digitized by Google

ret. O beatam, ô prædicandam, quæ regnum mundi & omnem ornatum ſæculi pro cæleſti ornatu deſpexit! Chriſtum ſibi ſponſum regio ſponſo legaliter non carnaliter copulata delegit: quæ virginitatem ſuam inter regales thalamos probando, ut infamiæ malum ſibi ab invidis objectum expurgaret, ignes calcavit: quæ dum prolem morituram non exſpectavit, ejus caſta generatio numquam paſſura ſucceſſionis detrimentum durat; quando Eccleſia in filiis ſuis per eleemoſynas ipſius divinæ laudis ſemper accipit incrementum: quam cum Chriſto ſuo, quem amavit, in quo credidit, quem dilexit, etiam poſt mortem vivere ſigna crebra loquuntur. Ad memoriam ejuſdem cæci viſum, exſtincti vitam, muti loquelam, aures obſtructæ recipiunt auditum. Ann. Ch. MXL. Mart. III.

24. Quanta igitur illa fuiſſe credimus, quæ vivens nullo teſte, dum jactantiam vitat, ſola exercuit, cum tanta illam poſt mortem ſigna feciſſe, ſub oculis omnium viderimus? Ad nos ergo ſigna iſta, quæ foris miramur, intus transferamus, vitam noſtram & mores corrigamus, ut ſi virginis conſortium non meremur, poſt declivia vitiorum ſit nobis præmium per virginem tantum ſupplicium evaſiſſe peccatorum.

Virginis iſte docet CHUNEGUNDIS geſta libellus.
Plura tamen dicenda tacet, dum flumine mergi,
Cymba timet, moritur quæ tangit beſtia montem.
Sed quæ lingua ſilet, pro virgine ſigna loquuntur,
Quæ famam laudis ejus tam crebra loquuntur,
Dum cæcis, mutis, claudis, optata ſalutis
Cura venit; dum languor abit, febriſque recedit,
Vita redit, recipitque cutis conſperſa colorem.
Hoc potuit qui cuncta poteſt dare virginitati;
Qui montes transferre valet dare credulitati.
Nupta viro ſub lege viri vult virgo latere,
Sponſa ſubarrhata, ſponſo tamen inviolata,
Et Chriſtum ſub corde virum ſibi legit habere.
Servat virgo fidem, res claruit igne probata.
Diſcite conjugium cælebs, ubi nulla voluptas:
Qui ſine miſtura ſervant legalia jura,
Cuncta nihil penſant quæ mox fuerint ruitura,
Hic in ſpe fructus mittentes ſemina luctus,
Gaudia longa metent, Agnumque ſequentur in albis.

Oramus te, virgo ſanctiſſima, imperatrix glorioſiſſima, quæ terras miſericordiarum tuarum operibus, cælos reſperſiſti virtutum floribus; fluctuantibus in mundo tuis aſſiſte, procellas turbinoſas adverſantium tuis orationibus propelle, cunctos tibi devotos, vitiis propulſis, perpetuo tuis fac gaudere beneficiis & meritis, & omnes ſcribentes ſive fidelium legentes hujus textum lectionis, fructu non priventur ſuæ partæ devotionis. Amen.

BULLA INNOCENTII III.
de Canonizatione ſanctæ Chunegundis.

INNOCENTIUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri THEUMONI [a] epiſcopo, & dilectis filiis Capitulo Babenbergenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cum ſecundum evangelicam veritatem nemo accendat lucernam & ponat illam ſub modio, ſed ſuper cande- [a] Matth. 5. 15.

a Thiemo anno 1192. Pepponi ſeu Pottoni ſucceſſit, ſedemque reliquit anno 1201.

Ann. Ch. MXL. Mart. III. labrum, ut omnes qui in domo ſunt videant; pium pariter & juſtum eſt, ut quos Deus merito ſanctitatis coronat & honorat in cælis, nos venerationis officio laudemus & glorificemus in terris: cum ipſe potius laudetur & glorificetur in illis, qui eſt laudabilis & glorioſus in ſanctis. Pietas enim promiſſionem habet vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ, dicente Domino per
Deut. 26. 19. Prophetam: Dabo vos cunctis populis in laudem, gloriam & honorem; &
Matth. 13. 43. per ſe pollicente: Fulgebunt juſti ſicut ſol in regno Patris eorum. Nam ut ſuæ virtutis potentiam mirabiliter manifeſtet, & noſtræ ſalutis cauſam miſericorditer operetur; fideles ſuos, quos ſemper coronat in cælo, frequenter etiam honorat in mundo, ad eorum memorias ſigna faciens & prodigia, per quæ pravitas confundatur hæretica, & fides catholica confirmetur. Nos ergo, cariſſimi, quantas poſſumus, etſi non quantas debemus, omnipotenti Deo gratiarum referimus actiones, qui in diebus noſtris, ad confirmationem fidei catholicæ & confuſionem hæreticæ pravitatis evidenter innovat ſigna, & miracula potenter immutat, faciens eos coruſcare miraculis, qui fidem catholicam tam corde quam ore, necnon & opere tenuerint.

Inter quos beatæ memoriæ KUNEGUNDIS, Romanorum imperatrix auguſta, quæ degens olim in mundo magnis meritis præpollebat, nunc vivens in cælo multis coruſcat miraculis, ut ejus ſanctitas certis indiciis comprobetur. Licet enim ad hoc ut aliquis ſanctus ſit apud Deum in Eccleſia triumphante, ſola ſufficiat finalis perſeverantia, teſtante Veritate,
Matth. 10. 22. quæ dicit: Quoniam qui perſeveraverit uſque in finem hic ſalvus erit; &
Apoc. 2. 10. iterum: Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ; adhoc tamen ut ipſe ſanctus apud homines habeatur in Eccleſia militante, duo ſunt neceſſaria, virtus morum, & virtus ſignorum, videlicet merita & miracula, ut & hæc & illa ſibi invicem conteſtentur. Non enim aut merita ſine miraculis, aut miracula ſine meritis plene ſufficiunt ad perhibendum inter homines teſtimonium ſanctitati: cum interdum angelus ſatanæ transfiguret ſe in angelum lucis: & quidam opera ſua faciant, ut ab hominibus videantur. Sed & magi Pharaonis olim ſigna fecerunt, & Antichriſtus tandem prodigia operabitur, ut, ſi fieri poſſet, in errores etiam inducantur Electi. Verum cum & merita ſana præcedunt, & clara ſuccedunt miracula, certum præbent indicium ſanctitatis, ut nos ad ipſius venerationem inducant, quem Deus & meritis præcedentibus, & miraculis ſubſequentibus exhibet venerandum. Quæ duo ex verbis Evangeliſtæ plenius
Marc. 16. 20. colliguntur; qui de Apoſtolis loquens aiebat: Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.

a Sane cum ad audientiam bonæ memoriæ CÆLESTINI papæ [a], prædeceſſoris mei, merita & miracula præfatæ imperatricis, vobis referentibus perveniſſent, ut ipſe de illis notitiam conciperet certiorem, inquiſitionem eorum venerabilibus fratribus noſtris Auguſtenſi & Eiſtetenſi & bonæ memoriæ Vvirtzburgenſi epiſcopis, & dilectis filiis Eboracenſi, Lan-
b cheimenſi, & Hailſbrunenſi [b] abbatibus per apoſtolica ſcripta commiſit: poſt cujus obitum uſque adeo manifeſtari cœperunt, & multiplicari miracula, ut ex evidentia pariter & frequentia, ſanctitas ejus ab omnibus, quaſi notoria prædicetur; ſicut ex multis teſtimonialibus litteris Epiſcoporum, Abbatum, Præpoſitorum & Principum, necnon & aliorum multorum nuper noſtro exſtitit Apoſtolatui reſeratum.

a Is eſt Cæleſtinus III. creatus die 14. Aprilis anno 1191. obiit die 8. Januarii anno 1198. cui ſtatim Innocentius III. fuit ſubſtitutus.

b Eboracum vulgo *Ebrach*, nobiliſſimum Franconiæ monaſterium Ordinis Ciſtercienſis, in diœceſi Herbipolenſi ſitum. Ejuſdem Ordinis eſt *Lanckheimb*, ſed in ipſa diœceſi Bambergenſi. Conditum fuit à beato Ottone epiſcopo Bambergenſi, ſicut & ſequens *Heilbrunnem*, item Ordinis Ciſtercienſis.

Digitized by Google

Venientes igitur ad Apoſtolicam ſedem ex parte veſtra dilecti filii D. abbas Michelveldenſis [a], Gundelus decanus, Cunradus cuſtos, Marcus Archidiaconus, Hermannus ſubdiaconus majoris eccleſiæ veſtræ, Lupoldus diaconus ſancti Stephani, Burchardus diaconus ſanctæ Mariæ, Henricus presbyter ſancti Michaëlis, Henricus ſubdiaconus ſanctæ Mariæ nobis & fratribus noſtris humiliter ſupplicarunt, ut ex plenitudine poteſtatis, quam Jeſus-Chriſtus beato Petro conceſſit, prænominatam Imperatricem ſanctorum catalogo dignaremur adſcribere, decernentes ejus memoriam inter ſanctos ab univerſis fidelibus de cetero celebrandam: cum hoc ſublime judicium ad eum tantum pertineat, qui eſt beati Petri ſucceſſor & Vicarius Jeſu-Chriſti. Nos itaque cognoſcentes, quod hoc revera judicium ſublimius eſt inter cetera judicia judicandum, in ipſius examinatione plenariam volumus adhibere cautelam. Et ideo prænominatos jurisjurandi religione conſtrinximus, ut puram nobis ſuper hoc dicerent veritatem. Qui jurati dixerunt, quod, ſicut ex celebri fama & ſollemni ſcriptura noverunt, beata KUNEGUNDIS ſancto HENRICO imperatori fuit matrimonialiter copulata, ſed ab eo non exſtitit carnaliter cognita. Unde cum dominus Imperator ageret in extremis, Principibus & parentibus inquit de illa: Qualem mihi eam aſſignaſtis, talem vobis eam reſigno. Virginem eam dediſtis, & virginem reddo. Suam ergo virginitatem Domino conſecravit & ſervavit intactam: ita quod cum aliquando, inſtigante humani generis inimico, ſuſpicio quædam contra ipſam fuiſſet exorta, ipſa ut ſuam innocentiam demonſtraret, ſuper ignitos vomeres nudis plantis inceſſit, & proceſſit illæſa. Item ſanctus imperator Henricus & hæc imperatrix egregia Kunegundis de propriis facultatibus Bambenbergenſem fundaverunt eccleſiam & dotaverunt: quam cum ſuis omnibus pertinentiis ex fervore devotionis, quam ad Apoſtolicam ſedem habebant, beato Petro Apoſtolorum principi obtulerunt, annuum ei cenſum, ad indicium quod juris ſit eccleſiæ Romanæ, ſolventes: ſed & alia plurima beneficia piis locis & venerabilibus eccleſiis contulerunt, Chriſtum ſibi facientes heredem. Hæc & alia retulere de meritis: de miraculis aſſerentes, quod eis præſentibus & videntibus ad memoriam hujus virginis cæci viſum, claudi greſſum, muti verbum, & ſurdi recuperaverunt auditum, aliiſque languoribus impetiti frequenter & evidenter plenam conſecuti ſunt ſanitatem: & quod eſt mirabilis novitatis & novi miraculi, pulvis de tumulo ejus aſſumtus ſæpe converſus eſt in frumentum. Nos ergo de meritis & miraculis ejus multis & magnis non ſolum teſtimoniis, ſed & teſtibus certiores effecti, cum ſecundum Prophetam, laudandus ſit Deus in ſanctis ſuis; de Fratrum noſtrorum conſilio, & Pontificum multorum apud ſedem Apoſtolicam exſiſtentium, ipſam beatam virginem Kunegundem catalogo ſanctorum adſcripſimus, ejuſque memoriam inter ſanctos decrevimus celebrandam. Quapropter univerſitatem veſtram monemus & hortamur in Domino, per apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus quod nos ſollemniter & caute ſtatuimus, vos humiliter & devote ſervetis, ut meritis ejus & precibus apud miſericordiſſimum Judicem indulgentiam conſequamur. Collectam autem & alias orationes in commemoratione ejus dicendas edidimus, quas in hac pagina duximus ſubſcribendas.

ORATIO.

Omnipotens & miſericors Deus, qui à gloria tua nullum excipis ſexum, nullamque conditionem excludis, te ſuppliciter exoramus, ut ſicut beatæ

[a] Alias Michaëlis-campus, illuſtre Ordinis noſtri cœnobium ab eodem ſancto Ottone conditum, cujus abbatum catalogum exhibet Bucelinus in Germania ſacra, ex quo patet tunc temporis Adalbertum ejus loci abbatem fuiſſe. Hinc littera D. forte hic *domnum* ſignificat.

ANN. CH. MXL. MART. III. Kunegundi virgini tuæ, poſt terreni culmen imperii, cæleſtis regni ſolium contuliſti: ita meritis ejus & precibus, nobis quoque famulis tuis æternæ felicitatis præmia largiaris, per Dominum.

SECRETA.

Sacrificium laudis tuæ tibi, Domine Deus noſter, offerimus, tuam clementiam implorantes, ut per hujus ſacramenti virtutem, intercedente beata Kunegunde virgine tua, nos & à peccatis expedias, & à periculis tuearis. Per Dominum.

COMPLENDA.

Sacramentum redemtionis humanæ, quod in honore beatæ Kunegundis obtulimus, tibi nos, Domine, reddat acceptos, ut per hoc quod & accepimus ipſi de tuo, & ſuſcepiſti de noſtro, in tui ſemper unione vivamus: Qui cum Patre.

Datum Laterani III. Nonas Aprilis, Pontificatus noſtri anno tertio.

ANN. CH. MXLII. APRIL. XII.

DE BEATO HELIA ABBATE Colonienſi.

Ubi & de V. VOLPERTO Tuitienſi abbate primo.

Heliæ geſta ex variis auctoribus.

1. *SCOTI ſanctitate in Germania celebres paſſim occurrunt hoc ſæculo; inter quos enituiſſe* HELIAM *Colonienſem abbatem teſtantur faſti ſacri, qui ejus memoriam die* XII. *Aprilis commemorant. Latet nos an umquam ejus vita ſcriptis mandata fuerit, quare pauca, quæ in veteribus auctoribus de eo invenimus, colligere ſufficiat. Eum monaſteria ſancti Martini & ſancti Pantaleonis Coloniæ ſimul rexiſſe auctor eſt Marianus & ipſe Scotus, & Coloniæ iſtis temporibus degens. Illum vero inter celebriores abbates, qui ſæculo* XI. religionem eccleſiaſticam *florere fecerunt, recenſet Sigebertus in Chronico ad annum* MXXVII. *ubi ipſum* Heliam Colonienſem *appellat. Eumdem* ſanctitate & prophetia clarum *fuiſſe ſcribit Hugo Menardus in obſervationibus ad Martyrologium Benedictinum, quod ejuſdem Mariani auctoritate confirmat. Nam cum Piligrinus archiepiſcopus Colonienſis*, invidioſis viris inſtigatus, *vellet illum cum monachis Scotis, quos in utroque monaſterio regebat, ex ditionis Colonienſis finibus eliminare, dixit ſanctus Abbas, cum ſuis monachis ex aula regia revertens:* Si Chriſtus in nobis peregrinis eſt, numquam vivus ad Coloniam veniat Peregrinus. *quod ita Deus complevit. Eadem habet Trithemius in nova Chronici Hirſaugienſis editione ad annum* MXXXV.

Clarus miraculis.

2. *Heliæ, etiam defuncti, ſanctitatem* multis miraculis *fuiſſe comprobatam teſtatur idem Trithemius in libro 3. de viris illuſtribus ordinis ſancti Benedicti. Plura de eo habet in nova Chronici Hirſaugienſis editione jam laudata, ad annum ſcilicet* MXLI. *ubi ſic loquitur.* Eodem anno mortuus eſt Elias abbas monaſterii ſancti Martini Scotorum in Colonia, vir integerrimæ converſationis, qui ad menſuram Regulæ ſanctiſſimi patris noſtri Benedicti una cum monachis ſuis vitam duxit valde arduam & religioſam, pauciſque tunc temporis imitabilem; ratione cujus multas à carnalibus hominibus quotidie ſuſtinuerunt inſidias, qui bonorum opera virorum, quæ imitari non poterant,

Digitized by Google

impio dente, peſſimæ æmulationis provocati ſtudio, ut ſolet fieri, carpebant. *Hac ille occaſione, uti videtur, eorum quæ à Piligrino perpeſſum fuiſſe Heliam ex Mariano ſupra diximus.*

3. *Ceterum Heliæ ſanctitatem haud ignotam Colonienſibus fuiſſe patet ex vita ſancti Heriberti ejuſdem urbis archiepiſcopi, ubi legimus beatum pontificem, cum ſeſe morti proximum eſſe perſenſiſſet, nuntios ſtatim miſiſſe ad Heliam accerſendum, qui ei in extremis agenti adeſſet. ſic quippe habet Lambertus primæ vitæ ſancti Heriberti auctor coæqualis, apud Bollandianos die 16. Martii.* Sentiens ſe corporis viribus pæne deſtitui.... legatos feſtinanter Coloniam mittit, ſervum Dei præcipuum domnum abbatem Heliam, ad viſitandum ſe properare depoſcit; à fratribus urbis precis ſuæ implorat auxilium, ut tali propugnaculo ſuum tueretur exitum. Adveniens dictus pater jacentis cubiculum ingreditur, ſermo ſpiritalis ad invicem de conſolatione animæ conſeritur; quod ſi princeps mundi ad Filium Dei venit, & ſuum nihil in eo invenit, cavendum eſt viam univerſæ carnis ingreſſuris &c. pro his omnibus providendum, quantum ſinit hæc mortalis infirmitas, ut ante horam obſtruatur quique aditus adverſus illius verſutias &c. proinde hortatur epiſtola beati Jacobi apoſtoli, ut ad infirmum inducantur Eccleſiæ preſbyteri, & orent ſuper eum, inungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum; & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei. Quapropter, inquit archipræſul, tu pater mihi à Deo deſtinatus, perfice in me hujus auctoritatem unctionis exoratus, ut quicquid nocivum contractum eſt à meis ſenſibus, his ſacris evacuetur donis ſancti Spiritus. Induitur abba veſtibus huic aptis officio, defertur oleum cum honore debito, more ſuo conficitur in corpore ſancti Dei ſalutaris unctio; & in concluſione ipſius officii participatur corpore & ſanguine Dominico.... Memoratum vero abbatem & alios fideles, vere filios eccleſiæ, non patitur ſe deſerere, ſuadens eis pro conſolatione ſua de ſcripturis ſanctis & Patrum teſtimoniis ſermonem conſerere, & aliquoties pro ſe orationi incumbere.

S. Heriberto morienti aſſiſtit.

4. *Subjungit idem auctor* ſervis Dei *revelationes à Deo factas fuiſſe de proximo beati antiſtitis exitu, quarum nonnullas profert Rupertus, qui alteram beati Heriberti vitam ſcripſit, ex his unam abbati Heliæ, quem* virum venerandum *appellat, oſtenſam deſcribit his verbis:* Fuerat autem ejuſmodi ſomnium eumdem pontificem, ſacris atque feſtivis indumentis perornatum procedere, quaſi ad celebranda ſollemnia miſſarum, ſolum tamen atque incomitatum, clero exſpectante taciturno, cujus idem pontifex, quaſi Romam peregre profecturus benedictionem flagitaret. qui & ſolus ut videbatur declinavit, & nuſquam repertus eſt. *Paullo ante dixerat*, prædictum abbatem, *à beato pontifice* pro conſolatione retentum, continuis duabus noctibus, ubi parum quid ſomni percepiſſet, clariſſimis viſionibus fuiſſe inſtructum, *quod ille brevi eſſet* à corpore migraturus. *Hæc illi. nec plura de beato Helia licuit colligere; cujus exitum anno* MXLI. *Trithemius conſignat; Marianus vero Scotus anno ſequenti, ubi eum* virum prudentem & religioſum *appellat. Heliæ memoria celebris eſt in variis Germaniæ Martyrologiis die* XII. *Aprilis, quo deceſſiſſe dicitur apud Marianum. Eodem die cum* ſancti *titulo in Martyrologio Benedictino & in generali catalogo Philippi Ferrarii memoratur.*

Quem in viſione moriturum cognoſcit.

5. *Porro occaſione hujus ſancti viri, cujus tam præclaram mentionem facit uterque auctor vitæ ſancti Heriberti archiepiſcopi Colonienſis, liceat nobis aliquid addere ex ejuſdem ſancti ſecunda Vita de Vvolperto abbate Tuitienſi, qui eodem tempore ac noſter Helias apud Colonienſes florebat. Itaque Rupertus, quem jam ſecundæ vitæ ſancti Heriberti auctorem eſſe obſervavimus, & ipſe Tuitienſis monaſterii ſæculo ſequenti abbas, poſt deſcriptas beati Heriberti in monaſterio Tuitienſi, quod ipſe condiderat, exſequias, narrat ſepulcrum beati antiſtitis miraculis frequentibus coruſcaſſe, ex quibus* unum inter cetera *obſervatione dignum cenſet.* Res, *inquit*, hoc

Vvolpertus I. abbas Tuitii.

Digitized by Google

ANN. CH. MXXII. APRIL. XII.

modo geſta eſt. Vir vitæ venerabilis VOLPERTUS cœnobii, quod ab eodem ſancto Pontifice conſtructum fuerat, pater primus, recenti tanti præſulis obitu magis excitatus, quotidianis, maximeque nocturnis pervigil inſiſtebat orationibus. Erat multorum monachorum pater, quippe cui propter egregiam vitæ converſationem, ſcientiam quoque & dilectionis abundantiam, non ſolum præfati cœnobii, verum etiam monaſteriorum ſancti Pantaleonis ſanctique Viti cura vel providentia commiſſa fuerat.

Ejus virtutes.

Huic per omne tempus vitæ continuum pæne ſtudium fuerat matutinos prævenire hymnos, ſolitariiſque vigiliis pſalmos decantare Davidicos; & hunc ſanctum fervorem ejus dolor, qui de tanti patris obitu acciderat, majorem, ut jam dictum eſt, effecerat. Cum ergo quadam nocte ad hoc ipſum opus ardentius inſiſteret, & magno caritatis igne ſanctæ orationis incenſum adoleret, re vera fumus aromatum ejus altius aſſcendit, & ante oculos Domini in cælum uſque pervenit. nam illo diutius orante. . . locus contremuit. . . . . . ſepulcrum beati viri patefactum eſt, & ſanctus Dei egredi viſus eſt. Iſque ſtans prope virum jamdictum, leniter tangens illum quid operaretur ſciſcitatus eſt. . . . tangens prius latera ejus baculo pontificali, cum quo fuerat tumulatus. Vires ille reſumſit, & ad interrogata reſpondere prævaluit. . . . cui intulit hæc: Orationibus, frater mi, ſedulus vigilanter inſiſte, & vivorum atque mortuorum parentum vel familiarium tuorum ſalutem exorans, mei quoque memoriam abundantius habe. Scito enim, & veritatem loquenti mihi præbe fidem, quia obitus mei die triceſimo, qui nunc imminet, mecum pranſurus es. Hoc ille audito, pæne exanimatus reſedit in eodem loco. Tandem vero ſpiritum paullatim attrahens reſpiravit, baculoque innixus ſurrexit, & corpore ac mente tremens vix ad lectulum pervenit. Mane facto, in conventum fratrum de more proceſſit, ſermonem protulit ædificationis ſatis eloquenter & cum ſpirituali ornatu magnæ venuſtatis: inter cetera maxime illud exhortans, quod egregium decus eſt monachorum, ut videlicet oris ſui cuſtodiam

Iſai. 32.

haberent ad ſilentium, quia ſicut propheta teſtatur, cultus juſtitiæ eſt ſilentium. . . . . Conventu ſoluto, ſeniores tantum & qui magis ſpirituales eſſe videbantur, ſecretius advocavit, & quæ viderat, quæque audierat cuncta per ordinem retulit. . . . . *die triceſimo cum eſſet in itinere*, hora ſexta * rogabatur, ut pranderet . . . . . ipſe non abnuens . . . . . præmiſit opus Dei, ſextamque horam de more cum duobus, qui obſequio ejus aderant, fratribus canere incœpit. At ubi ventum eſt ad lectionem, quam nos capitulum dicimus, hæc autem erat, Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur &c. reſpondentibus illis Deo gratias, continuo ſpiritum exhalavit. . . . . Allatum defuncti corpus *ad monaſterium*, prope ſepulcrum vatis ſui, videlicet ſancti Præſulis *Heriberti*, cum libitina depoſitum eſt inter exſequiarum vigilias. *Pauper quidam à cunabulis contractus, inter ſepulcrum ſancti & defuncti feretrum pernoctans incolumis evaſit, quod miraculum utrique, ſancto videlicet antiſtiti, & pio abbati attributum eſt. Mortuus eſt Vvolpertus die Aprilis* XIV. *anni* MXXI. *nomen ejus in faſtis ſacris nuſquam invenimus, quare ſatis fuit* Venerabilem *appellare.*

* i. meridie.

Obit.

DE BEATO AMNICHADO monacho Fuldenſi.

1\. *NEMO neſcit Fuldam potentiſſimum Germaniæ monaſterium, à beato Bonifacio Archiepiſcopo Moguntino conſtructum, viris tum doctrina, tum ſanctitate clariſſimis floruiſſe. Ex his undecimo ſæculo enituit potiſſimum Amnichadus monachus, qui cum in Scotia monaſticam vitam ageret, Corchranni abbatis ſui juſſu exſulare coactus, Fuldam venit; ubi cum multos annos in cella recluſus exegiſſet, ibi tandem vita functus eſt, cujus ſanctitatem miracula quæ poſtmodum ad ejus ſepulcrum patrata fuere, declaraverunt.* Amnichadus Fuldæ incluſus.

2\. *Hujus rei teſtem idoneum habemus Marianum Scotum, qui & ipſe è Scotia Fuldam accedens, toto decennio in Amnichadi cella pariter recluſus, ad ejus ſepulcrum Miſſæ ſacrificium Deo omnipotenti obtulit, ut ipſe ait in Chronico ad annum* MXLIII. *quo Amnichadum obiiſſe commemorat.* Anno, *inquit*, MXLIII. Amnuchadus Scotus monachus & incluſus obiit III. Calend. Februarii in monaſterio Fuldenſi, ſuper cujus ſepulcrum viſa ſunt lumina & pſalmodia audita: ſuper quem ego Marianus Scotus decem annis incluſus, ſuper pedes ejus ſtans, quotidie Miſſas cantavi. *Id eſt ab anno* MLIX. *quo recluſus eſſe cœpit, ut ille ipſe monet, ad annum* MLXIX. Ex Mariano Scoto.

3\. *Plura de Amnichado ab eodem Mariano memoriæ prodita fuiſſe ex Florentio Wigornienſi monacho diſcimus, quæ cum in vulgatis Chronici Mariani editionibus deſiderentur, ea Florentii ipſius verbis referre viſum eſt. Sic autem habet ad annum* MXLIII. Amnichadus Scotus monachus & incluſus in Fulda obiit, ſuper cujus ſepulcrum Marianus hujus Chronicæ auctor decem annis ad pedes ejus ſtans incluſus Miſſam cantavit, qui etiam hæc de ſupradicto Amnichado retulit. Ipſe, inquit, cum in Hibernia eſſet inſula, quæ Keltra dicitur, quadam die fratribus quibuſdam ſupervenientibus cum licentia ſenioris ſui, nomine Cortram, caritatem eis fecit: cumque quidam poſt cibum eſſent egreſſi, illi qui remanſerant ad ignem ſe calefacientes conſederunt, atque bibere ab eo petierunt: quo nolente ſine licentia, coëgerunt illum. Tandem conſenſit, prius tamen ex eo potu ſeniori ſuo, quaſi benedictionem miſit. Craſtino autem ab eo interrogatus, unde ſibi illum potum miſiſſet, omnia quæ geſta erant retulit: moxque propter hanc tantam culpam eum ſenior de Hibernia exire juſſit. quod ille humiliter adimplevit; ſicque Fuldam veniens, ſancte vivendo incluſus, ut prædixi, obiit. Hoc autem mihi retulit Tigernah ſenior meus, cum quamdam culpam parvam coram eo feciſſem. Me quoque audiente in Fuldam incluſo, quidam religioſiſſimus ejuſdem cœnobii monachus, nomine Guilielmus, ſupradictum Amnichadum jam ſepultum rogavit, ut ſe benediceret, atque, ſicut poſtea mihi confirmavit, eadem nocte per viſum videre Amnichadum in ſepulcro ſuo ſtantem, nimio fulgore nitentem, & extenſa manu ſe benedicentem, totamque ipſam noctem etiam ego mellifluo plenam odore duxi. Hæc ait Marianus. Et ex Florentio Wigornienſi.

4\. *Hunc Mariani ex Florentio locum illuſtrat Johannes Colganus in Actis ſanctorum Hiberniæ ad diem* 30. *Januarii, ubi obſervat beatum hunc virum* Anmchadum *appellari debere, quod nomen regiunculæ quædam & familiæ nobilis Hiberniæ adhuc retinent,* Siolnanmechadha, *id eſt,* ſtirps Anmchadi, *etiamnunc dicta. haud longe vero ab eadem regione diſtat inſula Kealtra, in qua Amnichadus noſter monaſticam vitam egiſſe dicitur. Cujus Magiſtrum in vulgatis Florentii editionibus* Item ex Colgano.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXLIII. Jan. XXX.

Cortram *dictum*, *Colganus* Corcran *appellari debere contendit, quem anno* MXL. *defunctum in nonnullis Martyrologiis memorari obſervat. Denique idem Colganus Tigernachum duplicem laudat, quorum alteruter hic laudatus Mariani magiſter fuit. Prior anno* MLXI. *alter anno* MLXXXVIII. *obiit. Prioris, qui, ut veri ſimilius eſt, Marianum habuit diſcipulum, memoria in vulgatis ſanctorum Hiberniæ Martyrologiis die 13. Maii celebratur.*

5. *Porro præter Marianum & Florentium, Trithemius aliique rerum tum Germanicarum tum Hibernicarum ſcriptores, Amnicadum, veluti virum ſanctum & pium laudaverunt, cujus nomen in vulgatis Martyrologiis die 30. Januarii paſſim occurrit, quamvis memoria ipſius, quantum quidem reſcire licuit, nullo publico cultu umquam celebrata fuerit. Trithemius tamen libro 3. de viris illuſtribus Ordinis S. P. Benedicti cap. 244. proindeque inter eos qui* ſancti & canonizati *fuerunt, eum recenſet. Et quidem in nova Chronici Hirſaugienſis editione ad annum* MXLIII. *eumdem, quem ibi* Amichadum *appellat,* ad patriam felicitatis æternæ tranſmigraſſe *ſcribit; tum ſubjungit* ſuper ejus tumulum nocturno tempore lumina divinitùs miſſa lucere viſa *fuiſſe,* voces cantantium Angelorum auditas, & plura oſtenſa miracula.

Ann. Ch. MXLIII. Febr. I.

DE S. CLARO MONACHO & recluſo Selgenſtadienſi.

Monaſt. Selingeſtad. duplex.

I. *DUPLEX fuit in Germania monaſterium Selingeſtaadt dictum, quorum primum Carolo Magno imperante conſtructum in diœceſi Moguntina, ob Eginhardi ſeceſſum celebre fuit. Alterum paullo poſt ſanctus Altfridus Hildesheimenſis epiſcopus in ſua diœceſi condidit. In priori, quod in honorem ſanctorum Petri & Marcellini martyrum conſecratum eſt, ſæculo undecimo floruit Clarus, cujus geſta, prorſus antea nobis ignota, ex nova Chronici Hirſaugienſis Trithemii editione apud ſanctum Gallum adornata, utcumque nota ſunt. Locum hujus auctoris integrum deſcribere viſum eſt, cum nihil aliud ſuppetat ad commendandam beati hujus viri memoriam. Sic itaque habet ad annum* MXLIII.

Clari elogium.

2. Claruit his temporibus in cœnobio ſanctorum martyrum Marcellini & Petri in Selgenſtat Moguntinæ diœceſis, monachus quidam, converſatione ſimul & nomine CLARUS, qui tam in divinis Scripturis, quam in ſæculari litteratura nobiliter doctus, & divino tandem Spiritu miraculoſe inſpiratus, omne ſtudium ſuum, in quo prius delectabiliter ſolebat occupari, convertit ad amorem Dei. Nam de licentia ſui Paſtoris, ut Chriſto ſervire totis potuiſſet viribus, omnium cœpit hominum declinare conſortium, & incluſus juxta idem monaſterium in artiſſima cella gratum Deo exhibuit famulatum. Annis triginta ferme in eodem loco fuit pro Dei amore ſpontanea voluntate recluſus, devotiſſima intentione in Dei laudibus ſemper occupatus. Octavo recluſionis ſuæ anno Spiritum-ſanctum prophetiæ à Domino accipere meruit, & deinceps uſque ad mortem in omni puritate mentis & corporis duravit. Carnem & omne quod vitam habuerat non manducavit, vinum & ſiceram cunctis diebus recluſionis ſuæ non bibit: in ſpirituali exercitio fuit continuus, lectioni divinarum Scripturarum, orationi & contemplationi ſemper deditus, & nullo umquam tempore otioſus. Tandem poſt multa ſanctarum virtutum opera, poſt clara de futuris contingentibus, quæ Deus voluit illum prædicere vaticinia, anno Dominicæ Nativitatis prænotato, prima die menſis Februarii, ut verus Dei ſanctus, ad requiem cæleſtis patriæ vocatus moritur, & inter chorum

&

Digitized by Google

& altare ſumma cum reverentia & honore ſepelitur; in cujus tranſitu voces cantantium angelorum ſub melodia inenarrabilis ſuavitatis auditæ ſunt, non ab omnibus qui aderant, ſed à quinque monachis, Brunone, Hermanno, Ruchvvino, Johanne & Rudolpho, quos vitæ ſanctimonia fecerat dignos; qui & ipſi quinque orantes exauditi ſunt, & eodem anno ad Clari conſortium moriendo tranſmigrarunt. Series autem cantici, quod præcinentibus angelis audierant, hunc tenorem continebat: *In cæleſtibus regnis ſanctorum habitatio eſt, alleluia; & in æternum requies eorum, alleluia.* Cuſtos quoque eccleſiæ præfati monaſterii, nomine Erlungus, monachus probatæ fidei & religionis, ſeptem vicibus candelas ad tumbam ejus poſitas, quas exſtinxerat ſua manu, divinitus reincenſas reperit. Multa de hoc ſanctiſſimo viro in ſuis compilationibus Marianus Scotus monachus Fuldenſis, & alia miracula de ſanctis, qui ſuo tempore claruerunt, recitat, quæ nos brevitatis cauſa omittimus.

Ann. Ch. MXLIII. Febr. I.

Alii pii monachi.

3. *Nihil de ſancto Claro reperimus in Mariani Chronico; nec alia ejuſdem auctoris opera, in quibus forte hæc miracula habebantur, videre licuit. At Trithemius in altera Chronici Hirſaugienſis editione ejuſdem Clari meminit, cujus feſtivitatem die prima Januarii celebrari dicit. quo re vera die variis in Martyrologiis ipſius memoria recolitur. Porro idem Trithemius in libro 2. virorum illuſtrium Ordinis ſancti Patris Benedicti cap. 246. Clarum noſtrum* ſancti Marcelli abbatem *appellat, quod anſam præbuit Arnoldo Vvioni, Ferrario, aliiſque Martyrologiorum ſcriptoribus, Clarum abbatem ſanctorum Petri & Marcellini appellandi. quamquam ex ipſomet Trithemii loco, quem deſcripſimus, certum videtur Clarum numquam abbatem fuiſſe, multo minus ſanctorum Marcellini & Petri, ſive Selgenſtadienſis monaſterii, cujus loci abbatum ſeriem habemus apud Bucelinum in Germania ſacra, ſed in quo nuſquam* Clarus abbas *comparet: & quidem eo tempore, quo Clarus ibi recluſus fuit, abbas erat* OTTO *hujus nominis ſecundus. Erroris occaſionem præbuit alter Clarus, Viennenſis monaſterii ſancti Marcelli abbas, qui item hoc ipſo Kalendarum Januariarum die in faſtis ſacris celebratur. Ceterum an Februario menſe, ut habet nova Trithemii Chronici Hirſaugienſis editio, an Januario, ut in altera editione legitur, defunctus fuerit Clarus, plane incertum nobis eſt. Qui enim nomen ipſius in faſtis ſacris Kalendis Januarii ſcripſerunt, hoc Trithemii exemplo fecere, quibus nota non erat nova Chronici Hirſaugienſis editio. Clarum Januarii Calendis obiiſſe dicit idem Trithemius in libro laudato virorum illuſtrium; ſed cum eum ibi ſancti Marcelli abbatem appellet, vereor ne ipſemet Clarum Viennenſem cum Selgenſtadienſi, de quo hic agimus, confuderit. quare Trithemii novam editionem ſecuti, diem 1. Februarii retinuimus.*

An abbas Clarus fuerit.

4. *Variant iidem auctores in aſſignando anno, quo ex hac luce migravit Clarus noſter Selingeſtadienſis. Ipſum anno circiter* MLX. *floruiſſe vulgati recentiores auctores ſcribunt; ſed iis præferenda eſt auctoritas Trithemii, qui in utraque Chronici Hirſaugienſis editione diſerte habet annum* MXLIII. *ei extremum fuiſſe.*

Annus obitus.

DE S. BRITHVVALDO EPISCOPO Vviltonienſi in Anglia.

Ann. Ch. MXLV. Jan. XVII.

1. *QUAMQUAM de beato Brithvvaldo, ſeu, ut alii ſcribunt, Brithvvoldo, pauca nobis dicenda occurrant, ejus tamen memoriam, quæ celebris eſt apud Anglos, omittere non licuit. Eum è Glaſtonienſi monaſterio, ubi vitam monaſticam agebat, aſſumtum ad Vviltonienſis eccleſiæ regimen fuiſſe, conſentiunt omnes poſt Vvillelmum Malmesburienſem lib. 2. Pontifi-*

S. Brithvvaldus è monacho Glaſtonienſi epiſcopus Vviltonienſis.

Digitized by Google

ANN. CH. MXLV. JAN. XVII.

cum Anglorum cap. de Vviltonienſibus epiſcopis. Id anno CM. XCVI. *contigit, quo Alfricus, cujus vitam ſuperius edidimus ad annum hujus ſaculi ſextum, in ſedem Cantuarienſem evectus eſt. Ita vero ſapienter ac pie eccleſiam ſuam adminiſtravit noſter Brithvvaldus, ut poſt mortem ſanctorum Catalogo adſcribi meruerit, quo nomine apud gentis ſua auctores paſſim celebratur.*

2. *Quid autem in epiſcopatu geſſerit, nemo eſt qui ſingulatim ſcriptis tradiderit, quamvis conjicere liceat, ipſum multis perfunctum fuiſſe laboribus, cum toto fere ipſius Pontificatus tempore, quod ſane diuturnum fuit, provinciam ſibi commiſſam à Danis, ſimilibuſque barbaris gentibus vexatam ac devaſtatam fuiſſe ſcribant auctores Anglicani. Certe apud Florentium Vvigornienſem, ab anno* M I I I. *ad* M XV. *quinque Barbarorum irruptiones in Vviltonienſem regionem memorata occurrunt. Qua tamen calamitates Brithvvaldum non impedierunt, quominus eccleſiis, potiſſimumque monaſteriis multa bona contulerit. Auctor eſt Vvillelmus eum erga Malmesburienſe monaſterium, quod in Vviltonia ora ſitum erat,* perliberalem *fuiſſe. Ejus tamen beneficentia in Glaſtonienſes ſuos ſodales pracipue enituit, quorum monaſterium* plurimis reditibus ac prædiis ampliatum *ab eo fuiſſe ex eodem auctore diſcimus. quin & ex Chronico Glaſtonienſi tomo* I. *Monaſtici Anglicani, non modo pradia, ſed & ſacras ſanctorum reliquias monaſterio Glaſtonienſi largitus eſt Brithvvaldus.*

In monaſteria beneficus.

3. *Habemus apud Anglicanos ſcriptores viſionem Brithvvaldi de futuro Anglia ſtatu, quam Vvillelmi verbis ex libro ſuperius laudato de geſtis Pontificum Anglorum, hic attexere juvabit.* Octavus Brithvvoldus ex monacho Glaſtonienſi, qui multis annis, à tempore regis Ethelredi, uſque ad Eduardum *ultimum*, adminiſtravit epiſcopatum. Is tempore regis Cnutonis, quadam vice cæleſtibus apud Glaſtoniam, ut ſæpe faciebat, intentus excubiis, divinam viſionem expertus eſt. Cum enim ſubiiſſet eum cogitatio, quæ frequenter eum angebat, de Anglorum regia ſtirpe pæne deleta, hoc meditanti ſopor irrepſit, & ecce in ſuperna raptus, vidit Apoſtolorum principem Petrum, manu tenentem Edvvardum filium regis Ethelredi, qui tunc in Normannia exſulabat, & in Regem conſecrare, cœlibe deſignata vita, & certo viginti quatuor annorum numero computato, quo regni metam terminaret: eidemque de poſteritate conquerenti reſpondiſſe; Regnum Anglorum eſt Dei; poſt te providebit Regem ad placitum ſui.

Futurum Angliæ ſtatum prævidet.

4. *Hanc viſionem iiſdem omnino verbis refert idem auctor libro* 2. *de geſtis Regum capite* 13. *quam Britvvoldo Vvintonienſi antiſtiti tribuunt nonnulli, inter quos eſt Ealredus in vita ſancti Eduardi apud Surium & Bollandum ad quintam diem Januarii, cujus ſententiam amplexus eſt Cardinalis Baronius, ad annum* M X L I I I. *Verum Vvillelmi auctoritas, qui primus viſionem iſtam deſcripſit, ceteris potior cenſeri debet. Hoc forte erratum ex affinitate nominum prodiit, quod non ſatis Vviltonienſis ſedes à Vvintonienſi ab illis auctoribus diſtincta fuerit. Vviltonienſis quippe epiſcopatus, qui in noſtro Brithvvaldo deſiit, non adeo notus eſt, ac Vintonienſis in Anglia nominatiſſimus. Et quidem Baronius hoc modo in errorem lapſus eſt, ſi quidem hanc viſionem ſe ex Vvillelmi verbis hauſiſſe profitetur. Alia ejuſdem erroris firmandi occaſio fuit nonnullorum opinatio, qui Britvvoldum Vvintonienſis eccleſia epiſcopum admittunt, eo ipſo tempore quo Brithvvaldus Vviltonienſem adminiſtrabat: ſed hunc Britvvoldum Vvillelmus & Florentius Vigornienſis Ethelvvoldum appellant. unde conjicere licet, non ob aliam rationem nomen Britvvoldi à recentioribus illi inditum eſſe, quam ut ipſi viſionem tribuerent. Verum ut nulla remaneat circa hanc rem difficultas, evincimus ex ipſius Vvillelmi verbis, laudatam viſionem Britvvoldo Vvintonienſi tribui non poſſe. Vvillelmus quippe aſſerit eam* tempore regis Cnutonis *contigiſſe, proindeque non ante annum* M X V I. *quo ex ſcriptorum conſenſu Cnuto incœpit in Anglia regnare; at vero Ethelvvoldus, ſeu Brithvvoldus Vvintonienſis anno* M X V. *nemine non aſſentiente è vivis exceſſit.*

Quod Britvvaldo Vvintonienſi non eſt tribuendum.

Digitized by Google

5. *Nec dicat aliquis, hanc viſionem Brithvvoldo, dum adhuc eſſet in Glaſtonienſi cœnobio monachus, accidiſſe, ut Radulfus & Harſpsfeldius ſcribunt, proindeque noſtro Brithvvaldo convenire non poſſe, quippe qui à tempore Ethelredi regis uſque ad Eduardum, & ſic toto Cnutonis Regni tempore eccleſiam Vviltonienſem adminiſtravit. Id inquam nil juvat reponere, cum hæc ratio multo magis contra Brithvvoldum Vvintonienſem pugnet, quam contra noſtrum Vviltonienſem. Vvintonienſis nempe noſtro Vviltonienſi ætate provectior fuit. Deinde non ait Vvillelmus, hanc viſionem Brithvvaldo tunc monacho Glaſtonienſi factam fuiſſe, ſed ipſi dum Glaſtoniæ* cæleſtibus excubiis intentus *eſſet, quæ verba Brithvvaldo jam in Epiſcopum aſſumto congruere poſſunt. Huc enim, ut credere par eſt, ſæpius ſeſe recipiebat etiam poſt epiſcopatum ſuſceptum, ut probant tum dona huic monaſterio ab ipſo collata, tum etiam quod illud in ſuæ diœceſeos termino, in comitatu ſcilicet Sommerſetenſi, ſitum eſſet. ſed de hac viſione ſatis ſit.* Ann. Ch. MXLV. Jan. XVII.

6. *Poſt longam adminiſtrationem, annorum ſcilicet fere quadraginta novem, beatus Brithvvaldus è vivis exceſſit anno* MXLV. *ex omnium ſcriptorum conſenſu, ſepultuſque eſt in cœnobio Glaſtonienſi, ut cum Vvillelmo conſentiunt ceteri auctores. Hermannus Eduardi regis Capellanus ei ſubſtitutus, è Rameſberia, ubi Vviltonienſes epiſcopi ſedem habuerant, in alium locum tranſmigrare cupiens, Meldunenſe cœnobium ſedi ſuæ unire tentavit; at repulſam paſſus, in Flandriam unde erat oriundus, ſeceſſit, ibique in monaſterio ſancti Bertini vitam monaſticam amplexus eſt. Verum, tranſacto aliquo temporis intervallo, poſt Alvvoldi epiſcopi Schireburnenſis obitum, in Angliam reverſus obtinuit, ut Schireburnenſis epiſcopatus ſuo Vviltonienſi adjungeretur. Denique cum ex Vvillelmi regis edicto, juxta ſacros canones ſtatutum fuiſſet, ut ſedes Epiſcoporum ex villis ad urbes transferrentur, idem Hermannus jam Schireburnenſis epiſcopus, ſedem ſuam Sarisberiæ fixit: atque exinde, tam ipſe quam ejus ſucceſſores, omiſſis epiſcoporum Schireburnenſium, Viltonienſium aut Rameſberienſium nominibus, epiſcopi Sarisberienſes dicti ſunt, quod hactenus perſeverat. Hæc fuſius apud Vvillelmum capite libri 2. de geſtis Pontificum ſæpius laudato enarrantur.* Obit. Ejus ſedes Sariſberiam tranſlata.

7. *Porro licet ex veteribus ſcriptoribus nobis non innoteſcat, qua die ſanctus Brithvvaldus obierit, ejus tamen memoriam ad* XVII. *Januarii diem revocamus, qui ei in Martyrologio Benedictino Hugonis Menardi, ac in Menologio Bucelini aſſignatur. quo item die Maiheuvius ejus vitæ compendium exhibet in Trophæis Benedictinis Congregationis Anglicanæ. Bollandus tamen ejus memoriam ad diem* XXII. *ejuſdem menſis tranſtulit, eo quod eo die in Martyrologio Anglicano, & apud Ferrarium in Catalogo generali ſanctorum, ſancti Brithvvaldi commemoratio fiat, quamvis iis in locis* Vvintonienſis epiſcopus *dicatur.* Memoria ejus in Martyrologiis.

VITA S. GUNTHERI EREMITÆ.

Ann. Chr. MXLV. Oct. IX.

Auctore Wolfero æquali.

Ex cod. mſ. & Henrico Caniſio.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. BEATI *Guntheri vitam ſcripſit idem ipſe Vvolferus, quem ſupra ad annum* MXXXVIII. *vitæ ſancti Godehardi auctorem eſſe diximus in præviis obſervationibus ad ejuſdem ſancti vitam. Id probatur ex quinque aut ſex prioribus hujus Guntheri vitæ numeris, qui integri ex vita ſancti Godehardi deſcripti ſunt. Nec dicendum eos fortaſſe à poſteriore quodam auctore in Guntheri vitam fuiſſe invectos, cum tota lucubratio ejuſdem ſit auctoris, ut vel ex ſola lectione manifeſtum eſt. Hanc vero è veteri mſ. codice* Vitæ ſcriptor.

ANN. CH. MXLV. OCT. IX.

monaſterii Altaha ſuperioris in Bavaria edidit Caniſius tomo 2. Lectionis antiquæ, quam exinde deſcriptam, & cum alio exemplari, ad nos à piæ memoriæ Georgio Geiſſero abbate ſancti Georgii Vvillingæ tranſmiſſo, collatam proferimus.

Arnolfus comes de eodem ſcribit.

2. Præclarum de Gunthero teſtimonium habemus in eodem Caniſii tomo 2. ex Arnolfo ſcilicet, qui ex Comite monachus apud ſanctum Emmerammum Ratiſponenſem factus, de ejuſdem ſancti Emmerammi mirabilibus duos libros conſcripſit; in quorum ſecundo, cujus maximam partem ſupra ad annum M I. *ubi de ſancto Ramuoldo, dedimus, multa de Gunthero, quem Guntharium appellat, refert, quæ hic ſubjicere viſum eſt, prætermiſſis iis quæ nihil ad rem noſtram conferunt. Sic itaque loquitur:*

Guntheri converſio.

3. Eſt quidam, ut æſtimo, adhuc in hac vita, ſenex religioſus, ex laïco converſus, nomine GUNTHARIUS, qui apud ſæculum aliquando ex rerum copia tumens, & nobilitate generis vaneſcens, exſtitit ſuperbiæ filius, ſed per miſericordiam Dei, poſt factus eſt tam humilis monachus, ut merito non poſſim aut debeam illi comparare ullum noſtri temporis cucullarium, de vanitate ſæculi converſum. Is primum ſub GOTHEARDO Altahenſium abbate, omni patientia & ſubjectione probatus, cœpit deſiderare altioris vitæ callem incedere. Unde & licentia à Patre monaſterii accepta, ſolitariam vitam aggreſſus eſt, ad quam divino adjutorio peragendam, ut ſe ſpiritali cautela probaret, animumque virtutum exercitiis præpararet, montem quemdam petiit, quem à præfato cœnobio, una ferme raſta diſtantem, idioma Theutiſcum RANCINGA jam nominavit, in quo pæne per tres annos conſiſtens, modico victu, ac humillimo habitu, parvaque cella contentus erat. Cujus arduam vitam cum mirarentur nonnulli adventantes cum xeniis, Chriſtum, qui propter nos factus eſt humilis, in ſuo viſitabant ac venerabantur ſervo. Tunc ille timens, ne frequentia populi, & gloriola ſæculi ſibi ſub ſpecie religionis, quid de veris ſurriperet aut minueret bonis, fugiens inde ſeceſſit in eremum, quæ vocatur AQUILONALIS-SILVA, certamen ſingulare in ea contra diabolum viriliter pugnaturus. Qua ut primum conſtitutus Dei famulus, eremiticam vitam ſpiritali conſecravit militia, tentationes varias & multas atque graves perpeſſus eſt; è quibus unam, quæ relatu veraci parvitati meæ in notitiam venit, ad utilitatem legentium, nunc præſcribere tentabo, poſt modicum tempus, vita comite, aliam graviorem ſubſcripturus.

Secedit in eremum.

Vitæ auſteritas.

4. Hiemali atqui tempore, quo ultra ſolitum Noricenſe ſolum eſt immenſitate ſeu nivium denſitate contectum, accidit prædicto Dei famulo quoddam quaſi palæſtrale tormentum... Nam cum pro nimietate nivali, continuis novem diebus, panes illi de monaſterio ſecundum conſuetudinem nequirent afferri, neque aliunde ab ullo hominum illuc poſſent tranſmitti, neque ipſa impediente proxima incolatus novitate, aliquid ibi laboratum haberet, unde alimenta ſumere valeret; trium dierum inedia affectus, quarta die tentare Deum nolens, ex glaciali profunditate nivis, quæ jam excrevit ultra ſtaturam mediocris hominis, cœpit ſilveſtres herbas eruere, ac evellere, & in ollam coquendum mittere. Quibus illa die per ignem & aquam parumper mollificatis, diſtulit prandium uſque in diem quintum, quo exſpectans horam refectionis canonicam, pulmentum quod heſterna die præparavit, denuo coctum refectionis gratia ſibi appoſuit, ſed guſtatum edere non potuit; unde ſemetipſum increpans ait: O Gunthari, ſuperbia tua te non ſinit refici hoc edulio humili. Ubi nunc vaporifera, vel molliſſima ſimila? ubi nunc caprinæ ſpadulæ, ſeu carnes urſinæ? &c. Ergo pro abundantia delicatioris cibi & potus, quibus olim in ſæculi divitiis deditus eras totus, contentus eſto nunc jentaculo pauperculæ refectionis, in nomine Jeſu-Chriſti omnium redemtoris, qui cum dives eſſet, propter te pauper factus eſt, ut tu particeps fieres divitiarum illius. Quid plura? demum ſexta die pleniter gratias agens Deo, corpori quamvis neceſſariam, tamen valde contrariam, cum faginis foliis refectionem accepit; ſicque non ſine magno tumultu & controverſia diverſarum cogitationum, ſeu manifeſta incurſione diabolicarum tentationum, conſolationem divinæ pietatis exſpectavit, &c.

Diſcipulos erudit.

5. Hanc fidem & fidei exercitationem ſubſecuta eſt conſolatio divinæ pietatis, quæ ſufficienter illi panes tranſmiſit... Tunc grates magnificas Deo reddens, qui non dereliquit ſperantes in ſe, quanto ſibi per patientiæ probationem factus eſt notior, tanto aliis in poſterum, exemplo humilitatis & perſeverantiæ, largiente omnium bonorum fonte, exſtitit utilior. Unde factum eſt, ut nonnulli ex clericis ſive monachis, necnon fidelibus laïcis, ab eo & per eum provocati, immo divino inſtinctu attracti, ſub communione orationum ejus atque laborum, in eadem eremo, cujus ipſe ob amorem Chriſti accola eſſe voluit, Regi regum militare cœpiſſent... Contigit ut quidam Presbyter de Saxonum gente oriundus, à domeſticis quoque TAMMO vocitatus, more adventantium accederet, ſub ſpecieque laudabilis incolatus, viri Dei commilitonumve illius converſationi ſe admiſcere tentaret. Quem cum vir Dei partim præcurrente magiſtra experientia Abbati Altahenſium præſentaſſet, & ex more ſecundum Regulam ſancti Benedicti obedientiam promiſiſſet, ſtatim ſub tenore, quam Abbati promiſerat obedientiæ, ſicut & ceteri ad id temporis ſolebant facere, & adhuc ſolent

Digitized by Google

agere qui manent eo loci eremitæ, redditus ſive ſub diligentia ſumma commendatus prædicto ſeni, cum illo repedavit ad ſeceſſum eremi. Qua cum ceteris fratribus ſummo humillime famulantibus, & ipſe juxta inſtituta Patrum, in cella ſibi deputata, aliquantum temporis humilitate perageret comitante, per ſurreptionem cenodoxiæ, adeo repente gravatus eſt maſſa ſuperbiæ, ut non ſolum clandeſtinis muſſitationibus venerando Seni detrahendo, in aures quorumdam commonentium ſuſurraret, ſed etiam manifeſte, in calumniam tanti viri prorumpere auderet, dicens: Quid & quis eſt Guntharius? laïcus atque & idiota, cujus jure contemnitur vita. Cui reſponderunt ſervi Dei, qui forte tunc aderant, & hæc audierant, dicentes: Ut nobis videtur, humilitas quæ cuſtos eſt virtutum, longe receſſit à tua mente, & ſuperbiæ monſtrum manifeſte te invaſit, quod Babylonicam turrem procaciter filios pravæ confidentiæ olim ædificare perſuaſit, & de viro Dei, tam nefanda tibi modo ſuggeſſit? Ipſe procul dubio primum huic eremo invexit vexilla crucis Chriſti.. Eſt quoque iſte vir magnæ auctoritatis, qui jam in ſenectam & ſenium venit, optime parendo divinis mandatis. Quibus ille arroganter reſpondit, inquiens: Auctoritas quoque illius mihi pro minimo eſt, quia nihil omnino valet. Seorſum quidem mihi manendum, & Chriſto, qui dedit noſſe & poſſe, in ſpeciali cella, haud ſub Guntharii cenſura, erit meapte libero animo ſerviendum. Quid plura? Sequeſtratus idem Preſbyter aliquot diebus ab illis quos deſpexit, à ſubverſore miniſtratas quaſdam vidit viſiones, immo fantaſias aſpexit, quibus adeo elevatum eſt cor ejus, ut humili ac ſimplici voto minime contentus, majora ſe quæreret, id eſt, miracula expeteret. Unde accidit ut intempeſtæ noctis, qua ſanctæ Agnetis feſtivitas celebratur à Chriſtianis, orationi aliquantulum incumbens, primum delectabilem, poſt modicum vero lacrymabilem, auditu vocem hauriret, oculiſque viſionem videret. Audivit ergo in primis harmoniam, nec non quaſi duos choros virorum & feminarum procul concinentium, & alternatione vicaria, ut audiebatur, pulcherrime ſibi reſpondentium, donec paullatim cum incremento ejuſdem cantilenæ, atque coruſci luminis augmentatione, uſque ad ſe venirent. Tunc humani generis inimicus, qui teſtante apoſtolo Paulo, transfigurat ſe etiam in Angelum lucis, cum tanto fulgore ſe illi præſentavit, ut nihil minus putaretur quam diabolus. Cumque Preſbyter eum intueretur diutius, & miraretur ſuper pulcritudine ejus qui apparuit, dixit ad eum: Videſne quod ſim Chriſtus? quare non adoras me? Noli dubitare, cum ad hoc venerim, quatenus tibi dicam quæ te oporteat facere. At ille, quem præſtigia jam deceperant diabolica, dixit: Si filius es Mariæ, ecce te adoro. & procidens adoravit eum, penitus oblitus illius reſponſi, quod in Vita Patrum ſenem cautiſſimum ſuper hujuſcemodi tentatione legebat dediſſe. Ibi enim eſt ſcriptum, quia quidam ſenex pari modo à diabolo ſit tentatus, ſed divina clementia ſervum ſuum vallante, mox tentator quis fuerit paucis verbis ſit deprehenſus. Nam cum ſeni diu tacenti perverſus diceret, Ego ſum Chriſtus, quare tardas me adorare? reſponſum accepit ab eo: Si tu Chriſtus eſſes, nullatenus à me peteres hoc obſequium tibi modo impendi, quod ſemper in quantum valui, vero Chriſto Domino meo humiliter exhibui, &c.

Ann. Ch. MXLV. Oct. IX.

E quibus unus ſuperbus.

Viſione falſa decipitur.

6. De cetero ſi in prædicto fratre humilitas Chriſti regnaret, numquam ſuperbiam diaboli cadens adoraret. quod in ſequentibus evidentiſſime liquebit. Nam poſtquam peſſime adoravit, antiquus hoſtis ei aliud vulnus inflixit, pariter & dixit: Antichriſtus jam in Judæa regnat, necnon Elias & Henoch ibi prædicant; cum his quoque ab Antichriſto interficiendis, pro confeſſione mei nominis, in anno præſenti, martyrio coronandus eris. Sed antequam illuc tendas, oportet te omnia, quæ in hujus provinciæ cœnobiis emendatione ſunt digna corrigere, & multis verbum veritatis prædicare. At Preſbyter novarum rerum cupidus infit: Quod ſignum dabis mihi, quo certus efficiar, me quæ dixiſti facturum? Cui ſeductor reſpondit; Non unum ſignum tibi dabitur pro certitudine, ſed tria facturus es hodie ante tertiam horam diei, ſcilicet unum in Guntharii ſiniſtro oculo, quem pæne ob ægritudinem perdidit; alterum in fratre, qui jam per multos dies infirmat, & eſt cæcus, cui nomen Remigius; tertium in eo qui dicitur Razo, quem inimici ſui cæcaverunt, atque mancum fecerunt. Inſuper pro ſigno certitudinis, habeto ſandalia quæ in proximo reperies, poſita quadam ſub arbore cava, quibus præcipio ut poſthac utaris in celebrandis Miſſarum ſollemniis. Quid multa? His ita homini ſuperbo diabolica fraude perſuaſis, & inter arbuſta pone domicilium, in quo vagabundus manſit, conſita, quaſi quodam aſcenſu pariter & deſcenſu demonſtrato, cum aliis inextricabilibus fantaſiæ portentis, in ipſo crepuſculo lucis, præfatus Preſbyter propriam & ſingularem deſerens cellam, ſub inani ſpe diabolicæ pollicitationis, domini Guntharii petiit caſam. Quem cum videret venerabilis heros, ſuper repentino ejus adventu obſtupeſcens & admirans, utpote qui ſuperbia imperante, ab eo ſequeſtratus erat, ſibique velut litteras neſcienti, peritiæ ſuæ ſupplementum maligna voluntate ſubtraxerat, nihil dicere volens conticuit. Tunc qui vana gloria tumidus advenerat, ſub ſpecie religionis, ad reverendum ſenem dicebat: Non ignoramus quia juxta inſtituta Patrum, niſi vocati de cella egredi, & huc venire minime debueramus: ſed humi-

Digitized by Google

Ann. Ch. MXLV. Oct. IX. litatis noſtræ adventus, ex præcepto Domini noſtri Jeſu-Chriſti eſt vobis & aliis valde neceſſarius. Cui ſenex Spiritus munimine protectus dixit: Unde vobis hoc, aut quando Dominus Chriſtus fraternitati veſtræ nova dedit præcepta? At ille reſpondit, Hac nocte. Et dicit ſenex, Quæ? Reſpondit Presbyter: Ut in monaſteriis Norici regulares obſervationes corrigam, & renovem; atque populis late verbum Dei prædicem, necnon infirmitate ſanata, duobus fratribus, Razoni ſcilicet & Remigio viſum reſtituam, oculoque tuo, jam per plures annos doloribus turbato, claritatem luminis reddam. Quæ verba cum ſenex audiret per os Tammonis prolata, occurrit jactantiæ ejus dicens: Crede mihi, Guntharius mallet ambobus oculis carere, quam per illius conceſſionem videre, qui tibi hæc fallaciter promiſit. Nihil verius quam te diabolica arte circumventum, & omnimodis eſſe deluſum. Cui ſententiæ qui advenerat Presbyter, ſubnectit frivola, dicens: Si ante hanc proximam hujus diei tertiam horam non fecero quod dixi, nolite credere mihi. Et vir Dei ait: Veritas in quam credimus, hodie patefactura eſt tibi, & nobis omnibus, quia pater mendacii tuam decepit arrogantiam. Tum Presbyter ſe ſubducens obtutibus ſenis, & perſiſtens in pertinacia obligatæ mentis, in eccleſiam duxit ſecum fratrem cæcum, quaſi oraturus pro eo, ut viſum reciperet à Domino. Sed cum diu eſſet oratum, & lumen quod petebatur non foret datum, protraxit fruſtra tentatam vanitatis gloriolam pæne uſque in ſextam horam.

Reſipiſcit. 7. Tunc undique horrore & terrore circumdatus, & non ſine grandi confuſione conturbatus, feſtinus dominum Guntharium adit, & in faciem procidens, cum lacrymis ad eum dixit: Niſi me preces tuæ, ô venerande Pater, magnifice adjuverint, & orationes aliorum Dei ſervorum de puteo interitus me eruerint, certo certius ſcio, quia peccatis meis facientibus, Chriſti ſervus deſii eſſe; quod ille me ſibi in ſervum proprium poſt hinc vindicabit & poſſidebit, quem totius nequitiæ miniſtrum, heu heu me miſerum, adoravi pro Domino dominorum. Ad hæc dominus Guntharius ſpiritalibus armis accinctus, reſpondit: Petrus princeps apoſtolorum, ad quem ipſa Veritas dixit: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam; ter negavit Chriſtum optimum Magiſtrum. Sed poſtquam Dominus in eum reſpexit, & amare flevit, remiſſionem accepit per eum, qui ſolus compati novit infirmitatibus noſtris, in miſerationibus ſuis magnis & multis. Proinde caſu tuo non debes gaudium plenum facere diabolo, in hoc ut cadas in diffidentiam; ſed magis quære humiliter omnipotentis Dei clementiam, quam nulla mortalium ſuperant delicta. Cumque Presbyter poſt admonitionem ſenis, novi lapſus mærore adhuc conſternatus proxime ad horam divini ſervitii veniens, collectæ fratrum ſe inibi conſtitutæ admiſcere tentaret, atque pſalmodiæ aliquantiſper cum eis inſerviret; antiquus hoſtis cœpit ei acriter inſtare, nec non manifeſte illi moleſtus eſſe, dicens: Quæ legis & cantas, de me ſcripta, mea ſunt: tu velis nolis poſt hinc permanebis meus, quia totus es in ditionem libitus mei redactus. noli falli, neque per Guntharii vanam & falſam ſuggeſtionem decipi, nemo te rapiet de manu mea.

Difficile curatur. 8. Ab illo die Presbyter prænominatus, periculorum pondere gravatus, etſi ſe pœnitentiæ daret arctiſſimæ, nullatenus novum & antiquum hoſtem avertere potuit, quin ei omnibus horis nimie infeſtus fuerit. Unde factum eſt, ut dominus Guntharius boni conſilii virum abbatem ſcilicet Altahenſium, nomine Ratmundum, advocaret, ipſeque ſecum aſſumto Patavienſi pontifice, ſuper hujuſcemodi re quæſtionem habiturus adveniret. Cumque Epiſcopus cum Abbate & domino Gunthario clanculum ſermonem faciens, lapſum ſacerdotis audiſſet, & eum diabolica illuſione deceptum animadvertiſſet, unde hoc grande malum acciderit, prudenter tractans dixit: Ecce factum eſt in iſto fratre, quod præmiſſum legimus in Evangelica veritate: Qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur. Proinde neceſſe eſt proviſum iri, ut exaltatio peſtifera, quæ per ſuaſionem diabolicam hominem miſerabiliter dejecit, Chriſti humilitate medicinali mirabiliter ſananda in robur fidei erigatur, ac ſic in viam ſalutis æternæ dirigatur. Tum epiſcopus ex auctoritate ſacrorum Canonum, juſſit lapſum fratrem ab officio ſacerdotali ceſſare uſque ad ſatisfactionem, utiliſque conſulti taxationem. Quid plura? Poſtea quoque diabolica infeſtatione monachum eumdem nimium confundente, atque diurnis, nocturniſve tumultibus, ſeu acclamationibus, etiam in ſervitio Dei deterrente, miſſum eſt circumquaque ad Patres & fratres, ut communi oratione, ſingulari & medelifera clandeſtina ſacrificii ſalutaris oblatione, à miſericordiſſimo Domino veniam peterent caſui fratris infirmi. Cumque à nonnullis benigne fuiſſet oratum, & maxime à domino Gunthario, ante conſpectum divinæ Majeſtatis pro eo eſſet laboratum, utpote qui omnibus horis, titubanti atque nutanti manum conſolationis porrexerat, necnon benignum Jeſum, certiſſime ſibi miſerturum promiſerat; tandem poſt menſium ſex evolutionem, qui à peſſimo profligatore impugnabatur, levamen ſentiens remedium accepit. Cujus valde neceſſario fomento refocillatus, jam octavum agit annum, ſub exercitamento ſummæ humilitatis, obedientiæ atque abſtinentiæ.

9. Hoc ſuper omnia mirum, quod ipſe auribus meis ab ore ſenis accepi, atque ab eo

Digitized by Google

quadam ſacræ lectionis familiari collocutione vix extorſi. Nam cum prædictus Presbyter in anguſtia maximæ tentationis conſtitutus, ad ſenem ſæpius curreret atque recurreret, necnon queruloſa voce clamitaret, Non poſſum ſubſiſtere, nequeo perdurare, ora pro me homo Dei. dixit ſenex, Confido in benigno Jeſu, quia liberabit te, tantum tu patiens & conſtans eſto, &c. Subjunxit tentatus: Utinam mihi fiat ſecundum verbum tuum. Sed valde timeo tentationis periculum, quod mihi miſero ingruit ultra humanum modum. nam in ipſa orationis hora, quando ad laudem Dei os aperio, adverſarius mihi videtur, quaſi rapacitatem ſuam intro in ventrem mittere uſque ad cor, vimque cordis tollere, ac ſenſus meos prorſus extrahere, & memetipſum mihimet alienum facere. Super hæc omnia jactat ſe ſcire meum totum noſſe, velle & poſſe. Reſpondit ſenex: Ne hæſites in fide ex adjutorio divino de ſupernis tempeſtive mittendo, quod quamvis ad tempus differtur, tamen non aufertur. Diabolus omnino poteſtatem non habet nocendi & fatigandi te, niſi permiſſus à Deo; Deus autem numquam iſta fieri permitteret, niſi te humiliare vellet. Interdum enim amator hominum ſimulat ſe neſcire quæ patimur, ſed tamen frequenter præſtabit, unde miremur. Noli frater deficere, ſed ſecundum Apoſtolum ſta in fide, viriliter age, & confortare in illius nomine, qui novit ſolus fragilitatem humanam ſanare. Quod autem queſtus es diabolum ſe jactaſſe de ſcientia tuæ voluntatis & poſſibilitatis; ipſe quod bene noſti, contra hanc luctam ſufficit tibi, hoc eſt, quod diabolus ab initio mendax fuit, & filios diffidentiæ ad inſanabilem internecionem detrudit.

Ann. Chr. MXLV. Oct. IX.

Stupenda tentatio.

10. His dictis extemplo affuit ſatan in præſentia ſenis, perturbans tentatum fratrem, & dicens: Guntharius non ſolum nunc mendacium locutus eſt, ſed ſæpius mentitur, & te fallere nititur, inſuper & gracile & ſubtile pellicium operoſe quærit ac diligit. Cumque conviciis appeteret atque laceſſeret ſenem, ſenex timens ne forte protervitas diaboli animum fratris mitteret in deſperationem ſalutiferi boni, prorupit, & dixit: O inimice Dei & hominum, ſuperbia tua & mendacium tuum tecum in æterna perditione maneant. Nos autem qui non ſolum ovinis & caprinis pellibus utimur; verum etiam ſimplicitate & humilitate, quæ in eiſdem ſignificantur, perfruimur, per eum qui dilexit nos, te peſſimum lupum facile ſuperabimus, Chriſtique virtute tuam virtutem calcamus. Crede peccatori Gunthario, quia frater, quem permiſſione Dei crudeliter ad tempus inſectaris, te invito liberabitur & ſalvabitur gratia Chriſti filii Dei vivi, qui in hunc mundum venit Filius hominis, quærere, & ſalvum facere quod perierat. Poſt hæc & ejuſmodi certamina, aliaque quam plurima nequitiæ ſuæ, in tentatum fratrem nequiquam vibrata jacula, miſeratione divina, diabolus eſt ita fugatus, ut calamitoſis clamoribus, & querelosis lamentationibus diſcedens, manifeſte nolens innoteſceret, quantum doluit & adhuc dolebit, ſe victorem hominis ab homine victum.

11. *Hanc Arnolfi narrationem omittere non licuit, tum quod ea quæ narrat ex ipſo Guntheri ore acceperit, ut ipſemet atteſtatur, tum quod non habeantur in vita quam Vvolferus deſcripſit. Præterea nonnulla hic occurrunt notatu digna ad rem monaſticam, ut cum refert Eremitas, antequam in eremum reciperentur, ſolitos fuiſſe abbatem Altahenſem adire, ac profeſſione ſecundum Regulam ſancti Benedicti emiſſa, ſtatim ſine ulla mora ex monaſterio ad eremum reverti. Id etiam obſervatione dignum videtur, Guntherum laicum & illiteratum aliis eremitis, immo & ſacerdotibus præfuiſſe; ſed præ ceteris adtendendum eſt ad illud ſtupendum ſuperbiæ exemplum, unde diſcere licet quam forti vinculo vitium iſtud homines diabolo annectat, ut poſt multos & graviſſimos pœnitentiæ labores, ſacerdos jugum diaboli, quod ex ſuperbia ſubierat, vix potuerit excutere.*

12. *Neque omittere licuit quod Carthuitius in vita ſancti Stephani Hungarorum regis de noſtro Gunthero habet, eum nempe ſancto Regi auctorem fuiſſe, ut monaſterium* Beel *inſtitueret. Ea de re audiendus eſt ipſe Carthuitius, qui de eleemoſynis à Stephano erogatis loquens, ſic proſequitur*: Ejus rei permulti ſunt teſtes, atque in iis beatus Guntherus, ex ſæculari nobilitate converſus, & eremita atque monachus effectus, cum illo nunc beatæ vitæ particeps. Is humaniſſimi Regis tanta liberalitate, è Boëmiæ regione crebro ad illum venire ſolebat. Quoties autem ſua præſentia ejus aulam illuſtraret, curam regni ei demandabat Rex. Tum ille rebus quas in aula inveniſſet, in peregrinos, egenos, viduas, pupillos, cœnobia, & eccleſias erogatis, brevi illam exinaniebat. Ad ejus quoque nutum, Rex Deo devotus monaſterium quod Beel vocant, inchoavit, bonis omnibus illud locupletans. *Hæc Carthuitius.*

13. *Guntheri obitum ad annum* MXLV. *referimus ex vitæ ſcriptore, quem ceteri deinde auctores ſecuti ſunt, præter Lambertum Schafnaburgenſem, qui Guntheri mortem anno* MXLVII. *neſcio quo pacto conſignavit. Nomen ejus in Martyrologio & Menologio Benedictino inſcriptum eſt; ſicut & in Catalogo generali Sanctorum Philippi Ferrarii. Ejus quoque meminit Cardinalis Baronius ad annum* MXLV. *Scriptores vero Germanici ejus ſanctitatem paſſim in ſuis ſcriptis prædicant. Ceterum monaſterium* Rinchnac *à Gunthero conditum Altahenſi cœnobio ſemper ſubjectum fuit, ab eoque tribus milliaribus diſtat, ut aſſerit Stengelius in Monaſteriologio Germa-*

Guntheri obitus.

Digitized by Google

Ann. Chr. MXLV. Oct. IX.

nico. Eidem multa bona contulit ſanctus Henricus imperator, rogatu ſponſæ ſuæ Chunegundis, Bennonis Auguſtenſis epiſcopi & aliorum præſulum, qua de re exſtat diploma Imperatoris apud Gretſerum in libro de Divis Bambergenſibus, poſt ſancti Henrici vitam, quod hic ſubjicere viſum eſt integrum.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, HEINRICUS divina favente gratia Rex. Plantationis cujuſque ſurculus trunco viridi imputatus, quanto ſæpius aquis circumfuſis irrigatur, tantò citius ramis creſcentibus in arborem erigitur. Eccleſias igitur Dei comparationi eidem nos recompenſantes ubicumque locorum noviter plantatas, ſi bonis noſtris aliquanto benignius adhibitis ſublevamus, tanto eas citius in divina laude feliciter excreſcere, tantoque nos firmius imperii noſtri culmen ſtabilire fideliter confidimus. Quapropter Dei noſtrique fidelium univerſitati notum volumus, qualiter nos ob interventum ac petitionem dilectæ conjugis noſtræ CHUNIGUNDÆ imperatricis auguſtæ, & BRUNONIS Auguſtenſis eccleſiæ præſulis, & ceterorum fidelium noſtrorum, EBERHARDI Ratiſponenſis, BENNONIS Patavienſis epiſcoporum, ad eccleſiam ſitam in eremo, quæ vocatur Nortvvald, à GUNTHERIO monacho, & inibi primitus eremiticam vitam ducente conſtructam in honore victorioſiſſimæ Crucis, ſanctæque Dei genitricis Mariæ, necnon beati Johannis Baptiſtæ, in uſum fratrum ibi Deo ſub regula ſancti Benedicti ſervientium, quicquid habuimus à fonte aquæ, quæ vocatur Leipfliuſa, uſque ad locum qui vocatur Svvartahvvinchil; & inde uſque ad montem, qui vocatur Ekkiriſchbuch, & ita uſque ad aquam, quæ vocatur Forchenbach, & inde ad Holerenberch uſque dum venias Plechentenſtein, & inde ad Grachenbach & ſic ad fontem ipſius aquæ, & ita per aquam quæ dicitur Flinſbach, & hinc ut ſubterminatum eſt ad flumen Regin, & per deſcenſum Regin fluminis uſque in illam * Piberach, quæ duarum Piberach media interfluit, & ſic ſurſum per eamdem Piberach uſque ad lacum qui eſt in monte Hadavvich, & inde per decurſum aquæ quæ vocatur Sebach, & ſic inde, ut modo terminatum eſt, uſque ad locum, ubi Kelbirbach cadit in album Regin uſque in Affaltresberch, & inde ad magnum lapidem, qui ex orientali plaga prope ſtratam jacet, quæ Bavvariam tendit; & ſic per ſtratam uſque ad nigrum Regin, & ſurſum per eumdem fluvium ad locum ubi interfluit aqua Fladinz, & inde ad fontem ejuſdem aquæ, & ita uſque ad Nauffinna, cum omnibus utenſilibus, cum areis, ædificiis, agris, terris cultis & incultis, pratis, paſcuis, ſilvis, venationibus, aquis aquarumve decurſibus, piſcationibus, molis, molendinis, viis & inviis, exitibus & reditibus, quæſitis & inquirendis, ſeu cum omni utilitate, quæ ullo modo inde provenire poterit, per hoc noſtrum præceptum in proprium donavimus atque confirmavimus; ea videlicet ratione, ut nemo ulterius abſque ejuſdem cellæ proviſoris ſuorumque ſucceſſorum licentia, poteſtatem habeat novalia faciendi, piſcandi, aut ullo ingenio feras decipiendi, aut qualibet poteſtate infra præſcriptum terminum exercendi. Et ut hæc donationis noſtræ auctoritas ſtabilis atque inconvulſa omni permaneat ævo, hanc chartam inde conſcriptam, ſubtuſque manu propria roboratam, ſigilli noſtri impreſſione juſſimus inſigniri. Data VII. Idus Junii Indict. VII. anno Domini MIX. anno vero domini Heinrici ſecundi VIII. Actum Merſeburg. in Dei nomine feliciter.

* villam.

INCIPIT VITA.

Guntheri patria ac parentes.

1. REGNANTE piiſſimo imperatore HENRICO hujus nominis ſecundo, cum beatus GODEHARDUS Altahenſe cœnobium regeret, fuit in Turingiæ partibus quidam vir nobilis, dignitate & meritis illuſtris, nomine GUNTHERUS, qui pro delictis juventutis ingemiſcens, & conſiderata diligentius actuum ſuorum qualitate, faciem Domini in confeſſione præveniens, Herſveldiam, ad eumdem beatum Godehardum abbatem, noviter eidem eccleſiæ ab ipſo Imperatore præſtitutum, digne, ut poſtea patuit, pœnitendo acceſſit, eique omne ſecretum cordis ac voluntatis ſuæ funditus aperuit. Quem Abbas juſte in Deo immoratus, blanda conſolatione, & condigna etiam proviſione, pœnitentem ſuſcepit, & ad monachicam uſque profeſſionem ſaluberrima ſui commonitione, Domino cooperante, convertit. Qui propriæ diffidens imbecillitati corporis & animi, ad penitus abdicanda quæcumque ſunt ſæculi, multiplicem ſuæ hereditatis proprietatem, quam acceperat à progenitoribus, ſancto Vvigberto, cum conſenſu heredum ſuorum, firma traditione totam delegavit, ſub teſtibus tamen primitus teſtamento pactus, ut monachus factus, monaſterium quod Gelinge dicitur, victus & veſtitus gra-

S Godehardum adit.

Bona dimittit, aliquo ſibi reſervato.

tia

tia ipſe poſſideret, ac Fratribus illic Chriſto ſervientibus ſecum inde neceſſaria provideret. Sanctus Abbas prudenti pertractans conſilio hujuſmodi noviter converſo talem pactionem in via mandatorum Dei maximo futuram eſſe periculo, & plus inde per dies animæ naſci diſpendium, quam corporis, ut putabat ſubſidium; interim illum provida mente ab incœpto ſuſpendit, & laïco habitu adhuc uſum ad Altahenſe monaſterium ſecum perduxit. Ann. Chr. MXLV. Oct. IX.

2. Ibidem vir prudens prædictus Guntherus cordetenus compunctus, petiit ab Abbate, ut ante profeſſionem liceret ſibi Romam petere, & Apoſtolorum Chriſti, & aliorum ſanctorum interceſſionem pro tranſactæ vitæ deviis, & pro novæ viæ ingreſſu quærere. Quo permittente ivit & rediit, tandemque ante altare ſancti [a] Mauricii cingulum deponens, caput & barbam totondit, & facta de more petitione ſuſceptus, ac aliquamdiu regulariter probatus, ab eodem Paſtore monaſticæ vitæ habitum eſt adeptus. Verum poſt votum profeſſionis, non immemor ſuæ, quam præſcripſimus, pactionis, adiens abbatem Godehardum, petiit licentiam patriam repetendi, & locum quem pepigerat juxta conditionem incolendi. Quod pius pater Godehardus interim conſenſit, nolens cum obſtinata contradictione ab effectu quamvis iniquo prohibere, donec ratione dictante, illicita cupientem animum paullatim poſſet mitigare. Venienti igitur ad locum Gelinge dictum, & diſponenti neceſſitates ibidem commanentium, ex occultis tentationibus tentatoris & inſidiis, Deo, ut certe credimus, ad exemplum beati Job permittente, multa & varia ei occurrerunt incommoda, pro quibus, dum ipſe, ſcilicet antea paupertatis ac laboris inſolens, ad Abbatem ſæpius quæritando confugeret, ejuſque pro talibus conſilium, & auxilium anxie perquireret, ſollicitus Pater fluctuationem mentis ejus profunde proſpiciens, ſubſecuturam forte cordis mutabilitatem vehementer pertimeſcens, blanda interdum conſolatione & ſuaviloqua commonitione mæſtitiam cordis ejus mitigarat. Interdum vero, juxta Apoſtolum, arguendo, obſecrando, increpando oportune & importune nutantem animum ejus caſtigans, ad viam ſalutis eum reducere ſtuduit; qui tamen adhuc modicum profecit.

Poſt iter Romanum fit monachus.

Gellinge multa patitur.

3. Sed cum in hac altercatione ſæpius luctarentur, & in hujuſmodi moleſtia ambo crebrius fatigarentur, illi iterum quamdam ſuæ ſollicitudinis querelam ſuggerenti, vir Dei debito juſtitiæ zelo permotus, turgente, ut aiunt, pulmone reſpondit, ut aut in promiſſa obedientiæ ſtabilitate Deo devotus ſerviret, aut certe ad ſolitam ſæculi vanitatem laqueis iterum ſatanæ irretitus abjecto habitu rediret. Ad quam vocem ſtupefactus auditor intremuit, & erroris ſui nimietatem ſero tandem perhorreſcens, ingemuit. Sed & hanc cauſam pio imperatori Henrico per ordinem Abbas totam ſecretius inſinuavit, ipſumque adjutorem ad corrigendum talem hominem corrogavit. Quem confeſtim Princeps ad colloquendum clementer evocans, per ſemetipſum convertit, & ex Evangelicis vel Apoſtolicis regularibus præceptis inſtruere cœpit, nullum poſſe duobus dominis ſervire, nec monachum ad ſæculum, ut canem ad vomitum, reverti debere. His & aliis hujuſmodi præcautionibus tandem in Chriſto vere compunctus, vir memoratus omni prædicta pactione cordetenus oblita, & tota cujuſcumque incommodi querimonia abolita, ad Altahenſe monaſterium, ubi tunc ſub ejuſdem Patris cura, ut in gratia omnium loquar, ſingulare divini cultus ſtudium fervebat, ſe contulit; & illic fratribus humillime ſubjectus, & in ſacræ religionis diſtrictione pleniter in brevi tempore, divini

Correctus reſipiſcit.

[a] In vita ſancti Godehardi, ubi eadem referuntur, aliquot codd. habent, *ante altare ſancta Maria*. videtur tamen retinendum ſancti Mauricii nomen, in cujus honorem Altahenſe monaſterium conditum eſt, quamvis id fieri potuerit in oratorio beatæ Mariæ.

Digitized by Google

ANN. CH. MXLV. OCT. IX.

roris infuſione inſtructus, ultra regulare præceptum ſemet Prælatis admirantibus afflixit.

S. Stephanum adit.

4. Cumque in auſteritate vitæ perſeveraret, & exemplo ſuo quamplures ad viam veritatis incitaret, veluti lucerna ſuper candelabrum poſita, fama ejus bono odore reſperſa, ad aures beati Stephani regis Ungarorum, ipſius venerabilis viri cognati, emanavit, cujus animum magno dilectionis incitavit amore, ut hunc facie ad faciem videret, quem ſic de virtute in virtutem proficere frequens fama prædicaret. unde factum eſt ut ad ipſum nuncios dirigeret, & ut ad eum venire non recuſaret, omni ſtudio poſtularet. Vir autem Domini converſionis ſuæ non immemor, hæc ſibi minime licere reſpondebat, quæ Rex pius poſtulabat. His Rex auditis, majoris inflammatur caritatis amore, & velut antea nuncios direxit. Sed ille ſe venire etiam ſecundo denegavit. Tertio itaque poſt illum veluti primo, ſecundo transmittebat; & ut ipſius petitioni aſſenſum præberet humiliter poſtulabat. Igitur ſanctus Guntherus Regis tandem victus precibus, ejus petitioni licet invitus [a] annuit, & accepta Abbatis & fratrum benedictione, cum tranſmiſſis legatis pariter & ipſe ad Regem pervenit. Rex autem viſo ſancto Gunthero, gaviſus eſt, & quomodo hunc artius veluti juſtum & ſanctum diligebat, circa ipſum majorem diligentiam habere ſatagebat.

Carnes edere recuſat.

5. Factum eſt autem dum hora prandii ſanctus Guntherus menſæ Regis pariter conſediſſet, Rex ſibi pavonem aſſatum appoſuit, & ut carnibus veſceretur intime flagitare cœpit. Sancto autem viro ſub regulari converſatione degente, & hujuſmodi cibis abſtinente, penitus contradicebat, & illicitis cibis ſe contaminari nolle aſſerebat: cujus voluntati Rex non minus reſiſtebat, ut appoſita manducaret, non ſolum rogando, verum etiam præcipiendo laborabat. Quidnam facere poterat? Præcepto Regis ſe obtemperare promittebat, ſed in divino adjutorio fiduciam retinebat. Quapropter factum eſt, ut inter prandentes hic ſolito more orationi inſiſteret, caput manibus inclinaret, profuſis lacrymis, ne illicitis cibariis pollueretur, divinam clementiam implorabat. Mira res atque ſtupenda! completa Dei famulus oratione, caput de manibus elevabat, avis aſſata menſæque ſuperpoſita reddita vitæ priſtinæ devolabat, & ab ejus uſu gratia divina virum liberabat. Quo viſo cuncti miraculo inaudito, Deo gratias referebant, nec amplius ſancti viri voluntati reſiſtebant.

In eremum ſecedit.

6. Sed Dei famulus plus appetens mala mundi perpeti, quam laudes; pro Deo laboribus fatigari, quam vitæ hujus favoribus extolli; deſerti loci receſſum, cum aliquantis ſibi de Altach cohærentibus in quodam [b] ſaltu Boëmico, de permiſſione ſui abbatis domini Godehardi petiit; ibique cellulam in honore ſancti Johannis-Baptiſtæ conſtruxit, & ipſum locum Rinchnach proprio nomine appellavit, in qua ad XXXVII. annos in ſtudio ſanctæ Religionis, & in ſumma diſcretione paupertatis ſpontaneæ cum ſibi remanentibus vixit. Annona denique erat varia, ubi de potu & delicioſis cibis nihil erat, & ubi non niſi ſola aqua habebatur, & ipſa etiam hoſpitibus ad ſufficientiam, fratribus vero ad menſuram dabatur. Litteras omnino, niſi tantum pſalmos aliquos non didicit: & tamen omnem rationem, & intellectum Evangeliorum, Legis & Prophetarum, Hiſtoriarumque ex crebra fratrum relatione & avidiore verbi Dei auditione mirabili-

S. Scripturam ſine libris ediſcit.

[a] Ait Carthuitius in vita ſancti Stephani, Guntherum ſæpius ad beatum Regem acceſſiſſe, ut in Obſervationum num. II. annotavimus.

[b] In diplomate ſancti Henrici, eccleſia dicitur conſtructa *in honore victoriosiſſima Crucis, ſanctaque Dei genitricis Maria, necnon beati Johannis Baptiſta*. Ceterum hujus ſeceſſionis tempus diſcimus ex noſtro Chronico Saxonico mſ. ubi ad annum MVIII. habetur: *Guntherus monachus Altahenſis, ſancta converſatione in monaſterio probatus, eremita eſt effectus.* Idem ipſe ni fallor, ad annum MXI. ubi *venerabilis vir Guntarius monachus* dicitur, pacem cum Bardone Moguntino epiſcopo Bohemiam cum regis Henrici exercitu devaſtante iniit.

Digitized by Google

ter percepit: adeo ut ſæpiſſime obſcuriora myſticæ intelligentiæ, interdum ſubridendo, interdum vero admonendo ſtupentibus auditoribus proferret. Quod nos quidem, qui eum familiarius cognovimus, frequenter audivimus, præcipue tamen cum in ſumma ſua feſtivitate adeſſet in cella, quam ipſe in honore beati Johannis-Baptiſtæ conſtruxerat, ſpecialis ſui patroni, ſermonibus ejus affuimus, quo in Capitulari collatione eodem die fratres ſuos admonebat, dum eos de ejuſdem patris, beati videlicet Johannis vita & moribus, victu & etiam veſtitu ac operibus, ad paupertatis ſub Deo placitam tolerantiam inſtruebat. Verum enim dico, & coram Deo non mentior, quia omnes pæne qui aderant eidem ſermoni, ad uberrimam lacrymarum effuſionem dono Dei ſunt compuncti. Aſſedit & ibidem venerabilis [a] Ratmundus abbas cum plurimis ſui cœnobii fratribus, & aliis inſuper multis hoſpitibus, præter nos, quos in Canonico habitu illuc ingredi religio vetuit; quos tamen familiaritas & maxime Abbatis licentia, circumquaque ad feneſtras, ignorante concionatore, clanculo collocavit. Erat enim, ut de ſancto Benedicto dicitur, quem poſt Dominum vita & moribus ſequebatur, ſcienter neſcius & ſapienter indoctus.

Ann. Chr. MXLV. Oct. IX.

Greg. M. Dialog. lib. 2.

7. Hæc itaque breviter diximus de honeſtate morum & converſione nobilis viri Guntheri, quantumque per pœnitentiæ ſatisfactionem Domino complacuerit, quæ nobis ad imitationem boni exempli ſufficiant. Ecce enim camelus depoſita gibbi ſarcina, anguſtum foramen acus penetravit, ipſum ducente, cui omnia poſſibilia ſunt, & nihil difficile, quique eſt mirabilis in operibus ſuis, maxime in miſericordiis, neminem propter enormitatem ſcelerum deſerens, omnia diſſimulat propter pœnitentiam peccata; una hora convertens impium, ſanctum facit; cujus virtute caput antiqui hoſtis pugnando contrivit Chriſticola Guntherus. De virtutibus vero hujus venerabilis viri quibus adverſarium ſuperavit, vel quas ejus inſidias pertulit, nulli compertum habetur, eo quod multo tempore hominibus incognitus manſit. qui tamen licet locum mutaverit, hoſtem non mutavit, nullique dubium, quia quanto magis in ſpiritualibus profecit, tanto plus acriora certamina toleravit. Igitur quanti meriti vir iſte ſit, per lapidem miratur, in quo dum in vaſta eremo ſolitarius Chriſto militaret, poſt laborem quieviſſe, quantitas membrorum ipſius, veluti in molli ſtrato quieſcentis, nunc uſque apparet impreſſa. Et quid dicimus? nam ſicut ad roborandam fidem credentium, Petri apoſtoli veſtigiis fluenta maris Chriſti pietas ſolidavit; ſic ad declaranda famuli ſui Guntheri merita duritiam ſilicis in mollitiem ipſius membri ſtravit: ut ex hoc clareat, quanta ſuavitate in cælis animam ejus pius Judex remunerat, quem ad ſectanda ſua precepta miſericorditer inflammavit.

Lapis in quo quieſcit emollitur.

8. Attollamus igitur mentes noſtras ad imitanda ſanctorum exempla, ut dum eorum geſta laudamus, nos ipſi probabilem vitam ducamus, juxta quod Pſalmiſta admonet dicens: *Quærite Dominum, & vivet anima veſtra.* Et iterum: *Accedite ad Dominum, & illuminamini; & facies veſtræ non confundentur.* Tunc etenim facies noſtræ in die judicii non confundentur, nec terribilem ſententiam, Ite maledicti in ignem æternum, audiemus, ſi toto corde ad eum accedentes, prava fugere, hujus mundi inquinamenta devitare ſtuduerimus: atque ab omnibus peccatis per pœnitentiæ labores expurgati, cum ſanctis & electis audiemus à priſtino judice, Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Ad quod regnum ipſe Dominus invitat, cum dicit in Evangelio: *Si quis mihi miniſtrat me ſequatur, & ubi ſum ego, illic & miniſter meus erit.* Sed quia fragilitate depreſſi ad ſublimia minime tendere valeamus, tota

Pſalm. 68. Pſalm. 33. Johan. 12.

a Ratmundus beati Godehardi ex ſorore nepos, & in regimine monaſterii Altahenſis ſucceſſor, qui idem cœnobium totum fere igne conſumtum reparavit. De hoc incendio vide ſupra Vitam ſancti Godehardi.

Digitized by Google

ANN. CH. MXLV. OCT. IX.

mentis intentione ſancti Patris hujus poſcamus ſuffragia, ut ipſe qui non juſtos, ſed peccatores vocare venit, precibus ſui dilecti Confeſſoris, igne ſancti Spiritus pectora noſtra inflammans, nos de convalle hujus miſeriæ, & via peregrinationis revocet æternam ad patriam. Ergo Dei clementiam, quæ ſervum ſuum de labore perduxit ad requiem, ſuperlaudantes, ne lector circumlocutionibus corda detineat auditorum, ſermonem vertamus ad ea, qualiter ad laudem & gloriam nominis ſui, nobis peccatoribus Chriſtus ſervi ſui terminum hujus vitæ manifeſtare dignatus eſt, pandamus breviter.

Brediſlaus Dux vocem cæleſtem audit.

9. Cum vero omnipotens Deus beatum virum vellet à labore quieſcere, & æterna mercede remunerare, ejuſque vitam in exemplum hominibus demonſtrare, ut poſita ſuper candelabrum lucerna clareſceret, quatenus omnibus qui in domo Dei ſunt luceret, contigit ut inclytus tiro, Dux videlicet [a] BREDISLAUS, cum Poloniam score glorioſe ſibi ſubjugaſſet, victorque cum pace ad ſua rediſſet, cujuſdam urbis, quæ Prahen dicitur, confinium cauſa venationis cum ſuis adiit, ubi quadam die, ut ſolebat, venatum exivit. Cumque ſui omnes huc illucque diſcurrerent, nec in aliquo proficerent, ſubito apparuit eis cervus miræ magnitudinis, quem ipſe Dux cum magna alacritate ſubſecutus eſt. Tunc cervus quaſi fugam ſimulans, in quemdam locum ipſius ſilvæ quam celeriter devenit, & veluti nullo ſequente ſecure ſtare cœpit. Hoc Dux intuitus, ac ſolo cliente parvo contentus, cervum aggreditur & ejus formam & magnitudinem diligenter ſcrutatur: denique cum fidei armis munitus hæſitaret animo, ſubito de cæli faſtigio audivit claram ſibi vocem taliter inſonantem: O Bretiſlae, non ſemper quæ alta ſunt Dei conſilio, tuo fragili deſiderio quæras, ſed cum humilibus, humilia tibi tuiſque poſteris profutura ne pigriteris attendere. Hoc enim in loco latet Dei theſaurus, cui quondam valde amabilis, nunc vero & in futura tempora cunctis quærentibus pie deſiderabilis. nam ſcriptum eſſe cogita: Pater meus operatur, & ego operor, quia ego in Pater, & Pater in me eſt. Ideoque quidquid ſervi mei operantur in hoc ſæculo, non eorum, ſed Dei virtutem in omnibus credas.

Guntherum invenit.

10. Hæc talia dum Dux tacitus audiret, & ut amens ſtupefactus, de loco quo ſtratus jacebat, vix reſumto ſpiritu ſurgit, ac circumquaque aſpiciens, ilico in ipſa vaſta ſolitudine rivulum parvulum à longe videt, pulcroque gramine circumdatum, quaſi quibuſdam odoribus abundare: quo in loco lapidem miræ magnitudinis, & ſuper eum cellulam vilibus de lignis conſtructam miro odore redundantem invenit, & ſolus cum ſolo cliente de ſupercilio montis deſcendens, licet pavidus, Cruce tamen ſancta in fronte ſignatus, quid ibi lateret cogniturus celeriter intrat. Et ecce ſenem pulcra canitie ſedentem & albeſcentem, ac veluti Angelum Dei in vultu relucentem, lectoque ceu in oratione proſtratum aſpicit, nimio quoque horrore pervaſus cœpit ſtare. Quem ſenex pio vultu intuitus, ne ad talia trepidaret, ſed ut Deum omnipotentem in omnibus laudaret monuit, & quod ipſe Guntherus eſſet, qui eumdem de ſacro fonte ſuſcepiſſet, diverſis indiciis, licet admiranti Duci aſſignavit. Tunc Dux his verbis ſpiritum ad plenum reſumit, & conſtantia animi recepta, pium virum interrogavit, quomodo, vel quando ad tam inſolitam ſolitudinem deveniſſet, vel cur tam duram vitam monachorum attigiſſet: ac ſatis amicabili & multum lacrymabili affatu precatur, ne ulterius tam nobilis vir hominibus lateret incognitus, ſed ad terram ſui Ducatus melius fovendus perduceretur, quam plurimum rogabat. Quod vir Dei prorſus renuit, & ne Dei volun-

[a] De Brediſlai, qui Poloniam ſubjugavit, eximia pietate, multa habent ſcriptores Bohemici. Mortem ejus refert Coſmas Pragenſis ad annum MLV. IV. Idus Januarii. Ejus geſta fuſius narrat Dubravius libro 7. Hiſtoriæ Bohemicæ.

ANN. CH. MXLV. OCT. IX.

tati in aliquo contrairet ſollicite Deum rogans. Unde Dux valde miratus, & in ejus piis admonitionibus, & diverſis verbis conſolationis, orationibus ſe ſancti viri commendavit; & ut in reliquo de apparatu proprio nulla neceſſaria ei deeſſent, ſe daturum promiſit.

Cui obitum ſuum prædicit.

11. Quæ omnia Guntherus a præfato Duce benigne ſuſcipiens, & multa prædixit futura, & velut quodam præſagio, inter reliqua pii affaminis verba proloquens dixit: Meæ dilectionis cauſa ſi veniſti, fili, meæ petitioni eſſe contrarius noli. Nam corpuſculi mei jam diſſolutio inſtat, & quamvis de ſepultura mea diverſi diverſa ſentiant, ego ut in ſpiritu loquar, corpuſculi mei Brunoviæ depoſitionem locandam teſtor, & quod in ſpiritu loquor, id ab Omnipotente ut fiat exopto. Proinde, cariſſime fili, memoriæ cauſa prædicto loco Brunoviæ aliquid ſolatii apta, ut & mei in Domino, & tui tuorumque omnium in poſterum in Deo memoria habeatur, & in mei requiei, quæ futura inibi diem judicii exſpectabit, dignum memoriæ fructum, tuis licet poſtea, vel tuorum ſucceſſorum in temporibus confirmanda prudenti conſilio adapta. Super hæc autem omnia, ſi meæ diſceſſionis vel migrationis terminus delectat, craſtinæ diei tertia hora quid de meo tranſitu divina operatio ſentiat, meæ fragilis vitæ terminus declarabit. His Dux auditis, turbatus eſt animo, & in oſcula ruens, amariſſimis circumfuſus lacrymis, magno rugitu talia proclamabat: O cariſſime Pater, cur me, licet ad te tarde veniſſem, deteſtaris? O canities veneranda, quem veluti Angelum Dei, licet indignus amplector, cur me filium, ut dicis, tuum ſpiritualem tam cito ceu orphanum relinquis? Tuæ enim puræ orationes, tua crebra ut ſpero jejunia, meæ pravitatis deberent eſſe & fuerunt tuta præſidia, ut apud Deum omnipotentem pro meis criminibus, quibus humana fragilitas ſæpius convincitur, hoſtiſque mille fraudum dolis atteritur, fierent aſſidua ſuffragia.

12. His clamoribus motus pius Guntherus, dixit flenti nimiumque gementi: Deſine, fili, deſine talia agere, & ſperans in Domino noli metuere, meæque petitionis effectum libenter excipe, veraciter perfice. jamjam ad tuos redi, meique ſecretum prodere noli, ſed craſtino non tarde redeas, & meæ migrationi, ſi Dominus Deus voluerit, intereſſe poteris. Tunc Dux valde triſtis & gemebundus, benedictione tamen accepta, cum ſuo cliente diſceſſit, & ne cui talia ſecreta prodat, ſub interminatione interdixit. Igitur ſequenti die Brediſlaus dux, aſſumto venerabili epiſcopo[a] SEVERO, qui ſibi ſpeciali familiaritate adunabatur, ſummo diluculo ad viri Dei cellulam pervenerunt, ipſumque orationi inſtantem, laudeſque Deo omnipotenti pſallentem invenerunt. Completa vero oratione, poſt longa futuræ vitæ colloquia, peractiſque à Severo epiſcopo Miſſarum ſollemniis, vir Domini Corporis & Sanguinis perceptione ſe muniens, hora diei tertia, canentibus qui aderant & flentibus, inter orationis verba immaculatum Deo ſpiritum reddidit. De carnis igitur ergaſtulo jam felici recedente anima, tanta de eo ſuaviſſimi odoris redundavit fragrantia, ut cunctorum ibi aſſiſtentium perfunderet nares & pectora: cujus odoris ſuavitas tam diu ſtabilis permanebat, quouſque viri Dei corpus ad locum ſepulturæ perveniebat.

Sumto Viatico obit.

13. Poſthæc peractis omnibus ad exſequias attinentibus, corpus illud ſanctiſſimum indomitis equis eſt ſuperpoſitum, quod cum tanta manſuetudine ad locum ſepulturæ ab eiſdem delatum, ut profecto clareſceret, quanti meriti exſtiterit in cælis, cujus corpus bruta animalia poſtpoſita ferocitate venerabantur in terris. Obiit autem Chriſti famulus eremita Guntherus anno Incarnationis Domini MXLV. ſeptimo Idus Octobris, ſe-

Ejus corpus ab equis indomitis Breunoviã defertur.

[a] Severus è ſede Olmucenſi in Moravia tranſlatus ad Pragenſem Bohemiæ Metropolim poſt Iſonis obitum, anno MXXX. deſiit anno MLXV. ex libro 3. Bohemiæ piæ Bartholdi Pontani.

Digitized by Google

Ann Ch. MXLV. Oct. IX. Miraculis claret. pultuſque eſt in monaſterio Breunovienſi, quod à civitate Pragenſi diſtat xx. ſtadiis, ubi ipſe, dum adhuc viveret, ad ſepeliendum eſſe in ſpiritu prædicebat. In quo loco per ejus merita fiunt aſſidue miracula, multa infirmis præſtantur beneficia, donante Chriſti gratia, qui cum Deo Patre vivit & regnat Deus per infinita ſæculorum ſæcula. Amen.

In codice mſ. hæc adduntur: Conditor & ſalvator humani generis per ineffabilem ſuæ bonitatis clementiam mirabiliter ſanctos in cælis glorificans, miſericors eſt peccatoribus in terris: & licet, jam ſeneſcente mundo, corrupta ſit omnis caro iniquitate, non tamen accenſam lucernam patitur occultari, ſed illuminatam igne cæleſti ponit ſuper candelabrum, ut omnibus in domo Dei luceat. Lucernam dico beatum Guntherum, qui propria linquendo & Chriſti præcepta ſequendo mundum deſpexit, quem miracula ad ſepulcrum ejus, vel alias, per merita ipſius operante divina clementia facta glorificant.

Ann. Ch. MXLV. Die XXIII. Novemb.

VITA B. GUIDONIS ſeu VVIDONIS

ABB. PISCARIENSIS ſeu CASAURIENSIS.

Ex Chronico Caſaurienſi auctore Johanne Berardo,

Spicilegii Acheriani tomo 5.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Widonis geſta unde habita.

1. *MIRUM eſt beati Vvidonis nomen nullis in Martyrologiis aliiſque faſtis eccleſiaſticis, quos ſaltem videre licuit, reperiri, cum non ſolum ante & poſt mortem multis miraculis claruerit, ſed etiam memoria ejus celebris fuerit in monaſterio Piſcarienſi, ubi, teſte auctore Chronici infra num.* 17. *feſtivitas ejus quotannis recolebatur. Idem auctor laudat librum de Vita ejuſdem beati viri, quem ſuo tempore adhuc in monaſterio Piſcarienſi aſſervatum fuiſſe teſtatur; at hunc aut excidiſſe, aut ita latere dolemus, ut nulla ſpes ſit ipſum recuperandi. ſed jacturam hanc aliquo modo reſarcivit idem auctor, qui beati Vvidonis res geſtas in Chronico à ſe edito fuſius expoſuit, unde eas exſcripſimus, ex tomo* 5. *Spicilegii Acheriani, ubi Chronicum illud, exceptis his quæ jam à Cheſnio tomo* 3. *Hiſtoricorum Galliæ, & ab Ughello in appendice Tomi* 6. *Italiæ ſacræ edita fuerant, habetur ex codice mſ. ipſius monaſterii Caſaurienſis, qui nunc in Bibliotheca regia aſſervatur. Auctor ipſe Chronici nomen ſuum & ætatem prodit, qui ſe Johannem Berardum appellatum ſcribit, & teſtatur ſe ſub Leonate abbate Piſcarienſi, exeunte ſæculo decimo-tertio* librum hunc inſtrumentorum ſeu Chronicorum compoſuiſſe & ordinaſſe.

Monaſterium Piſcarienſe.

2. *De Piſcarienſis vero ſeu Caſaurienſis monaſterii privilegiis ac dignitate multa habet noſter Acherius in præfatione ad laudatum Spicilegii tomum, quæ omnia fere exſcripſit ex Ughelli tomo* 6. *Italiæ ſacræ columna* 838. *ubi deſcribitur oſtium Piſcarienſis eccleſiæ æneum, auroque puriſſimo incruſtatum, quod Ludovici II. imperatoris in condendo percelebri iſto monaſterio munificentiam repræſentat, ſimul cum hiſtoria tranſlationis reliquiarum ſancti Clementis papæ, quas ab Hadriano II. ſummo pontifice impetratas pius Imperator eo in loco depoſuit. Sceptro imperiali loco pedi paſtoralis ex ſpeciali Imperatoris privilegio uſi ſunt abbates Piſcarienſes, uſque ad annum* MXCVIII. *quo anno baculum paſtoralem ab Urbano II. Grimoaldus abbas accepit. Perſtat hodieque locus adeo celebris in Aprutia ulteriori ſitus, multis gaudens privilegiis, ſed monaſterium nomine tenus appellatur; inde quippe amandatis monachis, qui juxta fundatorum inſtituta Deo noctu diuque ſervirent, abbas commendatarius ſibi ſoli ipſi omnes eccleſiæ reditus vindicat.*

Digitized by Google

ANN. CH. MXLV. DIE XXIII. NOVEMB.

INCIPIT VITA.

1. DOMNUS Imperator, *videlicet beatus Henricus*, tunc temporis circa loca Farfenſis eccleſiæ morabatur cum grandi exercitu, quo erat Apulos & Trojanos expulſurus; qui faventes quibuſdam Normannis qui eos deceperant, & ſibi ſubjugaverant, non virtute ſed vitio illius gentis, rebellari nitebantur Romanis. Hic ut audivit quia fratres *Caſaurienſis monaſterii* carebant abbate, & idcirco ad nihilum deducebantur & devaſtabantur poſſeſſiones eccleſiæ, habuit conſilium cum baronibus ſuis, & accerſito abbate Farfenſi [a], requiſivit ſi eſſet in monaſterio illo aliquis monachus amator religionis, cuſtos monaſtici propoſiti, eruditus litteris & nobilitate præclarus; & cum audiret famam VVIDONIS celebrem non ſolum inter monachos, verum etiam à popularibus & forenſibus prædicari, petiit eum ut ſibi daretur, & eccleſiæ Piſcarienſi, quæ viduata paſtore erat, paſtor eligeretur. Qui cum ſe indignum & minus idoneum, ut moris ſanctorum virorum eſt, proclamaret; & ut quietam vitam eum ducere ſinerent, profuſus pedibus abbatis cum lacrymis oraret, traditus fratribus ad utilitatem præfati monaſterii eligitur, & abbas ſancti Clementis Piſcarienſis licet invitus inſtituitur. In quo officio quantum ipſe pro eccleſia ſibi commiſſa laboravit, quanta abſtinentia corpus perdomuit, quam modeſtus in exhortando, ſeverus in corrigendo fuit, liber qui de ejus vita ſcriptus habetur in monaſterio, vera aſſertione, quamvis humili ſtilo, manifeſtare non deſinit.

Guido è monacho Farfenſi abbas Piſcarienſis.

2. Traditus itaque fratribus, & cum grandi honore, & juſſu Imperatoris ad monaſterium uſque perductus, cum videret ruinam parietum, fracturas domorum, pane & vino penum vacuum, nudos fratres, deſtructum monaſterium, paucis diebus ibi commorans, ſumtis privilegiis & chartis revertebatur ad Imperatorem; ſed antequam veniret ad eum, audivit de morte ejus. Antea vero quam proficiſceretur, cum eſſet in monaſterio novus abbas, in anno videlicet ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu-Chriſti milleſimo vigeſimo-quinto, quædam poſſeſſiones datæ fuerunt Piſcarienſi monaſterio, quæ ſcriptæ ſunt ad notitiam poſterorum & in chartulis habentur, &c.

Monaſterium reſtaurare ſatagit.

3. Poſt mortem igitur primi HENRICI imperatoris, de quo ſupra locuti ſumus, cum domnus Vvido Piſcarienſis abbas audiret, quia alter poſitus eſſet in loco ipſius, nomine CHUONRADUS, iterum ſumtis chartis & privilegiis profectus eſt ad eum. Qui glorioſus Imperator eumdem Abbatem cum magna reverentia ſuſcepit, privilegia & chartas coram ſe legi fecit, quod poſtulabat implere ſtuduit, novoque privilegio, quæ data monaſterio fuerant ab anteceſſoribus ſuis, confirmavit hoc modo:

« In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, CHUONRADUS divina favente clementia Romanorum imperator auguſtus. Cum petitionibus ſervorum Dei juſtis ac rationabilibus divini cultus amore faverimus, & his oportuna beneficia largiamur, præmium nobis æternæ remunerationis rependi non diffidimus. Quocirca omnium ſanctæ Dei Eccleſiæ noſtrorumque fidelium, præſentium videlicet ac futurorum, comperiat ſollertia, qualiter VVIDO venerabilis abbas monaſterii ſanctæ Trinitatis, ubi corpus beatiſſimi pontificis & martyris Chriſti Clementis reconditum eſt, in comitatu Pinnenſi, in inſula quæ Caſa-aurea vocatur, noſtram adiens præſentiam, oſtendit nobis noſtrorum anteceſſorum Regum vel Imperatorum præcepta eidem monaſterio facta, atque ſuppliciter poſtulans, quatenus

Conradi Imp. privilegium.

[a] Id contigit anno circiter 1023. ſub Hugone abbate Farfenſi. Vide Muſeum Italic. tomo 1. pag. 65. | Poſſeſſionem iniiſſe videtur anno ſequenti, circa finem Aprilis ex num. 17.

Digitized by Google

ANN. CH. MXLV. DIE XXIII NOVEMB.

» pro ipſius ſanctæ & individuæ Trinitatis, ac teſtis ejus Clementis amore, eadem præcepta noſtra imperiali ac præceptali auctoritate confirmaremus. Nos vero ejus juſtis poſtulationibus aſſentientes, confirmamus jam dicto monaſterio quidquid in ſuperioribus continetur præceptis, prout juſte & legaliter poſſumus; videlicet quidquid habere videtur infra Romanam urbem, ſive extra, &c. Et quidquid de prædicti monaſterii poſſeſſionibus fiſcus noſter ſperare potuerit, totum nos pro æternæ remunerationis præmio prædicto monaſterio concedimus, ut in alimonia pauperum, & ſtipendia monachorum ibidem Deo famulantium, noſtris, futuriſque temporibus ſemper proficiat in augmentis, &c. Concedimus etiam & imperiali auctoritate præcipimus, ut in quantum præfata inſula tenere videtur, nulla fiat habitatio cujuſcumque ordinis vel dignitatis, exceptis his qui ibidem Deo deſerviunt, & his qui illic ſervituri ſunt. Quod ſi aliquis huic noſtræ præceptioni contraire voluerit, & per annum integrum ibi permanſerit, abſque dubio ſervus ipſius loci deinceps permanebit. Inſuper concedimus, ut nullus homo audeat reſpondere mallaturam advocato ejus. Etſi aliquo tempore aliqua intentio contra idipſum monaſterium exorta fuerit, non per viliores, ſed per nobiliores & veraciores homines diffiniatur ex utraque parte. Si quis igitur, &c. Hugo Cancellarius vice domni Haribonis archicancellarii recognovit.

Qui Ducem pro tuendo monaſter. mandat.

4. Deinde idem Imperator domno Vvidoni abbati unum ex ducibus ſuis, UGONEM comitem dedit, cui præcepit, ut imperiali poteſtate ſumta, reſtitueret eccleſiæ quidquid poſſederat; tam caſtella quam villas, & non diſcederet ab eo, donec omnia poſſideret pacata. Qui veniens, antequam monaſterium ingrederetur, de ponte qui fuerat ſubverſus querimoniam fecit, & in præſentia præfati Ducis intus in eodem monaſterio coram epiſcopo Nucerienſi DODONE, & epiſcopo Synogalliæ, ADELBERTO nomine, & coram baronibus tam Pinnenſis quam Thyatinenſis comitatus, quorum ibi maxima multitudo advenerat, in die ſtatuta, videlicet die menſis Januarii, anno milleſimo vigeſimo-octavo ita ſancitum eſt, & confirmatum ſcripto per manus Vvidonis abbatis, ut liceat abbatibus ſancti Clementis ex illo tempore uſque ad finem mundi conſtruere pontes ubicumque voluerint, &c.

Placitum in quo perorat Guido.

5. *Placitum contra monaſterii bonorum invaſores poſtea habitum eſt.* Cumque multi advocati eſſent in præſentia præfati Ducis & prædictorum epiſcoporum, Synogalliæ videlicet & Nuceriæ, necnon BERALDI Spoletini epiſcopi, & VVALTERII Furconenſis, & in præſentia Bernardi & Petri judicum ſacri Palatii, & Berardi comitis filii comitis Theodini, Attonis comitis, & filii ejus Alberici comitis, Ugonis comitis, & Offredi comitis filii Monaldi comitis, prænominatus abbas habuit verba hujuſcemodi: » Domne Dux, & vos domni Epiſcopi, Comites & Barones, qui ex præcepto domni Imperatoris vocati veniſtis, audite me, ſi vobis placet, pro amore Domini noſtri Jeſu-Chriſti. Monaſterium iſtud, cui, Deo volente, præſideo, quod inſtitutum fuit & fundatum à ſanctiſſimo imperatore & victorioſiſſimo LUDOVICO, ita ſpoliatum eſt & nudatum omnibus bonis, ut ſervi Dei qui in eo latitant, vix habere valeant unde vivant diebus ſingulis. Vicini noſtri, qui nos pro Deo diligere & pro metu Imperatoris caros habere debuerant, invaſerunt poſſeſſiones noſtras, occupaverunt caſtella, quæ anteceſſores noſtri cum magnis expenſis ad tutelam monaſterii, & decus regni ædificaverant, nec ea nobis reddere volunt; immo de illis nos & noſtros, quos paucos nobis reliquerunt, expugnant. Alii abbates qui ante me fuerunt, quoniam erant de carne eorum, læſionem eccleſiæ patienter tulerunt. Ego vero qui extraneus ſum, qui in nullo habeo fiduciam, niſi in Deo & juſtitia domni Imperatoris, tantum malum ferre non

non poſſum, obſecro & obteſtor pro amore Dei, & reverentia veſtræ præſentiæ, illos qui huc uſque debacchati ſunt in deſtructionem & confuſionem eccleſiæ ſancti Clementis, & dejectionem noſtræ congregationis, reddant ſponte quod male de noſtro tenent, & non ſperent me cedere minis, quia paratus ſum pro honore Eccleſiæ meum ſanguinem fundere, & pro nomine Salvatoris. His dictis obmutuit, & quod illi reſpondere vellent, ſicut vir ſapientiſſimus, cum maxima gravitate diutius exſpectavit.

Ann Ch. MXLV. Die XXIII Novemb.

Invaſores reſpondent.

6. Tunc illi in unum conglobati conſilium acceperunt, & quod ex conſilio acceperant uni pro omnibus intimare præceperunt. Tunc ille juſſus inquit: Domne Dux, & vos omnes Epiſcopi & Barones, qui præſenti intereſtis concilio amicorum & conſanguineorum noſtrorum, qui revera una ſumus caro, incœpi vobiſcum loqui; etſi defecero, ſicut in hac terra eſt conſuetudo, non eſt bonum quod ipſi propter meam ſimplicitatem damnum patiantur: ipſi poterunt emendare, ſi aliquid minus fuerit noſtro eloquio. Non indigemus multis verbis, petimus miſericordiam & pietatem domni Abbatis, ne velit proſcribere filios noſtros, qui fuerunt nati & nutriti ſub alis & præſidio beati Clementis: quod male tenuimus, bene tenere parati ſumus: occupatores, pervaſores vocamur, nos ſervos monaſterii & benefactores amodo & deinceps & fatemur & promittimus: & quidquid neceſſarium fuerit eccleſiæ, tam in libris quam in ornamentis, de noſtro dare, & cenſum annuatim perſolvere, & contra hoſtes, ſi aliqui contra monaſterium inſurrexerint, nos pugnaturos & ſucceſſores noſtros ſcripto & ſacramento confirmabimus.

Abbatis conſtantia.

7. Ad hæc Abbas reſpondit ex conſilio: Non ego ſum ex illis, qui blando poſſint decipi verbo. Si funditus dimittitis poſſeſſiones, quas impie pervaſiſtis, ego ſuſcipiam; ſin alias, pro certo ſciatis, quia nec angulum alicujus domunculæ vobis dimittam. Totum quod invaſiſtis dimittite: & poſtquam dimiſeritis, quod nobis placuerit, non pro cenſu, neque affirmatione alicujus chartulæ, & quamdiu voluerimus, & res nobis dimiſſas ad profectum eccleſiæ noſtræ tractaveritis, pro amore parentum veſtrorum, & rogatu circumadſtantium permiſerimus. Illi metuentes magis Imperatorem quam Deum, & cognoſcentes Abbatis vigorem & ejus invincibilem animum, ad ipſius genua procumbentes, quidquid ipſi malè invaſerant, in ejus miſericordia dereliquerunt, & juraverunt quod nec ipſi, nec ſucceſſores ſui aliquid de illis poſſeſſionibus, quas prædictus venerabilis abbas Vvido ſibi retinuerat uſurparent; & illis tantum, quæ ſua miſeratione, non pro timore eorum vel parentum ſuorum habenda concederet, contenti eſſent. Quæ autem retinuit Abbas in ſua dominatione, & quæ illis conceſſit, ne iterum fiat altercatio, præſenti ſcripto mandare curavimus. Retinuit ſibi dominationem totius terræ, & in proprio munitiones, in quibus etiam ſuos miſit cuſtodes. Retinuit & paſcua, molendina, ſilvas, optima rura, decimas, eccleſias, ſepulturam, & alia omnia quæcumque ad dominationis pertinere videntur officia. Illis dimiſit cetera, non ſub jure dominationis, ſed, ſicut petierant, ſervili conditione habenda. Sanſo vero qui princeps quodammodo & actor hujuſcemodi ſeditionis fuerat, eccleſiam quamdam in terra ſancti Clementis, in loco videlicet, qui Bliſianus eſt appellatus, in honore ſanctæ Mariæ fundaverat, in qua contra jus & fas, ſicut alter Jeroboam, ſuas aras erexerat, neque ad monaſterium ſancti Clementis funera tumulari ſinebat; illam abbas Vvido cum haberet in manu, & deberet & poſſet funditus deſtruere, non pro timore Sanſonis, ſed pro reverentia ſanctæ Dei genitricis, in cujus honore ædificata fuerat, integram conſecravit, ibique quemdam monachum ſuum, nomine Franco, poſuit, qui eidem eccleſiæ deſerviret, &c.

8. Quidam preſbyter, Urſus nomine, ædificaverat eccleſiam in honore

Ann Ch. MXLV. Die XXIII. Novembr.

Monaſt. Faſanaria.

ſanctæ Mariæ, in loco qui Faſanaria appellatur, ibique poſuerat abbatiſſam, nomine Giburgam, quæ præerat congregationi monacharum. In milleſimo trigeſimo Dominicæ Incarnationis anno, illam divino admonitus inſtinctu ſubdidit monaſterio ſancti Clementis per manum domni Vvidonis abbatis, cum tenementis & pertinentiis ſuis, in locis & vocabulis, videlicet Caſule, &c.

Calumniam repellit.

9. Per idem tempus, *anno ſcilicet milleſimo trigeſimo tertio*, vir Domini Vvido abbas tam pro ſua religione, quam pro glorioſi imperatoris Chuonradi timore, florebat pace & quiete in Domino; ſed ei diabolus invidens, quoſdam nefarios crudelitatis ſuæ miniſtros, videlicet habitatores ſancti Valentini, contra eumdem ſanctum virum armavit, & campum, qui proprie proprius beati Clementis erat, & ad jus ejuſdem eccleſiæ pertinebat, invadere fecit. unde ſæpiſſime vir ſummæ manſuetudinis anguſtiatus, baronum turmam & indigenarum aggregavit, quorum teſtimonio cum præfati nequiſſimi acquieſcere nollent, tandem ſententia prolata judicio quod ipſi denegabant, & iſti affirmare volebant, pugna terminari judicavit, ut qui victus eſſet campum amitteret, & de ceteris minus credulus appareret. Hanc enim rationem Valentiniani videbantur habere, quia Piſcaria antiquos curſus nota erat prætermiſiſſe, & idcirco affirmabant, quicquid intra eam & caſtellum continebatur, haberi de eorum poſſeſſione. Venit dies in qua multitudo baronum & plebis coadunari debebat, qui omnes uno ore affirmabant Abbatem injuſte niti, & agrum eſſe de pertinentiis ſancti Valentini. Quid plura? Beatus vir Vvido, cujus ſpes tota erat in Domino, ſuos juſſit inſiſtere orationi, & pridie antequam pugna debebat fieri, ſolus media nocte egreſſus de monaſterio, comitante eum qui ſemper juſtis

Miraculo.

præſto eſt Spiritu-ſancto, venit ad fluvium, & alta voce dixit ad eum: » Adjuro te per nomen Domini noſtri Jeſu-Chriſti, & per virtutem beatiſ» ſimi Clementis præſulis & martyris, ut ſequens me ad priorem curſum re» vertaris, & campum deſeras, quem malignantibus non tua ſponte ſed in» ſtinctu diaboli delegaſti. Et oſtendens ſignum baculo quem manu geſtabat, quo illum fluere juberet; tamdiu ſecutus eſt ſancti viri veſtigia, donec campum dimitteret ſancto Clementi, & ad locum antiquum reverteretur, per quem cum magno impetu ad mare tendebat flumen, quod vocatur Piſcaria.

10. Mane facto cum omnes, de quibus ſupra diximus, ad pugnam parati venirent, ut victori laudibus, vel victo, ſicut mos populi, contumeliis inſultarent; cum viderent campum ex parte terræ ſancti Clementis liberum remanſiſſe, & flumen per antiquos curſus ad mare tendere, cognoverunt non humanæ virtutis ſed divini judicii miraculum eſſe; omnes in fletum proruperunt, & ad pedes Abbatis ceciderunt, dicentes una voce: Nunc cognovimus, ſanctiſſime pater, quia in te habitat Spiritus-ſanctus, qui per

Iſai. 6. 2.

Prophetam loquitur: Super quem requieſcam, niſi ſuper humilem, & quietum, & trementem verba mea? Vere tu in cælis habitas, licet in terris videatur converſatio tua. Non volebas quod pro te humanus ſanguis effunderetur, magis petiiſti, ut beatus Clemens quod ſui juris eſt in aquis operaretur: in aquis marinis habuit templum, Piſcariæ præcepit ut reverteretur ad antiquum curſum. Per hoc cognovimus quia Dominus Deus habitat tecum; cognoſcimus reatum noſtrum, petimus indulgentiam, habes in poteſtate tua ſi velis exſtinguere vitam noſtram, ſubdimus tibi quæcumque poſſidemus, ne velis à nobis elongare miſericordiam tuam.

11. Vir autem Domini Vvido pronus ad pietatem, ut vidit lacrymas, accepit miſericorditer eorum petitionem, illos admonens ne in terris ſancti Clementis aliquam ullo tempore facerent invaſionem: quia non erat mortuus, immo vivebat cum Chriſto, qui pro Chriſto gaudenter ſuſceperat

Digitized by Google

mortem. Hanc noxam vobis condonet omnipotens Deus, & cuſtodiat vos ne cadatis in pejus: quia illi malignando adhæſiſtis, qui numquam de vobis fuerit, niſi vos integros hauriat, ſatiatus. His dictis regreſſus eſt ad monaſterium, & non pro tanto facto in tumorem elatus, ſed magis humilis de die in diem proficiebat, & ad profectum ducebat gregem ſibi commiſſum, &c.

12. Peractis igitur omnibus & in pace redactis, pro quibus miſſus fuerat præfatus dux Ugo, revertens ad propria, Vvidonem venerabilem monaſterio ſuo quiete manere, bonis temporalibus uti præcepit. & ipſe reverſus ad Imperatorem, ſingula prout geſta fuerant enarravit. Imperator autem Chuonradus tunc temporis Capuæ morabatur, in quam vigilia Pentecoſtes ingreſſus, & in Pentecoſte coronatus eſt anno Dominicæ Incarnationis *milleſimo trigeſimo-ſeptimo: ubi ſupradicto Duce referente cum audiſſet quia bonum paſtorem Piſcarienſis eccleſia ſancti Clementis domnum Vvidonem haberet, qui factis & dictis omnibus comparibus ſuis lumen veritatis plenarie infundebat, gratias Deo reddidit. Indeque ſuam epiſtolam plenam affectu, & continentem quod ipſa Piſcarienſis abbatia, nulli niſi ſuo regio juri eſſet reſervata... tranſmiſit, &c.

Conradi erga monaſt. affectus.

13. Vvido vero abbas non propter hoc in gloriam eſt elevatus humanam, ſed magis & magis ſeſe humilians, totum Deo non ſibi adſcribebat, quod ſuum monaſterium in pace manebat, religio in eo florebat, inter fratres maxima caritas erat. Nullus quod ſuum, ſed potius quod alterius profectui eſſet invigilando quærebat; paſtoriſque boni exemplo eruditi, unuſquiſque tranſitoria hujus mundi & vana gaudia deſpiciebat: & quia fallacem hujus mundi pacem reverendus Vvido ſciebat, armavit ſe, ut præcepit Apoſtolus, lorica juſtitiæ & galea ſalutis, contra ſpirituales nequitias pugnaturus, rebellemque carnem perdomuit, & ſpiritui ſervire coëgit; jejuniis & orationibus intentus pro Imperatore, pro Regibus, pro univerſali Eccleſia, populo videlicet Chriſtiano, ſollicitus cum lacrymis & ſingultibus juges Domino orationes fundebat, ut ipſe, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum eſt, pacem à ſuperis in terram mitteret, Rectores Eccleſiæ conſervaret, rebelles ad unitatem fidei converteret. Et dum beatus vir favorem populi vitans, ſoli Deo vacare cuperet, exteriora negotia fratribus eccleſiæ commendavit, de grege curam habens, quo eum duplici pabulo reficeret, verbo & exemplo.

Regularis obſervantiæ rigor.

14. Accidit ut quodam tempore Traſmundus quidam marchio cum magno exercitu per fines ſancti Clementis iter haberet, & dum, ſicut juvenum moris eſt, populares & ruſticani, qui in ejus comitatu plures aderant, ad villas & ad caſalia cauſa deprædandi concurrerent, venerunt Alanum, quæſierunt cibaria ſibi & exercitui neceſſaria; & niſi feſtinanter darent quod eis petebatur, caſtellum illud ſubverterent, aut igne cremarent, atrociſſime minabantur. Opidani vero, quia ſibi non fuerat imperatum ab Abbate, nec audebant in terra ſancti Clementis novas conſuetudines ponere, ad portas cucurrerunt, caſtellum muniverunt, & ſe defendere deintus parantes unum de caballis hoſtilis exercitus occiderunt. Unde marchio ſucceſus ira ſuos milites armari juſſit, & caſtellum obſedit, centum aureos ſolidos pro redemtione equi expetens, qui vix decem valebat. Et idem ipſe in prima fronte cum armatis peditibus verſabatur, mortem, pericula, incendia, deſtructionem comminans, niſi cito quod poſtulabat pretium ſibi daretur.

Militum violentiam,

15. Venerabilis Vvido hoc audiens clauſtrum exivit, ad exercitum venit, Marchionem furore ſucceſum mitigare humiliter ſtuduit. Et cum videret quia nihil proficeret, ubi eſſet equus interfectus interrogavit. Quem intuens in acie deformem, vilem & confectum ſenio, etſi non eſſet per-

Miraculo frangit.

Digitized by Google

Ann Ch. MXLV. Die XXIII. Novembr. cuſſus gladio, per ſe citius moriturum, in conſpectu totius vulgi, facta primitus oratione, converſus ad Dominum dixit: Domine Jeſu-Chriſte, cui nihil impoſſibile eſt, qui dixiſti diſcipulis tuis: Matth. 21. 22. *Quodcumque credentes petieritis fiet;* oſtende virtutem tuam nunc etiam in hoc viliſſimo animali, redde ſibi vitam quam tuliſti, quia ſine te nec paſſer poteſt ad terram cadere, ut quieſcat furor iſtius populi, qui ſubvertere, ſuccendere, deſtruere minantur, & ut video parati ſunt, poſſeſſionem beatiſſimi Clementis martyris tui. His dictis acceſſit ad caballum, & tangens eum leviter cum virga quam manu geſtabat, dixit ad eum: Surge, erigit te Dominus noſter Jeſus-Chriſtus: vade incolumis, ſervi Domino tuo ſicut feciſti hactenus, confeſtim equus ſurrexit incolumis. Et hoc viſo ſedatus eſt furor Marchionis, & totius exercitus in res monaſterii debacchantis. & converſi ceciderunt proni ad pedes ſancti viri, orantes ut pro ſe preces ad Deum funderet, ne quod ipſi moliebantur injuſte facere in eos juſte converteret. Sanctus autem vir vultu placabili eis benedixit, & ut ab iniquitate diſcederent imperavit. Sicque factum eſt, ut illi ſine læſione reverterentur ad propria, & terra quam ſuccendere minabantur, ſub protectione beati Clementis remaneret intacta.

16. Quidam nobilis & potens vir in Caramanico, nomine Tebaldus, audiens celebrem famam honeſtatis atque religionis ſancti Guidonis abbatis, exhortatione ſupraſcripti viri Dei Adelberti, contulit eo tempore pro anima ſua beato Clementi duas eccleſias, ſancti Nicolai à ſancto Adelberto fundatam, ſanctæ Crucis ab eodem reſtauratam, cum omnibus rebus & pertinentiis earum.

Mortem prædicit. 17. His aliiſque pollens virtutibus Vvido abbas ſanctiſſimus, intra clauſtra monaſterii dum finem vitæ ſuæ ſibi oſtenſum cælitus exſpectaret, per ſingulos dies jejuniis & orationibus intentus, ægrotare cœpit, & ſtatim advocatis fratribus, & qua die & qua hora moreretur eis innotuit, dicens: Ego, fratres & filii cariſſimi, ſicut mihi oſtenſum eſt, viam ingredior univerſæ carnis, commendo vobis tranſitum meum: ex hac vita egrediar in die qua celebrabitur feſtivitas ſancti Clementis, in ea hora qua in Miſſa recitabitur Evangelium, cum perventum fuerit ad illum locum ubi dicetur: *Euge ſerve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Ego in eodem momento abſque ulla dilatione in manus noſtri Salvatoris tradam ſpiritum meum; & credo quia ejus, cui fideliter deſervivi, beati videlicet Clementis, in cæleſti palatio habebo conſortium. Graveſcente ejus infirmitate, advenit celeberrimus dies feſtivitatis prænominatæ, in qua ſe moriturum prædixerat, & antequam Miſſa inchoaretur ſe portari fecit intra eccleſiam, & ſumto viatico, converſus ad Dominum exſpectabat ſui exitus horam quando Evangelium legeretur, ſicut ſibi fuerat repromiſſum. Fratres occupati in tanta ſollemnitate, & dolentes ultra modum de tanti paſtoris velociſſima migratione, fecerunt proceſſionem, & expletis omnibus, ſicut moris eſt in tali feſtivitate, cum Evangelium legeretur, in eodem momento, quo ſe mori prædixerat, cum à lectore diceretur: *Euge ſerve bone*, adſtante populo & clero, &, ut magis credendum eſt, cœtu angelico, tradidit ſpiritum; & quod diu deſideraverat, & ad quod die noctuque ſuſpirabat, vitæ æternæ ſuſcepit bravium, anno Dominicæ Incarnationis mil-

Obit. leſimo quadrageſimo-quinto, nono Calendas Decembris, ejuſque memoriam ſolet celebrare Piſcarienſis eccleſia die altero poſt beati Clementis ſollemnitatem annuam. Sepultuſque eſt in eadem eccleſia prope clauſtrum monaſterii, juxta parietem, in parte auſtrali, ubi ſe vivere in cæleſtibus probat quotidianis miraculis. Vixit autem in regimine annis viginti-uno, menſibus ſex, diebus viginti tribus. Non multo poſt tempore poſtquam ad Dominum migraverat, multis virtutibus ſe vivere cum Chriſto declara-

Digitized by Google

vit : de quibus pauca memorabimus, quia ad alia memoranda propeꝛamus. Ann. C.H. MXLV. Die XXIII. Novembr.

18. Quidam puer, nomine Placidus, monaſticis inſtitutionibus in clauſtro erudiebatur, qui poſtea multum proficiens ad profectum eccleſiæ, quod in pueritia didicerat cumulavit. Is dum eſſet ſub cuſtodia, ſicut moris eſt monachorum, quadam die acriter cœpit febricitari; & dum ardore febrium incenderetur, & prope duceretur ad exitum, à fratribus, à quibus pro morum honeſtate tenerrime diligebatur, deportatur ad tumulum ſancti Confeſſoris Vvidonis, & fuſa oratione pro eo cum fletu & ſuſpiriis, in eodem momento abſque ulla dilatione ſurrexit incolumis, tamquam numquam fuiſſet vexatus febrium incendiis. Miracula poſt mortem.

19. Alio tempore quidam monachus, nomine Gerguinus, illa infirmitate quæ gutta appellatur, graviter fuerat occupatus, ut in ejus toto corpore vix aliquod ſanum membrum reperiretur; & non ſolum à ſe ipſo, verum etiam à multis de ejus ſalute deſperabatur. Rogavit ſe deferri ad tumulum prædicti Confeſſoris Chriſti, ubi dum jaceret proſtratus humi, confeſtim facta oratione ſanus effectus eſt, & gratias agens ſuo Salvatori, devovit ſe de cetero in obſequium beati confeſſoris Chriſti Vvidonis. Podagra ſanatur.

20. Quædam mulier gravem oculorum dolorem diutius paſſa, ad ultimum cæca effecta eſt, ita ut neque diem à nocte diſcerneret, neque aliquid aliud videre poſſet. adducitur ſuorum manibus ad ſepulcrum ſancti Vvidonis abbatis, & cum magno ſingultu ejus auxilium poſtulans, continuo lumen recepit, & quæ triſtis venerat, cum magna lætitia ad propria remeavit, reddens gratias Deo pro ſalute recepta, & fideli ſervo ejus ſanctiſſimo Vvidoni. Mulier cæca.

21. Multa alia ſunt, quæ Dominus Deus per ſanctiſſimum ſervum ſuum Vvidonem quotidie operatur, quæ ſingula à nobis ſi ſcriberentur, & faſtidium generarent lectori, & fortaſſe incredibilia viderentur. Multa omiſſa.

APPENDIX

De B. Adelberto monacho Caſaurienſi.

1. *Pauca quæ de beato Adelberto Chronographus Caſaurienſis ſcripſit, beati Vvidonis vitæ ſubjungimus, cum ejus mortis annum & diem ignoremus. Obiiſſe tamen poſt beatum abbatem vel ex eo ſolo patet, quod Dominici, qui eidem beato Vvidoni ſucceſſit, electionis decreto conſenſit & ſubſcripſit. Aliquando* beatus Adelbertus, *aliquando* vir Dei, *aut* vir religioſus *à Chronographo appellatur, qui & eum miraculis claruiſſe affirmat. An vero cultu aliquo publico umquam donatus fuerit nos latet; immo nomen ejus nec in faſtis Benedictinis, nec in ullis Italicis reperitur. Pauca quæ de eo reſcire potuimus, ex Johanne Berardo Chronici Caſaurienſis ſcriptore accipe, qui vitæ illius libellum laudat, ſed excidit.*

2. In tempore iſtius Vvidonis, de quo plura locuti ſumus, quidam Adelbertus filium ſuum eodem nomine appellatum monaſterio ſancti Clementis obtulit, & humiliter eum ſanctis inſtitutionibus & ritu monaſtico erudiri rogavit. quem venerabilis Vvido tamquam ſuum, & revera pluſquam carnalem, quia ſpiritualem filium, ſuſcepit, monuit, erudivit, & in brevi ita perfectum reddidit, ut de clauſtrenſi anachoritam redderet, de communi hominum cœtu angelorum conſortem efficeret. Adelbertus ſub Widone fit monachus. Iſte cum in Piſcarienſi monaſterio tanta religione proficeret, ut jam miraculis polleret, ſancto patre Vvidone permittente, in monte, qui Blettennius dicitur, primitus ſolus habitavit; deinde ad convallem deſcendens, in Pinne eccleſiam ſancti Michaëlis conſtruxit, deinde eccleſiam ſancti Eliæ, poſitam in fundo juris proprietatis ſancti Clementis, reſtauravit. Tum eremita. Indeque hominum frequentiam fugiens, in comitatum Teatinum tranſivit, in mon-

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXV. die XXIII. Novembr. tem de Caramanico, ibique cum latere non poſſet, monaſterium ſancti Nicolai in pertinentia ipſius caſtelli de Caramanico, in loco qui Civitatula dicitur, fundavit. Eccleſiam ſanctæ Crucis circa ipſum caſtellum, in loco qui dicitur Ad-aquas-putridas, reſtauravit: omneſque ſupra dictas eccleſias ſuo monaſterio ſancti Clementis offerens ſubdidit.

3. Poſtquam vero in monte, qui dicitur Urſa, per aliquantulum temporis latuit, & ibidem occultus manere non poſſet, in convallem deductus deſcendit, & in comitatu Valvenſi, in loco qui dicitur Euſinianus, eccleſiam in honore ſanctæ Trinitatis & ſancti Quirici martyris cum pertinentia de caſtello, nomine Pacentro ædificavit; in qua diutius habitans, multis virtutibus & miraculis, & tunc in carne & nunc in ſpiritu claruit, ſicut libellus de ejus vita conſcriptus inſinuat. Ille vero ſanctus Adelbertus antequam de mundo exiret, eamdem eccleſiam, cum omnibus quæ ad illam pertinere videbantur, beato Clementi ſuo alumno tribuit, & in manus præfati Vvidonis venerabilis inſtitutoris ſui donum ipſum charta confirmavit. *Claret miraculis.*

4. *Tetbaldus vir nobilis eccleſias duas à ſe conſtructas ejuſdem viri ſancti ſuaſu Piſcarienſi abbatiæ ſubjecit, ut habetur ſupra in vita beati Vvidonis num.* 16. *Idem ſanctus fratrem monachum, nomine* Guimarium *habuit, ut patet ex Henrici Imperatoris privilegio apud eumdem Chronographum, ubi Imperator* pro amore divino animæque ſuæ remedio, tam ob petitionem venerabilis Adelberti monachi, quam & germani ſui Guimarii, eccleſiam ſanctæ Trinitatis & ſancti Quirici martyris in vocabulo Placentro, in comitatu Balbenſe, ubi Finianus dicitur, *Piſcarienſi abbatiæ ſubjicit.*

Ann. Ch. MXLV. Dec. IX.

VITA V. ANGELRANNI ABBATIS
CENTULENSIS IN PONTIVO.
Ubi de venerabili ODELGERO ejuſdem loci monacho & Priore.
Ex HARIULFO Chronici Centulenſis ſcriptore ſubæquali.

Ex Spicilegii Acheriani tomo 4. cum mſ. cod. autographo collata.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *MONASTERIUM Centulenſe, quod à ſancto Richario exſtructum fuiſſe circa annum* DCXXV. *Sæculo ſecundo diximus, labente ſæculo nono à barbaris dirutum fuit; remanſitque pæne incultum uſque ad ſæculi undecimi initia. Hujus loci reſtaurator fuit Ingelardus ex monacho Corbeïenſi abbas Centulenſis factus; cui* ANGELRANNUS *noſter, ſeu ut alii pingunt,* INGELRANNUS, *ſucceſſit, vir non ſolum doctrina pro ſuo tempore præditus, ſed etiam præclare geſtis & pietate inſignis, unde ei* SAPIENTIS *cognomen inditum eſt. Ejus vitam ex libro quarto Chronici Centulenſis exſcripſimus, omiſſis nihilominus iis, quæ ad rem noſtram non faciebant. Hujus Chronici auctor eſt Hariulfus, qui paullo poſt Angelrannum in monaſterio Centulenſi vixit, quod ipſemet non ſemel, potiſſimum in fine libri quarti atteſtatur, ubi ſe à Gervino ſecundo, Angelranni, medio Gervino primo, ſucceſſore,* monachizatum *fuiſſe refert. Ex ejus vero epitaphio, quod tom.* 1. *Analect. editum eſt, diſcimus, eum ex monacho Centulenſi, tertium Aldeburgenſem abbatem factum fuiſſe.* Vitæ auctor.

2. *Angelranno inter ſcriptores eccleſiaſticos locus debetur, ob quædam opuſcula ab eo edita. Ex his ſuperſunt in mſ. codice Centulenſi quatuor libri de vita, miraculis & Relatione ſancti* Scripta.

Richarii, quos Fulberto, quondam ſuo magiſtro, adhortante compoſuit, ut ipſemet in Epiſtola ad ipſum Fulbertum nuncupatoria teſtatur. Hac porro epiſtola cum primo libro, & capitulis ſecundi & tertii edita eſt Sæculo ſecundo ad annum DCXLV. *quartus vero liber, qui ſancti Richarii corporis relationem ex Flandria in monaſterium Centulenſe continet, Sæculo* V. *inſertus eſt. Alia item opuſcula metrice compoſuit Angelrannus, de quibus agit Chronici auctor infra num.* 15. *Ceterum Scholaſtici nomen quod ipſe ſibi tribuit Angelrannus, tum etiam libri quos Bibliothecæ Centulenſi comparavit, magnam ejus in litteras arguunt propenſionem; idem probant diſcipuli, quos in monaſterio Centulenſi frequentes habuit, quæ omnia in ejus Vita fuſius exponuntur. Denique beatus Geraldus, poſtea Silvæ-majoris abbas, in libro miraculorum ſancti Adhelardi, quem cum adhuc Corbeiæ moraretur edidit, teſtatur Ingelrannum miraculo cuidam ſancti Adhelardi interfuiſſe, qua occaſione ejus eruditionem his verbis extollit.* Intererat Matutinis abbas Ingelrannus, qui eo tempore ceteris philoſophabatur altius, quemque hujus ſigni teſtem non ſors miſerat, ſed cujus gregis paſtor erat, ſanctus Richarius.

ANN. CHR. MXLV. DEC. IX.

3. *De anno aut die, qui Angelramno ſupremi fuerunt, nulla difficultas: annum quippe ejus obitus* MXLV. *diſerte exprimit Hariulfus. Dies autem in monaſterii Necrologio aſſignatur, nonus menſis Decembris, his verbis:* V. Idus Decembris obiit Angelrannus abbas.

Cultus.

4. *Sub Angelramno abbate Prior erat monaſterii Centulenſis* ODELGERUS, *cujus nomen cum* ſancti *titulo exprimitur in catalogo fratrum conſcriptorum Centulenſium, ad diem quintam Februarii, his verbis:* Nonis Februarii obiit ille ſanctus Odelgerus, monachus & Prior. *Ipſe tamen, ſicut nec Angelrannus, nullo cultu publico celebratur, immo & quo in loco eorum corpora jaceant, prorſus ignotum eſt: unde ſatis fuit utrumque* Venerabilis *titulo donare. Conjicimus nihilominus Angelranni feſtivitatem olim apud noſtros Centulenſes fuiſſe celebratam, ex veteri catalogo, qui Hariulfi Chronico, alia quidem ſed antiqua manu, additus eſt, ubi hæc leguntur:* Hæ ſunt ſollemnitates ad Centulam proprie pertinentes. Kalend. Jan. Dedicatio Eccleſiæ. V. Non. Mart. Gervini abbatis. V. Idus Decembris, Depoſitio ſancti Angelranni abbatis noſtri. *quæ indicaſſe ſufficiat, jam ejus geſta exponenda ſunt, inter quæ Odelgeri encomium occurret.*

Odelgerus.

INCIPIT VITA.

1. CUM igitur omnis mundus Unigeniti Dei deſcenſione per carnis aſſumtionem ſe gratuletur redemtum, ſitque univerſalis exſultatio, liberatio communis; proprium tamen quorumdam locorum dignoſcitur eſſe gaudium, viros habuiſſe tales, qui ſanctitatis ac doctrinæ prærogativa Patres non immerito vocentur & Paſtores. Hoc privilegio potita, ſitu & nomine dulcis Pontiva provincia, præcelſorum ſæpius lætata eſt virorum genitura. Ipſa denique illud fulgentiſſimum ſidus, beatum ſcilicet Richarium, olim protulit, cujus patrocinio & corporali præſentia ſe beatam exſultat Centula. Ipſa etiam poſt illos, quos ſupra meruiſſe legitur, glorioſæ recordationis virum protuliſſe ſcitur ANGELRANNUM, qui quoniam omnem ſui temporis laudem excedit, ſui nominis memoriam uſquequaque protendit.

2. Natus eſt Angelrannus Deifer, parentibus juxta ſæculi pompam non adeo generoſis, quamvis omnino ingenuis, ſed plane Dei timore elegantiſſimis: qui quantæ opinionis, quamque boni odoris foret futurus, ante ſuam nativitatem divinitus præmonſtratum eſt. Vidit namque ejus genitrix, quadam dormiens nocte, quaſi ex ſe leniter ſertum procedere, quod totius Centulæ muros præcingens, omnium ora in ſui laudem & admirationem ſolvebat; quod poſtquam religioſo marito inſinuavit, ille gratia doni cæleſtis afflatus, dixit pro certo hoc fore præſagium optimæ prolis, quam Domini dono proxime eſſent accepturi, quæ bonorum odore operum univerſos afflaret. Hic ergo bonæ indolis eſſe incipiens, profundique ſenſus acumine vigens, infra ævum puerile repertus eſt in litteris diſcendis ferventiſſime ardens. Jam enim Deo ſe inſpirante idem puer quinam futurus foret, præſagio quodam oſtentabat; & cum ſcriptum ſit, *Anima juſti ſedes ſapientiæ,* Sapientia vero Dei Chriſtus eſt, ſummæ Sapientiæ præſignabat ſe templum fieri, dum litterarum non poterat ſcientia ſatiari. Et quia non laſciviam mundi amplecti, ſed Dei ſervitio perpetim maluit mancipari, monachili auctus eſt toga intra ſancti Richarii monaſterii clauſtra:

Angelranni parentes.

Fit monachus.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXLV. Dec. IX.

dein divinis donis cum ætate creſcentibus, habitum quem humanis præferebat obtutibus, multimodæ ſanctitatis exornabat ſpeciebus. Inerat ei mater & nutrix virtutum humilitas; præpollebat in eo obedientiæ inedicibilis qualitas, conſervabatur ab eo illa quæ odiſſe quemquam neſcit caritas.

Litteris operam dat.

3. Enimvero quia, ut ſupradictum eſt, in diſcendo multum gliſcebat, recepta à Patre loci, nomine INGELARDO, non minima reverentia digno, licentia, longe ſepoſita ſcrutatus eſt ſcholarum magiſteria; more ſcilicet prudentiſſimæ apis, quæ circuit diverſorum florum arbuſta, ut mellis dulcore ſua repleat receptacula. Denique multorum experientia probatum, & liberalibus ſtudiis ornatiſſimum civitatis Carnotenæ venerabilem epiſcopum, ac cum multo honore vocitandum FULBERTUM, præceptorem adeptus eſt atque didaſcalum; hic ei monitor, hic tam morum, quam litterarum fuit inſtitutor. Gaudebat venerabilis Præſul de tanti diſcipuli ſolatio, relevabatur tam idonei auditoris induſtria atque ingenio. Tandem igitur Grammatica, Muſica atque Dialectica optime inſtructum, Centulam remittit tironem amiciſſimum, jam tunc ſacerdotio ornatum, quem velut grandem theſaurum recipit pia congregatio Centulenſium. Hinc jam quod ingenti ſtudio fuerat quæſitum, profertur magnæ ſcientiæ præcipuum margaritum, reparantur libri, conſcribuntur necdum conſcripti, educantur pueri, diſpertiuntur quam plurimis ſapientiæ theſauri, illuſtratur patria: & ab omnibus circumquaque *felix* vocatur Centula, quæ tanto præſagiebatur Patre beanda. Verum *populi id fieri* geſtientis voluntati & deſiderio felix acceſſit effectus.

Sub Fulberto Carnotenſi.

Cum Roberto rege Romam petit.

4. Eo tempore rex ROBERTUS prudentiæ lumine clarus, regni Francorum poſt patrem HUGONEM illuſtrabatur faſcibus, cui nutu divino, ut credimus, ſæpedictus vir tali modo refertur notificatus. Cum enim *adhuc* in Franciæ partibus detineretur diſciplinis ſcholaribus, *ſupradictus* Rex ire Romam bonæ voluntatis devotione eſt coactus: dumque juſſu ejus diverſis in locis quærerentur divini ſervitii plene imbuti officiis, ab omnibus prædicatus eſt efficax hac in re Angelrannus venerabilis. Itaque profectione parata Rex callem arripit, cui Angelrannus honeſtiſſima vita comes accedit. Interim dum gradiuntur, divitiæ hactenus occultatæ latius aperiuntur, prædicationum verba procedunt, commeantium corda infundunt; miratur Rex ejus affamina, delectatur continentis vitæ munditia, obſtupeſcunt omnes linguæ nitorem, reverentur animi puritatem. Verum quod in ipſo itinere relatum eſt geſtum fuiſſe, dignum videtur inſeri hiſtoriæ; ſi quidem multimoda aſſertione inſinuatus eſt, ita per omnem viam Deo Regique in divino ſervitio militaſſe, ut librorum numquam indiguerit juvari ſolamine. quod an fieri potuerit, non inertes judicent, *ſed* ſtudioſi examinent. Igitur Romam perventum, atque inde *feliciter* eſt remeatum [a].

5. Hujus ergo eventu itineris, vir Dei Angelrannus ad Regis notitiam venit; quapropter ipſe Rex non eum inter infimos relinquere corde tenus ambivit. Interim vero dum Rex perquirit, quo eum honore fulciat, ſemper venerandus Angelrannus ſua inhabitatione Centulam exaltat; & provenit Deo ordinante, ut abbatia Centulenſis paterna privaretur ſollicitudine. Fratrum ergo ſanioris conſilii concordi electione, id officii ſuſcipere cogitur Angelrannus, qui Domini præſcientia ante omnia ſæcula

Fit Abbas Centulæ invitus.

[a] Romanum Roberti iter commemorat vetus Chronicum à Beſlio laudatum, quod anno MXXVI. nonnulli conſignant. At ex Hiſtoria Tranſlationis SS. Saviniani, &c. quam ſupra edidimus, patet Robertum multo antea iter illud ſuſcepiſſe. Etenim ibi cap. 26. Conſtantia regina *cum parvulo filio Hugone Tillo* remanſiſſe, & anxia ne Berta eam ſubplantaret, à S. Saviniano confortata dicitur. Cum vero illa ignoraret quis eſſet Savinianus, à Theoderico, qui *poſtea factus eſt epiſcopus Aurelianenſis*, id accepit. Obiit autem Theodericus, ut ad ejus Vitam diximus, anno 1022. menſe Januario.

ad

ad hoc fuerat præparatus. Tunc Rex ovans, quod ſicut cupierat, locum honorandi reperiſſet, ſæpe dictam Centulam hac de cauſa concitato gradu devenit. Enimvero famæ velocitas Angelranni aures percellens, dicto citius timore ſalubri ejus præcordia replet. Quid ageret non inveniebat. fratrum unanimis electio, exſtante admodum parva quorumdam ſua nobilitate inflatorum contradictione, paſtoralitatem ſuſcipere cogebat; regia etiam auctoritas ad hoc impulſura propinquabat. Sed ille qui ſubeſſe quam præeſſe malebat, omnino ſe indignum hujuſce rei perceptione præjudicabat. Sumto igitur auſu ſilvarum luſtra expetit, ibique ſe ne inveniretur abditis quibuſdam recondit. Rex adveniens virum interrogat: furtim eum abſceſſiſſe monachorum turba proclamat. Rex miratur intentionem, prædicat humilitatem, jubetque ut citius pergatur, ac electus Domini ad ſe reducatur. Exeunt ergo militares præclarum Dei militem perquirentes: ſciſcitantur à quibuſcumque obviantibus, ſicubi viſus fuiſſet vir cluentiſſimus: tandem igitur peracta multa ſcrutatione, in ſilva Olnodioli dignoſcitur latere. Itur ocius, perquiritur, inventus adducitur, regiſque Roberti præſentiæ ſiſtitur. Rex itaque gaudens, eccleſiæ baſilicam intrat, omnique ſpectante nobilium vel ignobilium caterva, per funes ad ſigna pendentes ipſi totius loci dominationem delegat. Dein jubetur ab ipſo Rege, ut quantocius accelerararetur benedictionis conſecratio digna. Vere ergo iſte ſuperni membrum capitis fuit, qui memor ſuum Dominum, dum eum vellent populi facere Regem, fugiſſe in montem, ne ſupercilio prælationis extolleretur, maluit ſubire cavernam. — ANN. CH. MXLV. D I C. I X.

6. Jam vero ſumto Abbatis officio, quis ejus bona digne potens ſit explicare? Erat enim ei ſtudium jugę propriæ vitæ nævis carere, coram Deo & hominibus bona ſemper providere, commiſſorum inepta reſecare, tam exemplo quam verbo bona eorum augere; quidquid bonum ſemper ambire, quidquid pravum ſemper cavere. Nec ejus benevolentiæ ſat eſt animarum ſalutem obtinere, ſed curat etiam terrenis ædificiis locum commiſſum honorare. Denique mœnia ſtruxit, ſacras aras auro & argento veſtivit, Chriſtique vaſa ſacro-ſancta pro poſſe ampliavit. delectabatur plane ſanctum ingenium bono opere, paſcebatur pia mens ſancta exercitatione. Interea NOTKERUS Leodicenſis epiſcopus, cui à domno Ingelardo abbate quædam ſancti Richarii prædia fuerant oppignorata, obierat, & poſt alios duos DURANDUS ipſius ſedis ſuſceperat præſulatum. Hunc itaque abbas Angelrannus adiit, & ut conditionem, quam illius & ſuus fecerat anteceſſor renovaret, ne infirmaretur, exoravit. Qui Epiſcopus venerandi viri precibus adquieſcens, nam & à domno EBALO [a] Remorum antiſtite idipſum facere fuerat exoratus, tale denuo reſcriptum promulgavit. In nomine ſanctæ, &c. Acta ſunt hæc Leodio publice ſub die XIV. Kal. Octobris. Anno Dominicæ Incarnationis MXXII. Imperii vero Henrici XIX. &c. Hac igitur pactione utiliter reparata, monaſterium reverſus eſt. — Suorum curæ incumbit.

7. Aliquando etiam Neuſtriam ivit, & colloquio Marchionis RICHARDI uſus, poſtulavit eumdem Ducem, ut pro ſalute ſuæ animæ ſancto Richario aliquid largiretur. qui ſciens virum eſſe prudentem, & monaſtici tramitis amatorem, benigne ei paruit, conferens per ejus manum ſancto Richario caſulam pretioſæ purpuræ, & eccleſiam Scabellivillæ, de cujus donatione talem condidit deſcriptionem. — A Richardo Duce, dona obtinet.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, ego RICHARDUS [b] divina

[a] Ebalus Remenſem eccleſiam ab anno 1024. tenuit uſque ad annum 1033. quo è vivis exceſſit; ſepultus eſt in ſua eccleſia prope gradus chori. Exſtant ad ipſum epiſtolæ nonnullæ Fulberti Carnotenſis.

[b] Richardus II. filius Richardi I. & Gunnoridis, fratrem habuit Rotbertum Rotomagenſem Archiepiſcopum, de quo paullo inferius.

Digitized by Google

ANN CH. MXLV. DEC. IX.

» concedente gratia Nortmannorum Dux. Compertum eſſe volumus om-
» nium ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelium induſtriæ, quod Angelrannus abbas
» Centulenſis cœnobii, ubi venerabilis confeſſor ſanctus Richarius quieſcit,
» clementiam noſtram expetierit, quatenus ipſi Sancto largitione noſtræ
» eleemoſynæ conferremus aliquid. Conſilio ergo & ſuggeſtu noſtrorum
» fidelium, decrevimus tradere perpetuo prædicto ſancto & ſervis ejus ec-
» cleſiam, quæ ſita eſt in Scabelli-villa. Præfatus vero Abbas & Fratres ſub
» teſtificatione præſentis chirographi ſpoponderunt, quod amore genito-
» ris noſtri, noſtro, & matris, conjugis & prolis, perſonâ unius monachi
» ipſius congregationis augeretur numerus; ea conditione, ut illo decedente
» à ſæculo, alterius per ſæcula ſubſequatur ſucceſſio. Illud etiam ut, ab ho-
» dierna die & deinceps, nos, noſtrique filii ſupradictæ congregationis ap-
» pellati ſocii, omnium quæ ibi geſta fuerint bonorum habeamur partici-
» pes. Ut igitur hæc futuris temporibus donatio ſtabilis permaneat, ſub gra-
» vi anathemate facto ab Archiepiſcopo, me præſente, vel à quibuſdam
» Epiſcopis cum ſuis Sacerdotibus, qui forte tunc noſtræ aderant curiæ,
» juſſimus roborari, & hanc inſuper chartulam fieri, quam ſigno manus pro-
» priæ voluimus conſignari. Signum Richardi Marchionis. S. Roberti ar-
» chiepiſcopi. S. Gonnoridis matris eorum. S. Judith. S. Richardi pueri.
» S. Roberti pueri. S. Vuillelmi pueri. S. Malgeri. Actum Rothomago II.
Idus Martii. Robertus [a] quoque ipſe Rothomagenſis archiepiſcopus vi-
rum bonum eſſe cognoſcens domnum Angelrannum, donavit ei unum
bonum dorſale, quo hodieque noſtra eccleſia ornatur.

Corpus ſancti Vigoris Centulæ ſervatur.

8. At quia nunc Nortmanniam intravimus, libet parumper ſubſiſtere, ut quoddam neceſſarium explicemus. Retulimus ſub domno Ingelardo, beati VIGORIS epiſcopi corpus honorabile à Neuſtria Centulam tranſlatum, quod quia meruimus, Deo omnipotenti ex corde intimo gratias rependamus. Securi igitur de Dei munere in ſancti corporis collata nobis benedictione, jam modo contra illos agamus, qui tantum bonum noſtrum obſcurare nituntur. Eſt enim quiddam ſenſibus noſtris illatum; quod Deo auxiliante, abundanti ratione purgabitur, ſi tamen faciente invidia *obliquus* non adſit auditor. Verum nos ſingulariter neminem appetimus, omnibus ſemel reſpondentes: dum enim quemquam noſtratum cum Neuſtrianis vel Silvanectenſibus de ſancti corpore colloqui contingit, dicentibus iſtis, quia noſter Epiſcopus fuit, nobis quieſcit; illis æque referentibus ſe hunc habere: noſter à Deo nobis datus theſaurus apud incertos quaſi fuſcari videtur. Unde ſatis neceſſarie hanc modo rationem perſolvimus, qua ſcilicet apud nos illum eſſe veraciter comprobemus. quod ſi quiſquam clareſcentibus miraculis hunc ſe habere defendat, & nos multo magnificentius eadem experti ſumus. Vere enim Chriſtiana fides fatetur, omnes Deo conjunctos, non eo tantum loco quo corpore habentur, ſed ubicumque fideliter rogantur, divina poſſe monſtrare. Sed jam pergat ſermo in nomine Domini quo deſtinatum eſt, huncque ſanctum nos confirmemus habere, tametſi alias magna operari videatur. Chriſtus veritas nobis adſtipulatur, ipſa ſancti viri anima cœleſti ſemper hereditate beata teſtimonium reddet, immo de verbis ejus verbi noſtri teſtimonium fiet. Neuſtriani tamen, qui & Normanni, ſui Epiſcopi non bene cuſtoditi arguendi videbantur: ſed mentem remordet, quia niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam. Ob hoc autem illos ſinentes alia expediamus; dum & theſauri quondam habiti & modo perditi amiſſione conſtet eos ſatis fuiſſe punitos. Silvanectis autem civibus de ſancti corpore inaniter ſuperbis jam modo ora claudamus. Quo primo igitur tempore ſancti

[a] Annis quadraginta & octo eccleſiam Rotomagenſem rexit ab anno ſcilicet 989. ad 1037. quo obiit. De eo agit Ordericus Vitalis, eique Fulbertus Carnotenſis aliquot litteras ſcripſit.

corporis illatione beata eſt Centula, abſque ullis geſtorum ejus adminiculis aliquamdiu permanſit. Delator nempe nomine & gradu atque civitate epiſcopii ejus relatis, de ceteris conticuerat. Cum autem Ingelardi abbatis de medio facti hic venerabilis Angelrannus, cognomento Sapiens, vicem ſuſcepiſſet, fuit ei neceſſitas illa quæ ſupra expoſita eſt ire Normanniam. His pro quibus ierat peroratis vel definitis, à clericis ipſius provinciæ & à monachis ſancti Audoëni [a] cœpit inquirere, an noſſent aliquem ſanctorum, qui diceretur Vigor. Illi autem optime hunc ſcientes, hoc ſolum mirati ſunt, quod ipſe Abbas tantum confeſſorem neſciret, referentes ortum, vitam, ejuſque dignitatem. Tum abbas rogat ſibi monſtrari vitæ ejus ſcripturam, & deſcribendi largiri copiam. At illi cum annuiſſent, tali ab eo auditu percelluntur: Cœnobio, inquit, Centulæ in monaſterio domini mei ſancti Richarii hujus ſancti corpus habetur. Tum monachi beati Audoëni dixerunt ei: In hoc, honorande pater, te ſcito hunc revera habere, ſi oſſa ipſa inſpectans, mentum non inveneris apud te. quod idcirco illic tu non invenies, quia Deo gratias illud nos habemus. At ubi patriam noſtram cum libello vitæ ejus repedavit, curavit inſinuata citius probare. Revolvit ſancta membra, & inventa tota oſſium congerie, mentum deeſſe invenit. Quia vero ipſius vitæ lectio docebat, qua die ſanctus è mundo migraſſet, hæſitabat parum quid faceret: quia eam diem omnium ſanctorum feſtivitas ex moderna Patrum [b] inſtitutione vindicabat. Statuit autem, ut ſequenti die feſtivitas ſua ſancto reexhiberetur. Factumque eſt ita, ſed non ſic ut tantum decuiſſet confeſſorem. His proficue, ut ſperamus, inſertis, ad domni Angelranni vitam tranſeamus, alibi [c] de ſancto Vigore certiora, & quibus obviari non poſſit probamenta dicturi.

Conſtantia ejus in reprehendendis nobilium vitiis.

9. Multo ſudore & ingenio hic venerandus homo ſemper ſtuduit ad uſum monaſterii illa revocare, quæ vel deſolationis tempore, vel ſub ſui tempore anteceſſoris, aliqua fuerant fraude ſubducta. Conſtantia quippe internæ fortitudinis, quæ menti ejus inerat, multam potentium ſuperbiam edomabat: quia fiducia ſanctitatis ſe vallante, nullius potentiam verebatur. Angelrannus denique Comes Pontivorum, Hugonis advocati filius, cum ob expertam in illo ſanctitatem compater ejus factus fuiſſet, magno etiam timore erga illum agebatur, quippe apud quem humani ingenii pravitati nihil ſucceſſum ſciebat. Antiquitus ſervata eſt conſuetudo, ut in feſto ſancti Richarii tota Pontivorum militia Centulam veniret, & veluti patriæ domino, ac ſuæ ſalutis tutori & advocato, ſollemnem curiam faciebant. Cum itaque jam dictus Comes inevitabiliter ad ſancti Patris feſtum, aut alia qualibet die monaſterium intraſſet, ſtatim ab Abbate venerabili, ſi quid loco abſtulerat, tanta invectionis auctoritate arguebatur, ut miro modo non Comitem à monacho, ſed ſervum à domino increpari qualitate rerum putares. Si aliquando corripienti non obediiſſet, Abbas loci amator, qui dicere poterat, Zelus domus Dei comedit me, continuo ſeſe in verbis exaggerans, illumque infidelem, illum raptorem clamitans, niſi emendare ſponderet, continuo excommunicabat. Hæc ejus animi fortitudo plurimum contulit, & ut ſuo tempore nihil loco raperetur obtinuit: Quod nos ideo ſic dicimus, quia cum noſtro ævo deſint largitores, bene nobis res agere videretur, ſi non pateremur infeſtiſſimos prædatores. Venerabilis tamen Angelrannus non hoc ſolum obtinuit, ut ſibi nihil tolleretur, ſed & ut multa per Dei gratiam ſibi darentur & redderentur. An-

a Sancti Audoëni celebre monaſterium Rotomagi hodieque à monachis Benedictinis Congreg. S. Mauri incolitur.

b Et tamen jam ſæculo nono recepta erat omnium ſanctorum feſtivitas, quam Ludovicus Pius, adhortante Gregorio IV. ſummo pontifice, in Gallia & Germania celebrari mandavit. Vide Thomaſſinum in Tractatu de Feſtis lib. 2. cap. 21. Hodieque S. Vigoris corpus apud ſe ſervari aſſerunt noſtri Centulenſes.

c In capite ſcilicet 20. hujus quarti libri Chronici Centulenſis, in geſtis beati Gervini, quæ dabimus in altero hujus Sæculi tomo.

Digitized by Google

ANN. CH. MXLV. DEC. IX. gelrannus igitur Comes, monitis ejus animatus, villam quamdam ſancto Richario delegavit, de cujus deditione teſtamentum conficiens; regia auctoritate confirmari voluit, ita ſe habens:

» In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ego ANGELRANNUS compertum fore cupio cunctorum ſanctæ Dei eccleſiæ fidelium induſtriæ, quod remorante præcellentiſſimo rege ROBERTO Compendii palatio, corroborandam in præſentia ejus obtuli, quam feceram ſancto Richario quondam donationis chartulam. Tradideram ſiquidem ipſi ſancto in pago Pontivo villam, quæ Comitis-villa vocatur, eo conditionis pacto, ut ego ipſe dum vixero, & poſt me unus heres, quem vivens deſignavero, teneam, atque in feſtivitate ſancti Richarii, quæ VII. Idus Octobris [a] celebratur XII. denarios in cenſu perſolvam. quod ſi heres à me deſignatus reddere neglexerit, aut legaliter emendet aut perdat. Quam conceſſionem in præſentia Regis regnique nobilium obtuli & regia auctoritate confirmandam cenſui. Signum Roberti regis. Sig. Conſtantiæ reginæ. Sig. Henrici ducis. Sig. Roberti. Sig. Odonis. Sig. Angelranni comitis. Actum Compendii palatio Nonas Aprilis.

Adverſa patitur.

10. Hucbertus quidam miles, qui beneficiarie cum jurejurando noſtrati Abbati famulari habebat, huic venerabili Angelranno aliquoties cauſa probationis exſtitit. Si quidem aliqui ex ſuis parentibus ſub præſtatione certi temporis tenuerant villam ſancti Richarii, vocabulo Noguerias, & tali occaſione tamquam hereditatem ſibi vindicabat. Contradicente Abbate, & illo inſaniente, multa dura contigit venerabilem Angelrannum ejus immiſſione pati; nempe quam forti amoris vinculo erga ſuos ſtringeretur, hinc patuit, dum contra hunc Hucbertum, contraque omnes qui fratrum poſſeſſiones rapere conabantur, tam divinarum quam humanarum legum auctoritate certare non deſtitit. Nam Dei & Domini noſtri informatus exemplo, & accenſus amore, qui pro ſuis ovibus animam poſuit; ipſe quoque pro eccleſiæ Centulenſis villis vel prædiis multa pericula, multaſque iniquorum inſidias perpeti non formidavit: pro illis certe qui ſibi erant commiſſi animam poſuiſſet, ſi id neceſſe fuiſſet, qui pro eorumdem re temporali, cum neceſſe fuit, multis injuriis affligi non recuſavit. Ut enim ſubjectorum animas ſalvaret, ipſe temporali ſuæ ſaluti numquam agnitus eſt peperciſſe. Nam non in tantum creverat tyrannorum atrocitas, ut corpora perimendo animas effugarent; ſed ad hoc proceſſerat eorum cupiditas, ut eos rebus ſpoliantes, miſeros efficerent: & quia iſdem magnificus vir eorum ſævitiæ perpes contradictor exſtitit, ab eis multa perpeſſus, etiam gladii percuſſionem Dei amator toleravit. Sed quia vere fateri poſſumus, juſtum confidere quaſi leonem; iſte pro commiſſis, bona conſcientia fretus, nullam timuit paſſionem. Caritas enim in eo locum ſibi vindicabat priorem, quæ foras utique propellebat timorem. Tamdiu itaque contra Hucbertum inſtitit, uſquequo procerum judicio in Regis præſentia, eam quam diximus villam derationaret.

Henricus Galliæ Rex monaſterio villam reſtituit.

11. Sed quæ non mortalium corda rapacitas urget, ſi adſit locus! Rex enim HENRICUS illectus cupiditate, poſtquam fuerat definitum, ut Hucbertus non haberet in proprium jus, villam tulit, & quinquennio illius redditibus uſus eſt. Sed cum ab Abbate frequenter argueretur, tandem metu judiciorum Dei coactus, & venerabilis Angelranni aſſidua interminatione fractus, nobis eam ceſſit, & ſuper ejus redditione teſtamentum confecit, quod nos quoque utiliter hic conſignamus.

» In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. HENRICUS Dei gratia
» Francorum rex, omnibus Catholicæ Eccleſiæ filiis, quibus eſt cura animæ
» & corporis. Notum eſſe volumus cunctis futuris & præſentibus, qualem

[a] Prima ſcilicet ejus Tranſlatio ex veteri Proprio Centulæ; ejuſdem Natale celebratur die 26. Aprilis, Relatio autem die 2. Junii.

Digitized by Google

reditum ſancto Richario pro animabus noſtris & ſucceſſorum permiſe- « Ann. Ch. MXLV.
rimus. Miles quidam, Hucbertus nomine, Noguenariam cum ſuis appen- « Dec. 15.
diciis, quamdam ſancti Richarii villam, tenebat ſuæ invaſionis tortitudine. «
Quotquot vero anteceſſores ejus tenuerant, ſancto Richario per præſta- «
tionis occaſionem tollebant; iſte vero quaſi propriam volens invadere, «
repulſus eſt aliquantum Abbatis & Fratrum reclamatione: & illo funditus «
repulſo, cenſura judicii noſtri decidit in noſtram juſſionem: quinquennio «
tenui, ſolidam & quietam habui. Poſthæc memor animæ meæ, & licet «
modicum cogitans de ejus redemtione, inclinatus etiam ab Abbate, & «
monachorum collegio, tradidi eam ſancto Richario. Addidit etiam Co- «
mes Angelrannus ejuſdem loci advocatus ſuam petitionem, cui ego eo te- «
nore annui, ut numquam inde acciperet aliquam conſuetudinem. Quod «
ne quis etiam ſucceſſorum meorum audeat infringere, Hezelini Pa- «
riſiacenſis epiſcopi perculſi * anathemate, & omnium qui mecum erant « *percuſſi.
Francigenæ, nec ipſum excepi Abbatem, ut alicui per aliquam tradat oc- «
caſionem, ne aliqua iterum erratio noſtræ animæ fiat periculo. Prohibe- «
mus ergo iterum atque iterum noſtro imperio, & omnium Epiſcoporum «
noſtrorum interminatione, ne aliquis malefactorum aliquo modo audeat «
uſurpare, ut non fiat mihi in illa reprobatio neceſſitate, ubi merita mea «
non poterunt me juvare. Prorſus ne aliquis dubitet imperium, videat «
ſcripto imperantis edictum. Actum eſt anno Dominicæ Incarnationis «
MXXXV. Regnante Henrico rege, anno regni illius III. Abbas Angel- «
rannus ſubſcripſit; Rollandus monachus ſubſcripſit, Gual- «
terus ſubſcripſit, Algisus ſubſcripſit, &c. Hi etiam ſunt teſtes «
omnium Epiſcoporum excommunicationis, præcipue Hezelini Pariſiacen- «
ſis. Qui deinceps infregerit iſta, cum Dathan & Abiron fiat ei anathema «
maranatha, Amen. *Hic omittimus reſtitutionem molendini, eidem monaſterio à* «
Raginero milite factam.

12. Cum in omnibus erga hunc ſanctum locum Angelranni abbatis cura provida ſemper haberetur, non tamen ejus benevolentia ſublevandæ pauperum neceſſitati deerat. Fuit igitur ei pietas comes inſeparabilis, per quam, Dei gratia ſe auxiliante, miſerorum conſolator ſplenduit ſingularis. Multoties enim è clauſtro proceſſit, ut miſerendi locum quoquomodo poſſet nanciſci; & cum pro alicujus utilitatis ordinatione putaretur egredi, ille juſtitiæ famelicus, miſericordiæ actibus cupiebat ſaginari. Enimvero geſtabat nonnumquam pius latro ſacculum miſericordiæ gazis refertum, & dum hinc ac inde cerneret pauperem quemlibet proximare, antequam contra illum perveniſſet, ſumtos denarios in terram ſolebat jactare, illumque volentem tranſire, ad ſe Pater miſericors evocabat, & quaſi neſcius quid illud eſſe poſſet quod ſolo tenus jacebat ſciſcitabatur. Ille qui ignorabat actum, Domine, aïebat, video nummos ſuper terram jacere. Tum ille bene fraudulentus, & piè deceptor, ire jubebat & ſibi tollere, dicens à Domino illi eſſe præparatos. O virum vere Deo dignum! ô animum omni laude jugiter attollendum! ne enim vita expers maneret, piis actibus continue inſtabat; & ne eum laus tranſitoria percelleret, ipſos pios actus occultabat. Libet parumper noſtram pravitatem, noſtræque intueri mentis tortitudinem. Nam & cum bona non facimus, cupimus laudari; & ſi parum quid contigerit nos boni facere, ab omnibus cupimus prædicari. Nos nec actu nec virtute qualibet reſplendemus, & velut ſanctiores pro ſolo habitu honorem extorquemus. Damnanda prorſus miſeria, non eſſe ſanctum, & ſanctitatis requirere debitum. Verus itaque Dei cultor Angelrannus bonorum operum exercitiis illuſtratus, hoſpitalitatis amator devotus, humilitatis ſervator aſſiduus, caritatis etiam obſes manſit æternus. [Miſericordia erga pauperes.]

13. Verum ingenii ipſius ſagacis non facere mentionem, impiiſſimum

Ann. Ch. MXLV. Dec. IX.

Opera ab ipſo ſcripta.

duco errorem. Nam præcipiente ſibi venerabili ſuo quondam magiſtro, domno ſcilicet Fulberto Carnotenſi epiſcopo, almiflui confeſſoris Chriſti Richarii vitam ab antiquis compendioſe deſcriptam, verſu heroïco jocundiorem fecit; nihil pæne extrinſecus addens, ſed eumdem ſenſum per omnia repræſentans. Sane miracula, quæ Dominus ac Salvator noſter per ejuſdem Sancti merita ſuo tempore exhibuit, in uno libello compingens [a], antiquis ejus miraculis compaginavit; in quorum capite poſtea quæ ſupra texuerat ſic exorſus eſt fari:

Nunc ea complectar proprius quæ vidit ocellus.

Subſequenterque intexit illam ſancti Richarii relationem; quæ in præcedenti libello à nobis plenius expoſita eſt [b].

Odelgeri virtutes.

14. Hujus autem Deo tam cari viri vita excellens, multorum ſtudia ad ſupernorum amorem accenderat: unde nunc æquiſſimum judicamus in ejus diſcipulorum actibus, quanta Dei gratia viguerit, oſtendere; ut quem jam monſtravimus vere ſanctum, ac per hoc Deo proximum, inde magis ejus bonitas reſplendeat, quo non ſuis ſolis, ſed & commiſſorum provectibus magnificus comprobatur. Erat ergo in hoc ſancto cœnobio venerabilis vitæ vir, nomine ODELGERUS, qui abſtinentiæ miræ, obedientiæ ſummæ, ſuique cuſtos oris, magnum religionis per Dei gratiam præbebat lumen: qui à puero quidem ſacris fuerat ſub domno Ingelardo abbate diſciplinis informatus, ſed ſub reverendiſſimo Angelranno, Decani vel Prioris potiebatur miniſterio. Hic ergo aſſidue lectioni & orationi inſiſtens, animi quoque ſimplicitati & puritati ſtudens, magnæ vitæ ſtudiis pollebat. In exterioribus etiam miniſtrandis ſatis probus ac valde aptus exſtitit. Conſuetudo autem ei fuerat perpetua, ut quando fratres ex indulgentia remiſſioris vitæ, aliquid ſæculare aut etiam irreligioſum in communi ſermocinarentur, ſecederet in eccleſiam, ibique pſalmodiæ & compunctioni intentus, ſedule Domino jungebatur. Qui etiam ne aliquo impulſu, aut alicujus occurſu præpediretur, ſuperiora templi conſcendere procurabat, ibique liber & remotus, quaſi de proximo ac de vicino, divinis obtutibus laudum & precum holocauſta offerebat. Hic itaque poſt longam in ſancto propoſito exactam vitam, ad extrema pervenit: qui cum morti proximus exſiſteret, & à fratribus vel à famulis eccleſiæ circumdaretur, repente exclamavit & dixit: Ecce chorus adeſt Angelorum. Ut enim omnipotens & pius Deus oſtenderet quam devote ei ſervierat, voluit ſuæ divinitatis ei morituro miniſtros tranſmittere, ut in eorum conſpectu atque præſentia, ſine gravi metu & dolore de corpore exiret. Hac autem vice, omnibus qui aderant ſtupefactis, repente iterum ſubjunxit, & ait: Ecce chorus Prophetarum. Silentioque parumper habito, ſic intulit: Ecce chorus Apoſtolorum; ac deinde: Ecce, ait, chorus Martyrum. Cumque paullulum conticuiſſet: Ecce, inquit, chorus Confeſſorum: noviſſime vero cum denuntiaſſet dicens: Ecce chorus Virginum, eodem momento ſpiritum emiſit. Et quia veraciter cæleſtis patriæ cives ad ſe ſuſcipiendum veniſſe vidiſſet, ſequendo teſtatus eſt. Reverendiſſimus vero abbas Angelrannus eum, ut decebat, vere ſanctum, in eccleſiola ſancti Vincentii martyris, quæ erat clauſtro contigua, venerabiliter ſepelivit, & ſuper ejus buſtum tale epitaphium compoſuit.

Pia mors.

Juſtitiæ cultor fuit, & bonitatis amator
ODELGERUS, in hoc qui recubat tumulo.

[a] Vide obſervationes prævias num. 1.

[b] Hic in codice titulus capitis 9. ſic habetur: *De Miraculis ſancti Richarii, quæ ejus tempore acciderunt.* At caput ipſum deſideratur, quod forte nihil aliud eſſet à libello de Relatione ejuſdem S. Richarii.

Digitized by Google

Subtraxit vitæ quem vix Februaria nona,
Ut ſpes eſt, regno miſit & æthereo.

15. Angelrannus venerabilis inter ſuæ magnæ ſapientiæ monimenta, in ſancti Richarii honore, quamvis antiqui abundarent, quoſdam cantus dulciori compoſuit melodia, necnon ſanctorum Vvalarici abbatis, & Vulfranni archiepiſcopi honori proprios cantus coaptavit: beati quoque Vincentii martyris paſſionem metrice compoſuit, ſanctæque virginis Auſtrebertæ vitam metro ſubegit. Et quia tantus ſcientiæ fulgor non facile poterat abſcondi, multi nobiles ejus ſe ſubdidere magiſtratui: è quibus fuerunt duo honorifici viri, GUIDO [a] præſul Ambianenſis, & [b] DROGO epiſcopus Taruennenſis. Hi ejus ſe diſcipulos, hi quoad vixerunt ſemper gratulati ſunt ſe ejus prudentia illuſtratos. In tantum enim diſciplinæ ejus bonitas ſparſerat, ut ubique ab omnibus ANGELRANNUS SAPIENS ſpecialiter non immerito vocaretur. *Angelranni carmina.*

16. Cum igitur tantis & talibus bonæ famæ opinionibus miro modo polleret, impleretурque in eo ille apoſtolicus ſermo, *Chriſti bonus odor ſumus Deo in omni loco*; inſpector ille cordium, videns eumdem ſuum famulum infatigabili deſiderio ſibi velle ſociari, ut puriorem quandoque ſuſciperet, immo ut meritorum copiam ei accumularet, ſtatuit eum adhuc tentationis lima polire, ac ſuper incudem corporeæ infirmitatis, malleo propriæ percuſſionis interrogare. Denique tanta eum paralyſis acerbitate perculit, ut non manum ad os ducere, non in lectulo ſe deinceps quiverit movere. Religantur manus innocentes ſupernæ diſtrictionis vinculo, & quæ in bonis ſe ſemper exercuerant, ac mala ſtudioſius caverant, hæc vel illa, bona dico vel mala, ne contingant artantur. Semper igitur gratias retulit Conditori, & cui antea in omni bona operatione ſe devotum exhibuerat, nunc valetudine preſſus, corde & lingua laudis ſacrificium victimabat; & cum hoc morbo ſic vinculatus eſſet, ut omnino ſui impotens maneret, tamen ejus ubique auctoritas metuebatur, ejus ubique nomen reverebatur. Sæpe autem accidit, ut quolibet reſidens uberrime fleret, & cum ab aſſiſtentibus interrogaretur quænam eſſet cauſa ploratus; ſe peccatorum pœnas formidando cogitare reſpondebat, quos intra tartari clauſtra diabolo miniſtrante patiebatur, & ob hoc non poſſe omitti quin fleret. Ita etiam cum alternantibus vicibus ſe lætiſſimum præmonſtraret, interrogarentque famulantes, quidnam rei eſſet, quod tam alacer videretur; aiebat de cæleſtium gaudiis Angelorum, deque Sanctorum felicitate perpetua hanc ſibi emanaſſe exſultationem. *Incidit in paralyſim. 2. Cor. 2. 15.*

17. Seneſcente autem illo, cum multis utile videretur, ut eidem Rector ſubſtitueretur, quidam ſecundum carnem nobilis, filius nempe ANGELRANNI Pontivorum Comitis, nomine FULCO, ejuſdem loci alumnus, parentum auxilio, ſæpe dicti loci Centulenſis regimen ſibimet uſurpare tentabat. Sed enim cum rex Francorum Henricus, quo neſcio caſu accidente, Pontivum deveniſſet, idem Fulco, intercedente jam dicto Comite Patre ſuo, cupiebat obtinere ab eodem Rege totius loci dominationem, quod & factum eſt, ignorante penitus domno Angelranno abbate. Jam dictus vero Fulco, cum ob donum regium ſe Abbatem fore auſpicaretur, ſumta audacia impudenti, quibuſdam militaribus in Fratrum refectorio, more ſcilicet incompetenti, convivium opulens exhibuit, quo ſibi faceret fideliores, & ad adquirendum ſibi honorem promtiores. At ubi nuntia- *Fulconi abbatiam ambienti reſiſtit.*

[a] Guido poſt Fulconem ipſius fratrem, qui in Synodo Remenſi ſub Leone IX. papa exauctoratus fuit, Ambianenſem thronum aſcendit. Obiit anno 1074. ex Chronico Centulenſi. Infra num. 22. Archidiaconus dicitur.

[b] Hanc ſedem obtinuit Drogo ab anno 1031. ad 1078. Interfuit Concilio Remenſi ſub Leone IX. & elevationi corporis ſancti Bertini. De eo jam non ſemel actum eſt.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXLV. Dec. IX.

tum eſt iſtud patri Angelranno, miniſtros vocat, protinuſque ſe illuc deportari mandat. Manibus ergo famulorum ad oſtium uſque refectorii devehitur; ibique figens gradum, ex auctoritate omnipotentis Dei eos qui convenerant anathematizat. Hinc vero omnis illa eorum factio inchoat diſſipari. Cerneres enim meliores quoſque, in quibus parum quid timoris reſederat, quaſi reos ante judicem, ſic ante juſti faciem pavitare, & incendio excommunicationis ab eo illatæ miro modo terreri. Vir Dei itaque ſecedens inde Fulconem evocat, & an Abbas effici velit, minaci verbo ſciſcitatur. cui præ pudore nihil reſpondenti ſententiam intulit, dicens non poſſe eum fieri Abbatem [a], quamdiu ſcilicet ipſe in corpore moraretur. Et quamvis iſdem Fulco etiam alterius abbatiæ donum à Patre ſuo habuerit, numquam tamen, quamdiu vir beatus ſupervixit, effici Abbas ullatenus potuit, quia videlicet viri Dei ſermo obtinuit. Qua in re animadvertitur ſanctus vir prophetico ſpiritu actus fuiſſe, qui non abſque nutu divino prædixerat eumdem non poſſe fieri abbatem, quamdiu ſcilicet ipſe in corpore moraretur. Si quidem poſtquam venerabilis pater Angelrannus cælicas receſſit ad ædes, idem Fulco abbatis officio donatus eſt primo poſt ejus ſepulturam die, prælatuſque monaſterio Foreſtenſi, quod ex antiquo, ut in hoc opere lucide patet, fratrum ſancti Richarii cella fuerat; ſed paullo ante à Comitibus Pontivorum ſubtractum, abbatiolæ nomen ſibi vindicat.

Ac futurum prædicit.

18. Et quia ad id loci pervenimus, libet memorare ob rerum notitiam poſteris intimandam, qualiter idem locus nobis ablatus eſt. Ab ea die qua beatus & ſanctus pater Richarius ibi finem vitæ mortalis accepit, & deinceps uſque ad tempora Ingelardi abbatis in noſtratum deguit ditione. Hugo vero primò Dux, poſtea Rex, eo tempore quo propter barbarorum cavendos incurſus, Abbatis-villam nobis auferens caſtrum effecit, eique Hugonem præpoſuit Militem, Foreſtis Cellam noſtræ ditioni ſubripuit, & eidem Hugoni perpetuo habendam contradidit, quia videlicet ipſius Ducis filiam, nomine Gelam, uxorem duxerat. Antea igitur in eadem cella clerici Domino militaverant: ſed Hugone poſtulante, aliqui ex noſtris illic monachis ſtatuti ſunt, qui & abbatem meruerunt ſimili modo monachum noſtratem, nomine Guidonem, domni Angelranni fratrem; quique cum aliquantis ibidem annis in animarum regimine miniſtraſſet, officii ſucceſſorem habuit, Hucbertum nomine, noſtratem monachum. Quando quidem nobis ille locus tollebatur, tamen ob amorem & honorem almi Richarii ſtatutum eſt, ut de noſtris ſemper ibidem fierent abbates monachis. Hucberto quoque mortuo, ejus loci regimen ſuſcepit hic Fulco, quem noſtri monaſterii dominium ſibi uſurpare voluiſſe notavimus. Libet vero dicere de domno Guidone abbate, quod cum egregiis moribus & Deo placitis fulgeret, oculorum lumine, ſicut & ſanctus Tobias, privatus eſt, omnino tamen perſeverante in mente ejus divinæ contemplationis claritate. Mox vero ut hoc flagellum cum gratiarum actione à pio patre Deo excepit, ſuccedi ſibi popoſcit; & rediens Centulam, quod ſuperfuit totius vitæ in ſancto ibidem explevit ſervitio: qui etiam VIII. Cal. Maii [b] dormitionem accepit, & à venerabili fratre ſuo Angelranno juxta ſancti illius monachi Odelgeri corpus humatus eſt, talique dictitio prænotatus.

Monaſteriũ Foreſtenſe.

Guido abbas.

Obitus.

Mauſoleum hic patrem recolendum rite Guidonem,
Sculptus litterulis monſtrat habere lapis.

[a] Non ſolum abbas Centulenſis non potuit eſſe Fulco vivente Angelranno, ſed & nec ullius omnino loci, ut ex ſequentibus patet.

[b] Hunc ipſum diem aſſignat Necrologium Centulenſe his verbis: VIII. *Kal. Maii obiit Guido abbas, qui fuit frater Angelranni abbatis.*

Extulit

Digitized by Google

Extulit egregiæ quem mundo gratia vitæ:
Sublimem mundus hunc faciat precibus.

Verum & illud placet referre, quod is de quo ſupra diximus Hugo, non Comes, ſed advocatus dictus fuerit, quod nomen illi erat inſigne, ob hoc quod eccleſiæ ſancti Richarii defenſor fuerit à Rege Hugone inſtitutus. Quo etiam nomine filius ejus Angelrannus, hujus Fulconis pater, fuit contentus, donec permiſſu Dei Bolonienſem Comitem bello peremit, ejuſque relictam nobiliſſimam, nomine Adeluiam, in matrimonium accepit. Et quia Comitiſſam duxit uxorem, idcirco deinceps Comitis nomen accepit, quod à ſucceſſoribus ejus jam ex conſuetudine tritum perſeveranter tenetur. *Advocati S. Richarii unde dicti comites?*

19. Sed ad noſtrum Angelrannum redeamus, & qualiter bonus bonum habuerit ſucceſſorem jam dicere inchoemus. Cum, ut ſupra dictum eſt, comperiſſet Fulconem parentum interceſſu, & pretii datione, præripere voluiſſe regiminis miniſtrationem, voluit adire regiam majeſtatem, ne animarum cura venderetur oraturus. Quod quia aliter ob infirmitatem non potuit, curru vectus implevit, & Regis auribus ſatis dura inferens, tormenta inferni illum ſubire ob diſtractionem gratiæ minatus eſt. Et Rex, qui bonæ mentis habebatur, pœnituit, reatuſque indulgentia rogata ſe ſpopondit emendaturum. Non multi poſt hæc fluxerant dies, cum ecce ex divina, ut tenemus, voluntate, regali audientiæ interfuit Virdunenſis abbas RICHARDUS, reverendiſſimum monachum, & merito bonitatis unice dilectum, GERVINUM ſecum habens capellanum. Et quia iſte eſt Gervinus, de cujus poſt Angelrannum ſucceſſione Centula gaviſa eſt, decentiſſimum intuemur à principio ſurſum quis fuerit referre, ut homo diligendus, quo melius noſcitur, melius & ametur [a], &c. *Angelrannus Regem adit ut Fulconem abbatia excludat.*

20. Rerum itaque conditor Deus, qui ſui ſervi deſiderium jamjamque diſpoſuerat cæleſti regni amœnitate mulcere, quique eum ſibi habilem fecerat longiſſimi purgatione languoris, interno ſapientiæ ſuæ conſilio, quo omnem filium receptibilem flagellat, ejuſdem famuli ſui valetudinem ſolito acerbiorem effecit, & cui mox incomparabiliter dulcia erat daturus, doloris diu tolerati fervorem multiplicat. Sed ut oſtenderet, quod non ex ira, ſed ex ſumma miſericordia hæc ejus proceſſiſſet correptio, evidentiſſimæ benignitatis ſuper eum ſigna prætendit. Nam cum iſdem vir beatiſſimus ſacræ Scripturæ ſtudiis attentiſſime ſemper fuerit implicitus, nec modo quidem cum graviſſimo morbo urgeretur, à divinis operibus affectus ejus, & voluntas umquam potuit inhiberi; modo pſalmodiæ indefeſſus inſiſtebat, modo ſacris divinorum præceptorum meditationibus hærebat, modo Miſſarum ſollemnia in lectulo recubans, ac ſi ad altare ſtaret, ore proprio decantabat. unde & contingebat quoſdam mirari, ut vir qui tantæ ſapientiæ ſciebatur, quaſi dementitium opus faceret: cum ille omnes quos inde mirari audiebat, ineptos & totius boni neſcios dijudicaret. Accidit ergo ut quadam vice cum Miſſam in lecto recumbens protenſis manibus decantaſſet, & omnipotens Deus quid erga illum ageretur revelare inſciis voluiſſet, poſt Miſſam finitam ſitim ſe pati inſinuaret. Præcepit itaque miniſtro, ut ſibi vini poculum miniſtraret. Ille concitus vinum detulit, ſed ex hoc ſe nolle bibere ſanctus indicavit. miniſter regrediens aliud detulit, ſed ad primum guſtum, & hoc beatus homo repudiavit. Cumque famulus eum vidiſſet & ſemel & bis vinum repuliſſe, aliudque ſe velle ſenior indicaret, miniſter alia vina ſe non habere cauſatur. Tunc ſanctus vir, ipſa verba dicenda ſunt: De illo, inquit, affer mihi de quo nunc ad Miſſam habui. quo audito circumſtantes timore obrigeſcunt, & dulciſſi- *In extremo morbo.* *Vino cæleſti reficitur.*

[a] Multa hic habet de Gervino, quæ ſuo loco ad annum 1074. proferemus.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXLV. Dec. IX. mo Patri cum lacrymis reſponderunt: De illo, Pater, ulterius non habebis, niſi tibi dederit qui & prius dedit. Si quidem cum Miſſam faciens extra ſe crederetur, dumque ad ipſum locum veniretur, quando Dominici corporis ſacroſancta libatio agi ſolet, cæleſtibus eſcis ſuperno dono transmiſſis refovebatur. Igitur animadvertens quod ipſi ſui familiares rem ſecretam agnoviſſent, volenſque omni modo celare bonitatem Dei in ſe peractam, quaſi permotus jubet eos citius recedere. Habent enim ſancti viri hoc proprium, ut cum bona faciunt, occultari velint: ne ſcilicet laudis tranſitoriæ plauſum recipientes, ante Dei oculos operationis ſuæ mercedem imminuant.

21. Dum vero iſta agerentur, & beatus homo jamjam præ multa infirmitatis acerbitate corpore putaretur abſolvi, & ob hoc ab his quos nutrierat ſollicite obſervaretur, accidit neceſſitudo, pro qua ad regalem curiam mittere neceſſarium fuit. Præcepit itaque domnus Gervinus, qui jam loci dominatum retinebat, uni è fratribus, ut id negotii expleret. Ille vero qui deſiderabat optimi Patris præſentialiter illuſtrari tranſitu, & implicari exſequiis, omnimoda excuſatione ſe non id facturum reſpondit. Tunc venerabilis Gervinus tali reſponſo coactus, ſanctum Dei virum Angelrannum quò jacebat adiit, eique monachi inobedientiam intimavit. Ipſe autem eumdem monachum ad ſe vocari faciens, inquiſivit cur non præceptum impleſſet, dein jubet etiam ut impleat. Cumque adhuc ille nollet, *ſanctus* Abbas prophetici ſpiritus gratia luminatus promiſit, dicens: Vade & fac quod tibi præcipitur, & ſcias hoc corpus terram non intrare donec revertaris. Tali ſponſione exhilaratus frater viam arripuit, & ea propter quæ mittebatur apud regias aures optime allegavit. Superveniente autem vocatione ſuperna, qua cæleſtia petens Angelrannus terrena deſereret, ſancta illa anima, angelorum miniſterio Dei obtutibus præſentanda, v. Idus Decembris carnis exiit clauſtra. Jam vero ille qui multiformi argumento politus fuerat lapis cæleſti ædificio locatur; jam qui in valle humilitatis ſuperno rore humecta creverat, lilii flos cæleſte ſertum exornat; jam quæ inter diverſas gemma claruerat tonſiones, diadema ſupplet divinum. Monachus autem his, pro quibus miſſus fuerat, expletis revertebatur, cum ſubito in civitate Ambianenſi, quò cauſa hoſpitandi diverterat, de obitu Patris dira eum nuntia percellunt. tunc relicto hoſpitio, & ciborum apparatu, nam veſpertina hora erat, & cœnulæ ſtudebatur, certatimque conſcenſis equis Centulam repedavit, invenitque ſanctum corpus jam exanime in monaſterio poſitum, fratrum excubiis venerabiliter circumdari, proxima hora ſepulturæ tradendum. Adfuit ergo, obſecutus eſt, & impleto ejus deſiderio, etiam Patris prophetia impleta eſt, qui promiſerat corpus ſuum terram non intrare, donec idem monachus de Regis curia reverteretur. Sepultum vero eſt ſancti viri corpus infra militis Chriſti ſanctiſſimi Richarii venerabile templum, eo loci in quo beati Laurentii veneratur martyrium. Cujus tumulationi venerabilis ejus ſucceſſor abbas Gervinus tantum contulit decoris, ut cujuſlibet antiquorum Patrum ſanctitati honor tantæ ſepulturæ ſufficere poſſe crederetur; æquiſſimum contemplatus, ut honore decenti ſervaretur ejus corporis gleba, qui perenni lauro redimitus cum cælicolis laudes Chriſto hymnizat in æternum, Amen. Acta ſunt hæc anno incarnati Filii Dei MXLV. Ind. XII.

Futurum prædicit.

Obit.

Ejus ſepulcrum ornat Gervinus.

22. At Chriſtus Dominus, cui hic beatus homo fideliter ſervierat, quanti apud ſe ejus ſervitium penderetur, quantaque hunc remuneratio cælitus exaltaret, claris indiciis mortalium notitiæ pandere dignatus eſt. Nempe in pago Vimmaco fuit mulier habens filiam paralyſi percuſſam, quæ ad omne opus inhabilis grabato moribunda tenebatur. Hæc comperta beati abbatis Angelranni ſanctitate, & fidei fervore ſuccenſa, ſalutiſque filiæ

Ad ipſum paralytica ſanatur.

Digitized by Google

ANN. CH. MXLV. DEC. IX.

cupida ad tumbam ejus cum candela illam deduxit. Cumque ipſa ægrota ſepulcro hominis Dei candelam devote obtuliſſet, ſedit juxta ſepulcrum, & ſomno paullulum indulſit. Deinde evigilans ſaniſſima redditur, & videntibus fratribus monaſterii, Deumque laudantibus, ad villam unde venerat, vocabulo Filcharias *, propriis ſedibus alacriter cum gaudio rediit, omnibus annuntians quanta ſibi Deus per beatum Angelrannum abbatem feciſſet. Guido igitur tunc Ambianenſis eccleſiæ Archidiaconus, poſtea ejuſdem ſedis Epiſcopus, qui illius fuerat in ſtudio litterarum diſcipulus [a], tali ejus tumbam Epitaphio decoravit.

* Fouquieres.

Quem tegit hic tumulus, lectiſſimus ANGELIRANNUS,
Hujus cœnobii Paſtor & Abba fuit:
Dux gregis eccleſiæ, monachûm ſpes inclyta vitæ,
Vixit, & in mundo mundus, & in Domino.

23. Qui igitur noſſe vult quantæ penes hunc ſanctum locum fuerit utilitatis, verſiculos intueatur, qui de eodem, ut poſteri ſcirent & imitarentur, deſcripti ſunt tali tenore.

Abba ANGELRANNUS loculo quæ paucula noſtro
Contulit, hic retinet ſcriptus, qui cernitur albus.
Sancti Vincenti, necnon ſancti Benedicti.
Eccleſiam ſtruxit; Cellam infirmiſque paravit.
A fundamentis inſtauravit paradiſum:
Altaris Petri tabulam componere fecit,
Thuribula ex argento etiam conflare gemella,
Librum Evangelii, ſancti vitamque Richari,
Ipſius ſtudium mero argento decoravit.
Eſt & Epiſto-liber-larum, atque Evangeliorum
Ipſius argento quem induſtria nempe paravit.
Ipſius atque calix ſtudio præclarus haberi
Cernitur, adjuncta ſibimet cum lance decenti.
Præter & hunc alius, quem in Miſſis ſemper habebat:
Unum dorſale, & tria pallia quam pretioſa.
Terras ſervavit pervaſas, atque redemit:
Sicut Noguerias, Gaſpannas, & Druſiacum,
Guibrenti eccleſiam, Frocort, Montiſque-Rochonis;
Eccleſiam Sacri-campi, diſcrimine diro,
Dum plures trahitant, ut pars contraria vincat,
Detractus multis multa & perpeſſus iniquis.
Quæ ſupra retuli, necnon quam plura peregit,
Actum ſic ut ſit Domini ſcientia novit:
Excedunt libri numerum quos ipſe novavit,
Inſuper excedunt numerum quos ipſe refecit.
Talibus atque aliis cæleſtis præmia regni,
Ut ſpes eſt, meruit, Lector, quod poſſe monemus,
Ultimus ipſius fuit hic finis ſtudiorum.
Eccleſiam ſanctæ reficit moriendo Mariæ,
Cujus apud Dominum nobis ſuffragia proſint.
Ergo horum revocatori ſint præmia vitæ:
Damnetur, cujus ſtudio hæc neglecta peribunt.

[a] Hunc Epiſcopum poëticæ artis amantiſſimum fuiſſe aſſerunt Guillelmus Gemmeticenſis lib. 7. Hiſtoriæ cap. 44. & Ordericus Vitalis libro 3. ubi aïunt ipſum edidiſſe librum heroïco carmine de Expeditione Guillelmi Conquæſtoris in Angliam.

Ann. Ch. MXLV. Dec. IX. Scripta. 24. Is ipſe honorabilis vir poſteritati conſulens deſcripſit catalogum rythmicum de patribus ſancti hujus loci, non quidem omnes deſignans, ſed tantummodo illos memorans, quorum nomina vel chartæ, vel quælibet pittatiola inſinuare videbantur, vel etiam Vita ſancti Richarii ſpecialiter notificabat. Hæc quidem honorabilis Angelrannus.

Ann. Ch. MXLVI. Martii XXXI.

VITA S. GUIDONIS ABBATIS POMPOSIANI IN ITALIA.

Auctore Anonymo ejus diſcipulo.

Ex Martio Bollandiano.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

I. *De auctore ſequentis libelli Anonymo, beati Guidonis diſcipulo, nihil notandum occurrit. Pomposia locus eſt ad dextrum latus Padi de Volane, ſex à mari Adriatico miliaribus, olim inſigne monaſterium, à Guidone noſtro maxime illuſtratum; nunc temporum injuriâ inglorium, Ferrarienſi ſancti Benedicti abbatiæ ſubjectum, ubi antiquus Abbatum Pomposianorum baculus aſſervatur. Iſtic per biennium docuit Petrus Damiani, quod in ejus vita poſtea videbimus, ubi* Wido venerabilis abbas Pompoſianus, vir ſanctiſſimus, ſuos legatos ad Petri abbatem *direxiſſe perhibetur,* quo poſcentibus fratribus verbi ſacri erogare pabulum debuiſſet. *Eo in loco* caterva fratrum centenarium numerum ferebatur implere. *Idem Petrus ſuum ipſius in Pompoſianos amorem teſtatur ſcripta ad eos epiſtola, quæ eſt lib. 6. epiſtola 6.* Religioſis viris & ſanctis viris omnibus, qui Pompoſiæ deſerviunt, *inſcripta. Quin etiam Opuſculum 13. de perfectione monachorum, nuncupat* Domino O. venerabili abbati Pompoſiano & ſancto conventui. *ubi Papebrochius dubitat, num pro O. ſcribendum ſit G. id eſt* Guidoni. *Ad hæc in ejuſdem Opuſculi cap. 29. laudatur Guido Pompoſianus cum aliis nonnullis ejuſdem temporis,* ſuper quorum videlicet veneranda cadavera ex Sacerdotalis concilii auctoritate ſacra ſunt altaria erecta: ubi nimirum divina myſteria, miraculis exigentibus, offeruntur. *Denique in Opuſculi 42. cap. 3. agit Petrus de Johanne Commiaclenſi epiſcopo, qui* epiſcopales infulas monachica profeſſione mutavit, atque in Pompoſiano cœnobio, quod in beatæ Mariæ ſemper Virginis eſt honore conſtructum, longis poſt temporibus vixit, *nempe ſub Guidone.*

2. *Eumdem Guidonem mirifice laudat Guido alter, monachus Aretinus, in epiſtola ad Michaëlem Pompoſianum monachum ſcripta, quæ exſtat apud Baronium ad annum 1022. ſed cum aliquot lacunis, & abbreviationibus, quas ex codice Vuillingano ſupplere juvat.* Summæ ſedis apoſtolicæ Johannes, qui modo Romanam gubernat eccleſiam, audiens famam noſtræ ſcholæ, & quomodo per noſtra Antiphonaria inauditos pueri cognoſcerent cantus; valde miratus, tribus nunciis me ad ſe invitavit. Adii ergo Romam cum D. GR. M. L. *id eſt,* cum domno Gregorio Mediolanenſi reverendiſſimo abbate, & D. P. *ſeu* domno Petro, Aretinæ eccleſiæ Canonicorum præpoſito, viro pro noſtri temporis qualitate ſcientiſſimo. *Et poſt nonnulla ſic de Guidone noſtro Pompoſiano.* Poſt paucos dehinc dies Patrem veſtrum atque meum domnum Guidonem PP. abbatem, virum Deo & hominibus merito virtutis & ſapientiæ cariſſimum, ut patrem animæ videre cupiens viſitavi. qui & ipſe vir perſpicacis ingenii noſtrum Antiphonarium ut vidit, extemplo probavit & credidit, noſtriſque æmulis ſe quondam conſenſiſſe pœnituit, veniam poſtulavit, ſuadens mihi monacho eſſe præferenda monaſteria, epiſcopatibus Pompoſiam, quod modo eſt per Dei gratiam & reverentiſſimi Guidonis induſtriam in Italia primum. *qui locus quam Guidoni noſtro atque ſuæ Pompoſiæ ſit honorificus, nemo non videt.* Tanti itaque Patris, *ſubdit ille,* orationibus flexus & præceptis obediens, prius auxiliante Domino volo hoc opere tantum & tale monaſterium illuſtrare, meque monachum monachis præſtare: cum præſertim ſimoniaca hæreſi modo prope cunctis damnatis epiſcopis, timeam in aliquo communicari. *Hæc ſunt præcipua loca, quæ emendatione egebant. In fine Guido Aretinus* domnum Martinum Priorem ſacræ congregationis ſa-

Digitized by Google

lutat; fratrem quoque Petrum, qui noſtro, *ait*, lacte nutritus, non ſine labore maximo, agreſti veſcitur hordeo; & poſt aurea pocula vini, confuſum bibit acetum. *Ex quibus verbis Pompoſianorum monachorum ſeveritatem æſtimare licet.* Ann. Chr. MXLVI. Martii XXXI.

3. *Supereſt ut aliquid de beati Guidonis tranſlatione in Germaniam dicamus. quam paullo poſt ejus obitum factam fuiſſe teſtatur Trithemius in Chronico Hirſaugienſi novæ editionis, ubi hæc habet ad annum* MXLVI. Anno.... mortuus eſt ſanctus Guido cœnobii Pomposienſis in ſuburbanis Ravennæ, villa Caſamarenſi, abbas anno regiminis ſui XLVIII. vir ſanctiſſimæ converſationis, qui multis in vita & poſt mortem coruſcavit miraculis, cujus corpus ſanctiſſimum non diu poſtea, propter ſigna & miracula multa, Rex precibus ſuis ab archiepiſcopo Ravennatenſi obtinuit, & cum ſumma reverentia in Germaniam deportans, Spiræ in eccleſia ſancti Johannis, quam pater fundaverat, collocavit; ab illa die uſque in præſens tempus, eccleſia illa quæ ſub honore ſancti Johannis Evangeliſtæ conſecrata fuerat, ad ſanctum Guidonem nuncupatur: ſancti autem corporis ad Spiram illatio facta eſt 28. die Aprilis, in cujus rei memoriam, feſtum ejus quotannis eodem die apud Neometenſes agitur. *Dicitur tamen in breviariis Spirenſibus Tranſlationis hujus feſtum die* IV. *Nonas Martii hodie celebrari. Hinc Bollandiani cenſent Trithemium* Kalendas *pro* Nonas *incaute ſcripſiſſe. Ceterum* Rex *ille, qui ſancti Guidonis corpus Spiram transferri fecit, fuit Henricus hujus nominis III. Niger vulgo nuncupatus, ut ipſemet Trithemius declarat ad annum* MLVI. *quo obiit; ex eo autem quod à Rege tranſlatio iſta facta dicitur, conjiciebamus eam anno ipſo* MXLVI. *quo ſanctus Guido exceſſit è vita, contigiſſe. Hoc enim eodem ipſo anno die 25. Decembris Henricus relicto regis nomine Imperator Roma renuntiatus eſt. At eam anno ſequenti conſignandam eſſe diſcimus ex Chronico Saxonico, ubi ad annum* MXLVII. *legitur:* Corpus ſancti Widonis de Italia allatum eſt Spiram Imperii ſui [*Henrici*] anno I. regni autem VIIII. Indictione XV.

1. BEATI GUIDONIS, viri per omnia egregii, vitam ſcripturi, lectorem operis hujus monemus, ne inter anguſtias incomparabilis per omnia viri merita credat comprehenſa: ſed ex minimis maxima, plurimaque ex paucis conjiciens ſemina intelligentiæ nos præbuiſſe legentibus, ædificii magni jeciſſe fundamina, non perfeciſſe ſtructuram, virtutumque illius tantum demonſtraſſe inſignia, non virtutes ipſas deſignaſſe per ſingula recognoſcat. Sed ut de eo cuncta non ſcribimus, ita cuncta non novimus: quoniam ſoli Deo ſunt cognita, quo teſte ſolo fecit plurima. Fugax enim jactantiæ, virtutum quas per eum Deus operabatur occultator erat. Pauca igitur de illius ortu vel converſione ſcribentes, nonnulla vero de converſione ejus & vita eorum quæ poſt obitum ſuum miranda perfecit Parmam & Veronam funeris illius bajulas, Spiram quoque tanti theſauri poſſeſſione ditiſſimam teſtes invocamus: ut ſi fides his non adhibetur, vel pauca ſeu parva ducuntur quæ ſcribimus, valida videantur & certa, quæ tot talibuſque roborantur ex teſtibus. Pauca de pluribus ſcribit auctor.

2. Igitur beatiſſimus Guido in ſuburbanis ortus Ravennæ, ab eadem urbe longe lapide decimo, villa Caſemarenſi, parentibus admodum religioſis, nec genere [a] quoque infimis genitus eſt, ALBERTO & MAROCIA: circa quem, veluti primogenitum, in tantum parentum cura propenſior erat, quantum dilectio potior. Erudiendus itaque liberalibus traditur ſtudiis: in quibus ſapientia cum ætate proficiens, à puero dignum in ſe Deo ſtuduit habitaculum præparare. Præveniebat quippe ætatis profectum ſapientiæ ſtudiis: & ſacra infantia virum perfectum jam ſpirabat in minoribus annis. Adoleſcens vero non ſuo appetitui, ſed parentum ſtudio dum ſerviret, ſæculo huic, & veſtibus pretioſis, & cultu deputatus à parentibus de nuru ſuſcipienda tractatur, quod ab eis dum filio aperitur, his fertur tale dediſſe reſponſum. Duas, inquit, juvenculas, ex quibus eſt mihi neceſſario una ſuſcipienda conjugio, propoſitas video: quarum altera & genere altior, & ſpecie pulcrior, prudentia quoque inſtructior, atque omni ſimul & morum & vitæ eſt honeſtate præſtantior: ſed quanto auguſ- Guido Ravennas. a. Nuptias fugit.

a Ex Strambiatorum familia ortum dicit Rubeus in lib. 5. apud quem *Norma, decus morum, doctor Pompoſianorum Guido beatiſſimus* appellatur ex veteri inſcriptione.

Digitized by Google

ANN. CH. MXLVI. MARTII XXXI.

tior merito, tantum, quod ad præſens ſpectat, anguſtior eſt opibus, quæ quoque (quod ſatis durum videtur, & aſperum) non viri legibus ſe ſubdendam promittit, ſed virum qui in jus tranſeat uxoris requirit; quodque gravius apparet, & artius, niſi ſpernat ea quæ poſſidet, nulli ſuos promittit amplexus. Altera vero longe inferior eſt proſapia & forma, ſed affluentior præſentium copia, quæ me renitentem quoque jam ſuis blanditiis illicit, & inverecundis amplexibus atque impudicis innectit. Ex his quam potius eligam, tuo, pater, committo judicio. Quid hoc problemate providus juvenis intelligi voluerit, ſatis lector intelligis: ſpiritualem videlicet & ſæcularem vitam, inter quas certum eſt eſſe tantam diverſitatem, quanta inter propoſitas ſponſas apparet varietas.

Romam adit.

3. Cumque ſuperiorem illam, & præſtantiorem eligere filio pater præcepiſſet, ilico quaſi ex juſſione patris, quod dudum ex Evangelico mandato facere ſtatuerat, diſtractis veſtibus pretioſis, quibus indui ſolebat, pretioque earum pauperibus dato, pannoſus ac nudus clam nocte Ravennam egreſſus, Romam rudis peregrinus tendit: ibique clericatu ſuſcepto, Jeroſolymam pergere animo fervente cogitabat; illic, ſi Chriſtus quem quærebat annueret, Domino militaturus dum viveret: ſatisfeciſſetque votis, niſi quid aliud de eo Deo utilius providente, ab hac illum intentione per revelationem hujuſmodi revocaſſet. Admonetur denique in ſomniis Ravennam redire, atque ibi in vicino ſub cujuſdam MARTINI eremitæ diſciplina vivere, ac Domino deſervire. Erat autem Martinus ille vir ſummæ continentiæ, & adeo in moribus vitæ probabilis, ut merito cunctis ad quos ejus notitia vel fama pervenerat, venerabilis haberetur & ſanctus. Habitabat autem in inſula, quæ interfluente Pado Pompoſiam à ſe diviſam ab aquilone conſiderat. Ad hunc ut Guido pervenit, quid eſſet à Deo monitus, quidve ſuo ſediſſet animo aperuit. Suſcepit mox illum gratulabundus ſenex, & an monachus vellet fieri ſciſcitans, mox illum per omnia cupere, ſecumque perpetuo velle habitare cognovit: & cum vellet continuo veſtem mutare, in craſtinum ex conſilio Martini differtur. Illas inducias tirunculus Chriſti graviter ferens, moræ impatiens, monachicum habitum induit mane, prius quam ſe Martini conſpectibus reddidiſſet. Super quo facto cum Martinus illum argueret leniter, cur tale quid facere voluiſſet; reſpondit ſe non ulterius cordis ſui deſiderium ferre quiviſſe. Manſit autem in prædicta inſula ſub Martini imperio per tres annos beatiſſimus Guido, & ab eo quo cœperat mentis fervore proficiens de virtute in virtutem, continuis ſucceſſibus ambulabat.

Martino eremitæ ſe ſubdit.

Pompoſiam ſe confert.

4. Pompoſienſe vero cœnobium, ſatis tunc pauperrimum, ad Martini curam tempore illo pertinebat, cui providentia Romani Pontificis illud regendum ſubmiſerat: ſed GUILLELMUS abbas huic ex Martini conſilio præſidebat. Ab hoc ergo cœnobialis inſtitutionis rudimenta perdiſcere cupientem Guidonem Martinus Pompoſiam tranſmiſit; quem jam triennio continentioris & artioris eremiticæ vitæ obſervationibus apud ſe ſatis ſufficienterque inſtruxerat: quem fratres in cœnobio eruditi, ex inculto veſtitu ac temporalium penitus neglectu velut ruſticum irridentes, futurum ſibi abbatem illudendo prædicabant. Porro Guillelmus abbas ſtrenuus volens eum in omnibus erudire, providenti conſilio per ſingula quæque illius cœnobii officia eum per vices temporum miniſtrare conſtituit, quatenus poſtmodum confidentius doceret quod enixius didiciſſet. Sane non poſt multum temporis idem Martinus, quaſi de omnibus eruditum, quæ in cœnobiis geruntur, ne talentum ſibi commiſſum occuleret ſub modio, apud Ravennam cœnobio ſancti Severi Guidonem præpoſuit, in quo regulariter & ipſe vixit, & ſubditos vivere docuit. Sed & Guillelmus abbas ſolitariæ vitæ amore ſuccenſus, per idem tempus eremum petiit relicto

Sancti Severi cœnobio præficitur.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXLVI. Martii XXXI.

cœnobio, vicariumque fratribus quos relinquebat Johannem, cognomento Angelum, in abbatem conſtituit, virum per omnia probatum, & Angelica merito nuncupatione condignum. Ipſo quoque migrante ad Dominum, ipſe cujus vitam & cauſam narrandam ſuſcepimus, hominibus & Deo dilectus Guido, obnitens quamvis & invitus, tamen præcipiente Martino cui à Guidone reſiſti rationis non erat, abbas efficitur: hac ſane conditione, ut quandoque ſibi liceret dimittere, quod cogebatur admittere. Eodem tempore pater ejus imitatus filium, & frater ejus, Gerhardus nomine, æmulatus germanum, relicto ſæculo ad Chriſtum converſi, ſub eo in Pompoſienſi cœnobio religioſe converſati ſunt.

Dein Pomposiano.

Patre & fratre ei adhærente.

5. Creſcente igitur religione monachorum & numero, vir in divinis rebus per omnia ſtrenuus, quod nunc uſque perdurat conſtruxit monaſterium, in cujus conſtructione fratribus operantibus aliquando crates lapidum ruderibus graves, non ſine diabolico inſtinctu de ſuperioribus muri ruerunt in terram: in quo caſu quidam ex operariis qui ſupererant cratibus, delapſi ad ima, læſionis nil ſenſerunt: quidam vero dum corruentes muro tigniſque aliquibus inhærent, ſine periculo remanſerunt. ſed venerabilis abbas, ſicut ſuis meritis cadentes à læſione protexit, ita pendentes oratione illæſos depoſuit. Alio quoque tempore vas ligneum vino plenum ſuper murum miniſter incaute depoſuit; quod lapſum in terram, ne frangeretur vas, vel vinum effunderetur, viri ſancti obtinuit meritum.

Operarios ſervat ab interitu.

6. Item quodam tempore ex fratribus idiota quidam, nomine Martinus, in cellula à cœnobio milliariis octo diſtante dum degeret, defunctus eſt: cujus funeri dum debitum fratres exhibuiſſent officium, revixit qui fuerat defunctus, voceque anxia Patrem monaſterii clamitavit: ſed ad præſens non habuit quem quærebat, quoniam longe à monaſterio erat, in quo abbas Guido manebat. Ducitur ergo ad monaſterium, & ab eo quem vocaverat interrogatus ubi fuerit, quid viderit, quidve audierit: Loca, inquit, tormentorum, in quibus multos mihi notos ac propinquos cognovi. Cumque tremens quæ videbam attenderem, vir quidam ſtola amictus candidiſſima apparuit, me confortans, coronam in capite ferens auream, virgamque læva, favum vero mellis dextera portans, quem mihi comedendum obtulit: porrectum iterum iterumque comedere juſſit, hæſitantem ne timerem admonuit. Sciſcitanti vero mihi quis eſſet, Michaëlem Archangelum ſe eſſe reſpondit. Cognito quis foret, quem porrigebat favum accepi & comedi, & ipſo jubente ad corpus quod reliqueram, ut cernitis, redii. Per tres autem dies, quibus poſt modicum in corpore vixit, illius favi quem comederat dulcedinem in ore perſenſit: poſt triduum vero Patris Guidonis benedictione donatus frater ille in pace quievit.

Mira quædam de moribundis monachis.

7. Fuerat autem in eodem monaſterio monachus, Bertoldus nomine, qui cum in extremis vitæ hujus ageret, moraſque in exeundo ex reprehenſibili conſcientia ſuſtineret; Domini miſericordiam patre Guidone cum fratribus implorante, in ſe qui moriebatur reverſus eſt, & quid de ſeipſo vidiſſet referens, Dæmones, inquit, vidi adverſum me inſanientes, unius delicti cauſam, cum nihil in ceteris poſſent, præſertim (cum Chriſti bonitas omnia pœnitenti & confitenti dimiſiſſet) opponentes. Sciſcitantibus igitur fratribus, quæ qualiſve eſſet culpa facinoris, pro qua ſe deputatum inferis diceret: Incantationem, inquit, quondam, dum adhuc ſæculo veſtibus & moribus deſervirem, didiceram, quam tamen nec opere exercui. aliquando vero memoriam verborum ejus in aliquo tenui: ſolum eſt mihi hoc crimen objectum. Veſtris vero orationibus quod ad præſens inſtitit, evaſi periculum. Sed ne poſſit ulterius hoc, quod nec ſcio vel recolo, delictum opponi, confiteor me & in hoc quoque peccaſſe, in quo me peccaſſe non novi. ſicque frater in pace quievit.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXLVI. Martii XXXI.

8. Vir quidam Johannes nomine, Venetiæ ortus, domum patriamque relinquens, Pomposiam venit: ſuſceptus vero ab abbate Guidone, ac monachus factus, adeo ſe probabilem exhibuit vita & moribus, ut quanta eſſet doctrina magiſtri, in geſtis clareret diſcipuli. Etenim iſte de quo loquimur, cum litteras omnino neſciret, Deum pluſquam ſe, proximum vero tamquam ſeipſum diligens, hoc totum implevit quod lex continent & prophetæ: abnegans denique ſemetipſum, nihil umquam præpoſuit Chriſto: proximum quoque (ſi fas eſt fieri vel credi poſſibile) pluſquam ſe convincitur dilexiſſe, cum nulli umquam intulerit injuriam, ſæpius vero illatam pertulerit; nec alicujus ſe permiſerit gravari obſequio, cum cuilibet ipſe foret ſemper ſubſidio; ac his ſolummodo ſubveniendo deeſſet, quibus adeſſe non poſſet. cujus autem ſanctitatis vel meriti fuerit, finis ejus probavit. Die quippe una dum reſideret in clauſtro in ordine fratrum, una quoque cum abbate Guidone, angelus nive candidior in ſpecie viri ſe monſtrans, dixit ei: Euge ſerve bone, veni, & intra in gaudium Domini tui. Qui cum à conſidentibus cunctis idem quod à ſe viſum & auditum putaret, paullulum ſubſtitit: deinde illis tacentibus patri Guidoni quid viderit, quidve audierit retulit, dicens: Quid eſt, inquit, Pater, quod vir iſte, quem mecum omnes vidiſtis, locutus eſt mihi, Euge ſerve bone & fidelis, veni, intra in gaudium Domini tui? cui Pater: Relinquere nos, ait, fili, vis? Et iſte non poſt multum tempus carne ſolutus migravit ad Dominum, ſumpturus in præmio quod accepit in merito.

Abſtinentia à piſcibus certis diebus.

9. Abbas igitur Guido, cujus omnis vita à cibis & vitiis ſimul continentia continua erat, in altero homines ſupergrediens, angelis in altero ſe comparans, ſtatuerat aliquando, ut in monaſterio ſecunda, quarta, ſexta feria fratres non comederent piſces. Hoc ſtatutum cum abſente abbate, Prioris permiſſu, die quadam tranſiſſent, ilico factum culpabile pœna ſecuta eſt. Porcorum quippe monaſterii grex per ſilvam diffugiens, per dies quindecim inveniri non potuit, donec abbatis adventu tranſgreſſio correcta eſt, ac culpa correpta. Etenim interdictorum uſus abſtinentia licitorum deletur, & appetitus carnalis correptione caſtigatur virgarum. Sicque peccatum pœnitentia condonatur, pœnitentia indulgentia muneratur. quod porci ſatis demonſtrarunt, cum de ſilva mox qua fugerant remearunt.

Guidonis virtutes.

10. Habebat vir ſanctus hoc divinitus providentiæ donum, ut ſi provenirent in monaſterio adverſa, non fortuito caſui, ſed alicujus delicti cauſæ, & ob hoc Dei judicio deputaret. unde imminens ſæpe, futurum nonnumquam periculum evadebat. Animi vero fortitudo mentiſque robur in eo quoniam maximum fuerit ex eo dignoſcitur, quod nullis umquam fractus incommodis, nulliſve carnis ceſſit illecebris. Temperantia quoque tanta in eo erat atque modeſtia, ut aliquibus non inſoleſceret ſucceſſibus: ab omnibus vero, quantum eſt homini poſſibile, exceſſibus temperaret. Frugalitatem vero in eo laudare vel continentiam quis digne poſſit? cum tanta fuerit, quantam de veteribus ſanctis plus nullus habuerit, ſi de cibo vel potu dicitur, cum comedens ſemper eſuriret ac bibens ſitiret, &, ut aliter dicatur, comedens non comederet, bibens non biberet. Si de parvo peccato agitur, id ſemper cavebat, ne de ſe diceretur: Maledicti qui declinant à mandatis Domini. Supponens denique carnem ſpiritui, ſpiritum vero divinæ ſubjiciens virtuti, ex quo Chriſti militiam profeſſus eſt, non ſe terrenæ ſubdidit voluptati. Quam caſtus & integer corpore, & ab his etiam vitiis, quibus minor ætas implicari ſolet, immunis fuerit, manifeſtum eſt. Juſtitiam vero, quæ omnium mater virtutum & cauſa eſt, ſic in omnibus aſſecutus eſt, ut cunctis prodeſſe, nulli umquam voluerit obeſſe. Prudentia autem in tantum præditus fuit, ut quandoque nequiverit ab alio decipi, nolueritque decipere quemquam. Vir Deo plenus ſic

vallatus

Digitized by Google

vallatus fuit bonarum virtutum ſtudiis, ut veniens princeps mundi hujus ſuæ perfidiæ in eo non inveniret veſtigium. ANN. CH. MXLVI. MARTII XXXI.

11. Regebat vir providus monaſterium ſuum, ſubrogatis per temporum vices, quos è ſubditis elegerat, abbatibus aliis: quorum primus fuit VITALIS, quo decedente elegit PETRUM. Poſt cujus obitum THEOBALDUS fuit; poſt Theobaldum conſtituitur LEO: poſt hos omnes, qui admirabilis ejuſdem etiam nominis eligitur GUIDO. Hi ſuo quique tempore præfuerunt fratribus, & monaſterium gubernarunt habentes Marthæ officium, ſolliciti circa frequens miniſterium. Porro ille qui optimam partem elegerat, una contentus erat: & hanc ne amitteret, inſeparabiliter Chriſti pedibus adhærebat, nunc orando, colloquens cum Deo, quæ ſua erant Domino referebat: nunc pſallendo verbum ex illius ore audiebat. Habitabat in ſilva longe à monaſterio milliariis tribus, ut vere de eo dici poſſet: Et erat cum beſtiis ſilvarum habitatio ejus: & cum omni tempore ab his quæ neceſſaria ſunt corpori abſtineret, in diebus tamen duarum Quadrageſimarum [a] tanta cibi & potus abſtinentia, tanta virgarum cæde ac vigiliarum inſtantia corpus debile macerabat, ut excepta morte nihil tormenti amplius poſſet inferre nolenti perſecutor crudelis, quam volenti ſibimet inferebat, ipſe vere felix, vereque Chriſti fidelis.

Abbates vicarios ſubſtituit.

Ipſe in ſolitudine degens.

12. Gerhardus quidam, genere Longobardus, quartanis diu febribus fatigatus Pompoſiam venit, revelatum ſibi divinitus aſſerens, quod ſi biberet de aqua, qua manus ſuas abbas Guido laviſſet, ilico ſanus fieret. Hoc audiens homo mitis & humilis & dictum exhorruit, & factum inhibuit; ſed induſtria miniſtri ejus, Petri nomine, quod petebat æger bibit, & ſanatus eſt. Quoties ejus meritis aqua tranſierit in vinum, teſtes ſunt monachi miniſtrantes ei, ſed & laïcorum quam plurimi. GEBEHARDUS [b] quoque archiepiſcopus Ravennæ, cum ad menſam una cum abbate Guidone ſederet, cuppam qua bibebat abbas ab eo ſibi petiit porrigi. quo renitente, importunitate quadam quod petebat obtinuit, ac bibens quam eſſe putabat aquam, invenit hauſtum vinum eſſe, quam ex puteo ſolito infuderat miniſter. Poſt menſam vero arguens miniſtrum archiepiſcopus, cur non ſibi de eodem quod abbati dederit vino optimo; cognovit à miniſtro vinum optimum ſibi, abbati vero aquam eſſe infuſam, ſed ejus precibus in vinum verſam. Obſtupuit archiepiſcopus, & quod à multis audierat experimento probavit & credidit. Huic ſimile quid, cum eſſet Ravennæ, aliquando accidit. Sedenti equidem illi ad menſam miles quidam Faventinus advenit. Audierat à multis ille, quia vinum abbas Guido non biberet. Superveniens itaque menſæ, cuppam abbatis non ſine quadam temeritate præripuit: hauſit vinum, ſed aquam miniſter * miſcuerat. Sic jam, ut dictum eſt, non tantum bis, ſed ſæpius hoc faciebat miraculum. Illud quoque quod de aqua qua laverat manus proprias, ægritudines depulerit alienas, ſicut ſupra retulimus, non ſemel & iterum, ſed multoties factum novimus. Sed multa ſunt quæ noſtram notitiam & memoriam fugiunt: ex paucis quæ ſcribimus, plura conjicere lectorem ſupra in præfatione monuimus. Si quis vero de illius meritis potiora noſſe deſiderat, Parmam illum dirigimus: ibi docebitur ab habitatoribus urbis illius, quanta potuerit ac meruerit vivens, quanta potuerit & contulerit apud eos etiam defunctus, de quibus nonnulla nos etiam notabimus. Sed quoniam de vivente nobiſcum adhuc loquimur, quæ vivens egerit prius eſt ut dicamus. Parva dicturi ſumus, & pro meritis tanti viri vel laude infima ſatis.

Aqua in vinum converſa.

* id eſt infuderat.

13. Frater, nomine Sergius, cuſtos eccleſiæ, aſſcenderat tripodam, ut

[a] Nempe *quæ vel Natalem Domini, vel ſanctum Paſcha præcedunt*, ut legitur apud Petrum Damiani in Opuſculo 14. paullo poſt initium.

[b] Hic in Pompoſiano cœnobio ſepultus, teſtante Rubeo, qui & ejus epitaphium refert in lib. 5. ad annum 1054.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXLVI. Martii XXXI. Lampades caſu illæſæ. lampades luminibus accendendis aptaret, ex quibus elapſa manibus una, in lapide pavimenti minutatim confracta eſt. Collegit cuſtos fragmenta, & ante altare depoſuit. Pergens ad abbatem pœnitentiam acturus pro damno, venia mox ab Abbate donata in eccleſiam rediit; ac lampadem redintegratam reperit: cujus facti damnum patenter deputatum diſcipulo, prodigium adſcribendum videtur magiſtro. De trabibus eccleſiæ ceciderat oleo plena lampas alia, quæ nec læſionem pertulit, nec oleum effudit. ejuſmodi caſum jam tertio lampas perpeſſa incolumis tamen in eadem huc uſque pendet eccleſia. Verum, ut diximus, minima ſunt hæc ad comparationem eorum, quæ tantum auditu comperimus; quoniam extra monaſterium operatus eſt, viro tam magno condigna.

14. Inſtabat dies jam, quam ſummo deſiderio ſuſtinebat. Cupiebat enim diſſolvi, & cum Chriſto eſſe: vidit in ſomnis hujuſmodi revelationem. Arbor dactylorum à capite ejus pullulans in magnæ proceritatis culmen erigebatur onuſta pomis: ſed cupientium fructus ejus ſumere contactum confugiens, inclinabat ſe tamen ad Guidonis manum, & cibum ex ſe ſumere permittebat: ex cujus etiam fructu & fratribus ſibi ſubditis porrigebat, quo profecto ſucceſſorem ſibi futurum ſpiritu prophetico prævidebat. Interea lues graviſſima monaſterium vexabat, quæ de fratribus circiter triginta ad exceſſum uſque perculerat. Inſuper illis diebus legatio Imperatoris beatum virum cogebat nuntiis illius occurrere, qui ad Italiam veniebant: quoniam iſtius conſilio omnia Imperatoris mandata implenda erant. Invitus, ut fertur, iter illud ingreſſus eſt, & quamvis *ſuſpenſo ſermone*, non ſe tamen amplius à fratribus, quos Pompoſiæ relinquebat, *videndum* prophetico dixit ſpiritu. Profectus igitur ſanctus Domini venit Parmam, inde Burgum, ubi altera die adventus ejus quo venit illuc, cœpit infirmari, die etiam tertia defunctus eſt.

Moritur in Burgo S. Domnini.

Miracula.

15. Reducentibus defuncti corpus fratribus qui cum eo erant, in primo lapide urbis Parmæ cæcus occurrit: ibi dum paullulum ſubſiſterent, funus ferentes interrogantur à cæco quid ferant. Abbatis, inquiunt, Pompoſienſis corpus ad propria referimus. Audierat cæcus ille de viro illo multa & præcipua. nam fama ejus bona Italiam totam repleverat. ideoque cæcus, Domine Deus, ait, ſi homo iſte illius meriti eſt cujus ego audivi; videam oculis meis quod corde jam credidi.

Vidit mox cæcus, clamat pro lumine lætus:
Vere Dei ſervus, per quem ſum lumen adeptus,
Quem præſens video, fueras, ſanctiſſime Guido.

Stupent fratres funus ferentes Patris, & licet lætarentur de Domini gratia, tamen timent prodito theſauro quem portant. Exaltat cæcus vocem ſuam, & inhibentibus monachis aërem totum replet clamoribus, & præ magnitudine gaudiorum non ſe continens, quoſcumque tranſeuntes invitabat ad laudes. Fit populi ilico concurſus, & perſonantibus eccleſiarum ſignis ſine miniſterio hominum, civitas univerſa terrebatur: & comperto quid eſſet, ſe tarditatis accuſat quiſque, ſi non primus adeſſet. Diripitur corpus; & deflentibus monachis cives univerſi tripudiant. Quis tunc infirmus Parmam ſe contulit, & ſanitatem non retulit? Quis claudus occurrit, & non erectus recurrit? Quis cæcus advenit, & videns non rediit? Manſit autem corpus ejus apud Parmam menſibus ſeptem: in quibus dies rara pertranſiit, quæ prodigii munus non ſenſerit. Habuit enim unaquæque dies pro quo ageret Domino laudes.

16. Venit tandem Imperator [a] HEINRICUS, qui jam diu præſtola-

[a] Erat is Henricus III. cognomento Niger, qui Chuonrado ſucceſſit.

batur, & conquerentibus monachis aufertur corpus ſanctum Parmenſibus: deinde Imperatoris juſſu Veronam defertur, ubi in eccleſia beati Zenonis depoſitum, quod Parmæ contulit, etiam Veronæ conferre non diſtulit. Nam cum ipſa die ſui adventus quemdam curaſſet infirmum, die altera Zeno ſanctus, quod jam à multis diebus non fecerat, curavit & alium. ſicque certantibus illis per dies plurimos, ſine medicorum cura ægrotos ſuos ſanos recepit Verona. Jam vero quid Alpes tranſeundo, quanta Spiram [a] devectus miranda perfecerit, Teutonicis narranda permittimus. Nam quemadmodum multa de eo non ſcribimus, ita cuncta ejus miranda non vidimus, quæ vel in longinquis fecit regionibus, vel jactantiam fugiens humanis non prodidit rumoribus. Ann. Ch. MXLVI. Martii XXXI. a

17. Rexit autem Pompoſienſe cœnobium annis quadraginta octo: obiit autem anno ab incarnatione Domini milleſimo quadrageſimo-ſexto, pridie Kalendas Aprilis, ſuæ religionis multos relinquens heredes, quos vel in cœnobio cui præerat inſtituit, vel diverſis monaſteriis in abbates præeſſe conſtituit ad laudem Dei & Salvatoris noſtri Jeſu-Chriſti, cui cum Patre ſanctoque Spiritu manet honor & gloria per infinita ſæcula ſæculorum. Amen. Annus & dies obitus.

a Vide quæ de hac re diximus in obſervationibus præviis num. 3.

Ann. Ch. MXLVI. Jun. XIV.

VITA B. RICHARDI ABBATIS

SANCTI VITONI VIRDUNENSIS.

Auctore monacho ſancti Vitoni fere æquali.

Ex mſ. codice ejuſdem monaſterii.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *BARBARORUM incurſionibus ac inteſtinis bellis, quæ inclinante Carolovingiorum ſtirpe Gallias infeſtaverant, diſciplina monaſtica adeo labefactata erat in pleriſque monaſteriis, ut de ea prorſus actum fuiſſet, niſi Deus inſignes viros ſuſcitaſſet, qui eam ſuis curis ac laboribus reſtauraſſent. Inter alios enituit præcipue in Belgica Richardus, qui, ut in geſtis ejus videbimus, reparatis veteribus, ac de novo etiam exſtructis aliquot monaſteriis, antiquum ordinis noſtri ſplendorem in ea regione reſtituit. Ejus vitam ex mſ. codice ſancti Vitoni erutam nunc primum exhibemus, quæ ab auctore ipſi fere æquali, qui in monaſterio Vitoniano enutritus fuerat, exarata eſt. Is enim ſe ea ſcripturum affirmat in prologo, quæ audierat ab iis qui beatum Richardum* viderant, ac certiſſime cognoverant. *Huic Vitæ alteram ſubjiciemus ex Chronico Virdunenſi excerptam, cujus auctor Hugo Flaviniacenſis abbas, ipſiuſmet Richardi diſcipulus, beati patris ſui geſta accuratiſſime deſcripſit. Chronicon iſtud edidit Philippus Labbeus tom. 1. Bibliothecæ novæ, unde ea deſcripſimus, quæ de beato Richardo habentur, omiſſis iis quæ ad rem non pertinent, vel etiam quæ in priori Vita eodem modo narrantur, ne jam dicta videamur repetere. Animus erat iis ſubjungere librum de vita & miraculis ſancti Vitoni, quem idem Richardus edidit. Sed viſum eſt ſatis dare hujus libri Prologum cum miraculis, quæ ad beati antiſtitis ſepulcrum ſuo tempore fieri viderat ipſe Richardus.* Vitæ ſcriptores.

2. *Porro licet omnibus ferme Belgicæ primæ & vicinarum regionum monaſteriis præfuerit Richardus, præcipua tamen ejus cura fuit in monaſterium ſancti Vitoni, ubi divino nutu monaſticæ vitæ nomen dederat. De eo monaſterio plura jam diximus ſupra, ubi de Fingenio abbate, quæ hic repetere non juvat. quantum vero in exſtruendis ibidem novis ædificiis, ac veteribus reſtaurandis plus abbas inſudarit, infra fuſius enarratur in utraque Vita. Hic ſufficiat nonnulla adjicere de ſanctorum corporibus, quæ ab eo detecta fuerunt. Viſitur hodieque eorum ſepultura locus,* In monaſt. S. Vitoni SS. corpora invenit.

ANN. CH. MXLVI. JUN. XIV.

in antiquo cœmeterio ſeu horto, retro majorem eccleſiam, unde cum dimoveri non potuiſſent, ibidem ædificiolum, quod vitæ auctor analogium *appellat, juſſit conſtrui Richardus, ne tranſeuntium pedibus ſacra corpora conculcarentur. Ibi poſitus eſt ingens lapis decem pedum longitudine & ſeptem latitudine, ſuffultus columnis novem, in cujus margine per circuitum inſculpti habentur octo ſequentes verſus.*

Comminus adſtantes agnoſcite quique fideles,
Octo ſenatores hæc hîc complectitur ædes,
Quos Virduna ſedes meruit ſibi præſidiantes.
O quantus locus es, qui tot ſervas tibi patres,
Per quos tutus ades, per quos gratiſſime fulges!
Ergo ſuas plebes ſalvent huc convenientes;
Laudibus inſtantes ſervent hîc & undique fratres.

Sub iſto autem lapide humus lapidibus eſt ſtrata, in quibus per circuitum hi verſus leguntur.

Templum Richardus abbas hoc amplificando,
Octo pontificum fodiendo juncta ſepulcra,
Repperit hîc ſubtus, quorum ille decentius horum
Sedem mutare decreverat. obruit hinc nox,
Hæc Paronomario fratri tunc reddita vox eſt:
Dicas, ut noſtris permittat ſedibus Abbas
Exſpectare diem Domini, ſibi ſigna ſequentur:
Nulla corruptas noſtras putredine dextras,
Noſtris pectoribus verum poſitas, manus ipſe
Ornatas albis mane inveniet chirothecis.
Lætus analogium tumulum tunc addidit Abbas,
Ne quiquam hanc terram pede calcent inverecundo.

Hos verſus nonnulli beato Richardo auctore hic inſculptos fuiſſe volunt, quamvis aliis videantur recentiores; quos nempe exaratos putant ſæculo decimo-quinto ineunte, cum monumentum iſtud vetuſtate fatiſcens reparatum eſt, ut ex tribus verſibus ibidem poſitis patet. In his tamen tegmina ædificii reſtaurata fuiſſe ſolummodo exprimitur.

Mille quater centum, ſex deni-tres ſimul anni,
Hujus analogii renovantur tegmina ſacri,
Tam bene dum Julii decurrunt tempora menſis.

Ceterum beati Vitoni monaſterium etiamnunc perſeverat arce Virdunenſi incluſum, quod hujus ſæculi initio illuſtrius evaſit, ex quo celeberrimæ Congregationi nomen dedit, quæ agente venerabili patre domno Deſiderio à Curia, hujus loci priore, ibidem initium ſumſit; unde accurata Regulæ Benedictinæ obſervatio non ſolum in Lotharingiæ vicinarumque provinciarum monaſteria propagata eſt, ſed etiam per totam Galliam, novarum congregationum ſancti Mauri & Cluniacenſis erectione ſtabilita. ſed ad Richardum redeamus.

Sub eo viri illuſtres.

3. *Fama beati viri per Belgium & Germaniam pervulgata, multi, etiam nobiliſſimi viri, ſub ejus regimine vitam monaſticam amplexi ſunt, è quibus nonnulli poſtea variis monaſteriis præfecti fuerunt. Inter illos celebriores fuere Letardus comes, qui in charta quadam Richardi ipſius,* Conradi imperatoris nepos & conſanguineus *appellatur; Geduinus ac Vvaleranus comites Britulienſes, Gervinus ex canonico Remenſi, ac demum abbas Centulenſis, Gregorius archidiaconus Leodienſis, Hermannus ſeu Hezelo comes, ac denique, ut ceteros omittam, ipſemet Henricus imperator, qui inter hujus beati viri diſcipulos annumerari voluit, ut infra in vita narratur, num.* 17. *quod occaſionem procul dubio Alberico præbuit aſſerendi in Chronico ad annum* MIX. *Henricum Auguſtum à beato Richardo veſtem monaſticam accepiſſe. Multi vero ſæcularibus vinculis adeo illigati, ſi ipſis fas non eſſet ad monaſterium convolare, bonorum ſuorum partem Richardo offerebant, ut ejus ſuorumque diſcipulorum piis operibus communicarent. Habentur ea de re in Chartario Vitoniano plurimæ donationes. Memoranda præ ceteris videtur Theodorici Comitis charta, in qua,* pro animæ ſuæ remedio affiniumque ſuorum per manus Rantberti epiſcopi, Gozelonis ducis, &c. dat Metionis cortem ſancto Vitono, cui præeſt domnus abbas Richardus, cujus ſanctitate, ſanctorumque interceſſionibus, hac eleemoſyna confiſus, corpus meum, *inquit*, ibi ſepeliendum decrevi.

Henrico Imp. acceptus.

4. *Porro Henricus Imperator non ſolum in revocandis ad meliorem ſtatum monaſteriis Richardi opera utebatur, verum etiam in gravioribus Imperii negotiis ejus conſilium adhibebat, cujus prudentiam non ſemel expertus fuit. Ea potiſſimum enituit in ſtabiliendo inter ipſum & Robertum Francorum regem fœdere. quam provinciam cum pius Imperator Gerardo Cameracenſi epiſcopo*

Digitized by Google

& Richardo noſtro commiſiſſet, Compendium utrique acceſſerunt, ubi Robertus convocato Galliæ procerum conventu, cum Legatis illis pacis fundamenta poſuit, quæ tamdiu firma inter utrumque imperium perſeveravit. Hujus legationis mentio occurrit in Charta unionis eccleſiarum ſancti Petri Bellovacenſis, & ſancti Vedaſti Atrebatenſis, cui ſubſcripſit Richardus. Ea vero edita habetur libro 2. probationum Hiſtoriæ Montis-Morenciaci, & ſic incipit: In nomine, &c. Robertus rex Franciæ proceres ſuos certa de cauſa in Palatio Compendii conduxerat, quod ad eum Romanorum imperator Henricus Gerardum Cameraci epiſcopum, & Richardum Virdunenſem abbatem legationis gratia miſerat, &c. Ita vero reipublicæ negotiis intentus erat Richardus, ut privatorum curam non dimitteret. quam autem ſollicite res ſui monaſterii curaverit, probat veterum aliquot chartarum monaſterii Vitoniani collectio, quam accurate deſcribi curavit. Earum nonnullas præ manibus habemus ex autographo, quod modo Divione aſſervatur, deſcriptas; in quarum una ſic loquitur: Quoniam meo tempore multa peregi, quæ in poſterum loco mihi commiſſo, &c. Litteris ea huic ſchedulæ mandare curavi ob vitandum deſtructionis & odii ſcandalum, ne animæ meæ vel futuris... aliquod veniat detrimentum, &c. Ann. Ch. MXLVI. Jun. XIV.

5. Nihil porro mirum eſt, ſi Richardum tot præclare factis illuſtrem Scriptores paſſim multis laudibus exornarint. Ordericus Vitalis libro 3. Hiſtoriæ eccleſiaſticæ ait beatum Theodericum ſancti Ebrulfi abbatem, religioſa inſtituta, quæ in ſuo monaſterio ſervanda præſcripſerat, ex doctrina Venerabilium abbatum Richardi Veredunenſis, &c. hauſiſſe. Et in libello de geſtis abbatum Gemblacenſium tomo 6. Spicilegii Acheriani, Miſac, cognomento Maſcelinus, ejuſdem loci abbas, dicitur Virduni ſub Richardo abbate in gymnaſio monaſticæ diſciplinæ regulariter exercitatus. Ejuſdem laudes Fulcuini continuator in libro de geſtis abbatum Lobienſium, & Balduinus in Chronico proſequuntur. Sic & Sigebertus in Chronico ad annum MXXVII. ait tunc Religionem floruiſſe per abbates nominabiles.... in Lotharingia per Richardum Virdunenſem pia gravitate, & gravi pietate diſcretum. Sed Trithemius in Chronico Hirſaugienſi paucis verbis ejus elogium abſolvit ad annum MXX. Richardus, inquit, abbas Virdunenſis cœnobii, ejuſdem ordinis noſtri, clarus his temporibus habetur. Cujus vita ſanctiſſima multis virtutibus inſignis fuit, qui doctrina & religione ſua multos ad emendatioris vitæ ſemitam reduxit. Omitto recentiores auctores Tepezium & Rethelleſium in Chronicis Benedictinis, Menardum in obſervationibus ad Martyrologium Benedictinum, Vvaſſeburgium, Marlotum in Hiſtoria metropolis Remenſis, & alios, qui data occaſione de ejus laudibus ſcripſerunt. Laudatur.

6. Verum ea diſſimulare non licet, quæ de ipſo habet Petrus Damiani libro 8. Epiſtola 2. ad Cinthium Præfectum Urbis, his verbis: Vir quidam raptus in ſpiritu, per ſoporem ductus eſt ad infernum, & diverſa pœnarum tormenta conſpexit, inter quæ vidit Richardum Virdunenſem abbatem, velut excelſas machinas erigentem, & anxium atque ſollicitum, tamquam munita caſtrorum propugnacula conſtruentem. Hoc enim morbo laboraverat Abbas ille, dum viveret, ut extruendis inaniter ædificiis omnes fere diligentiæ ſuæ curas expenderet, & plurimas facultates eccleſiæ in frivolis hujuſmodi næniis profligaret. Quod ergo fecit in vita, hoc perferebat in pœna. Hæc ille. At etiamſi viſionem illam admittere velimus ut veram, nihil ex ea aliquid amplius deduci poteſt, quam Richardum purgatoriis pœnis expiaſſe, quæ fortaſſe nimio ſtudio in cœnobio ſuo ædificaverat. Id quippe de inferni pœnis intelligi non poſſe ex eadem Petri Damiani epiſtolæ demonſtrari poteſt. In ea enim excitare vult Cinthium ad recte juſtitiam adminiſtrandam, ut hoc ipſi poſt mortem prodeſſe poſſit; idque probat exemplo avunculi ſui, qui cum poſt juſtitiam recte populo ſuo redditam obiiſſet, viſus eſt poſt mortem in aureo ſubſellio præſidens, cui duo angeli videbantur aſſiſtere, & flabella manibus ventilantes conabantur æſtus in ejus facie more miniſtrantium temperare. Cumque quis eſſet ille, is qui hæc videbat, inquireret, reſponſum eſt ei, Juſtitia, &c. Cum itaque hæc de Purgatorii pœnis manifeſte dicta ſint, ea quoque tormenta quæ Richardus in eodem loco ſuſtinere viſus eſt, de aliis à piacularibus pœnis intelligi non debent. Et quidem mirum videri non debet ſanctos viros gravioribus pœnis poſt mortem aliquando fuiſſe purgatos, cum nemo hic ſine noxa vivat; aliunde vero nihil coinquinatum introeat in regnum cælorum. Sic ſæculo ſuperiori vidimus Udalricum Auguſtanum antiſtitem paullo ante quam ſpiritum exhalaret dixiſſe: Heu, heu, quod illum nepotem meum Adalberonem umquam vidi; quia pro eo quod ei ſecundum ſuum deſiderium conſentiebam, nolunt me impunitum in ſuum recipere conſortium. Vitaliana virgo apud Gregorium Turonenſem complures annos in purgatorio exegit, ob leviores, uti nobis viderentur, cauſas. Similia fere narrantur de aliis ſanctis viris. Ceterum ædificiorum ſuorum, vel etiam ornamentorum, quibus ea illuſtravit, deſiderio non eo uſque captus eſt Richardus, ut eorum occaſione à caritate Dei excidiſſe cenſeri poſſit; qui inſtante publica neceſſitate pretioſiora quaque vendidit ut pauperibus ſubveniret, teſtante Hugone; quin & cum ſeſe in ſolitudinem recepiſſet, vix ab Epiſcopo adduci potuit, ut ad monaſterium reverteretur. Beatæ memoriæ vir appellatur in Charta Richerii epiſcopi pro monaſterio Vitoniano. An à Petro Damiani condemnatus.

7. Celebris ſemper fuit Richardi memoria, cujus nomen in Martyrologium Benedictinum invexit noſter Hugo Menardus, & vitæ ejus compendium in Obſervationum libro 1. inſeruit. Hunc ſecutus eſt Bucelinus in Menologio Benedictino. At Andreas Sauſſaius, qui eum in Mar- Richardi memoria.

Digitized by Google

Ann. Chr. MXLVI. Jun. XIV.

tyrologio Gallicano omiſerat, ipſum in Appendice laudavit. Nomen ejus in Necrologio majoris eccleſiæ Remenſis die 14. Junii memoratur. Chronicon Divionenſe ejuſdem obitum ad annum MXLV. *revocat; alii vero ad annum* MXLVII. *ſed iis, ut quidem mihi videtur, præferri debet tam Hugonis Flaviniacenſis abbatis, quam Anonymi noſtri auctoritas; ſiquidem uterque teſtis oculatus fuit: aut certe ambo ea ſcripſerunt, quæ ab oculatis teſtibus didicerant. Illi vero Richardum anno* MXLVI. *ad ſuperos abiiſſe ſcribunt, quorum ſententiam ultro amplectimur.*

Dies obitus.

Sepulturæ locus & tranſlationes.

8. *Porro Richardi corpus, quod in crypta ab eo ædificata fuerat humatum, anno* MCCXXXVI. *tranſlatum eſt in ſacellum ſancti Nicolai, quod poſtea nomen beati Richardi ea occaſione accepit, ut notat Hugo Menardus, qui in monaſterio ſancti Vitoni aliquamdiu degit. Rurſus anno* MDXCVIII. *die* I. *Junii delatum eſt ejuſdem beati viri corpus in eccleſiam, & depoſitum fuit non procul à ſacrario, è regione ſacelli ſancti Sanctini, cujus tumulo marmoreus lapis eſt ſuperpoſitus, ſuffultus quatuor columnis. Ea occaſione ejus caſula, ſandalia, aliaque ſacerdotalia indumenta abſque corruptione inventa dicuntur, cum plumbea lamina, quæ inſcriptionem continet in hæc verba:* Anno Dominicæ Incarnationis MXLVI. Indict. XIII. Epacta.... Concurr. II. obiit Richardus abbas in cœnobio ſancti Petri atque ſancti Vitoni, in ſuburbio Virdun. XVIII. Kal. Julii, hora tertia die Sabbati, qui vixit in cœnobio annis XLI. menſibus VII. diebus XIV. Is obiit anno VII. Richardi ejuſdem civitatis epiſcopi, & æquivoci, & in baptiſmate filii.

9. *Verum licet tanti meriti fuerit Richardus, nondum tamen ejus feſtivitas in eccleſia celebris eſt, nec ullus publicus cultus ſacris ejus reliquiis exhibetur. Pateram tamen, qua olim uſus dicitur fuiſſe, religioſe aſſervant hujus cœnobii aſcetæ, qui teſtantur eos qui febre laborant in eo bibentes vaſe, paſſim ſanitatem recuperare.* Beatiſſimus pater Richardus *dicitur ſemel & iterum in ipſius Vita, quam hic proferimus, titulo. Quo autem modo anniverſaria ejus mortis dies celebraretur, ex veteri Necrologio monaſterii Vitoniani diſcimus, ubi defunctorum anniverſaria in duas claſſes diſtribuuntur. In prima claſſe recenſentur* ſollemniora, ſcilicet, Epiſcoporum Berengarii & Richardi, & piæ memoriæ Richardi venerabilis abbatis, imperatoris Henrici, comitum Herimanni, Friderici & Lietardi: abbatum Cononis, Lodoici, Guillermi & Stephani. *Alia minus ſollemnia ſunt* Epiſcoporum Heymonis, Theoderici, Richeri; & Berneri præpoſiti; & omnium abbatum hujus eccleſiæ; & ducis Godefridi, & Godefridi marchionis & Mathildis comitiſſæ. *Tum ſingillatim exprimitur ratio celebrandi anniverſarii abbatis Richardi hoc modo.*

Anniverſarium beati Richardi.

Sane anniverſaria dies domni & venerabilis patris noſtri RICHARDI quadam adhuc excellentiori prærogativa cetera ſuperexcellit. Poſt pronunciationem enim ipſius in capitulo, totus cryptæ ambitus in qua jacet tumulatus, palliis tapetiſque adornatur, altaria cum tumulo omni decore parantur; pavimentum diverſarum nidore herbarum conſpergitur. Nona ſolito plus acceleratur, poſt orationem Veſperorum in cryptas totus procedit conventus, ſacerdotem præſtolaturus donec veniat, alba & ſtola redimitus. Tunc pulſantibus diutiſſime ſignis, quatuor cerei circa tumbam beati, & duo ſuper altare medium incenduntur: *Placebo* incipitur, & tonaliter cantatur. Ad *Magnificat* ſacerdos incenſat altaria cum jam dicti patris tumulo. Finita autem antiphona de *Magnificat*, incipitur à duobus ante altare Invitatorium, quod *Dirige* ſequitur ex more. Cum prima lectio incipitur, pulſatio ſignorum dimittitur, quæ de more antiquo familia debet pulſare; verſus autem Reſponſoriorum cuncti à binis & binis cantantur. Ad tertiam, ſextam, & nonam lectionem altaria cum beati illius tumulo incenſantur. Et quia hoc officium ſollemniter agitur, genuum flexio tam in hoc quam in ſequentibus de eo officiis omnino dimittitur. Primam collectam *Deus, qui famulum tuum*, ſequuntur aliæ per ordinem. Dicto *Requieſcant in pace*, intrant chorum, & veſperas dicunt, poſt quas cœnare vadunt. Infra collationem itur ad caritatem. Mane primo domnus Abbas cum præpoſitis & miniſterialibus mandatum pro requie illius ſtudioſiſſime celebrant; & eo die omnibus ſupervenientibus largiter eleemoſyna tribuitur. Prima ſolito plus acceleratur, poſtquam letaniam, ſi dies eſt qua cantari debeat, indutis ſollemniter miniſtris, & diutiſſime pulſantibus ſignis, ſcilicet donec prima collecta finiatur, accenſis etiam luminariis, Miſſa ſummo honore agitur. In capitulo remiſſius cum diſcutiendis pro tanti benedictione patris agitur, poſt quod de refectione fratrum domnus Abbas, præpoſitus & Cellerarius communiter ſtatuunt, ſtudioſe ordinant, & magnifice exſequuntur, fratreſque in tam beati recordatione Patris omnimodis exhilaratos reddunt. De iſto igitur taliter ſtatutum antiquitus accepimus à noſtris ſenioribus. *Hæc omnia in ipſo monaſterio Vitoniano deſcripſimus, annitente, & nobis indicante religioſiſſimo patre domno Hieronymo Pichon, ejuſdem loci priore, ex Congregatione ſancti Vitoni. qui nobiſcum mſſ. codices, & vetera quæque inſtrumenta celebris hujus monaſterii animo libenti communicavit. ſed jam proferenda eſt beati abbatis Vita, cum eo titulo, quem in veteri codice præfert, nobis à R. P. Bartholomæo Senoco ſubmiſſa.*

Digitized by Google

INCIPIT PROLOGUS IN VITAM beatiſſimi patris RICHARDI abbatis.

1. AD laudem & gloriam ſummæ æternæ Majeſtatis, cujus virtus & gratia eſt, quicquid in ſanctis ſuis mirabiliter in oculis mortalium, eadem ipſa divinitas aliquid excellentius quam in ceteris hominibus ſua diſpoſitione per adminiſtratorios ſpiritus cælitus operatur: de beatiſſimo & piæ recordationis patre RICHARDO poſterorum memoriæ quæ ab ipſis, qui ea viderunt, & certiſſime cognoverunt, fideli narratione didicimus, juſſis & voluntati id deſiderantium obtemperando tradere diſponimus; ſummopere geſtientes, ut tanti Patris veneranda memoria, ſicut hactenus noſtris, ſic eorum mentibus inhæreat per ſæcula, celebriter dulcis. Si enim quique fideles cum ſanctorum agones & certamina, ſeu actuum geſta, annuatim legunt vel audiunt, dulcius ipſorum memoriis inhærent; cum nos potiſſimum, qui auctore Deo hujus venerandi ſacra inſtitutionis norma regimur, & corporali præſentia fovemur, & ut vere credendum eſt, aſſidua apud Deum interceſſione protegimur, dignum eſſe ducimus, ut deſcriptis ejus aliqua ex parte geſtis, in ipſius amorem animos fidelium fratrum accendamus.

INCIPIT VITA.

2. HIc igitur pater venerandus, & à Deo nobis paſtor deſtinatus, in finibus Montis-Falconis [a], in villa quæ dicitur Bantonis, parentibus nobiliſſimis, patre videlicet VVALTERO, matre vero THEODRADA oriundus; in puerilibus annis eccleſiæ beatæ Virginis Mariæ Remis ſacris litteris erudiendus, & canonica regula inſtituendus traditus fuit; ubi Deo ſe gubernante, ſecundum incrementa corporis, morum & doctrinæ proficiens incrementis, in brevi ad ſummum apicem cælicæ doctrinæ pertingere ſtuduit. Deinde per ſingulos ſacræ promotionis gradus conſcendens, ſicut ordo habet eccleſiaſticus, in ordinibus ſacris, ſic moribus dignis ſeſe conſpicabilem reddidit. Unde factum eſt, ut tam ſcientiæ gratia quam vitæ & morum elegantia [b], Præcentoris, & Decani in ipſa eccleſia ſortiretur officia. Cum vero reverendus heros his potitus honoribus eum in dies ad ſummum philoſophiæ pertenderet animum, divinus ille ignis, qui quos repleverit, ardentes in amorem veræ philoſophiæ facit, ejus menti eo ſe totum infudit, ut vix ſe in hujuſmodi honoribus jam demorari pateretur, quin toto mundiali faſtu deſpecto, crucem Chriſti accipere, & eum ſequi omnibus votis deliberaret.

Richardi parentes & patria. a

b Remenſis Præcentor & Decanus.

3. Cumque id quod piæ menti conceperat divino perflatus ardore, pio affectu complere feſtinaret, cœpit omnimodis perquirere, quonam locorum à ſuis remotus id per Chriſti gratiam valeret aſſequi. Hæc ejus vota fautrix Divinitas ex alto perſpiciens, advexit ei ſcutum bonæ fidei & voluntatis, nobiliſſimum ſcilicet Comitem [c] FREDERICUM, qui eo tempore iſtius civitatis comitatum, corpore ſtrenuo & ingenti animo probiter regebat, quique eodem ſpiritu actus, poſtponere ſæcularem pompam, & Chriſtum ſequi ſitienter deſiderabat. Contigit denique, ut una dierum more itinerantium iſdem Comes Remis adveniret, & hoſpitio hujus viri

De ſeceſſu cogitat.

c

a Mons-Falconis opidum in finibus Remorum verſus Virodunum, ſed in Remenſi diœceſi, ubi monaſterium à S. Balderico inſtitutum, quod jam pridem in collegium canonicorum converſum eſt.

b Bertarius ait ipſum fuiſſe ex Primoribus eccleſiæ Remenſis. Vide Hugonis excerpta poſt hanc vitam edita

c B. Friderici elogium ſupra habes ad ann. MXXII.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXLVI. Jun. XIV.

caritate, quæ Chriſtus eſt, mediante, contubernaliter frueretur. Igitur inter mutuæ confabulationis prædulces affectus, incidit ſermo de hujus ſæculi & miſerabili ærumnoſaque fugienda pompa, quæ cum à ſuis amatoribus magis vult detineri variis obnoxia caſibus, dum totis ſpebus ei innituntur, ſubito velut umbra tenuis è manibus eorum elabitur. His ergo tam veris, tamque ſalutaribus verbis ad evitandas tam periculoſi naufragii moles ſe ipſos exacuentes, conſtituerunt ſibi diem & locum, quando & ubi deliberata perficerent.

Monaſterii S. Vitoni ſtatus.

4. Erat tunc temporis iſta eccleſia ſanctorum licet corporibus inſignis, beneficiis tamen ſatis exigua, utpote poſt Hunnorum ſeu Normannorum vaſtationem, & interemtionem eam incolentium Canonicorum, haud magnis impenſis pro anguſtia temporum reſtructa, ſumptibus inops, rebus neceſſariis valde tenuis, quam ſeptem tantummodo Scotigenæ, ſub abbate multæ ſimplicitatis viro, nomine [a] FINGENIO, qui abbatiam ſancti Felicis extra muros Mediomatricæ urbis conditæ cum iſta regebat, non multum laudabili vita incolebant. Ad hanc ergo, Deo volente, unanimi devotione, pauperem Chriſtum pauperes Chriſti voluntaria paupertate ſequentes, properare feſtinaverunt, in pulſando perſtiterunt, quoadusque ſuſcepti fuerunt. Cumque incorrigibiles cohabitantium mores attenderent, nec ad plenum, ut ſperaverant, regularem Ordinis tramitem eos incedere velle perſenſiſſent; tacti dolore cordis intrinſecus, inter ſe quæritare cœperunt, quonam, ad quod ardentes pervenire deſideraverant, videlicet religionis apicem, invenire valerent. Ea tempeſtate virebat vinea Domini Sabaoth ex Ægypto tranſplantata, & firmiter radicata, Cluniacenſis ſcilicet eccleſia, ſub ſanctiſſimo patre ODILONE, quam velut alter Moïſes vel Aaron, legiſlatione almi patris Benedicti ſtudioſius educatis, per mare hujus ſæculi, in quo ſunt animalia puſilla cum magnis, & per horrendam eremum, in qua igniti ſerpentes ſunt, ad veram promiſſionis terram traducere feſtinabat. Illo denique novi tirones acerrima bella ſequentes, properare maturarunt, & per aliquot dies ut hoſpites ſuſcepti reſederunt. Poſt hæc venerabilis Abbas honeſtos inſpiciens viros, inquirere dignum duxit, cujus rei gratia, vel unde veniſſent. cui cum ſui votum animi indicaſſent, ille plenus caritate, quæ non quærit quæ ſua ſunt, ſed quæ aliorum, blandis exhortationibus eos allocutus, evidenti ratione conſuluit, ut ad locum, ad quem eos prædeſtinatio divina vocaverat, redirent, dicens, quod nihil fit in terra ſine cauſa. Nam miſeratione divina eumdem locum poſſent adhuc in melius renovare, & ad regularem tramitem dirigere.

In quo Richardus & Fredericus ſuſcipiuntur.

S Odilonem conſulunt.

Migrare in monaſteriū S. Pauli cupiunt.

5. Iis affatibus, aliiſque quamplurimis à beato Patre confortati, &, ut verius dicam, evidenti ratione conſtricti redierunt, & ut illis præceptum fuerat, eccleſiæ huic ſe reddiderunt. Verum cum rurſus exaſperari perverſorum cohabitatione cœpiſſent, nec reſiſtentem manum ſibi adeſſe cernerent, iterum exire de medio malorum decernunt, & in vicino ſancti Pauli monaſterio [b], ubi tunc ſub HERVINO abbate novella plantatio florere cœperat, & in dies fructificare ſatagebat, habuerunt migrandi conſilium. Deus autem omnipotens, qui dives eſt in miſericordia, quique locum hunc per eos ſublimare & renovare diſpoſuerat, eorum ſtudio, ne perficeretur, obſtitit ſuo propenſiori conſilio. Erat eo tempore juxta eccleſiam beatæ virginis Mariæ, anus quædam ſanctimonialis in recluſione ſolitaria, religioſam ducens vitam, crebris orationibus, & jejuniis inſiſtens;

[a] De Fingenio actum eſt ſupra ad annum 1004. Porro mirum eſt, hic monachos S. Vitoni, non ſatis Regulæ addictos dici, qui ab Hugone Flaviniacenſi, *ut boni viri & religioſi* laudantur.

[b] Apud Hugonem à Wigfrido epiſcopo constructum dicitur, quod quidem opportunitate loci, monaſterio S. Vitoni præfert, *quamvis rigor Ordinis in iſto melius*, ut ait, *ſervaretur*. Ad Præmonſtratenſes tranſiit anno 1137. Qua de re agit S. Bernardus epiſtola 178. Vide in eam notas breves ac fuſiores.

cui

Digitized by Google

cui ea nocte, qua in craſtinum migrandi conſilium habebatur, adſtitit perſona honeſtæ compoſitionis & formæ, & ſic eam alloquitur: Exi, inquiens, juſſu divino ab hoc, quo detineris ergaſtulo, & abbati Fingenio imperium defer, quatenus illos duos fratres nuper converſos ſtabilitatem profiteri faciat; ne eccleſia, quæ eos, Dei diſpenſante gratia, meruit habere, aliqua dilatione doleat ſe amiſiſſe. Iis dictis viſio alloquentis diſparuit. ſanctimonialis autem viſis & auditis in nullo diſcredens, Abbati divinitus imperata nuntiavit. Erat autem dies illa noſtro Ordini annuatim memorabilis, tranſlatio ſcilicet almi patris Benedicti, quæ celebratur quinto Idus Julii. Venerabilis denique Abbas, audita legatione divina, lætatur pro viſitatione ſuperna, quæ huic eccleſiæ provenerat, & minime juſſa ſibi differre paſſus, convocatis iiſdem fratribus, divinum velle illis intimat, ſecretius monet & hortatur, ne diſpoſitioni divinæ velint aliquatenus reſiſtere. Multis ergo & variis delinimentis, ut verus ſophiſta, eorum animos ſtuduit à propoſito revocare. (Ann. Chr. MXLVI. Jun. XIV.)

6. His ita arcano divinitatis conſilio, non alicujus hominis diſpenſato propoſito perfectis, in brevi memoratus Abbas, poſt tres vix emenſos menſes defungitur, & in jam dicta beati Felicis eccleſia, dignam meritis ſuis ſepulturam, ut hodieque monſtratur, feliciter eſt indeptus, felix bravium à Domino pro laboribus aſſecutus. Quo comperto monachi, qui, ſicut jam præmiſimus, ignaviter ſacro Ordini inſudabant, ad libitum partes in eligendo ſucceſſore, poſtpoſito æquitatis tramite, de ſe ipſis faciebant; cum ecce dominus HEIMO, tunc temporis [a] hujus eccleſiæ pontifex, divinitatis inſtinctu, & domni Friderici bono hortatu, medium ſe offerens illorum reſtitit perverſitati. Inſtituebantur tunc temporis in iſta eccleſia, exemplo Samuelis, qui puerulus miniſtrabat Heli, & dormiebat coram arca Domini, duo bonæ indolis pueri ad miniſtrandum in domo Domini, qui corde tenus murmurabant, & prout audebant & valebant, in electione venerabilis patris Richardi adſpirabant. Cum igitur inter ſæpe fatos monachos multa & varia contentionis diſſenſio agitaretur, nec Pontificis, aut venerandi Frederici votis, concordari paterentur, hos intuens Epiſcopus quem vellent, quem eligerent ſciſcitatur. At illi ſimplicitate columbina veræ ſimplicitatis & innocentiæ indices: Dominum, inquiunt, Richardum quærimus, eligimus, & à veſtra paternitate nobis dari Abbatem expoſcimus. Mox domnus Pontifex, dictis innocentiæ exhilaratus corde, in vocem jubilationis exclamat, inquiens: Quoniam ex ore infantium & lactentium Deus perfeciſti laudem, ut obſtruantur ora loquentium iniqua. Vere etenim in hoc beatiſſimo Patre laus infantium declarata perfecta eſt, quæ non adulantium ore, ſed Spiritus-ſancti judicio, prolata dignoſcitur eſſe. (Mortuo abbate Fingenio. — Richardus ei ſuccedit.)

7. Talibus ergo auſpiciis paſtor deſignatus, & religioſorum unanimi teſtimonio approbatus, à Pontifice inveſtitur, & in natale apoſtolorum Simonis & Judæ eccleſiaſtico more confirmatur [b] ſacra benedictione. Dehinc quantum qualemque ſe exhibuerit, quanta ſollicitudine in ampliando loco, & monaſtica religione innormanda, & utenſilibus neceſſariis divinis cultibus invigilaverit, vix enarrare quis poterit. Tanta enim ſanctitate & religione, virtutumque inſignibus, ſubito per Dei gratiam cœpit pollere, ut non ſolum Franciam, unde commoverat, verum totum Lotharienſe regnum in brevi fama ſanctitatis ejus perluſtraret, ut diceret cum Apoſtolo: *Chriſti bonus odor ſumus Deo in omni loco.* Unde factum eſt, ut primus [c] HENRICUS imperator Pius, tertii Ottonis ſucceſſor, audita (Benedicitur. — 2. Cor. 2. 15.)

[a] Hujus Vitæ auctor ſic ſemper, cum de rebus Virdunenſibus loquitur, utitur pronomine *hic*, quia in ea civitate commorabatur.

[b] Anno Domini MIV. ex Hugone.

[c] Alias dicitur *ſecundus*, cum nempe præceſſit Henricus Auceps, ſed qui Imperatoris nomen non habuit. Porro hac occaſione maxime enituit Friderici humilitas, ut in ejus Elogio dictum eſt.

Digitized by Google

ANN. CH. MXLVI. JUN. XIV.

Imperatori fit notus.

opinione tanti patris eum accerſiret, & ejus colloquiis dulcibus ſedulus inhærens, multis & variis donariis, ſicut imperatoris dignitati par erat, muneratum ad ſua remittebat. Multoties illum accerſiens, tandem una dierum inter familiaria ac amicabilia mutuæ dilectionis colloquia, perquirendum credidit iſtud cœnobium, quo tempore, & quo fundatore, & quali ſitu eſſet fundatum. Cui benigniſſimus Pater nacta occaſione, ſecundum quod fuerat ſciſcitatus, reſpondit, hunc locum ſanctorum patrociniis, & antiqua pontificum ſepultura eſſe digniſſimum; ſed pro mutatione, vel variatione temporum & perſecutionibus eccleſiarum valde tenue & anguſtum. Auditis iis liberaliſſimus Imperator, recolens illud evangelicum: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* & iterum: *Theſaurizate vobis theſauros in cælo*, theſaurorum pie prodigus & miſericorditer profuſus, dedit ei impenſas, ut cæmentarios & neceſſarios artifices ad amplificandum [a] monaſterium, & cœnobium meliorandum, munerare largiter poſſet. Acceptis ergo ab Imperatore impenſis, ſine mora conductis artificibus, eccleſiæ culmen appoſuit, ambitum amplificare ſtuduit, & ſub nomine ejuſdem Imperatoris, ex ejus omnino impenſis preſbyterium, quod dicitur Sanctum-ſanctorum, quodque à veteri opere cernitur hactenus diſcrepare, cum ſubterraneis cryptis, quas ſua induſtria fecit, Deo ſe proſperante, mira velocitate conſtruxit.

Luc. 16. 9. *Matth. 6. 20.*

Cujus liberalitate monaſterium reſtauratur.

Plurima Epiſcoporum ſepulcra detegit.

8. Factum eſt autem cum cœpto operi maturando inſiſteret, ut in ipſo loco, quo per gradus ad ſancta-ſanctorum aſſcenditur, duorum Epiſcoporum HYLDINI [b] & HATONIS ſepulcra inveniret, quorum oſſa condigna reverentia elevata, ex obliquo altaris Præcurſoris Domini, in dextra parte monaſterii, Nonas Maii in uno mauſoleo recondidit. Pari modo dum ipſum monaſterii ambitum amplificare, ut præmiſimus, vellet, & fundo tenus ſumma diligentia cuncta ſcobere faceret, reperit in ipſius templi parte meridiana octo Epiſcoporum ſepulcra ad invicem ſibi conjunctione animadvertit. Attamen ea decentius, ut ſibi videbatur, volens mutare, inoperta uſque in craſtinum juſſit ea remanere. Ecce autem in ipſa nocte, unus eorum pontificalibus infulis redimitus, lecto fratris Paramonarii adſtitit, dicens, ſe Dei voluntate ad eum à ſociis miſſum, ut mandatum ſuum, ſociorumque Abbati nunciet; quatenus in ea ſedis requie, in qua Dei diſpoſitione meruerunt conjungi, permittat eos exſpectare diem judicii. Cumque frater ille diceret, ſe timere juſſionem hanc Abbati nunciare, ſine alicujus certæ rei indicio, ne deluſione notaretur phantaſtica. Ille ſtatim ſubintulit: Nuncia, inquit, nihil hæſitans, eo indicio, quod ſingulorum noſtrorum dexteras manus omni putredine incontaminatas, albiſque chirothecis involutas, noſtris pectoribus reperiet ſuppoſitas. Iſtis ergo manifeſtis indiciis certior redditus frater, mane facto Patri viſa & audita referre non diſtulit. Quibus auditis ſenior cito fidem accommodare noluit, donec ab eo Miſſa pro eis celebrata, cum crucibus, thymiamateriis, aqua aſperſionis, & cereis ad ſepulcra eorum pervenit; ſcrutatiſque omnibus diligenter, ſecundum quod fratri fuerat dictum, certiſſime reperit omnia indicia. Tunc ſuper mirifica Chriſti opera, ut dignum erat, magnifice pius Pater exhilaratus, gratias Deo egit, & aſperſis thurificatiſque eorum corporibus, cum ſumma diligentia recludi juſſit. Poſt multum denique tempus, analogium ſupra eadem fabricavit ſepulcra, ut deambulantium ab eis arcerentur veſtigia. O quanta reverentia tantus ac talis lo-

[a] De hujus eccleſiæ conſtructione ac ſanctorum corporum inventiono lege obſervationes prævias, & infra Hugonis excerpta.

[b] Hilduinus adfuit reſtitutioni Ludovici Pii anno 839. Ejus mentionem facit Hincmarus Epiſtola 3 Obiit anno 850. cui ſucceſſit Atto, ex monacho ſancti Germani Autiſiodorenſis epiſcopus Virdunenſis, ut patet ex Can. 7. concilii Tullenſis ad Saponarias; affuit concilio Tuſiacenſi anno 860. Aquiſgranenſi anno 862. Obiit Kal. Januarii anno 870. Necrologium Vitonianum habet 869.

tus à fidelibus eſt excolendus, quem non parietum materialis decor, non metallorum varius fulgor, verum decem & octo Epiſcoporum condecorat honor, & continuus orationum labor, & pro ſe venerantibus, indefeſſus ad Deum invigilat clamor. Nec enim venerandi Præſules hunc locum vilipendere dignum duxerunt, in quo ſepulturæ requiem delegerunt, & ſedis ſuæ relicto polinctorio, hoc in loco ſepeliri maluerunt : quapropter nec eorum memoria nobis debet exſiſtere vilis, immo recolenda & venerabilis, ut ipſorum ſupplicatio apud Deum nobis fiat propitiabilis. Si enim dives ille in inferno ſepultus, fratrum memor exſtitit, & pro eis ne damnarentur, ipſe damnatus ſollicitudinem geſſit, multo magis credendum eſt, Beatorum ſpiritus adhærentes cælorum agminibus, & æternæ Majeſtatis adſiſtentes conſpectibus, pro ſuis ſemper ſupplicare veneratoribus. Hiis pro dignitate & reverentia hujus baſilicæ per exceſſum breviter dictis, revertendum nobis eſt ad ſeriem narrationis.

Ann. Chr. MXLVI. Jun. XIV.

9. Ea tempeſtate, ſicut legitur in vita beati Theodorici [a], florebat multiplici virtutum flore ac germine inter ceteras Lobienſis eccleſia, & pollebat ſanctorum & illuſtrium monachorum converſatione. Hanc nobilitaverat & inſtitutionibus, & ſanctis monitis, & exemplis extulerat, qui tunc in ea præſidebat Richardus abbas, vir quo illa ætate nihil habuit Gallia clarius, licet reverendi abbatis Vvillermi, & apud Italos & Francos jam præferretur diſciplina, quamquam Odilonis æque abbatis Cluniacenſis, inter monachos celebre nomen haberetur : nec non Agrippina civitas exſultaret Heriberti præſulis ſanctitate, ſed & Legia beatam ſe prædicaret ſancto Vvolbodone; Virodunum quoque gloriaretur ſuo Haymone; Cameracum etiam vitæ probitate attolleret Gerardus, Carnotenæ autem decus urbis mellifluus in facundia clareret Fulbertus. Qui videlicet abbas Richardus, tamquam lucifer matutinus inter minora ſidera effulſit, & late ſpargens ſanctarum virtutum rutilantes radios, cæleſtis prædicationis jubare totam Belgicam, Germaniæ etiam partem maximam illuſtravit. Innumera monachorum monaſteria circuivit, agreſtes à cultu pietatis eorum animos ad religionem, unde oberraverant, revocavit, & ſuo eos vivere exemplo inſtituit; quem ſi, ut fuit, vellem laudare, fateor nihil dignum tanti viri virtutibus poſſem dicere. Hoc tamen tantum de illo vere & fidenter dixerim, quod quamvis ſicut homo vivere videbatur in terris, erat tamen ejus converſatio in cælis [b]. Igitur dum beati viri fama, longe lateque per diverſa diſcurreret loca, cœperunt ad eum undequaque multi confluere, tam clerici quam laïci, ſtudentes ejus diſciplinatui inhærere, & ſalutari relevari conſolatione. Erat quippe vir piiſſimus, melliflua ammonitione dulciſſimus, in inſtruendis moribus idoneus, in correptione diſcretiſſimus, in ſubditis mitiſſimus, poſtremo in cunctis anxietatibus conſolator benigniſſimus. Talis denique ejus bonis omnibus imitabilis vita & ſpectabilis converſatio, efferos multorum mores ad correptionem provocabat; tanta animi ipſius dulcedo plurimorum mentium amaritudinem dulcorabat : ejus etenim prædulci amore illectus nobiliſſimus comes Lietardus, Ottonis imperatoris conſanguineus, ei in omnibus adhæſit, & ſumto ab eo habitu religionis, villam ſui juris [c], Barlodium dictam, beato Vitono tradidit. Pro

[a] Richardus abbas Lobienſis.

a Mettenſis ſcilicet epiſcopi, ut ex Hugone diſcimus. Sed hæc vita nondum edita eſt, & forte omnino excidit.

b Videtur hic auctor innuere ea omnia Lobiis accidiſſe, certum eſt tamen Lietardum, &c. in monaſterio S. Vitoni monaſticam veſtem recepiſſe, ac ea ibidem accidiſſe quæ hic enarrantur. Vide infra excerpta ex Hugone.

c Hanc donationem fecit priuſquam monachus fieret, ut ipſe Richardus teſtatur in ejus rei Notitia, quam ex Chartario ſancti Vitoni deſcriptam præ manibus habemus. Eamdem villã à Lietardo præoblatam fuiſſe ait ipſe Henricus imperator in Charta confirmationis, quæ eſt ſine data in Chartario Vitoniano. Ballodium autem iu hac eadem Charta ſitum dicitur *in pago Macenſi*. Hinc forte Lietardus apud Hugonem dicitur *Comes de Marceio*.

Ann. Ch. MXLVI. Jun. XIV.

qua traditione quantas à filio ſuo Comite Manegaudo ſuſtinuerit moleſtias, quot labores in perquirendo juſticiam in curia Henrici Imperatoris, qualiterve, cum inde rediret, Treviris apud ſanctum Maximinum infirmitate detentus obierit, & ibidem ſepultus, ab eodem dilecto patre auxilio Giſleberti Luzeburgenſis comitis inde effoſſus, & ab hominibus Belodii huc relatus, & in clauſtro honorifice ſit ſepultus; & quomodo poſtea dominus abbas apud Theodonis-villam in curia prædicti imperatoris adverſus ipſum Manegaudum de invaſione paterna conquerens, judicio curiæ eamdem villam reacquiſierit, longum erat cunctum ſeriatim retexere. Attamen juvat ſummatim hæc tetigiſſe; & hoc dicendum, quoniam niſi induſtrius labor iſtius Patris noſtri interceſſiſſet, eccleſia ipſam villam funditus perdidiſſet, ſed labor omnia vincit improbus. Uxor etiam ipſius venerandi Comitis, Emmehyldis nomine, dalmaticam magnam cum aurifriſis, & tapete longum, quod in conventu ponitur, ſua magnificentia donavit; ſic juſtus iſte quacumque ibat ſemper eccleſiæ ſuæ diplomata conquirebat. unde & [a] Mathildis nobiliſſima Saxoniæ comitiſſa, quæ de viro ſuo comite Godefrido quinque filios genuerat, Alberonem ſcilicet hujus eccleſiæ urbis Epiſcopum poſt Vifridum, & Fredericum & Hermannum induſtrios comites, Godefridum & Gozelonem præclariſſimos Duces, hunc Patrem ſummo dilectionis ſtudio coluit, & pro parte hanc eccleſiam magna admodum liberalitate, cum filio ſuo comite Hermanno ditavit tabulis, crucibus, & textu altare decoravit, & tribus palliis parietes ornavit, fundis & reditibus multis inſignivit, ad ultimum ſe huc deportari & ſepeliri ambo fecerunt. Idem etiam Comes Hermannus ſuis impenſis crucem in parte dextra templi accrevit, & oratorium in honore glorioſi martyris Laurentii in ea conſtruxit.

Nobilium liberalitas in S. Vitonum.

10. Frater autem ejus felicis memoriæ domnus Fredericus monachus, contractis undequaque multis operibus, ſua induſtria turres lapideas, & domum refectorii cum ſuo ornatu conſtruxit; ſiniſtram crucem augmentavit, & in honore ſanctorum Vedaſti & Remigii, illic oratorium fecit. Iſdem etiam cum in cœnobio ſancti Vedaſti à beato Patre, qui illud regendum & corrigendum ſuſceperat, præpoſitus ſeu Prior fuiſſet conſtitutus, ut cauſa obedientiæ ibi moraretur, extrema ſorte præventus, dum illic condigno honore ſepultus, hic nunciatus fuiſſet defunctus, venerabilis Pater ex multo mærore ſe non continens, illuc feſtinus perrexit; & effoſſo ejus corpore, viſcera corio inſuta ibi repoſuit, & corpus vacuum matri, fratrique conſepeliendum illuc reportavit. Quid enim vera non operatur caritas? Veræ quippe dilectioni nihil grave & oneroſum, nihil impoſſibile aut laborioſum videtur, quoniam ſicut ſcriptum eſt: Qui amat non laborat. Si enim inter ſæculares, quos nullus irrorat amor ſpiritualis, ſed cum ſe diligant amore obſcœno, vel carnali, unum velle & unum nolle eſt in eis, eo magis qui ſpirituali glutino caritatis, ſibi in Chriſto per Chriſtum conjunguntur, nihil grave, nihil durum aut laborioſum in ipſo mutuæ dilectionis opere, perpetiuntur. Sed ſicut dicit Apoſtolus: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Quocirca beatus iſte vir pro caritate veræ dilectionis, quam exhibere curabat ſuis, nihili ducebat quicquid laboris patiebatur pro ipſis. Filius etiam præmoniti Comitis Hermanni, bonæ memoriæ Gregorius [b] Leodienſis Archidiaconus, amore ipſius illectus, monachus factus, caſulam rubeam, & cappam minorem purpuream cum aurifriſio contulit.

B. Friderici obitus.

Rom. 8 28.

11. Cum vero memorabilis Pater non ſolum noſtro Ordini pacis concordiam præſtabat, ſed & inter ſæculi principes & tyrannos, concordiam

Principes Richardus in concordiam revocat.

[a] De his donationibus vide excerpta ex Chronico Hugonis, ubi etiam Mathildis mors deſcribitur.

[b] Hunc à patre in annis puerilibus Deo oblatum fuiſſe ſcribit Hugo.

Digitized by Google

quam ſæpiſſime reformare curabat. Tanta namque ſanctitatis ejus apud cunctos increverat reverentia, ut pæne nullus quicquid vellet, quicquid imperaret contradicere auderet. Denique cum Odo Comes Campanienſis caſtrum antiquiſſimum, Commerecium [a] dictum, obſideret, ut eum pacificatum ab obſidione removeret, beatus hic cum Gervino eccleſiæ hujus venerabili apocryſiario advenerat; ſed jam tunc ignis vorans omnia vaſtabat. Tunc prædictus frater antiquiſſimam dignitatem capellæ ipſius caſtri ſciens, & reverendas reliquias ſalvare cupiens, ſcuto piæ devotionis munitus, medios ignes ingreditur, cum ecce uni armigerorum occurrit, qui eas corio inſutas ſub chlamyde ſibi celabat. Mox denique, compenſato pretio, eas ab eo ſuſcepit, & huic eccleſiæ intulit, ubi, Deo gratias, uſque hodie cum digno ſervantur honore. Quæ vero ipſæ ſint reliquiæ, vel qualiter acquiſitæ, breviandi gratia hic omiſimus dicere, quoniam ante multa tempora juſſu domni abbatis Laurentii, fratribus Colonienſibus de monaſterio ſancti Pantaleonis hoc flagitantibus, ipſum geſtæ rei ordinem prout certius à ſenioribus noſtris addiſcere potuimus, ſcripto mandare ſtuduimus [b]. Nunc ad propoſitum redeamus. Cum igitur memoratus Campanienſis Odo, rurſum contractis undequaque multis militum copiis, Bar caſtrum obſediſſet, ubi & cum multis ſuorum [c] interemtus occubuit, & iſdem venerabilis Pater, dum cum monacho ſuo Walleranno, cognomento Bonifacio, illo veniſſet, Comitem Manassen de Domno-Martino, eodem fuſum prœlio, cum quibuſdam aliis iſthuc deportari fecit, & honorifice ſepelivit. Quod audiens uxor ipſius, variis donis eumdem Patrem muneravit, & tapetem magnum huic eccleſiæ dedit. Uxor etiam prædicti Odonis Comitis in memoriam ſui & mariti caſulam croceam tradidit. Sic induſtria & bona fama beati viri hæc eccleſia cumulabatur ornamentis. Comitem etiam Bretulienſem, nomine Walerannum, in ipſo prœlio graviter vulneratum, ne prorſus ab inſectatoribus exſtingueretur, ſacra religionis veſte amictum deffendit; & huc delatum, curatumque in tantum bona ſui inſtitutione innormavit, & ſacris litteris imbuit, ut poſt ejus venerabilem tranſitum iſti præficeretur eccleſiæ; cujus pater Gelduinus nomine, tum filii amore, tum beati viri ſacra allocutione, ſæculo renuntiavit, & in ſenectute bona bene converſatus, plurimis donariis huic loco traditis, felici fine conſummatus in fine quievit.

12. Ut autem venerabilium ſenium fideli narratione didicimus, viginti & unius [d] abbatiæ rector & inſtitutor hic beatus Pater exſtitit, quas tam imperiali traditione quam religioſorum Pontificum petitione, non ſolum in Lotharingia, verum in Francia ſeu in Flandria ſuſcepit regendas; in quibus adhuc quam plurimis ſervari vidimus ejus inſtitutionum inſignia, inter quas Bellogienſis eccleſia meritis glorioſi martyris Mauritii inſignis, & ſancti Rodingi confeſſoris, cujus ipſe vitam honorifico ſermone compoſuit [e], & feretrum auro & argento decoravit, exſtat ejus ſacris ſtudiis nobilitata, cujus faſtigium augmentavit, clauſtro & neceſſariis officinis adornavit, variiſque utenſilibus ditavit. Teſtantur & duo cœnobia ejus ſacræ religionis circa monaſticam vitam ſollicita ſtudia, in quibus fundandis ſuæ induſtriæ præclaram dedit operam, ſcilicet glorioſi martyris Laurentii in Leodio, & Catalauni in ſancti Petri monaſterio. Nam beatus

Viginti & unum monaſteria regit.

a Opidum ad Moſam, vulgo *Commerci*, in finibus Leucorum.

b Hanc epiſtolam ex cod. mſ. S. Vitoni deſcripſimus, quam ideo ad calcem hujus vitæ edere viſum eſt.

c Hoc bellum Hugo & Sigebertus referunt ad annum MXXXVII. Barrum opidum eſt cognominis pagi caput inter Lotharingiam & Campaniam, vulgo *Bar-le-duc* dictum.

d Monaſteriorum iſtorum nomina vide infra in excerptis ex Hugone.

e Hæc vita edita eſt in Appendice II. ad Sæculum IV. parte 2. pag. 531. ubi plura de Bellilocenſi monaſterio, vulgo *Beaulieu*, quod hodieque ſubſiſtit ſub Congregatione S. Vitoni, ſicut & monaſterium S. Petri Catalaunenſis infra memoratum.

Digitized by Google

ANN. CH. MXLVI. JUN. XIV.

Vvolbodo Leodienſis antiſtes à Deo conſtitutus, & primus ROGERUS Catalaunenſis, itidem epiſcopus, ejus hortatu confortati, & dulci famine illecti, loca almi patris Benedicti inſtitutis opportuna, eo eligente & Domino proſperante, datis quam pluribus impenſis diſpoſitioni ipſius totam operam crediderunt. Tunc vir Dei ſpiritu ſapientiæ plenus, & ad cuncta bona ſollertiſſimus, huic operi inſtitit devotus, & ut ſe locorum opportunitas obtulit, vel expenſarum ſe liberalitas contulit, utraque cœnobia compoſuit, & de ſuis Abbatibus datis, ſollicite eadem norma religionis inſignire ſtuduit. Quam ſtudioſa ſane inſtantia, & ſollerti vigilantia ædificiis hujus loci inſtiterit, & omnimodis inſudaverit, hinc liquido poteſt inſpici, quod columnas clauſtri, ſeu tabulas ejuſdem materiei ab abbatia ſancti Amandi, cui auctore Deo tunc præſidebat, per varios itineris anfractus, perque Scaldum * fluvium Moſæ tenus devehi fecit. nam pro poſſe non diu patiebatur abeſſe quicquid ad honorem vel honeſtatem ſeu decorem loci proſpiciebat congruere.

* l'Eſcaut.

Ejus virtutes.

13. Placet denique hic paullulum ſubſiſtere, auditorumque mentes ad id quod certiſſimum habemus erigere, quod vir iſte ſpiritu ſapientiæ plenus, cum tot eccleſiis, ut præmiſimus, eſſet prælatus, niſi aliquid illis excellentius, & ut ita dictum ſit, divinius in iſta prævidiſſet, minime illam iis omnibus ſua ſollicitudine & induſtria prætuliſſet.

Quam vigili cura ſic nobilitare ſtudebat,
Intus & exterius, ne cultus deforet ullus,
Et nihil infectum remaneret in ordine fratrum,
Quod Chriſto placitum, vel quod conſtaret honeſtum,
Non probitas morum, non pax, non gloria laudum.
Cernere tunc miram poſſes certamine pugnam,
Hos decertare, reliquos virtute præire,
Sic ſobolem pacis Paſtor animabat herilis,
Sic & ovile ſacrum tutabat ab ore luporum,
Sic vigil adſtabat, ſic Chriſti caſtra regebat,
Sit denique nobis ejus recordatio dulcis.

Sit ejus memoria noſtris mentibus æternalis, cujus laboribus per varia deſudatis, cujus ſingularibus ſtudiis acquiſitis ſuſtentamur ſtipendiis, &, quod majus & excellentius eſt, corporali gratificamur præſentia, & cum ceteris ſacro-ſanctis ſanctorum patrociniis à Domino collatis, ejus orationibus apud Chriſtum, relevamur ab anxietatibus cunctis. Sit ergo æternæ majeſtati, quæ nos tot & tantis patronis muneravit, ditavit & honorificavit indeficiens gloria, laus & jubilatio per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

14. Igitur quoniam beatiſſimi Patris multiplicia laborum ſtudia, quæ à die ſuæ ordinationis, pro amplificatione hujus eccleſiæ huc illucque ſollicite diſcurrendo, & vitæ verbum ſæcularium mentibus propenſius infundendo, & ad paſcuæ loca convertendo peregit, ſecundum antiquorum Senum relationem, licet inculto & minus polito ſermone, deſcripſimus; nunc ad peregrinationis ejus laborem, quem Chriſti ductus amore libens aſſumſit, & per multas anguſtias viarum, locorum & temporum, Deo juvante, perfecit, ſtilum vertamus. Eo tempore quo Dominus Heymo pontificatum hujus urbis regebat, cœpit valde inſiſtere ædificiis murorum civitatis, utpote vir nobilis, & ſuperabundans divitiis, delectatus data ſibi à Deo diuturnitate pacis. Unde factum eſt, ut iſtud cœnobium includere deliberaret infra muros civitatis, contra votum venerabilis patris. Inſtabat etenim ſollicite frequens eruderatoribus aggerum, aliquotiens vero per-

Impedit ne monaſterium intra urbem includatur.

Digitized by Google

ſpiciebat eos per feneſtras culminis portarum noſtrarum. Vir autem Domini ab hoc propoſito eum revocare volens, cœpit vehementer obſiſtere, dicens cœnobitis indecens & incongruum intra civitatis mœnia includi, ne dum feſſis corporibus quietem noctibus indulgerent, ſeu matutinorum vigiliis adſtarent, cornizantium, aut vociferantium ululatus eis moleſtias inferrent. Verum quoniam dominus Pontifex non erat ejus fortunæ, ut facile à propoſito ab aliquo poſſet dimoveri, reverendus heros imperatorem Henricum ſibi amiciſſimum adiit, &, ut Epiſcopum à ſua intentione revocaret, humiliter rogavit. Tunc Imperator petitionem viri Dei nequaquam paſſus differre, miſſa legatione ad Epiſcopum, ceſſavit ab intentato opere: ſed Epiſcopus hac de cauſa indignatus cœpit Abbatem inſimulare. Dei autem famulus, verus pacis amicus, ſimultates illius ad tempus dignum declinare, & maxime ut ſui voti compos fieret, quod diu deſideraverat, ſecretum ſuæ devotioni perquiſivit locum, in quo remotus ab hujus ſæculi tumultibus ſoli Deo vacare poſſet ſecretius. Invenit denique penes Romarici-montem locum, qui dicitur Rumbech, tunc temporis ſolitariæ vitæ ſatis commodum, in quem conſcendens, congrua ſibi conſtruxit habitacula, & multis diebus [a] ibi ſolitarius degens cæleſti theoriæ animum intendere ſtuduit.

Ann. Ch. MXLVI. Jun. XIV.

In ſolitudinem ſecedit. [a]

15. Cœpit autem vitæ ejus ſanctitas per populos ultra citraque celebris haberi, & aliquibus virtutum ſignis per ora multorum vulgari. Unde contigit ut quidam vir leproſus, cum pro petenda ſtipe virum Domini frequenter expeteret, & vitæ ipſius ſanctitatem ſollicitus inſpiceret, incidit ei in mentem, quod ſi viri Dei balneo poſt ipſum, vel ad modicum poſſet aliquando intingi, ſanitatem reciperet. Quemdam ergo abbatis domeſticum famulum, qui ejus obſequiis ſedulus adhærebat, ſuper hoc convenit, & ut hoc aſſequi mereretur, multa prece rogavit: cujus ille miſeriæ compatiens, quis enim tam duricors exſiſteret, qui tali non compateretur infirmitati, ſeniori ſuo balneum paravit, & ut in eo vel modicum lavaretur vix obtinuit. nullam enim corpori ſuo requiem, aut remiſſionem indulgere volebat, ſed totis niſibus ſeipſum affligendo macerabat. Lavit denique & exiit; mox infirmus, ſicut deſideraverat, integra fide in illud deſcendit, & ſtatim, quod dictu eſt mirabile, toto corpore ſanus ex eo aſſcendit. Quidam etiam viſu oculorum ex multo tempore orbatus, audita fama viri, quod illuſtris haberetur talibus ſignorum prodigiis, ſpe credula, apud ſe cœpit tractare, quod ſi ex aqua, qua famulus Chriſti manus ablueret, oculos lavaret, protinus viſum reciperet. Petiit ergo, & accepit: lavit & viſum recepit.

Miraculis coruſcat.

Mundat leproſum.

Cæcis lumen reſtituit.

16. Factum eſt autem dum longe lateque ſignorum ejus memorabilis fama per multorum ora celebraretur, ut ad aures prænominati pontificis rerum geſtarum ordo perferretur; qui ſuæ in eum ſimulationis tandem pœnitens, & ſpiritum manſuetudinis ſeu æquitatis in ſemetipſum recolligens, virum Dei ut reverteretur, & ſe ſuæ ſedi redderet, miſſa [b] legatione, humili prece rogavit. Vir autem Domini patientiæ virtute plenus, ſciens ſcriptum: Obedite præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis, roganti Epiſcopo obedire non diſtulit, & licet invitus theoriæ contemplationem, cui dulciter cum Maria inhærebat, deſerere, & Marthæ ſollicitudinibus compulſus eſt rurſus inſervire, & piis filiorum deſideriis ſe ad tempus reddere. Ideo vero ad tempus, quoniam cum ſe ipſa ſua ſolitudine cohibuiſſet, & ſecum habitare delegiſſet, lectioni vel orationi adeo alternatim inſtabat, ut nec ad modicum à quolibet eorum vacaret. Audiens autem de Incarnatione

Rogante Epiſcopo ad monaſterium redit. [b]

[a] Ibi quinquennium exegiſſe refert Hugo, diſcipuliſque eo confluentibus normam vivendi tradidiſſe ſecundum morem à ſanctis Patribus inſtitutum. De hac re vide narrationem ad calcem hujus vitæ relatam.

[b] Ea de re epiſtolas utrimque datas ſe legiſſe, cum adhuc puerulus eſſet, aſſerit ſæpe laudatus Hugo.

Digitized by Google

ANN. CH. MXLVI. JUN. XIV. & paſſione Chriſti Iſaïam præloquentem: *In illa*, inquit, *die radix Jeſſe, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes deprecabuntur, & erit ſepulcrum ejus glorioſum.* (Iſai. 11. 10.) & David pia ſpei modulatione in voce exſultationis canentem, (Pſal. 131. 7.) *Introibimus in tabernaculum ejus, adorabimus in loco ubi ſteterunt pedes ejus*; miro flagrabat cordis ardore, ſi quomodo ad hoc poſſet aliquando pertingere, ut deſiderium cordis ſui inde valeret adimplere.

(Iter Jeroſolymitanum ſuſcipit.) 17. Hæc ergo indeſinenter corde volventem, & ore aſſidue ruminantem, cerneres illum & ſi non corpore, ſpiritu tamen illic & devotione aſſiſtere: unde præ nimio mentis ardore cœpit deſiderii ſui votum palam omnibus aperire. Ordinans itaque eccleſias, & morigeratos honeſtoſque fratres eis præficiens, cum voto & benedictione pontificis [a] exit peregrinus Chriſti à patria, comitatui ejus adhærentibus religioſis quam plurimis utriuſque ordinis viris, inter quos vitæ venerabilis abbas ERVINUS [b], à Treviris illius ſanctitatis familiaritate illectus, efficitur ei comes individuus. Per multas igitur tantæ viæ incommoditates, per graves & longos labores, per invia & inaquoſa, arentiaque deſerta, per horrificos latronum gentiliumque terrores Conſtantinopolim venit. Denique in hac urbe, dum gratia viſendorum ſanctorum locorum, aliquamdiu demorari placuiſſet, in brevi ad notitiam Patriarchæ & Imperatoris, ſanctitatis ipſius fama pervenit, quia lumen in tenebris minime valet abſcondi. Non immemores autem verbi illius Dominici: (Matth. 10. 41.) *Qui recipit*, inquit, *juſtum in nomine juſti, mercedem juſti accipiet*, reverenter eum accerſierunt, & honorifice ſuſceperunt; cumque ad invicem familiariter ſermocinarentur, prædulcem affluentemque viri Dei mirati facundiæ ſapientiam, ætatis ac morum venerati ſunt elegantiam. (Conſtantinopoli ab Imperatore & Patriarcha muneribus donatur.) Tunc Imperator, ſicut ſuæ congruebat dignitati, multis xeniis cum una pretioſiſſima purpura beatum virum munerare ſtuduit. Non minus vero patriarcha ejus deſervivit obſequiis, quia ipſius mellifluis delectabatur alloquiis, deditque ei duas portiunculas ligni ſalutaris, quas ipſe in modum crucis componens ilico, puriſſimo auro incluſit, & de cetero ad munimen ſui per omne tempus peregrinationis collo ſuſpenſum habuit. Dedit etiam & alia ſanctorum veneranda patrocinia, quæ venerandus Pater conſervans omnia, poſt ſuum reditum contulit huic eccleſiæ conſervanda.

(Jeroſolymam advenit.) 18. Tandem multis honoratus obſequiis, multis conſolatus beneficiis, cum benedictione Patriarchæ, cum Imperatoris benigna permiſſione, non immemor ſuorum votorum cœpit eo tendere devotus, quo ſuæ mentis pius flagrabat affectus. Emenſo denique tanto itinere, pervenit ad deſiderii ſui venerabilem locum, quem ſitienter perluſtrans, quibus lacrymarum fontibus irrigabat univerſa quæ circuibat, non eſt meum dicere, verum lectori ſeu auditori libeat iſta meditari cum multa cordis dulcedine. (Loca ſacra.) Cum enim in prætorio Pilati columnam inſpiceret, & ligatum ad illam, verberatumque Salvatorem mente revolveret; ſputa, colaphos, irriſiones, ſpineam coronam pro affectu intra ſe retractaret: vel in Calvariæ loco, crucifixum, lanceatum, aceto potatum, à tranſeuntibus blaſphematum, vocis exclamationem, & Spiritus emiſſionem, quis putas pietatis dolor cordi ejus increverit, & cum ipſo pietatis dolore, quantus lacrymarum fons ipſo impetu pietatis eruperit? (Pſal. 45. 5.) *Fluminis impetus*, ait David, *lætificat civitatem Dei.* Dicit & Scriptura: *Quia anima juſti ſedes eſt ſapientiæ*; Denique ſi anima juſti ſedes eſt ſapientiæ, multo magis anima juſti civitas eſt Dei: (2. Cor. 6. 16.) *Inhabitabo*, inquit, *in illis & deambulabo.* Cum in horto voluptatis ſepulcrum Principis

[a] Hujus itineris expenſas feciſſe Richardus Normanniæ Comes dicitur apud Hugonem, ita à Richardo dilectus ac viciſſim Richardo carus, *ut putares*, inquit, *unam animam duobus ineſſe corporibus*. Septingentos peregrinos ſecum duxiſſe Richardum, refert idem auctor.

[b] Evervinus ſeu Evrinus abbas Trevirenſis, qui vitam ſancti Simeonis ſcripſit ſupra editam.

vitæ

vitæ aſpiceret, & ſpecialis illius ſudarii à linteaminibus ſepoſiti, fulgoriſque angelici, gaudia Dominicæ reſurrectionis nuntiantem corde fide pleno recordaretur, quantas putas lacrymas gaudio plenas, ab imis viſceribus effundebat. Ann. Chr. MXLVI. Jun. XIV.

Sic Domini ſervus, à Chriſto jure beandus,
Seſe mactabat, & Chriſto conciliabat,
Fletibus ora rigans pietatis, & oſcula libans,
Circuit, explorat Chriſti loca, pronus adorat,
Poſt greſſu celeri flumen Jordanis adivit.

In quo dum lavaretur, inſigne Crucis illius Dominicæ, quod, ut præmiſſum eſt, collo appenſum ferebat, eo minime intelligente à collo lapſum, in flumen decidit. Lavit ergo & exiit, & jam cum ſociis aliquantulum proceſſerat, cum in ſe reverſus, tam dilecti ſibi pignoris damnum intellexit. Tunc multo mærore cordis afflictus, ſine dilatione ad flumen iter retorquet, oculos huc illucque circumfert, cum ecce, gloria in excelſis Deo, videt illud undis criſpantibus ſupernatare, & verſus ſe venire. Mox ex Divinitatis dono, indicibili exhilaratus gaudio, reddit gratias omnipotenti Deo, & aſſumens cum reverentia, in brevi readjungitur ſociorum venerabili collegio. Crucem in flumen delapſam recuperat.

Poſt hæc Bethaniæ ſupplex conſcendit ad arva,
Adſcenſum Domini devota mente retractans,
Unde caro Verbi divinitus æthera pandit,
Geſtit adorare, poſt ad propria remeare.

Denique cuncta humanitatis Chriſti loca iterum, iterumque reviſens, & lacrymoſis ſingultibus ſalutans, & dulciter deoſculans, cum dilectis ſociis jam repatriare deliberat.

19. Verum Antiochiæ venerabilia loca nequaquam voluit prætergredi, ſed ad illam devotus cum devotis ſociis perrexit, in qua civitate ſuis ædificiis ſplendidiſſima, ac ſanctorum reliquiis clariſſima, dum aliquantiſper dietare placuiſſet, vir Domini [a] SIMEON cernens in eo ſanctitatis eminentiam, & ſacræ religionis admirandam reverentiam, eum ſibi adoptavit in patrem, ejus verbis ſalutaribus individuus adhærens. Cumque vir Domini abbas Richardus, votis omnibus peractis, cum ſociis jam ad ſua remeare diſponeret, iſdem famulus Dei Simeon comitatui illius adhæſit, nec aliquatenus quamdiu valuit ab eo divelli potuit. Reverendus itaque Pater poſt emenſum tam longæ peregrinationis curſum redditur patriæ, redditur ſuæ eccleſiæ, & ſuſceptus honorifice piis filiorum votis, ſanctorum patrocinia, quæ ſecum detulerat, theſauro eccleſiæ conſervanda digno cum honore recondidit. Enim vero poſt iſta omnia, jam ſenio fractus, jam multorum laborum anxietatibus duris & variis acerbitatibus quam ſæpiſſime moleſtatus, dicebat cum Apoſtolo: Cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto; & illud Pſalmiſtæ: *Quemadmodum*, inquit, *deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.* Rurſuſque: *Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea, ut videam virtutem Domini, & viſitem templum ejus.* Diebus quoque ac noctibus, frequentibus inſtabat orationibus: *Educ*, inquit, *de carcere animam meam, ut confiteatur nomini tuo Domine.* His ergo deſideriis & orationibus dum inſiſteret aſſidue devotus, extrema valetudine cœpit in dies urgeri, nec ob hoc tamen ceſſabat à laude Dei, ſed aſſidue gratias agens mærentium filiorum ſuorum corda dulcibus ver-

Antiochiam petit. Reverſus piis operibus vacat. *Pſal.* 41. 2. *Pſal.* 62. 2. *Pſal.* 26. 4. *Pſal.* 141. 8.

[a] Hujus vitam ſuperius edidimus ad annum MXXXV.

bis & admonitionibus confortabat. Viſitabat autem eum aſſidue dominus [a] RICHARDUS venerabilis pontifex, quem ipſe de ſacro fonte ſuſceperat, & diligenter nutrierat, litteriſque tam divinis quam humanis ad unguem imbuerat, & dolore vehementi tanti Patris receſſu cruciabatur, quodque ei ſuperſtes manebat, valde dolebat. Nam totam ſpei ſuæ anchoram, poſt Deum, in eo fixam habebat, quoniam benigniſſimus imperator Henricus cauſa dilectionis, quam beato Patri exhibuerat, ipſo mediante epiſcopatum hujus civitatis cum Comitatu ei dederat, qua de re ei totum, & omnes epiſcopatus ſive Comitatus actiones ejus conſilio commiſerat, utpote adhuc juvenis corpore, & tantis actionibus novellus ac rudis tempore.

Ann. Ch. MXLVI. Jun. XIV.

Obit.

20. Tandem ultimo languoris ejus die, dum valde diluculo eum ſalutaſſet, cernens illum ultimum jam ſpiritum trahentem, & filios ſuos valefacientem, nutu ipſius pro abſolutione ejus, ad altare glorioſi martyris Laurentii Miſſam celebraturus acceſſit, qua vix percelebrata, ad patrem jam exanimatum revocatus, cum lacrymis ejus in oſcula ruit, & commendata Deo tam fidelis amici anima, ejus venerabile corpus ipſemet lavit, & ſuis indumentis honorifice induit, & in lectica reverenter compoſuit. Nec eum in craſtinum ſepeliri paſſus eſt, ſed poſt hujus eccleſiæ primas vigilias, prius apud ſanctum Maurum, deinde apud ſanctum Paulum ei vigilias inſtituit, ipſeque omnium vigiliis ſtudioſus interfuit. Tertia demum die, ordinatis omnium eccleſiarum proceſſionibus, cum ſummo honore ad ſuæ ſedis eccleſiam reportavit, & dictis Miſſis, exſequiiſque celebratis, cum jam ſepeliendus eſſet, idem pontifex à parte capitis eum elevavit, & cum multis lacrymis pectus & manus deoſculans, & cum digno honore ſarchophago recondens, oravit & obteſtatus eſt eum, ne ejus ſuperſtes [b] per annum maneret. Tantus fuit dolor & devotionis amor viventis circa defunctum, tantus affectus, & exauditionis effectus defuncti circa viventem, ut eodem anno vix emenſis quatuor menſibus, idem venerabilis Epiſcopus defunctus fuerit, cum maximo dolore totius patriæ. Diſceſſit autem à corpore venerabilis Pater, & amantiſſimus paſtor noſter, cælo plaudente, terra plorante, octavo-decimo Calendas Julii, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadrageſimo-ſexto, Indictione quarta-decima, Concurrente ſecundo, Epacta undecima, & migravit ad Dominum, cui eſt gloria laus & imperium in ſæcula ſæculorum. Amen.

Ab Epiſcopo Virdunenſi ſepelitur.

INCIPIUNT MIRACULA.

Prologus auctoris. *Tob. 12. 7.*

Ejus fides.

1. QUONIAM ſicut angelico edocemur eloquio, *Sacramentum regis bonum eſt celare, opera vero Dei honorificum eſt prædicare*, & venerari, ideo ea quæ de beati patris viſionibus ſeu miraculis, veridicorum fideliumque ſenum ore hauſi, & pro tanti Patris amore memoriæ mandare curavi, hic ſubnectere dignum duxi. Non autem omnia, quæ de eo exſtiterunt virtutum inſignia, audire vel agnoſcere quivi, ſed nec cuncta quæ audivi, puerili levitate ductus, retinere valui. Nec frivola quæ ſcribo aliquis dicat, quia, Deo teſte, mallem ſilere, quam frivolis verbis tantum virum commendare: ille etenim cæli civibus, ut veraciter credimus, conjunctus, non indiget commendari teſtimonio noſtro, prorſus minus aſſeri aliquo mendacio. Sit denique in lectoris ſeu auditoris arbitrio, ſi malit cre-

a Ex Hugone, anno MXXXIX. Henricus III. Imperator *poſt mortem Ramberti, epiſcopatum Virdunenſem beato Richardo dimiſit, primo ſui imperii anno, a: Richardus, filiolum ſuum Richardum Hildradi comitis filium inthronizari fecit.* Donationes nonnullas ab Hildrado, ejuſque filio Richardo factas monaſterio fuiſſe diſcimus ex vetuſto ejuſdem loci chartario.

b Id beatus Richardus epiſcopo prædixerat, ut refert Hugo infra in excerptis num. 40.

dere aut diſcredere, ego autem dum advixero beatum virum omnimodis prædicare propoſitum habeo. ANN. CHR. MXLVI. JUN. XIV.

2. Itaque vir iſte beatiſſimus dum rudis adhuc & novellus haberetur in cœnobiali ſacro propoſito, licet jam prælatus eſſet monachorum collegio, contigit, ut una dierum dum ſacro-ſancta myſteria altario celebrarentur, negligentia eveniret de effuſione ſancti ſanguinis Chriſti. Venerabilis autem pater nondum exercitatus in tantæ rei correptione, procraſtinandum credidit in Capituli alterius diei actione. Ecce vero prima hora noctis vigiliarum, adſtitit angelus Domini lecto jacentis, & nec adhuc dormientem, ſed ſecum de pſalmis quiddam meditantem evaginato gladio appetiit. Tunc ille lecto ſe excutiens, veſtigiis ejus provolutus, cauſam reatus prorſus nondum intelligens, quæſivit, & ab eo audiens quod in ſanguine redemtionis humanæ fuerat delictum, nondum erat correptum. Ille correptionem ſpopondit, & ſtatim veniam meruit. Mox ergo angelicus ille ſpiritus cum ſua minaci vindicta diſparuit, & venerabilis abbas eadem intempeſtæ noctis hora, fratres convocavit, accenſiſque luminariis, capitulum petiit, & fratres breviter alloquutus, viſionem illam horrificam retulit. Deinde ſe uſque ad ſui ſanguinis effuſionem verberibus affici fecit, ceteris vero parcens, aliquantulum minori multatione affecit. Ex illa die mos iſte illi inolevit, ut ſi quæ in corpore vel ſanguine Chriſti negligentia contingeret, ſtatim correptioni & pœnitentiæ ſubjaceret [a]. *Beatus vir*, ait Scriptura, *qui corripitur à Domino*. Non enim tanto patri talis obfuit correptio, cujus correptione ſalutari, perneceſſario nobis ſatisfaciendi Deo invitamur exemplo.

Viſio de negligentia circa Sanguinem Domini effuſum.

[a] *Job.* 17.

3. Alio itidem tempore, cum ante vigilias matutinas feſſus in lecto jaceret, ſecumque aliqua de Scripturis vel pſalmis mente revolveret, ſubito ei adſtitit ſanctus Petrus, una cum beato patre Vitono, quos ille intuitus, ut familiares & domeſticos ſibique bene notos reverenter ſalutavit; & unde, curque venirent familiariter inquiſivit. At illi ſe clauſtrum & officinas fratrum cunctas circuiſſe, & omnia honeſta inveniſſe reſponderunt; ſed quod ſuum erat [b] obſervare matutinorum ſollemnia, intimaverunt retardaſſe. Hæc dixerunt, & cernentis aſpectui ſe ſubduxerunt. Erat denique quidam frater ante eum jacens, qui ejus obſequiis ſedulus adhærebat, & exemplo pii magiſtri orationibus quam ſæpiſſimè invigilabat. Is ergo ea hora invigilans & orationibus inſtans, licet eos non vidiſſet, vocem tamen loquentium audivit, cujus relatione & teſtimonio hoc didicimus; ſtatimque venerabilis abbas ſonitu campanæ fratres ad matutinas convocavit. Legimus in Dialogo * eumdem beatum Apoſtolum matriculario ſuo lampadum lumen reficienti, ut ei demonſtraret gratum ſibi eſſe ejus ſervitium, apparuiſſe & alloquutum fuiſſe. Et quid mirum, ſi tali ac tanto viro, cum coëſſente ſibi beato Vitono apparuit, qui diebus ac noctibus eos bonæ converſationis ſtudiis, & devotis orationibus aſſiduabat? Credendum ſane eſt juxta prælibatorum ſenum veridicam relationem, prædictos ſanctos ab eo ſæpe viſos fuiſſe, præ multa animi ſui puritate, & circa memoriam eorum aſſidua venerationis, & orationum frequentatione; alioquin niſi anteà eos vidiſſet, tam ſubito & tam inſperate viſos minime cognoviſſet, quin potius ad adventum eorum conturbatus totus intremuiſſet. Vere enim virum iſtum beatum venerabilemque diximus, quem Salvator omnium angelica viſitatione & alloquutione, ſeu ſanctorum viſitatione dignum duxerit.

SS. Petrus & Vitonus Richardo apparent.

* *S. Greg. lib.* 3. *Dial. cap.* 24.

[a] Miſſæ defectum qui in conſecratione calicis etiam abſque prava intentione contigerat, ſevere *pſalmorum* recitationibus & *diſciplinis* puniendum præſcripſit S. Bernardus in epiſtola 69. ad Guidonem abbatem Trium-fontium.

[b] Ex S. Benedicti præſcripto Regulæ cap. 48. pulſandi officii divini cura ad abbatem pertinet.

Ann. Ch. MXLVI. Jun. XIV.

Sanctus Nicaſius ei ac toti conventui apparet.

4. Procedente tempore, cum ſubterraneas cryptas in honore Dei Genitricis, & omnium Martyrum conſtruxiſſet, & reliquias ſancti Nicasii Remorum archiepiſcopi & martyris, in altario glorioſi protomartyris Stephani condidiſſet, inſtituit feſtum ipſius celebrari, & cantus ejus hiſtoriam decantari. In priori igitur ejuſdem ſollemnitatis celebritate, cum ipſe dominus Abbas matutinorum ſolemniis interfuiſſet, & pro honore tanti Martyris, cum lætitiæ tripudio decantatæ eſſent, dicto Benedicamus Domino, ecce idem beatiſſimus Martyr pontificali ſtola redimitus, videntibus cunctis qui aderant, ab antro cryptarum egreditur, & quaſi gratias agens in medio chori acceſſit, ſalutatoque ſancto altari, more canonicorum verſus Abbatem; deinde dextrorſum, poſt ſiniſtrorſum fratres inclinans rediit. Ex qua ejus viſitatione & ſalutatione fratres cum beato Patre jucundati, in obſequiis ejus, uſque ad noſtra tempora, ſingulis annis devotius inſiſtere ſtuduerunt. Nunc conſiderandum nobis eſt, ſanctos Dei laudibus, quæ in eorum veneratione, Trinitatis omnipotentiæ à devotis cum devotione & mentium puritate offeruntur intereſſe, & cæleſtium agminum beatis ſpiritibus in ipſis delectari, & juſtorum pia deſideriorum vota, ad ipſa Trinitatis ſacraria ab eis præſentari. Monachi denique Bellogienſes excitati tanti fama miraculi, quoniam ab eodem Patre ſub ipſo temporis articulo regebantur, feſtivitatem ipſius martyris per ſuccedentia tempora cum hiſtoria cantus celebrare delegerunt [a].

Capitulum generale.

5. Regebat venerabilis Abbas, ut jam præſcriptum eſt, multa cœnobia in Lotharingia, & in Francia, in quibus quamplurimos probatæ vitæ viros, & regulari tramite exercitatos præfecerat, & pro lege eis conſtituerat, ut ſingulis annis huic eccleſiæ matri ſuæ ſe repræſentarent. Factum eſt autem, ut una dierum, ipſo domno Abbate in capella ſua, quam in honorem glorioſi pontificis Nicolai ædificaverat, & quinto-decimo Calendas Novembris conſecrari fecerat, Miſſas in ipſa dedicatione celebrante, adſtarent illic ſeptem Abbates, ex numero diſcipulorum ejus, cum multis fratribus pro devotione ipſius dedicationis; & reverentia tanti patris, obſequiis ejus deſervientes.

Richardus inter celebrandum è terra levatur.

Officio ergo Miſſæ honorifice, ut decebat, decantato, cum reverendus Pater præfationem dixiſſet, & circumſtantes *Sanctus* reſpondiſſent, ad altare ſe converterunt, ut unuſquiſque pro devotione & poſſe ſuo, orationum libamina Deo offerret; videruntque hominem, ſi tamen dici debeat homo, prope menſura cubiti unius, toto corpore à terra ſublevatum. Quod cum alter alteri quaſi neſcienti nutibus inſinuaret, tanta viſione omnes attoniti hunc beatum virum extra hominem dicebant. Puto tunc eum illis cælorum agminibus, non ſolum voce, ut in ipſa Præfatione oraverat, verum omnibus omnino mentis affectibus admixtum, divinaque illa & ſacro-ſancta myſteria in propitiatorio deificæ exauditionis cum ſumma cordis puritate celebraſſe; & idcirco ſicut mente, ſic corpore elevatum fuiſſe. Legimus [b] Mariam Ægyptiacam in illa ſua ſolitudine, cum Zoſimas eam rogaſſet pro pace univerſalis Eccleſiæ fuſis precibus Dominum exorare, ipſam in aëre raptam diutius oraſſe. cum hæc ergo de illa pœnitente, Zoſimo referente, credamus ita eſſe, non debet nobis incredibile videri, quod tantus vir, tam reverenda Sacramenta celebrans, potuerit à terra in aëre ſuſpendi.

Cineres in ſalem, & aqua in vinum mutantur.

6. Cum quodam tempore illa memorabilis dominicæ Paſſionis celebritas, die ſancto Paraſceven, occurriſſet, & ipſe domnus abſtinere à cibo prorſus deliberaſſet; ſed quadrageſimalis exercitatione jejunii eviſcerata ſenilia membra id explere ſine aliquantula recreatione nequirent, uni mi-

a Hoc etiamnunc perſeverat, non in Bellilocenſi ſolum monaſterio, ſed & in aliis quoque, quibus Richardus aliquando præfectus fuit.

b In Vitis Patrum. Adi Roſvveydum, ſive Bollandianos ad diem 2. Aprilis.

Digitized by Google

niſtrorum, cui plurimum ſe credebat, ſecretius injunxit, ut cineres ſibi, cum lymphæ ſimplicis poculo ſubminiſtraret. Miniſter ergo juſſis Patris paruit, & ſenior refecturus acceſſit: qui cum cineres pani ſuppoſuiſſet, mox ut deguſtavit, ſalis ſaporem in ipſis deprehendit, & in lymphæ potu excellens vinum perſenſit. Convocans denique miniſtrum, cur hæc ſibi miniſtrare præſumſerit increpavit; qui cum ſe talia miniſtraſſe omnimodis denegaret, prædicta ab eo Pater repoſcit; miniſter certius, & ut ſibi viſum fuerat induſtrius, eadem repræſentat; ſed, Dei id operante miſericordia, prior reformatur in ſaporibus gratia, ſicque reverendus heros Dei donum ſumit agens gratias. Nos uſque ad noſtra tempora ſcyphum [a] illum vidimus conſervatum; in quo talis virtus ad omnipotentis Dei emicuit gloriam.

7. Idem cum pedes Crucifixi illius deoſcularetur, quem Nicodemus ad formæ Salvatoris ſimilitudinem ſculpſiſſe dicitur, & pio mentis affectu clavorum vulneribus compatiens, ſuper eos lacrymaretur, ab ipſius imaginis dominicæ oculis, lacrymæ ſuper caput ejus feruntur cecidiſſe. *Crucifixus Richardum lacrymis rigat.*

8. Henricus imperator Auguſtus, huic patri fideliſſimus amicus, quem multis impenſis auri & argenti, veſtium [b] & ornamentorum, ſæpe numero muneraverat, ad hanc civitatem aſſcendit, inviſere & videre novas ſtructuras clauſtri & officinarum. Cumque ſuſtentantibus eum venerabili Patre, & epiſcopo Heymone, clauſtrum intraret noviter conſtructum, illud Davidicum mox intulit: *Hæc requies mea in ſæculum ſæculi, hic habitabo quoniam elegi eam.* Quod dictum altius inſedit cordi Pontificis, & ſecretius Abbatem allocutus: Si hunc, inquit, retinueritis, & ut deſiderat monachum feceritis, omne Imperium peſſumdabitis. Tunc ſenior alta conſideratione intra cordis ſui receſſus, verba Pontificis cœpit trutinare, & qualiter Imperio, quod ſucceſſore carebat, conſuleret, & Imperatoris deſiderio ſatisfaceret, jugi meditatione pertractare. Tandem Spiritus conſilii, ſcientiæ & pietatis, in id animum ipſius inſpiravit, ut in conventu fratrum Imperatorem evocaret, & de animi ſui propoſito illum diligenter inquireret. Imperatore vero reſpondente cum lacrymis, per Dei miſericordiam, ſui animi propoſitum & votum eſſe, ſub eo & per eum in hoc loco cum fratribus, mutato habitu, Deo velle militare. Ilico piiſſimus Pater inquiſivit, ſi ſecundum Regulæ præceptum, & Chriſti Domini exemplum, obediens vellet eſſe uſque ad mortem. Illo autem cum multa devotione id profitente, ſtatim ſenior ſubintulit: Et ego ut monachum vos ſuſcipio, & ab hodierna die animæ veſtræ curam ſubeo; ideoque quod juſſero cum timore divino vos facere volo. Tunc eo omnia quæ juberet, ſe cum divino adjutorio impleturum ſpondente. Volumus ergo, inquit venerabilis Abbas, & præcipimus, ut ad gubernandum à Deo vobis delegatum Imperium redeatis, & cum timore & tremore ſalutem totius regni ut juſti tenax pro poſſe peragatis. Benigniſſimus itaque Imperator, & vere monachus, ſponſionis ſuæ non immemor, licet invitus Patris paruit imperio, & jura regni rurſus ſuſcepit diſponenda, frequentiuſque venerabilem Patrem accerſiens, majores Imperii actiones ejus diſponebat conſilio. Cumque pluribus annis ſummæ pacis exercitio Imperium adminiſtraſſet, ultima valetudine ad extrema deducitur.

S. Henricus monaſterium viſitat. *Pſ. 131. 14.* *Ibi cupit fieri monachus.*

9. Hæc de multis quæ relatu ſeniorum audivi, & meminiſſe potui, ob amorem tanti Patris poſterorum memoriæ ſcripto aſſignare ſtudui, hortatus ac magis juſſus ab illis, quibus ejus inhæret recordatio ſpecialius, omnibus tamen iſtius ævi patribus & fratribus dulcis admodum & prædicabilis, orans ejuſdem patris interceſſione à Chriſto Domino cunctis anxie- *Epilogus auctoris.*

a Hic ſcyphus hodieque in ſacrario monaſterii Vitoniani ſervatur.

b Servatur ibidem S. Henrici cingulus, quem illi monaſterio dediſſe dicitur.

ANN. CH. MXLVI. JUN. XIV. tatum mearum nodis relevari; & quidquid à laude ipſius minus juſte peregi, vel ſi quid ſiniſtri in hujus narrationis materia contraxi, innata ſibi pietatis clementia abolere & indulgere dignetur, ut ſua laus & nobis hinc perpes habeatur. Abbatem foveat, miſerans monachos tueatur, Pontificem ſalvet, clerum ſervet, populumque gubernet. Amen.

Miraculum excerptum ex vita ſancti Sollemnis.

Ex mſ. cod. Bibliothecæ Regiæ.

Igitur dum quadam die RICHARDUS Verdunenſis cœnobii venerandus abbas Turono ſancti ac Confeſſorum confeſſoris Martini rediens Bleſim venit; & hoc ejus in animo ſedit, ut eccleſiam ſancti Sollemnis [a] orandi gratia adiret, contigit ut cuncta plebs illius caſtri, tanti viri adventus non ignara, eo quod ſanctum virum adveniſſe gaudebat conveniret, cujus inceſſabilibus precibus vir illuſtris fatigatus, ut Miſſam ei celebraſſet, acceſſit ad altare Dominicum ante ſepulcrum beati viri Sollemnis poſitum, veſtibus, ut ſacerdotalis mos exigit, indutus, atque inibi Deo hoſtiam vivam immolaturus. Poſt Evangelium vero, divina clementia operante, pulpitum petiit, ut ſermonem plebi circumfuſæ undique faceret, quam pabulo verbi divini egere ſentiret. Animadvertebat namque parum prodeſſe corporalem eſcam, niſi mens intrinſecus perciperet ſpiritalem. Ergo dum multa inter quædam de paſſione Domini insereret, & populus omnis quæ ab ore viri procedebant diligenter exciperet, ſermonis ſui curſum ad eam orationem pervertit, qualiter perfidus Judæus latus Domini in cruce pendentis lancea pupugit, & ut mox ſanguis & aqua ab hinc cucurrit. Dum vero talia plebi intimaret, & hoc verbum imbre cælitus miſſo rigaturus in cordibus omnium pullularet, confeſtim cernentibus pleriſque fratribus eccleſiæ, & quibuſdam bonis laïcis viris, immenſa claritas de cælo lapſa crucifixum omnem circumfulſit, ac dehinc aqua cryſtallina à latere ipſius mirabiliter fluxit. Et qui viderunt teſtimonium perhibuerunt, & ad hoc res ipſa corporeis ſubjecta teſtimonium eorum plurimum confirmat, poteſt namque cerni tangique, ut cetera quoque quæ ejuſdem naturæ perſiſtunt. O mira Dei pietas, aqua ex ſicco ligno emanavit, quod tellus jam innumerabilibus annis tranſactis non alluit! Idem quoque miraculum modo Dominus noſter Jeſus-Chriſtus nobis oſtendi voluit, quod populo Iſraëlitico, quando eum ſitis ardore languidum aqua de petra duriſſima producta potavit. Nam ſicut ille viſa Dei affluentia lætus atque refertus abiit, ita nobis ingenti Dei virtute oſtenſa, unuſquiſque gaudens in ſua remeavit. Hanc vero aquam à latere Crucifixi cadentem barillus quidam excepit, & medio tenus ea plenus exſtitit, qui intra altare defoſſus ſacram aquam poſteris ad memoriam recolendam conſervat.

De miraculis beati Richardi abbatis hujus loci.

Ex mſ. cod. ſancti Vitoni Virdunenſis.

Confer vita num. 14. & ſequentes.

Excellentiſſimus ille quondam cæleſtium ſecretorum contemplator ſubtiliſſimus qui inreverberata acie interne oblitus vim verbi divini conſpexit cunctis clarius, quique magiſtri recumbens in pectore arcana ipſius ſummæ divinitatis, quo propinquius eo epotavit dulcius, ad conſolationem noſtrorum infortuniorum faciens recurſus, ait in Epiſtola ſua: *Nolite*, inquiens, *mirari ſi odit vos mundus.* Quocirca nec nobis mirum debet videri,

1. Johan. 3. 13.

[a] Obiit Sollemnis in agro Turonenſi, cujus corpus cum Carnutas deferretur, Bleſis depoſitum eſt, ubi eccleſia inſignis in ejus honorem exſtructa fuit, hodie in cathedralem converſa. De his vide Gregorium Turonenſem lib. de Gloria Conf. cap. 21. & notas cum additionibus ad hoc caput.

Digitized by Google

quia nec novum aut recens aliquid nobis accidit, cum mundi ſtatus quotidie defluat in deterius, & ſint homines ſe ipſos amantes, & ideo non quæ ſunt Jeſu-Chriſti, ſed quæ ſua ſunt ſinguli quærentes. Præſertim cum ſciamus ſi animo inducere velimus, antiquiores nobis patres & paſtores in hac Eccleſia multa paſſos adverſa, tum pro fidei Catholicæ defenſione, tum pro quorumdam præpoſitorum iniqua æmulatione. Huc accedit quod venerabilem Richardum abbatem, bonis omnibus ſuo tempore imitabilem, quem non ſolum Lotharingia, verum etiam Francia ſitienter deſiderabat & Burgundia, quorumdam inſectatione perturbatum fuiſſe novimus à ſede ſua. Qua de cauſa vir ſpiritu manſuetudinis & humilitatis plenus eorum inſectationibus ad horam ceſſit, ne ejus præſentia plus gravaretur à Deo ſibi commiſſa eccleſia, ac ſecretum ſuæ converſationi in eo monte, qui *Rumberch* dicitur, quæſivit locum ubi habitaret ſecum. Quo poſtquam acceſſit, arduumque montem aſſcendit, jam qualiter ſecum habitaverit, quibus vigiliis ſeu jejuniis corpus afflixerit, qualiterve ibi per biennium converſatus fuerit, quot ſanctitatis indicia finitimis reliquerit teſtantur nonnulli, qui adhuc ſuperſunt, qui etiam ea ab his qui viderunt fideli narratione perceperunt. Contigit enim aliquando duos fratrum noſtrorum, quorum uni nomen Stephanus, alter vero Cono eſt dictus, per Romarici montem habere tranſitum, ubi quieſcendi ſive dietandi gratia, quia ſic poſcebat temporis incommoditas, hoſpicium acceperunt; cumque uni eorum poſt cibum quieſcere laſſitudo & ſenilis imbecillitas facile perſuaſiſſet, alteri vero viſum eſt arduum illum montem conſcendere, & ſitum loci, habitationeſque perluſtrare. Cum igitur verticem montis ſubiſſet, & huc illucque circuitus ſuos evolveret, venit tandem ad cujuſdam antiquiſſimæ anus, cui nomen Giſla, diverſorium. Dumque alternatim multa conferrent, & ille utpote ab anu, & multorum annorum ſenili ætate jam præmatura, antiquarum rerum inquireret monimenta, illa de benedicto patre noſtro Richardo quædam retulit in hæc verba: Habui, inquiens, quamdam honeſtæ vitæ magiſtram, quæ me in hoc loco juvenculam diligenter educavit. quæ etiam de illo veſtro, quem dicitis, abbate Richardo, inter cetera ſanctitatis ipſius præclara monimenta duo referebat memoriæ digna miracula. Aïebat ergo quod eo tempore, quo idem venerabilis Abbas hunc inhabitans montem, arduam ſibi indixerat converſationem, fuit quidam leproſus qui pro ſtipe petenda ſingulis diebus huc venire ſolitus erat. Cumque à contubernali ejuſdem venerandi ſenioris famulo reliquias de menſa ejus ſuſciperet, deſiderio percipiendæ ſalutis neſcio qua ſpe illectus, niſi forte divinitus, quatenus tanti viri vita eo clarior circumquaque redderetur, eumdem domeſticum abbatis rogavit, ut ſi quando idem reverendus heros balnearetur, ei intimare dignaretur, quia ſpe ſoſpitatis percipiendæ ipſo balneo vellet lavari. Petiit & impetravit, & Deo donante mundus & ſanus à balneo exivit. Quidam deinde homo per aliquot annos viſu oculorum orbatus per viſum ſe monitum fuiſſe dixit, ut ex aqua, qua vir Dei manus ablueret, oculos ſibi lavaret, & viſum reciperet. Aſcendit igitur, & prælibatum domeſticum eamdem aquam rogavit, accepit, oculos lavit, & continuo viſum recepit. Hæc itaque anus, illaque, ut dicebat, octoginta annos montem illum inhabitaverat, ſub teſtimonio veritatis à magiſtra ſua Dei famula audita quia fratri noſtro fideli narratione perſtrinxit, & ille nobis retulit, hic ob memoriam tanti Patris celebrandam poſteris ſcripta reliquimus. Sane neſcio qua ſocordia illud ſit tacendum, quod per ſuccedentia ſibi ora divulgatum, & ad nos uſque porrectum ſolet celebrari per ora multorum. Nam cum quodam tempore, &c. *Miraculum de cineribus in ſalem converſis, iiſdem omnino verbis narrat, quæ habentur ſupra num. 6. nec plura habet.*

Epiſtola monachorum ſancti Vitoni Virdunenſis ad monachos ſancti Pantaleonis Colonienſis.

Ex mſ. cod. ſancti Vitoni Virdunenſis.

Confer vita num. 11.

DOMINIS & patribus ſanctæ Colonienſis eccleſiæ, fratres de cœnobio beati Vitoni Virdunenſis ſalutem in Domino.

Quoniam veſtra ſanctitas à noſtra parvitate narrationem flagitat de portione reliquiarum egregii martyris Pantaleonis, unde vel quomodo ſeu quo tempore ad nos devenerunt, ſicut à majoribus noſtris fideli narratione comperimus, breviter inſinuare decernimus. Nec tamen hoc agere aliqua inſtigat præſumptio; ſed ſola illa vera dilectio; de qua dicit beatus Gregorius quia nunquam eſt amor Dei otioſus. operatur enim magna, ſi eſt; ſi vero operari renuit, amor non eſt. Nullus ſane hanc tantillam narrationem aliqua falſitate fictitiam exiſtimet, quoniam non alia dicimus, quam quæ gravium & fidelium virorum teſtimonio probare perfacile eſt. Alioquin melius eſſet de his & ſimilibus reticere, quam pro inani favore alicujus aliquid falſi dicere. Igitur jam nunc narrare incipiamus.

Tempore quo Conradus ſucceſſor Heinrici pii auguſti Romanum gubernabat imperium, fuit in regno occidentalis Franciæ quidam Comes, Odo nomine, ſecundum ſæculi hujus generoſitatem magnæ nobilitatis, plurimæ potentiæ, multæ factionis, bellorumque frequentia clarus. *Is jure* hereditario poſſidebat caſtrum quoddam ſuper Moſam ſitum, Commarceium dictum, in quo continebatur honorabiliter templum, ſicut etiam nunc inſpicientibus claret, multis ſanctorum patrociniis adornatum, quod in honore ſacro-ſancti martyris Pantaleonis Domino fuerat dedicatum. Quod ſane caſtrum non minus patrocinio tam præclariſſimi martyris glorioſum, quam antiquæ nobilitatis gloria clarum, quidam comes ipſius indigena à patre præfati comitis in hominium ſuſceperat; &, ut mos exigebat, fidelitatem ei juraverat. Quo defuncto, jus alienum inique in jus transfudit ſuum, fidelitatemque & hominium juſto heredi facere contempſit. Tunc *ille ira* & indignatione nimia ſuccenſus, coacta ſuorum valida manu, caſtrum obſidione circumdedit, quam ſatis nimiumque in dies perurgens, præter ſpem cunctorum, ſubito ſeris effractis caſtrum ingreditur, rebelles ſupremo periculo donat, flammis victricibus omnia vaſtat.

Præſidebat eo tempore noſtro cœnobio piæ memoriæ domnus abbas Ricardus, moribus honeſtus, verbis facundus, actione religioſus, cunctis ſanctitate & bonitate conſpicuus. Hunc non ſolum Imperator Heinricus, vel ſucceſſor ejus Conradus, verum cuncti proceres Lotharingiæ, Franciæ & Alemanniæ pro vitæ merito nimium diligebant, & ut patri cariſſimo in omnibus obtemperabant. Hic ergo reverendus Pater illud Apoſtolicum retinens corde & exercens opere, Pacem, inquit, ſectamini invicem & in omnes. Illud quoque, Beati pedes pacem portantes; illud nihilominus, Beati pacifici quoniam filii Dei vocabuntur, cum quodam ſuo monacho, nomine Gervino, quem poſtea præfecit eccleſiæ ſancti Richarii, ad tantum diſcrimen advenerat, ut efferam Principis rabiem aliquatenus temperaret, & rebellium obſtinaciſſimam perverſitatem quoquo modo frangeret. Sed votis illius id tunc obſtitit, quod fortiter furentes adverſarii jam caſtrum irruperant, jam incendio cuncta vaſtabant, jamque armigerorum indiſciplinata rabies ſacri templi ambitum pernicioſa temeritate ſpoliatura intraverat. Venerabilis autem Pater, quod ſolum tali periculo proſpexit ſupereſſe, medias gladiatorum turbas ingreſſus, diſtrictis mucronibus ſupplices cum piiſſimis obteſtationibus offerebat manus, donec

Nota.

Digitized by Google

nec victores victis pro reverentia Dei & tanti interceſſoris parcendum acclamarent. Præfatus vero bonæ memoriæ Gervinus, tunc eccleſiæ noſtræ apocryſiarius, pio ſtudio flagrans dum ſanctuarium ingredi vellet, occurrit uni armigerorum, qui reverenda pignora ſanctorum corio inſuta ſub chlamyde ſibi celabat. Mox anxia viri Dei devotio cœpit ſecum volvere, quomodo ad tam inæſtimabilem theſaurum poſſet pertingere. Tunc apprehenſum illum educit à turba ſeorſum, primumque blandiciis ſolus ſolum aggreditur, dein pulſat minis & terroribus, ad ultimum diu multumque laborans, pretio tamen compenſato, quod ſatis nimiumque deſideraverat conſequitur, & ſic demum ſeniori ſuo poſt laborem quieſcenti extra terminum loci lætus & hilaris pro tam amabili commercio ſociatur. Cui exponens omnem rei ordinem, ſimulque ſanctas reliquias retegens, mirum dictu, ſed non mirum eventu, quia ſic voluntas Dei fuit, repperit in loco quo corium diſſuit teſtimonium veritatis, videlicet, ſchedulam ſcriptam continentem ſic: Brachium ſancti Pantaleonis martyris, cum minori oſſe brachii protomartyris Stephani, & aliorum oſſa ſanctorum quamplura. qua perlecta, inopinato miraculo exhilarati, trahunt ab imo pectore alta ſuſpiria, & mox prædulcia certatim irruentes in ſanctos figunt oſcula, interque gratiarum actiones fundunt lacrymarum larga flumina, & protinus ad ſua ſine mora redeunt ovantes, nobilemque theſaurum in ſcrinio cum aliis ſanctorum reliquiis condunt.

Per idem vero tempus quædam ſanctimoniales ad innormandam ſanctæ religionis formam in monaſterio ſancti Mauri noſtræ civitatis Epiſcopi ſunt ab eodem beatæ recordationis patre Richardo adductæ, quæ cantum de ſæpefato beato Martyre, quem in ſuis partibus didicerant, creſcente in dies nomine & merito martyris, ejuſdem cœnobii ſorores docere ſtuduerunt. Parvo autem intercedente tempore defuncto venerabili patre, ſucceſſor ejus domnus abbas VValerannus reſponſoriam ſuos diſcere fecit, & ex tunc uſque hodie pro amore & veneratione ſancti cum magno tripudio in noſtro cœnobio canitur. Subſequenti deinde tempore, quidam noſter apocryſiarius, illius ſenioris noſtri ſæpe nominati conſobrinus pariter & æquivocus, ſub beatæ memoriæ abbate Grimoldo ſecundo ipſius ſucceſſore, paratis impendiis auri & argenti brachium pretioſi martyris cum illo oſſe de brachio primi martyris Stephani, ſicut hodieque cernitur, honorifice decoravit, & nunc adhuc vivit in eodem apocryſiatus perſeverans officio ferme octogenarius, teſtimoniumque verbis ſuis reddit ſcriptis noſtris. De minoribus vero articulis, qui cum brachio recondi nequierunt, vel qui ad beneficia impertienda in ſcrinio ſervati ſunt, tranſmittimus veſtræ ſanctitati cum reliquiis venerandi patroni noſtri Vitoni, & Theodori martyris. Taliter ergo egregii martyris patrocinium noſtra eccleſia poſſidet per nonaginta & eo amplius annorum curricula, largiente, &c. Nota.

ALTERA VITA B. RICHARDI.

Ex Chronico Virdunenſi Hugonis abbatis Flaviniacenſis.

1. Defuncto Adelmaro abbate monaſterii ſancti Vitoni v. Kalendas Januarii, Adelardus ſubſtitutus eſt. Et hoc defuncto XIII. Kalendas Januarii, Ermenricus ſucceſſit, qui in quantum valuit locum ampliavit. Hoc etiam ad ſuperna tranſvecto VI. Kalendas Septembris Rohaldus ſucceſſit, & Rohaldo Lambertus. Poſt quem raptus eſt de cœnobio ſancti Felicis Mettenſis domnus Fingenius, Scotorum progenie oriundus, Richardi præceſſores.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXLVI. Jun. XIV.

quia locus idem per manum laïcam aliquantulum neglectus erat, ad reſtaurandum eum ibidem Abbas eſt ordinatus. Cujus adventum, peregrinationem & converſionem qui plenius noſſe deſiderat, in vita Theoderici eximii Mettenſis epiſcopi ſcire poteſt. Et hoc quoque defuncto, cum jam poſt Adalbertum *, Virdunenſem epiſcopatum Heimo ſortitus eſſet, domnus Richardus locum illum regendum ſuſcepit. Cujus vitam, mores & actus, nobilitatem generis, initium converſionis, ſtudium religionis, & perſeverantiam perfectionis, humilitas noſtra, ſenſu licet tenui, & ſermone ruſtico deſcribere gliſcit; quia ſi quid ſumus, cum nihil ſimus, totum poſt Deum & ſanctos ejus adſcribendum eſt meritis ipſius. Unde invocandus eſt nobis ſpiritualium diſtributor cariſmatum Spiritus-ſanctus, ut beatitudinem ejus ſuo quidem ſenſu, noſtro ore enuntiet, ut laudetur in operibus ſuis, & appareat mirabilis in ſanctis ſuis.

* *al.* Adalbero *dicitur*.

2. Exſtitit igitur nobiliſſima Francorum ſtirpe progenitus, & ab ipſis infantiæ rudimentis, litteris liberalibus in eccleſia ſanctæ Mariæ Remenſis inſtitutus. Quæ eccleſia tanto tunc vernabat religionis decore, tot perſonarum nobilium & religioſarum, quas ipſa in ſe educaverat, ſibi adplaudebat honeſta numeroſitate, & decenti honeſtate, ut religione ipſa præemineret omnibus eccleſiis Belgicæ; formaque eſſet omnibus honeſtate vivendi, recteque converſandi in caſtitate, in ſcientia, in diſciplina, in correptione morum, in exhibitione bonorum operum, &c. In hac ergo eccleſia religioſæ indolis puer Richardus, litteris traditus imbuendus, brevi ſingula percucurrit, quæ magiſtrorum ſollertia percurrenda ſignavit. Cœpit jam altiora meditari, & quæ à magiſtris non didicerat, vivacitate & perſpicacia docilis ingenii attente rimari, ut agnoſceretur ab omnibus, magni eum futurum eſſe præconii, quem ſic commendabat acumen intellectus, ſecretorum & myſticorum capax, cooperante & præcedente gratia Dei. Tranſivit itaque in eadem urbe proficiens uſque ad perfectam incrementorum ætatem, & qui erat acer ingenio, ſtatuit ſibimet ipſi normam vivendi, recidens in ſe noxia, quæ in aliis ſollerti vigilantia reprehendebat. Probat hoc religioſa vitæ ejus converſatio, & continuata malorum redargutio, qua tantum abundabat animi ejus directa ſimplicitas, ut pro zelo Dei, & æmulatione juſtitiæ, Præcentoris & Archidiaconi ei officium committeretur, & magiſterio ejus diſpoſitio Remenſis eccleſiæ traderetur. Cui officio quam ſtrenue, quam prudenter, quam ſollerter invigilaverit, ne nimii fortaſſe laudando inveniamur, ſilere decrevimus; maxime cum & ſilentium ipſum, laus ejus ſit; quia ſi totam ſubſtantiam noſtram in laudibus ejus ſuperextenderemus, minus eſſet quod diceremus ad id quod dicendum eſſet. Jubilat in laudibus ejus Remenſis eccleſia, quia & ipſa ejus devotio, qua in ea fideliter laboravit, laus ejus eſt. Utebatur poteſtate ſibi tradita in ædificationem, non in deſtructionem, habens libertatem vocis, judicio ſuo confutare reos & convincere, nulliuſque perſonam in judicio accipere. Quibus rebus ita cognitus erat omnibus, ut abſens etiam, pro ſui reverentia, & inflexa conſtantia, à cunctis timeretur, & pariter omnes, ſenes cum junioribus Richardi inadulatam gravitatis cenſuram reverebantur. Erat enim vere religioſus, orationibus continuis vacans, cui etiam moris erat Pſalterium ex ordine quoquo die dicere, & primos quidem quinquagenos proſtando, manibus ad terram deflexis dicebat; quinquagenos erectus, quinquagenos proſtratus toto corpore, ſed ſuſpenſus, articulis pedum manuumve ſuſtentatus perorabat. Solebat etiam ante crucem orationes quotidianas dicere, quarum hæc erant omnium verſuum initia: Adoro te Chriſte crucem adſcendentem, & benedico te. Quas cum die una multa peroraſſet inſtantia, ſurgens ab oratione, & Crucifixum cum lacrymis aſpiciens, audivit vocem dicentem ſibi: Tu

Pia ejus exercitia Remis.

Digitized by Google

me in terris benedixiſti, & ego benedico te. Et elevata dextera, qui erat in forma crucis benedixit eum. Qua dulcedine compunctus, gratias egit Sacerdoti ſummo, & cœpit jam tanto artius perfectiora meditari, quanto gratioſiorem circa ſe agnoſcebat dulcedinem miſerentis Dei. Hoc nos Rodomi * poſiti à viris religioſis audivimus, qui & ipſi ſe fatebantur audiviſſe ab HUGONE, cognomento Grammatico, viro ſtrenuo & religioſo, Rothomagenſis eccleſiæ archidiacono, qui Remis in eccleſia ſanctæ Mariæ præſens adfuit quando hæc geſta ſunt.

Ann. Chr. MXLVI. Jun. XIV.

* Rotomagi.

De vita religioſa ſuſcipienda cogitat.

3. Verum, cum in dies fervore religioſi propoſiti, ad altiora pennâ devotionis ſuſtolleretur, & contemtores mundi, ſuimet ipſius abnegatores miraretur, Deumque in figura crucis poſitum veneraretur, ſequaces ſuos ad ſe invitantem & dicentem: *Qui mihi miniſtrat me ſequatur*, rememorans quia parum eſſet miniſtrare Domino, in quo nulla eſſet perfectio, niſi & ſequeretur eum; delegit Deo firmius adhærere, quoniam bonus eſt, & beati qui ſperant in eum. Cœpit igitur larga manu, quæ circa ſe erant diſpenſare pauperibus, & licet à primis annis, compaſſionis in eo opera claruerint; tamen quo amplius miſeria ſæculi, & fallax ejus gratia temnebatur, eo magis inſtabat miſericordiæ operibus, ut nudus Chriſtum ſequi, & pauper pauperem imitari valeret, qui propter nos minoratus paullulum ab angelis, de pauperibus naſci, & in præſepio reclinari voluit, ut eſſet piorum cibaria jumentorum. Ubi vero cuncta diſtracta ſunt, nec deſideria dilatione conſopita, quia ſancta erant, quin potius augmentata, & cogitationum inundantium, quas perfectioni ſtudens fidelis anima patitur, violento impetu ſedato, ad portum quietis appulſus fixit anchoram ſpei, quia deliberaverat jam ut iret, cœpit anxiari quo iret, quem ſibi locum ſtationis eligeret, ubi plantatus, in interna cordis amœnitate viridеſceret. Volebat enim hoc quod dictum eſt patri credulitatis noſtræ Abrahæ: *Exi de terra tua &c.* ad litteram implere; ſed conſiderabat non ſine fructu fore, ſi inter ſuos poſitus, factuſque eis forma vitæ honeſtæ, præberet eis exemplum ſequendi Chriſtum, adipiſcendo religionis propoſitum. Conſiderabat rurſum difficillimum eſſe, inter notos & affines gravioris propoſiti intentionem apprehendere, ubi aliquando certa eſt via periculi, incerta ſalutis, cùm retrahit hominem jam Deo proximantem amor propinquorum, & reverberat aciem vultus, qua Deus intuendus eſſet, caritas carnis, & multimodæ punctiones ſæculi, quas non adeo graves ſentit, qui opportunitatem ſentiendi vitat & refugit. Inter has & alias multiplices repugnantium ſibi invicem carnis & ſpiritus deliberationes, adfuit adjutorium Omnipotentis, & famulo ſuo deſudanti in palæſtra glorioſi certaminis, ſolatium præbuit cujuſdam fidelis ſui, qui ſub chlamyde mundanæ dignitatis, abſconditum gerebat probatiſſimum militem Chriſti. FRIDERICUS nomen erat viro, &c. *Hic Hugo Friderici Comitis progeniem exponit, & modum quo in monaſterio ſancti Vitoni ſuſceptus cum beato Richardo fuit, qua retulimus ſupra in beati Friderici elogio ad annum* MXXII. *Confer etiam qua in Vita beati Richardi dicta ſunt numm.* 3. *& ſeqq. Addit Hugo, quod* quia venerabilis Richardus abſque permiſſu & licentia Archiepiſcopi Remenſis monaſticum habitum ſuſceperat, conquerebatur etiam Canonicum ſuæ eccleſiæ ab ea inordinate receſſiſſe; quam ob rem eum conabatur repetere. Quod ubi ad aures Fingenii abbatis pervenit, evocato eo, rem ordine pandit. Ille, patre conſolato, Remenſi archiepiſcopo chartulam miſit hæc continentem: Si ſpiritu ducimini non eſtis ſub lege. Quam ille ſuſcipiens, & vim verbi diligentius intendens: Merito, ait, abiit, qui Spiritu Dei ductus eſt, & ideo à nobis repetendus non eſt. Sic confutata repetentium eum calumnia eſt; immo magis ad imitandum eum accenſa multorum devotio eſt. Regebat tunc eccleſiam *Remenſem* ARNULFUS Lotharii regis, qui quintus

Johan. 12. 26.

Gen. 12. 1.

Digitized by Google

ANN. CHR. MXLVI. JUN. XIV. à Carolo Calvo fuit, filius, &c. *Poſt Fingenii Abbatis mortem in ejus locum ſubſtitutus eſt Richardus, qui ab Imperatore accerſitus multa ab eo dona accepit; ex quibus monaſterium ſancti Vitoni reſtauratum, maxime deinceps ſub ejus regimine floruit. Quæ autem tunc in eo præſtiterit, fuſius refert Hugo, quæ, quia compendioſius in priori vita referuntur, hic ejuſdem Hugonis verbis referre juvat.*

Sub eo floret S. Vitoni monaſterium.

4. Familiaritatem Regis & principum adeptus domnus abbas Richardus, in brevi, ſapientia, conſilio, aſtu, prudentia, & honeſta converſatione cunctis manifeſtatus eſt, ut in negotiis curialibus diſponendis, nullus illo utilior, nullus prudentior, nullus validior aut acceptior judicaretur. Probat hoc principalis erga eum liberalitas, qua pro amore ejus Virdunenſe, cui præerat, dilexit cœnobium, ut dona ei ingentia in auro & argento, in palliis & ſacratis conferret veſtibus, & totum ſe adeo in amorem ejus transfunderet, ut miraretur qui videret. Obtentis igitur pro quibus abierat Abba religioſus, ad monaſterium ſuum reverſus eſt; cœpitque velle fieri tanto propinquior Deo, quanto per gratiam ejus Regi & Principibus, Pontificibus & quibuſque præpotentibus erat acceptior. Cœpit enim totum ſe ſollicitius divinis mancipare cultibus, dominicis die noctuque vigilare laudibus, commiſſos ſibi religioſis aſſueſcere moribus; itaut per totam Neuſtriam & Auſtraſiam, Franciam atque Burgundiam diffunderetur ſonus ſanctitatis ejus, fieretque omnibus in propatulo ſanctimonia ejus. Fuerat ad eum grandis undecumque concurſus: alii ejus ſe ſubdebant magiſterio, poſtpoſito mundi fallentis lenocinio: alii filios ſuos ei offerebant erudiendos, ut videretur jam monaſterium ejus monaſteriis Nitriæ, vel Ægypti conferendum, pro numeroſitate fidelium illo confluentium, qui velut apes ad alvearia undique advolabant, diverſis virtutum ſpeciebus onuſti mentes, ut illæ mellis & ceræ indiſcretas cruribus & pedibus ſubvehunt qualitates. O quales & quanti viri ejus claruerunt magiſterio! quam pretioſa & devota Deo commiſſa ei congregatio, doctrinis ejus irradiata, & exercitio artioris propoſiti ad unguem informata! Probant hoc Galliæ & Germaniæ Pontifices; Duces & Comites, amore Chriſti ferventes, qui ex monaſterio & diſcipulatu ejus, monaſteriis quos habebant aut patres præficiebant, ſub tuitione tamen ejus & diſciplina: aut ſi patres inde habere nequibant, quos de ſuis patres facere deligebant, Virduni primo probandos, inſtituendos & morigerandos dirigebant. Ex quibus nos, licet juniores & moderni, plures religioſos, & in omni theoria probatiſſimos vidimus viros, angelica facie & habitu reverendos; ut ex inſtitutione diſcipulorum pateſceret, quantæ religionis, gravitatis, & perfectionis eorum magiſter fuiſſet, cujus eruditionis decus in diſcipulorum clarebat moribus. Creſcente ſane numero diſcipulorum, creſcebat cenſus honorum. Clarebat ubique nomen Richardi, ſanctitas ejus ubique prædicabatur, & nomen Dei per eum clarificabatur.

5. Videns autem eccleſiæ ſuæ vetuſtiſſima, & pæne jam diruta ſarta tecta, delegit eis dejectis ampliora jacere fundamenta, & in meliorem ſtatum, & nobiliorem novam compilare baſilicam, quod & brevi actum eſt. Turres enim eccleſiæ ipſius, domnus Fredericus ex ſuo fecit, cellarium, & refectorium fratrum. Dormitorium vero cum dejectum reſtrueretur, & neceſſaria domus pararetur; nec poſſet nova parari, niſi vetus mundaretur, accerſitis quorum eſſet operis & ſtudii id explere; &c. *Laudat Friderici humilitatem, qui in conſtruendis ædificiis viliora quæque opera exercebat. hæc in Elogio ejus ſupra retulimus.*

Translatio aliquot Præſulum.

6. Ædificata igitur nova eccleſia, majori ambitu & elegantiori opere; neceſſarium fuit, ut corpora quorumdam ſanctorum Pontificum transmutari debuiſſent [a]. Tunc corpus ſancti MADALVEI incorruptum reper-

[a] Confer Vitæ num. 8. ubi hæc paullo aliter narrantur.

Digitized by Google

tum eſt, & in crypta ſanctæ Mariæ, ſub altari, in vaſe marmoreo decenter repoſitum. Tunc etiam facta eſt tranſlatio duorum epiſcoporum, HILDINI & HATTONIS Nonas Maii; & ad dexteram crucis monaſterii, ad dexteram ſcilicet altaris ſancti Johannis Baptiſtæ, poſitæ ſunt eorum reliquiæ. Corpus autem domni BERENGARII [a] epiſcopi & monachi, in ingreſſu clauſtri, tamen intra monaſterium repertum, incorruptum inventum eſt, excepto pede qui in vita ejus aruit, & caſula cum ſandaliis ab ejus corpore abſtracta eſt, & in theſauris eccleſiæ cum reliquiis repoſita. Corpus vero ejus ſanctiſſimum, ſuperius verſus cancellos chori tranſmutatum eſt, caſula nova & ſandaliis honeſte procuratum, & è regione ſepulcri, altare ſancti Firmini, quod ipſius tempore ab eo inventum eſt, poſitum. At vero corpus domni DADONIS epiſcopi è regione duorum ſupradictorum Pontificum, ad lævam ſcilicet crucis monaſterii, ad ſiniſtram partem altaris ſancti Martini honorifice reconditum eſt. Reliquorum vero Epiſcoporum corpora infra chorum continentur, & deſuper tabulatum de lapidibus ſectis & quadratis factum eſt. Attamen quinque Epiſcoporum corpora ſubtus pulpitum, quo Evangelium recitatur, contineri à multis audivimus, quorum tamen nomina non tenemus. Pulpitum autem ære, crebris tunſionibus in laminas tabulaſque producto, & deaurato, factum eſſe conſtat ſatis accurate & eleganter, & per duodecim tabulas, duodecim Prophetarum imagines, duodecim Apoſtolorum formas ſubvehentium, ſculptorio & polymito opere exaratæ ſunt. Et hæc quidem ad occidentalem partem, ad dorſum ſcilicet ſtantium & canentium poſitæ ſunt. At vero ad ſeptemtrionem quatuor fluviorum ſpecies de paradiſo emanantium, in quatuor partibus eminent. In girum autem, quo Evangelii recitator ſtans obumbratur, Abrahæ offerentis filium, Abel agnum, Iſaac benedicentis, & Jacob ſupplantantis, & Tobiæ ſepelientis, & David manufortis imagines agnoſcuntur ſimili opere compilatæ. In facie autem Dominus Jeſus in throno majeſtatis reſidens, & Virgo mater, ac Baptiſta Johannes cum quatuor Evangeliſtis apparet. Porro dextra lævaque Domini, angeli & archangeli, cum cherubin & ſeraphin Redemtori obſequium exhibent. Inſtrumentum vero illud, quod paratum eſt receptui textus Evangelii, Johannes Evangeliſta in ſimilitudine aquilæ volantis adornat. In ora autem & ſummitate operis, verſibus hexametris auro digeſtis, patris Richardi devotio ſumma notatur.

Ann. Ch. MXLVI. Jun. XIV.

Deſcriptio Pulpiti.

7. Propitiatorium ſane ſanctorum exornant corpora, quorum meritis floret Eccleſia. Et in medio quidem, alto ſatis & prominenti ciborio, ſanctus quieſcit Vitonus, redimitus frontem auro puriſſimo, & gemmis pretioſiſſimis, quibus concluditur majeſtas Dei incircumſcripta & incomprehenſibilis, habens ad dexteram beati Petri, & ad lævam ejuſdem beati Vitoni auro prominentes imagines, opere factas cælatorio, quas ambiunt columnæ ex electro puriſſimo, cum baſibus argenteis, arte fuſili & anaglyfo productæ. Ipſum quoque ciborium Dominicæ Reſurrectionis, Apparitionis, & admirabilis Aſcenſionis opere cælatorio protenſis adornatur inſigniis, habens ante ſe altare ſacratum in honore ſancti Vitoni & omnium Confeſſorum; ad lævam autem altare ſacratum in honore ſancti Pulcronii & omnium Martyrum; habens & ipſum ſuum ciborium, quo continetur corpus ejuſdem beati Pulcronii auro & argento decoratum. Porro ad dexteram altare in honore ſancti Poſſeſſoris habetur, & omnium Virginum cum ciborio quo corpus ejus continetur, ſimili opere adorna-

Propitiatorii.

Ciborii.

[a] De eo plura diximus in elogio Fingenii abbatis ſupra pag. 26. de eo Necrologium vetus Vitonianum ſic habet : VI. *Idus Auguſti anno Incarnationis Dominica* DCCCCLIX. *obiit recolendæ memoriæ dominus Beringerus; epiſcopus Virdunenſis & monachus, nobilis inſtitutor hujus loci & renovator, qui rejectis clericis hoc in loco monachos introduxit, &c.*

Ann. Ch. MXLVI. Jun. XIV. Altaris majoris.

tum. Altare vero majus in honore ſancti Petri apoſtolorum principis ſacratum eſt, ob privilegium eccleſiæ ipſius, quæ priſcis temporibus, in honore ipſius Apoſtoli, & facta & conſecrata eſt. Ante hoc tabula habetur aurea, auro mundo & puriſſimo, & gemmis pretioſiſſimis denſiſſime conſerta, opere mirifico & arte cælatoria facta, præferens imaginem Domini ſignum crucis tenentis, & ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulantis, & dextra lævaque imagines apoſtolorum Petri & Pauli ejuſdem operis & metalli. Ad quorum veſtigia procumbentes cerneres imagines domni patris Richardi, & Mathildis digne memorabilis, ſupplices manus tendentes, & quaſi ut grata hæc eorum habeatur oblatio, alterius cenſu, alterius ſtudio facta, ſupplicantes.

Altaris geſtatorii.

8. Factum eſt & altare geſtatorium ex auro puriſſimo, interius mire fabrefactum opere conſimili, ſtudio & largitione domni Herimanni Comitis, in modum tabularum conſertum & compactum; quod cum aperitur, & altare eſt, & tabulæ aperiuntur; quibus ſi moram adhibeas, quod eſt inſtrumentum Moyſi & Aaron imaginibus glorioſum, figuram Dominicæ crucis exprimit. Habet hoc à quatuor cardinibus, quatuor Evangeliſtarum hominis, leonis, tauri & aquilæ ſpecies, ex argento opere fuſili, præfatum altare portantium, & ſe invicem verſis vultibus reſpicientium. Super ipſum vero altare, brachium ſancti Pantaleonis ponitur pallio ſerico involutum, & ligno incluſum, argento & auro decoratum, quod attulit cum corpore ejuſdem à Nicomedia Colonienſis epiſcopus, obtentum dono Conſtantinopolitani Imperatoris, quando pro ejus filia, Ottoni ſecundo in matrimonio jungenda, juſſu ejuſdem Ottonis ad eumdem Imperatorem legatus miſſus eſt, cum Epiſcopis duobus, Ducibus & Comitibus. Et cum obtentis pro quibus ïerat, licentiam redeundi accepiſſet, & Imperator ei, ſociiſque ejus munera plura obtuliſſet, & accipere renuiſſent, corpus ſancti Pantaleonis ab eo Archiepiſcopus petiit & obtinuit, & reverſus Coloniam detulit. Fuerat autem cum eo in expeditione ipſa, quidam ejus conſanguineus dominus caſtri de Commarceïo, & multa prece obtinuit ab eo brachium corporis ſancti Pantaleonis, quod & in eccleſia præfati caſtri repoſuit. Evolutis poſtmodum aliquot annis, obſeſſum eſt caſtrum ipſum, & everſum atque ſuccenſum; cumque flamma tectis eccleſiæ illaberetur, & victricibus globis interiora eccleſiæ lamberet, dolens Sacerdos de combuſtione ſanctarum reliquiarum, cuidam armatorum ut eccleſiam ingrederetur, & deſuper altari reliquias tolleret, ſignificavit. Qui mox ingreſſus, reliquias tulit & repoſuit, & cum ibi adeſſet abbas, & brachium ſancti præſente preſbytero marca argenti ei vendidit. Quod domnus ipſe, cum ſciret pro certo Martyris eſſe reliquias, Virduni gaudens attulit, & paratum argento & auro diebus feſtis ſuper altare ponitur. Fecit & alia plura ornamenta, libros Evangeliorum auro & argento paratos, cruces ex auro puriſſimo III. ventilabra argentea II. librum Epiſtolarum I. argento paratum, Miſſale I. Collectarium I. ſimiliter argento paratos.

Dona Henrici Imp. & aliorum.

9. Dedit & Henricus imperator calicem unum aureum præmaximum cum gemmis pretioſiſſimis, & patena ejuſdem metalli, & ſcutellam unam de beryllo, & pixidem unam de onychino, in qua ſervaretur Corpus dominicum dependens ſuper altare. Præterea innumera dona auri & argenti, & prædiorum, ſacrarumque veſtium, & phylacteria aurea & argentea & cryſtallina cum ſanctorum reliquiis, capſam auream inſignitam reliquiis duodecim Apoſtolorum, & cornua duo eburnea identidem reliquiis conferta. Fecit etiam memorabilis pater Richardus coronas duas ex argento & auro, & tertiam parvulam ubi dependerent ſignorum reſtes. Adverada quoque Comitiſſa dedit ſancto Petro caſulam viridem, cum auri-

Digitized by Google

friſio, & multi multa dederunt, quæ enumerare longiſſimum eſſet. Unde & in brevi factus eſt locus ille inſignis. Ejus namque exemplo provocata progenies domni Frederici ſæculo renuntiavit, & adhærens diſcipulatui præfati Patris, prædia ſua & patrimonia eccleſiæ dedit. GODEFRIDUS Comes pater Boracum dedit, inde relato filio ſuo ab Italia, ADALBERONE epiſcopo, cum eum parentes ejus in eccleſia ſancti Vitoni ſepeliri mandaſſent, & contra eorum voluntatem in eccleſia ſanctæ Mariæ ſepultus fuiſſet, pro requie animæ illius dederunt ſancto Vitono Forbacum. At vero HERIMANNUS, qui & HEZELO, filium ſuum GREGORIUM in annis puerilibus Deo obtulit, & omnem devotionem ſuam, ad eumdem locum vertit. Dedit enim ſancto Petro & ſancto Vitono Haſlud cum eccleſia, in Feſſeca unam eccleſiam, in Rotgericorte duodecim manſos, in Ermefredegehem unam eccleſiam. De his factum eſt poſt mortem ejus concambium, & dedit pro his Comes BALDUINUS Flandrenſis Bonvillare cum dimidia eccleſia, Hevenges ſimiliter cum dimidia, in Vitereïo vineas, cum quadam parte eccleſiæ, in Harvia triginta manſos cum familia magna: ſine iſto tamen concambio, tradidit adhuc præfatæ eccleſiæ Monnau, & eccleſiam cum ſilva ſpatioſa, Fontagiam quoque cum familia & vinea optima. Dedit etiam pro anima filii Godefridi ex concubina nati, in clauſtro tumulati, non tamen juxta fratres & patrem, duas eccleſias, quarum una dicitur Ham, alia Gengearia. Fecit & veſtes ſacratas in eccleſia pretioſiſſimas: & cum eccleſiam ipſam, præ cunctis mortalibus, ſuis ditaſſet bonis & poſſeſſionibus, ad ultimum ſemetipſum Deo obtulit, & monachus factus eſt, ut in æternum cum Chriſto regnaret. Ann. Chr. MXLVI. Jun. XIV. Herimannus.

10. MATHILDIS autem uxor ejus, digne memorabilis, bonis pollens virtutibus, & miſericordiæ ſtudens operibus, in clauſtro ipſius monaſterii defuncta venerabiliter quieſcit humata. Cujus ad caput filia eorum ODILIA, virgo ſacratiſſima, locum habet ſepulcri. De hac ſermo exſtitit, & nos à ſenioribus audivimus, quod egreſſa à finibus Bavariæ venerit Virdunum quarta feria ante ſanctum diem Paſchæ, volens cum patre & matre & fratribus diem paſchæ celebrare. Quam cum vir Domini Richardus intuitus fuiſſet, inter blanda conſolationis alloquia, an aliquid infirmitatis pateretur interrogavit. Qua reſpondente ſanam ſe eſſe, & nullius ægritudinis moleſtiam ſe ſentire, ille prophetiæ ſpiritu plenus, prævidens imminere tempus vocationis ejus: « Vale, ait, filia, vere ſalutis æternæ filia. Nam cras hac in hora aſſumeris in gloria, & recipies à Deo pro bene geſtis præmia ſempiterna. Elegit enim te Deus ſociam eſſe ſanctarum virginum, quia jocundum ei in corde tuo virginitatis præparaſti habitaculum. » Obſtupuit ad hanc vocem pii Patris ancilla Dei, & quia virum Dei credidit non poſſe mentiri, verbis ejus credula, cœpit de fine ſuo tractare, exceſſus ſuos pertractare, & ſuffragium conſolationis & orationis ab eo expetere. At ille caput ſanctum ſuper pectus ſuum reclinans, & quaſi jam per incorruptionem corporis & ſpiritus alterata eſſet, eam demulcens, confortabat ſpiritum ejus in Domino, proponens beatam eam fore, quam certum erat ad nuptias Agni feſtinare. Poſthæc eam reficere juſſit, omnibus mirantibus quomodo eam ſanam, & vegetam in craſtino morituram prædixerit. In craſtinum autem liquore ſancti olei ab eo inuncta, cum nullam gravedinem pateretur, mandato pauperum cum eo interfuit, & in eodem quo laverat pedes pauperum loco, virum beatum intuita: Hæc, ait, requies mea in ſæculum ſæculi; hic exſpectabo diem Domini. Ad Miſſarum itaque ſollemnia ivit, & cum communicaſſet vivificis myſteriis, dolore aliquantulum pulſata ad cellam rediit, & adveniente viro Dei cum fratribus, exitum ſuum orationibus muniri petiit: & ſic inter manus ejus in cinere & cilicio ſe reclinans, inter verba orationis læta ſpiritum efflaMathildis ejus uxoris; Odiliæ eorum filiæ pia mors.

ANN. CH. MXLVI. JUN. XIV.

vit. Et recedente beata anima, tanta illic emanavit fragrantia odoris, ut nulli dubium foret veniſſe illic auctorem ſuavitatis. Curatum ſane eſt corpus ejus pia religioſorum inſtantia, & uſque in diem tertium, in eccleſia, pia ſervatum ſollicitudine & induſtria; & ſic Sabbato-ſancto, terræ mandatum cum gloria.

Alii viri illuſtres, ibidem tumulati.

11. In hoc monaſterio domnus LIETHARDUS Comes de Marceïo, ad converſionem veniens Baclodium contulit, & multis annis in ſancto vivens propoſito, tandem [a] Catalaunis, quo eum obedientia miſerat, defunctus & ſepultus eſt, & demum Virduni relatus, in clauſtro tumulatus eſt. GODEFRIDUS Dux, Gozelonis frater, ibidem ſepultus, viginti manſos in Beurunes dedit, & ſua ſuppellectile locum admodum ampliavit. DODO etiam de Comitis-caſtro, juxta Theodericum Comitem *ibidem* in ingreſſu monaſterii quieſcit, LUDOVICUS quoque Comes & monachus. HILDRADUS Comes Richardum filium ſuum, poſt Epiſcopum, beato Patri baptizandum offerens, Baronis-curtem ſancto Vitono dedit, & defunctus in Galilæa tumulari meruit. Non eſt autem facile referre, quot de diverſis partibus Franciæ, Neuſtriæ, & Auſtraſiæ, ſpretis mundanæ vanitatis illecebris, ſub diſciplina & magiſterio patris Richardi monaſticæ ſe ſubdebant religioni. Ita namque in ejus amore ſe transfuderant Reges, Pontifices & Potentes, ut ſummo eum venerarentur affectu, & patrem eum dicerent patriæ, ob paternum ejus erga omnes affectum, quo cunctos fovebat & relevabat. Erat enim pius in vultu, reverendus inceſſu, ſeverus circa reprobos, dulcis erga benevolos, forma honeſtus, actione compoſitus, præferens ſemper honeſtum utili, qui nullo terrore, nulla adulatione à vero flecteretur, in obſervatione Regulæ ferventiſſimus, in corrigendis vitiis prudentiſſimus, in caſtitate clementiſſimus, in exhibitione bonorum operum perfectiſſimus.

Richardus fit abbas Lobienſis.

12. BALDRICUS igitur Leodienſis epiſcopus, cum beatum virum unice diligeret, cœnobium Lobienſe divitiis opulentiſſimum, ei tradidit regendum, ut induſtria ejus, religionis in eo reformaret propoſitum, quod videbatur à priſtino rigore immutatum. Cujus exemplo delectabili provocatus, cum videret religioſam ejus converſationem in bonis & ſanctis moribus, & incrementum religionis & monaſticæ perfectionis in cœnobio eodem excreſcere gaudens miraretur, cœpit jam majora meditari, & in ſuburbio Leodienſi in honore Laurentii martyris monaſterium [b] ædificari conſtituit. Evocato ergo ad ſe eodem Abbate, deſiderium ſuum ei aperuit, & ut deſiderii ſui cooperator accederet monuit, & obteſtatus eſt, adjiciens multum perfectioni ejus poſſe proficere, ſi ejus ſtudio & induſtria domus Dei exſtrueretur, in qua laus & gloria Dei devote die noctuque celebraretur. Adquievit vir Domini, & congregatis artificibus, delegatiſque neceſſariis ſumtibus, Chriſto Domino adjuvante, & beato Laurentio cooperante, opus inchoatum agiliter perficitur, & dedicatur; & fratres qui Deo quotidianis deſervirent officiis, ex monaſterio ſancti Vitoni adducuntur, quibus loco Præpoſiti præficitur domnus STEPHANUS, qui in præfato cœnobio Cellerarii officio fungebatur. Tactus ſimili bonæ devotionis deſiderio domnus ROTGERIUS Catalaunicæ civitatis epiſcopus, induſtria & labore ejuſdem patris Richardi, in ſuburbio Catalaunenſi in honore ſancti Petri monaſterium à fundamentis conſtruxit, & à monaſterio ſæpe tacto fratres cum libris & ornamentis neceſſariis, qui inibi deſervirent, deduxit, & in vita ſua ipſe per ſe utraque rexit monaſteria.

Ædificat monaſt. S. Laurentii.

Item S. Petri Catalauni.

[a] Vitæ auctor ſupra num. 9. ait Lietardum in monaſterio ſancti Maximini apud Treviros obiiſſe, è quo ad ſanctum Vitonum corpus ejus relatum eſt, die XIV Kal. Junii in Necrologio Vitoniano memoratur, ubi dicitur *ex Comite converſus, qui multa dedit, &c.*

[b] Monaſterium S. Laurentii primam ſuam originem debet Eraclio epiſcopo Leodienſi, quod ejus ſucceſſores conſummarunt. Vide obſervationes ad Vitam S. Wolbodonis.

13. De

Digitized by Google

13. De quo hoc fertur mirabile; quia cum turres eccleſiæ ſancti Laurentii in altum jam porrectæ, & uſque ad cacumen elevatæ, poſtmodum reclines viderentur, & in ruina earum certa eſſet dejectio eccleſiæ; vir Dei adveniens, dolorem fratrum, quem ex tædio dejiciendæ, & iterum reparandæ turris habebant, blande conſolatus eſt, & nocturno tempore eccleſiam ingreſſus, cum diutius in oratione pernoctaſſet, januis patefactis egreſſus eſt, & iterum orationi incumbens cum ſurrexiſſet, ſignum crucis edidit, & confeſtim turres quæ reclines videbantur, dato maximo ſtrepitu, in ſeſe reſilientes ſubſederunt, & ut cernentibus pateret, ita in ſe reſiluerunt, ut cunctis palam daretur intelligi, angelico id factum eſſe miniſterio. Tantus autem reſilientis in ſe ſtructuræ crepitus factus eſt, ut fratres monaſterii tantorum ſacramentorum ignari, à lectis cum maximo timore exſurgerent, putantes in ruina turrium quam verebantur dejectam eſſe partem eccleſiæ. Quos vir Domini ad conſuetudinarium Matutinorum officium invitans, ipſe cum eis interfuit; & mane facto, beneficia Domini oculis videnda monſtravit, atque ad amorem eos tanti beneficii largitoris mirifice animavit. Hujus miraculi teſtis eſt tota Leodienſium civitas, & patres qui viderunt, narraverunt ea filiis, & filii filiorum filiis, ut cognoſceret generatio altera. ANN. CHR. MXLVI. JUN. XIV. Turres reclines oratione erigit.

14. Temporibus illis principabatur Francis ROBERTUS, qui Conſtantiam duxit uxorem. Hic tunc beato Patri noſtro abbatiam ſancti Petri Corbeïacenſis regendam contradidit, ut ejus inſtructione & vigore ſervaretur in ea Regula patris Benedicti, & vigor reformaretur monaſticæ inſtitutionis. BALDUINUS vero Flandrenſis abbatias ei quamplures tradidit, abbatiam ſcilicet ſancti Petri Gandenſis, abbatiam ſancti Amandi, abbatiam ſancti Bertini, abbatiam ſancti Richarii, & abbatiam ſancti Judoci. Rexit & alia quamplurima cœnobia, Bretulienſe, Humularienſe, ſancti Quintini de monte, ſancti Vandregiſili, ſancti Huberti, ſancti Remacli, Malmundarienſe, Valciodorenſe, Belliloci, ſancti Urbani, ſancti Vincentii Mettenſis, Inſulæ, & alia perplura quæ non occurrunt memoriæ, quas omnes in meliorem reparavit ſtatum, & melioratis, abbates de ſuis quos elegit, inſtituit. Cœnobium vero Belliloci, ſancti Petri Catalaunenſis, ſancti Urbani ipſe in vita ſua rexit. Regit varia monaſteria.

15. Præerat tunc Cameracenſi eccleſiæ & Attrebatenſi GERARDUS venerabilis epiſcopus. Hic eccleſiam ſancti Vedaſti, in ſuburbio Attrebatenſi ſitam, de maximis divitiis ad maximam redactam penuriam, anno ab Incarnatione Domini MVIII. huic patri noſtro, quem unice diligebat, aſſignavit, in qua vir Domini tanta egit & paſſus eſt, ut ſi ſingula ſcriberentur, & lectori, ut vereor, tædium, & audientibus generarent faſtidium: ſed de multis pauca dicenda ſunt...... Non autem viſa ſed à ſenioribus audita referemus. Quidam ſervientium ſancti Vedaſti in tantam eruperat proterviam, in tantam excreverat inſolentiam, quia aliquanto erat neceſſarius eccleſiæ, ut infra atrium monaſterii, domum ſibi conſtitueret magnæ altitudinis & fortitudinis, quaſi pro tuitione loci. Sed nacta oportunitate contumaciæ exercendæ, ſæcularitatis in monaſterio ſuperabundantis deſidia provocatus, propugnacula erexit, infirmiora munivit, & non jam pro loco, ſed contra locum & Deum rebellare niſus eſt, bona eccleſiæ diripiendo, vernaculos & ancillulas ſibimet aggregando, canum turbam, hiſtrionum & ſcurrarum ineptam congeriem deducendo, nec eos ab ingreſſu clauſtri arcendo, &c. Ubi vero vir Dei cœnobium ipſum regendum ſuſcepit, & à fratribus, quibus erat mens ſanior ſuſceptus eſt, non eſt paſſus tantam domus Dei videre deſolationem, quinimmo ad ejus omnimodis ſe ſuperextendit ereptionem. Cogitavit tamen ſi poſſet, liberti illius emollire mentis duritiam, & verborum dulcedine lenire proterviam, ut ceſſa- Cujuſdam ſuperbiam frangit.

ANN. CH. MXLVI. JUN. XIV.

ret ab oppreſſione, & conculcatione eccleſiæ, cui pro debito & jure naturæ, debebat potius ſubeſſe quam præeſſe, ſed ſervum malum non frangunt verba, ſed verbera, &c.... Quid faceret, quo ſe verteret anxia mens viri Dei? Cilicio itaque obvolvitur, cinere aſpergitur, & in excubias commiſſi gregis pervigiles noctes ducens, Deum precabatur attentius, ut ab oppreſſione inimici & membrorum ejus, tueretur eccleſiam ſuam, miſereretur parvulis, & protegeret à ſcandalo: ſe ipſum quoque, quem eis præpoſuerat, talem faceret, ut ſubditis eum & matrem pietas, & patrem exhiberet diſciplina. Nacta igitur temporis opportunitate, populum conveniens, cum pauca pro re & tempore contra ſuperbiam diſſeruiſſet, & de ſectando religionis propoſito, nihilo minus quædam peroraſſet; ubi vidit deflexos ad ſe animos populi, munitionem quam patiebatur infeſtam, *adivit*, & ea funditus deſtructa, illum qui contra juſtitiam tumidus ſuperbiebat captum, in Eleemoſyna ſancti Vedaſti ſedere, & de eleemoſyna vivere inſtituit, ſicque locum ab ejus, & obſequentium ei importunitate eripuit.

16. Cœpit ergo tanto ferventior ſtudiis religioſis inſiſtere, & deductis à Virduno fratribus, in ſpiritualis exercitii tirocinio probatis curam loci commiſit, inter quos erat ROTHARDUS à Leodio, ſapientia & religione nominatiſſimus, quanto noverat, & ſibi qui præerat, & eis qui ſuberant expedire. Verum quia vita ejus caſta & ſancta moribus inhabitantium adverſabatur, durumque eis videbatur, quod in mente veteri cogebantur nova meditari, ex rebellione audacia ſumta, conati ſunt quidam eorum de ejus morte tractare. Imminente itaque quadrageſimali tempore, quia hæc erat monaſterii Regula, ut in illis diebus artiori ſe quiſque mactaret continentia; cum ad hoc propenſiori cura & ferventiori compellerentur, tectus in corde livor cœpit altius ſerpere, & ad perficiendum quod anhelaverant, in dies mentem excruciatam promovere. Quid multis immoramur? venit ſacratiſſimus dies Cœnæ Dominicæ, & quæ erat pacis & concordiæ, reconciliationis & miſericordiæ, hæc factioſis convenit dies proditionis & malitiæ perpetrandæ. Deliberatum eſt enim apud illos, ut eo die perexpleto, cum poſt miniſterii ſalutaris expletionem, vir beatus feſſa corporis membra quieti laxaret, cum omnes dormirent, ab eis gladiis perimeretur. O præſumtio temeraria! ô impudens audacia! Quis furor, poſt immolatam illam Agni paſchalis victimam, ea die vel nocte, quemquam quamvis nocentiſſimum morti adjudicari! Nec latuit virum beatum feralis illa malorum deliberatio. Audiit namque quod ea nocte ab impiis perimendus eſſet, nec timuit. Timor enim Domini caſtus qui permanet in ſæculum ſæculi, à mente ejus timorem mortis excluſit, quia noverat quod nemini ſuper eum poteſtas daretur, niſi quantum à Domino permitteretur. Totum ergo ſe committens Domino, ivit cubitum, caput habens rectum, paratus, ſi Deus vellet, ad excipiendum jugulum. Cum ecce ante matutinum tempus, omnibus poſt laborem quieſcentibus, duo illi quorum erat operis & voluntatis Patrem jugulare, ſurgentes clanculo dormitorium egrediuntur; & accincti gladiis, cum de perpetrando ſcelere ſe mutuo devotantes conteſtarentur, ad hoc ultimum devenerunt, ut unus illorum pedetentim ſingula dormitorii lecta circuiret, ne aliquis ſupereſſet qui vigilaret, à quo deprehendi verebantur. Quod ubi factum eſt, & ille eſt reverſus ad ſocium, captata opportunitate malitiæ perpetrandæ, ſimul patris Richardi cubile adeunt, videntque virum capite retecto ſoporatum. Cumque unus audacior in ſcelere, armatam in illum vibraſſet dexteram, brachio obrigeſcente, divinam erga ſe ſenſit clementiam, ne perderet patrem, qui multos ad æternam tranſmiſſurus erat hereditatem. Stabat exerta dextra, impos ad feriendum, nec impos ad gladium reponendum. O

Quidam contra ejus vitam conjurant.

Miraculo necem evadit.

Digitized by Google

admirabile Dei præconium! mira patientia, pietas prædicanda! Poterat Jeſus noſter ſuos illos palæſtritas à peccati voluntate avertere; poterat, mox ut cogitata ad effectum perducere tentaverunt, morte multare: ſed ſuſtinuit in patientia filios iræ, ut faceret filios miſericordiæ. Invaſit ergo miſerum illum timor cum febre, & receſſit à lecto Patris, quem protegebat gratia Omnipotentis.

Ann. C h. MXLVI. Jun. XIV.

17. Nec multo poſt ſigno dato ventum eſt ad eccleſiam, & ille quem remordebat conſcientia, inter alios nocturnali ſynaxi interfuit, quamquam tremens, quamquam infirmus, quamquam mordacis conſcientiæ ſtimulis aggravatus. Ubi vero ventum eſt ad Tenebras, miſer ille dum Kyrie eleïſon cum verſibus cantaretur, corde compunctus, genibus Patris advolutus eſt, clamans & ipſe Patri, Domine miſerere, ſcilicet ut ſui miſereretur, ſicut Deum ſibi miſereri precaretur. Obſtupuit vir ſanctus ad tactum fratris, veſtigiis ejus procumbentis, & quid eſſet prorſus ignorabat. Suſcepto tamen eo, & in partem declinato, orationem complevit, & dato lumine, ceteris ad ſtrata regredientibus, aliquos de fratribus ſecum retinuit: ſecedenſque in locum congruum, data oportunitate loquendi, trementem fratrem & plorantem, totoque corpore terræ proſtrato, capite terram ferientem, quid pateretur requiſivit. Ille gemitu interrumpente: « Peccavi, inquit, in cælum, Pater, & coram te, qui nolebam dici & eſſe filius tuus, « factus ſum perſecutor tuus. Et proferens gladium de ſub cuculla: Ecce, « inquit, quem extendi nocte hac ad feriendum te, ſed Jeſus tuus protexit « te. Volui quidem perdere te, ſed protector tuus Dominus defendit te. « Exerui gladium in te, ſed cujus eſt virtus & imperium, gladium conti- « nuit, & te à morte, me ab interitu animæ, & ab homicidio ſalvavit. Parce « ergo mihi, quia converti paratus ſum, & tuis monitis adquieſcere, regu- « laribuſque ſubdi inſtitutis: tantum dona mihi quod deliqui in te, & ora « Deum pro me. Non erat hoc grave beato viro donare peccantibus in ſe, « qui ad proprias injurias erat patientiſſimus. Toto ergo corpore proſtrato, gratias egit protectori ſuo Deo; inde fratri benigne indulſit quidquid in ſe deliquerat, plurimum eum conſolatus, inculcans, ut confiteretur Domino peccata ſua, dicens peccatum aliquando eſſe peccatum, & pœnam peccati, quæ omnia vitare quiret, qui confeſſioni operam daret. Pauca ergo pro tempore locutus, fratrem conſolatum dimiſit, dans in mandatis, ut mane facto ad ſe rediret, & quæ ſibi imperarentur, faceret. & ita diſceſſum eſt. Pater Richardus oratorium petiit, & quod ſuperfuit noctis in laudibus Creatoris exegit. Die facto, Prima dicta, conſuetudinario officio expleto, ubi tempus oportunum datum eſt, Patrem filius requiſivit, & data confeſſione, pœnitentiaque accepta, alacer & ſoſpes ab eo receſſit, dicens multum ſibi prodeſſe, quod hac eum occaſione Dominus ſibi adſciverit. Hic ex tunc patris Richardi fuit filius dulciſſimus, & comes individuus; hic conſiliorum particeps, qui erat nobilibus ortus natalibus, & litteris adprimè eruditus, & videbat in eo pœnitentiam cum verecundia. In Capitulum ubi ventum eſt, publicam pœnitentiam egit cum ſocio, corde contrito & humiliato, & fratres glorificaverunt Deum, qui avertit peccatum hoc ab eis, & jam in majori veneratione ſanctum Dei habere cœperunt, quem Deo cariſſimum, mortis impavidum, ſui contemtorem, injuriæ donatorem, & ob id Deum defenſorem & tutorem habere ſciebant. Jam autem ſi quis eſſet, qui viro Dei aliquando infeſtus fuiſſet, ſurgebat in medio, & confitebatur quidquid illud eſſet, ſatis verens, ne etiam circa ſe deſæviret indignatio divina. Precabantur itaque omnes pariter ſibi indulgeri, quia eum non ut decuiſſet Patrem & dominum tractaverant: & facta eſt ruina duorum, ſui ipſius, & multorum in ſpiritu reſurrectio. Igitur vir Dei generali omnibus indulgentia data, tanta in poſterum ab om-

Perſecutori veniam dat.

Digitized by Google

Ann. Chr. MXLVI. Jun. XIV.

nibus caritate dilectus eſt, ut merito diceretur: Hæc mutatio dexteræ excelſi.

Virdunum redit.

18. Ordinata itaque dehinc eccleſia perſonis & neceſſariis ſumtibus, Virdunum rediit prædictum fratrem ſecum deducens, quia intelligebat eum utile vas futurum in domo Domini. Nec eum ſpes fefellit. cœpit enim totus alteratus perfectiora meditari, amare honeſtatem, diligere ordinem, omnes ſibi præponere, ſe omnibus poſtponere, & ſiquid eſt quod virum honeſtum deceat, ad id modis ſe omnibus informare. Quamobrem diligebatur à viro Dei, & quotidiana monitione ad meliora ſectanda ineſcabatur, Ledvinus nomen erat viro. Hic eſt Ledvinus, qui poſtmodum juſſu & obedientia prædicti Patris, ſub eo ſancti Vedaſti annis multis rexit eccleſiam. Verum hoc in Patre noſtro memorabile videtur, quod tanto eum affectu dilexit, quem de morte ſua tractaſſe cognoverat.

Erga ſuos cura.

In quo conſideranda eſt pietas ejus, & patientia invincibilis, &c.... Conſiderabat ſingulorum affectus, neceſſitates; oportunitates, & ita quibuſque mirabili verborum & vultus gratia occurrebat, adjiciens verba bona rebus bonis, & prædicatione benigna, & humana ſe ipſe commendans, ut pluris æſtimaretur animus ejus, quam illud, quidquid eſſet, quod quærebatur, &c.... Ceterum & hoc in Patre noſtro, beneficentiæ partes adjuvabat, quia ſi quis ei de ſecretis animæ, de internis mentis motibus confitebatur, tanta ei inerat mentis benignitas, tanta dulcedo, tanta compaſſio, ut qui ſolus advenerat, ſe proderet, alterum ſe illum eſſe crederet cui confitebatur, cui non immerito tamquam alteri ſibi animum ſuum applicaret, & ſe ipſum crederet. Occurrebat namque voluntati ejus, & ita ei conformabatur, cum dolente dolens, cum tribulato ſpiritum & ipſe contribulatum adhibens, ut unam animam duobus ineſſe corporibus, dum alterum ſe ſtupet is qui advenerat, miraretur. Quæ res gratiſſima eſt mediocribus, utiliſſima puſillis, qui eo utuntur affectu, quo vident ſibi adclines, quibus loquuntur, ſeu confitentur.

Pii abbatis partes agit.

19. Jam vero in Capitulo, ſi quis ſermonem ejus audiſſet, totus tremebat, totus æſtuabat, totus ad reprehendendum ſe, acutiſſimum ſtimulum compunctionis adhibebat, ac ſi præ oculis videret parata gehennæ incendia, ſuppliciorum diſpertita omnimoda genera, donec procederet conſolatio ab ore ſermocinantis, fieret dulcedo mellis lingua ejus, favus diſtillans labia ejus. Non enim diſſimulabat peccata delinquentium, immo cum de vitiis ſermo eſſet, ita eorum proprie ſpurcitias, immunditiam, & fœtorem verbis exprimebat, ut qui audiret miraretur, & abhorrens talibus implicari omnino deteſtaretur. Erat in eo juſte conſulens miſericordia, & pie ſæviens diſciplina. Ut enim ait in Moralibus mitiſſimus doctor Gregorius, „Miſericordia vel diſciplina multum deſtituitur, ſi una ſine altera „teneatur. Affectus patrem, pietas matrem, reverentia timoris dominum; diſciplina exhibebat magiſtrum. quod totum de beneficentiæ fonte procedebat. Nolebat enim conſumi munus ſuum, qui ſemper paratus erat ad donum; ideo in dando beneficio corporali ſeu ſpirituali, ſenſu communi & rationabili tempus, locum, perſonas obſervabat, quia & momentis quædam grata, & ingrata ſunt. Ingratum eſt beneficium, quod diu inter dantis manus hæſit, quod quis ægre dimiſit, quod ſic dare viſus eſt quaſi ſibi eriperet. Ideo vir beatus cum aliquid ab eo à filiis quæreretur corporalis aut ſpiritualis neceſſitatis, non dubitavit, ne proximus eſſet à negante, & nullam referret gratiam; ſciens nihil eſſe tam amarum, quam diu pendere, cum æquiori animo feratur à quibuſdam præcidi ſpem ſuam quam trahi. Quod autem donum tam dulce homini, quam juvare conſilio, participare laboribus, communicare doloribus, relevare æſtuantem animum; gaudere cum gaudente, flere cum flente? His donis, his beneficiis, filio-

Digitized by Google

rum in ſe deflexerat gratiam, ut injuriam ejus ſuam arbitrarentur, lætitiam ejus ſuam crederent. Tanta erat benignitas, ut veniente eo, ſi quid in congregatione qualibet morari licuiſſet, cum egrederetur, nullus eſſet qui non ſe juvatum & relevatum, ſuſtentatum & confortatum lætabundus gloriaretur. Jam vero liberalitatem in eo laudari neceſſe non eſt, cujus non minima portio eſt, in omni negotio conſiderare quomodo, quidque aut dicatur, aut fiat. Nam procedens ex liberalitate omnis benignitas properat, & proprium eſt libenter facientis, cito facere; qui enim tarde, & diem de die protrahens profuit, non ex animo fecit; ita duas res maximas perdidit, tempus & argumentum amicæ voluntatis, quia tarde velle nolentis eſt. Aliquando vero in tædium adductus animus, incipit odiſſe beneficium dum exſpectat. Ann. Ch. MXLVI. Jun. XIV.

20. Quod autem majus beneficium, quam mortuis referre gratiam, & requiei eorum providere & conſulere, quorum acceperis eleemoſynam? Summa hæc liberalitas eſt, memorari eorum, qui ſe tibi dum adviverent commiſerunt, quorum vivis laboribus, quorum ſanguine paſceris, qui fiduciam ſuam in te, poſt Deum, ponentes, per manus tuas Deo fœneraverunt, dum ſua tibi pro ejus amore largiti ſunt. Non defuit hæc gratia Patri noſtro, immo in omnibus monaſteriis quæ regebat, mox ut potuit, jure perenni conſtituit, ut in Kalendario [a], ſingulorum fratrum, & benefactorum eccleſiæ, qui ſæculo exceſſerant, diviſis paginis nomina, anniverſaria quaque die, in Capitulo recitarentur, diligentius adnotato quid quiſque contuliſſet eccleſiæ, ut dum eorum beneficia fratres præſentialiter recolerent annotatione diligentiſſima, recaleſceret in eis eorum memoria, & tanto gratius memorarentur illorum, quanto acceptior fieret repræſentatio benefactorum illorum. Quod ut acceptius fieret, ſermonem inde habuit coram fratribus, quem exceptum Calendario eidem, cui hæc inſcribebantur, præſcribi inſtituit; in quo dulcedinem ejus & pietatem, caritatem atque miſericordiam, qui diligenter advertit, perpendere poteſt. Quanto vero affectu & ſtudio, memoriam defunctorum eorumdem, id eſt officium, quod Vigilias dicimus, & Miſſæ celebrationem agi inſtituerit, noverunt qui hoc facere conſueverunt. Per omnia circa memoriam defunctorum benigniſſimus exſtitit. Sciebat enim quia nihil in fructum pervenit, quod non à primo uſque ad extraneum, æqualis cultura proſequitur. Ideo commiſſorum ſibi & in vita, & in morte ſollicitudinem pia ſedulitate eſt operatus. Pro Benefactoribus ſollicitudo.

21. Quid autem de fortudine & temperantia dicemus, quibus adeo regebatur animus ejus, ut innatæ ſibi viderentur? Nam cum fortitudo ſine temperantia iniquitatis ſit materia, ita in eo unum condiebatur ex altero, ut alterum ſine altero videri, & velle diſcernere, omnino foret impoſſibile. Juſtitia vero cum prudentia privatum ſibi domicilium in ejus pectore collocaverat, quibus utilis ad omnia pietas non deerat, ſcientiæ diſcretione munita. Nulla eſt autem ſcientia, ſi utilitatem pietatis dehabeat: quia qui bona cognita exſequi negligit, ſeſe ad judicium artius ſtringit. Hæc quia vir Dei noverat, ſingularum ſibi virtutum proprietates adquiſierat, quibus munitus mundi fallentis lenocinia ſuperabat. Aliæ virtutes.

22. Anno ab Incarnatione Domini MXI. Romam venerabilis Pater Richardus ivit, Benedicto Papæ in amicitiis junctus, familiariſſimus ei exſtitit. Anno MXIII. regiminis autem ejus VII. Henricus anno regni ſui IX. * à Benedicto Papa in Imperatorem promotus eſt, &c. Patrem noſtrum habebat cariſſimum, inter præcipuos egregium, pietate prædicabilem, religione commendabilem, quem tanta Deus donaverat omnium Romam petit *l. XIII.

[a] Hanc pii Patris inſtitutionem accuratè obſervarunt Vitoniani monachi, apud quos hodieque ſuperſunt ejuſmodi libri.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXLVI. Jun. XIV. Cognominatur Gratia-Dei.

gratia, ut à pleriſque, pro inolita ſibi benignitate, vitæque & ſermonis acceptione, & non affectata elegantia, ſed impenſa gratia, hoc vocaretur agnomine, videlicet, RICHARDUS GRATIA-DEI, ſicut & ſanctus ODILO ab ingenita pietate PIUS, & Vuillelmus à rigore ferventioris propoſiti, SUPRA-REGULAM dictus eſt, &c.

Sanctimoniales ejus curæ committuntur.

23. Sed nec domnus Heimo *epiſcopus* à bonis operibus vacantem animum præbuit, quin potius eccleſiam ſancti Johannis, in proſpectu civitatis ſitam, in qua ſancti confeſſores Maurus, Salvinus, Arator requieſcunt, melioratam reſtauravit, & in ea congregationem Sanctimonialium ſub diſpoſitione patris Richardi regulariter viventium inſtituit, & matrem eis, conſilio ejuſdem providit ADELBERGAM, fidelem Chriſti famulam, quæ cognominabatur AVA, cujus memoria eſt æterna. Hæc enim velut apis prudentiſſima, patris ſui formam imitata, cum ob zeli boni devotionem, & fidei magnanimitatem, ſervorum Dei luſtraret cœnobia, ut ad eorum imitationem æmularetur cariſmata meliora, Cluniacum ivit, & viro Dei beato Odiloni advenisse nuntiata, cujus animum ipſa poſſidebat pietas, cum grandi affectu ſuſcepta eſt. Ubi quamquam uſus eccleſiæ eſſet, & pro lege haberetur, ut clauſtra monaſterii non calcaret pes muliebris, ipſa pro ſua religione, & patris Richardi cum ſancto Odilone individua dualitate, non ſolum clauſtrum intravit [a], verum etiam Capituli ſocietatem indepta, & Dominico die ad proceſſionem cum fratribus ſuſcepta eſt, quod uſque hodie in eodem monaſterio permanet memoriale. Egit hoc beati Odilonis erga filium cariſſimum, & confratrem devotiſſimum affectus propenſior, dilectio profuſior, caritas de illo fonte emanans, de quo tantæ nobis perfectionis alveus derivatus eſt; idem videlicet Pater noſter qui nobis à beato eodem donatus eſt, &c. *Refert deinde Conradum Imperatorem Ricardo inter primos Palatii locum conceſſiſſe, atque anno* MXXIII. *Græcos à Johanne Papa petiiſſe, ut epiſcopus Conſtantinopolitanus diceretur etiam Univerſalis, cui obſtitere occidentales, tam Abbates quam epiſcopi. Subjungit deinde multa de Richardi itinere Jeroſolymitano, ex quibus ea, hic referre ſufficiat, quæ ab auctore vitæ omiſſa fuerunt.*

Avæ privilegium.

Iter Jeroſolymitanum.

24. Paratis neceſſariis ſumtibus, diſpoſitis viæ comitibus, commiſſa Deo filiorum cura, benedictione Pontificis, & vicinorum præſulum, Optimatum quoque, & omnium omnino poſtulata & accepta, venerabilis pater Richardus Gratia-Dei egreſſus eſt cum Madelveo novus peregrinus in cordis lætitia. Proſecutus eſt eum totus populus, &c. Expenſas viæ RICHARDUS Comes Normannorum omnes ei attribuit. Erat enim in eleemoſynis largus, caritate diffuſus, honeſtate præclarus. Superſunt adhuc in Britannica inſula & Normannia nobiles & probati viri, qui viderunt hunc patrem noſtrum Gratia-Dei, & noverant quanto ab eodem Comite diligebatur affectu. A quibus nos etiam iſta audivimus, qui & referre ſoliti ſunt, quia ſic ſibi individua dilectione adhærebant, ut putares unam animam duobus ineſſe corporibus. Optabili peregrinatione ſucepta, vir Domini Richardus ſeptingentos peregrinos ſecum duxit, quibus ex propriis ſubſidia victus ſufficienter adminiſtravit. Erant etiam in comitatu ejus quamplures alii, inter quos erant duo ab urbe Bajocenſium, pater & filius, Humbertus & Gaufredus, qui ita comitatui ejus adhæſerunt. Erat idem Humbertus diuturno languore depreſſus, ita ut per annum integrum nec lecto ſurgere, nec in latus aliud abſque ſuffragantis amminiculo, ſe poſſet deflectere. Huic una dierum, in cubiculo quo jacebat, Angelus in columbæ ſpecie apparens: Vade, inquit, para neceſſaria, & perge Jeruſalem, quia Dominus jubet. Cui cum ille reſpondiſſet: Quid faciam, quia nequeo ſurgere? Ille iterato: Para, inquit, neceſſaria & vade, quia Dominus vult.

[a] Idem privilegium habuit Lioba apud Fuldenſes, cujus vita habetur Sæculo III. Benedictino.

Adquievit homo, & mane facto, fratres & propinquos advocans, voluntatem Domini aperuit, ſuam quoque voluntatem in id eſſe ut obediret, patefecit. Illi admirantes, & pro infirmitate quam videbant voluntati ejus contraire conantes, cum avertere hominem à recta intentione molirentur, impoſſibile eſſe pronuntiabant quod dicebatur. Cum ille filium Gaufredum aſſiſtentem videns: Vade, ait, præpara expenſas & quæ ſunt tanto itineri neceſſaria, quia & ego ibo, & tu mecum, Dei cooperante clementia. Adquievit filius, & paratis quo citius potuit tanto itineri neceſſariis, patrem de profectione admonuit. Ille propinquorum & vicinorum ſurgens adminiculo, pontem ante monaſterium ſanctæ Mariæ Magdalenæ, in eadem Bajocenſium civitate ſitum, quod erat vicinum domui ſuæ, à quatuor hinc & inde ſuſtentatus tranſiit, & mox ut equo impoſitus eſt, ſanus factus & incolumis, viæ ſe credidit, & comitante divina gratia, Virdunum veniens, cum audiret & videret profectionem viri Dei tota urbe accelerari, ſuſtinuit, & comitatui ejus adhærens, orationibus ejus ſe cum filio commiſit, quos vir Dei familiariſſimos habuit. ANN. CH. MXLVI. JUN. XIV.

25. Profecti igitur per Illyricum venerunt ad deſerta, quæ cum jam fere pertranſiſſent, die quadam fontem eminus conſpicati clariſſimum & perlucidum, deſcenderunt pater Richardus cum ſociis ut acciperent jentaculum. Turbis quoque circa fontem diſcumbentibus, venerabilis Pater loco competenti, pro tempore reſedit, & accito famulo, ut de fonte ſibi afferret, cujus perlucida claritate delectatus erat, admonuit. Ille vadens, ex aqua fontis vaſe impleto, viro Dei propinavit, ſed ut vas ori admovit, aquam in vinum Dominus mirabili virtute convertit, & ſic qui aquam deſideraverat, vinum accepit. Stupefactus à famulo requirit, ubi vinum acceperit, & evacuato vaſe, iterato eum pro aqua fontis remiſit. Ille admiratus, cunctis cernentibus aquam hauſit de fonte, & viro Dei propinavit. Sed iterum divinitate propitia aqua fontis in vinum converſa eſt. Quod vir Dei agnoſcens, Deo gratias egit, & bibit, cunctis quoque ex eodem vino, in eodem vaſe propinavit. Quid plura? Biberunt omnes, & virtutis Domino benedixerunt, qui facit mirabilia ſolus, cujus regnum eſt æternum, & poteſtas ejus poteſtas æterna quæ non auferetur. Biberunt, inquam, omnes de vino illo, & vinum imminutum non eſt, quia cum omnes bibiſſent, ſolus ille ſcyphus abundanter cunctis adfuit, & poſtmodum patri Richardo non defuit. Et qui vidit teſtimonium perhibuit, prædictus ſcilicet Humbertus, & filius ejus Gaufredus, & ſcimus quia verum eſt teſtimonium eorum, quia ipſi ex eo biberunt, cum ſederent ea hora prope latus hominis Dei, & præterea virtutis hujus tot ſunt teſtes, quot erant viæ comites, quia nullus in comitatu illo inventus eſt, cui non vir Dei ex hoc vino virtutis propinaſſet. Eſt adhuc in Bajocenſi urbe quaſi novum hoc miraculum, & patres qui viderunt, narraverunt ea filiis ſuis, & filii filiorum filiis, ut cognoſcat generatio altera. Nos quoque hoc à Gaufredi filio, Gozelino nomine, viro probo & honeſto, nunc Divionenſis eccleſiæ monacho audivimus, qui jam eo tempore natus & adultus, à Patre & ab avo hoc audivit, & didicit ab illis formam orandi, quam inſtituit ſimpliciores & idiotas è ſæculo ad ſe confugientes pater Richardus in ingreſſu eccleſiarum dicere, in hanc formam: » Adoremus Deum ſanctam Trinitatem; « deprecemur ſanctos ejus qui pro Deo appellantur, ut ipſi deprecentur Deum, « ut det nobis pacem & ſanitatem, peccatoribus veram pœnitentiam, diſ- « cordantibus veram concordiam, vivis pacem, defunctis requiem. Hæc orandi forma in omnibus monaſteriis ſuis laïcis tradebatur.

Aqua in vinum mutata.

Miracu teſtes.

Orandi formula.

26. Erat item viro Dei familiare mane ſurgere, laudes Deo dicere, iter accelerare, atque conſuetum Domino in via penſum reddere; & ſic, hora fractionis panis imminente, Miſſarum ſollemnia agere, quocumque

Digitized by Google

Ann. Ch. MXLVI. Jun. XIV. eſſet, & expletis myſteriis ad frangendum panem diſcumbere, ne gravarentur fratres labore itineris, & continuatione jejunii. Venit ergo Antiochiam, ubi cum eum itineris neceſſitas aliquot diebus remorari coëgiſſet, vir Dei SIMEON, qui nunc Trevirenſem eccleſiam corpore & virtutibus adornat, in amicitiis ei junctus eſt & fratribus qui erant cum eo, adoptans ſibi illum in patrem. In quo beati Simeonis facto, hoc intueri libet, quia idem vir Dei non ejus ſe crederet magiſterio, non committeret patrocinio, niſi divina pietas, quæ eum à ſæculi actibus alienum reddiderat, cordi ejus revelaſſet dignum illum eſſe, qui ſubditis præeſſe & prodeſſe poſſet. Mittebatur autem iſdem beatus Simeon à fratribus monaſterii Montis Sion * pro eleemoſyna, quæ de terra Richardi Comitis Normanniæ, monaſterio eidem debebatur; & quamquam noſſet, Spiritu ſibi revelante, multa ſe adverſa paſſurum, tamen pater Richardus, diſcretionis oculis hinc inde munitus, conſilium dedit, ut cœptis inſiſteret, obedientiam impleret, uſquequo rem probaret eventus. Flentem itaque & triſtem eum à ſe dimiſit, utrimque pedibus, manibus & genibus exoſculatis, quia erat in eis gratia Spiritus-ſancti. Hæc eſt enim ſanctorum delectatio diligere alterutrum, quia & Deus caritas eſt, & qui manet in caritate, in Deo manet. Caritatem autem aquæ multæ non poterunt exſtinguere, nec flumina obruent illam.

Simeoni amicitia jungitur.

* *l. Sinai.*

Celebrans à Sarracenis impetitus non læditur.

27. Probatus igitur Domini ſervus viam carpens, & viæ ducem Chriſtum collaudans, terram Sarracenorum ingreſſus eſt. Et cum appropinquaret civitatibus eorum, prædicabat omnibus Chriſtum Jeſum, in Domino Deo ſuo confiſus, quia non erat in ſpiritu ejus dolus. Jam vero ubi ad urbem veniſſet, ante murum urbis pſallebat Salvatori ſuo, & Miſſarum ſollemnia ibidem celebrabat, paganis deſuper ſaxa jacientibus, ut capiti ejus illiderent, qui ſic urbi appropiaverat, ut tabula altaris hæreret muro. Et cum multa deſuper ſaxa ab eiſdem adſpicientibus, & illudentibus jacerentur, ita à Chriſto protegebatur, ut non altare, non tabula altaris, non poſtremo illud quidquid eſt quod altari imponitur, non ipſe denique qui altari adſtabat intrepidus, à lapidibus tangeretur. Cum tantus eſſet multotiens in circuitu altaris agger lapidum deſuper ruentium, ut Miſſa dicta non niſi via facta inde extrahi poſſet. Monachorum vero & Clericorum comitantium illum nullus ei coëſſe vel & cohabitare poterat; ſed quantum jactus eſt lapidis à longe ſtantes canebant, & canenti reſpondebant, ipſe ſolus intendebat his quæ cœperat, donec Miſſa perexpleta egrederetur, vel potius extraheretur. Erutus autem inde, ante urbis proſpectum tentoria figebat, & comparatis neceſſariis ſumtibus ibidem hoſpitabatur, à Dei laudibus numquam vacans, quia laus ejus ſemper erat indeficiens in ore ipſius. Pagani autem miraculo perterriti, & gratia reverendi vultus ejus invitati, veniebant ad eum, quibus ipſe per interpretem, quæ de Jeſu erant gratanter annuntiabat, & ut ab injuria ſervorum Dei manus cohiberent prædicabat. Fiebatque miro modo, ut quos in adventu ſuo paſſus fuerat infeſtos, ipſi ei verſa vice cum honore ſervirent, & mane facto deducerent abeuntem. Mirificabat enim Dominus ſervum ſuum ſignis & prodigiis in tantum, ut omnibus ſanctitas ejus innoteſceret, & virtus Domini per eum ubique prædicabatur, quia fama ſanctitatis ejus ubique ferebatur.

Barbaros lenit.

28. Conſtantinopolim veniens, cum quanto honore exceptus ab Imperatore ſit, digniſque muneribus & obſequiis honoratus, dicere ſuperſedemus, quia ad alia properamus. Optatæ itaque viæ dimiſſus cum gratia, per multimoda pericula, apprehendit Jeroſolymæ loca deſiderata. Ingrediensque civitatis portam, reſponſorium illud de Dominica in Ramiſpalmarum,

Jeroſolymã ingreditur.

Digitized by Google

marum, Ingrediente Domino in ſanctam civitatem [a], dulciſſima cum ſociis modulatione decantabat, Chriſtum crucifixum, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula adorans, & locum ſepulcri ejus oculis fidei veneranter amplectens. Omnia ergo Nativitatis, Paſſionis, & Reſurrectionis loca fide circuïens, dum non ſatiaretur oculis intuendo, mente paſcebatur. Quia ad viſionem dulciſſimam & diu deſideratam, jamque concupiſcenti animo præparatam, mirabilium Domini gaudio & lætitia ineffabili replebatur. Occurrit autem ei venienti Patriarcha Jeroſolymitanus: audierat enim famam ejus omnium ore celebratam, & conſalutati mutuo, dato pacis oſculo, lætati ſunt in Domino. Videns vero in eo aſpectum angelorum, modeſtum ſermonem, inceſſum mitem, canitiem venerandam, habitudinem ſenectutis omnibus reverendam, gratulabatur in ſpiritu, Sicut, inquiens, audivimus, ita & vidimus. ANN. CH. MXLVI. JUN. XIV.

29. Introductus igitur in ſanctam Sion, Miſſarum ſollemnia celebravit, adſtante Pontifice & clero, & ſic locum ſepulcri Domini cordis affectu reviſens, omnemque locum ſanctum pia devotione perluſtrans, cum ſe deſiderio ſatisfeciſſe crederet, iterum æſtuantem devota ſollicitudine ſatiabat animum. Numquam à Miſſarum celebratione deſiſtens, numquam à verbi Dei erogatione ceſſans, immo ubique quæ Dei ſunt annuntians, nec timore mortis, nec infeſtatione barbarica, à veri & recti exhibitione, & mali prohibitione deſiſtens. O quis ejus affectus in Deum! quanta contriti & humiliati ſpiritus exſultatio! quanta cordis jubilatio! cum videret ſe eſſe præſentialiter, ubi Chriſtus natus eſt, ubi paſſus, ubi ſepultus, ubi ſteterunt noviſſime pedes ejus, quando aſſcendit in cælum. Ubicumque incubuiſſet orationi, madebat terra lacrymis, clamor cordis adſcendebat ad Dominum, corpus atterebatur, ſpiritus elevabatur. Continuabat noctes vigiliis, attenuabat corpus jejuniis, numquam ſine lacrymis, numquam ſine precibus, cum totus exſultaret in Domino, lætitiam mentis vultus ſerenitate proferebat. Miſſam celebrat in ſancta Sion.

30. Dominica die, qua celebratur adventus Domini in Hieruſalem, & exceptio ejus à pueris cum hymnis, palmarumque & frondium ramis, urbem ingreſſus eſt. Hebdomada tota pernoctavit in laudibus Dei, cum tota Eccleſia diſcurreretur à paganis gladio accinctis, ipſe nihil dubitans, nihil hæſitans, quæ Dei ſunt Deo reddebat pervigil in orationibus, in jejuniis continuus; adeo ut gentiles ipſi admirarentur devotionis ejus inſtantiam, & revererentur conſtantiam. Diem Cœnæ ſacratiſſimum in exhibitione Mandati Domini, & pauperum recreatione deduxit, pedes pauperum abluens, veſtes & quæque neceſſaria tribuens, & totum ſe dominicis ſervitiis conformans & applicans. Jam vero quis referat qualiter ſe die Paraſceve mactaverit, cruciaverit, Chriſto cruci confixerit? Totus in lacrymis, totus in cordis compunctione, totus in contemplatione, in ſuimet abnegatione, maxime cùm videret ſepulcrum Jeſu præ oculis, & eſſet ei materia doloris & compaſſionis. In orationibus aſſiduus, pernox in vigiliis, fatiſcentes jejuniis artus ſpiritui ſervire cogebat. Die illa cum nocte ſequenti à loco ſepulcri non receſſit, admirantibus omnibus inſtantiam illius, quod aliis recedentibus ipſe non recedebat. Quid multa? Venit dies ſancti Sabbati quo exſpectabatur ignis [b] à Domino, & gentiles armati Chriſtianis intro concluſis, & beneplacitam voluntatem Domini de igne ſuſcipiendo præſtolantibus, totam obſeraverant eccleſiam, ut ſi ignis non adveniret, omnes gladio perimerentur. Cum ecce hora circiter nona, Devote tranſigit hebdomadam ſanctam.

[a] Hoc Reſponſorium fruſtra in Breviario monaſtico quæſivit Papebrochius, quod in Proceſſionali habetur, dicendum ſcilicet in ipſo ingreſſu eccleſiæ ad proceſſionem die Dominica Palmarum. Canitur & à clericis eadem occaſione, quod vel ex libellis officii hebdomadæ ſanctæ paſſim editis addiſcere licet.

[b] Vide ea de re Hiſtoriam belli ſacri tomo I. Muſei Italici editam num. 102.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXXVI. Jun. XIV.

omnibus orantibus, in una lampade ignis accenſus eſt à Domino, nullius mortalium ſuffragante adminiculo, & gentiles omnes ſtupor apprehendit & pavor, Chriſtianos vero gaudium & exſultatio: ut ab omnibus tota certatim caneretur eccleſia, Magnus Dominus noſter & magna virtus ejus, & ſapientiæ ejus non eſt numerus. Ilico vir beatus ſacris indutus veſtibus, Miſſa inchoata, Kyrie eleiſon ſollemne elata in excelſum voce pronuntiavit. Jam enim lectiones & cantica, ſeu quidquid eſt illud conſuetudinarii officii, uſque ad accenſionem luminis, in exſpectatione novæ lucernæ finierat, & ſic Gloria in excelſis Deo, cum lacrymis & jubilo cordis intonans, gaudium Chriſtianis, metum & admirationem paganis incuſſit. Adſtabant in circuitu altaris undique frementes & frendentes, ſed tanta erat reverentia viri, tanta in virum protectio Chriſti Domini, ut omnes ſanctitatem ejus & religionem admirantes revererentur, & omni eum honore dignum ducerent ipſi etiam qui inimicabantur. Noctem illam pater noſter Gratia-Dei duxit inſomnem, Dominum reſurgentem adorans, & cum Maria Magdalene in horto mentis, ubi virebant per eum plantaria virtutum, hortulanum Jeſum videre deſiderans, ut vocaret eum proprio nomine, & ſe Magiſtrum & Dominum doceret agnoſcere, ut factus teſtis veræ Reſurrectionis ejus, in voce fidei annuntiaret fratribus, Reſurrexit Dominus. Mane facto conſuetudinariis canticis expletis, Miſſam feſtive circa horam tertiam celebravit, & communicatis fidelibus populis, cum gaudio domum rediens, celebritati diei ſatisfecit, & tota die cum Patriarcha familiarius locutus, diem deduxit in jubilo cordis, & voce exſultationis, ſemper locum ſepulcri Domini reviſere geſtiens, recolens & admirans ſudarium capitis Domini, non cum linteaminibus poſitum, ſed ſeparatim involutum in unum locum.

Diſcedens ſacris muneribus ditatur.

31. Diebus feſtis reliquis celebratis in gaudio & tripudio animi, deſtinavit vir mitiſſimus cogitare de reditu. Nec rediit vacuus à munere, quia arca cordis ejus repleta erat bona devotione. Quod autem fuit munus illud? Diſcurrentes pagani per munitiora templi ipſa hebdomada ante Paſcha, lapides in populum ſacra celebrantem jaciebant. Caſu lapis veniens intra ſepulcrum cecidit, quem vir Domini pro magno munere ſibi aſſumſit, & totis illis diebus, quibus celebratur Paſſio, vel Reſurrectio Jeſu, intra ſepulcrum jacentem, vigiliis & orationibus Domino dedicavit. Hunc receſſurus cum magna devotione ſuſtulit, & exoſculato loco ſancto, quaſi totum ſecum ferret, inter ſancta repoſuit, & valedicens Patriarchæ, proſpera ei imprecatus abire decrevit. Ingemuit ille in voce dilecti valedicentis, & proferens reliquias pretioſiſſimas de ligno Domini, itemque marſupium unum auro textum prægrande, reliquiis ſanctorum refertum, obtulit ſeni venerabili cum gratiarum actione, inquiens: Accipe, ô dilecte Domini, munus bonæ voluntatis & devotionis, quod ſit mutui pignus amoris, munus quod numquam conſumatur, ſemper exſtet, hæreat, amico convivat, quod evaneſcentem memoriam excitet; jocundum, quod obviam animo veniat, & numquam labatur à memoria. Præſtet Dominus, iſtis & omnibus ſanctis intercedentibus, ut iterum videamus nos in cæleſtibus, ubi finis laborum, & remuneratio præmiorum æternorum, ubi numquam ab invicem ſeparabimur, gaudentes & guſtantes quam ſit dulce & jocundum habitare fratres in unum. Diviſi ſunt ergo ab invicem flentes, quibus ſi licuiſſet convivere, & commori libuiſſet. Graditur pater Richardus Gratia-Dei aggere publico, oneratus onere nobili & dulciſſimo, ſe & ſibi comitantes committens Deo univerſorum, corde humili & contribulato. Pendebant à collo ejus ſanctorum reliquiæ, ut haberet præ oculis paratum ſpecimen ſanctitatis, ne deeſſet cordi memoria eorum, quorum ſarcina delectabili reliquias geſtabat. Quanta vero in redeundo paſſus ſit, ipſe

Digitized by Google

novit qui pertulit. quæ omnia dijudicat, qui laborum remuneratorem ſe promiſit. Videres virum ſæculis venerandum, dum iret, ſæpius cervice reflexa verſus ſanctam Hieruſalem humiliari, ſuſpirare, gemere, affectum cordis oculis pandere, gaudere quod ſanctum locum ſepulcri vidiſſet, dolere quod non ſemper videret. Hinc ex affectu ſermonem populis dare, beneficia Jeſu oculis monſtrare; omnes ſubito ex devotione ingemiſcere, Deum benedicere, memorari dulcedinis divinæ, & ad bona ſectanda prorſus accendi. Non cadebat Paſſio Domini à memoria, quæ erat ferme tota ejus memoria. Quid enim fuit totus vitæ ejus excurſus, niſi velle pati pro Chriſto, commori ei, & conſepeliri, ut daretur ſibi per Chriſtum in gloria reſurgere cum illo? Ideo tanta paſſus eſt, qui ut pateretur, exſul pro Domino factus eſt: & quidem juſte. Sapienti enim omnis mundus exſilium, & viro juſto omnis mundus domus. Sapiens autem erat, quem ipſa inhabitabat Sapientia; vir juſtus erat, quia corpus peccatis ſubditum neſcit inhabitare Sapientia. Ann. Chr. MXLVI. Jun. XIV.

32. Reverſus tandem ad ſuos palæſtrites, Saracenos ſcilicet, qua via venerat eadem & regrediebatur. Ante muros urbium Miſſarum ſollemnia celebrans, nec aſſuetos imbres inundantium lapidum pavens. Mirabilis prorſus virtus & ſtupenda, grande myſterium, ſpectaculum prædicabile! Stabant ſupra caput hominis Dei hoſtes, dirigebantque in illum lapides adeo prægrandes, ut non tantum caput, ſed totum prorſus ſi occurriſſent conquaſſarent hominem. Manebat ille intrepidus, quia protegebatur à lapide præciſo de monte ſine manibus. Dirigebantur aliorſum lapides, quia lapidi vivo manenti in lapide qui reprobatus eſt, qui angularis miſſus eſt, timebant illidi: cui ſi illiderentur, frangerentur. Obſtupeſcebant gentiles miraculo, nec novitate miraculi terrebantur, cujus admiratione deteriorabantur, quoniam ipſa eis admiratio erat peccati innovatio. Stabant à longe monachi & clerici, quantum jactus eſt lapidis, & peregrini. ipſe ſolus ingrediebatur propitiatorium, qui armum in ſacrificio, & dextrum acceperat ſeparatum: quia non ſolum erat operatio ejus utilis, ſed & ſingularis, qui inter malos non ſolum quæ ſunt recta faciebat, ſed & bene operantes ſubditos, ſicut honore ordinis, ita morum virtute tranſcendebat. Qui cum armo pectuſculum quoque in eſu acceperat, qui non ſolum pectore recta cogitabat, ſed & ſpectatores ſuos ad ſublimis armo operis invitabat. Sed jam quid moramur redeuntem? Reddamus patrem filiis, ut gratulentur in invicem, & pro abſentiæ tædio quod perpeſſi ſunt, ipſi ſibi ſint conſolatio. Non autem prætermittamus Antiochiam, ſancti Simeonis præſentia claram; ibi enim invenit pater amantiſſimum filium, ibi recepit filius patrem cariſſimum, ibi ſocii ſocium, fratres fratrem, comites agnoverunt comitem. Neque enim potuit, multis obſtantibus periculis, perficere quod decreverat, præcipue cum noſſet divina revelatione, in itinere illo plura ſe paſſurum adverſa. Delectatus igitur uterque comparis præſentia, delegerunt ſimul Virdunum redire, ut quod ſupererat temporis, ſimul explerent in exercitio ſpiritualis Philoſophiæ. Venientes autem ad civitatem Bellegradam, quæ eſt in confinio Bulgarorum & Hungarorum, à civitatis infeliciſſimo Principe, prohibitus eſt cum eis tranſire, & ita lugens & dolens, diviſus eſt à Patre & fratribus lugentibus & dolentibus. Domnus Simeon per multa pericula ivit Rotomagum pro implenda obedientia; pater Richardus Gratia-Dei, longo & vario itineris labore redditus eſt finibus Galliæ Belgicæ. Lapidibus impetitus non læditur.

33. Occurrit ilico Patri à longe filiorum examen, lætantium & gaudentium ob adventum ejus deſiderabilem. Ubi vero percrebuit fama celebrior eum advenire, factus eſt concurſus ad eum nobilium & ignobilium, divitum, mediocrium, pauperum, & quaqua verſus veniebat, occurſus gau- Virduni ſuſcipitur.

Ann. Ch. MXXVI. Joh. XIV. dentium & concurrentium non deerat. Cum tanta frequentia, cum tanta Pontificum, & palatinorum procerum, necnon cleri plebiſque lætitia, longa mora protenſo temporis ſpatio Virdunum uſque deducitur. Quo cum nuntiaretur adeſſe, totis obviam portis ruunt, tota obviam civitas progreditur: ſenes cum junioribus, matres cum infantibus, ætas quoque ipſa imbecillior in occurſum tanti viri ſe proripit, domi nullus ſubſiſtit. Clericorum, monachorum, necnon & ſanctimonialium domino ſacer Ordo dicatus obvius egreditur Patri cum crucibus & cereis, & diverſo eccleſiaſticæ dignitatis apparatu, præſtolans venientem, & remorantem vix ferens, quia cupienti animo nihil ſatis feſtinabatur. Ubi vero venit, & venientem fas fuit videre, clamor populi attollitur, fluunt lacrymæ gaudio plenæ. Non erat ſatis cuiquam ſemel vidiſſe, niſi daretur iterum iterumque videre. Deſcendit itaque, & ſuſceptus deductus eſt ad monaſterium cum cantico, in jubilo, omnibus plaudentibus & dicentibus, Benedictus Dominus qui facit mirabilia ſolus. Diem illam gaudiis plenam ſollemnem duxit devotio fratrum; quia & juſta eſt cauſa lætitiæ, amicum lætum videre: & ſi amicum, quid patrem? Agendum eſt bonis ut voluntas bona non lateat, ſed aperiatur ut luceat. Verba ceſſent, ſi quemadmodum debet quis afficitur, conſcientia eminebit in vultu. Nihil autem gratius publica amicitia, nullum ſupplicium gravius publico odio. Intellectum enim rei optimæ & dulciſſimæ amiſit, qui omnium deſignatur oculis: & deſignari ſe indicat, qui caret acie oculorum, qui ſenſum beneficiorum amiſit, cujus aures morbus obſtruxit. Sed pudorem tollit multitudo peccantium, & deſinit eſſe probri loco commune maledictum. At contra, qui ab omnibus diligitur, æquali perpetuaque voluptate perfruitur. Adventus igitur Patris noſtri commune fuit beneficium, quia commune fuit gaudium, quia & cum abſens eſſet, diligebatur ab omnibus. In prima enim parte animi adverſus univerſos poſitus, ſemper occurrebat memoriæ, numquam ita ſepoſitus vel abjectus, ut in ignorantiam verteretur. Quidquid vero frequens cogitatio exercet & renovat, numquam memoriæ ſubducitur, quæ nihil perdit, niſi ad quod non ſæpe reſpexit. Reliquias ergo Jeroſolymitanas, ſeu undecumque quæſitas, quibus onuſtus advenerat, in ſanctuario pater Richardus depoſuit, & ſic lectione præmiſſa, ſuſceptis & deoſculatis fratribus, vicem beneficiis rependit, gaudens cum gaudentibus, & gratias agens quod eorum orationibus munitus, labores viarum ſecurus percucurrerit, libens toleraverit, quod gratiſſimum eſt cuilibet enumerare ubi evaſerit.

Cura erga ſuos. 34. Poſtquam igitur dilectioni ſatis factum eſt, & proſpera utrimque replicata, quia in talibus adverſis referendis, ſi qua ſunt, dies reſervatur craſtina. Ad refocillationem fatigati corporis ventum eſt, quod & abunde, ita tamen ut honeſtati ſufficeret procuratum eſt. Exinde venerabilis Pater, in reddenda beneficiorum vice accingitur, primam eorum penſionem ſolvens, quod grate ad eum pervenerint, effuſis affectibus indicare, & hoc ubique teſtari. Cœpit enim, quaſi nihil actum fuiſſet, beneficiis addere beneficia, rimari ſingulorum neceſſitates, & ope eas levare, ut cuncti agnoſcerent patrem ſibi adveniſſe, & plenitudini gaudii eorum nil deeſſet. O virum omni laudis præconio dignum! qui etiam puerorum lecta per ſe circuibat, ut videret ſi quid eſſet addendum, ſi quid innovandum, ſi quid meliorandum, ut etiam per hoc paternus ejus animus agnoſceretur, & debita pietas cunctis impenderetur. Studebat in omnibus reſecare vitia, mores corrigere, ut poſſet plantaria virtutum inſerere.

35. Nec ſilendum quid de Stephano, quem cœnobio ſancti Laurentii prælatum diximus, actum ſit. Cum enim eſſet idem communis Pater noſter in expeditione Jeroſolymitana, & per annum continuum pæne re-

Digitized by Google

moratus fuiſſet, famaque fuiſſet defunctum eum eſſe, DURANNUS Leodienſis epiſcopus, qui Vvolbodoni ſucceſſerat, Stephanum ad ſe evocatum, ut loco Abbatis præeſſet officio monuit, & admonendo petivit. Cui cum vir ſimplicis ingenii patris ſpiritualis prætenderet obedientiam, abſque cujus permiſſu & voluntate, nulli fas eſſet quidquam præſumere; ille reſpondit patris Richardi ſe in ejus diſceſſu voluntatem agnoviſſe, quod eum loco præficere delegiſſet: cujus quia nunc obitum audiſſet fama vulgante, decreviſſet ut decebat voluntatem implere. Quid multis morer? perſuaſum eſt homini, & ſibi minus cavens ſuſcepit prælationem loci, conſecratus ad officium Abbatis. Non multo poſt vir Dei rediit, & audiens quod factum erat, ſuper fratris errore doluit. Ille quoque ut audivit patrem adeſſe, non eſt auſus occurrere venienti, ſed cogitavit prævenire faciem ejus in confeſſione, & ſumtis comitibus venit ad feſtivitatem ſancti Vitoni. At ubi venit, ſolus abſque comitibus clauſtrum intravit, orationes fecit, in clauſtro ſedit, & quaſi qui numquam ordinatus fuiſſet, prælationem abdicavit. Conſpectui Patris præſentatus ſatisfecit, qualiter ad conſentiendum inductus fuerit, patefecit: ſemper tamen ſe erraſſe, ſe deliquiſſe confeſſus eſt. Aderant & comites, inter quos erat Archidiaconus miſſus ab Epiſcopo, poſcens Patrem piiſſimum, ut errori locum daret veniæ, & quod actum erat, pro ſuo amore ratum ſineret eſſe & ſtabile. At vir mitiſſimus pauca cum conſilio locutus: Petitioni, inquit, domni Epiſcopi adquieſcere honorificum eſt, & fratrem qui publice peccavit, publica ſatisfactione corripere bonum eſt. Hæc locutus, fratrem ultimum in collegio fratrum interim ſedere præcepit, quoad uſque tractaret in Capitulo, de his quæ mandabat Epiſcopus, & conſilio generali quid eſſet agendum diſponeret. Abſceſſit frater à conſpectibus patris, & cum tanta virtute patientiæ jubentis obedivit imperio, talemque ſe exhibuit in obediendo, ut miraretur qui vidiſſet. Vigilia erat feſtivitatis ſancti Vitoni, ad quam certatim undique confluxerant nobiles & ſpectati viri, vulguſque promiſcuum, & in præſentia Epiſcoporum, Abbatum, monachorum, clericorum, nobilium & ignobilium, ultimus omnium ſedit Stephanus, cum bona patientia, & *vultus ejus non ſunt mutati in diverſa*. Quamobrem ad exorandum patrem Richardum pro ipſius reſtitutione, omnes qui aderant unanimes reddidit ejus humilitas. In craſtino coram omnibus culpam profeſſus errati, remiſſionem obtinuit, gratiam reportavit, & de ultimo promotus eſt in ſuperiorem ſtatum, cum gratia Patris ſui, prælatus cuſtodiæ gregis dominici, etiam ad Miſſas ut Abbatem decet honoratus eſt, qui de correptione illa injuriatus non eſt. Verum archidiaconus Leodienſis, quia domini ſui ut voluit in omnibus exſecuta voluntas non eſt, rediens ad illum, non tamen cum abbate Stephano, teſtis fallax factus eſt, qui rem geſtam non ut geſta eſt, nec eo animo quo geſta eſt, retuliſſe comprobatus eſt. Qui prorumpentes in ſe animi appetitus nulla vi animi coërcens vel refrænans, abbatiam Lobienſem beato Patri, pro his quæ ſecus quam mandavit geſſerat, abſtulit, & Abbatem contra jus faſque, quem voluit ſubſtituit. At vero domnus Stephanus, aliquot diebus Virduni commoratus, & de correptione melioratus eſt, & quamdiu vixit Patrem fratreſque intimo amore dilexit, filioſque ſuos in timore Deo ſervire docuit, omnibuſque exemplar religionis & diſciplinæ exſtitit. *Poſtea refert Hugo quæ Simeoni monacho acciderunt, quæ quia in obſervationibus ad ejus vitam ſuperius edidimus, hic omittere viſum eſt, ut quæ de fame ingenti ſequuntur proferamus.*

ANN. CH. MXLVI. JUN. XIV. Stephani humilitas.

36. Anno ab Incarnatione Domini MXXVIII. templum ſepulcri Domini funditus everſum eſt juſſu Principis Babyloniæ, faciente Judæorum nequitia. Secuta eodem anno in orbe terrarum univerſo fames, ita cœpit convaleſcere, ut talem antea quis non viderit. Cœperunt enim inter ſe ele-

Ejus caritas famis tempore.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXLVI. Jun. XIV. menta compugnare, ita ut in tribus annis, præ nimia pluvia, non invenirentur ſulci utiles ſeminibus. Tunc in pleriſque locis fuit modii pretium ſexaginta ſolidorum, alias ſextarius quindecim; tunc etiam humanæ carnes ab hominibus devoratæ ſunt, &c..... Hac ergo tempeſtate civitatum Gallicanarum Præſules conſilium, quo tanta mali moles levaretur, ineuntes, hoc tandem adinvenerunt, ut quia ex deficientibus jam ex toto alimentis, omnibus opitulari nequibant, ne terra habitatore deſtituta in ſolitudinem redigeretur, aliquos quos eſſe vegetiores conſtaret, dato pro poſſe numero quotidiano qualicumque cibo ſuſtentarent; non ut aliis ſolatia quæ poterant ſubtraherentur, ſed ut iſtos ſuſtentatos terræ cultores reſervarent, & aliis miſericordiæ viſcera non negarentur, &c...... Inter has anguſtias venerabilis abbas Richardus mente compunctus, cum omnia quæ habebat pauperibus contuliſſet, non pepercit theſauris eccleſiæ, immo quæ in eis pretioſiora erant in ornamentis & palliis, vendidit Remenſi eccleſiæ, & pretium eorum pauperibus diſtribuit, retento quoque ſibi certo numero eorum, quibus quotidianum victum, ut vivere poſſent impertiebatur, mittens præter hæc litteras & nuntios, & per ſe etiam commonens Reges & Principes, Pontifices quoque, quibus familiaritate jungebatur, ut theſauros quos tinea & ærugo demolitur, per manus pauperum cæleſtibus palatiis inderent, & ventres egenorum gazophylacia æternitatis ſibi conſtituerent. Accepit etiam pecuniam non parvam à Comite * Ruthenenſi, conceſſa loco vadii abbatia ſancti Amantii [a], quæ erat juris eccleſiæ ſancti Petri, quam omnino pauperibus partitus *eſt. Verum* Comes data pecunia, & abbatiam ſibi uſurpavit cum reditibus & fundis, & ut aſſerunt habitatores Ruthenæ urbis, antequam pecunia recepta fuiſſet ex ejuſdem abbatiæ fundis, ipſe morte præventus eſt, & ſic abbatia à ſucceſſoribus ejus retenta eſt, quamquam ab inhabitantibus, non tota ſancti Amantii abbatia, quæ latiſſima eſt & poſſeſſionis enormis, juris eccleſiæ Virdunenſis eſſe dicatur, ſed pars quædam, videlicet abbatia ſancti Marii de Utra....bra, ut moderni teſtantur etiamnunc, &c.

* *Rhodez.*

37. Obiit quoque Richardus II. Normannorum Dux anno Incarnationis Domini MXXVI. & ſucceſſit Richardus III. & eodem anno defunctus eſt. Poſt quem Rotbertus comitatum Normanniæ adeptus, hunc ter beatum Richardum, de quo nobis eſt ſermo, inter primos habuit, conſilioque ejus regni Normanniæ tractabantur negotia. Tunc exſtitit quidam Britto, nomine Ermenoldus, homo mentis perverſæ, deteſtandæ famæ, qui totam vitam ſuam diabolo dicaverat, ut poſt experimentis probatiſſimis compertum eſt. Hic horis & momentis omnibus cum diabolo loquebatur, & quidquid ſibi agendum foret, illius nebuloſo alloquio diſponebatur. Hic per ſuſcepta iniquitatis conſilia, ad plenam iniquitatem enutritus, & vere membrum illius factus, qui eſt fomes malitiæ & diſcordiæ, & omnis nequitiæ, apud præfatum Principem omnes Optimates totius regni accuſavit, quaſi qui ejus meditati eſſent dejectionem & necem; & ita ſtatum totius terræ perturbavit, ut vere diaboli hoc opus eſſe, ejus hoc artificium, ejus commentum agnoſceretur. Inflammatur Princeps adverſus Optimates, fiunt diſſidia, excitantur jurgia, & uno inteſtino bello tota debacchatur Normannia. Hac creſcente diſcordia, comitatum pater Richardus adire compellitur, & adjuncto ſibi domno Ermenfrido, Rotomagum advenit, & pace inter Principes reſtituta, prædictum Ermenoldum aliquantiſper mitiorem, quia ante conſpectum ſervorum Dei caſſabatur omnis diabolica aſtutia, convictum & correptum, ſecum Virdunum deduxit, monaſticis veſtimentis induit, & hominem dia-

Inteſtinum bellum in Normannia extinguit.

[a] Hanc abbatiam ad victum monachorum S. Vitoni monaſterio dediſſe dicitur in Necrologio, Berengarius epiſcopus loci reſtaurator.

Digitized by Google

boli laqueis irretitum, quæ ſunt dæmonis ſpernere docebat. Sed in corpore peccatis ſubdito refugit habitare Sapientia. Simulabat ille ad tempus ſe philoſophum, ut crederent eum qui non noverant, theoſophum, ſed nil fictæ pacis amicum Sapientia novit. Quam ob rem omnis ejus aſtutia & nequitia brevi cognita eſt; nec potuit latere inter ſanctos feralis illa rabies pacis inimica. Egreditur inimicus homo de loco non ſuo, redit ad ſua, utitur arte impudentiſſima, & iterum perverſitate malignitatis ejus corrumpitur Normannia. Projicitur de latebris, quo ſe fortiorem & valentiorem credebat; & quia diaboli calliditate in mortem ducendus eſſet, à beato ei viro prædicitur, nec fruſtratur promiſſis. Poſtquam enim plures Optimatum Normanniæ, conjuratione conficta & impoſita, duello ſuperavit, quos convictos principalis ſeveritas oculis terriſque privaverat, à quodam foreſtario convictus, ſuperatus, & occiſus, finem vitæ fecit & criminum. Quo in facto intueri libet dulcedinem & pietatem viri juſti, qui hominem vere diaboli ergaſterium, ut vidit præcipitante diabolo convictum, ad ſinum miſericordiæ confugere docuit, & factum incorrigibilem, ne diutius graſſaretur in vitiis, ad exemplum omnium perditorum citius perire nuntiavit, ut eſſet ei tanto levior pœna poſt mortem, quanto celerior peccanti accederet vindicta poſt mortem. Ann. Ch. MXLVI. Jun. XIV.

38. Veniamus igitur ad illud lacrymabile bellum apud Bar caſtrum habitum, &c. *De eo bello agit vita auctor num.* 11. *quo omiſſo, ſicut & beati viri ſeceſſu in ſolitudinem, de quo idem auctor num.* 14. *& ſeqq. veniamus ad ea quæ tempore mortalitatis accidere, quæ omnia, ſicut & beati viri morbum extremum, mortem & funus ita accurate deſcripſit Hugo, ut religio fuerit ea omittere, licet jam fuerint ab Auctore vitæ ſatis fuſe memorata.*

39. Henricus poſt mortem Ramberti, primo regni ſui anno, viro Dei Richardo epiſcopium Virdunenſe conceſſit; ſed vir mitiſſimus hoc renuit, & Richardum ſuum in baptiſmate filiolum, Hildradi Comitis filium, inthronizari fecit. *Id anno* MXXXIX. *accidit. Henricus vero de quo hic, eſt Henricus III. Conradi ſucceſſor, qui Niger dictus eſt.* Epiſcopatum Virdunenſem recuſat.

40. Anno MXLI... Treva Dei primum ſtatuta eſt & firmata, & pax ipſa Treva Dei appellata, quæ non ſolum humanis præſidiis, ſed & divinis confirmata eſt terroribus. Quam cum noluiſſet recipere gens Neuſtriæ, viro Dei Richardo prædicante, & ut eam ſuſciperent, quia voluntas Domini erat, & à Deo, non ab homine decretum hoc proceſſerat, admonente, divino judicio cœpit in eos deſævire ignis, qui eos torquebat, & eo anno fere totus orbis penuriam paſſus eſt, pro raritate vini & tritici. Secuta eſt è veſtigio mortalitas hominum præmaxima, anno ab Incarnatione Domini MXLII. Multi autem eorum, qui torquebantur ab igne, venientes ad virum Dei, meritis ejus & precibus curabantur medica virtute Dei. Supereſt adhuc dominus Eduenſis epiſcopus, vir vitæ longævitate grandævus, qui & referre ſolitus eſt, quia cum à ſancto Odilone & ceteris, ipſa pax divinis revelationibus inſtituta, Treva Dei appellata, & ab Auſtraſiis ſuſcepta fuiſſet, & voluntas omnium in hoc eſſet una, ut ubique ſervaretur: negotium hoc ſtrenuitati hujus patris noſtri Gratiæ-Dei ab omnibus impoſitum eſt, ut ejus ſtudio & induſtria, pax eadem in Neuſtria ſervaretur, eo quod certi eſſent de eo, quod tanta eſſet ejus erga omnes, & omnium erga eum gratia, & quidquid ſervandum doceret, ſervaretur à cunctis; quidquid vitandum monſtraret, id cuncti vitarent. Quam ob rem ſategit Pater venerabilis, ut tantum bonum gratanter ab omnibus ſuſciperetur, ſed perverſa quorumdam voluntas, & mens indomita, quaſi inauditum hoc reſpuit, quaſi qui nollent paterna inſtituta violare, & nova atque inaudita ſuſcipere. Unde & ſubſecuta eſt divina ultio, ignis ſcilicet in rebelles & contumaces deſæviens à Domino, quo torquebantur, Treva Dei. Eam reſpuentes divinitus puniuntur.

ANN. CH. MXLVI. JUN. XIV.

qui viro Dei reſiſtere, & mandata ejus contemnere non verebantur. Videres monaſterium eximii patris, ardentium turbis refertum, quos ipſe ſanctorum reliquiis, aqua benedicta reſperſis, & vino lotis, & pulvere qui de petra ſepulcri Domini radebatur, vino ipſo conſperſo, & ad potandum miſeris dato, pace firmata & jurata, priſtinæ ſanitati reddebat. Pro innumeris autem turbis confluentium infirmorum, vas potui illi paratum erat, ut ſi advenirent ægroti, potus ſalutis non deeſſet, ne fallerentur ſi hora incompetenti veniſſent; neve tunc foret neceſſitas recurrendi ad ablutionem reliquiarum, quod poſt expletionem Miſſæ impleri mos erat.

41. Anno igitur ab Incarnatione Domini MXLV. Henricus duxit uxorem, nomine AGNETEM, filiam Vvillelmi Pictavienſis, apud Biſontium, ubi affuerunt Epiſcopi viginti-octo. Cum enim eſſet alias bonus, & omnes ejus ſitirent dominium, carnis tamen incontinentiam frænare non potuit. Pater Richardus tunc temporis monaſterium nolebat relinquere, à quo pro nullis ingruentibus cauſis patiebatur avelli, quia ſciebat & prædixerat filiis imminere reſolutionem ſui corporis. Etenim ſuperioribus annis, quando lues illa, de qua impræſentiarum mentionem fecimus, populum vaſtavit, cum dilaberetur populus, & civitas Virdunenſis fere redigeretur in eremum, commune periculum communi oratione tolli conſultum eſt. Cujus neceſſitatis urgente miſeria, communi voto deliberatum eſt, beati Vitoni implorandum eſſe præſidium, cujus ſe confidebant meritis, vitæ procul dubio capturos remedium. Viſum etiam eſt Richardo epiſcopo, ipſius Confeſſoris corpus ſanctiſſimum exponi debere de feretro, ut proceſſione ſollemni evectum, præſentaretur conſpectibus omnium, ut plebs ipſius fulta patrocinio, dum Sancti videret loculum, ejus propenſius expeteret ſubſidium, quod noverat ſibi non defuturum. Contradicente *itaque* viro reverendiſſimo Patre noſtro, Præſul quod deliberaverat, in *craſtinum* impleri deliberavit; obſiſtente eo & dicente, levandam quidem miſeriam populi, ſed Epiſcopo non ceſſurum in proſperum, qui auſus fuiſſet inquietare Sancti corpus honorificum. Noctem illam Pater inſomnem duxit ante altare, ſanctis orationibus vacans cum lacrymis. In *craſtinum* venit Epiſcopus, clerus omnis & populus, & cum multo timore & reverentia ſancti Pontificis exponit reliquias, ſuper aurum obriſum pretioſas. Quod ubi factum eſt, Pontificem Pater adivit: Impleſti, inquiens, quod voluiſti; ſed noveris te quintum ab hinc annum in ſæculo non viſurum. Mihi quoque qui aſſenſi, ante quintum ſimiliter annum, terminus erit vitæ, te poſt modicum ſubſequente.

Luis tempore S. Vitoni corpus exponitur.

Suam & Epiſcopi mortem prædicit.

42. Dixerat, & dictum rei probavit eventus. Quarto enim necdum exacto anno, viribus corporis cœpit Pater deſtitui, & convocatis fratribus, indicavit imminere diem ſuæ reſolutionis. Mox itaque abbatiæ *ſancti Petri* Catalaunenſis ODILARDUM [a] abbatem inſtituit, Bello-*loco* patrem RICHARDUM delegit, cœnobio ſancti Huberti THEODERICUM, ſancti Urbani STEPHANUM, viros in omni theoria probatiſſimos, in ſervando religionis propoſito clariſſimos. Has enim abbatias ipſe per ſe regebat. Exoneratus ergo ab omnibus, illam ſibi tantum retinere cenſuit, cui paſtor datus fuerat, in qua etiam ſe ſepeliri deſtinaverat. Et jam in mandatis Domini aſſiduus potius quam frequens, die quadam cum vidiſſet unum de fratribus monaſterii, cui nomen Myſſac [b], graviter æſtuare febribus, ut quaſi intercipi videretur ſpiritus ejus, manum illius tenuit, & ut nuntiandæ horæ operis Dei ſignum daret, ſanus factus & incolumis, præcepit. Ille in voce jubentis ſanus factus, obedivit Patris imperio, & ſic omni ægritudinis caruit incommodo. Itaque qui tantis abundabat vir-

[b] Fratrem febre correptum ſanat.

[a] In chronico hujus monaſterii, à Labbeo edito Odilardus ordinatus dicitur anno MXLVII.
[b] Moiſſacenſe apud Caturcos monaſterium interpretatur Papebrochius, ſed videtur nomen eſſe ipſius fratris.

tutibus,

Digitized by Google

tutibus, imminente die vocationis ejus, decubuit febribus, & ultima illa exercebatur ægritudine. Quod ubi per urbem inſonuit, advenit Epiſcopus, monachorum quoque, clericorum & ſanctimonialium cœtus, & viſitatione ſollemni oſtendebant erga Patrem devotionem piæ affectionis. Nec rediit ad domum Epiſcopus, quin immo quotidianis excubiis adhærens ei, non die, non nocte ab illo patiebatur avelli. Advenerunt & vicinarum urbium Epiſcopi, Abbates, & quique Magnates, ad viſitandum eum, & commendandos ſe ei, quibus videbatur, quod in obitu ejus omnino terra commoveretur, & conturbaretur. Excubabat diebus ac noctibus ante domum ejus turba filiorum, & ceterorum fidelium: alii Patri ad meliora feſtinanti valedicere, & ſe commendare volebant; alii ſanitates corporum expetebant, ut ſaltem aquam ablutionis manuum ejus mererentur, qua inuncti refocillarentur. Ubi ergo ſenſit imminere horam vocationis ſuæ, filios quos Chriſto adquiſierat, convenire juſſit, & inunctus ab Epiſcopo, oleo ſancto, Confeſſione data, Viatico cæleſti paſtus, expoſitus eſt lectulo, & jacuit in cinere & cilicio, ita ut altare ſancti Nicolai ejus ſemper appareret conſpectui. Inde fratres allocutus, conſueta ſalutis documenta replicans, Deo ut ſervirent & adhærerent admonuit, ſuique ut memorarentur, piiſſima devotione petivit, omnibus in commune flentibus, & ſuam deſtitutionem ingeminantibus; cum ipſe omnino cohiberet lacrymas, ſolaretur dolorem, & Chriſti Domini promitteret adfuturam protectionem. Poſt hæc reliquias, quas Jeroſolymitanus patriarcha ei dederat, ſibi afferri præcepit; & ſalutatis eis atque deoſculatis cum multa reverentia, eas quas collo ferre conſueverat, expoſuit, & ante ſe reverenter ſiſti præcepit. Hinc commune Sanctorum patrocinium implorans, elata manu, fratribus & omnibus qui aderant benedixit, & ſibi benedici petiit. Sicque data filiis licentia exeundi, ipſe oculis & manibus in cælum porrectis, ei intendebat ad quem feſtinabat. Legebantur ante eum Paſſiones dominicæ, lectiones quoque ex quarto Dialogorum libro; & felix ejus anima illi ſoli adhærebat, cui ſe totum commiſerat. Ubi vero cœpit jam ab inferiori parte corpus emori, Sanctorum reliquias apprehendens in lectulo ſedit, & ad pedes eas ponens, atque uti calor vitalis deficiebat, paullatim eas protrahens, tandem in pectore ſubſtitit, & reliquias ibidem cum reclinaſſet, depoſuit. O admirandam viri devotionem! ô prædicandam ejus in omnibus ſanctitatem! Cum ergo reclinaſſet, manus reliquiis appoſuit, & ſic uſquequò Creatori ſpiritum redderet, erectis ad Deum luminibus manſit. Aderat ibi Epiſcopus & viri religioſi, quos obligaverat amor, & beneficia pii Patris, qui exitum ejus præmuniebant orationibus continuis & pſalmodia, qui vix & raro, licet ad horam ſeparabantur ab ejus præſentia, ne contingeret eos abſentes eſſe, quando à corpore migraret felix anima. Illuceſcente itaque die menſis Junii XIV. quod eſt, XVIII. Calend. Julii, hora jam imminente tertia, præſentibus filiis ſuis, quos loci anguſtia capere poterat, ceteris in majori eccleſia conſiſtentibus & canentibus, ſancta illa anima corporis nexibus abſoluta, ad illud pervenit Æternum, quod eſt unum & inſeparabile trinum. Oculos Patris clauſit Epiſcopus, polinctores funeris Richardus, Odilardus, Stephanus & Vvalerannus abbates fuerunt. Ipſi corpus ſanctiſſimum procuraverunt, veſtibus ſacratis ex more induit Epiſcopus, non quibus ille voluit & præcepit, quia vilia quæque delegerat, ſed quas dictavit amor paternus, & devotio ſanctiſſima & debita. Reliquiæ quas ſuper pectus ſuum ipſe commiſerat, induto eo ſacris veſtibus, ſupra pectus ejus repoſitæ ſunt.

Ann. Ch. MXLVI. Jun. XIV. Extremus morbus.

Sacramenta ſuſcipit.

Moritur.

43. Elatum ergo funus beatiſſimum bajulantium manibus, cum ob impetum populi incurrentis & plangentis obſerata eſſet eccleſia, ante altare ſancti Petri poſitum eſt: ubi Miſſa à Pontifice celebrata, tandem por-

Exſequiæ.

Digitized by Google

ANN. CH. MXLVI. JUN. XIV.

tæ monaſterii apertæ ſunt, & ecce populus innumerabilis utriuſque ſexûs & ordinis irruit, cum lacrymis & ululatu cordis. Plena erat eccleſia lacrymarum, omnes in commune pii Patris deflebant obitum, ac ſi viderent imminere interitum patriæ. O quantus luctus omnium! quanta totæ urbi mæſtitia! quam pia erat de ejus obitu compaſſio! quanta omnium deſtructio! Ea dies tota fuit gemituum, tota planctuum, qua adveſperaſcente, corpus beatiſſimum ad principalem eccleſiam ſanctæ Mariæ à fratribus delatum, debitis vigiliarum, & pſalmodiæ officiis, nocte ipſa ab excubitoribus honoratum eſt. In craſtino Miſſa ſollemniter celebrata à Canonicis, per reliqua urbis monaſteria deportatum eſt, & vigiliis Miſſarumque ſollemniis debita officioſitate percelebratis, tandem ad monaſterium ſuum relatum eſt, & filiis dolentibus, & de morte ejus mærentibus reſtitutum. Venit ergo dies craſtina, & ecce fere circa horam tertiam, congregata eſt tota civitas ad ſepeliendum illum. Miſſam celebravit Epiſcopus, ſermonemque habuit ad populum de mutabilitate vitæ hujus, & qualiter in hanc plorationis convallem devenerimus: quis ſit finis bonorum, quiſve malorum; quæ fuerit Patris vita, mors quam pretioſa. Hinc percelebrato officio, dictis orationibus ſollennibus, ad locum ſepulturæ itum eſt. Et licet ſolis exſequiarum miniſtris, & bajulis funeris, cum his qui officia dabant, permiſſum ſit ingredi, ceteris intra majorem eccleſiam retentis; tanta tamen fuit obſequentium multitudo, ut feneſtras, quibus lumen cryptæ infundebatur, ob captationem aëris auferri neceſſitas impulerit. Vincebat diem luminum multitudo, & fumus incenſi & thimiamatis totam repleverat eccleſiam. Tanta erat omnium erga Patris ſepulturam devotio.

Ejus ſepulcrum.

44. Humato itaque mitiſſimi viri corpore, clauſum eſt ſepulcrum, & ſolito cæmento per juncturas litum. Requieſcit autem in crypta ſubterranea, ante altare ſanctæ Dei genitricis Mariæ, & ſancti Johannis Evangeliſtæ, & ſuper eum majus altare ſancti Petri ſtabilitum eſt. In eadem crypta ſubtus altare præfatum ſanctæ Mariæ, ſanctus requieſcit Madalveus, ab eodem Patre noſtro ibidem tranſpoſitus, & reverenter tumulatus. Peracto vero ſepulturæ officio, ubi ab aliis diſceſſum eſt, ad componendum viri Dei lectum, unanimis ſe filiorum accendit devotio. Quatuor columnæ marmoreæ cooperculo ſepulcri cæmento facto ex eodem marmore connectuntur; his deſuper tabula marmorea prægrandis, ipſo eodem cæmento adjungitur, & ſic deſuper cooperculo maceriæ aliquantum conſtruitur, & ſolido bituminis glutine ſolidatur. Tabulæ vero in altum porrectæ linteum imponitur, & ei pallium ſuperadditum eſt, ut cunctis cernentibus patenter detur intelligi, eum magni eſſe meriti, cujus corpus ſic honoratur in terris. Et merito, quod enim fuit ejus in terris ſtudium, niſi Deum diligere, & ſanctos ejus venerari, & Eccleſiam Dei ornare decore competenti? Nec mirum ſi à filiis propenſius honoratur, quos ſcivit regere, & regere ſecundum noſtram diſciplinam, quæ ex chriſtiana lege deſcendit, & ad Deum ducit. Requievit autem hic Pater noſter anno ab Incarnatione Domini MXLVI. regiminis ſui anno XLII. regnante terris Henrico Conradi filio. Supervixit vero epiſcopus Richardus, uſque ad menſem Novembrium, & obiit VIII. Idus Novembr. ſicut à patre ſuo quæſierat, cum ei oculos clauderet. Si, inquit, Pater ad Deum vadis, & » ei placet obſequium quo ei ſerviſti, obtine ut unum annum non tibi ſuper- » vivam in hoc ſæculo, quia tibi commori quam vivere præopto. Dixerat, & exauditus eſt, &c. Regimen Virdunenſis cœnobii VVALERANNUS ſuſcepit, homo in ſæculo nobiliſſimus, GELDUINI [a] Comitis filius, qui in bello apud Bar-caſtrum, in geniculo vulneratus claudicabat; cujus frater

Ei Walerannus ſuccedit.

[a] Ejus memoria in Necrologio Vitoniano habetur his verbis: *xv. Kal. Junii obiit Gelduinus pater VValeranni abbatis, converſus & monachus, qui plurima nobis dedit.*

fuit Hugo Lingonenſis epiſcopus, poſtea à ſancto Leone IX. in Remenſi Concilio depoſitus, &c.

ANN. CHR. MXLVI. JUN. XIV.

45. Quantæ vero apud illius ævi homines, hic pater noſter Gratia Dei honorificentiæ fuerit, THEODERICUS Baſilienſium epiſcopus, vir multæ auctoritatis & gratiæ, ſuo in facto oſtendit. Qui cum in deducendo novo Epiſcopo, Virdunum miſſus ab Imperatore veniſſet, & eſſet ei devotio ſancti viri ſepulcrum inviſere, cum ante tumbam magna ſe lacrymarum contritione mactaſſet, rememorans defuncti pietatem, ſobrietatem & manſuetudinem, pallio pretioſiſſimo crocei coloris tumbam ipſam adornavit, ut affectu ipſo teſtaretur dilectionem, quam vivo exhibuerat, mortuo ſe quoque non negare, immo propenſiori eum cultu digniſſimum, quem jam ſuo Dominus gremio confoveret. Cœperat jam tunc locus ille multis clarere miraculis, & in febricitantes tanta curationum refundebatur gratia, ut quiſquis adveniſſet hoc laborans incommodo, ubi parum obdormiſſet, ſanitatis potiretur ſuffragio, & rediret omni valetudinis ſopito incendio. Sed quid moramur, nec referimus cujus meriti, angelico quoque declaratus ſit eſſe teſtimonio? Etenim qui vidit teſtimonium perhibuit, & de cujus vita non dubitatur, ejus merito teſtimonio creditur.

Miracula ad ejus ſepulcrum.

46. Beatæ memoriæ pater RODULFUS [a], tertius poſt eum ſucceſſor in regimine eccleſiæ, & ut credimus, hereditariæ ſanctitatis poſſeſſor, nunc felici beatus exceſſu, ubi locum ipſum regendum ſuſcepit, & audiret à referentibus multa de eo relatu digna, videret quoque unanimem erga cultum memorialem ejus omnium devotionem, amplexabatur quidem quod videbat & audiebat generaliter ab omnibus. Æſtuabat vero intra ſe ipſum ſi tantæ ſanctitatis vir ille fuiſſet ut referebatur, & quaſi quærebat ſollicitis & diſpoſitis cogitationum excubiis, cujus meriti apud Deum eſſet. Solebat & ipſe ad ejus ſepulcri locum, quia ſenſerat ibi faciles orationum proventus, creberrime orare, & multoties pernoctare, cum ecce una nocte, poſt celebrationem nocturnalis ſynaxis, cum ibidem ſolitas Deo redderet excubias, hac eum cogitatione ſæpius tenente, & ad ſeſe devolvente, ſomnus paulliſper abluſit. Needum corporales in ſoporem erant perfecte reſoluti, cum intellectuales oculi aperti ſunt, & vidit ſub altare angelum, blanda ſe voce alloquentem & dicentem: « Diu te cogitatio tua moroſa curioſitate detinuit, ut ſcires cujus meriti is, cujus ſepulcro adſiſtis, eſſet; « & ne te diutius fatigandum protrahat, miſſus ſum hæc tibi expedire. Duo « ſunt in hac crypta quieſcentes, & diem Domini, quo duplici ſtola remu- « nerentur, exſpectantes. Hic abbas Richardus, & confeſſor Chriſti præci- « puus Madalveus, cujus vos feſtivitatem ſuo tempore & die devotis, ut di- « gnum eſt, honoratis officiis: utpote quem Deus in numero ſanctorum ſuo- « rum, & ſorte juſtorum adſcivit. Et iſte quidem digne in memoriam verti- « tur hominum, qui ad gaudium tranſiit juſtorum. Hic autem cujus adſto ſe- « pulcro, pari vobis nec minori devotione venerandus in terris, quem pari « ſorte, nec inferiori gloria, Deus decoratum ſublimavit in cælis. Multa « ſanctitatis ejus fama in terris, quam tamen nec ad medium noſtis, quia « vir gratia Dei illuminatus, humilitati ſtuduit & vilitati, nec actus ſuos pro- « dere maluit, ſed occultare. Sed noveris quia magnum patronum, & Deo « cariſſimum præmiſiſtis, & quæ de eo dicuntur vera ſunt, quamquam am- « pliora dici poſſent. Placeat tibi devotio filiorum ejus erga memoriam ejus, « & quæ tibi miſſus à Deo refero, hac ipſa die omnibus in commune edicito, « ut gaudeant de felici ſucceſſu patris, quem habent ſuffragatorem & «

[a] Ejus ſanctitas viſione confirmatur.

[a] Walerannus, qui in Necrologio Vitoniano, *ex comite converſus* dicitur, beato Richardo ſucceſſit, ad annum 1060. quo obiit die VI. Kal. Julias, poſt eum abbatiam tenuit Grimoldus, mortuus anno 1078. die VIII. Idus Junii, cui Rodulfus ſubſtitutus eſt ad annum 1099. quo exceſſit è vita die V. Kal. Aprilis. Hæc ex Necrologio Vitoniano.

An. Chr. MXLVI. Jun. XIV. » devotum interventorem in cælis. Tu itaque his de beato viro agnitis, » viam quam cœpiſti ne deſeras, mortificationi carnis, humilitati, vilitati, » & caſtimoniæ invigila, lucrandis animabus operam da, ut cum hoc & aliis » doneris beatitudine æternæ jocunditatis. Obſtupuerat vir gratiarum in viſione & affatu angelico, & cum videret illum pro his & aliis pietatis ejus beneficiis humanæ fragilitati collatis, Deo laudes dicentem, & ad eaſdem ſe pararet, toto corpore ut dormiebat aſſurrexit, & evigilans grates, quas conatus fuerat mente, jam animo & corpore perſolvit intente. Nec apparuit ſegnis in prædicando quod viderat, & audierat, immo omnibus Dei retexit magnalia, quia & quod gratum eſt vidiſſe vel audiſſe, gratius refertur, & gratiſſimum univerſis creditur. Fratres quoque audita Patris magnificentia, tanti nuntii voce teſtificata, laudes & gratias Deo reddidimus, ſatiſque cautum eſt ab illa die, & deinceps, ut ejus memoria devotione recoleretur digniſſima. Pro his & aliis beneficiis ejus, benedicatur nomen Domini in ſæcula.

Memoria ejus clara.

47. Vivit adhuc & vivet in ſæcula beati viri meritum, & quamdiu volvetur ſæculum, ſemper ejus meritum accipiet incrementum. Teſtatur hoc Normannia, fatetur & Britannia, applaudit tota Gallia, Patris promens magnalia, quæ quanto lætata eſt & jubilavit de converſatione ejus ſanctiſſima, dum eſſet in mundo, tanto nunc dolet in morte ejus, ſublata ſibi tam fœlicia contubernia: cujus vita ſanctitatis erat ſpeculum, pœnitentium ſolatium, mœrentium conſolatio, miſerorum defenſio. Luxit ejus obitum Imperator, & Optimates, defleverunt Reges & Pontifices, *defecit tibia* & organum, cithara & pſalterium, raucum ſonuit tuba & tympanum. Aſcendit ad Deum clamor pauperum, deſiderium egentium ſuam deſtitutionem ingeminantium, & ut magis mireris unius obitum mundus deflevit, in quo totus dum viveret requievit. Et quamquam magis ſentiret eſſe gaudendum, ſi rationem vis doloris admitteret, flebant tamen præcipue monachi, virgines & viduæ, Ordo quoque eccleſiaſticus, ejus peculiari fulti patrocinio, firmati conſilio, recreati alloquio. Optatis meritum ſæculis memorabile, poſteris venerabile, omnibus imitabile. Laudem ejus nulla umquam delebit oblivio, non minuet temporis interpolatio, non auferet ab ore noſtro, etſi gravior excandeſcat in nos, quam nunc eſt tribulatio, quominus te venerandum, te prædicandum, te, Pater, fateamur omnimoda laude colendum. Tuis enim laudibus immorari, eſt à tribulatione relevari: quia laus tua, gaudii eſt & pacis admiranda comprehenſio, mæroris & anxietatis propulſatio.

Willelmi Angliæ regis in eum affectus.

48. Retulit humilitati noſtræ ante quinquennium, cum necdum guſtaſſemus quanti ſit laboris & tædii aliena curare, venerabilis abbas ſanctæ Trinitatis de Monte Rotomagenſi, Hugo nomine, qui nunc uſque ſupereſt, quia cum eſſet in obſequiis præfati Comitis Normanniæ Vuillelmi, jam tunc regis Anglorum, cum tractaretur in aula de honeſtis viris, & memoratu dignis, quorum ipſe Rex habuiſſet notitiam, aut famam audiſſet, inter præcipuos hujus admirabilis memorabatur, ſumma laude ejus efferendo præconia, humilitatem, ſapientiam, diſcretionem, animi & vultus devotam Deo hilaritatem, ſermonis facundiam, morum elegantiam, ſubditorum reverentiam. Mirabatur etiam quod his modernis temporibus, de loco tam celebri nulla ad ſe commigraret perſona, nulla, ut ſolebat, regalem ejus magnificentiam expeteret ſucceſſorum tanti Patris, aut monachorum loci ſedulitas: adeo ut cum pro legatione quadam, idem vir à quo hæc audivimus, quadam vice mitteretur Virdunum, inter alia id ab eodem Rege & honorabili ejus conjuge ei daretur in mandatis, ut cœnobium nominatiſſimum ſancti Vitoni expeteret, ibidem hoſpitaturus, patremque & fratres loci, ſua ex parte devote ſalutaturus, & ſollicite notaturus,

Digitized by Google

ſi idem, qui quondam, honeſtatis & religionis cultus niteret, qui eſſet monaſterii Pater, ſi in eo avitæ paternitatis & dulcedinis ſpecimen eluceret, ſi in filiis gravitatis & reverentiæ antiquum decus emineret, ſi rerum temporalium copia exuberans, ſi ſpiritualium delectationum gratia ab ubertate domus Dei eſſet habitantes debrians; omnia proſpiceret, ſingula vivido rimaretur ingenio, ſibique referret. Verum quid rerum interceſſerit, quid præfatus vir alioſum hoſpitaturus diverterit, & ſperantibus optima Regi & Reginæ inſperata retulerit, noſtrum non eſt edicere, maxime cum illo in tempore quo id geſtum eſt, puerilis nos adhuc ferula his vel ſimilibus vetaret intendere. Illud tantum notaſſe ſufficiat, quod Rex [a] auditis quæ non ſperaverat, viri ſpectabilis & memoria digni egregiam converſationem reducens ad animum, tot ingeminationibus ejus deflevit obitum, tot reciproca viciſſitudine ejus efferebat meritum, replicando miris laudibus illius præconia, & ſubinde repetendo indebita & ingrata paternæ ſedulitati, remiſſorum filiorum remiſſæ vicis obſequia, in hoc ipſum quoque omni congeminante aula; ut daretur cunctis palam intelligi, ſi fama votis annuiſſet, multis eccleſiam donandam muneribus, multa dilectione à regali fore munificentia honorandam.

ANN. CH. MXLVI. JUN. XIV.

49. Vidimus dæmoniacum ad monaſterium beati Vitoni adductum, intra pauciſſimos dies, plenariæ ſanitatis gaudia reportaſſe. Quem cum in primo adventu ſuo vinctum loris, & funibus artatum infra cryptam, ad memoriam ſanctorum ibidem quieſcentium parentes ducere vellent, nullatenus potuerunt: credo dæmone timente præſentiam eorum ſanctorum, quorum meritis eadem eccleſia illuſtratur, & præſentia decoratur. Dæmoniacus liberatur.

[a] Diſſimulat Hugo quæ ſub Grimoldo abbate in monaſterio ſancti Vitoni geſta ſunt. quod eo in ordinem redacto, per Rodulfum ex monaſterio ſancti Agerici in abbatem aſſumtum monaſterium ſplendorem ſuum brevi receperit.

LIBELLUS DE VITA ET MIRACULIS SANCTI VITONI EPISCOPI.

Auctore B. RICHARDO abbate ſancti Vitoni Virdunenſis.

Ex mſ. codice ejuſdem monaſterii.

RICHARDUS ſervorum Chriſti ultimus, abbatis nomine indignus, commiſſis filiis & fratribus dilectiſſimis. Temeritatis nimirum, dilectiſſimi fratres, vereor noxam incurrere, qui licet nullius peritiæ compos, & in doctrina ſapientiæ ſalutaris pæne elinguis, veſtrarum tamen precum inſtantia laceſſitus, immo importunitate nimia coactus, in feſtivitate ſanctiſſimi confeſſoris, Epiſcopi & patroni noſtri, debito cum honore nominandi, VITONI, aliquam ſermonis admonitiunculam vobis ſuggerere præſumſi; qua veſtra fraternitas aliquatenus valeat inſtrui, & in tam præclara ſollemnitate conſolationem ſpiritualis gaudii, divina favente clementia, poſſit promereri. Sed parcite, quæſo, homini indocto; ac veniam concedite in hujuſce operis exercitio hactenus inexperto, quippe qui veſtris juſſionibus humiliter malui obtemperare, quam aſpernanter abnuere, talique pro culpa inobedientiæ periculo ſubjacere. Non enim me fugit, quanti ſit apud Deum periculi, ſervorum Chriſti deſideriis nolle acquieſcere, & ſpiritualium fratrum votis laudabilibus aſſenſum nequaquam præbere. Salvator denique noſter, volens oſtendere quanto pietatis affectu, & caritoſa, ut ita dicam, conglutinatione erga ſuos fideles indiſſociabiliter teneatur, pollicetur eis dicens: *Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit: & qui ſpernit me, ſpernit eum qui me miſit.* Luc. 10. 16. Qui igitur ſervos Chriſti ſpernendo in eis Patrem, & quem miſit Filium obſtinata mente ſpernit; quis non videat quantæ damnationis periculo ſubjacebit, ac vitæ exſors in perpetuum permanebit? Hæc paucis prælibaverim, cariſſimi, ne quis me temerariæ præſumtionis, ſeu ineptæ ſtoliditatis arguendum cenſere velit, qui non mea præſumtione, ſed veſtra impellente caritate, ad id ſtudii me contuli, ut & de tanti patris præconiis, aliquid memo-

PROLOGUS.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXLVI. Jun. XIV.

riæ dignum ſcriberemus, & in laude Creatoris, qui ſemper eſt in ſanctis ſuis laudabilis ac mirabilis, mutus penitus non apparerem. Jam nunc itaque confiſus in Domino, injuncti officii aggrediar ſarcinam, & ne ſub tanti oneris mole ſuccumbam, levabo ad cælum oculos meos, unde veniet auxilium mihi, & nomen Domini invocabo, cujus ſuffultus gratia, veſtris quoque peritis auribus, ſermone licet imperito, exhortationis verba ſubminiſtrare utcumque tentabo. Sed & miracula beati viri quæ per eum Dominus operari dignatus eſt, ſi qua nobis comperta ſunt fideli narratione, huic operi nihilominus inſerere curabo.

Incipit Vita.

Gaudendum igitur nobis eſt hodierna die in Domino, cariſſimi, & ſpirituali jucunditate admodum exſultandum, qui ad natalitia ſanctiſſimi patris VITONI celebranda, undique confluximus, &c.

INCIPIUNT MIRACULA.

Prologus.

DEinceps miraculorum prodigia ſanctiſſimi Patris noſtri meritis patrata, fideli narratione exordiar, & virtutis ejus munificentiam, prout Dominus conceſſerit paucis abſolvam. Non autem alia quam quæ oculis noſtris vidimus, aut veraci narratione fidelium cognovimus inſeri ſcripto credantur; alioquin ſilentio mallem cedere, quam falſitatis fuco veritate dignam narrationem obfuſcare, &c.

Cæcus recipit lumen.

1. Igitur jam nunc incipiamus narrare pauca de pluribus, & ad ea duntaxat quæ noſtris geſta ſunt temporibus ſtilum vertamus; nam geſtorum ejus retroacta miracula, de memoria poſterorum, pro dolor, abolita ſunt, torpore & inertia priorum, atque eorum quæ dicimus aſſertionem ſtilo proſequente, ad poſterorum tranſmittimus ædificationem. Quodam igitur tempore dum ad ſollemnitatem ſancti, quæ fidelibus annuatim celeberrima habetur, non parva populi multitudo confluеret, ut unuſquiſque devotione qua poſſet, tanti Confeſſoris natalitia, officioſiſſime honorabiliterque percelebraret, quidam cæcus, nomine Aynardus, qui per decennium lumen amiſerat oculorum, ductu alterius adductus, inter ceteros, ad eamdem feſtivitatem veſpere advenit; qui eo quod hujus urbis *incola* exſtiterat, *civibus* ignotus eſſe non poterat. Ingreſſus autem eccleſiam, pervenit ante ſancti tumbam, offerens ei votum luminis, ut ipſius intervenientibus meritis, ipſe illuminari mereretur in oculis. Nocte vero ſubſequenti, recedentibus aliis, in eadem eccleſia permanſit inſomnis, poſtulans divinæ ſubvectionis auxilium, per beati viri meritum, cui ſe prece humillima commiſerat totum. Cumque poſt completorium fratres iſſent cubitum: mox mirum in modum, ſtans ante corpus ſanctum, recepiſſe gaviſus eſt lumen oculorum, quo divinitus ſeſe dolebat fruſtratum. Tunc gaudio magno repletus, in laudem Dei prorupit, dicens: Deo gratias, Deo gratias, per interceſſionem piiſſimi ſuffragatoris domini mei Vitoni, viſum, *cujus* privatione per multos annos orbatus fueram, modo recepi. Quid multa? Nobis jam *in lectulis* quieſcentibus, celerius relatum eſt de oſtenſa virtute ſancti, per illuminationem cæci. Audivimus & gaviſi ſumus, & incredibili lætitia in Domino exſultavimus. O Jeſu bone, quis ſermo ſufficit explicare, vel quæ vox, quæ poterit lingua retexere, quanta ſumus extemplo jucunditate gaviſi, quantaque gratulatione perfuſi? nimirum cognita virtute ſancti, tanta fuit in cordibus noſtris immenſitas exſultationis & gaudii, & quaſi quadam viſione Dei, ita ſumus ineffabiliter exhilarati, ut nullo ſtilo queat propalari, nullius linguæ eloquium valeat effari. Tua ſunt hæc, Chriſte, miracula, tua hæc virtus, tua immenſa pietas, qui ſanctos tuos ita glorificas, dum & illis præſtas in cælis gloriam & honorem, & nobis in terris, per eorum ſanctiſſimam interceſſionem non deſinis propitius conferre munerum ſalutarium largitatem. Verum ut propoſitum proſequar, in craſtinum vicini circum circa commanentes exciti fama miraculi, non ſolum ex urbe, verum etiam ex vicis contiguis, & ſuburbanis, multi ad monaſterium ſumma cum feſtinatione pervolarunt, qui venientes, & ut ſibi nunciatum fuerat, verum eſſe cognoſcentes, ingenti gaudio repleti, grates Deo immenſas perſolvunt, & ſancti ſui confeſſoris Vitoni merita uſquequaque prædicare cœperunt. Deinde cum hora tertia diei, ad celebranda Miſſarum ſollemnia clerus & populus pariter eſſent congregati, & quem prius noverant cæcum, mirarentur illuminatum, attoniti novitate miraculi, divinam magnificentiam collaudantes, in beneplacito ſancti ſui Deum glorificaverunt. Quidam autem dubitaverunt, quod ipſe ut cognovi, quoſdam eorum de turba ſeorſum aſſumens, in clauſtrum intrare feci, eoſque ut hujus facti indaginem aliquantiſper exſpectarent rogavi. dixi, & illum qui illuminatus fuerat, venire feci, ſtantique mihi à dextris, ſi quem videret, ſi quem eorum recognoſceret palam edicere præcepi, qui protinus intuens intuentes, illis reticentibus, & hujus rei apodicem curioſius explorantibus, vultus eorum & perſonas, quos ante cæcitatem ſui cognoverat, in hoc ſe recognoſcere evidenter indicavit, quod propriis vocabulis, unumquemque eorum ſingulariter deſignavit; taliſque medicamenti experimento derſa eſt ab oculis eorum omnis ſuper hac re dubitatio: qui certi facti de perpetrato miraculo, gaudentes ingreſſi eccleſiam, continuo

Digitized by Google

Ann. Ch. MXLVI. Jun. XIV.

dant Domino gloriam, & honoris reverentiam beato Vitono, per quem Dominus mirabilia magna oſtendit in populo.

Claudus ſanatur.

2. Aliud quoque geſtum eſt miraculum per beati viri meritum, quod nullatenus eſt ſilentio prætermittendum. Quidam pauper de finibus Bavariæ egreſſus, nomine Fraudebertus, ad Montem ſancti Michaëlis iter arripuit, gratia orationis: verum quia debilis pedibus à puero exſtiterat, nec rectis pedibus incedere poterat, vehiculo unius evehebatur aſelli. qui cum in itinere eſſet, & civitati Virdunenſi, per quam erat tranſiturus, appropinquaret, caſu mortuus eſt ejus aſellus in via; quo mortuo, miſer ille nimio affectus mærore, eo quod tam neceſſario deſtitutus erat ſolamine, innixus gemino ſubeunte bacello, labore quo potuit ad urbem pervenit; ubi cum aliquantis diebus moraretur, & apud Epiſcopum civitatis victu ſuſtentaretur, admonitus eſt in ſomnis, ut monaſterium ſanctorum Petri & Pauli, ubi ſanctus confeſſor Domini Vitonus requieſcere dignoſcitur corpore, feſtinus adire deberet, adepturus ibidem optatæ ſanitatis remedium, per ipſius Confeſſoris præclarum meritum. Poſtera die profectus, ut ſibi injunctum fuerat, ad monaſterium, ſe ſuſcipi poſtulat in xenodochium pauperum. Susceptus autem cœpit ibidem commorari, habens ſpem incolumitatem recuperandi, aſſerens ſe nolle quoquam progredi, priuſquam divinæ miſerationis opem in hoc loco mereretur adipiſci. Itaque aliquantum temporis apud nos exegit, atque repromiſſæ ſalutis amore & deſiderio adſtrictus, quotidie perſtabat in eccleſia devotus, pronuſque jacens in pavimento, profuſis lacrymis ſupplicat Deo, ut interventu ſancti confeſſoris ſui Vitoni propitiatus, ſuæ miſeriæ ſubvenire dignaretur quantocius. Quid amplius loquar? miſericors & miſerator Dominus, qui per prophetam David dicit: *Propter miſeriam inopum & gemitum pauperum, nunc exſurgam.* Et alibi: *Deſiderium pauperum exaudivit Dominus.* Et per alium nihilominus Prophetam pollicetur, dicens: *In tempore accepto exaudivi te, & in die ſalutis auxiliatus ſum tui*; hujus miſelli preces non deſpexit, ſed ad gemitum ejus & deſiderium ſereno vultu reſpiciens, in eo beneficia ſuæ miſerationis potenter oſtendit. Superveniente namque die Dominica ante Palmas, in qua illa memorabilis Dominicæ Paſſionis celebritas incipit à fidelibus recoli, & reverenter celebrari, hora diei tertia, cum jam poſt proceſſionem ex more peractam, aditum ſacri templi pſallentes ingrederentur, repente miſer ille flexo poplite reſidens ſuper humum, in medio eccleſiæ acri cœpit vexari dolore, qui dum inter anguſtias irruentis ſubito doloris anhelo ſpiritu cruciaretur, ſolo proſternitur, & in membris ad incurvitatem diuturnam redactis vi quadam extenditur, ſtridenſque dentibus dat voces ad cælum, & ad dominum patronum ſuum beatum Vitonum clamat: Domine, inquiens, miſerere, Domine Jeſu miſerere, ſancte Vitone pie patrone ſuccurre mihi miſero. Cum has voces gemebundus emitteret, & planctu lacrymabili preces ingeminaret, mira dicturus ſum, qui eo tenus tempore debilis exſtiterat & claudus, repente in oculis omnium erigitur incolumis & ſanus. Tunc projectis ligneis inſtrumentis, quibus deambulando ſolitus erat inniti, exſiliens & laudans Deum, ad altare ſanctæ crucis quod præ oculis habebat, citius properat, & in oſculum ejus ruens, illudque utraque manu complectens, atque ſuper eum diutiſſime conquieſcens, gratias rependit omnium Salvatori, & beatiſſimo Vitono ſuo confeſſori, cujus meritis ſe indubitanter cognoſcit redditum ſanitati. Nobis vero ad hoc tam grande prodigium in unum concurrentibus, & ingenti ſtupore admirantibus, atque videntes mirabilia magna fieri per merita patris noſtri amantiſſimi Vitoni, præ nimia exſultatione lacrymantibus, in voce exſultationis & in jubilo cordis, Te Deum laudamus modulatis vocibus actutum concinimus, magnificantes Dominum in unum, & benedicentes nomen ſanctum ejus in idipſum: gloria laudis divinæ omnium reſultat in ore, & in tota eccleſia divina reboant præconia; & ut magis mireris, nullus monachus, nullus clericus, nec aliquis ſuperveniens laicus, neque ſexus ullus viſa majeſtate miraculi, valuit temperare à laude Dei; omnis ætas, univerſus ordo, omniſque conditio, juvenes cum pueris, ſenes cum junioribus laudabant nomen Domini, qui virtute tanti miraculi merita declarabat beati Vitoni. Nec mora fama hujus rei aures pulſat iſtius civitatis epiſcopi, atque hæc opinio ad notitiam mox pervolat totius vulgi; ad quoſcumque autem pervenire potuit, cognito quod Deus omnipotens, per tam inſigne miraculum, ſancti ſui propalabat meritum, gaviſi ſunt valde, & gratias agentes Deum glorificarunt, & majoris venerationis inſtantia amodo ſanctum expetere cœperunt. Lignea vero ſuſtentacula, quæ vulgo cruciculas vocant, ſine quorum adminiculo, nec paſſum quidem pedis claudus ille ambulare poterat, in teſtimonium tanti miraculi, ſuſpenſa ſunt multo tempore in pariete ſacri templi. Interea idem ipſe poſt perceptam incolumitatis ſuæ gratiam, paucis apud nos diebus peractis, non immemor ſuæ ſponſionis, recto tramite incedens, non jam alicujus animalis vehiculo egens, ad Montem rurſus ſancti Michaëlis archangeli proficiſcitur. quo expleto, compos ſui voti effectus, celerius, duce Chriſto, ad noſtrum repedavit monaſterium, gratulabundus referens, pro collatis ſibi beneficiis, immenſas gratias omnium Salvatori & beato Vitono ſuo proviſori; ſicque inibi fuſis lacry-

Pſal. 11. 6.
Pſal. 10. 17.
Iſai. 49.

Ann. Ch. MXLVI. Jun. XIV.

mabiliter precibus, quibus ſe attentius illius ſanctis interceſſionibus commendabat: & accepta benedictione, ſoſpes & alacer, omnique vigens ſanitate, remeavit in regionem ſuam, annuntians ſuis in patria, quanta ſibi Deus fecerat in iſta eccleſia.

Leproſus mundatur.

3. Aliud præterea narro miraculum, quod beati viri meritis nihilo minus conſtat eſſe geſtum. Puer quidam parvulus, toto corpore fuerat lepra horribili reſperſus, ita ut nullum veſtigium ſanitatis in cute ſua morbus hujus relinqueret invalitudinis; huc veniens quotidie in baſilicam ſancti Vitoni, dum à fratribus cum aliis egenis alimoniam ſumeret panis, ab ipſo ſedulo expetebat remedium ſanitatis. Quadam igitur die, hora qua Miſſæ fiebat celebratio in eccleſia, ille miſer ulceribus plenus, & anxietate nimia conſtrictus, dum in pavimento proſtratus jaceret, & voces lacrymabiles emitteret, auxiliumque ſanctiſſimi Vitoni ſibi obnixius adeſſe imploraret, mirum dictu, diſcedente ſubito ægritudinis acerbitate, ſuavitas ſoſpitatis paullatim cœpit ſuccreſcere; ſicque, miſeratione divina adjutus, & interventione ſanctiſſimi Confeſſoris ſuffultus, à lepra ſua protinus eſt emundatus, qui vita comite uſque in diem hodiernam ſanus permanens & incolumis, fidem procul dubio facit verbis noſtris. Hoc ſane curationis miraculum, quia noſtris eſt temporibus geſtum, huic opuſculo non incongruum putavimus inſerendum. Ceterum, ut patrum relatu didicimus, hæc eadem ex antiquo virtus curationis in Patre noſtro, Deo amantiſſimo, ſemper refulſit, & à nonnullis ſæpe numero hic eſt experta leproſis, qui fide & devotione pleni ad ſepulcrum ejus, quondam venientes ægri, piis illius ſuffragantibus meritis, ab hac peſte ſæviſſima meruere ſanari.

Pluvia ejus meritis impetratur.

4. Tempore æſtivo, menſe Julio, facta eſt ſiccitas magna in regno iſto, tantaque ariditas terras occupaverat omnes, ut niſi velocius iis ſuper hac neceſſitate repropitiaretur Dominus, nulla ſpes colligendi fruges ultra remaneret in hominibus: unde univerſus populus valde mæſtus, & nimia neceſſitate incumbente compulſus, triduani celebratione jejunii, auxilium devotiſſime celebrare ſtuduit miſerentis Dei; conſiliique fuit, ut in illis tribus diebus Chriſtianorum turbæ cruces ſalutiferas cum Litaniis & ſupplicationibus ſacris ſequerentur, & corpora ſanctorum cum pignoribus eorum ſecum geſtarent, quo illorum interventionibus ſaluberrimis, miſerator Dominus celerius aridis uberem pluviam infunderet terris, & ipſi à præſentis periculi clementer liberarentur anguſtiis. Cumque hæc per triduum agerent, & loca ſanctorum perplurima ſumma cum laude luſtraſſent, divino demum inſtinctu acti, præſidium certatim expetunt ſancti Vitoni, venienteſque feſtinantius per iter ad monaſterium, importunis vocibus rogant unanimiter, ſibi à nobis concedi corpus ejus ſanctum, illa die per loca ſancta ab ipſis deferendum; certiſſime ſcientes, hoc remedio ſalutari ſuis calamitatibus velocius poſſe ſubventum iri? quid multa? impetratur à nobis, quod inſtantiſſimis petebatur votis. Cum igitur ſanctiſſimum corpus illius, à ſacerdotibus & levitis reverentiſſime evectum, extra portam monaſterii foret delatum; ecce occurrit illi promiſcui ſexus innumera multitudo virorum, mulierum, ſenum, juvenum, infantum, & vulgus copioſum, qui intentis ſpebus per iter opperiebantur eum pro foribus, & in plateis late patentibus. Intuentes autem à longe eum, in quo ſanctus efferebatur, loculum, ceciderunt proni in facies ſuas, & completa oratione ſurgentes, ibi in eum catervatim irruentes oblatis muneribus honorificaverunt, & exoſculantes ſanctum feretrum, illum tamquam filii deſideratiſſimum patrem, & amantiſſimum Paſtorem exſultantibus animis ſuſceperunt, illico ſumma cum devotione & honore, ad loca deſtinata ſtuduerunt geſtare, & inter eundum levantes voces in cælum, his verbis clamabant ad Dominum: Gloria tibi Domine, qui per præſentiam Patris noſtri, hodie nos dignatus es viſitare, & propitiatus iniquitatibus noſtris, viſitationis tuæ benedictionem oſtendiſti in nobis. Vere pius Dominus, vere miſericors, hodie reſpiciet miſeras terras, & clementer conſolabitur miſerias noſtras, nunc jam certi facti ſumus, quod hodie noſtri miſerebitur Dominus; intercedente namque clementiſſimo Patre noſtro, veniet nobis hodie ſalus à Domino Deo. Iis exhortatoriis affatibus ſeſe mutuo cohortantes, atque in hac fidei ſecuritate perdurantes, per loca ſancta, ut præfati ſumus, eum detulere lætantes, & expletis Litaniis, & ſuarum precum votis, ubi ad idem monaſterium unde egreſſi tantum onus ſuſceperant, in revertendo appropinquare viderentur, ſuſpiciunt interim diuturnam ſerenitatem cæli denſis nubibus paullatim obduci; quo viſo jamjam lætiores effecti, & de ſua ſpe vehementer ſecuri, cum ingenti gaudio ſanctum Vitonum proprio reſtituunt loco, cujus meritis intervenientibus, propitiatus miſericors & miſerator Dominus reſpexit in orationem humilium, & non ſprevit precem eorum. Nam hac eadem die adveſperaſcente, imbrem temporaneum & ſerotinum contulit terræ; poſtera die, ac deinceps tanta facta eſt ſuper terram abundantia pluviarum, ut quæ erant arida verterentur in ſtagnum, & ſitiens in fontes aquarum, & ad omnem ſufficientiam gramina virideſcendo pullularent herbarum, ac ſegetes meſſium, & nemora arborum opportunum producerent fructum; ſicque Conditor noſter per beatum Vitonum conſolari dignatus eſt in hac tribulatione populum ſuum.

Digitized by Google

5. Aliud quoque contigit miraculum, in rei qualitate quidem diverſum, ſed virtutis actione ſimillimum. Eodem namque tempore, ſed non eodem anno, facta eſt in iſta terra aquarum nimia inundatio; ita ut pluviarum denſitate per dies & noctes continuata, vinearum palmites, horti, prata, campi frugiferi viderentur necari, & fruges eorum ferme ad nihilum redigi. qua tempeſtatis procella plebs Virdunica conſternata, conſuetum petit refugium, ac confeſtim ad portum appulit tutiſſimum. Poſtulat ſibi concedi ad deferendum per loca contigua beatum Vitonum, quia procul dubio ſperat ſibi in eo remedium ſuper hac clade non defuturum. Cumque ei ad votum petitionis hujus optio ceſſiſſet, & ſanctus Domini rurſus à devotis filiis, & ab omni populo cum magna reverentia uſque ad Cerniacum * villam deferretur, mox ventis quieſcentibus, & paſſim fugatis condenſis nubium, mirum in modum diu obtenebratum ſerenatur cælum, & magna facta tranquillitate, fit gaudium in tota illa concione, quia per beati viri meritum gaudebant ſibi in præſentiarum divinæ miſerationis adfuiſſe ſubſidium. Orationibus itaque completis, & quæ ad id officii pertinere videbantur peractis, revertentes cum maximo tripudio ad monaſterium, ſanctum Domini recollocavere in proprium locum. Benedicentes vero Dominum, optatæ conſolationis adepti beneficia per ſancti viri merita, gaudentes quique rediere in ſua. ANN. CH. MXLVI. JUN. XIV. Alia vice ſerenitas.

* v. Charny.

6. Anus quædam maritata, nomine Bava, ex familia ſancti extiterat oriunda. Hæc gravi detenta incommodo, utroque claudicans pede, debilis permanebat multo tempore. cui cum à viro ſuo, nomine Adelardo, ſuaderetur, ut ad ſancti viri ſepulcrum pergeret, ipſiuſque apud Deum interventionem pro ſuæ ſalutis remedio ſuppliciter ibi expoſceret, conſilio acquieſcens mariti, rogat ſemet illuc evehi, quo per ſe quidem nequibat proficiſci. Quæ cum fuiſſet adducta ad monaſterium, pannum ſatis accuratum pro voto obtulit beato Vitono, & non longe poſt, miſerante Domino, & interveniente ſancto, liberata eſt à ſuæ debilitatis incommodo, quæ uſque hodie manens in corpore, ſuæ incolumitatis manifeſtatione verbis noſtris fidem videtur adſtruere. Clauda ſanatur.

VITA SANCTI POPPONIS
ABBATIS STABULENSIS.

ANN. CH. MXLVIII. JAN. XXV.

Auctore EVERHELMO abbate Altimontenſi coæquali.

Ex Januario Bollandiano.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

In quibus etiam agitur de beata ADELVVIVA ejuſdem ſancti Popponis matre.

1. *VITAM ſancti Popponis mutato ſtilo edidit Surius ad diem* XXV. *Januarii, & ex eo, nonnullis licet aut detractis aut adjectis, ceteri auctores de eodem ſancto viro ſcripſerunt. Verum hanc Bollandus duorum codicum mſſ. ope ad primigenium ſtatum revocavit, quam ex ejus Januarii tomo 2. deſcriptam hic exhibemus. Ejus vero auctorem Everhelmum abbatem Altimontenſem eſſe omnes conſentiunt, idque patet ex vitæ ipſius contextu. Quin & ipſe Onulfi qui præfationis auctor fuit, facta mentione, ſe vitæ auctorem eſſe manifeſte declarat. Nec aliud ex præfatione colligi poteſt, quam hujus vitæ conſcribendæ provinciam ex Everhelmi mandato, Onulfo commiſſam fuiſſe, immo & illam ab eo fuiſſe inceptam; at vel eam Onulfus non perfecit, erat enim animo non ſatis ſibi conſtans ex num. ultimo; aut ſi eam ad finem uſque perduxit, ab Everhelmo emendata, aucta & in meliorem formam redacta fuit. Quantam vero mereatur fidem Everhelmus, ex hoc colligi poteſt, quod viſa à ſe ut plurimum & audita narraverit; ſanctoque viro, cujus nepos fuit, in extremis agenti adfuerit, ac exeuntem eccleſiæ ſacramentis munierit.* Vitæ ſcriptor.

2. *Popponis ſanctitatem, præter hujus vitæ auctorem, alii etiam æquales prædicant. Ex his Sigebertus Gemblacenſis inter alios viros religione & ſanctitate illuſtres quos anno* MXLVIII. *obiiſſe commemorat in Chronico, Odiloni abbati Cluniacenſi & Popponi Stabulenſi primas dat* Alii laudatores.

eumdem vero ad annum MXXVII. *inter præcipuos abbates recenſuerat, quorum opera religio* eccleſiaſtica *in Lotharingia refloruerat. Richardum & Popponem laudat continuator Fulcuini de geſtis Abbatum Lobienſium, quod* eodem religionis fervore *eccleſiam illuſtrarint. Trithemius vero in Chronico Hirſaugienſi ad annum* MXX. *paucis his verbis Popponis elogium abſolvit:* Sanctus etiam Poppo abbas monaſterii Stabulenſis noſtri Ordinis, doctrina & converſatione his temporibus clarus habetur in diœceſi Leodienſi, & per totam Galliam, patratione quoque multorum miraculorum inſignis, qui monaſticam diſciplinam ſuo tempore pæne collapſam magnifice reſtauravit. Ejus feſtum agitur VIII. Cal. Februarii. *Libro tertio de viris illuſtribus Ordinis ſancti Benedicti eadem fere repetit. Ejuſdem ſancti viri & aliorum Antiſtitum interventu, beatus Meinvvercus Epiſcopus Paderbornenſis prædium Siburghuſen à beato Henrico Imperatore obtinuit. Ejus quippe morum ſanctitas maximam ei auctoritatem apud Principes ipſoſque Imperatores conciliarat, qua præcipue utebatur in iis, quæ ad rem monaſticam promovendam conferebant. Hinc tot monaſteria ab ipſo reformata recenſentur, tot abbates doctrina & pietate illuſtres in variis locis ab eo conſtituti, quos antea in diſciplina regulari erudierat. Id enim potiſſimum curabat vir ſanctus, cum ſibi aliquod monaſterium committebatur, ut ſi ibi eſſet aliquis, qui ceteris praeeſſe dignus eſſet, explorata prius ejus vita, alicui monaſterio præficeretur. Ejus rei exemplum ſuppeditat nobis Chronicon Trudonienſe Spicilegii Acheriani tomo 7. ubi Chronici auctor narrans libro* I. *qua ratione ſanctus Poppo monaſterium ſancti Trudonis, exſulante abbate Adhelardo, rexerit, hæc de Gontramno monacho habet, quem beatus Poppo ad majora provehendum prævidebat.* Interea cum pro ordinanda re utrique homini noſtro neceſſaria primus Poppo Stabulenſis abbas, utpote qui exſulantis Abbatis vices agebat, ad cœnobium noſtrum deſcendiſſet, Capitulum fratrum, ut audivimus, ingreſſus eſt, & de culpis cœpit agere paſtoraliter. cumque ad iſtum GONTRAMNUM deveniſſet, elegantiſſimæ formæ juvenis qualitate perſpecta, cœpit de eo ſagaci mente pium aliquid humileque præſagire, atque in lucem velle producere, ſi, ut ſibi de eo videbatur, ita experiri poſſet in re. Oblatam igitur ſibi ordinis negligentiam cœpit in eum ex induſtria vehementius aggravare, & piæ caritatis ſtimulis pectus humilitatis terebrare. Tandem quaſi in contumeliam, præceptum dat ei per obedientiam, ut ad agendam ibi negligentiæ ſuæ pœnitentiam, pedes eum ſequeretur uſque ad Stabulenſem eccleſiam.... Vicino igitur jubentis pede obedientiæ iter Stabulaüs alacriter pedeſque aggreſſus eſt, nec pudore inſueti peditis motus (erat claris natalibus ortus) nec difficultate itineris exterritus. ubi cum laſſus quaſſuſque tenerum corpus delicatus juvenis perveniſſet, ex præcepto Abbatis, cui Portarius eum jam adeſſe nuntiaverat, ad portam atrii ad quam ſuſcipiuntur hoſpites, ſcilicet extra conventum fratrum, nocte ea manere juſſus eſt. Agebat pius Pater ex induſtria, qualiter ejus comprobata exaltaretur humilitas. *Hæc erat beati Popponis cura erga eos, quos ad animarum regimen promoveri poſſe ſperabat. Ceterum Gontrannus poſt Adalardi Abbatis obitum in ejus locum ſuffectus, anno* MLV. *vivendi finem habuit, cujus egregia facta videſis in laudato ejuſdem monaſterii Chronico.*

Cultus. 3. *Porro hic cum Bollando mirari ſubit, Popponem, tot virtutibus illuſtrem, ante ſæculum noſtrum nullo publico cultu donatum fuiſſe. qua de re jam antea Molanus & Miræus de noſtrorum Stabulenſium incuria conqueſti fuerant. Unde cum ejus nomen à Cardinali Baronio in Martyrologium Romanum invectum fuiſſet, primum ei publica veneratio haberi cœpit, ac tandem anno* MDCXXIV. *ſacrum ejus corpus auctoritate Ferdinandi Bavari Electoris Colonienſis, qui etiam tunc temporis Leodienſi eccleſiæ & monaſterio Stabulenſi præerat, è terra levatum eſt. Hujus elevationis hiſtoriam à ſe compoſitam publici juris fecit Chriſtophorus Barbus Stabulenſis aſceta, addito alio libello, quem de beati Popponis virtutibus metrice edidit. Ex his vero patet Trithemium, cum ſcripſit Popponis feſtum* VIII. *Calendas Februarii celebratum fuiſſe, nihil aliud his verbis voluiſſe, quam ejus obitus diem indicare.*

Ubi monachus factus. 4. *De variis monaſteriis quæ adminiſtravit beatus Poppo, nihil hic occurrit dicendum: pauca ſolummodo de ejus Profeſſionis loco inveſtiganda ſunt: qua de re nullus eſſet ambigendi locus, niſi Tepezius, & alii nonnulli qui eum ſecuti fuerunt, nomen monaſterii ſancti Theoderici incaute in abbatem Theodoricum tranſmutaſſent. Tepezius nempe Chronicorum ordinis noſtri Centuria* V. *ſcribit beatum Popponem Virduni in monaſterio ſancti Vitoni ſub abbate Theodorico emiſiſſe profeſſionem, quod Bucelinus in monaſterio Stabulenſi factum fuiſſe dicit ſub abbate etiam Theodorico. At quantum id à vero alienum ſit, ex ſolo vitæ contextu facile convincitur. Etenim Poppo, referente Everhelmo vitæ auctore, adhuc juvenis ad monaſterium ſancti Theoderici cum Theoderico quodam viro illuſtri divertit. ubi cum idem Theodericus in gravem morbum incidiſſet, beati Theoderici precibus ſanitatem recuperavit. Poſt aliquot vero annos Poppo ad ſanctum Theodericum rediit, ibique benigne ab Abbate ſuſceptus,* ſub monachali tunica laïcum mutatus, tam nomine quam officio monachus, *Eilberto in diſciplina regulari erudiendus traditur. Ibi degebat Poppo, cum illuc forte advenit Richardus, qui ejus pia converſatione captus, eum ab abbate petiit & impetravit, atque ſecum Virdunum perduxit. Ex his nemo non videt, Popponem in monaſterio Virdunenſi monachum non induiſſe, ſed in alio ſub ſancti Theoderici no-*

Digitized by Google

mine conſtructo: proindeque falſum fuiſſe Tepezium, qui loci illius nomen in abbatem transfudit. Adde nullum Theodericum tunc temporis monaſterio cuipiam Virdunenſi præfuiſſe. Hæc autem argumenta non minus Bucelini, quam Tepezii opinationi adverſantur. licet enim eo ſæculo inter abbates Stabulenſes unus nomine Theodericus occurrat, hunc Popponis ſucceſſorem, non præceſſorem fuiſſe ex ejus vita conſtat, proindeque illum ad converſionem accedentem ſuſcipere non potuiſſe. ANN. CHI MXLVIII. JAN. XXV.

5. *Monaſterium autem ſancti Theoderici, in quo Poppo veſtem monaſticam induit, ſitum eſt tertio ab urbe Remorum milliario, hodieque celebre, cujus cœnobitæ non immerito Popponem inter ſui monaſterii illuſtres alumnos recenſent; ejuſque feſtum ſub ritu duplici celebrant. Eumdem ſanctum inter viros pietate celebres, qui Remenſem provinciam ſæculo* XI. *illuſtrarunt, memorat Guillelmus Marlot tomo 2. Metropolis Remenſis. Vigebat vero tunc temporis in monaſterio ſancti Theoderici regularis diſciplinæ accurata praxis, & celebre erat in tota Belgica ſancti Theoderici nomen, cujus corpus in Flandriam, populis id efflagitantibus delatum, luem inguinariam, quæ ibi maxime ſæviebat, exſtinxit.*

6. *Popponi beatam* ADELVVIVAM, *ſuam ipſius matrem, adjungimus, quod nobis incertum ſit quo die, quove anno migravit è vita, qua in re alios auctores imitamur, qui utriuſque memoriam ſimul conjunxerunt. Et quidem vix quidquam de illa dicendum occurrit, præter ea quæ in beati Popponis vita de eadem leguntur. Ejus nomen cum* beatæ *titulo in Martyrologio Benedictino inſcriptum eſt. quod item fecit Hugo Menardus in obſervationibus ad diem 25. Januarii. Eamdem* beatam *appellat Bucelinus in Menologio,* ſanctam *Sauſſayus in Martyrologio Gallicano.* Adelviva ejus mater.

PRÆFATIO ONULPHI MONACHI.

1. APOSTOLICIS, atque etiam monaſticis ſanctionibus omnibus jam ſæculis fama & celebritate ſui promulgatis, conſtat, quod nemo ſuorum præcepta Majorum, vel tacito murmurantis animi nutu neglectui habere debeat; ſed mox ad jubentis imperium pronæ mentis intuitu parere: & licet cum detrimento ſui pudoris ſit, eum tamen ad injuncta ſibi, obedientiæ bonum debere. Talis ergo ſanctionis occaſione & ego ONULPHUS conventus, immo eorum quæ monaſticæ profeſſionis ſunt, nomine non merito, contentus, qui vobis, mi venerabilis pater EVERHELME, jubenti parere ex obedientiæ debito habueram, multo magis vobis petenti ex caritatis debito annuere debueram. Juſſionem certe, qua plurimum in me poteſtis, & cui ego, ut veſtræ ſervuus ſanctitatis, obtemperare debui, excluſiſtis, atque tantillitati meæ petitionem pro imperio admiſiſtis, & ut beati viri POPPONIS geſta, noſtris diebus juſtitia & fide late divulgati, ſcriberem, humiliter coëgiſtis. Et quomodo veſtram humilitatem qua in me, ut prædictum eſt, pro juſſione uſus fuiſtis, laudabo, inſcitiamque meam pro negotio tam humiliter injuncto mihi à vobis excuſabo? in utramlibet quippe partem primis agendi conatibus deficio; quia neque vos pro humilitatis cauſa laudare ſufficio, neque me quomodo pro fragilitate mea injuncto in opere excuſare poſſim invenio. Servato tamen propenſius æquitatis tenore, ſic ratio utrimque medie temperata procedat, ut nec vobis quidquam à me, quod abſit, negetur, nec ruinam ſui in tam arduo ac difficili opere fragilitatis meæ patiatur; hocque fiat labore de quo dicitur; Labor improbus omnia vincit; & voluntate bona, qua Deo nihil umquam ditius fieri contigit. Per has etenim geminas res, laborem videlicet & voluntatem bonam, omnia volenti & currenti fiunt facilia, quæcumque ex immanitate ſui videntur difficilia. Sed quia, ut ſcriptum eſt, Neque volentis aut currentis, ſed Dei eſt miſerentis; voluntati aut curſui meo Dei miſeratio ex veſtris precibus admiſceatur, ut qui dat verbum evangelizantibus virtute multa, det nobis etiam verbum in virtute ſua, ad beati patris Popponis virtutes enarrandas. Proinde hæc lecturis ſummopere dicendum, ne hunc cum apocryphorum libris libellum æſtiment relinquendum, ſed vere, licet novum, canonicis authenticiſque libris interſerendum: cum pæne nihil

Rom. 9. 16. *Pſ. 67. 12.*

Digitized by Google

Ann. Ch. MXLVIII. Jan. XXV.

in eo ſit, niſi quod experientia fidelium, Deo in tanto viro operante, viſu didicerit, atque exinde eorum, qui viderant, fidem nobis præſtiterint.

INCIPIT VITA.

S. Popponis patria & parentes. [a]

2. Beatus Poppo in diebus noſtris, Deo & ſæculis in omni virtute commendatiſſimus, atque ut alter Nathanaël vere Iſraëlita, & ſine dolo probatiſſimus, Liſtrogaugii[a] partibus, à Chriſtianis & ingenuis parentibus exſtitit oriundus hanc temporalem in lucem, ex infuſione ſancti Spiritus in ipſis crepundiis jam factus jucundus. Natus eſt vero Tizekino patre, atque Adelvviif illuſtriſſima matre; ſeptimo conceptionis ſuæ menſe, præter ſolita naſcentium tempora, potitus hac luce. Unde etiam pro vita ejuſdem pueri, parentes ipſius diffidentiæ caſibus deſtituuntur, ac tam intempeſtivæ & fragili infantiæ timentes ſollicitantur, præſertim cum ab ipſis ut primogenitus tenere diligeretur, & recuperandi ejus ſimilem, ſi illum amiſiſſent, vix aliqua ſpes haberetur. Venit proinde ex conſilio, ut credo, Altiſſimi in mentem cujuſdam matronæ, ejuſdem videlicet pueri aviæ, ut in lana ſuaviſſima, ſagaci tamdiu foveretur induſtria, quoadusque teneræ infantiæ prima valuiſſet ponere veſtigia. Factumque eſt, ut idem puſio intempeſtivi ortus periculum evaderet, parentibuſque ſuis gaudium & exultatio fieret.

Patre infans orbatur. [b]

3. Contigit interea patrem ejus, viribus & audacia nulli commilitonum ſuorum ſecundum, in bello[b] Haſbanienſi occubuiſſe, eumdemque ſeptimana nativitatis ſuæ quinta pupillum, cum vidua matre, ſolatio ſui deſtituiſſe. Et quamquam maturius quam oportuit paterno privaretur ſolatio; divina tamen non eſt fraudatus clementia, ut vere, ſi valuiſſet & noſſet, cantico illo humiliter gloriari haberet, quo dicitur: *Pater meus dereliquit me, Dominus autem aſſumſit me.* (*Pſ. 26. 10.*) Genitrici vero in teſtimonium veræ caſtitatis, perſeverantia, ut evangelicæ illi Annæ, laudabilis placuit viduitatis: quæ qualiter laudabilibus ex geſtis odorem virtutum ſibi adſciverit; in ſequentibus lector animadvertere poterit, ubi nos ſuo in loco pauca, quæ de ipſa facta ſunt, differre noverit.

Militiæ operam dat.

4. Ad vitam autem beati viri, quem res nunc obtulit, reſpectum habeamus, & quæ de ipſo ſunt, ordine proſequente videamus. Hic namque ex temporum ſucceſſibus, adoleſcentiæ paullatim creſcens proceſſibus, inaniter ſtuduit curis ſæcularibus armari, tum in eis cum ceteris commilitonibus ſuis, appetitu vanæ gloriæ verſari. In quibus dum ad tempus, ut ſeſe res militaris tunc habuit, plurimum ingenio & audacia valeret, poſtremo tamen periculum & præcipitium pluribus exinde detrimento fore videret; eum quem in ingreſſu mundi poſuerat, retrahere pedem voluit; ſed militaris negotii occaſione prohibente, non omnino quod conatus eſt, valuit. Fecit tamen pro voti ſui ſatisfactione quod potuit, atque à rapinis importunis opportune reſipuit, tandemque à deſiderio acquiſitionis non juſtæ, illo divinitus in ſe exhauſto, abſtinuit. Qui proceſſu temporis ſemper in dies ſe melior fiens, conſenſuque virtutis ac piæ induſtriæ proficiens, licet adhuc intonſus, ſub laïcali habitu atque militari tironem ſe oſtenderet, & ſub Theoderico, tunc temporis viro illuſtriſſimo, militiæ arma prætenderet; ſub cingulo tamen militiæ armaturam ſacerdotalis religionis induebat, monachaliſque devotionis inſignia opere exhibebat, ut per omnia futuram ſpeciem Paſtoris ſuis præſignare in geſtis

Sed monachi opera exercet.

[a] Liſtrogagium, regio eſt Flandriæ, quæ Liſa amne alluitur; hic in Morinis prope Teruannam ortus, Gandavi in Scaldim influit.

[b] Haſbania regio in Brabantia inter Lovanium & Leodium Belgii urbes inſignes. Bellum, quod hic memoratur, exarſit inter Arnulfum Comitem Flandriæ, & filios Ragineri Longicolli Hannoniæ Comitis circa annum CMLXVIII. ut obſervat Bollandus.

Digitized by Google

crederetur, Sacerdoſque in templo Domini jam futurus præpararetur. Eccleſiarum vero Dei limina ſollicitis precum ſuarum frequentabat acceſſibus, & quæque divinarum Scripturarum pabula in ſecretis ſuæ mentis ruminabat receſſibus, illud nimirum præcavens, ne ſemen verbi Dei in agro cordis vitiorum ſpinis ſuffocaretur, ſed fructu centuplicato in patientia augmentaretur. ANN. CH. MXLVIII. JAN. XXV.

5. Contigit etiam eum tirocinii ſui diebus, ex inſpiratione divina excitatum, Dominici ſepulcri loca cum pii teſtimonii viris Rotberto & Lauſo ire viſitatum, qui pari conſenſu ſibi in idipſum reſpondebant; iterque quod Jeroſolymam reſpicit, Deo ducente conficiebant. Illis namque diebus, quia humana cum confuſione ſceleris ſui promiſcua nihil penſi aut moderationis habebant, atque homines peccatis exigentibus offendiculum iræ Dei ſibi præ oculis ponebant, ſumma paganorum violentia & infeſtatio viam eamdem claudebant, ne quis Dominicum adiret ſepulcrum, vi qua poterant arcebant: & ſecundum illud Eſaianum, *diſſipatæ ſunt viæ, ceſſavit tranſiens per ſemitam.* Hic tamen cum præſcriptis ſanctæ recordationis viris eamdem viam aggredi, &, non præter ſpem martyrii, labores & pericula vitæ ſuæ auſus eſt ingredi. Sed quantis tam ipſe, quam qui ſecum itineris ſocii erant, periculis pæne uſque ad internecionem ſubjacuerint, qualiterque multimodæ plagæ, naufragia, paganorum etiam contumeliæ modum in ipſis exceſſerint, explicare quis poterit? Sed patientia, quæ Job in multis periclitatum ſuſtinuit, his conſtantiæ robur fideique murum inexpugnabilem circumpoſuit; ut etiam non condignas crederent paſſiones hujus temporis ad ſuperventuram gloriam in ipſis revelandam. Deo tamen ducente, eademque patientia indiſſociabiliter à dextris & à ſiniſtris comitante, loca itineris, quæ Dominicum ſepulcrum reſpiciebant, cum gaudio non modico, ut prædictum eſt, conficiebant. Ubi voti ſui poſt deſideria inexplebilia compotes effecti, optioniſque ſuæ ſatietate preces vel ſuſpiria fundendo contenti, paſchalis, immo cæleſtis jubaris lumine, ad idem Dominicum ſepulcrum quotannis deſcendente, jucundantur, atque amore ſeu ſtupore in ipſo infatigabiliter excitantur, atque eis ſecundum illud ſapientis: Non Jeroſolymis fuiſſe, ſed Jeroſolymis bene vixiſſe laudabile fuit.

Iter Jeroſolymitanum ſuſcipit.

Iſai. 33. 8.

Multa patitur in via.

Rom. 8.

Hier. ep. 13. *ad Paulin.*

6. Interea beatus Poppo quibuſdam de ſepulcro Domini ſumtis reliquiis, iter quo venerat, cum ſæpe memoratis repedabat viris, & ad locum Hagioſpater dictum, quem nos ad ſanctos Patres dicere poſſumus, pervenit, ubi perſecutionis tempore ſancti à perſequentium ſe facie declinaverant, & in cavernis petrarum & ſpeluncis montium ſeceſſerant, occultoque Dei judicio agente, iiſdem corporum ſuorum geſtibus, eademque in carne qua tunc temporis fuerant, immobiles uſque in præſens cernuntur à prætereuntibus. Qui beato viro ſuique itineris comitibus tam ſpectaculo quam reverentia ſatis habiti, orationibuſque ipſorum, ut ſibi miſererentur, humiliter ſunt admoniti. Ex quorum reliquiis cum fide non modica prædictus vir Dei Poppo portionem aliquantulam ſibi tulit, eamque interim ſecum & cum viris ſupra memoratis Rotberto Lauſoque domum retulit, atque in oratorio ſanctæ Mariæ, in villa [a] Dunſa ſito, perpetuo ſervandam condonavit. Prædictus autem Rotbertus, in cœnobio Vvaſloi, ſeu [b] Beloacus vocitato, monaſticæ converſationis habitum ſumſit ſub venerando abbate RICHARDO, omnibus pæne ſæculis juſtitia & probitate ſui jam celebrato. Sed & Lauſus vere ſub laïcali habitu monachum ſe prætendebat, ſubque eodem propoſito ævum ſui ſine tonſura clericali, ſed non

a Dunſa, vulgo *Deynze*, opidum Flandriæ Marchionatus titulo inſignitum.

b Beloacus ſeu Bellus-locus in Argona, abbatia in ſancti Mauricii honorem ædificata, hodieque celebris ſub congregatione ſancti Vitoni, de qua plura habes ad Vitam S. Rodingi in Appendice Sæculi IV.

ANN. CH. MXLVIII. JAN. XXV.

præter vitam clericalem, conficiebat; atque Gandavi in eccleſia [a] ſancti Johannis, quam ipſe conſtruxerat, locum ſibi funereæ quietis delegerat. Et ut interim ſuper his, quorum vitam ſola Dei ſcientia melius colligit, taceamus, ad beati viri Popponis vitam, quam ſcribere cœpimus, ſtilo proſequente redeamus.

Ipſe Apoſtolorum limina inviſit.

7. Poſt prolixæ peregrinationis laborem, non multum temporis interceſſerat, cum ecce ei divina gratia, ut ſecundo peregrinaretur, atque ut limina Apoſtolorum Petri & Pauli, tam animi quam corporis inviſeret præſentia, inſpiravit. Qua inſpiratione multo animæquior factus, effectumque deſiderii ſui, quod dilatione creverat, tandem nactus, cum Theoderico nobiliſſimo, ſub quo eum militaſſe præſcripſimus, viam eſt aggreſſus, atque ad limina Apoſtolorum Petri & Pauli diu multumque deſiderata pervectus: ubi & voti ſui ſatietatem, quæ faſtidium non noverat, adeptus, & iis ad quæ venerat rite peractis, rediit.

Comiti ſanitatem cælitus impetrat.

8. Contigit interea, ut occaſio divertendi tunc fortaſſe ſe habebat, ad ſanctum Theodericum applicuiſſe; eumque quem prælibavimus, Theodericum virum nobiliſſimum, ſub quo militiæ ſe dederat, languore in dies creſcente penitus defeciſſe, ſibique de vita jam periclitanti phreneſim, prout temporis acceſſus habuit, acceſſiſſe. Quem beatus vir Poppo per aliquot dies ibidem penes ejuſdem loci Fratres detinuit, atque ipſum non ſanæ mentis incommodo liberari obtinuit, hocque orationibus ſuis, ſanctique meritis THEODERICI concurrentibus meruit. Memoratus vero Theodericus pro indulta ſibi ſanæ mentis, qua diu caruerat, *ſoſpitate*, in magnas gratiarum laudes ſubita prorupit hilaritate, filiumque vicino temporis articulo, Deo donante ſibi naſciturum, Deo ſanctoque Theoderico ſe è veſtigio devovit daturum. Quod & contigit ex rei eventu poſtmodum ita fieri. Nam filium, quem divina annuente providentia acceperat, ſancto Theoderico ſibique æquivocum fecerat, eumque, ut vovit donatione ſollemniter facta reddiderat. Poſtquam vero beatus Poppo, ut in ſequentibus luce clarius conſtabit, abbas in cœnobio Stabulenſi venerando abbati BERTRAMMO ſucceſſit, amore ejuſdem Theoderici ductus, poſt eum miſit, & penes ſe in omni doctrina & ſcientia nutrivit, donec in virum perfectum & Eccleſiæ Dei idoneum per omnia efficeret, poſtremo vero etiam ſucceſſorem ſibi in regimine fieri Treveris ad ſanctum Maximinum expeteret. Sed quia rationis occaſio ſe ad præſens ingeſſit, hoc tantum de venerando abbate THEODERICO in regimine beato viro Popponi ſuccedente [b], breviter interceſſit; latius ſuo in loco de reliquo percurrendum, vel qualiter ab eo educatus, vel ſucceſſor factus, alias laxius agendum.

Quare Comes filium ſuum ſancto Theoderico vovet.

9. Nunc vero operæ pretium hic inſerere geſta cenſuimus, vicinum in beato viro locum habentia ab his quæ propoſuimus, ſcilicet mundi hujus principem qualiter cum copiis ſuis eluſerit, & ad monaſticæ profeſſionis propoſita adſpiraverit. Illis itaque diebus [c] BALDUINO Marchiſo ſummum in faſcibus Comitatum agente, Flandriarumque populis juſtis cum legibus imperante, beatus Poppo tam apud eumdem Principem, quam Optimatum ſuorum primos plurimum amicitia dictante valuit, utpote qui religione, juſtitia, & fide magnifice claruit. Contigit etiam inter alios FRUMOLDUM quemdam ejuſdem Principis lateri loco pæne proximo

Optimatibus fit carus.

[a] Erecto epiſcopatu à Paulo IV. Gandavi ſub Archiepiſcopo Mechlinienſi, eccleſia ſancti Johannis in Cathedralem evecta eſt.

[b] Ex hoc loco & ex num. 27. emendandus catalogus abbatum ſancti Maximini à Sammarthanis vulgatus, in quo Hierichonti Theodericus, Theoderico Berengoſus, & Berengoſo Poppo ſuccedit, cum ex hoc loco conſtet ſanctum Popponem Theoderico præmittendum eſſe. qui Theodericus, ut ex iſto loco patet, primum in monaſterio ſancti Theoderici monachus fuerat.

[c] Balduinus Bellobarbus nuncupatus, Comes ſeu Marchio Flandriæ, qui anno MXXXVI. obiit.

Digitized by Google

ANN. CH. MXLVIII. JAN. XXV.

Frumoldus filiam ſuam ei deſpōdet.

adhæſiſſe, primiſque regni negotiis apprime conſulto incubuiſſe, qui in loco Sithiu nominato habitatione ſui morabatur, cujus amicitia præ ceteris amplius ſingulariuſque beatus Poppo tenebatur. Tantus etenim iis omnium rerum par alterutrum erat conſenſus, ut idem Frumoldus filiam ſuam, quæ ſibi præ ceteris, quas habebat, præſtantior videbatur, eidem viro Dei ſtabilius adjungere connubio moliretur, quibuſdam etiam ſui juris rebus ad id operis præſcribere ſatagens, eumque quaſi generum ſibi futurum in ſua adſciſci expetens. Cujus votis vir Dei aſſenſum ad tempus præbuit: ſed poſtea infuſione ſancti Spiritus revocatus, ut id fieret ſecum renuit. Denique pertæſus repente nuptiarum, utpote jam tactus cor intus divina inſpiratione, per aliquot dies diſſimulavit connubium ſub incerta reſponſione. Sed ne ex toto ab incœpto reſipiſceret, timebat id amico fideli fieri offendiculum, eo maxime, quod de conjunctione filiæ uterque jam per arrham firmaverat conſilium. Unde imminente nuptiarum tempore utrobique hæſitans pendebat animus in dubio, ad quam partem ſe verteret, ſalvo utrorumque conſilio. Tandem ſtatuit, ut in Sithiu ad Frumoldum, ſecundum quod divina providentia diſponebat, iter dirigeret, quatenus, ut delegatum erat, familiaris gener fieret. Sed ut id quiete ageret abſque rumore, reſpuens quaſi non inglorius uti copiis vel apparatu plurimo, viam illò aggreſſus eſt intempeſtæ noctis ſilentio. Nec mora: in eundo per noctis medium lux cælitus emiſſa, reſplenduit ſuper eum equo inſidentem, quæ foris pariter & intus totum illuminavit hominem. Qua de re inopinata tremefactus, circumfert obtutus non ſine admiratione, & videt lanceam, quam manu gerebat, in modum faculæ nimio fulgore radiantem, quaſi inflammata ardere cuſpide. Intelligens ergo vir altioris ingenii, reſpicere ſe hoc genus prodigii, acclamat vitæ ſuæ comitibus nequaquam ultra jam ſe progredi. Neceſſe eſt, inquit, commilitones mei, alia intentione, aliaque via incedere: opportunum video, finem vitiis cum cupiditatibus his imponere, & quo divinitati placet, toto conatu intendere.

A nuptiis cæleſti lumine prohibetur.

Sæculum relinquit.

10. Poſt hæc projectis armis militaribus, induitur Dei armatura, & mutata mente ad meliora, meliori via rediit ad propria. Nec mora interceſſit; ſed ſtatim è veſtigio ad ſanctum Theodericum [a], de quo ante ſcripſimus, ut ſe Monachum profiteretur convolavit. Cui EILBERTUM [b] quemdam, ſagacis ingenii virum, obviam mox veniſſe contigit, qui domini GERARDI [c] Cameracenſium epiſcopi carne & ſpiritu germanus exſtitit, quique quondam eidem beato viro Popponi, ibidem una cum prædicto ſeniore ſuo Theoderico divertenti notus factus, proque ſanctitate ipſius & vita laudabili ſummopere eſt adamatus. Nam & ipſe pridem à ſæculi actibus nudus evaſit, ibidemque ſub monachali tunica ſe laïcum mutavit, tamque officio quam nomine Monachus jam diu eſſe didicit. Hic venerabili viro Popponi & ipſe nihilominus venerabilis obvius, ut diximus, venit, atque pſalterium, quod ſibi plurimum uſitatum erat, jam in ſeptuageſimum nonum Pſalmum percurrerat, manuſque ſancti Spiritus gratia cor tactus in ipſum mittit, ac verſum in prædicto Pſalmo antepænultimum, ſic ſe habentem adjecit: *Fiat manus tua ſuper virum dexteræ tuæ, & ſuper filium hominis, quem confirmaſti tibi.* Sed quia non facile ei, ex diuturna

Pſal. 79. 18.

a Hic locus errandi Yepezio anſam præbuit, putanti, his verbis *ſancti Theoderici*, quæ monaſterium exprimunt, abbatem deſignari.

b Alii Gilbertum vocant. De eo Baldericus chronici Camerac. lib. 2. cap. 3. ubi Elbertus Cameraci fratrem ſuum Gerardum epiſcopum viſitans, in eccleſia ſanctæ Mariæ gravi infirmitate liberatus dicitur. Adalberonis Remorum archiepiſcopi, qui monachos apud ſanctum Theodericum reſtituerat, cognatus fuit, ac fortaſſe cum fratre ſuo Gerardo ipſi educandus traditus.

c Is Gerardus in eccleſia Remenſi ab Adalberone archiepiſcopo educatus fuerat: Erluino Cameracenſi epiſcopo ſucceſſit anno 1014. quo Remis ab Arnulfo Metropolitano inauguratus eſt; de ejus virtutibus & præclare geſtis multa habet Baldricus chronici Cameracenſis lib. 3. & Marlot Metropolis Tom. 2.

Digitized by Google

Ann. Chr. MXLVIII. Jan. XXV.

ab invicem abſentia, ut eum agnoſceret ſuppetebat, quem tamen olim mente & corpore plane cognoſcebat; primum ab eo quis eſſet, vel ad quid veniſſet didicit, ac deinde reliquum Pſalmi ſubintulit: *Et non diſcedimus*, inquiens, *à te; vivificabis nos*: & cetera in ordine ſeſe habentia.

11. Tunc laudabilibus ipſius congaudens votis, totiſque in ipſum animi intendens medullis; Vere, inquit, Frater, te Deus ad quod veniſti miſit, qui te totum hoc pietatis ſuæ oraculo inviſit. Et ſuper prædicti verſus expoſitione ipſum ſatis edocens, animæquioremque exinde pro voto monaſtico, quod quærebat efficiens, cauſas voti ipſius Abbati ceteriſque Fratribus intimavit, & quod vere eum Deus ad hoc miſiſſet, indiciis evidentibus peroravit. Quid igitur? petenti ei Abbas una cum Fratribus ingreſſum annuit, & per ſingula, ut monaſtica docet norma, probatum ſine macula invenit. Deinde, ut parvulum Jesus, innocentia plenum & manſuetudine in medium ſtatuit, monaſticique vigoris habitum impoſuit. Vere enim eum parvulum quodammodo dixerim, quem ſine dolo ex geſtorum ipſius atteſtatione ſenſerim: qui licet ætate & ſapientia in dies fuerit provectus, malitia tamen, ut ait Apoſtolus, parvulus fuit. Et ut eum vere prioribus ante legem & ſub lege comparem Patribus, de terra & de cognatione ſua cum Abraham, Deo inſpirante & jubente tranſivit; & cum Elia & Johanne à mundi illecebris ſolitarius eſſe quæſivit, quem ſecundum Pſalmiſtam, Deus in abſcondito faciei ſuæ à perturbatione hominum abſcondit, & ad hoc totum Spiritu-ſancto inſpiravit, ut omnibus ſui juris relictis, mundo evaderet nudus, pro his in terra ſanctorum duplicia poſſeſſurus, & ex promiſſione evangelica centuplum, cum vita quæ finem neſcit, habiturus. Cœpit interim à prædicto Eilberto [a] Marriliacenſium poſtea abbate, litteris ſtrenue erudiri, & in omnibus quæ monaſticæ inſtitutionis ſunt, ad plenum informari: ita ut in brevi cunctis quæ ſcientiæ expedierant percurſis, faſtigium monaſticæ attingeret perfectionis. Neque mirum, ſi Spiritu-ſancto, ut vere credimus, donante id valuit, qui omnes ad diſcendum moras ſemper dehabuit.

Fit monachus.

1. Cor. 14. 20.

Pſ. 30. 21.

Matth. 19. 29.

12. Sub ſæpe memorato autem piæ recordationis Eilberto, tum temporis monaſterii exiſtente portario, beato Popponi pro excipiendis in xenodochio pauperibus cura ab ejuſdem loci abbate eſt exhibita, & ut ſatis fideli domus Dei œconomo ſive diſpenſatori ſollicitudo commiſſa. In qua adminiſtratione liberalitatem cum hoſpitalitate tenuit, atque vere cum beato Job dicere potuit: *Foris non manſit peregrinus: oſtium meum viatori patuit*. Et item; *Si comedi buccellam meam ſolus, & non comedit pupillus ex ea*. Quadam vero die inter ceteros à ſe in xenodochium introducendos ſimul & alendos, leproſus quidam advenit, qui pro deformitate ſui vix cum aliquibus conſortii veſtigia ulla invenit. Quem vir Dei nihil omnino horruit, ſed cum reliquis introductum officioſitate qua potuit accuravit & aluit; poſtremo vero nocturnis jam tenebris irrumpentibus penes ſe detinuit. Sed veritus eum nocturnis frigoribus, utpote veſtimentis indigum, arctius conſtringendum, primum ſollicitatur in ſe, quid ſuper hoc eſſet agendum: deinde vero ex humilitatis conſulto, viam qua pauperi miſereretur invenit. Nam coopertorio, quo ipſemet in ſtratis recumbens uti ſolebat, pauperem ſimul & leproſum, nihil pro deformitate ipſius refugiens, ut alter Martinus, tegebat. Sed & hæc humilitas compaſſioni permixta non inanis aut irrita in conſpectu Dei habita eſt: quia eam ſalus in leproſo, & magnificentia in beato viro ſecuta eſt. Veſtimento certe illo præfatus leproſus coopertus, primum ſudoris guttas emiſit, & è veſti-

Pauperum curæ deputatus.

Job. 31. 32. & 17.

[a] Legendum eſt *Marilocenſium*, ſeu *Maricolenſium*. Maricola autem abbatia eſt diœceſis Cameracenſis Ordinis noſtri in Hannonia ad Helpram fluvium, conſtructa in honorem beatæ Mariæ & SS. Apoſtolorum Petri & Pauli.

gio

Digitized by Google

ANN. CH. MXLVIII. JAN. XXV.

gio omni lepra fugata, ſanitas eum repentina invaſit: atque mane ſancto viro ad eum venienti ſanus apparuit, proque duplici pietatis bono ſibi præſtito gratiarum vota reddidit. Qui venerabili viro ſtuporem & timorem injecit; ſtuporem videlicet, quod veſtimento ſuo ſalutem in paupere Deus fecit; timorem, ne pro hoc facto ipſe palam fieret, & ad ruinam ſui favor eum popularis paſceret. Precibus tamen admiſſis, ut ſine publicatione ſui diſcederet, hortatur; Deoque non ſibi, pro hoc facto gratias ageret, humiliter precatur. Poſtmodum vero eodem in ſtratis ſuis coopertorio uſus eſt, neque ob id, quod leproſum eo operuerat, ipſe tegi dedignatus eſt.

Leproſum ſanat.

13. Sed præſcriptum virum Dei Eilbertum res geſta non latuit, ſe tamen ſcire ad tempus diſſimulavit; eumque pro veſtimento ipſius pauperi ſimul & leproſo præſtito convenit, cur ſuum, & non aliud præſtiterit, diſſimulando, ut diximus, redarguit. Ille vero humi proſtratus, ab eo pro re geſta ſecreti cauſas imploravit, ſacramentiſque maximis ne ſe publicaret exoravit: imitans certe Dominum, qui pro humilitate & compaſſione leproſum, quem Lex tangere vetuerat, tetigit & mundavit, cui ipſe tamen pro ejuſdem facti manifeſtatione interdixit. Ecce quantum humilitas beati viri meruit, quæ prius in veſtimentis, quam in ipſo, palam fieri habuit. Neque enim non credendum, quantum in ſe remedii habeat, qui in veſtimentis ſuis tantum meritis exigentibus valeat. Proinde nemo Deum in Sanctorum ſuorum veſtimentis ſalutem efficere poſſe dubitet, quem ex veſtimentorum ſuorum fimbriis mulierem ſanguinis profluvio laborantem ſanaſſe liquido patet. Hoc autem factum, qui à prædicto Eilberto coram didicerant, mihi ſcribenti, Deum teſtor, intimaverant, ne cui hoc temporibus noſtris fieri incredibile videatur, quod laudabilium perſonarum teſtimonio per beatum Popponem factum fuiſſe probatur.

Quod à ſe factum latere cupit.

14. Subſequenti namque tempore ſanctæ recordationis virum abbatem Richardum ad ſanctum contigit Theodericum veniſſe, atque piam viri Dei converſationem ſibi prolatam innotuiſſe. Qui in eum dilectionis ſuæ oculos mox convertit, & ut facile amborum meritis ſibi reſpondentibus fieri innotuit, totus in eum ſancti Spiritus igne agente exarſit. Unde & eum ſecum abducere voluit, atque pro hoc totius conſilii viribus incubuit. Et primum viri Dei animum ſuper hac re inquiſivit; deinde vero apud Abbatem ipſius preces admiſit. Quas quidem diu multumque idem Abbas humiliter refugiens abnuit; poſtremo tamen ipſis defatigatus, aſſenſum licet invitus præbuit. Ex cujus conſenſu definito, vir Dei corpore, non mente, inde diſceſſit, atque Virdunum cum prædicto venerabili Richardo abbate ire perrexit. Ubi ante omnia, & ad omnia, ab eodem Abbate pro obedientia ſeu patientia ipſius comprobanda eſt exhibitus, & in omnibus obediens, fidelis, patiens, ex ſervitutis penſo inventus, interimque inter ceteros adoptionis ſuæ filios dilectione apprime eſt habitus; ita ut ſublimiori quam fuerat loco eum promoveret, tum quædam ex primis ſuarum rerum negotiis adminiſtrare juberet. Quæ quidem tam honeſte quam ſtrenue erogavit, & in dies melioribus ſemper auſpiciis amplius augmentavit.

Mittitur Virdunum.

15. Interea matrem ſuam, de qua nihilominus prælibavimus, marito jamdiu, non virtutibus, viduatam reviſit; & ut eam ſæculo ſecum abſtraheret, cogitatus ſui conſilia primum præmiſit. Sed quia ipſa, ut erat in cunctis virtutum conſiliis tantum ſemper aſſentanea, quantum in ſingulis ſine ceſſatione idonea; filium ſuum ſuper perſuaſione tam amabili laudavit, & ad cœnobialis vitæ callem cum eo migravit, omnibus ſui juris, tam liberis quam mancipiis, hereditariique cæſpitis redditibus poſthabitis. Quam quique liberorum ſimul & ſervorum, ſicut unicæ matris ac domi-

Matrem ad vitam cœnobiticam inducit.

Ann. Ch. MXLVIII. Jan. XXV.

næ ſolatio deſtituti, uſque adeo clamoribus lamentiſque inconſolabilibus ſunt proſecuti, ut etiam plerique ipſorum medios pæne ſe, Scaldem fluvium tranſvadere ſimulantes, humectarent, ſi quo forte pacto eam compaſſione compunctam ad ſe revocarent. Sed quia nemo mittens manum in aratrum, & aſpiciens retro, aptus eſt regno Dei; ex ſimilibus & ipſa viam ad Deum, quam filio ducente ſibi ſenſit aperiri, non ut uxor Loth obtutibus retro deflexis, cœpit experiri: Deo tamen eos, quibus timuit, rata fide commiſit: ac deinde cum filio ſuo deſiderii ſui habenas in incœpto itinere laxavit.

Luc. 9. 62.

Quæ viſione cælesti confirmatur in propoſito.

16. Quæ in Elnone monaſterio, ad ſanctum ſcilicet [a] Amandum, una cum filio ſuo perducta, ibidem deſiderii ſui ex cæleſtis viſionis oraculo ſecuritatem eſt adepta. Nam ante beati Cyrici lipſanas eadem in vigiliis precibuſque pernoctante, atque poſt paullulum ex diutina ſui defatigatione ſemivigilante, quia eam ſuperna reſpexerit exauditio, hujuſmodi ad ſe divinitus perlata patefecit viſio. Nova rerum certe facie, quamplures Chriſti Sacerdotes in conſiſtoriis dealbatos vidit, quos in modum coronæ divina oſtenſio altrinſecus poſitos ſpectaculo ſibi dedit: inter quos etiam beatus Amandus, utpote ejuſdem loci primus, præ ceteris promotius honeſtiuſque reſidere videbatur, atque ad ſententiam ipſius, ſicut eum eo loci tunc decebat, omnium intuitus ſuſpendebatur. Sed & beatum Cyricum ſerico gemmiſque totum videbat nituiſſe, elegantiſque pueri vultus imitatum fuiſſe: tum cum ſingulis Sacerdotum ſermonem conſeruiſſe, proque ſe ibidem in medio proſtrata preces fudiſſe. Cui ſanctus Amandus una cum pari conſidentium ſibi conſenſu: Eia, inquit, *bonæ indolis* puer, tuum eſt pietatis dextram cum precibus etiam huic viduæ porrigere, quæ ante ſacro-ſanctas lipſanas tui continuas non deſiſtit preces admittere. Qua auctoritate venerabilem puerum Cyricum certiorem factum, ad ſe appropinquaſſe, totamque ſe quaſi de terra, ubi jacuerat proſtrata, vidit levaſſe. Atque hujuſmodi viſio hic finem ſui habuit, ipſaque beati Popponis mater mox expergefacta, ad ſe rediit.

Virduni velum recipit, ibi recluſa.

17. Quæ hanc quidem viſionem filio retulit, cum quo etiam ipſa ſuper eadem viſionis fide animæquior facta, Virdunum ſe contulit, veloque piæ converſationis ex conſilio beati viri ſibi impoſito, juſtitia & moribus jam cœnobialis vitæ arriſit propoſito. In quo cum erga humani generis hoſtem jam diu virtute ſua multimoda bellum conſerente didiciſſet contendere, & velut contra vitiorum torrentem brachia tendere, apud ſanctum Vitonum ſuccedente etiam tempore ſolitaria eſſe cœpit, ibique recluſa, curſum vitæ, diabolo cum virium ſuarum copiis triumphato, in pace peregit. Neque enim dubium erit, hanc poſt converſionem apud Deum efficiendi quæ popoſcerit locum inveniſſe, quam eo ante converſionis ſuæ tempus præſtitit valuiſſe, ut lucernam exſtinctam precibus, & non manibus reaccenderet: tum etiam id miraculi eſſet indicio, eam ſimilia poſſe, ſi occaſionis ratio expoſceret. Hæc ſuper converſione & vita matris beati viri dicta ſufficiant. Quæ de ipſo ſunt, me interim ex relatione Majorum deſiderantes ſcriptorem inveniant.

Poppo Atrebatum migrat, fitque Præpoſitus.

18. Ex hinc ſæpe memoratum abbatem Richardum Balduinus Marchiſus apud ſanctum Vedaſtum, FOLRADO [b] à regimine dejecto, ſubrogavit, quia animum ejus ad hoc conſilii tam ejuſdem viri ſanctitas, quam Principum regni ſui collatio ſuaſit. Auctoritate vero præfati Principis idem

[a] De monaſterio Elnonenſi ſeu ſancti Amandi plura diximus in Sæculis ſuperioribus, quæ hic repetere nil juvat. Ibi etiamnunc religioſe colitur ſancti Cirici martyris corpus.

[b] Quantos tumultus excitaverit Fulradus, fuſe exponit Baldricus in chronico Cameracenſi libro 1. ſed cum Rothadi Epiſcopi Atrebatenſis & Erluini ſucceſſoris ejus monita diu contemſiſſet, primo excommunicatus, ac poſtea ab eodem Erluino abbatiæ regimine dejectus eſt: qui Remos ad Arnulfum Metropolitanum confugiens, ibi miſere periit.

Digitized by Google

Richardus abbas adminiſtrationem operis ſibi injuncti ſuſcepit, virumque Dei Popponem, quia ſe rerum gerendarum plurimum occaſio tenuit, ſecundum ſibi eo loci præfecit. Et non tantum ſui, ſed etiam omnium Fratrum conſenſu favente, id effecerat: quippe quorum mens venerabilis viri Popponis virtutum conſcia jam fuerat, & in eum amoris ſui intuitum caritate non ficta converterat. Venerabiles præterea inter eos exſtitere viri, quorum dilectione ſingulari præ ceteris amplius beatus Poppo habuit potari, dominus ſcilicet [a] FREDERICUS, qui GOZELONEM Ducem carne germanum habens, venerandum abbatem Richardum ibidem comitatus fuerat; LEDUINUS quoque, qui ſe laïcum eo loci ſub monachali propoſito mutaverat, ſuccedenti vero tempore, favore præfati abbatis Richardi poſcente, ſibi in regimine ſucceſſerat. Et quomodo anima Jonathæ animæ David colligata fuit, ita & affectus horum piæ dilectionis vinculis ad invicem colligari habuit. Unde & eum à ſæpememorato abbate Richardo ſecundum præfici contigit, quem tam laudabilium virorum una cum cunctis ipſius loci Fratribus dilectio attigit.

19. Sed in adminiſtrandis ejuſdem loci neceſſariis magna tunc exſtitit difficultas, utpote ubi plurima ex parte ſtipendiorum monaſterii dehabebatur facultas, militeſque præfati loci res pro beneficio poſſidebant ipſis indultas. Unde & eadem cauſa beato Popponi, licet pro viribus honeſte agenti, mærorem primo injecit; qui prudenti, quo plurimum valuit, conſilio à ſe mox * diſceſſit. Nam annuente prædicto Marchiſo, res monaſterii à militibus callide prudenterque repetivit, atque ut ejuſdem loci Fratribus permanerent, publicis archivis ratum ſtabilivit. Pro quo etiam inſidiarum fomitem ab eiſdem militibus ſibi comparavit, tantamque inimicitiarum vim apud eos, à quibus res injuſte poſſeſſas abſtraxerat, ſubintravit, ut viarum ſepta circumquaque occuparent, tum etiam ad perimendum ipſum inſidias aptarent. Sed, ut ſcriptum eſt, In vanum quæſierunt animam meam: quia per arma juſtitiæ à dextris & à ſiniſtris vallatus, omnes iniquæ conjurationis rupit conatus; mediuſque per ipſos incedens, & fraudum copiam eliſit, & periculum Deo ducente evaſit. Ille nimirum, qui per medium Phariſæorum tranſiens, oculos eorumdem à notitia ſui clauſit; atque paſſurus, nominis ſui catena retro eos proſtratos ligavit, ad ſuſpendendum etiam ſervi ſui periculum, omnem inſidiantium ſibi ab eo deflexit intuitum.

* disjecit.

Bona monaſterii à ſæcularibus vindicat.

Pſ. 22. 10.

Luc. 4. 20. Joan. 18. 6.

20. Erat interea viro Dei iter ad HENRICUM, tam pium quam magnum Romani potentatus Imperatorem, primum poſt Ottonem juniorem ex Principum regni conſulto ſucceſſorem. Nam & ad [b] Batuam, è vicino Rheno flumini adjacentem, applicuit, ubi quædam ſancto Vedaſto reditutuum ſuorum poſſeſſio fuit; quam etiam ex adminiſtratione Præpoſituræ ſuæ uſui Fratrum prævidere habuit. Ibi certe quidam conſanguinitate atque familiaritate beato viro notus, manſionem ſibi habuerat, cui ſumma cum affluentia liberalitas famam cum rebus pepererat, quique maxime beato viro, dum res poſcebat, officioſum ſe præbuit. Nam præcognito adventu ad ſe viri Dei, quæque ſuis, ut venturum decebat hoſpitem, mandat apparari, tum in capturam piſcium retia ſtudioſe laxari. Sed circa id operis diu inſtantes laboris difficultas eluſit, vacuoſque ad dominum à litore remiſit. Omni vero capiendorum piſcium ſpe ſublata, ſanctitas beati Popponis, memorato illuſtri viro jam dudum cognita, mox ipſi licet abſens ſua inſpiravit conſilia. Nam eo pacto idem pater-familias iterum eadem mitti mandat retia, ut ſi beato Popponi ſanctitatis ulla cum Deo

Ad S. Henricum Imperat. proficiſcitur.

[a] Frederici elogium ſupra dedimus ad annum 1022.

[b] Batua ſeu Batava inſula Rheno & Vahali concluſa ad Geldriæ provinciam pertinens, ex qua tamen Bataviæ nomen Hollandia accepiſſe videtur. Nullum eſt alicujus momenti in ea opidum, vulgo dicitur *la Betuwe*.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXLVIII. Jan. XXV.

eſſet gratia, totum ſui in capiendis piſcibus ſubita ſequeretur efficacia. Quid igitur? Laxantur ergo retia in capturam, non minus piſcium retibus Petri habitura: nam tantam piſcium multitudinem mox collegerunt, quantam ante capturam nullatenus futuram ſperaverunt, ut in argumentum & fidem ſanctitatis beati viri, nec numero, nec modo ſui poſſent æſtimari. Et ecce beato Popponi apud illuſtrem, quem prælibavimus, virum divertenti, quantum apud Deum ipſe meruerit per præfatum virum, indicio claruit patenti. Et primum à captura piſcium ſuos edocuit fruſtratos fuiſſe, deinde vero in nomine ipſius retia miſiſſe, ſicque tantos, ut ſibi præ oculis tunc fuerant, cepiſſe. Pro collato ergo ſibi divinæ pietatis beneficio Conditori rerum gratias egit, reliquumque itineris, quod ad Imperatorem, ut diximus, ſibi fuit, poſt alternam cum amico ſuo veræ dilectionis communionem, peregit. Ab illo vero tam magnificentia quam honorificentia regia eſt ſuſceptus, utpote qui primum amicitiæ locum inter ceteros jam apud eum fuerat adeptus: cujus etiam ſanctitas humilitatem manſuetudinemque præfati Imperatoris in amorem ſui ita accenderat, ut etiam reverentia dictante magis parere quaſi ad juſſa ab eo viſus fuerit, quam rogata ab alio implere voluerit.

A quo petita impetrat.

Eumque à periculoſis ſpectaculis revocat.

21. Contigit etiam ludis hiſtrionum imperiales tunc fores occupari, atque eo ſpectaculi genere Regem cum ſuis delectari. Urſis etiam nudus quidam vir membra melle perunctus exhibetur, à quo etiam plurimum pro periculo ſuimet timetur, ne forte ab iiſdem urſis ad oſſa * ſui, melle conſumto, perveniretur. Porro Rex ejuſdem ſpectaculi adeo amore in oculis ſuis captus tenetur, atque male providus pro periculo viri parum veretur. Unde ſuper tam iniqua in Chriſtianum illuſione Regem beatus Poppo redarguit, eumque ab hoc ſpectaculo ſuis cum Optimatibus mox compeſcuit, tum etiam à periculo urſorum virum liberavit, & ne id ultra fieret, arguendo & obſecrando ſententiam dictavit. Henricus vero Imperator tam obſecrationi quam correptioni ipſius humiliter paruit, & quem honorifice ad ſe venientem ſuſceperat, honorifice etiam à ſe regredientem dimiſit. Qui iter quo venerat Atrebatum uſque rediit, ſanctæque recordationis abbatem Richardum ſuper imperiali in ſe humanitate ſatis edocuit.

* ejus.

Viſione monitus redit Virdunum.

22. Aliquantis deinde evolutis diebus, in quibus plurimum pro monaſterii ipſius elaboravit rebus, quia eodem ex loco jam recedere debuerat, divinæ viſionis oraculo ante didicerat. Nam caſula, quæ quaſi gratuitæ viriditatis elegantiam cernebatur imitari, totum ſe ſicut in agendis Miſſarum ſollemniis vidit ornari, ſicque demum inclinato capite coram altari ſancti Vedaſti adſtitiſſe, illumque ex ſexageſimo ſeptimo pſalmo verſiculum, Fratrum ſibi reſpondente conventu, ter repetere: *Benedictus Dominus die quotidie, proſperum iter faciet nobis Deus ſalutarium noſtrorum.* Quem poſtquam, ut diximus, ter repetiit, oratorium eveſtigio exivit; atque hîc viſio hujuſmodi finem ſui dedit. Neque enim hoc otioſum aut abs re fuit, quod hoc veſtis ſacerdotalis virore, beati viri diſceſſio præoccupari meruit, qui æternæ viriditatis fructum ſuis in actibus non dehabuit. Non multo vero poſt, effectum ſui viſio talis invenit, atque à venerabili Richardo abbate juſſus inde abiit, & ad Virdunum, priſtinum converſionis ſuæ locum, rediit. Ubi pro comprobanda, poſt ſummam Præpoſituræ adminiſtrationem, ipſius patientia, omnis infimarum rerum monaſterii ab Abbate ei injungitur obedientia; ne pro ſui dudum præ ceteris promotione, ſpiritu elationis forte exagitaretur, ſicque à priſtinis virtutum ſuarum gradibus dejiceretur. Sed memor illius quod dicitur: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus;* & humilitatem in promotioribus monaſterii rebus ſibi collatis tenuit, eamdemque in infimis, & in quibus quaſi quidam

Pſ. 67. 20.

Ejus humilitas comprobata.

Eccli. 3. 20.

Digitized by Google

injuriæ locus videbatur eſſe, non perdidit: quia nec in proſperis inflari, nec in adverſis noverat dejici. Geminas proinde opere recoluit ſententias, quibus dicitur: *Aſcendet fœtor ejus, qui magnificat operá ſua.* Et, *Doctrina viri per patientiam noſcitur.* quia unam earum ex humilitate timebat, alteram vero ex patientia appetebat. *Joël. 2. 20. Prov. 19. 11.*

23. Et quia omne ſubjectionis onus humilitate & patientia præveniebat, atque pro ſuperanda ipſius obedientia nihil laboris ſufficere abbas videbat, eum proximo à ſe loco non inconſulte promovebat, tum etiam in adminiſtrandis primis monaſterialium rerum cauſis ſecundum ſtare jubebat. Abbatiam inſuper ſancti Mauricii, Vvaſloi dictam, cum omnibus ejuſdem loci appendiciis ei delegavit, utque eo in agendis quæ oportuerant, deſudaret, eum admonere curavit. Qua ſuſcepta, quia eam, quam ſitus loci jucunditate ſui commendabilem dedit, in officinis monaſteriique breviſſimis clauſtris vileſcere invenit, funditus monaſterium cum adjacentibus illi receptaculis everſum, majori quam fuerat elegantia reædificavit, atque priſtino nomine mutato, ex honeſtate ſui Beloacum denominari dictavit. Atque eo quidem vocabulo jam præſens circumquaque eſt promulgatum, nec illo, evolutis ad nos uſque diebus, conſtat eſſe privatum.

Ad dignitates elevatur.

Monaſteriũ S. Mauricii reſtaurat.

24. Henrico interea, quem præſcripſimus, imperatore apud Argentinam civitatem ſuper regni ſtatu agente, proque hoc conſiliis Optimatum ſuorum privatim & publice incumbente, & hunc beatum virum iter ad ipſum quadam contigit occaſione denuo habuiſſe, ſicque ad [a] Eliſgaugium una cum ſuis applicuiſſe. Cumque quodam in loco, quem grata commendabat amœnitas, pro ſumendis cibis divertiſſet, jamque cibis coram poſitis reſediſſet; ecce lupum, humanum tunc ſitientem ſanguinem, è ſilvarum latebris impetum vidit dediſſe, atque paſtorem, è regione greges paſcentem, violenter per colli nuda arripuiſſe, atque ad loca, nequitiæ ſuæ deſideriis opportuna, per abrupta locorum traxiſſe. Spiritu ergo tam ſtuporis quam mæroris vir Domini corde tactus, & ut ſemper viſceribus miſericordiarum totus fuerat plenus: Ecce, inquit, ô Deus, hominem, quem ad imaginem & ſimilitudinem tuam feciſti, lupis prædam eſſe ſiviſti. Proinde ſuos, ut miſero jam pæne abſumpto opem tandem ferrent convocat, precibuſque admiſſis nomen Domini ipſe interim invocat, proteſtans lupum prædam illam ante eſſe amiſſurum, quam ſe quidquam cibi aut potus guſtaturum. Sed quia paluſtrium locorum prohibente interſtitio, non facilis ſuorum ad ereptionem illius ſuffocati erat acceſſio; via in gyrum arrepta, paluſtria illa loca circumeunt, ubi ex veſtigiis effluentis ſanguinis, hominem nulla vitæ indicia in ſe dantem inveniunt, nec uſpiam locorum lupum perſpiciunt. Mox omni ſpe ſuper vita ipſius dehabita, equo impoſitum in beati viri adducunt præſentiam: qui de Dei miſericordia nihil pro eodem diffiſus, penes ſe ipſum collocat, Deumque pro ſoſpitate ipſius tacito mentis nutu invocat. Benedictionis ſuæ eum remedio interim fovet, paullatimque eum exinde movet: deinde ſurgendi vires ex ſanctificatione tam manuum ſuarum, quam precum obtinet, ita ut cum viro Dei cibum una caperet, tum ulterius de vita ſui jam præſumeret; nullique dubium, ipſum ex precibus ſancti viri ad vitam ſervatum, ex cujus benedictione, menſæque communione, hi qui adfuere videre curatum. Poſtquam vero convaluit, ex cicatricum ſuarum ſpectaculo eos, qui eum viderant, permovit: à quorum etiam fide nos idipſum didicimus, poſteriſque in argumentum ſanctitatis ipſius reliquimus.

Rurſus ad Imperatorem profiſciſcitur.

Hominem à lupo fere abſumtum liberat.

25. Contigit interea [b] Stabulenſis cœnobii abbatem BERTRANNUM

[a] Eliſgaugium, ut Bollandus exiſtimat, ea eſt regio quæ Ello ſeu Illo fluvio irrigatur. Certe Ellus, unde Eliſatiæ ſeu Alſatiæ nomen derivaſſe videtur, Argentoratum alluit, ac paullo infra hanc urbem Rheno miſcetur.

[b] Stabulenſis monaſterii originem fuſe expoſuimus in vita S. Remacli Sæculo 2. ad quam recurrendum eſt. Hodieque ſubſiſtit Principatus titulo inſigne.

Digitized by Google

ANN. CH. MXLVIII. JAN. XXV.

Fit abbas Stabulenſis.

debita morti dediſſe, atque alteri ſuccedendi ſibi locum reliquiſſe. Unde & Henrico imperatori beatum Popponem ſubrogare animo inſedit. quod ut fieret, Richardum abbatem tunc ſecum in conſiliis agentem humiliter convenit, cui tamen omnino ſui conſilia animi non patefecit, quia Popponem ſibi ab eo tantum dari poſtulavit, ſed qua ratione eum poſtularet, indicare noluit. Venerabili autem Richardo abbate imperiali primum petitioni diu multumque renitente, occaſioneſque plures, ob quas ſe tali viro carere non poſſe dicebat, exponente; ſanctum HERIBERTUM Agrippinæ Coloniæ epiſcopum præfatus Imperator evocavit, eoque ſibi adjuncto, apud præſcriptum abbatem preces adhuc admittere curavit: poſtremo vero obedientiæ ſententiam ex regia auctoritate in eum dictavit. Quam ne ſpreviſſe videretur, ſubjectione, non voluntate ſuſcepit, & ut ei beatus Poppo in manus cederet, licet invitus annuit. Cui Stabulenſis regiminis pedum mox porrexit, utque Popponi pro ſucceſſionis indicio deferret, indixit, adjuncto ſibi ad id negotium [a] VVALBODONE Leodienſium epiſcopo, ſanctitate & fide ad quæcumque ſtrenue & pie peragenda illuſtriſſimo. Qui ex dicto regio ſibi juſſa pergunt implere, memoratumque Dei virum Popponem apud ſanctum Remaclum in regimine promovere.

Patitur graves perſecutiones.

26. Qui promotus, quibuſdam eo loci, quorum moribus convenire non poterat, diſplicere bene agendo cœpit. Unde tam ipſi, quam eis qui ſecum eo venerant Fratribus, inimicitiarum vis tanta accrevit, & tam manifeſtis odiis, inſidiiſque interdum clandeſtinis, ira laïcorum ad hoc conjuratorum deſæviit, ut quadam die monaſterii clauſtra ab eis impetu dato irrumperentur, evaginatiſque gladiis, Chriſti greges per Dominica ſepta perſequerentur. Sed mirum dictu! qui gladiis in ſe vibratis cædi videbantur, ictibus non humano, ſed divino clypeo eluſis, non lædebantur: ſicut ille à Moyſe rubus ardere videbatur, qui tamen uſtionis moleſtia nulla lædebatur. Tanti vero fama mali ubi beato viro Popponi, [b] Malmundarii tunc demoranti, in aures percrebuit, ſpiritum contritionis & mæroris pro tam exſecrabili rerum facie induit; præſertim cum ex nuntiantibus ſibi plures ſuorum acceperit occubuiſſe, atque exinde his qui ſuperſtites fuerant, metum de reliquo accreviſſe. Duo præterea ſecum militiæ ſæcularis fuere viri, à quibus etiam quod factum fuerat, contigit ſciri, quorum unus Adalbertus, alterque Boſo vocabula ſunt ſortiti. Qui ſumma cum velocitate eo, ubi in tirones Chriſti phalanx illa graſſata fuerat, ire pergunt, Deique, non ſua adminiſtrante virtute, omnem illam multitudinem ſoli expellunt, capiunt, & ſternunt: atque omnis pro voto res illis provenit, in quorum manibus, beati viri id impetrantibus meritis, ille pugnavit, qui non ſalvat in millibus, aut curruum & armorum potentatibus, ſed in uno mille, inque duobus decem valet fugare millia. Divina deinde actum eſt animadverſione, ut nullus, emenſo jam anno, ſuperſtes ex illa iniquorum fuiſſet conjuratione. Sicque omnis erga virum Dei confuſio in gratiam rediit, amorque omnium pari in eum conſenſu prodiit.

Fit Abbas ſancti Maximini.

27. Biennium jam effluxerat, HIERICHONIque Trevirenſium abbati apud ſanctum Maximinum, præfato jubente Imperatore, ſucceſſit: ubi in eum ſimilis, immo gravior, quorumdam cum inſidiandi copiis invidia proceſſit; eorum videlicet, quos à monaſticis regularibuſque obſervationibus via abruptim deflexit. Cumque ſibi ſub eo illicita jam non licere, & aſſueta locum penes ſe non poſſe habere conſpexiſſent; de ejus morte plura machinantur, & quod palam non poterant, quibuſdam præſtigiarum

[a] Walbodonis vitam ſupra habes ad annum 1021.

[b] Malmundarium monaſterium haud procul à Stabulenſi diſtat, in Colonienſi tamen diœceſi. Utrumque à ſua origine ſubeſt unico & eidem abbati Principi.

ſuarum inſidiis operantur. Ad quod, nefas dictu! ſacro-ſancta Miſſarum ſollemnia violando, ſuis occupant divinationibus, & quas preces credebant, in immunditia & ſanguine manuum ſuarum exſecrandis admiſcent incantationibus, ponentes, ſecundum illud Prophetæ, tenebras lucem, & lucem tenebras. Neque hoc eis ad fomitem malorum ſuorum tantum ſufficeret; ſed apponentes adhuc peccare, peccatum ſuper peccatum adjicere, tamque exſecrabili quam invida eouſque perducuntur exagitatione, ut in apponendis beato viro cibis & potibus, venenorum ſuorum uterentur admixtione. Sed invidia diaboli, per quam mors primum ſubintroïvit in mundum, nulla morte per nequitiæ ſuæ miniſtros Dei læſit miniſtrum: licet per iniquorum manus dæmon beato viro ſæpius porrexerit, ipſeque toties guſtare non refugerit. Ille enim, in cujus oculis hic beatus Poppo obturavit aures ſuas ne audiret ſanguinem, & clauſit oculos ſuos ne videret malum, iſtius etiam à veneni læſione clauſit viſcera, ut in exſtinguenda domui ſuæ lucerna, omnis iniquorum fruſtraretur induſtria.

Ann. Ch. MXLVIII. Jan. XXVI.

A ſuis incantationibus & veneno appetitur.

Iſai. 5. 20.

28. Nec ad hoc ſcelus conjuratis pro ſervo ſuo Dei vindicta defuit, quorum nec unus eo anno, velut grege in unum mortis locum facto, ſuperfuit: ut profecto conſtaret, in viſcera eorum per os beati viri venena illa tranſiſſe, atque argumentum malitiæ ſuæ ceteris ex hoc reliquiſſe; quibus tamen, ad inferendam mortem, venenum quidem temporale defuit, ſed in conſpectu æterni Judicis, malitiæ ſuæ venenum ad interitum ipſis fuit. Unde etiam hi, qui ſanioris conſilii occaſione ſuperſtites fuerant, timorem cum amore in eum admiſerant: ſicque à ſanctitate ſui intime à ſubjectis amari, & ex nuperrima in inſidiantes ſibi Dei vindicta cœpit timeri. Sed & ipſe dilectionis non fictæ ſervato tenore, cœpit magis prodeſſe quam præeſſe, ita ut in omni patientia & doctrina quoſque foveret, poſtremo vero plures illorum in Paſtores eccleſiarum Dei promoveret.

Qui omnes intra annum pereunt.

29. Aliquanti interea temporis diebus emenſis, ægritudinibus cœpit fatigari immenſis: unde & eum in lecto reclinaſſe, atque pro vita ſua diffidentiam cum mærore ſuis contigit incurriſſe. Mire enim, ut diximus, intima in eum cunctorum ſuſpirabat dilectio: ideoque eos de ipſo, pro cujus amiſſione ſibi timebant, intolerabilis habuit afflictio. Inter quos, quidam Ernestus, ex laïco vere tam nomine quam officio monachus olim factus, cum ceteris, immo præ ceteris, pro ægritudine beati viri dolore cordis intrinſecus tunc tactus, nocturnis vigiliis precibuſque, quibus plurimum ex ſolito inſudare pergebat, tunc pro eadem etiam ſancti viri ægritudine forte detergenda plus ſolito incumbebat. Et primum coram Domino, quod tantum talemque ab ipſo meruerit Patrem, laudes dicebat, dehinc mæroris timoriſque ſui ſtimulos coram ipſo ponebat, quibus talem in detrimentum gregis Dominici amittere timebat, omnemque ſpem recuperandi ſimilem dehabebat. Quo in hac ſpiritus ſui contritione pernoctante, precibuſque coram Domino animi ſui affectum commendante, vox ad eum divino certe oraculo perlabitur, quæ pro mærore ipſius deponendo in hæc verba diſtinguitur: Popponi, inquit, hæc non ad mortem eſt infirmitas, cui ad augmentum virtutis ſuæ in bis denos annos vivendi adhuc ſupereſt prolixitas. Cujus quidem vocis oraculum eidem, pro novitate ſui, ſtuporis injecit ſpectaculum, atque omne mæroris ab eo deterſit piaculum: ita ut, qui prius inter ſpem & metum pro amiſſione ſibi dilecti Patris ſpiritualis dubium habebat, jam tanto ſecurior non ſe eum amiſſurum fieri inciperet, quanto amittere eum magis anxie ante timebat. Mirum enim in modum, qui ter quinos Ezechiæ ægrotanti addidit annos, huic beato viro bis denos etiam ſuperaddidit annos; illi quidem pro his, quas coram ſe fuderat lacrymis; iſti vero, quia pro eo ille uſus ſit lamentis, qui ex eo quod antea Paſtorem talem non habuerit, & poſt

Ægrotat.

Ad 20. annos vita ejus prorogatur.

Digitized by Google

amiſſionem ipſius ſimilem ſibi futurum non ſperaverit. Et vere utrorumque ſanctitas hoc obtinuit; quia quod hic Erneſtus de Patre ſpirituali audire meruit, ille quidem de ſe, ſi pro ſe rogaret, audire ſimiliter ex merito potuit. Sed quia cum Martino nec mori timuit, nec vivere recuſavit, hoc alter pro eo obtinuit, quod ipſe, ut diximus, ex merito invenire potuit. Ex divino itaque oraculo res effectum invenit, beatuſque Poppo mox convaleſcens, in excubiis gregis Domini viginti poſtea annos implevit.

Conradum Imp. cum Henrico Francorum rege reconciliat.

30. Accidit interea Henricum Imperatorem, cujus ſæpe jam meminimus, vivendi finem feciſſe, CONRADUMque, tam nobilitate quam armis egregie commendabilem, regno ſucceſſiſſe. Sed quia, quæ numquam dehabetur, ſitis habendi tam amplius inter Principes regni diſſidiorum occaſionem ingeſſit, beatus Poppo, vere evangelicæ pacis filius, Dei virtute comitatus, illos in pacis redigere gratiam diu multumque laboravit, tandemque deſiderii ſui ſatiem invenit, omneſque in unum pacis locum ſua mediante ſanctitate redegit. Sed & ipſe animum regis nuper ordinati, de quo nihil adhuc certum ſtatuerat, prudentia & ſanctitate ad amorem ſui comparavit, ita ut dilectio ab Henrico in ſe quondam habita non deperiret, cum ſimilem, immo majorem, in ſucceſſore ipſius inveniret. Et quia ante quamplures annos Romani Imperii cum Francis diſcordia non minima inoleverat, ipſe inter utroſque pacis gratiam labore & induſtria ſua paratam complevit. Conradumque atque HENRICUM Reges in conſenſum revocavit: quorum unus, id eſt Conradus, Romanorum ſive Orientalium; alter vero, id eſt Henricus, Occidentalium populis Francorum imperavit. Erat enim ei cum utriſque par locus inveniendi quæ popoſcerat, utpote qui plurimum amicitia dictante penes eos valuerat; ideoque diſcordia, quæ inter eos quaſi quoddam ſenium longum duxerat, ipſo mediante in nihilum redacta eſt. Unde & invidendi ſibi occaſionem quibuſdam tribuit, quia ſolus id efficere valuit, quod ut fieret, in multis effectus jam olim pertentatus defecit.

[a] Epiſcopatum recuſat.

31. [a] Argentinæ interea civitatis epiſcopatum, regis Conradi juſſione ſibi præſcriptum, tam callide quam humiliter declinavit: quia occaſionem declinandi Regi dictavit, videlicet ſe Clerici dicens filium, canoniciſque ſanctionibus fieri obnoxium, ſi pontificii temere præſumſiſſet officium. At pro excuſationis hujus fictione aliquantum tunc Rex erubuit, & quaſi Synodali præſcripto conventus, ſuper hoc ad præſens conticuit. Sed non multo poſt ab ERMENGARDE, nobiliſſimi principis Godefridi filia, didicit, quoniam beatus Poppo non Clerici, ut ipſe Regiæ majeſtati finxiſſet, ſed laïci ingenuitate & militia egregii filius fuerit. Unde etiam poſtea beatum virum evenit conveniſſe, & pro excuſatione ſuæ juſſionis callide excogitata redarguiſſe. Sed ille, ut quem Deus humilitate & ſubjectione totum reſperſerat, regiam in ſe objectionem humiliter deterſit, affirmans ſe ad id negotii minus idoneum exiſtere, qui ſe in adminiſtrandis, quæ ipſi tunc incumbebant, curis paſtoralibus non videbat ſufficere.

Varia reformat cœnobia.

32. Cujus humilitas, quia ceterarum virtutum ejus indicio Regi fuit, totius conſilii viribus idem mox Rex eo incubuit, quatenus ipſi eas regni ſui Abbatias illum adminiſtrare juberet, quas aliquando Paſtoribus deſtitui viderat. quod & factum eſt. Nam quaſcumque rectoribus viduatas aperiri contigit, ut ei mox conferret dilatio nulla prohibuit, licet ipſe ab eis pro humilitate aliquantulum delituerit, atque erga juſſionem impoſſibilitatis excuſationibus uſus fuerit. Et primo [b] Lintburg in Voſago ſitum, quod hereditaria ſorte ſibi jam olim in manus venerat, probabilium cum adſtipulatione teſtium beato viro delegaverat, & pro ſtruendo inibi in

[a] Id poſt Wernerì epiſcopi mortem contigiſſe putat Brouverus apud Bollandum, inter annum ſcilicet MXXXIII. & MXXXIX. quo obiit Conradus imperator.

[b] Limburgum monaſterium ſitum inter Spiram & Wormatiam. de quo Bucelinus.

honore

Digitized by Google

honore ſancti Johannis Evangeliſtæ cœnobio preces intenderat. Qui ex regalium precum edicto, eumdem locum ferarum jam tunc cubile, multo cum labore excolens; ſervorum Dei conventiculis habitacula non vilia exſtruxit, & Chriſti jugum leve ſub monaſtica inſtitutione ipſis injecit, tum Johannem nepotem ſuum tam illi loco, quam apud ſanctum [a] Maximinum Treverenſibus præfecit. ANN. CH. MXLVIII. JAN. XXV. *

33. In quamplurimis proinde monaſtici inſtituti cœnobiis, à præfato juſſus Rege primus ſucceſſit, rectoreſque ſingulos ingeſſit. apud [b] Herosfeldiam quidem RUODONEM, Pathalabornenſem poſtea antiſtitem; ad ſanctum Gallum verſus Alpium juga, NORBERTUM; & in Vvirtzenburg VOLMARUM; Epternaco quoque HUMBERTUM, vita & moribus adeo præclarum. In his itaque tam conſilii quam impenſarum adminiſtratione, regiminis ſtatum adſtipulavit; tum in ſingulis omnia, & in omnibus ſingula, ut oportuit & decuit, ampliavit. Suarum præterea precum obtentu, HERIBRANDUS in Cella ſancti Giſleni; EVERHELMUS quoque in Altomonte rector cœpit haberi. Apud Brunvvilarium vero, quod ab [c] ELONE Palatii adminiſtrante Comitatum ſuſcepit, EVONEM, omnibus ejuſdem loci habitaculis à fundamento exſtructis, præfecit: atque in Buſendorff, quod largiente ſibi Adalberto Comite in manus venerat, ſimiliter ſub CONONE, quem Rectorem illic ſubrogaverat, monachorum gregem aggregaverat. Sed & apud Trajectum, quod Friſiam reſpicit, ab ADALBOLDO ejuſdem civitatis epiſcopo, cœnobium ſancti Pauli regendum ſuſcepit, ibique HERIGERUM tam prodeſſe quam præeſſe præcepit. Tum eo humanis rebus exemto, duos in regimine viros viciſſim ſibi ſuccedere dedit. Non multo poſt vero memoratus antiſtes Adalboldus, hortatu beati viri, ad monaſtica inſtituta adſpiravit, omnemque illi in paſtoralibus pontificii ſui adminiſtrationem commendavit: quam tamen ex præſcripto beati Popponis iterum recepit, & in ea quoad vixit ſub monaſtico habitu permanſit. In Vvillario præterea THEODORICUM, & Mettis apud ſanctum Vincentium præfecit HERIBERTUM, in Vvalciodoro quoque nihilo minus LAMBERTUM: quæ quidem monaſtici vigoris cœnobia per THEODORICUM Mettenſium antiſtitem divina ſibi indulſit gratia. Apud ſanctum Eucharium etiam Treviris BERTULFUM in regimine promovendo roboravit, quod ſibi gratia regendi Treverenſium archipræſul POPPO donavit.

Egregios Abbates variis locis conſtituit. b c

34. Johanne igitur nepote beati viri ab eodem apud ſanctum Maximinum, ut præfati jam ſumus, in regimine jam promoto, ipſoque ab oneris ſui pondere paullulum relevato, Stabulaüs ire perrexit, ubi ſe prius in excolendis inſtitutionibus monaſticis artius fixit. Quin in ipſo monaſterii introitu à quodam Johanne, nomine non opere monacho, conſpectus, conviciis & blaſphemiis ab illo incredibilibus eſt habitus, ita ut ab ipſo magis mortuus eo inferri optaretur, quam vivus tum ſuis viſibus præſentaretur: qui nequitiæ ſuæ conſenſum cum blaſphemantibus adjungens Phariſæis, de quibus voce Veritatis dicitur: *Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domeſticos ejus?* non ſemel os in virum Dei conviciando laxavit, ſed ſæpius mortem ipſi optando, ſuperbiæ verba reiteravit. Sed quia beati viri mortem cum faſtidio videndi eum optavit, ipſe mortem ſibi non multo poſt exinde comparavit. Nam ut ficus illa in Evangelio ex ſententia Domini quondam aruit; ita & hic ex vindicta Dei, ſervi ſui injurias ulciſcentis, totus mox areſcendo palluit, atque cum ipſo blaſphemiarum in

Stabuletum redit.

Calumniator divinitus punitur. *Matth. 10, 25.* *Matth. 11.*

[a] Hic Johannes inter Abbates ſancti Maximini in catalogo Sanctamarthanorum deſideratur, qui ex hoc loco ſupplendus eſt.

[b] De hoc & ſequentibus monaſteriis nihil hic notandum eſt, cum aliàs ſatis innoteſcant.

[c] Elo ſeu Ello aut Ezzo hujus monaſterii fundator inter ſanctos relatus eſt, cum uxore Mathilde & filiabus ſeptem, inter quas Richera regina Poloniæ.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXLVIII. Jan. XXV.

virum Dei momento, cum mors inopinata invaſit, atque ita ipſum ad ultimum uſque vitæ ſuæ punctum dolor horrendus præoccupavit, donec morte peſſima ipſe nihilo minus de medio fieret, atque ulterius alios blaſphemandi finem faceret.

Inobediens à dæmone corripitur.

35. Alio quoque tempore poſt veſpertinam ſynaxim in cella degebat, ſermonemque cum aliquantis Fratribus, apud illum tunc ſimiliter agentibus, non abs re trahebat: cum uni eorum, Adalberoni nomine, ut ſuperius oſtium occluderet cellæ mandavit, eidemque pro nocturnarum horrore tenebrarum ſæpius refugienti inſtare non ceſſavit. Ille vero qui inobedientiæ vitium ſemel & ſecundo ſubiit, tandem compulſus, ad ſibi juſſa tam tepide quam trepide abiit, atque eo quo juſſus fuerat, ſolus pervenit. Quem quia viro Dei non mox parere per inobedientiæ ſtimulos ſpiritus malignus ſuaſit, eum è veſtigio ipſe invaſit, ita ut inconditæ vocis ſtridore quoſque undecumque cieret, tamque ſubito non ſanæ mentis ſuæ ſpectaculo, eos qui convenerant permoveret. Ligatus ergo in oratorium adducitur, atque in medio coram diſponitur: ubi à Fratribus orationi inſtantius pro eo inſiſtitur, tum divinæ incantationis erga ſpiritum illum peſtilentem exorciſmus admittitur. Neque enim beatum Popponem cauſa rerum geſtarum latuit, quæ ex prædicti Fratris inobedientia ei innotuit. Qui mox ſumma cum gravitate ad Fratrem illum non ſanæ mentis devenit, alapamque tantum, ut alter Benedictus, in faciem illi dedit, ſpiritumque malignum ſine mora ejecit. Nullique dubium ſit eum prece non præmiſſa hoc potuiſſe, cum, beato Gregorio in Dialogis ſuis aſſeverante, Sanctorum quique ſigna aliquando ex prece, aliquando peragant ex poteſtate. Et hi quibus ſecundum Johannem dedit Deus poteſtatem filios Dei fieri, quid mirum, ſi per eos ſigna ex poteſtate valeant fieri, qui ex poteſtate ſunt filii Dei? Nam & Petrus Thabitam orando ſuſcitavit, Ananiam verò & Saphiram increpando in mortem ſtravit: quia vitam, quam illi ex prece contulit, iſtis mentientibus ex poteſtate abſtulit. His in argumentum hujus ſigni ſic ſe habentibus, cetera quæ de viro Dei ſunt, delectamentum ſui præſtent legentibus.

Quem ſanctus Poppo alapa fugat.

Dialog. lib. 2. cap. 30.

Johan. 1. 12.

Act. 9. 40.

Act. 5.

Malmundarium & Stabuletum reſtaurat.

36. Interea tam Malmundarienſium, quam Stabulenſium locorum renovationi operam dedit, in qua affectus ſui effectum, Deo opitulante, tandem invenit. Et apud Malmundarium quidem cryptam, ut facile cernere eſt, è fundamentis exſtruxit: Stabulaüs vero, qui omnes cum monaſterio officinas pro parvitate ſui vileſcere invenit, funditus eas everſum ire cœpit, atque in habitaculis amplioris ſitus exſtruendis plurimum impenſarum admiſit. Sed quia his humani generis hoſtis ſolito invidebat, fraudum ſuarum laqueos adnectebat, ſi forte virum Dei in cœpto opere præoccuparet, immo per eorum qui eidem tunc operi inſudabant, offenſam retardaret. Nam Hubaldo cuidam, cujus ingenio & labore id opus ſatis proceſſit, præcipitium à cancellis ingeſſit, ita ut toto corpore collideretur, omniſque virium ſpes, præter ſolum ſuſpirare, jam in eo non haberetur. Cujus caſu vir Dei comperto, tam pro eo, quam pro operis deſtitutione admodum condoluit: ſed tamen in hoc ſolitas medendi vires ex ſanctitate & virtute ſui non dehabuit. In ſua namque ſemotius eum transferri atque locari juſſit, & ex propriis, ſicut eum oportuerat, in cunctis accurari. Proinde ipſemet quiddam cibi & potus ſibi illati, benedictione etiam addita, illi dirigit, eumque, mirum dictu! ad ſalutem exinde mox erigit. Unde & diabolicæ fraudis eum ſubito machinamenta contigit eluſiſſe, omnemque cum colliſione memorati Hubaldi mærorem deterſiſſe: ita ut qui pro vita ſua diffidentiam incuſſit cernentibus, jam ſuis omnino ad opus priſtinum reſumptis viribus, jucundum ſpectaculum, è contrario & gaudium ingereret cernentibus.

Hominem ex lapſu colliſum ſanat.

Digitized by Google

37. Jamque opus illud in altum proceſſit, omnemque tam longe quam late locum è regione reſpexit; atque cooperante ſeptemplici Spiritus-ſancti gratia, omnis per ſeptennium in illo ſui redundavit efficacia. Neque ejuſmodi vir Dei ſufficere credidit; ſed in augmentum decoris, plura ornamentorum pondera addidit. Nam calicem miræ magnitudinis, auro gemmiſque egregie condonavit fabrefactum, & in corona auri argentique non modicum expendit apparatum: his quam complura per beatum virum dona tum in additamento dedere ornatum. Et ut hæc breviter in ſcriptis ſe habeant, quæcumque in tabula, cappis, palliis, reliquoque ornamento eo loci aut ſunt, aut fuerant, conſulto & opera beati Popponis illo eſſe cœperant. Marmoreas proinde columnas ad id ſimiliter opus, divina vere proviſione, inibi invenit, ubi nulli umquam ejus natura loci marmor invenire dedit. Et vere ipſo jam olim jaciente fundamentum, incœpti quondam operis Deus ſuperædificavit proventum, ut cum Apoſtolo littera & ſpiritu illud dicere poſſet, quod in ejuſdem ore Apoſtoli ſpiritu tantum ſe habet: Secundum gratiam, quæ data eſt mihi, ut ſapiens architectus fundamentum poſui; alius autem ſuperædificat. Quis, inquam, ſuperædificat, niſi ille, quo non ædificante, in vanum laborat qui ædificat?

Ann. Chr. MXLVIII. Jan. XXV. Eccleſiam Stabuleti variis donat ornamentis.

1. Cor. 3. 10.

38. Tam egregie prætereа quam ſtrenue ejuſdem eccleſiæ adminiſtratio proficitur, proque conſecratione illius in honore ſancti Petri, ſanctique Remacli, chriſmatione ipſius in omne conſilium à ſancto viro deſcenditur. Unde & ad id negotii HERIMANNUM [a] Agrippinæ Coloniæ archipræſulem, NICONEMque Leodienſem evocavit, quibus epiſcopos abbateſque complures ejuſdem rei occaſio una ſociavit: tum ut honeſtius hoc commendaretur, imperialem Henrici majeſtatem invitavit, cui poſt Conradum patrem ſucceſſio juſta Imperium adſpiravit. Præfinitus certe dies jam effulſit, qui ad eamdem domum Domini conſecrandam & chriſmandam Nonis Julii illuxit, ubi non modica cum memoratis viris turba confluxit. Quantos autem impenſarum donorumque uſus tam imperiali præſentiæ, quam reliquis Optimatum ad præſens tunc exhibuerit, quis pro iis ſcribendo modum dare poterit? Sed & à præfato Henrico ſui juris in Amblavia ceſpitem, qui in duodecim fere manſos extendebatur, teſtamentis legalibus ad ejuſdem loci uſus adſtipulatur, ac deinde eumdem encæniorum diem ex concurſu populi ulterius celebrem decrevit. Unde etiam uſque in præſens undecumque à populis ad præſcriptum diem accurrendi mos inolevit. Malmundarium inſuper, quod præfato loco tam attinere, quam adjacere ſemper habuit, ut firmius ad eumdem locum reſpiceret, præſcriptum Imperiale ſententiam impoſuit, confirmatis etiam his, quæcumque eo loci juſte videbantur pertinere, ne quis injuſte appetendi ea facultatis jura ulterius poſſet habere. Sed & beatus Poppo, ut Malmundarienſes profeſſionis ſuæ ſponſionem apud Stabulaüs agerent, perpetua lege ratum ſtabilivit: atque exinde in omnes ſucceſſores ipſorum hujuſmodi ſententia manavit. Conſecrata autem & chriſmata eſt præfata eccleſia in honorem principis Apoſtolorum Petri, ſanctorumque confeſſorum Martini & Remacli, anno Dominicæ incarnationis milleſimo quadrageſimo, Indictione octava, Henrici quoque Imperatoris anno ſecundo.

Quam ab Epiſcopis præſente Imperatore conſecrari fecit.

39. Tempore quo beatum Popponem Johanni cœnobium ſancti Maximini regendum accidit commiſiſſe, contigit & ipſum quædam in viſione ſuper ejuſdem regiminis receptione didiciſſe. Vox namque ad eum oraculo, ut vere conſtat, divino advenit, quæ eam certe ſententiam illi audire dedit, quæ ad Petrum olim à Chriſto prolata, paſſionem ipſius ita

Johannis Abbat. S. Maximini mortem prænunciat.

[a] Hic Ellonis Comitis Palatii filius fuit. Nico autem Leodienſem cathedram ab anno MXXXIX. ad annum MXLII. tenuit.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXLVIII. Jan. XXV. Joan. 21. 18.

prænuntiavit. Cum eſſes, inquit, junior, cingebas te, & ambulabas ubi volebas; dum autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo tu non vis. Divinitus hoc agi oraculum mox intellexit, atque prophetiæ oculis aliter id de ſe, aliter de Petro ſignificatum conſpexit. Sermonem interea ſuper Johannis ſæpe memorati regimine ad Fratres habuit, & de venturis tam in ſe, quam in illo, verba tamquam de præteritis conſeruit. Hoc tamen ſæpius inculcando docebat, quod eumdem jam Johannem mortis occaſus non longe reſpiciebat. Res itaque poſt modicum ex condicto viro Dei effectum invenit, vivendique finem eodem nimirum anno, ipſe dedit. Quo de medio facto, quia cæleſtis in ſe oraculi ſententiam pro humilitate aliquantum declinare contendebat, in regimine Bernardum quemdam ſuccedere jubebat. Qui ſimiliter annis vix duobus emenſis, rebus humanis eximitur; nihilque exinde quam metus cum ſtupore relinquitur. Ante proximam tamen ſui exitus horam, Fratribus ſibi circumſtantibus talem dictavit ſententiam, nullum, excepto præfato viro Dei Poppone, promovendum in regimine, ne ſimiliter & ipſe primo ſucceſſionis vel promotionis ſuæ deperiret in limine. Tandem, ne divinum ullo modo reſponſum evacuaretur, beatus Poppo idem cœnobium ſancti Maximini imperiali majeſtate repetere jubetur. Sicque quod fruſtra declinare contenderat, licet invitus tunc ſubierat, atque ut in viſione acceperat, manus ſuas ad paſtoralia extenſas præbuit, eoque ab alio ductus eſt quo ipſe noluit.

Abbates ob B. Popponis contemtum mortui.

40. Sed Lintburg, cui ſimiliter dum advixit, Johannes præerat, Gumbertus profeſſione & loco ſancti viri monachus, regendum ſuſceperat: ſed quod temere eodem beato à ſe non conſentiente Poppone, non ſuum præſumſerat, cum vita etiam ſua non multo poſt amiſerat, ita ut viſceribus ſuis paullatim digeſtis, diutina eum hujuſmodi ad mortem uſque pertraheret peſtis. Poſt quem Hagano, nihil ſimile veritus ſubintravit, quem ſimiliter gravis ad mortem caſus occupavit. Godestenum interea, cujus vita ſolitaria ſanctitate & fama ſui late jam percrebuit, à ſolitario & quodammodo eremitico propoſito ſuccedendi amor rapuit, *ita* ut recluſionis ſuæ clauſtra effringeret, ſoluſque quaſi ex ſanctitate ſui, quod priores non poterant, ipſe impune ſe facturum præſumeret. Sed quia cupiditatis ſuæ ſe ſtimulis non ſenſit exagitari, quem fama omnibus uſque adeo hominibus dedit honorari; in gravem mortis viam ex hoc incurrebat, quod velut ſuis ex meritis præſumere auderet. Nam tendens in altum cadit ab alto: quia quadam die in vallium ima à montis vertice caſum dedit, mortiſque occaſionem exinde invenit. Sicque omnes qui adverſus beatum Popponem tam ſupplantationis quam concupiſcentiæ fraudibus utebantur, in unum mortis locum colligebantur: paullatimque in dies cœnobii illius ſtatus deperiit, & uſque in præſens inopiæ ſuæ veſtigia oſtentare non deſinit.

Inſana curatur.

41. Reſidens ergo vir Dei Poppo Stabulaus, ubi ſtabilis laus à fidelibus perpetuo concinitur, ut hoſtias & laudes cum eleemoſynarum fructibus Deo perſolveret; contigit quamdam mulierem ſenſu perdito per montes & valles, campos & ſilvas, errando & dilacerando ſemetipſam, ad locum ignoranter deveniſſe ſupradictum. Hoſpitio alioqui vel municipio nullatenus teneri poterat, ſed caſu locum tunc memoratum ſubiit, & uſque ad ſecretarium viri Dei pervenit. Hora tunc erat, qua vir Dei Miſſarum ſollemnia expleverat, cum miniſtri aquam ad abluendas manus vel os porrexerant. Quod videns illa infelix mulier, eamdem aquam, in piſcinam de more projiciendam, petiit ſibi dari hauriendam. Qua accepta, mentis inſaniam non eſt ulterius paſſa. Monſtravit Deus in hoc facto, quanti meriti apud ſe exſtiterit ſanctus iſte. Quamvis enim diſpar ſanctitas beati

Digitized by Google

Benedicti patris monachorum fuerit, tamen in hoc opere imitator ejus claruit: quia ſicut ad illius ſpecum mulier ſanata rediit per ipſius merita, ita ad iſtius cellam per aquam ablutionis manuum vel oris ejus rediit & hæc curata. *Ann. Chr. MXLVIII. Jan. XXV. S. Greg. l. 2. Dial. c. 38.*

42. Stephanus quidam vir illuſtris, familiaritate beato viro conjunctus, depoſito cingulo militiæ in cœnobium ſupra dictum ſe contulit, ac monachum ſpopondit; qui quidem ſenio jam feſſus, diem exſpectabat ſupremum. Viſitatus ergo à Fratribus dixit ſe velle mori, ſed abſque licentia Patris non poſſe. Qui cum eſſet advocatus, benedictionem & viaticum ab eo promeruit, & ei ſicut petebat indulſit, ſicque diſceſſum eſt. Vir Dei ad cellam, unde digreſſus erat, rediit, & Stephanus viam univerſæ carnis ingreſſus eſt. Quis non miretur tantam Patris auctoritatem, & fidem diſcipuli morientis? antiquorum Patrum geſta per hunc Sanctum renovari videmus. *Diſcipulus ejus accepta venia, obit.*

43. Atrebatenſium interea rector Johannes hac de luce ſubtrahitur, ſanctitatiſque beati Popponis occaſio [a] Balduino Marchiſo pro ſucceſſore ingeritur. Qui ſuper hoc internunciis ſibi concurrentibus diu multumque laboravit, & licet ſero, ſancti viri ad id votum impetravit. Licentia tamen imperialis, quam in hoc idem Marchiſus reſtare adhuc videbat, non ſtatim id fieri ſinebat, præſertim cum multa tunc temporis eſſet diſſenſio, Orientaliumque atque ſuorum valida inter ſe contentio. Eadem tandem à Rege licentia beato Popponi permittitur, atque ita Atrebatum uſque advehitur. Et primum in [b] Naumene civitate cum [c] Vvazone epiſcopo Leodium devenit, qui ſibi ſpiritualis occaſione amoris ſemper animo inſedit, quem etiam à Leodio olim invidia pulſum ipſe ſuſcepit, peneſque ſe eum adprime accurare cœpit, tum etiam aliquantis ſibi ſuccedentibus diebus, illo unde exſulaverat revocavit, conſultoque ſui & favore poſtmodum ad pontificium delegavit. His etenim inter eumdum ſermo de cæleſtibus exoritur, animuſque ad ſuperna pariter ſuſpenditur: cum ecce beatus Poppo curſu ante prærepto: Eia, inquit, jam nunc te præeo; aliud videlicet agens, aliud vero prophetiæ ſpiritu ſuper obitu ſuo jam imminente ſignificare volens. Suſceptis interim à præfato Antiſtite his quibus ſe tunc ad tempus opus habere videbat, Atrebatum uſque, ut prælibavimus, deveniebat. Ubi pari omnium affectu egregie ſuſcipi meruit, utpote cujus ſanctitas olim ipſis deſatis experimento fuit. Singulis proinde res pro dilectione ipſius agitur: & quod cuique uſque ad tunc ſuum fuit, coram ipſo ponitur, ut vere Apoſtolica inter eos tempora haberentur; dum res quæque ab illis quibus cor unum & anima una erat, ante pedes Apoſtolorum ponebantur. His itaque magis prodeſſe quam præeſſe cœpit, & adminiſtrandis cum utili & honeſto eorum rebus Emmelinum virum prudentem præfecit, qui præfati antiſtitis Vvazonis carne germanus, ſanctique viri cooperator, &, ut vulgo dicitur, dextera manus fuit. *Fit abbas S. Vedaſti.*

44. His ita ſe habentibus, ad beati viri de hac vita exitum ſtilum vertamus. Præſciens itaque beatus Poppo diſceſſus ſui ex hac carne horam ſe prope reſpicere, iter quod Stabulaüs ſpectat, perrexit intendere; ut locus ille, qui ſe artius ſub monaſtica habuiſſet inſtitutione, ſibi in ſua non deeſſet depoſitione. Diſcedens vero inde, caritatis veſtigia ſuis reliquit, ſinguliſque per tricenos dies ſingulos dari biberes præcepit. Quod quidem caritatis edictum per totidem dies penes eos inolevit. Precibus itaque ad- *Mortem ſibi imminere prævidet.*

[a] Balduini Barbati, de quo ſupra, filius, qui Pius poſtea dictus eſt.

[b] Namurcum ſcilicet, Gallice *Namur*, urbs celebris, quæ hic Naumene dicta videtur à Namen, quo nomine à Teutonibus deſignatur. Nannetem in Aremorica interpretatus eſt Surius, ſed quid hic cum Britannia commune?

[c] Wazo Nithardo ſucceſſit, vir pietate illuſtris.

Ann. Chr. MXLVIII. Jan. XXV. *Marchienes.

miſſis, licentiam Marchiſi ſuper hoc invenit, ſicque reverſionis ſuæ viam ingredi cœpit. Præfatus tamen Marchiſus * Marcianas cœnobium tutelæ ipſius delegavit, & ut in ipſo regreſſionis ſuæ articulo ſingula illic accuraret, mandavit. Quod quidem onus magis invitus, quam ſpontaneus ſubiit, locumque illum tam viſitatum quam accuratum adiit. Ubi honeſtate & ſeveritate egregie diſtincta monachorum illic accurrit proceſſio, quæ indicio videntibus fuit, quanta ſanctitatis ejus in illis exſtitit dilectio. Cœpit interea cunctis ſingula quæ uſui forent providere, & ut evangelicus ille Diſpenſator, neceſſaria ſine typo præbere. Sed quia multimoda rerum occaſio alio eum trahebat, nec ſe ſolum ad omnia ſufficere videbat, in adminiſtrandis his Balduinum, Atrebatenſium poſtea abbatem, ſecundum ſibi promovit. Et jam ultimo exitus ſui tempore imminente, ipſoque in cella paullulum ſopori indulgente, ſomnia phantaſticis, immo diabolicis imaginata illuſionibus ſe prætendunt, dæmonemque quaſi prope adſtantem ſibi oſtendunt, qui minas viro Dei intentans, illo de loco eum citius migraturum adjecit. Cui vir Dei: Deus, inquit, cujus nutu hujus loci in me proceſſit adminiſtratio, & quando vult & quomodo vult, me hinc per eum reſpiciet diſceſſio. Et mox dæmon impetu dato, ipſum niſus eſt appetere, gravemque per viſum moleſtiam injicere. Unde & phantaſtica illuſione conſtrictus, verſum illum ex centeſimo viceſimo-tertio pſalmo ſubinferendo exclamavit: *Adjutorium noſtrum in nomine Domini.* Eoque clamoris ſono tam ipſe, quam qui coram ſe obdormierant, expergefacti evigilant: lucernamque, quæ ante illum eo quidem noctis tempore lucere ſolebat, vir Dei exſtinctam conſpexit; hocque inimicum effeciſſe, evidenti præteritæ viſionis indicio intellexit.

Marcianis Balduinum præficit.

A dæmone terretur in ſomnis.

Pſal. 123. 8.

45. Nec mirum eſſe debet, hæc in virum Dei per ſomnia dæmonem valuiſſe, quem nec per ſomnia aut ænigmata, ſed facie ad faciem ipſum verum Deum verumque hominem ſcimus tentando petiiſſe, tum de loco ad locum pro nequitiæ ſuæ voto duxiſſe. Ipſe eſt etenim, qui humani generis calcaneo inſidias fingit; & cum ſanctis importuna ſuæ malitiæ bella intendit, nunc his viſibilem quodammodo ſe præferens, nunc illis phantaſtico ſomniorum horrore ſe ingerens. De quo etiam ſomniorum genere illud ſcriptum legimus: *Multos errare fecerunt ſomnia; & exciderunt ſperantes in illis.* Et licet paullulum à propoſito degredimur, tamen id quod propoſitæ rei occaſione ingeſtum eſt loquimur. Sciendumque eſt, ſecundum pleroſque ſex, & ſecundum alios quinque ſomniorum modos tantum inveniri. Et ſex quidem, ut in divinis paginis legimus, non abs re hic interſerimus, quæ ventris plenitudine, inanitate, illuſione, cogitatione ſimul & illuſione, revelatione, cogitatione ſimul & revelatione, eveniunt. Sed duo, quæ prima poſuimus, experimento noſcuntur; reliqua vero quatuor, atteſtante beato Gregorio, in divinæ Scripturæ paginis inveniuntur. Et quidem beatum hunc virum Dei Popponem illuſione conſtat tentatum, quem tamen ab ejus læſione pro ſanctitate ſui, Deo illi opitulante, vere conſervatum credimus. Qui vero præfatorum diſtinctiones ſomniorum in quinque tantum modos noſſe deſiderant, Macrobium in ſomnium Scipionis legant, nihil diverſum inter utroſque reperturi, ſi intime eorum ſignificatio inſpiciatur.

Eccli. 34. 7. Varia ſomniorum genera.

Dialog. 4. cap. 48.

Macrob. lib. 3. cap. 3.

Extremus Popponis morbus.

46. Sed his occaſione, ut diximus, rei propoſitæ interſertis, reliquum de beato viro his commendetur in ſcriptis, quem Deus à negotio perambulante in tenebris, & ab incurſu dæmoniaco defenſionibus protegebat aſſiduis. Signo interea crucis ſibi facto, ſervitutiſque divinæ penſo, quo reliquum noctis impendebat, peracto, valida febrium ægritudine incœpit fatigari, atque inexhauſtis doloribus jam ad ultima vitæ perurgeri. Unde & dominum Everhelmum Altimontenſem abbatem, qui ſecutus eum

Digitized by Google

illuc uſque fuerat, ceteris una cum Fratribus evocans, reſolutionis ſuæ diem imminere prædixit. Deinde ad viſitationem, unctionemque ſui præfatum Abbatem nihilominus admonuit. Adjecit inſuper eidem, ad priſtinum profeſſionis ſuæ locum Stabulaüs, ſe poſt mortem ab eo deferendum, corpuſque ſuum à læſione ferri alienum, illo utique dormitionis ſuæ locum obtenturum: ſingulas etiam divertendi manſiones ſibi mortuo prævidens, quas ſi adviveret, ipſe utique ad ſimile hoſpitandi opus eſſet electurus. ANN. CH. MXLVIII. JAN. XXV.

47. Expletis deinde pro ſe omnibus, cilicium quod ſibi ſterni fecit, nudis pedibus adiit, terramque tam corpore quam pectore prono deoſculans, ſe ſupinum collocavit: tum reſponſorium ſe circumſtantibus injungendo, hoc dumtaxat modo inchoavit: *Subvenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini*; quod quidem injunctum circumſtantium caterva Fratrum excepit, atque in finem uſque cum ſubjuncta etiam Litania perfecit. Poſt cujus expletionem ipſe mirum in modum ad ſe rediens, rurſum reſedit, initiumque loquendi ita inſuper dedit: Noveritis certe, Fratres, quædam in agendis per me rebus reſtare, Deumque loquendi adhuc vobis ſpatium mihi præſtare. Nec abs re hæc ad ſe rediens, dixit, quia quæ oportuerant fieri, minuſque adhuc impleverat, dicendo & agendo poſtmodum effectui mancipavit. Et primum de erogandis, quæ ſibi eatenus fuerant, rebus conſultum admiſit: ex quibus quaſdam eccleſiis Dei in augmentum miſit, quaſdam vero amicis pauperibuſque Chriſti in monimentum ſui diſperſit: itaque omnem inimico avaritiæ ſuſpicionem ipſe deterſit, illud Apoſtolicum recolens: *Nihil in mundum hunc intulimus, ſed nec auferre quid poſſumus*. Theodericum interea, quem ipſe olim, ut præfati ſumus, in omni doctrina nutrierat, adire ſuos quantocius jubebat, ut imperialem præſentiam pro ipſo ſuis ex verbis feſtinarent compellare, atque in regendo ſancti Maximini cœnobio paſtoralem curam ſubire. Cui cum adſtantes dicerent: Quid ſuper Stabulaüs decernitis agendum? Nihil, inquit, aliud, mihi vobis ſuper hoc dicendum, quam quod ſoli Deo illud velim eſſe commendatum. Hoc, ut dixi, ſoli certe Deo committo, nec alium, quam ipſe providerit Rectorem admitto.

In cilicio humi recubat.

De ſuis rebus diſponit.

1. Tim. 6. 7.

48. Sacerdotali demum auctoritate & ſtola, criminum veniam Fratribus impendit, orationiſque verba extenſis manibus hunc in modum depromſit: Da Deus immenſe, ineffabilis, & magne, ut ſi vere converſus ſum, hoc ejuſmodi indicium habeam, quatenus ſcilicet in ſancti Pauli Converſione, quæ hac quidem nocte inſtat, è carne tranſeam; quod ut fieret ſemper optavi, ſemper te Deum rogavi. Et hæc dicens, ſe cilicio recolligi præcepit, ultimumque loquendi finem dedit. Cum ecce mediæ noctis articulo mirum in modum manus levavit, atque extremum, eo quo poſcebat tempore, matutinali expleto officio, ſpiritum efflavit. Conclamatum ſubito eſt à circumſtantibus: Ecce, ô beate Poppo, hæc hora ſanctitatis tuæ indicio eſt omnibus. Ecce quantum bonitatis tuæ gratia meruit, in ſapientia ſua Deus mundo innotuit. Nec facile erat quemquam ſibi à lacrymis tunc temperare, cum tam feliciter ad eum, cui ſemper vivebat, meruit migrare: feliciter, inquam, migravit, qui felicibus ſemper auſpiciis virtutes in ſe augmentavit. Quod quidem ne quaſi negligentia præterire videamur, in argumentum tam egregii exitus ejus dicere, prout vires ſuppetent, aggrediamur.

Orat.

Efflat animam.

49. Erat enim ei compunctio cordis ex infuſione ſancti Spiritus affluens, cujus etiam primo converſionis ſuæ tempore in tantum erat appetens, ut cum quoſdam Fratrum in lacrymas exinde excitari videret, ſeque ſimilia non poſſe doleret, ſumto lapide, pectus eo contunderet, ut hoc forte modo vel modica compunctionis ſtilla ſibi flueret. Cujus deſiderii ſui compos non poſt modicum effectus, tantam compunctionis à Deo gratiam eſt ade-

Ejus virtutes.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXLVIII. Jan. xxv. ptus, ut eo quo ſæpe genu centies flexo die & nocte orationi incumbebat, omne lacrymis inundare pavimentum dederit. In celebratione proinde Miſſarum * caſubulam, qua induebatur, lacrymis humectabat, interque prandendum magis lectione quam comeſtione paſci amabat; & vere pro lacrymis, quas inde fundere ſolebat, cum Pſalmiſta dicere habebat: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte.* Quid vero ſuper corporis ſui dicam afflictione, ſuperque carnis interitu & contritione? Quam in tantum jejuniis flagellisque atterebat, ut quicquid vitioſum ſua caro adverſus ſpiritum concupiſceret, ipſe flagellis propria ſibi manu clam illatis extergeret, & pro hoc in ſe ipſum vindicta per ſe ipſum procederet. Balnearum vero uſus illi rarus fuit in infirmitate, qua aſſidue laborabat: numquam vero ante infirmitatem, poſtque converſionem ſibi admittebat: tum etiam à ſaginatis cibariis omnimodis abſtinebat. Nec ſolum ad carnis macerationem hujuſmodi abſtinentia illi ſufficere viſa eſt, ſed inſuper ad crucifigendum ſe mundo, peregrinationis ſibi cruces adjecit, ſæpe limina adiens Apoſtolorum, ſæpe etiam, atque, ut ita dicam, uſitatius excubias ceterorum frequentans Sanctorum. Nec dici poteſt quanta omne ſui judicium diſcretione temperaverit, quantum juſta illud miſeratione honeſtaverit. Et revera cum beatus Job oculus cæco, & pes claudo exſtiterat, cauſamque pupilli & pauperis, ut ſuam, immo magis, accuraverat: atque excepto quod quotidianis eos alebat ſumtibus, trecentos ſingulis Calendis Chriſti pauperes plene reficiebat. Deſtinabat etiam plura tam auri quam argenti donaria eremiticam ſolitariamque vitam ducentibus, quampluribuſque à regimine dejectis conſulendo Rectoribus, ſuis opibus & eos relevavit, & ad priſtinum regiminis locum revocavit.

*i. Caſulam. Pſal. 41. 4. Job. 29. 15.

50. Et ut omnes probitatis ejus virtutes compendio referantur, & ex relatione antiquorum fidem legentibus concedant, erat fide firmus, ſpe longanimis, caritate non fictus, compaſſione ſingulis proximus, & ad omne opus bonum mente & vultu ſemper promtiſſimus: arguebatque ſubjectos clementer, tolerabat patienter: & ſi quem pro quovis crimine vellet corripere, in ſe prius deſcendens hoc velut ſuum plangebat, ſecundum illud Apoſtoli: *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, inſtruite hujuſmodi in ſpiritu lenitatis, conſiderans te ipſum, ne & tu tenteris.* Et ut vigiliarum orationumque ejus prætereatur inſtantia, libet enim præterire communia, in carne vere Angelus vixit, dum ſemper in cæleſtibus, ubi Angeli faciem vident Patris, animum fixit. Et pro hoc cuique fidelium miracula, & quæ diximus, & quæ dicenda ſunt, ad fidem faciendam ſufficiant, proque ſanctitate ipſius, totius diffidentiæ caligine excluſa, ſatisfaciant. Obiit ſane octavo Calendas Februarii, anno incarnati Verbi milleſimo quadrageſimo-octavo, Indictione prima, ætatis ſuæ anno ſeptuageſimo, imperii vero Henrici ſecundi anno decimo.

Gal. 6. 1. Obit.

51. Sacerdotalibus interea infulis, ut ſacris adſtare altaribus ſolebat, veſtitur: ubi ex ſacro corpore ejus gratiſſimæ ſuavitatis fragrantia ſentitur, quæ olim ſibi viventi in virtutibus amplius fragrarat, & nunc in carne ipſius redolere non ceſſat. Alba etiam * caſucula ſanctum illud corpus Fratres curabant veſtire, cujus anima felicius in cæleſtibus inter amictos ſtolis albis primam meruit ſtolam invenire. Oratorio deinde exponitur: nox illa cum precibus uſque jam in crepuſculum lucis pro eo tranſigitur: cum ecce apparatis his, quæ ad transferendum eum providerant, clam è patriæ ipſius limine exierunt. Et in eiſdem certe hoſpitandi locis manendo, quæ ab illo vivente didicerant, Leodium uſque devenerunt, præmiſſoque nuntio beati viri adventum Vvazoni, ejuſdem civitatis antiſtiti, intimaverunt. At ille vivum eum tunc venturum gaudendo primum æſtimavit, ſed cum ei, ut ſe res de morte ejus habuit, nuntius peroravit, clamoribus & lamentis inconſolabiliter ſe urgere, & quod dilectionis ſuæ talem amiſerit

Odorem ſuavem corpus ejus emittit. *ſ. caſubula. Stabuletum transfertur.

Digitized by Google

ſerit compotem, incredibiliter cœpit dolere. Poſtquam vero lamenta, non dolor, aliquantulum conquievere, ejuſmodi fama, quæ omne Leodium jam implevit, auctoritate etiam Pontificali hoc univerſis ejuſdem civitatis cœnobiis edictum dedit, ut cum crucibus, lampadibus, atque thymiamateriis illud ſacrum corpus exciperetur, & ea quæ talem Dei deceret ſervum, honorificentia proſequeretur. Quod quidem, permixtis ſibi cunctis, cum devotione ſimul & dolore contigit fieri: nec fuit quem compunctio cordis pro hujuſcemodi rebus, intrinſecus non tetigerit. Et nos quidem, qui de eo hæc ſcribimus, ipſi ſimiliter toti in funere ſumus; quanto magis hi, [a] qui ejus tunc exſequiis interfuerunt, dolorem pro amiſſione tanti taliſque viri habuerunt? Sed ſi ideo eſt dolendum, quod eum, quem carum habuimus, amiſimus; multo magis certe gaudendum, quod in cæleſti eum manſione interceſſorem pro nobis præmiſimus. Pauperibus prætereea Chriſti memoratus Antiſtes pro ſancto viro eleemoſynarum ſtipem dedit, & ad Stabulaüs uſque cum ceteris exſequias illas venerabiles proſequendo detulit. Nec difficultas itineris aut temporis incedentes vel modice defatigavit, præſertim cum brumalis rigor omnem ſuperficiem terræ tunc occuparet, Dei proculdubio virtute ibidem operante, ſervique ſui Tranſlationi inviſibiliter favente.

Ann. Ch. MXLVIII. Jan. XXV. Leodio tranſiens honorifice excipitur.

52. Tandem ad Stabulaüs, ut diximus, pervenitur, omniſque loci illius tam laïcorum quàm monachorum turba doloribus ejulatibuſque ambitur, ita ut pſallentium voces ejulantium quidem clamor exſuperaret, & in parvulis etiam gemitum affectus provocaret. Sepultura mox poſt Miſſarum ſollemnia illi in medio cryptæ, ubi ipſe vivus elegerat, aperitur, atque ibidem id officii, non ſine angelica præſentia peragitur. Nam memorato Antiſtiti, cui facile ſuis pro meritis hoc cernere fuit, viſio angelica inter exſequias illas apparuit; qui adſtantem ſibi miniſtrum, utrum idem videret ſæpius repetens conſuluit. Sed quod ille pro meritis, ut præfati ſumus, videre meruit, non noſtrum judicare eſt, cur nemo id videre potuit: niſi forte quod nulli circumſtantium ad præfatam viſionem ſanctitas ſui ſuffecerit, vel quod nemini, excepto ipſi Præſuli, revelare Dei gratia voluerit. Et jam ſol ſextum circa inſepulti corporis funus diem perfecit, nec tamen priſtina in illo fragrantia defecit: ut certe ejuſmodi teſtes ſunt qui adfuere, quod velut pulveris pigmentarii ſuavitatem in ipſo ſenſere. Quaſdam vero litteras exhortatorias, à venerando abbate Richardo olim de caritate ſibi conſcriptas, una cum calice pectori ejus ſuperpoſuere: quarum etiam litterarum exemplar in eodem monaſterio poſteris reliquere, ut in eo amborum conſenſus & dilectio experiretur, quidque caritatis gratia valeat à legentibus ibi inveniretur. Hæc nos quidem de obitu tranſlationeque beati viri dixiſſe ſufficiat, de cujus virtutibus & miraculis fides legentibus non deficiat, præſertim cum ex teſtibus, qui ea oculata didicerunt fide adſtipulentur, firmiuſque his in ſcriptis corroborentur.

Sepelitur.

53. Ceterum cur ad ſepulcrum ejus miracula crebrius non fiant, nemo miretur, nec propter hoc ea, quæ vere de eo diximus cauſetur, cum ipſe adhuc in carne vivens, pleriſque Fratrum audientibus, atteſtatus fuerit, quod numquam delectatus ſit mirabilia facere, nec umquam hanc gratiam ſibi dari à Deo expetere præſumſerit. Et quamquam pro humilitate favorem erga ſe populi in vita timuit, non tamen miraculorum gratia mortuus caruit: quia poſt mortem nequibat latere, quem ante mortem ad hoc Deus inſpiravit, ut vellet latere. Pauca tamen è pluribus hic inſeram,

Miracula poſt mortem.

[a] Ex hoc loco confirmatur id quod in prævііs obſervationibus conjecimus, hanc vitam ſcilicet ab Onulpho ſcriptam, deinde ab Everhelmo emendatam & auctam fuiſſe; nam quod hic auctor annuit ſe beati Popponis exſequiis non adfuiſſe, Everhelmo convenire vix poteſt, qui ei extrema ſacramenta adminiſtraſſe, & ejus morti adfuiſſe dicitur ſupra num. 46.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXLVIII. Jan. XXV.

gloriamque Dei in ſancto ſuo, non ſine legentium admiratione, referam.

Herimannus vitæ reſtituitur ut inobedientiam expiet.

54. Herimannus ejuſdem monaſterii monachus ſimul & Portarius, tribus ferme poſt beati viri depoſitionem menſibus emenſis, infirmitate correptus, ad ultima vitæ ſuæ pervenit; loquendique finem in agone ſuſpenſus dedit, ita ut nec reſpirare ullo modo videretur, nihilque aliud in eo, quam ipſa mors æſtimaretur. Qui miro quodam modo poſt duarum fere horarum ſpatium ad ſe rediit, & quod ad judicium raptus fuerit, Fratribus ſibi adſtantibus retulit, ſinguliſque criminum ſuorum maculis in confeſſione deterſis, pro uno tantum conventus fuerit, quod erga beati Popponis ſtatuta admiſerit. Ajebat namque: Noveritis me de ſingulis actuum meorum criminibus confeſſionem feciſſe, unum tantum oblivioni reliquiſſe, quia agrum paſcualem, quem beatus Poppo cuidam crediderat, hunc mea olim auferre ſuperbia præſumſerat. Pro quo & ego ad judicium raptus, temeritatiſque erga virum Dei ſum exactus, tandemque ejuſdem ſancti viri interceſſione huc remeare, crimenque hujuſcemodi tam precibus veſtris quam confeſſione permiſſus ſum expiare. Fratribus vero multa ſuper præfato viro Dei rogantibus, id de ipſo adjecit omnibus, ſe eum honeſtate & reverentia commendabilem inter cæleſtis aulæ primates vidiſſe; ibique interceſſione ipſius redeundi occaſionem accepiſſe, eumque rurſus videndi ſpem ſibi de reliquo accreviſſe: ſi tamen preces ipſorum pro ſe ad Deum præmitterentur, atque ita contra ipſius ſtatutum temere à ſe commiſſa expurgarentur. Proinde adjecit, neminem in virum Dei impune quid poſſe admittere, atque in hujuſmodi argumentum rem in ſe clareſcere. Mox pro eo Fratres orationi inſtabant, quodque contra viri Dei ſtatutum deliquerat, precibus expiabant; cum ecce ſine mora ultimum efflavit ſpiritum, ut profecto intelligi daretur, ipſum ideo in carne accepiſſe redeundi facultatem, ut quod in virum Dei deliquerat, hic à ſe detergeretur, verumque de eo quod dixerat, judicium relinqueretur. Lætare ergo Stabulenſium eccleſia; lætare, inquam, ex tanti viri præſentia: quia ut Turonica civitas in Martino ſuo ſuper mirabilibus gloriatur: ita etiam in Poppone tuo ſtatus tui magnificatur: dum & ille mortuum vivus ſuſcitavit, & iſte monachum ad judicium extra ſe raptum mortuus ad vitam revocavit. Magnum quidem eſt mortuum ſuſcitare; magnum etiam eſt, hominem ad judicium raptum, ad ſe revocare: cum neutrum niſi à ſanctis fieri valeat, qui præſentia Dei mirifice perfruuntur. Et vere in hoc patet, beatum Popponem poſt mortem etiam vivere, curamque ſuorum apud Deum ſemper gerere.

Moribundus à dæmonum terroribus liberatur.

55. Alio quoque tempore puer quidam Gozo, idemque monachus viri Dei, ſcholari adhuc diſciplinæ ſubjectus, valida corporis infirmitate correptus eſt. Qui ſe mox viſitari petiit, & oleo inungi, pſalmiſque & precibus Deo commendari. Quod cum ageretur, illique à Fratribus *in prece*, & infirmitatis ejus viſitatione adſtaretur, exclamavit ſubito dæmonum phalangem, Æneæ, & Turni, aliorumque ex Virgilio virorum vultus imitari, ſeque ab eis, qui ſibi in diſcendo plurimum uſui fuerant, uſque ad animam infeſtari. Fratribus vero, ut ſibi Crucis ſignum prætenderet, hortantibus, ſeque non poſſe illo reſpondente; mox dominum abbatem Popponem adeſſe exclamat, eumque Fratribus ignorantibus quem ſignificaſſet, inclinato capite ſalutat. Quem cum adſtantium Fratrum caterva, quid videret inquireret, aut quemnam ſalutaret: Num, inquit, dominum abbatem Popponem in medio veſtri non cernitis, & ad ejus præſentiam omnem dæmonum phalangem effugiſſe non conſpicitis? Adjecit proinde, ſe eorum manibus, præfato ſuccurrente Abbate, ereptum, ſecuritatiſque remedia de eis ultra adeptum. Quo iſta perſequente, doloreque ſimul cum tremore in ipſo conquieſcente, ſpiritum ultimum exhalavit, & tam ve-

Digitized by Google

rum quam manifeſtum eorum quæ dixerat, indicium oſtentavit: ita ut cum beato Poppone vere inde migraſſe crederetur, & in eo erga omnes Fratres beati viri ſimilis ſollicitudo intelligeretur. Cujus quidem pueri corpus à coætaneis ſibi ſociis favore pariter & dolore circumdatum, & ante ſcholas, licet quibuſdam invitis, eſt ſepultum: pro quo etiam gemitus ipſorum tanto fuit intolerabilior, quanto ad eum affectus omnium in vita ipſius exſtiterat amabilior.

Ann. Ch. MXLVIII. Jan. XXV.

56. Eodem tempore exſtitit quidam magiſter carpentariorum, Thietmarus nomine, qui à viro Dei Poppone valde carus habebatur propter peritiam artis ſuæ. nam illi Deus inſpiraverat, quemadmodum Beſeleel, opus perficere in domo Domini ſecundum voluntatem viri Dei. Monſtratur id videntibus præſentis baſilicæ ſtructura admirabili. Hic ſynaxi veſpertinali expleta, venit ad quoſdam Fratres in clauſtro cum non parva, ut proſequemur, triſtitia; & ecce præſens ſedebat nepos ſancti viri EVERHELMUS Altimontenſis abbas, qui percunctari cœpit quid cauſæ haberet. Reſpondit ſe privatum eſſe beneficio, quod ſibi jure perpetuo conceſſerat homo Dei Poppo. Et ille: Non eſt, inquit, mortuus dominus tuus Poppo, ſed vere vivit: perge quantocius ad ipſum, & narra ei ſi quid habes. Credidit homo ſermoni quem audivit: & præpeti curſu ad ſepulcrum viri Dei pervenit, ibique amariſſime quæ ſequuntur clamitando, ſuper corpus ſanctum ſe proſtravit: Heu me, inquit, Pater & domine, ut quid me diutius ſinis vivere in convalle plorationis? Conteſtor te per Omnipotentem, cui in hac vita fideliter ſerviſti, ne me permittas in hac miſerabili vita octo diebus vivere. Ut ergo ſe exauditum credidit, ſurrexit, domum rediit, in lectum ſe projecit, viaticum petiit & accepit; & ſicut à ſancto viro petierat, ante octavum diem de hac luce ſubtractus eſt.

Alius à S. Poppone mori impetrat.

57. Præterea plurima ſanitatum beneficia per eum Dominus operatur. Febricitantes, dæmoniaci, aliique languidi ad ſepulcrum ejus, Deo cooperante, curantur. Unum tamen præclarum, quod omnibus pæne notum eſt, in medium proferam, ut ex hoc fides credentium incaleſcat. Æger quidam diu vexatus hydropico morbo, adductus eſt ab occidentali plaga, & in baſilica ſancti & apoſtolici viri Remacli, mirabilium factoris, & in præſentia corporis ejus eſt collocatus. Qui per ſeptimanam ibidem diu cupitam ſalutem præſtolans, tandem feſſus ſopore deprimitur. Et ecce videt ſibi ſanctiſſimum ac Deo dilectum Remaclum adſtare nimio ſplendore radiantem, & hæc ſibi dicentem: Surge & ad ſepulcrum abbatis Popponis, quod eſt in hac crypta, propera. per eum enim tibi ſalus proveniet. Expergefactus igitur æger ſurrexit, & utcumque potuit, illuc pervenit: ſeque toto corpore ſuper illius proſternens mauſoleum, devotiſſime implorabat ejus interventu Dei adjutorium: cum ſubito virus omne, quod per membra ac vitalia diffundebatur, conglomeratum, ut quondam attactu ſancti Martini, immo Deo ſervum ſuum glorificante, quam grandiſque meriti apud ſe fuerit oſtendente, more torrentis, magno vomitu per gutturis meatum inundavit repente. Statimque homo incolumis ſurrexit, qui pæne deſperatus advenerat; & gratias agens Deo in ſanctis ſuis Confeſſoribus, lætus ad propria repedavit. Quis non ſtupeat evehtu hujus inuſitati miraculi, mandans illud ſtilo memoriæque in profectum poſteritatis; ut magnificetur Dominus, qui illum dignatus eſt per ſervum ſuum curare? Idem præfatus athleta Dei, dum in terris hominem geſſit, nimio ſudore Chriſto ſanctiſſimoque ejus præſuli Remaclo ſervivit: unde & civis eſſe ſanctorum domeſticuſque Dei hoc facto declarari meruit. O felix Stabulaüs, tanti pontificis Remacli membra continens, cui ad tutelam loci ipſius adjunctus eſt famulus Dei Poppo, ſcutum inexpugnabile contra omnes inſidiantes inimicos. Non enim accidentale nomen tibi, ſed eſſen-

Hydropicus ad ejus ſepulcrum ſanatur.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXLVIII. Jan. XXV.

tiale adhæſit tibi Stabilis laus, abjecto vulgari illo, ab ignorantia profecto, Stabolaüs: quia tibi Stabilis laus perpetuo non exſtinguetur, ſicut luminaria cereorum brumali tempore flantibus ventis ſub divo non quibant extingui, quando ſuſceptum eſt corpus beati Popponis à Fratribus præfati loci.

Everhelmus vitæ ſcriptor.

58. Ego igitur EVERHELMUS, Altimontenſis abbas, hunc libellum poſitus in cœnobio Blandinienſi, ſcribendo ſummatim perſtrinxi; non ut omnia, quæ de beato viro dicenda erant videlicet comprehenderem. Quem dum deferre ad locum memoratum diſpoſuiſſem, ſocios itineris mei aſſumſi in hoc tomello, ONULPHUM monachum, qui in præfatiuncula hujus libelli ſcriptus eſt, & ODULFUM Capellanum Comitis Lamberti. Qui cum in via de vita & ſpe futurorum ſedulo colloqueremur, frequenter etiam hunc libellum Odulfus revolvebat mecum, beatum beatificans virum, qui ſic præſentis ſæculi evaſiſſet naufragium. Quid plura? Tandem pervenimus Leodium, ubi tunc temporis ſancti Lamberti martyris recolebatur martyrium. Poſt Miſſarum ſollemnia inde digredientes, ut ad viri Dei properaremus tumulum, Onulfus Odulfi conſilio deceptus, recuſat cœptum iter peragere mecum, neſcio quid de viri ſancti meritis proferens ad alterum. Aïunt ergo ambo: Iter perage tuum: nos vero in ſancti Trudonis cœnobio tuum præſtolabimur reditum. Ad hæc ego, eorum fidem infirmam conſiderans, aïo, eos pœnitere in proximum. Et inde progreſſus, ad beati viri tumulum pervenio, unius tantum contentus conſortio pueri. Extrahens ergo libellum de ejus geſtis editum, non ſine contritione cordis ſuper ſepulturam piiſſimi Patris depoſui. In craſtinum vero ad comites mei itineris rediens, eos triſtes mæſtoſque nimium reperi. Nam alter percuſſi equi ſui damno graviter dolebat; Odulfus autem lurida peſte multatus gravius gemebat. Quem cum intuerer, primo exorſus ille: Heu me, ait, domine, cur tecum cœptum iter diſtuli peragere? Ecce nunc morbo dyſenteriæ, immo divina percuſſus virtute pereo. Quem blande leniterque conſolans, hortatus ſum monaſticum ſuſcipere habitum. Poſt hæc abii: & ille non longe poſt obiit, exemplum ſuæ prævaricationis relinquens poſteris, ne præſumant detrahere virtutibus viri Dei Popponis.

Popponi detrectantes puniuntur.

Ann. Ch. MXLVIII. Jul. XIV.

VITA V. OLBERTI ABBATIS GEMBLACENSIS.

Ex libello de geſtis abbatum Gemblacenſium.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vitæ ſcriptor.

1. *GEMBLACENSE monaſterium hoc ſaculo illuſtravit Olbertus, quartus ejuſdem loci abbas, cujus acta excerpſimus ex* libello de geſtis abbatum Gemblacenſium, *quem Acherius noſter tomo 6. Spicilegii evulgavit. Is porro liber in mſ. codice ex quo erutus eſt, Sigeberti Gemblacenſis monachi celebris nomen præfert. quem tamen ejus auctorem eſſe infitiatur Acherius, tum quod ipſe, inquit, libelli auctor Sigebertum tamquam magiſtrum ſuum laudet, & quidem jam è vivis ſublatum: tum quod inter Sigeberti opera, quæ quidem eo in libello ſingula recenſentur, nulla ipſius libelli mentio fiat. Ne vero opus iſtud à Sigeberto inchoatum & à diſcipulo ejus quopiam completum dicatur, obſtat, uti contendit Acherius, quod auctor,* eumdem ac certum ſcribendi modum ab exordio ad finem *uſque*

An Sigebertus.

Digitized by Google

ſervaverit. Verum hæ rationes tanti momenti aliis fortaſſe non videbuntur, ut tituli, quem ipſe liber præfert, auctoritatem valeant elevare. Præterea hunc eſſe ſincerum Sigeberti fetum perſuadere videtur ipſa Sigeberti auctoritas, qui in fine libri ſui de ſcriptoribus eccleſiaſticis inter alia opera à ſe elucubrata libellum de geſtis Gemblacenſium abbatum *recenſet. In libello autem quem Acherius edidit, nihil habetur quod Sigeberto non poſſit tribui, præter pauca, quæ ab aliquo ex ejus diſcipulis adjecta dici poſſunt. Et quidem nemo ſibi facile in animum inducat, quempiam è Gemblacenſibus librum edidiſſe de Gemblacenſium abbatum geſtis, eodem ferme tempore, quo Sigebertus in eodem monaſterio poſitus opus ediderat de eodem argumento, & ſub eodem titulo; & id abſque ulla Sigeberti operis facta mentione. Hæc ſunt in utramque partem argumenta. quod vero quiſque melius judicaverit, id ſequatur.*

2. *Præter monaſterium Gemblacenſe, de quo fuſius actum eſt Sæculo ſuperiori in Vita beati Guiberti primi ejus conditoris, Olbertum ædificando monaſterio ſancti Laurentii apud Leodium operam ſuam contuliſſe obſervat Ægidius Aureæ-vallis monachus in notis ad Anſelmum Leodienſem, apud Chapeavillum tomo* I. *de Epiſcopis Leodienſibus. Monaſterii vero ſancti Jacobi in ejuſdem civitatis ſuburbio primus abbas inſtitutus fuit. Huic autem cœnobio conſtruendo occaſionem præbuit bellum, quod his temporibus inter Baldricum Leodienſem epiſcopum & Lambertum Comitem Lovanienſem exarſerat. Etenim cum ob ſuorum cædem gravi mœrore premeretur Baldricus, conſilium à Johanne quodam epiſcopo Italo accepit eccleſiam aliquam conſtruendi, quod hoc pio opere plus ſuorum quieti conſuleret, quam ſi eorum cædem novis cladibus ulciſceretur. Paruit amici ſui conſilio Baldricus, atque anno* MXIV. *ut ſcribit Sigebertus ipſe in Chronico*, in inſula Leodicenſi cœnobium ſancti Jacobi apoſtoli fundavit. *Anno vero* MXVI. *ut habet Lambertus Parvus, baſilicæ fundamenta poſuit, & quidem* XVII. *Calendas Maii, ſi Ægidio de Aurea-valle credamus. Octavo autem Idus Septembris ejuſdem anni cryptam in honore ſancti Andreæ conſtructam dedicavit, in qua poſt mortem, quæ anno ſequenti, id eſt* MXVII. *contigiſſe memoratur, ſepultus eſt, cum eccleſia nova ædificium ad feneſtras uſque perduxiſſet.* Monaſt. S. Jacobi Leodii conſtruitur.

3. *At Baldrico defuncto, nemo eccleſiæ perficiendæ manum admovebat, ita ut* jam eſſet, *inquit Ægidius Aureæ-vallis*, locus ſancti Jacobi oblivioni & negligentiæ traditus, nec eſſet qui arcem eccleſiæ ſancti Jacobi imperfectam conſummaret, *donec Baldrici fratres Henricum imperatorem tunc forte Leodii agentem adiiſſent, apud eum de neglecto monaſterio conqueſturi. Locum enim ſtatim inviſit Auguſtus, ac Vvolbodoni, qui Baldrico fuerat ſuffectus, monaſterium perficiendum commendavit. quod ille exſecutus, Olbertum eidem loco præfecit, ut narrat Reinerus.* Parvo tempore *Vvolbodo* eccleſiam perfecit, & de bono illius adminiſtratore ſollicitus fuit. Comperta ſiquidem bona fama domini Olberti quarti abbatis Gemblacenſis, viri prudentiſſimi & religioſi, habito cum ſuis maturo conſilio, deliberavit locum ipſius ejus committere providentiæ: ipſum enim dominus Baldricus promoverat ad regimen Gemblacenſis eccleſiæ. Quod ille diu multumque reluctatus declinavit humiliter, ac vix tandem ſuſcepit obedienter, & viginti octo annis exſecutus eſt prudenter. *Deinde ſubjicit quid in eo monaſterio præſtiterit Olbertus.* Ædificato clauſtro cum officinis neceſſariis, colligens hinc inde viros bene directos ad normam diſciplinæ regularis, & maxime ex diſciplina abbatis Richardi, conventum monachorum ibidem adunavit, & quoad vixit, locum ipſum una cum Gemblacenſi monaſterio ſtrenuus gubernavit, &c. *Hæc fuere percelebris monaſterii ſancti Jacobi Leodienſis initia, quod hodieque ſubſiſtit. Ejus Abbatum catalogum edidit Fiſenus ad diem* XIV. *Julii, inter quos multi fuere virtute & regularis diſciplinæ ſtudio illuſtres.* A Wolbodone perficitur.

4. *Ceterum Johannes epiſcopus, qui, ut diximus, Baldrico ædificandi monaſterii conſilium dederat, in eumdem poſtea locum ſe recepit. quiſnam vero ille fuerit, aut cui eccleſiæ præfectus, nobis omnino incompertum eſt. Refert Ægidius monachus Aureæ-vallis apud Chapeavillum tomo* I. *de geſtis pontificum Leodienſium, hunc Johannem apprime in pictura verſatum, accerſitum ab Ottone III. imperatore fuiſſe, ut capellam Palatii Aquiſgranenſis variis picturis exornaret, cum antea nondum eo in loco picturæ ullæ haberentur. Certe aliquot ex iſto pictore tabellas ſuo adhuc tempore ſuperfuiſſe teſtis eſt idem auctor: unique ex illis verſiculus iſte appoſitus legebatur.* Johannes Epiſcopus.

A patriæ nido rapuit me tertius Otto.

Alter priori adjectus ſic habebat.

Claret Aquis, ſanè tua qua valeat manus arte.

Johannes poſtea ab Ottone epiſcopatu in Italia donatus dicitur, qui cum in patriam remearet, à Duce provinciæ, quod ejus filiam in uxorem ſibi oblatam accipere recuſaſſet, ſede ſua privatus, ad Ottonem redire coactus eſt, ſponte eligens exſilium, *inquit Ægidius*, quam clericale officium maculare. *Ejus præclaras virtutes exponit idem auctor his verbis:* Venerabilis Johannes, ſui gratiam nominis moribus illuſtrabat candiditatis & pietatis ſtudio. Hujus enim erat opus præcipuum, jugi cuſtodia tueri animum, aſperos carni labores indicere, ad profectum virtutis ſemetipſum in dies excitare. Amor divinæ ſervitutis, quo fervebat plurimum, excludebat ab illo amorem rerum; nihilque commodius ſibi aut carius quam frequenter orare, frequenter pſallere, pati inediam, amplecti vigilias, uſuque bene vivendi diverſas patrum gratias promereri. Præter occultos interioris vitæ actus, quid de dominicæ crucis vexillo, Eminet virtutibus.

Digitized by Google

ANN. CH. MXLVIII. JUL. XIV.

quo pectus armaverat, quid de felici pudicitiæ loquor titulo, cui bonorum exemplo, ad cohibendum carnis & ſanguinis aculeum uteretur cilicio? Nec ſcientiæ claritudo per litteras deerat, nec ingenii acumen, habituque ipſo honoris videbatur angelici.... Quem pro ſuæ vitæ merito idem Otto imperator non minus ſe ipſo diligebat, eumque inter primos regiæ domus habebat, & honeſte tractabat: admonitionem quoque illius ſalutarem, qua increpabat regiam poteſtatem, de juſtitia tenenda, de utilibus Reipublicæ cauſis, de lenitate erga ſubjectos, libenter excipiebat, eoque animum ab effrenata licentia frequenter cohibebat.

Secedit in monaſt. S. Jacobi.

5. *Johannes itaque poſt aliquod tempus in aula exactum, ab Imperatore, non Baldrico, uti incaute ſcripſit Ægidius, ſed Notgero epiſcopo Leodienſi commendatus eſt. Baldricus nempe nonniſi poſt Ottonis mortem hanc ſedem conſcendit. Baldrico tamen in Notgeri locum ſubſtituto conjunctiſſimus ſemper fuit Johannes, qui etiam interfuit dedicationi cryptæ, quam ob acceptas ab Imperatore ſancti Andreæ reliquias, in ejuſdem apoſtoli honorem Baldricus exſtruxerat. Denique Johannes in ipſum ſancti Jacobi monaſterium, quod eo conſulente conditum fuerat, ſe recepit, ibique fato functus ſepultus eſt. Ea de re iterum audiendus eſt Ægidius:* Poſt hæc, *inquit*, adductus eſt ibi conventus monachorum de cœnobio Gemblacenſi, ad ſerviendum Deo, & apoſtolo ejus Jacobo, ubi poſſeſſiones & alodia eis pro poſſe ſuo idem Epiſcopus ſufficienter dotavit, ubi & primus abbas Olbertus, vir magnæ ſanctitatis & religionis fuit. Eo tempore in præfato cœnobio ſancti Jacobi converſans JOHANNES epiſcopus, vitam ducebat angelicam, lectioni & orationi vacans. qui vocatus à Domino, in ſenectute bona viam univerſæ carnis ingreſſus eſt, ſepultuſque eſt in præfata eccleſia ſancti Jacobi, in ſiniſtra parte ejuſdem eccleſiæ juxta altare ſancti Lamberti martyris, ubi ſuper ſepulcrum ejus hoc exaratum eſt Epitaphium.

Ubi obit & ſepelitur.

Sta, lege quod ſpectas, in me pia viſcera flectas:
    Quod ſum fert tumulus, quid fuerim titulus.
Italiæ natu pollens & pontificatu,
    JOHANNES fugio, pulſus epiſcopio.
Deſtinor hic oris, exſul nullius honoris,
    Urbs pia Leodium commodat hoſpitium.
Qua probat arte manum, dat Aquis, dat cernere planum,
    Picta domus Caroli, rara ſub axe poli.
Jacobe Juſte, tui memor eſto fidelis alumni,
    Hæc ſit ut aula tibi condita, conſului.
Dicta ferunt patrum, ſignis hoc glorificatum
Corpus tranſlatum, ter & hic meruiſſe ſepultum.

Qua die ille venerabilis obierit, ignoramus. Ejus elogium ex Anſelmi & Ægidii verbis contexuit Bartholomæus Fiſenus, quod in parte 2. Paralipomenôn ad Flores eccleſiæ Leodienſis retulit. Sed jam ad Olbertum recurrat oratio.

Olberti opuſcula.

6. *Varia reliquit ingenii ſui monumenta Olbertus, quæ ei inter ſcriptores Eccleſiaſticos locum meruerunt. Ipſe enim, ut ait Sigebertus cap.* 142. humanæ & eccleſiaſticæ ſcientiæ ſtudio & religionis fervore inſignis nomen ſuum æternavit, vitas ſanctorum Patrum deſcribendo, cantus in honore Sanctorum componendo, &c. *Eadem ferme habet Trithemius, qui eum* Albertum *appellat. Miræus in ſcholiis in Sigeberti Catalogum, Olberto tribuit* Hiſtoriam veteris & novi Teſtamenri, item vitas aliquot ſanctorum; *in his*, vitam ſancti Veroni confeſſoris, *ut habetur infra in vita*, rogante Raginero comite Hannoniæ, *editam; quam ait reperiri* mſ. Montibus apud Franciſcanos in Annalibus Jacobi Guiſii & alibi. *Inter celebriores Olberti diſcipulos, fuere Maſcelinus ſive Myſac, ejus proximus ſucceſſor, ac Fulcuinus ejus frater, qui à Poppone Stabulenſi abbate Abbatiæ ſancti Vincentii Mettenſis præfectus eſt. His adjungit auctor ſeu continuator libelli de geſtis abbatum Gemblacenſium, Lietardum, ſeptimum ejuſdem loci abbatem, ac Guiricum ſeu Guirinum monachum*, per quem, *ut ibidem legitur*, & per eos quos inſtruxit, ex tunc & nunc, eruditos viros habuit eccleſia noſtra, *ſcilicet Gemblacenſis. Haud dubium quin iiſdem quoque annumerandus ſit ipſemet Sigebertus, qui Lietardo abbati*, à pueritia per Olbertum eruditione inſtituto, *diu convixiſſe dicitur. Illuſtris eſt inter Olberti diſcipulos Burchardus Vuormacienſis antiſtes. Hunc Trithemius & poſt eum Miræus ac alii recentiores aſſerunt Lobiis Olbertum habuiſſe magiſtrum, priuſquam ex hoc cœnobio ad eccleſiæ Vuormacienſis regimen aſſumeretur. At continuator Fulcuini libri de geſtis abbatum Lobienſium ſcribit, Burchardo Canonico Leodienſi, poſtea Vuangionum epiſcopo Olbertum præceptorem à Baldrico Leodienſi epiſcopo datum fuiſſe. quod certe magis convenit iis quæ dicuntur infra in vita Olberti num. 3. Sigebertus in Chronico ad annum* MVIII. *teſtis eſt Burchardum allaborante ſibi Olberto canonum collectionem ediſſe. Hæc ſunt illius verba:* Burchardus fit

Et diſcipuli.

Wormacenſium epiſcopus, qui in Scripturis ſtudioſus magnum illud canonum volumen

Digitized by Google

edidit, Scripturarum ſententiis undique compilatis deſloratum, collaborante ſibi in hoc magiſtro ſuo Olberto abbate, viro undecumque doctiſſimo. *In Catalogo autem ſcriptorum eccleſiaſticorum capite* 142. *jam laudato*, eo maxime *Olbertum nomen ſuum* æternaſſe *ſcribit*, quod Burchardus epiſcopus Wormacienſis ejus magiſterio ad hoc eſt provectus, ut ita eccleſiaſticæ utilitati intenderet, & ejus ſtudio, ore & manu illud magnum canonum volumen ad communem omnium utilitatem ederet. *Hæc canonum collectio ſeu, ut vocari ſolet, Decretum, viginti libris conſtans, non ſemel cum aliis ejus opuſculis edita præ omnium manibus habetur. Ad ejus calcem habentur canones concilii Salegunſtadienſis anno* MXXIII. *habiti, cui Synodo cum ceteris interfuit Burchardus. Ejus autem vita ab auctore æquali deſcripta, Decreto præmittitur in editione Colonienſi. De Burchardo agit Baronius ad annum* MXXVI. *quo ad ſuperos abiit. Memoria ejus in Faſtis Benedictinis recolitur die* 20. *Auguſti.* Ann. Ch. MXLVIII. Jul. XIV.

7. *De anno Olberti extremo nulla difficultas; diem vero aſſignat Menardus* III. *Idus Julii, ſed prævalere debet auctoritas ſcriptoris vitæ Abbatum Gemblacenſium, qui ejus obitum ad diem ſequentem revocat. Nullo umquam publico cultu donatus fuit Olbertus: ejus tamen ſanctitatem paſſim laudant etiam ipſius ævi ſcriptores; quem* ſanctæ memoriæ *virum appellat Sigebertus, ſive auctor ex quo ejus vitam excerpſimus; & ipſe Sigebertus ad annum* MXII. *de eo ſic habet:* Olbertus noſtræ, Gemmelacenſis ſcilicet eccleſiæ, ordinatur abbas, vir moribus, religione, gemina ſcientia, bonis doctiſque viris aut conferendus, aut præferendus. *Ad annum* MXXVII. *eumdem inter* abbates nominabiles, *quorum opera* religio eccleſiaſtica *florebat, recenſuit. Denique hæc habet ad annum* MXLVIII. Viri religioſi & illuſtres ſanctitate in Chriſto dormiunt, Odilo abbas Cluniacenſis..... Poppo Stabulenſis, Guato epiſcopus Legienſis, & Olbertus SANCTÆ MEMORIÆ abbas Gemmelacenſis. *Continuatuor Fulcuini de geſtis abbatum Lobienſium ſcribit ad annum* MVII. *Olbertum* in monaſterio ſancti Jacobi in ſanctitate & juſtitia defunctum ibi ante altaris gradus ſepultum fuiſſe. *quibus omnibus, uti licet conjicere, permotus Hugo Menardus Olbertum* beati *titulo donatum in Martyrologio Benedictino inſeruit tertio Idus Julii, his verbis:* Leodii in cœnobio ſancti Jacobi, depoſitio beati Olberti abbatis magnæ ſanctitatis & doctrinæ viri. *Ejus elogium ſub eodem titulo habet Bucelinus in Menologio Benedictino, ad eumdem diem. Sed Fiſenus in Floribus Eccleſiæ Leodienſis eum abſque ullo adjuncto*, Olbertum *ſimpliciter appellat. De eodem agit etiam Miræus in Originibus Benedictinis, & Ægidius monachus Aureæ vallis apud Chapeavillum, ubi ipſum* magnæ ſanctitatis & Religionis *abbatem nuncupat. Nobis tamen ſatis viſum eſt Venerabilem appellare, donec alius ei titulus ab Eccleſia decernatur.* Cultus.

INCIPIT VITA.

1. ERLUINUS junior poſtquam annos pluſquam viginti tres ſub nomine Paſtoralitatis egit, prima Junii vita deceſſit, & in eccleſia ſancti Petri juxta prædeceſſorem ſuum Herivvardum tumulari meruit. Sed miſerator Dominus cito oculos miſericordiæ ſuæ aperuit, & interventu, ut credimus ſervi ſui Vvichberti [a], dignum domui ſuæ diſpenſatorem providit. Revera, inquam, miſericordiam cæli diſtillaverunt, cum OLBERTUM nobis quartum abbatem ſubſtitui delegerunt.

2. Is in confinio Samblenſis [b] pagi villa, quæ Leverda vocatur, natus eſt, parentibus quantum ad ſæculum non infimis, quantum ad Deum religioſis. In cœnobio Lobienſi à puero in diſciplina monaſtica regulariter nutritus, & in ſtudiis Scripturarum apprime eruditus, ex provectu ſuæ indolis monſtrabat qualis eſſet futurus. Hic ubi ex ore Herigeri [c] Lobienſis abbatis, viri ſuo tempore diſertiſſimi, aliquid de ſeptem ſapore artium bibit, ſitim ſtudii ſui exſtinguere non potuit: ideo ubi aliquem in ſcientia artium egregie præ ceteris valere audiebat, ſtatim illuc volabat, & quanto amplius ſitiebat, tanto avidius de ſingulorum pectore aliquid delectabile hauriebat. Nam & Pariſiis aliquamdiu apud ſancti Germani operam dedit, & ſtudio, & ſanctæ quæ ibi fervebat religioni. Apud urbem Tricaſſinam triennio ſtuduit, ubi grata vitæ, & multa ab aliis didicit, & prudenter alios docuit, Olbertus Lobienſis monachus.

a Is eſt Guibertus primus loci abbas, cujus Vitam habes Sæculo præcedenti editam, pag. 299.

b Miræus in Scholiis ad cap. 142. libri de Scriptoribus eccleſiaſticis Sigeberti, Olbertum ait natum in villa Lederna, Sambrenſis pagi confinio.

c Herigerus abbas celebris obiit anno MVII. Ejus ſcripta recenſet continuator libri de geſtis abbatum Laubienſium, tom. 6. Spicilegii Acheriani.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXLVIII. Jul. XIV.

Sed nec Fulberti Carnotenſis epiſcopi eum ſubterfugit audientia, quem peritia liberalium artium tota Francia prædicabat. At poſtquam, ut apis prudentiſſima, per florea rura exercitus, liquido doctrinæ nectare eſt diſtentus, ad alvearium cœnobii ſui eſt regreſſus, ibique vivebat religioſe.

Burchardi epiſc. magiſter.

3. Ea tempeſtate Burchardus quidam in Vvormacenſi civitate datus erat epiſcopus; vir cum epiſcopali honore non indignus, tum pro juvenilis ætatis fervore litterarum ſtudiis opportune intentus. Is Baldrico juniori Tungrenſium epiſcopo fiducialiter mandat (ejus nempe contubernalis & amicus in palatio Regis fuerat) ut ſibi aliquem litterali ſcientia præditum dirigat, cujus ope & doctrina, ipſe in eruditione Scripturarum proficere valeat. Quis tanto viro mitti dignus eſſet diligenter quæritur, & tandem ad hoc nullus Olberto [a] magis idoneus invenitur, & bona omnium de eo æſtimatione ad urbem Vvangionum dirigitur: honorifice ab Epiſcopo ſuſceptus, magnam cum eo familiaritatis gratiam eſt adeptus. Epiſcopus nobilis & potens non dedignatur ſe ſubmittere ad formam diſcipuli; monachus humilis & peregrinus non timet tanto viro operam exhibere magiſtri. Et revera neceſſarium illi erat, ut politus eſſet ad unguem multiplicis doctrinæ artificio, cujus laus & æſtimatio pendebat à tam ſapientis diſcipuli ſubtili judicio. Quantum autem vir tantæ auctoritatis ex Olberti doctrina profecerit, ex actibus ejus æſtimandus erit, de quo ſatis conſtabit, quod illa ætate in Scripturarum eruditione unice claruerit: quod vel in hoc ſatis probari poterit, quod opus ſanctæ Eccleſiæ nimis utile elaboravit, dum Olberto dictante & magiſtrante, magnum illud Canonum volumen centoniſavit, & quaſi collectis floribus *omniformis* generis de prato Scripturarum, coronam pretioſiorem auro & topaſio in edito Eccleſiæ collocavit.

Fit abbas Gemblacenſis.

4. Epiſcopus ubi votis ſuis ſatisfactum eſſe ſenſit, Magiſtro optionem obtulit, utrum mallet ſecum in honore & amicitia remanere, an ad ſuos repatriare. Ille elegit repatriare, quia placuit Deo ita pro nobis diſpenſare. Ergo cum gratiarum actione epiſcopo Baldrico remittitur, eminentia ſtudii & religionis ejus prædicatur, & ne vice ſui laboris fruſtretur, affectuoſiſſime ei commendatur. Cum ergo locus Gemblacenſis vacaret *paſtore*, Baldricus epiſcopus ſollicita cum ſuis agebat deliberatione, quis dignus eſſet hujus Paſtoralitatis curam ſuſcipere. Ad ſummum placuit omnium ſententiæ, Olberto gemina ſcientia adornato hunc locum præ omnibus competere. Igitur ab Epiſcopo, cum [b] Ingobrando abbate ſuo, accerſitus, Dei & omnium judicio ad regimen eccleſiæ eſt electus, & per manus Ingobrandi abbatis & Godeſcalci archidiaconi illuc eſt deſtinatus. Gemblacenſes ut audierunt inconſultis ſibi Abbatem mitti, ſtulta ruſticitate, epiſcopali dignitati, immo Dei ordinationi voluerunt obniti: nullam volentes ei exhibere ſubjectionem, cujus dolebant ſine ſua voluntate & conſilio factam eſſe electionem. Stulti & cæci non intelligebant melius ſua ſpe à Deo ſibi conſuli. Reliquum diei cum nocte ſuperveniente in hac rebellionis obſtinatione conſumtum eſt. mane facto, clarorum virorum qui legatione Epiſcopi fungebantur emolliti conſilio, quamvis inviti deſtiterunt ab auſu temerario, vix tandem adducti ſubmittere manus Abbati à Deo ſalutis ſuæ cauſa electo. Hoc factum eſt anno MXII. conſecratus eſt autem undecimo Calendas Octobris.

Pii Abbatis munia obit.

5. Adeptus ergo curam paſtoralitatis, non ſegniter laborabat nomen Abbatis factis implere, & cum initio occurriſſet ei magnæ rei præſtandæ difficultas, quippe cum exterius ingrueret gravis rei familiaris tenuitas,

a De hac re vide obſervationes huic Vitæ prævias num. 6.

b Ingobardus Herigeri ſucceſſor anno XIII. ordinationis ſuæ à Wolbodone epiſcopo Leodienſi ex abbatia ejicitur, quam ille Richardo Abbati Virdunenſi reformandam commiſit.

interius

Digitized by Google

interius autem horreret grandis irreligioſitas, non facile memoranti credas, quam brevi & facile optata ei arriſit proſperitas. nam & prudenter cum indiſciplinatos mores eorum corrigeret, pravas eorum vias, quibus illicite vagabundi aberrare ſolebant, ſpinis regularis diſciplinæ ſepiebat: deinde vias rectitudinis quibus ad vitam incedere deberent, eis oſtendebat. Et doctus quod Paſtor paſtorum comminetur paſtoribus, qui ſemetipſos & non gregem Dei paſcunt, qui cum auſteritate & potentia eis imperant, & nulla paternitatis affectione eos ab erroris devio revocant, nec à malo dolentes liberant; quod infirmum erat alligabat, quod confractum erat conſolidabat, quod perierat requirebat: & exemplo evangelici Samaritani, ulceribus eorum vinum ſeveritatis, & oleum pietatis infundebat. Nec eum ſpes fefellit. non enim prius deſtitit quam accepto ventilabro diſcretionis, quæ mater eſt virtutum, paleas vitiorum de area dominica excuſſit, & grana virtutum in horrea Dei, in pectoribus ſcilicet fidelium, purgata recondidit. Nec hoc ſatis eſſe viſum eſt bonæ ejus intentioni ſemper in anteriora tendenti. ſciens quippe quia otioſitas inimica eſt animæ, ſuos jam ſatis imbutos ſancta religione, ſtudiis etiam litterarum docuit ſtudioſe inſiſtere, ut dum per ſemitas Scripturarum oculis atque animis relegerent Patrum veſtigia, ſcirent indubitanter eorum cavere avia, & ad viam veritatis ſectandam nulla paterentur offendicula.

Ann. Ch. MXLVIII. Jul. XIV.

Ezech. 34. 4.

Luc. 10. 34.

6. Itaque dum præter illa quæ extrinſecus erant, urgeret eum inſtantia illa quotidiana, ſcilicet animarum ſibi commiſſarum ſollicitudo continua, bonæ ejus voluntati cooperabatur utrobique divinitatis omnipotentia. Siquidem poſtquam interius vis divini amoris & fervor religionis recaluit, mox exterius ex bono rerum proventu, exuberavit rei familiaris opulentia. Quapropter vir Deo devotus Olbertus in bonam ſpem adductus, ſucceſſus urgere ſuos cœpit inſtantius, & videns monaſterium cum officinis ſuis monachiæ habitationi minus eſſe habile, quod pro ſua brevitate ſibi diſplicebat, & quia nulla decoris ornatum erat venuſtate; ſperans de Deo qui dives eſt in miſericordia, anno prælationis ſuæ primo, novæ eccleſiæ cœpit ordiri fundamenta. Videntes autem Chriſti fideles in dies proficere illum, voluntaria ſuccurrendi ei oportunitate ejus animabant animum. Baldricus ſiquidem epiſcopus gaudens ſe non eſſe fruſtratum de Abbatis à ſe electi bona æſtimatione, totum ſe transfudit in ejus dilectione, & eccleſiam in Banechim, & novellam eccleſiolam in Heis, decimam quoque in Bermiſſen in Sombreſia Gemblacenſi tradidit eccleſiæ. Eodem quoque tempore commiſſa pugna in Florinis [a], inter LAMBERTUM Comitem filium Ragineri Longi-colli, & GODEFRIDUM Ducem, cum Lambertus ibidem gladiis cæſus accepiſſet vitæ finem, conjux ejus GERBERGA nobiliſſima, peccatis viri ſui compuncta, cum animæ ejus abſolutionem & requiem quæreret per eleemoſynarum remedia, voluit ut eccleſia Gemblacenſis, cujus ipſe Comes defenſor fuerat, debita animæ ipſius perſolveret jugiter orationum munia. Unde ſalubri conſilio accepto, annitente filio ſuo Comite HENRICO, feudum proprietatis ſuæ, quod Tortoſa vocatur, in parochia Bauſcui, tradidit Gemblacenſi loco. Et quia ipſe Comes infra parochiam Gemblacenſem habebat aliquot manſiones jure beneficii regia manu collati, in viculo Egneis dicto, facto iterum juſtæ commutationis ratiocinio, Tortoſam ipſe recepit, & ad jus beneficii ſui tranſtulit: Egneis vero proprietati eccleſiæ Gemblacenſis tranſſcribi fecit, quod vicinitatis opportunitate utrique parti magis commodum fuit. Quod

Poſſeſſiones monaſterio acquirit.

[a] Hanc Lamberti Lovanienſis Comitis cædem refert ad annum MXLV. Sigebertus in Chronico, ubi notat Lambertum ſolitum fuiſſe geſtare phylacterium in quo ſacræ Reliquiæ ſanctorum continebantur, quorum patrocinio ſemper fuerat invictus; at exſiliente è collo phylacterio ſtatim peremtum fuiſſe ſcribit. Certe olim Imperatores & principes ſemper ſecum ſacras reliquias deferri curabant.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXLVIII. Jul. XXV. ne quis poſterorum auderet convellere, corroboratum eſt regiæ manus auctoritate. Abbas Olbertus gaudens quia per auxilium bonorum virorum, labori ſuo bonum proventum Deus inferebat, ad augenda fratrum ſtipendia, quæ nimis tenuia erant, animum intendebat; & ſciens monachorum eſſe ut labore manuum vivant ex Patrum & Apoſtolorum exemplo, continuato cum fratribus labore, ſecundum quod neceſſitas paupertatis exigebat, & voluntas obedientiæ ſuadebat, in opportunis ſupradicti prædii locis factis æſtuariis, vivaria ad recipiendos piſces conſtruxit, quod fratrum uſibus ſatis utile eſſe providit.

Reg. S. Bened. c. 48.

7. Succeſſor Baldrici * Vvolpodo, quia omnino deditus erat ſanctæ religionis ſtudio, Olbertum abbatem religioſius ceteris vivere libenti accipiebat animo, & eum dignatus ſuo latere & auricula, eum contendere ſua provocabat gratia. Unde quod ei primum occurrit, quæ anteceſſor ſuus illius gratia eccleſiæ Gemblacenſi tradidit, ſuæ ſtipulationis auctoritate confirmavit. Inſuper ipſam eccleſiam Gemblacenſem immunitatis libertate donavit, & hujuſmodi arcte teſtimonio poſteris ſervanda aſſignavit.

Wolbodonis privilegiū pro Gemblacenſibus.

» Vvlpodo Dei diſponente clementia, ſanctæ Leodicenſis eccleſiæ epiſcopus, omnibus in Chriſto pie vivere volentibus. Unicuique Chriſti fidelium ſcimus omnimodis eſſe elaborandum, ut promereri poſſit gratiam ſanctorum: quia ſic tam propriæ fragilitatis, quam dæmonis, & hujus mundi concutimur fluctibus, ut nonniſi eorum freti patrociniis ſubſiſtere poſſimus. Unde ſancti Petri Apoſtolorum principis, ſanctique Exſuperii martyris, aliorumque ſanctorum patrocinia, quo potui modo, quærere deliberavi, quæ & omnibus tam præſentibus quam futuris notificare diſpoſui. Anteceſſor meus Baldricus, divino & ipſe tactus fervore, quamdam eccleſiam in Bavechum Gemblacenſi dedit eccleſiæ, in honore ſupradictorum dedicatæ. Dedit & decimas quorumquam, quæ quidem in ſilva Sombreſſiæ dicta ejuſdem Gemblacenſis eccleſiæ ſariebant, quæque nulli anteceſſorum alicui parochiæ aſſignaverant. Et hæc quidem ſub teſtimonio teſtium idoneorum prædictæ eccleſiæ contulit, ſed chartulam traditionis morte præventus non fecit: in qua facienda volens me facere participem ejus eleemoſynæ, prædictum donum ſub chartulæ forma conſignavi. Addo & aliud donum ex parte noſtra, quod omnibus volo eſſe notum. Inſtructu noſtro Abbas & Congregatio prædicti loci eccleſiam novam ædificavit, juxta quam antiqua relicta, quia erat parvula & cito lapſura, clauſtrum & omnia tranſmutare curavit. Sed his quandoque factis timent circuitionis obſonia ab eccleſia antiqua exigenda eſſe ab Epiſcopis futuris, ea ſcilicet occaſione quod monaſterium deſierit ipſa eſſe. Cujus rei rationem diligenter inveſtigans, cum multis comperi ab ipſa eccleſia Gemblacenſi ſervitia aliqua data non fuiſſe, circuitionis ſcilicet jure, anteceſſoribus meis, ex quo eadem abbatia munificentia Regis ſubjecta eſt ſedi eccleſiæ Leodicenſis. Hanc anteceſſorum meorum eccleſiam in futurum decernimus conſervandam; ſcilicet ut ab eccleſia Gemblacenſi, ſalva tantum ordinatione pontificali, ſervitutem requirant circuitionis nullam, ſecundum ſanctorum Canonum inſtituta permittant monachos ducere vitam quiete: ut tam pro nobis quam pro illis orationibus vacent in tota ipſorum vita, Ego Vvolpodo epiſcopus nomine & opere, ſubſcripſi & confirmavi.

Olbertus fit abbas S. Jacobi Leodicenſis.

8. Baldricus ſæpe ſupra nominatus epiſcopus, cum retributore omnium Deo faciens commercium proficuum, ſibi elegit de perituris æterna ab eo mercari. Ideo eum adoptans heredem, patrimonii ſui monaſterium in honore fratris * Domini fundavit in inſula Leodicenſi, ac portionem ſubſtantiæ temporalis, quæ ex multa copia nobilium parentum ſuorum eum

* S. Jacobi.

* Beati Wolbodonis vitam edidimus ſupra ad annum 1021.

Digitized by Google

contingebat, delegavit ibi, ſed immaturo raptus funere, non potuit in hoc votis ſuis ad plenum ſatisfacere: cujus loci providentia, quia nulli adhuc aſſignata erat, ad manum ſolius Epiſcopi ſpectabat. Unde ſucceſſor Baldrici Vvolpodo pie ſollicitus, habito conſilio cum ſuis familiaribus, deliberavit locum prudentiſſimi abbatis Olberti committere manibus. quod ille diu multumque reluctatus declinavit humiliter; ac vix tandem anno Domini milleſimo vigeſimo-primo ſuſcepit obedienter, & exſecutus eſt viginti-octo annis prudenter. Nam ædificato clauſtro cum officinis ſuis, prout patiebatur opportunitas temporis, colligens hinc inde viros bene directos ad normam diſciplinæ regularis, & maxime ex diſciplina abbatis Richardi, qui tunc temporis ubique prædicabatur in fervore ſanctæ religionis; primus illic propoſitum monachicæ profeſſionis inſtituit, & quoad vixit, locum illum ad laudem Dei & hominum ſtrenuiſſime gubernavit.

Ann. Chr. MXLVIII. Jul. XIV.

9. Nec minus inſiſtens concepto operi Gemblacenſis eccleſiæ; quidquid à ſemetipſo omnimodis laborando poterat extorquere, totum ſatagebat expendere in utilitatem rei eccleſiaſticæ. unde ad tam promtum bonæ intentionis affectum ſubminiſtrabat divinitatis gratia optatum effectum. Siquidem arridente ſibi multo ſucceſſu proſperitatis, maturius ſua ſpe vidit conſummationem cœpti operis, infra triennium fere ædificata eccleſia cum utenſilibus ſuis, conſtructo etiam clauſtro cum officinis ſuis, & quod magis ei erat in voto, jam ad plenum fervente ibi ſanctæ religionis ſtudio, litteralis quoque ſcientiæ non mediocriter vigente exercitio. Ipſe nullam pæne nec curis animi, nec labori corporis laxans quietem, ſemper tendebat ad operis conſummationem. Ita omnibus apparatis ex voluntate, dedicationem illius eccleſiæ celebrari fecit, maxima omnium vicinorum alacritate, à DURANDO [a] venerabili Leodicenſium præſule VIII. Calendas Auguſti, anno MXXII. Nec multo poſt oratorium ſancti Pauli, ſitum infra clauſtrum, ſexto Calendas Junii, à ſucceſſore Durandi REGINARDO dedicari fecit, apud cujus animum, maximum amicitiæ locum obtinuere meruit. Poſtea etiam conſtructo duplici oratorio, inferius ſcilicet in honore ſancti Johannis Baptiſtæ & Johannis Evangeliſtæ, ſuperius in honore ſancti Michaëlis archangeli & Stephani protomartyris, ab eodem Reginardo dedicari fecit ſecundo Idus Auguſti. Corpora etiam venerabilis & Deo digni fundatoris noſtri Vviberti, & trium prædeceſſorum ſuorum Erluini, Herivardi & ſecundi Erluini, in hanc cryptam reverenter fecit tranſportari.

Ædificat eccleſiam Gemblacenſem.

a Quæ à Durando dedicatur.

10. Idem fidelis diſpenſator & prudens, quia quærentibus primum regnum Dei & juſtitiam ejus, etiam neceſſaria corporis in tempore ſunt adjicienda; laborabat omni qua poterat inſtantia, undecumque, annuente ſibi Deo, acquirere prædia, ut dum eis pro facultate loci externa ſuppeterent, ipſi ſine murmurationis impedimento tranquillius & expeditius Deo deſervirent. Diſpoſitâ itaque ordinatius ſolito re familiari, ut abſque typo & mora, conſtituta fratribus ſtipendia poſſent ſuppeditari, quidquid excreſcebat ad utilitatem poſterorum expendere ſatagebat, ſciens quia quidquid ſupererogaret, à vero Samaritano Deo, qui cuſtodit Iſraël, reciperet. nec enim labor ſuus ceſſavit, quia tamdiu laboravit, donec res eccleſiæ quas tenuiſſimas invenit, non parum augmentavit, & ut ita dicam, pæne duplicavit. Interdum autem dato pretio, undecumque poterat fideliter emit, aut ſuo labore, devotione fidelium pro ſalute eorum eccleſiæ noſtræ tradi obtinuit; quæ diverſis locis à diverſis perſonis, diverſis ra-

Curat rem familiarem.

a Huic Durando tribuebatur Epiſtolà contra Berengarii errores, ad Henricum Francorum regem, ſed perperam. quippe qui anno MXXIV. ante natam Berengarianam hæreſim obiit, & etiam antequam Henricus regnum iniiſſet. hanc autem epiſtolam à Deoduino Leodienſi epiſcopo ſcriptam fuiſſe probatur in tomo IV. Analectorum.

ANN. CH. MXLVIII. JUL. XIV.

tiociniis undecumque corroſa fuerant. quæ quia numero ſunt plura, ſed quantitate parva, & redituum æſtimatione non adeò magna, à nobis ſub numero perſtringi non poſſunt omnia. Hujus etiam tempore, Hubetho Heribrandi filius, domini Vviberti ex ſorore Renuide nepos, tactus amore pietatis & juſtitiæ, annitente ſibi Gudetha ſua nobiliſſima conjuge, reddidit eccleſiæ noſtræ partem, quæ ſibi ceſſerat ex medietate, à patre ſuo Heribrando nobis direpta violenter & injuſte, monitus exemplo ſororis ſuæ Richeldis, quæ, ut ſupra diximus, partem ſuam retulerat, ad juſtas preces eccleſiæ Gemblacenſis. Hujus etiam Hubethonis filii, Hubertus ſcilicet Tretuinus *, tertiam partem de villa Pricen eccleſiæ noſtræ tradiderunt. Idem dominus abbas Olbertus alodium in villa Maſau & in Bietrinis dedit, &c.

*ſ. Et Retuinus.

Pauperes tempore famis alit.

11. Quid autem dicam? eo tempore nimia annonæ caritas totam profligavit Galliam, anno videlicet MXLIII. tam ſibi à Deo in faciendis eleemoſynis cumulavit gratiam, quam apud homines in aucta eccleſiaſtica re ſibi acquiſivit gloriam. Quaſi enim alter Joſeph præſcientiæ tactus gratia, frugum ubertate ſuperioribus annis ſua repleverat horrea, de quibus pauperum ſuorum in tempore relevare penuriam parabat Dei providentia. Et cum multi alii ducti avaritiæ ſpiritu, aliorum inopiam ad ſuum verterent commodum, poſthabita miſericordia pauperum, dum ſua aut tenacius ſervant, aut vendunt carius; hic nec ſua ſibi ſervare per tenaciam, nec aliis vendere voluit per avaritiam, ſed ipſius Dei creditor effectus, cœpit eſſe laudabilis uſurarius. Nolens enim parce ſeminare, ne & parce meteret, ſeminabat in benedictionibus, ut de benedictionibus *meteret vitam* æternam: & quia hilarem datorem diligit Deus, non ex triſtitia aut ex neceſſitate eleemoſynarum implebat opus, ſed pietatem miſericordiſſimi cordis oſtendebat ex hilaritate vultus. Præter illos enim, qui ſingulis horis euntes & redeuntes de ejus participabant benedictione, non paucos domeſticos eccleſiæ, ut dignum erat, ſuſtentabat de penu matris Eccleſiæ, conſtituta eis ſine dilatione diurni viatici ſtipe. Et hoc in eo poterat eſſe miraculo omnibus, quod cum eſſet in eleemoſynarum largitate tam profuſus, in relevanda aliarum Congregationum inopia tam paterne prodigus, in vicinis ſuis etiam nobilioribus in tali temporis articulo conſolandis, tam liberali opportunitate paratus, cum etiam ſuos, ſcilicet eccleſiæ homines, ſua compaſſione juvaret, laxando opportune ſolitos terræ reditus; gregem Chriſti in ſolitudine clauſtrali divinæ ſervituti vacantem numquam habuit..... immiſericordius, ſed ſufficientia proveniente ſibi cælitus, toto humanitatis affectu, ſerviebat Deo ſervientibus.

Eccleſiam ornat.

12. Nec videtur eſſe prætereundum dicere, quantum in ornanda eccleſia fuerit ei ſtudium: quamvis enim dicatur: In ſancto quid facit aurum? non habebat tamen in exterioribus rebus unde deſiderium animi ſui oſtenderet erga Deum, niſi ea quæ prima mortales putant, liberaliter expenderet erga Dei cultum; quod nonnihil valere nulli eſt dubium, ſive ut inde neceſſitatis tempore ſubveniatur indigentiæ pauperum, vel Deo ſervientium, ſive ut inde eccleſiaſticæ utilitatis opportune magis comparetur commodum, ſive quia homines bruti, & omnia æſtimantes magis ex animo ſuo, quam ex veritate rerum, nihil pæne ducunt cultu & reverentia dignum, niſi quod ex iis quæ ipſi temporaliter amant, viderint adornatum. Immo utrobique declinans crimen avaritiæ, quæcumque unde potuit prudenter conradere, in ornamentis eccleſiæ maturabat impendere: quorum ſummam hic perſtringere non eſt quidem difficile, quia quotidie eſt oculis ea inſpicere. Fecit tabulam argenteam ante altare ſancti Petri, anaglypho opere non indecore cælatam; duas quoque alias argenteas minoris quantitatis, frontale quoque ad altare ſancti Exſuperii martyris, can-

NOTA.

Digitized by Google

delabra argentea fuſilia duo, calicem aureum unum, argenteos ſex, thuribula argentea duo, textus Evangeliorum unum aureum, tres argenteos, Epiſtolarum argenteum unum, capſas Reliquiarum argenteas duas, capſas ex palliis decem & octo, caſulas duas, decem diaconalia, duo ſubdiaconalia, quatuor albas, ſtolas, tapetia, & alia quæ quamvis numerentur inter ſubicinia, ejus tamen induſtria & ſtudio ſunt comparata, aut ejus amoris gratia à fidelibus eccleſiæ collata, &c.

13. Et quia cum religionis ſtudio vigere fecerat etiam litteralis ſcientiæ ſtudium, ne & in hoc eis deeſſet unde hujuſmodi artis exſequerentur exercitium, ſubminiſtravit eis etiam copiam librorum: non paſſus enim ut per otium mens aut manus eorum torpeſceret, utiliter profectui eorum providet, dum eos per ſcribendi laborem exercet, & frequenti Scripturarum meditatione animos eorum ad meliora promovet. Appellens ergo animum ad conſtruendam pro poſſe ſuo bibliothecam, quaſi quidam [a] Philadelphus, plenariam vetus & novum Teſtamentum continentem in uno volumine tranſſcripſit hiſtoriam; & divinæ quidem Scripturæ [b] pluſquam centum congeſſit volumina, ſæcularis vero diſciplinæ libros quinquaginta. Mirandum ſane hominem unum in tanta tenuitate rerum, tanta potuiſſe comparare, niſi occurreret animo, timentibus Deum nihil deeſſe. Bibliothecâ inſtruit.

14. Ego ſane dum ſtudiorum ingenii & laboris tanti viri recordor, omnino demiror quod in eo geminæ ſcientiæ tam egregie claruerit vigor; à puero enim in ſolitudine clauſtrali educatus, tam ſollers & prudens apparuit in diſponendis mundanis rebus, ut vix aliquis ſæcularium videretur ei præferendus; & contra dum ſe reſtringeret ad rigorem monaſticæ converſationis, id ipſe inter ſtrepitum eccleſiaſticæ procurationis, explebat ſubſecivis operis, quod vix aliquis alter attingeret vacans Deo in quiete monaſticæ ſolitudinis. Nec fruſtra fama nominis ejus ubique diſcurrebat, de cujus doctrina tam dulcis odor longe lateque creſcebat. Exceptis enim illis, quos in ſubjectione ſua in ſtudio & religione nutrivit, multas clericalis ordinis perſonas, quoſdam etiam curiales doctrina ſua promovit, quorum illuſtris probitas vel dignitas, poſtea ſanctæ Eccleſiæ magnæ utilitati & honeſtati fuit; ſed & in hoc eccleſiis Dei ejus laudabilis memoria adhuc vivit, quod vitas aliquas Sanctorum aliquibus in locis liquide & polite compoſuit, & de geſtis eorum in laudem Dei, ſecundum regulam muſicæ diſciplinæ, in qua multum valebat, dulciſſime cantus modificavit. Inter quæ quia rogante Raginero Comite vitam ſancti Veroni confeſſoris compoſuit, cantum etiam de eo melificavit; antiphonas quoque ſuper matutinales laudes in tranſitu ſanctæ Vvaldetrudis. Ipſe Comes Raginerus & Hathuidis conjunx ejus, quidquid prædii habebant.... in dominio eccleſiæ noſtræ tradidit. Ejus ſtudia.

15. Tam laudabilem vitam & utilem degens, poſtquam infra triginta ſeptem annos exegit tempus ſuæ prælationis, ſenſit ſe à Deo invitari ad bravium ſupernæ vocationis, & exemplo Domini Jeſu, qui tranſiturus ad Patrem cum dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, in finem dilexit eos, etiam ipſe filios ſuos, quos Deo in ſinu maternæ dulcedinis genuerat, & affectu paternæ ſollicitudinis educaverat, uſque in finem dilexit. Quia duobus monaſteriis præerat, & ob id continua regendi inſtantia, alternatam habitationem ſuam mutare conſueverat, tunc in Gemblacenſi cœnobio aliquamdiu commoratus, natalem apoſtolorum Petri & Pauli ſollemnizabat, & congregatis filiis ſuis prolixe & pie ſermocinatus eſt eis; & quan- Morti proximus ſuos ad virtutem hortatur.

a Notus eſt ob famoſam Bibliothecam Ptolomæus Philadelphus Ægyptiorum rex, Ptolomæi Lagi filius. Videſis Joſephum lib. 12. Antiquitatum Judaicarum.

b Scripturæ divinæ nomine non ſolum libros, quos vocant, Canonicos intelligit, ſed & ſanctorum Patrum opera; quæ etiam medii ævi ſciptores, ſacræ aut Divinæ ſcripturæ vocabulo ſæpe deſignant.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXLVIII. Jul. XIV.

tum poterat facundia diſerti doctoris, & pietas affectuoſi patris, monebat eos, ne ab aratro dominici operis oculos averterent, & ut ab fermento ſæcularium caverent, ut non ſolum coram Deo, ſed etiam coram hominibus bona providerent, & cetera id genus, quæ pii & ſapientis viri eructabat pectus. Inter loquendum ante altare ſancti Petri eos eduxit cum pſalmodia & oratione, paſtorum Paſtori eos commendavit, ab omnibus commiſſis paſtorali poteſtate abſolvit, & ſpirituali ſanctificatione benedixit, & ut ultimum vale non ſine lacrymis eis fecit, Leodicum abiit. Urgebatur enim triſti nuntio de infirmitate glorioſi epiſcopi Vvathonis, cui etiam ipſe hoc debebat, propter reverentiam debitæ ſubjectionis, quod ejus condiſcipulus, & à puero fuerat contubernalis, & abinde inita inter eos amicitiæ gratia, cum ipſa ætate ſine querela ſimul concreverat, & ut ita dicam, cum eis inſenuerat.

Wathonis epiſcopi pius obitus.

16. Epiſcopus gaudens ſe conſolatum eſſe optata viſitatione amici, ab eo in nomine Domini ſecundum præceptum Apoſtoli Jacobi expetiit inungi. Facto inunctionis officio, cum miſſionem peteret ab Epiſcopo, & adhuc de ſpe vitæ fiducialiter quæreret ab eo, Epiſcopus tactus Spiritu divino: Hodie, inquit, non moriar, ô amici mei, ſed cras in Chriſti nomine ſuccurrite mihi. Ille deſperans de vita amici, reſolutus in lacrymas, nec valens temperare dolori: Non ſinat, inquit, Deus me ſeptem dies ſupervivere tibi. & ad monaſterium ſancti Jacobi cui præerat regreſſus, cœpit deſtitui viribus corporis, mox etiam vexari acutis febribus. Quid multa? ſecundum prædictum, & votum piorum virorum craſtino die, quod eſt octavo Idus Julii, Epiſcopus migravit ad Dominum. Abbas autem, qui Epiſcopo dimidio animæ ſuæ ſeptem dies ſupervivere voluit, ipſo die ſeptimo, quod eſt ſecundo Idus Julias, felicem ſpiritum cælo reddidit, anno Domini milleſimo quadrageſimo-octavo, poſtquam Gemblacenſi per annos triginta ſeptem, Leodicenſi vero cœnobio circiter annos viginti novem regnaſſet.

Cui Olbertus diebus ſeptem ſupervivit.

Gemblacenſes corpus ejus fruſtra repetunt.

17. Quo venerationis honore, quo miſerationis dolore proſecutus ſit grex cœnobii utriuſque, qui in Chriſto ſub ejus profecerat inſtitutione, ſupervacaneum eſt memorare. Gemblacenſes ſiquidem audita *pii* Patris infirmitate, cui poſt Deum & primum noſtri loci conſtructorem Vvibertum, quidquid pæne habebant audebant imputare, piæ dilectionis alis non diſtulerunt illuc convolare. Contriſtabat eos non mediocriter amantiſſimi Patris deſtitutio, ſed pluſquam dici vel credi poſſit, miſerabili contriſtabantur infortunio, quod carendum eis eſſet corporis ejus pignore pretioſo: & ſi aliquam viam eis aperuiſſet Dei dignatio, nihil optabilius eorum omnium inſedit animo, quam id agere aliquo modo, ut corpus defuncti referrent Gemblacenſi cœnobio. Sed id nec precibus obtinere, nec aliqua omnino ratione potuerunt efficere, gaudentibus civibus ad tutelam civitatis ſuæ præſentialiter tam ſancti viri patrocinia perveniſſe. Sepultus eſt igitur in eccleſia ſancti Jacobi, ut decuit primum Abbatem ipſius loci, cum hoc [a] Epitaphio.

Hic jacet Abbatum ſpeculum, decus & monachorum,
Abbas Olbertus, flos paradiſe tuus.
Præfuit eccleſiis normali tramite binis:
Legia corpus habes, Gembla carendo doles.

18. Perlato ad Gemblacenſes tam triſti nuntio, omnibus palam factum

[a] Chapeavillus in notis ad cap. 61. Anſelmi Leodicenſis, monet Olbertum in choro monaſterii ſancti Jacobi ſepultum jacere, atque ad ejus tumbam in ære ſculpta haberi hæc verba: *Anno Domini* MXLVIII. *pridie Idus Julii, vita deceſſit Dominus abbas Olbertus hujus cœnobii primus, vir ſumma prudentia & honeſtatis, qui ſubrogatus de Gemblaco viginti & octo annis huic monaſterio præfuit.*

Digitized by Google

Ann. Chr. MXLVIII. Jun. XIV.

eſt ipſius veritatis teſtimonio, qua paſtoralitatis ſollicitudine omnes habuerat, qua paternitatis dulcedine omnes nutrierat, qua caritatis unanimitate omnes à parvo uſque ad magnum ſibi in Chriſto divinxerat. Quis enim poterit dicere, quis dicenti poterit credere, quantus ilico omnium factus ſit concurſus, quantus fratrum mærentium fuerit luctus, quantus pupillorum & viduarum dolor, quantus pauperum clamor? ab omnium ore actio tam pia, & exaudibilis pro abſolutione animæ ejus ab amicis Chriſti ad cælum tranſmittitur oratio. Quis enim tam affectuoſas vidit exſequias? quis, inquam, tam pias, tam meritas, tam profuſas dubitet Deum acceptaſſe lacrymas, quas non extorquebat carnalis affectionis neceſſitas, ſed quas eliciebat placita Deo ſpiritalis delectationis pietas? Qui ergo tot amicos conciliarat ſibi iniquitatis mammonâ, receptus eſt ab eis in æterna tabernacula, & quia bene miniſtravit, gradu bono acquiſito ſibi, cæleſtis curiæ adſcriptus eſt dignitati. Credo nos modo illic ſua tutabitur gratia, quos hic tam paterna nutrivit miſericordia. Amen.

Ejus exſequiæ.

VITA S. YSARNI ABBATIS

Ann. Chr. MXLVIII. Sept. XXIV.

MONASTERII S. VICTORIS MASSILIENSIS.

Auctore ANONYMO æquali.

Ex mſſ. codd. Regiæ Bibliothecæ & S. Victoris Maſſiliæ.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *ILLUSTRIORIBUS Galliarum abbatiis jure merito annumerandum eſt antiquiſſimum ſancti Victoris Maſſilienſis monaſterium, quod à celeberrimo Johanne Caſſiano conſtructum fuiſſe, ſæculo quinto ineunte, teſtes ſunt Proſper Aquitanus, Gennadius, aliique quamplurimi auctores, qui vel de eo, vel de Victorini monaſterii hiſtoria ſcripſerunt. Ibi ſæculo undecimo floruit beatus Yſarnus, cujus vitam ab auctore æquali deſcriptam, ut ex multis ejus locis patet, hic exhibemus. Sed quiſnam fuerit ille auctor nos plane latet, cum ejus nomen nec ex ms. cod. nec aliunde reſcire licuerit. Id unum ex ejus Prologo nobis compertum eſt, eum monaſterii ſancti Victoris monachum non fuiſſe, quandoquidem ſe ad illud acceſſiſſe dicit, ut ibi* famoſiſſimæ illius religionis cæleſtes choros cerneret, eorumque orationibus ſe commendaret. *Sed quiſquis ille fuerit, nihil niſi certum & exploratum protulit, quæ ſcilicet à beati viri ut plurimum diſcipulis, quorum etiam nomina refert, didicerat. Porro hanc vitam primo habuimus ex monaſterio Maſſilienſi ad nos tranſmiſſam; ſed poſtea cum conficiendo Bibliothecæ regiæ codicum mſſ. catalogo operam daremus, eamdem Vitam invenimus in veteri codice, cujus ſcriptura ad beati Yſarni tempus accedit, ex quo eam cum Maſſilienſi apographo collatam, adjuncto etiam Prologo, qui in priori noſtro exemplari deſiderabatur, proferimus.*

Vitæ auctor.

2. *In vita monaſtica inſtitutorem habuit Yſarnus abbatem Guifredum ſeu, ut alii appellant, Siffredum ſeu Vuifredum, ſuum deceſſorem, quem uti beatum Maſſilienſes venerantur. & quidem eo titulo in Martyrologio Gallicano Andreæ Sauſſayi donatur die duodecima Septembris in ſupplemento. Eumdem* Sanctum *hac ipſa die appellat Hugo Menardus in Martyrologio Benedictino, & Bucelinus in Menologio. Ejus vero elogium paucis verbis abſolvit auctor Bullæ, quæ ſub Benedicti IX. ſummi Pontificis nomine vulgo circumfertur.* Claruit, *inquit*, ſacris virtutibus WIFREDUS abbas loci director, qui ſe mundo crucifixit, & mundum ſibi. *Cujus quidem bulla, etſi dubiæ auctoritatis, teſtimonium ideo huc referre viſum eſt, quod aliis monumentis certis & indubitatis confirmetur. Certum quippe eſt monaſterium Victorinum ſub Guifredi abbatis regimine multum effloruiſſe, quod patet cum ex variis Principum ac virorum nobilium donationibus, quæ tunc factæ fuerunt, tum ex ipſiuſmet Yſarni vita, ubi* vir Deo amabilis Guifre-

Guifredus abbas Maſſilienſis.

Ann. Ch. MXLVIII. Sept. XXIV.

dus *dicitur* Abbatis officium ſtrenue geſſiſſe, *quem cum* Dominus bene meritum remunerare diſponeret, vitam ille digniſſimam beato fine concluſit. *Mors ejus ad annum* MXXI. *revocatur, quo ipſi beatus Yſarnus in monaſterii regimine ſuffectus eſt. Ejus corpus altari impoſitum publicæ populorum venerationi patere monet Gueſnaius in Caſſiano illuſtrato.*

Yſarnus ei ſuccedit.

3. Monaſterium Victorinum, quod ob varias barbarorum incurſiones ſæpius devaſtatum fuerat, reſtaurare cœpit Guifredus, abſolvit Yſarnus; ſub cujus adminiſtratione, non priſtinum tantummodo, ſed multo majorem quam antea habuerat, ſplendorem recepit. Tanta quippe tunc fuit beati viri fama, ut eccleſiarum vicinarum Antiſtites, ceterique Provinciæ Optimates, ejus amicitiam & precum ſocietatem certatim ambirent, ut probant varia inſtrumenta, quæ in monaſterii Chartario deſcripta habentur. Nonnulla proferunt Hiſtorici Provinciæ, inter quos Antonius de Ruffi, pag. 58. & ſeqq. Hiſtoria Provinciæ Comitum, refert donationem manſi in villa Auſomnis *dicta, quem Vuillelmus Comes ejuſque uxor Lucia, anno* MXXX. *monaſterio Victorino conceſſerunt. Anno ſequente Bertrannus Comes duos alios manſos donavit. Idem anno* MXLIV. *eccleſiam ſancti Primatii cum burgo & terris quas ibi poſſidebat, beato martyri Victori donavit, cujus charta Provinciæ epiſcopi & viri nobiles ſubſcripſerunt. Eccleſiam ſancti Geneſii ſive ſancti Honorati, prope muros Arelatenſis civitatis conſtructam, cum multis eccleſiis & aliis rebus ab ea pendentibus ipſimet Yſarno tradidit Raimbaldus Arelatenſis archiepiſcopus, ut ex illius donationis charta patet, quam referunt Sammarthani in Catalogo archiepiſcoporum Arelatenſium. Eccleſiam ſancti Juſti donavit Pontius Maſſilienſis epiſcopus, Petrus Aquenſis eccleſias ſancti Maximini, ſanctæ Mariæ & alias. Petrus vero Siſtaricenſis vicum de Orbaſaco; & eccleſiam ſancti Petri apud Fontelaneam Gerardus ejus ſucceſſor. Habemus præ manibus chartam Leodegarii archiepiſcopi Viennenſis ex Chartario Celſiniacenſi, in qua teſtatur ſe monaſterium ſancti Ferreoli Victorino monaſterio ſubjeciſſe* ob laudabilem ejus famam. *quod tamen monaſterium idem Antiſtes, poſt beati Yſarni obitum, Brivatenſibus eccleſiæ ſancti Juliani canonicis attribuere coactus eſt.*

Cui multæ fiunt donationes.

Viri ibi illuſtres.

4. Perſtat etiamnunc illuſtre ſancti Victoris monaſterium ſub beati Benedicti Regula, quamvis nulli Congregationi addictum, in quo præter ſanctum Yſarnum complures ſanctitate & doctrina viri celebres hoc XI. *ſæculo floruerunt. Ex iis fuere duo Arelatenſes epiſcopi, Pontius & Rayambaldus, quos ſub Yſarni diſciplina ibidem vixiſſe teſtatur vita auctor: iis accenſendi alii ex ſancti viri diſcipulis, qui ad varias ſedes aſſumti ſunt, ut Aycardus ad eamdem Arelatenſem, Petrus ad Aquenſem, &c. ſed præ ceteris monaſterium Victorinum illuſtrarunt Bernardus & Richardus fratres, uterque Cardinalis & Apoſtolicæ ſedis legatus, ſub Gregorio VII. ſummo Pontifice, atque unus poſt alterum ſancti Victoris abbas, quorum laudes variis in locis perſtringit ipſemet Gregorius, potiſſimum lib. 7. epiſt. 7. ad Richardum, ubi Bernardum jam defunctum* ſanctæ memoriæ, & ſanctum ejus fratrem *appellat. Ex eadem epiſtola deprehendi poteſt quiſnam tunc fuerit monaſterii Victorini ſtatus, ſic enim Richardum ad ejus regimen ſuſcipiendum hortatur.* Volo ergo ut fratres tuos nullomodo pertinaciter reſiſtendo contriſtes, ſed voluntati Dei, & ſanctorum fratrum facile acquieſcas. Volumus etiam atque monemus, ut in quantum potes, ſpes ſanctorum fratrum de te vana non fiat, ſed Spiritum-ſanctum fratris tui viriliter induas, ſæcularia ac juvenilia deſideria ut mortem fugias, ſanctæ Regulæ medullitus te adſtringas, ne occaſione tuæ juventutis, monaſterium ſanctum, quod avertat Deus, patiatur aliquod detrimentum religionis. Notum autem tibi facio, quia deſiderium mihi eſt, monaſterium ſancti Pauli Apoſtoli, & monaſterium Maſſilienſe tanta caritatis unione conſtringere, ut & illud ſemper pro amore beatiſſimi Pauli ex apoſtolica auctoritate ſuccreſcat, beatiſſimi Pauli monaſterium ad ſanctam religionem ex illius monaſterii religione proficiat. *Alii Pontifices variis poſtea diplomatibus monaſterii Maſſilienſis poſſeſſiones ac privilegia confirmarunt. Inter eos vero enituit potiſſimum Urbanus V. qui ex ejuſdem loci abbate ad ſummi Pontificatus apicem evectus eſt, de quo fuſius agendum erit ſuo loco. Alios viros illuſtres plurimos protulit celebre monaſterium, atque inter alios Hugonem quemdam ſacriſtam, qui anno* MCCLV. *è vivis exceſſit. Sed de his conſulendus Caſſiani illuſtrati liber jam à nobis laudatus, qui etiam beatum Comitem Eleazarum, virum ſæculo ſuperiori ſanctitate celebrem, eo in loco educatum fuiſſe ſcribit.*

Cultus.

5. Epitaphium ſancti Yſarni tumulo inſcriptum, rudi licet minerva exaratum, poſt vitam ejus proferemus. Ejuſdem beati viri feſtivitatem ſollemniori ritu, ac cum officio proprio quot annis celebrant Victorini monachi die XXIV. *Septembris, quo è vivis exceſſit. conſentiunt variæ Martyrologia, in quibus eadem die Yſarni memoria celebratur. At paullo poſt ipſius mortem feſtivitatem ejus fuiſſe inſtitutam colligi poteſt ex hymno, qui pro ea celebritate compoſitus in codice regio, quem non multo poſt ejus mortem ſcriptum fuiſſe diximus, habetur. Is idem eſt ipſe qui etiamnunc in ejus officio canitur, cujus hoc initium.*

Diem feſtum celebremus
In divinis laudibus,
Quo beatus eſt Yſarnus

Exemtus præſentibus,
Et optatis præſentatus
Domini conſpectibus, &c.

INCIPIT

Digitized by Google

INCIPIT PROLOGUS.

CUm ad venerabile monaſterium Maſſilias, ante hos non multos dies veniſſem, ut famoſiſſimæ illius religionis cæleſtes in terris choros cernerem, & eorum me orationibus commendarem; inter innumerabiles ſanctorum memorias, quorum ibi numeroſus requieſcit exercitus, beati Yſarni abbatis recens defuncti monumentum à diverſorum ægrotantium populis frequentabatur......... tam cita remedia pie petentibus ibi obtinentur à Domino, tamquam jam omnes alii ſancti huic omnem ſuam virtutem...... dans conceſſiſſent. Hujus igitur tanti viri recordatione ſuccenſus, de vita ejus & converſatione atque virtutum ipſius meritis fidens, prout Dominus dederit, aliqua dicere cupio, non ut rei ſatisfa......... quippe quæ humani eloquii......... ſed ne omnino tanta gloria Dei......... ſilentio, & ut ſancta Eccleſia filiorum virtutibus......... ſaluberrima viri ſanctiſſimi notitia non fraudetur. Eſt etiam quod me ad ſcribendum de eo plurimum provocat, quia tanto certior ſum me ſinceriſſima veritate locuturum, quanto ob recentem viri memoriam, eorum quæ dicturus ſum tota pæne Provincia teſtis occurrit, & maxime multi venerabiles valde monachi diſcipuli ejus, quos certe credo tamquam mortem vitare velle mendacium, in quorum converſatione, ut breviter de illis omnia dixerim, ipſa perſpicue magiſtri vita refulget. quod opus eo gratius debet ab omnibus ſuſcipi, quo ejus de quo ſcribimus virtus noſtra proprie tempora decoravit: fietque ut recens ſanctitas & moderna miracula duritiam noſtram facilius fortaſſe compungant, dum jam non recuſat infirmitas hominum velut impoſſibile, quod ſui temporis hominem noverit impleviſſe; dumque unius moderna victoria æmulos concitat, excuſſa quiſque ſegnitia ſpirituales nequitias oppugnare & evincere ſtudioſius elaborat. quapropter incipiamus jam in nomine Domini Jeſu, quod facere inſtituimus, ne ſe prærogativa ſanctitatis & nobilitate virtutum præter nos inſigniri antiquitas glorietur. *Explicit prologus.*

INCIPIT VITA.

CAPUT I. Yſarni patria.

BEatus YSARNUS honeſto genere, longe futurus virtute honeſtior, ex Toloſana patria natus apud Fredeleſium, qui eſt ejuſdem patriæ vicus, in canonicatu nobili à religioſis viris educatus, atque edoctus eſt; ubi quantum in eo loco tunc poterat fieri, grammaticam & eccleſiaſticos cantus tanta vivacitate puerulus didicit, ut nequaquam fortuito, ſed veluti prophetico quodam ſpiritu nomen hoc ei fuiſſe inditum non injuria videatur. Ys enim hebraïce, vir apud nos dicitur, Arnus autem lingua patria acutum ſonat. Yſarnus igitur virum deſignat acutum: ſed peritiam cantuum tunc, & in omni vita ejus tanta vocis elegantia decorabat, ut in quantolibet concinentium cœtu perquiſitus, omnium voces facile ſuperans, cujuſdam etiam modulationis Angelicæ ſuavitate condiret. *Vocem habet ſuaviſſimam.*

II. Cum vero jam adoleſcentiæ limina contigiſſet, quæ pleroſque mortalium rapit in voraginem mortis, & commune omnium diſcrimen, communiſque tentatio adoleſcentulum perurgeret; qualem ſe præbuerit, qualiter pro anima carni, & incentori ejus hoſti antiquo reſtiterit, qualiter eo tempore quo alii corruunt, iſte cælibatus Angelici palmam rapuerit, non eſt noſtræ facultatis edicere. Ferunt enim eum uſque ad terminum vitæ integram illibatamque virginitatem ſervaſſe. Nihil vero, ut in ea ætate ſolet, in verbis ejus tumidum, nihil durum reſonare, nihil in actibus ejus

Digitized by Google

ANN. CH. MXLVIII. SEPT. XXIV. ſuperbum aut incompoſitum apparere, nihil in geſtu totius corporis protervum, nihil fluxum aut lubricum, nihil poſtremo in omni ejus habitu indecorum videbatur: ſed in omni verbo, in omni actu, atque omnium membrorum officio mira gratia ſancti ſe Spiritus vaſculum declarabat. Tunc vero omne conſilium ſuum in Domino ſtatuens, eum vitæ modum ſtudioſiſſime perquirebat, quo apud Deum ſe gratius commendaret.

III. Per id ſiquidem temporis, præſtante, ut credimus, divinitate ſalutis occaſionem adoleſcenti, quemdam GAUSCELINUM [a] abbatem, dum vicum illum forte pertranſiret, de verbo Dei tractantem audivit, à quo paterne ſuaſus, & velociter perſuaſus, furto pietatis, patrio mox ſolo ſublatus eſt. Eo itinere contigit ut Abbas idem, diſponente eo, qui vas Spiritus-ſancti Yſarnum domui ſuæ Maſſilienſi judicaverat præponendum, propinquos ſuos quoſdam nobiles viſitaturus ad urbem Maſſiliam properaret; ſed cum in Agathenſi opido diebus aliquot demoraretur, famulus Dei Yſarnus metuens, ne quod ex dilatione propoſito ſuo impedimentum, amicis forte proſequentibus, obveniret, ab STEPHANO venerabili viro, ipſius civitatis epiſcopo, ſanctæ religionis habitum ſuſcepit. Hoc quoque ſatis congrue divina Sapientia diſpenſabat, ne in monaſterio Maſſilienſi poſtmodum militantem Abbas jam dictus velut ſuum monachum acrius, importuniuſque repeteret, ſi ei per ſeipſum religionis habitum impoſuiſſet. Poſt paucos denique dies Maſſiliam veniunt; at Gauſcelino amicorum confabulationibus occupato, devotus Deo adoleſcens ſepulturas interim martyrum ſollicitus circuit, cognoſcendi omnia deſiderio rapitur, atque à paucis Fratribus, qui reſtituto recens monaſterio, ibi ſatis regulariter vivere cœperant, ſingula percunctatur. Nam illud famoſiſſimum toto orbe cœnobium, quod beatiſſimus olim conſtruxerat CASSIANUS, deſtructum à Vandalis, uſque ad eorum tempora ruinas tantum antiqui operis prætendebat. Hi religioſum adoleſcentis mira caritate ſtudium proſequentes, deſideriis ejus ſatisfaciunt, per omnia ſanctuaria hominem ducunt. Hunc, [b] aïunt, locum venerandus martyrum, cui numquam fruſtra ſupplicatur, tenet exercitus, quos per hos totos late patentes campos, ſanctorum Confeſſorum, hujus loci quondam monachorum, circum circa innumerabilis populus ambit. Ibi autem ſeorſum ſacrarum Virginum turba quieſcit. At in illo interiori ſacrario, quod in ipſo naturali ſaxo exciſum vides, primitivorum Chriſti teſtium, ſanctorum Innocentium ſcilicet, quos huc ſecum beatiſſimus Caſſianus Bethleemiticus primum cœnobita devexit, multæ ac metuendæ reliquiæ continentur. Quibus ille auditis, amore ſanctorum vehementer accenſus, altiuſque ab immo pectore ſuſpirans: Deus bone, inquit, quam terribilis eſt locus iſte, & ego neſciebam! vere non eſt hic aliud niſi Domus Dei & porta cæli. Quid plura? à Fratribus illi cohabitatio ſuadetur. Ille vero ſe nullo pacto à loco receſſurum dicit. Communi voto ſtatim ne à Gauſcelino abbate repoſceretur, occulitur. Gauſcelinus per amicos ſuos potentes civitatis acrius monachum repetit; at illi à Fratribus clanculo perſuaſi, verbis multa agentes, ut inter hujuſmodi trajectores aſſolet fieri, tandem precario rem componunt. ita ille qui pio furto ſancti adoleſcentis parentes paullo ante deceperat, digna viciſſitudine à ſuis propinquis & ipſe deceptus eſt.

Veſtem monaſticam ſuſcipit.

Monaſteriũ Maſſilienſe reſtituitur.

IV. Mox vero Yſarnus tamquam deſcriptum illud Sapientis in pectore gerens, *Quodcumque poteſt manus tua facere, inſtanter operare: quia neſcis quid futura pariat dies*, tanto fervore regularem viam currere cœpit, ut in cunctis in brevi etiam perfectioribus admirabilis videretur. Et primum qui-

Eccl. 9. 10.

[a] Cujuſnam loci fuerit abbas iſte Gauſcelinus, reperire non licuit.

[b] Vide Gueſnaïum in Caſſiano illuſtrato lib. 2. cap. 22. ubi ſingillatim recenſentur ſanctorum reliquiæ hic laudatæ.

Digitized by Google

ANN. CHR. MXLVIII. SEPT. XXIV.

Yſarni pia exercitia in monaſterio.

dem illud Samuëlis præ oculis habens, *Quia melior eſt obedientia quam victima, & peccatum ariolandi eſt repugnare, & ſcelus Idololatriæ nolle adquieſcere;* 1. Reg. 15. 22. tanta humilitate, tantaque caritate & patientia, non ſolum patri monaſterii, ſed cunctis etiam fratribus obediebat, ut qui eum forte non cognoſceret, non tamquam unum ex aliis, ſed tamquam extremum quemlibet omnium clientulum reputaret. Non ejus obedientiam ulla contradictio, non ulla ſummurmuratio, non rugationarium, nulla denique vultus aſperitas, nulla prorſus indignationis, vel impatientiæ quantulacumque ſignificatio defuſcare; ſed cum ad omnia vel extrema ac viliſſima quæque officia ſe præberet, tam gratioſa hilaritate omnia condire, ut magis cunctis ſola ejus hilaritas, quam aliorum cujuſlibet grandis operatio complaceret. In divinis ſane rebus ita habebatur aſſiduus, ut divinas ori ejus laudes, niſi legeret, ſola reficiendi vel dormiendi ratio paulliſper ſubripere videretur. quin & ipſa lectio erat oratio. Non enim magis in ea quid intellectum inſtrueret, quam quid compungeret quæritabat. Didicerat quippe à Magiſtro bono, ſemper eſſe orandum. Nullus igitur detractioni, otioſiſve ſermonibus dabatur introïtus, cum omnia pæne tempora jugis oratio detineret. O beata adoleſcentis initia, quibus ipſorum ſenum difficile conſummatio comparatur! O felicia tirocinia, quibus aliorum jam virtus emerita cedit!

V. Fit Prior.

Eo tempore vir Deo amabilis GUIFREDUS abbatis officium in eodem cœnobio ſtrenue gerebat. Is animos juvenis ſemper ad perfectiora ſuccreſcere cernens, poſt paucos annos renitentem ſatis, atque coactum, divino certe inſtinctu, Priorem Fratribus ordinavit. Ille autem velut inſcriptum menti præceptum illud habens, *Quanto magnus es, humilia te in omnibus*, Eccli. 3. 20. ex collato Prioratu, tanta ſe apud ſe humilitate depreſſit, ac ſi honor ille nihil quam onus; illaque exaltatio, nihil aliud eſſe ei quam dejectio videretur; talemque ſe ex injuncta ſibi cura cunctis exhibuit, ut ſanctitatis & diligentiæ ſuæ, vel temperantiæ, merito bonis omnibus ex cariſſimo copioſius ſe redderet cariorem, & quidem ſatis apte. Nam & ipſa ejus auſteritas ita columbinum aliquid ſapiebat, ut ab illo quis reprehenſus nihil felleum, nihil amaritudinis reportaret, id ſemper apud ſe reputans, ut prælatus quis prodeſſe omnibus ſtudeat, non præeſſe. Hic vero jam peculiares orationes, hic anticipatæ & protelatæ vigiliæ, hic admiranda jejunia ſucceſſerunt.

VI. In abbatem eligitur.

Sed cum benigniſſimus Dominus & bene meritum ſervum ſuum venerabilem Guifredum Abbatem remunerare, & hunc, utpote quem in modico fidelem probaverat, & quem juxta verbum ſuum purgaverat, ut fructum afferre plurimum eſſet idoneus, altiori provehere dignitate diſponeret, vitam ille digniſſimam beato fine concluſit. Tunc fratres cum vicinis Abbatibus pro ſucceſſore eligendo ſollicitii, piis Omnipotentem precibus pulſant. Toto ergo conventu aggregato, aliis ſic, aliis vero ſic ſentientibus, nonnullis etiam pro ſeipſis ſatagentibus, ARCHINRICUS [a] abbas quondam Majoris-montis, vir altioris ingenii, accerſito minimo puerorum: Heus tu, inquit, filiole, in nomine Jeſu-Chriſti Domini noſtri, quis tibi dignus ad abbatis Officium videatur, edicito? Nec mora, ille à ſancto-Spiritu edoctus; Yſarnus, inquit. Hoc igitur veluti divinum rapientes oraculum, cuncti uno conſenſu, paribuſque votis in electionem ejus acclamantes ilico ſubſcripſerunt. At ille amariſſime contriſtatus, quid diceret, vel de ſeipſo quid faceret, neſciebat, cum tamen ſe quibuſcumque pote-

[a] Referunt Sammarthani privilegium Sergii papæ huic abbati conceſſum. Eſt autem Mons-major, vulgo *Mont-majour*, vetus ac illuſtre cœnobium ſub S. Petri nomine, prope Arelatem conſtructum, ubi degunt nunc noſtræ Congregationis ſancti Mauri monachi.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXLVIII. Sept XXIV.

rat modis excuſare moliretur; violenter ab omnibus rapitur, & ne forte dilatio aliquid afferret contrarii, conſecratur.

VII. Exinde ergo quaſi tunc primum novus athleta, magis ac magis corrigendis moribus, & coartandæ vitæ operam dabat: & ſicut nonnulli ex honoris faſtigio in libertatem propriam, ex libertate vero propria in negligentiam ſui, elationemque; ex neglectu porro ſui & elatione in cetera multa mala relaxari conſueverunt: ita è contrario hic Domini timore conſtrictus ad omnia ſollicitum ſe habebat, ſecundum quod ſcriptum eſt: *Qui timet Deum nihil negligit.* Et ut contra omnia vitia fieret circumſpectior, ſanctæ per omnia Regulæ ex prælatione ſatagebat eſſe ſubjectior, illam ſemper in mente revolvens, ſeque non tam magiſtrum quam ſervum omnium recognoſcens. Non enim ejus mente exceſſerat ſcriptura dicens: *Principem te conſtituerunt, noli extolli, ſed eſto in eis ſicut unus ex ipſis* Hoc igitur faciens, plus amari ſemper ſtudebat in Domino, quam timeri. Unde non ſolum fratribus, ſed etiam omnibus hominibus ultra quam dici poteſt amabilis erat. Tunc pauperum cura, tunc eleemoſynarum mira profuſio, tunc languentium atque omnium qualicumque miſeria afflictorum conſolatio feſtina ſubſequitur. Sæpe ipſe pro pauperibus apud œconomos mendicare ſuas veſtes, necnon & aliorum fratrum ubi opportunum illi erat, furari, & algentibus clanculo dare; deinde hujus rei ne auctorem proderent minitari. Cumque de furtis in capitulo quæſtio ageretur, ipſe furem cum aliis perſcrutans meliora reſtitui mox jubebat. His vero tandem compertis, nam die quadam dum coopertorium optimum circumſpectis diligenter omnibus ſubriperet à quodam Stephano, qui mihi hujus rei & relator & notarius fuit, interceptus eſt, cum jam fratres eum aſſervarent *, & maxime quod ea quæ ſibi ob paternam reverentiam carius coemebantur diſtribueret, cauſarentur, ille poſt longa ſilentia alludens: Bona, inquiebat, largitio receptionem optimam parat. Sed cum jam per ſeipſum verba fratrum metuens (erat enim omnium hominum fere mitiſſimus) non auderet, per quemdam fidiſſimum comitem, Poncium nomine, imperato ſilentio itidem factitabat. O beata furta! ô furta pietatis! ô furta caritatis! utinam vobis ſimilia omnia furta eſſent! Utinam omnes fures proximorum parcentes rebus, ad talia perpetranda de propriis elaborarent! non de talibus Paulus diceret: *Neque fures regnum Dei poſſidebunt*, immo talibus cæli claviger Petrus libenter occurreret, libenter talibus aperiret.

Ex prælatione humilior.

Eccle. 7.19.

Eccli. 32. 1.

Mira caritas in pauperes.

Auctoris ætas.

* f. obſervarent.

1. Cor. 6.10.

VIII. Sed vir iſte cum omnibus largiſſimus fieret, ſibi parciſſimus exſiſtere, ad omnes benigniſſimus, in ſe auſteriſſimus eſſe; & cum omnium miſerias levigaret, ſe ſemper incredibilis abſtinentiæ maceratione damnare. Edebat quidem ille cum fratribus, & occultare ſe per omnia cupiens, cibis omnibus uti communiter ſimulabat. Verumtamen panem appoſitum per fruſta diminuens, in rodendis cruſtulis quaſi diu comederet, totum pæne ſpatium refectionis occupabat: cumque appoſitis piſcibus ſuaderetur, vel potius amica violentia cogeretur ad eſum, utpote qui pretioſi ſaporis & conditi ſtudioſiſſime viderentur, faceta excuſatione utebatur, dicens, non omnia bene condîta tranſire decere per Abbatum ora. Denique cum paullatim per minutias diſcerpſiſſet, capitibus & ariſtis ſuperjectis, quaſi qui omnia conſumſiſſet, tentatione tantum ſuperata refocillatus, pauperibus emittebat. Quid de illo quo utebatur permodico vino? illud tanta infuſione aquæ corrumpebat, ut nullis uſibus commodum eſſet. Tali igitur, ut ita dixerim, hypocriſi ſanctus hypocriſim fugiens aſſidue laborabat. Tempore autem Quadrageſimæ ſecunda, quarta, & ſexta feria nihil guſtabat.

Abſtinentia.

IX. Talibus ergo operibus vir Deo amabilis orationes ſuas levabat in cælum, illud Jeremiæ fideliter complens: *Levemus corda noſtra cum manibus ad Deum.* Sed cum ad orandum nocturno maxime ſilentio divinis ſe conſpectibus

Aliæ virtutes.

Thren. 3.41.

Digitized by Google

obtuliſſet, quis illa lacrymarum flumina, quæ tunc fundebantur; quis illos gemitus, illos planctus, illos ſingultus, qui tunc parturiebantur, edicat? Veſtitus ſemper, ne indulgentius ſopiretur, & ut expeditius ſurgeret, dormiebat. Eratque ei conſuetudo, guſtato in principio noctis permodico ſomno, furtim lento pede, ut vix numquam adverteretur, de dormitorio egredi, martyrum cryptas petere, ibique longiſſimo noctis ſpatio, uſque ad fratrum vigilias excubare. Et ſæpe quidem precabatur cuſtodes ut eccleſiæ valvas ſibi reſerarent: ſæpe vero munitis diligenter omnibus januis, qualiter eum Deus introduxerit neſcientes, more ſolito in cryptis martyrum eum inveniebant. Ibi ferunt eum hibernis noctibus, dum ſupernis intenderet, ita ſui oblitum, frigore ſæpius obriguiſſe, ut niſi aliorum manibus aſportaretur, egredi minime valuiſſet. Frequenter vero ab his, qui eum curioſe tunc obſervabant, poſt longa ſuſpiria inter languidos ſingultus tamquam ipſum Jeſum præſentem alloquens, in has voces erumpere audiebatur: *O cuſtos hominum, quare poſuiſti me contrarium tibi, & factus ſum mihimet ipſi gravis? cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam?* Unde ſatis oſtenditur, hujus mundi exſilium quam graviter ſuſtinebat, ad eum cui loquebatur quanto affectu ſuſpirabat.

Ann. Ch. MXLVIII. Sept. XXIV.

Job. 7. 20. 21.

X. Hæc antiquus hoſtis aſpiciens, invidiæ facibus nimium torquebatur, & licet orationis virtute repulſus ad eum proximare non valeret, quibuſcumque tamen præſtigiis poterat aufugare, vel ſi id non poſſet, hominem terrere ſaltem nitebatur. Quadam igitur nocte vir venerandæ memoriæ Guillelmus tunc eccleſiæ cuſtos, dum ante communes vigilias maturius ſurrexiſſet, in circo illo qui ſuper martyrum cryptas imminet, ſic enim locum illum vocant, orationi ut ipſe inſiſtebat, tunc repente in gradibus quibus ad cryptas deſcenditur, tantum ſonitum, ac ſi omnes cryptæ funditus eruerentur, audivit. Et ecce draco permaximus immenſa ſinuamina explicans, longoque per totos gradus porrectus tractu, hiantibus faucibus terribiles flammas evomens, totum à ſuperiori cardine uſque deorſum majoris cryptæ introïtum vaſtiſſimo ore quaſi ſanctum virum cum egrederetur excepturus opplevit. Tunc vir ſanctus ante altare ſanctiſſimæ Virginis Mariæ, ac beatorum martyrum oratione ex more completa, in partem alteram ad altare ſancti Johannis Baptiſtæ ante illud monſtrum horribile tranſiturus conceſſit. At vero Guillelmus illum ilico abſorptum iri à diabolo metuens, omnia oſſa concuti, toto corpore tremere, immenſis ſudoribus ſuffundi, intercluſo anhelitu pæne exanimari. Vir autem ſanctus fiduciam ſumens in Domino, crebro genua flectendo, frontemque ac pectus ſigno crucis muniendo, tamdiu in oratione infatigabilis perſtitit, donec illud enorme phantaſma in teſtimonium ſuæ confuſionis terribiles ſibilos, & horrificum fragorem reddens prorſus evanuit. Mane ergo facto, primo diluculo prædictum Guillelmum à lectulo ſanctus excivit, ſi quid inſolitum in eccleſia illa nocte audierit percunctatur, diſſimulantem omnia referre compellit: tum vero per debitam obedientiam tota auctoritate imperat, ne ſe vivente hoc miraculum cuiquam mortalium revelaret. Quod ſi iſtud in quo erat alter conſcius, tanta ſollicitudine vanam gloriam fugiens ſatagebat abſcondere, quando putamus ea diceret, quæ nemine conſcio perpetraſſet? Felix conſcientia cui mundus ita viluerat, ut tot plena bonis ſic laudari refugeret: cum nos miſeri, in his etiam quæ perperam gerimus, quotidie in laudes hominum ſuſpiremus. Sed neque hoc forte valde mirandum eſt. Virtutes enim naturali fœdere virtutibus amicantur, & vitia vitiis placent. Unde non miror, ſi refertus virtutibus hac etiam non carebat; aut ſi hi qui ſunt vitiorum ſentinæ, etiam humanæ laudis contagio non metuunt ſordidari.

Dæmonis tentationes ſuperat.

XI. Sed dum beati viri merita talium inexpertus prædico, vereor ne omni-

Digitized by Google

Ann. Ch. MXLVIII. Sept. XXIV. bus potius injuriam faciam, quam vel unum, ſicut decuerat, explicare queam. Quid tamen de illo quidam virtutum familiariſſimus, ſanctiſſimum ODILONEM Cluniacenſem abbatem dico, breviter dixerit, ponam. A ſancto Odilone laudatur. Erant enim iſta duo tunc orbis terræ lumina tamquam unum cor, & anima una. Dum ergo ille hujus virtutes numeraret, Octo, inquiebat, ſunt in domno Yſarno cum ceteris bonis ſuis, vix in aliquo alio ſimul invenienda reperiuntur. horum unumquodque ſingulatim quilibet alius ſi haberet, tantumque in eo profeciſſet, culmen non immerito ſanctitatis apprehendiſſe videretur. In hoc autem octo iſtæ beatitudines, id eſt caſtitas, humilitas, miſericordia, patientia, jejunia, vigiliæ, orationes, vanæ gloriæ contemtus tam perfectæ cumulantur, ut cum ſingulatim unumquodque perpenderis, videatur in ſingulis ſingularis.

XII. Cilicio aſperrimo ad carnem ſemper induebatur, uſum femoralium omnino non habebat, niſi cum apud Cluniacum ſemel eum femoralibus & ſtaminio ſanctus Odilo violenta caritate veſtivit, quæ Maſſiliam rediens ilico depoſuit. Solebat autem eum beatus Odilo dum ſimul recumberent, amica quadam contentione vocare hypocritam, eo quod ſpeciem humanæ, communiſque converſationis prætenderet, & ſe ultra omnes fere homines fame & ærumnis variis cruciaret.

XIII. Factum eſt autem ut virtutum ejus fragrantiam plurimi odorantes, ejus ſe cuperent inſtitui diſciplinis. Primi ergo ſub eo converſi DODO & RAINALDUS, & ab eo, ceu par turturum, aut duo pulli columbarum Domino oblati, tantam gratiæ illius exuberantis, ac *primitivæ benedictionis* ejus traxere pinguedinem, ut eorum admirandam ſanctitatem antiquis per omnia patribus comparandam plurimis certum ſit miraculis claruiſſe. Ejus diſcipuli. Et Dodo quidem jam magiſtrum ad beatam vitam glorioſo fine ſecutus eſt. Venerabilis autem Rainaldus nihil ſic quotidie ut diſſolvi, & eſſe cum Chriſto deſiderans, hactenus nobis virtutum magiſtri fideliſſimus teſtis ſervatus eſt. Hos ex diverſis terris ſubſecuta veneranda poſteritas, ex ſatis modico immenſum in brevi gregem Domino confecerunt; inter quos multi quoque nobilium cæleſtis vitæ amore ſuccenſi, præclara ſæculo ſuæ converſionis exempla tradidere. Ex quibus duo archiepiſcopi. Tunc etiam PONTIUS Arelatenſis archiepiſcopus, nec multo poſt & ſucceſſor ejus, totius tunc Provinciæ unicum decus* Randibaldus, ſub eodem patre ſanctæ ſe Regulæ ſubmiſerunt. *al. Raiambaldus.

XIV. Sed & illum, qui veluti Saulus multa patientia primo ſupportatus, flagellatus eſt, ut corrigeretur, dejectus eſt, ut levaretur, qui coactus ad converſionem non parum poſtea fructificavit, ſilere non debeo. Adalardus quidam erat ſæcularis pompæ, ferus homo nimis & peſſimus. Is cujuſdam prædii, quod juris monaſterii erat, Lagninas [a] nomine, ruſticos iniquis exactionibus frequentius affligebat, porcos videlicet, arietes, ceteraque id genus ſuis uſibus commoda ab eis corrogans, ſi vero non darentur violenter abripiens. qui cum à viro Dei blande commoneretur ut ſe ab injuriis monaſterii temperaret, pro nihilo reputans, multo efferatius in prædictos ruſticos ſe agebat. Aliquando igitur ſancto viro in eodem prædio poſito, adſunt nuntii cum gravi querimonia referentes, quod prædo ille ſacrilegus præfatam villam pridie deprædatus, nunc etiam reliquias quæ ſupererant in ſua convivia conſumturus, adeſſet. Tunc vero tota familia quæ cum viro Dei erat, fremere, inclamare, lanceas vel ſudes corripere, hoſtem protinus cum auxiliis circum manentium petitura ferocius diſcurſare. At ille fremebundum expanſis manibus in exitu ſeipſum oppoſuit, vehementer omnibus minitans & conteſtans ad id facinus egreſſuris, niſi ſe prius interfecto exituris non patere. cumque furentium animos confre-

[a] Id eſſe puto quod in Bulla Paſchalis II. vocatur Lauguias, in epiſcopatu Regenſi.

Digitized by Google

giſſet, atque illi de ejus nimia ſimplicitate cauſarentur, fertur dixiſſe: Quomodo quidem nec tantæ feſtivitatis gloriam, dies enim Dominica erat, nec noſtram præſentiam reveritus tam ſuperbe inſanire præſumſit, ultionem dominicam non evadet. Tunc ad ipſum prædonem, qui eum ad ſuum colloquium deducerent, pacificos nuntios miſit. qui dum adeſſet, eum mox ad epulandum ſecum invitat, ſuum proprium apparatum illi apponit; plene refectum injuriarum blande commonet, ut ſe de cetero corrigat adhortatur. His ita geſtis, ad aliam manſionem, quæ Petra-Caſtellana [a] dicitur quo intenderat, ire progreditur. Poſt diſceſſum autem hominis Dei, mox Adalardus ibidem adhuc manens in utero ad inſtar parturientis vexari cœpit, accitoque celerrime Nortaldo quodam monacho, cum ſe, invaleſcente nimium cruciatu, crederet ilico moriturum, ſanctæ Religionis habitum petit, aſſerens ſacratos manu ſancti cibos cum exſecrabilibus, quos de præda præſumſerat, cibis confligere, eoque conflictu ſe ad exitum ſua veſania digniſſimum miſerabiliter coartari. Mira res! habitu ſumto, ſtatim eadem hora intolerabilis dolor ille receſſit. Verumtamen toto pæne anno donec plane domeſticus eſſet, elanguit. Ex quo notum ſatis factum eſt pro ſalute animæ perſecutoris ſui ſanctum oraſſe, hancque ei vindictam paullo ante minatum fuiſſe.

Ann. Ch. MXLVIII. Sept. XXIV.

Mira perſecutoris converſio.

XV. Alio tempore ad eamdem Petram-Caſtellanam, cujus nunc memini, pergebat: cumque adhuc longior reſtaret via, & clauſo jam die per loca aſpera & ignota, nimbis quoque iter arcentibus ulterius tendere conſilii non eſſet, in caſtello Barremma, quod juxta erat, quæri hoſpitium juſſit; ſed barbaris hominibus cunctis hoſpitium negantibus, in quoddam vaſtum horreum quod in fine villæ erat, prout res tunc dictabat, ſe habiturus conceſſit. Itaque neque precibus, neque pretio ullam humanitatem in eodem caſtello expertus eſt, præter in una paupercula vidua, quæ de ovis ſuis, an etiam de pane neſcio, ſecundum quod poſuit, attulit ei benedictionem. In craſtino autem cum ob tantam inhumanitatem vir reverendus AMELIUS Senecienſis epiſcopus caſtellum illud, nam ad ejus diœceſim pertinebat, excommunicare vellet; multum in excuſationem illorum hominum laborans ſanctus vir, ne id fieret interceſſit, ſed non multo poſt ultio divina ſequuta eſt. Ita namque caſtellum illud paullo poſt igne vaſtante conſumtum eſt, ut neque unde unus homo cibari poſſet, ſupereſſe incendio videretur. quod ut ſe ob vindictam ſervi ſui Dominus feciſſe monſtraret, domum tantum viduæ quæ eum viſitaverat, & horreum in quo manſerat, penitus illæſa ſervavit.

Ruſtici ob inhumanitatem puniti.

XVI. Hoc dum fratribus recitarem, unus ex ipſis, Petrus nomine, vir in monaſterio auctoritatis magnæ per omnia: Me teſte, inquit, in Caſtro-Morario itidem miraculum hoc ordine contigit. Arelate veniebamus, jamque incipientibus nocturnis tenebris memorati caſtri dominum, qui Carbonellus, ſi bene memini, dicebatur, adivimus, domum tantum hoſpitii domno Abbati, & his qui ſecum erant flagitantes; nam cetera omnia neceſſaria nobis affluenter diximus abundare. Is exquiſitis pro tempore utens ambagibus, in nullo ſe nobis valiturum reſpondit; hunc & ceteri opidani indifferenter imitati ſunt: repudiatos tandem ab aliis homuncio quidam pauper in peranguſtiſſimo tugurio nos excepit. Quid amplius demorer? Illac denuo paullo poſt tranſiens, omnes ejuſdem opidi domos, excepto hoſpitiolo noſtro, admiratus non parum, ipſe in favillas redactas vidi.. Cumque nullæ prorſus eorum quæ hominibus erant utilia, præter

[a] Opidum eſt diœceſis Senecenſis, vulgo *la Caſtellane*, quæ antiquæ familiæ ejus nominis toparcharum nomen dedit. Ibi eſt Prioratus ſanctæ Mariæ ſacratus ſub abbatia ſancti Victoris, cujus meminit Paſchalis II. in bulla ad abbatem Ottonem anno 1114. apud Sammarthanos. De eo loco & pluribus aliis vide apud eoſdem Sammarthanos chartam Honorati Maſſilienſis epiſcopi, qui monaſterium Victorinum plane dirutum reſtauravit, ſub finem ſæculi præcedentis.

ANN. CH. MXLVIII. SEPT. XXIV. nudam terram, ex aliorum domibus reliquiæ ſupereſſent, hoſpes noſter ex omnibus reculis ſuis nullam omnino in illo incendio deperiſſe gaudebat. In hac igitur re, & Domini noſtri Jeſu-Chriſti ſimilitudinem in Yſarno, & magni illius Petri in ſua, Petrus iſte admiratione recenſuit. Ita namque iſte miratus eſt opidum, in quo fructum caritatis magiſter ſuus fruſtra quæſierat, conflagraſſe, ſicut magnus ille Petrus miratus eſt, ficum in qua Dominus Jeſus pridie fructum quæritans non invenerat, aruiſſe.

XVII. Tunc idem Petrus monachus addidit nobis etiam hæc. Mulier quædam vidua bene religioſa, domina Trancenſis caſtri, ex conſuetudine caritatis, unde ſancto viro propriæ veſtes fierent, telam quotannis ad monaſterium deferebat. Quodam igitur tempore ad monaſterium de more properans, ſub caſtello Bocco, ut via publica fert, tranſibat: Rainoardus porro ipſius caſtri dominus, pro eo quod pater ſuus monachus apud nos factus quaſdam proprii juris terras monaſterio dederat, impius in patrem beſtiali rabie ſæpius in noſtras injurias raptabatur. Hic ergo cum ſatellitibus ſuis deſcendens obviam feminæ, cum nomen illa ſancti Yſarni, dicens ſe ad illum ire, telam quam in præſentiarum gereret illi oblaturam prætenderet, ex hoc vehementius inſtigatus equos & omnia quæ ferebat violenter abripuit. Illa vero pedes nihilominus ad monaſterium ſancti viri benedictionem petitura feſtinavit, ſed mira diſpenſatione omnipotentis Dei, prius quam à monaſterio illa recederet, raptores eoſdem à malignis ſpiritibus crudeliſſime vexatos, ita ut ſe ipſos miſere laniarent, & quod dictu quoque horrendum eſt, propriis, ut aïunt, egeſtionibus fœdarentur, vinctos ad pedes beati Yſarni cum illa omni rapina pertrahi videt. Tunc omnibus querelis quibus adverſus monaſterium tyrannus infremuerat prorſus abolitis, orante viro Dei, perfectæ ſanitati celerrime reſtituti ſunt.

Raptores puniti.

XVIII. Tretis villa eſt, in qua vicarius quidam, Redemtus nomine, protervi admodum ſpiritus, domino ſuo Vicecomiti Maſſiliæ convivium paraturus, dextera, lævaque quæque poterat hac occaſione impias manus ferens, de jure monaſterii ruſtici unius vaccam rapuit. qui ruſticus ad monaſterium currens, beati Patris aures miſerandis ejulatibus ſatiavit *. Die vero altera & ipſe Redemtus Vicarius monaſterium ad ſanctiſſimos martyres oraturus intravit; cui facta ſed non perfecta oratione, templum egredienti coram ſancto patre Yſarno, qui pro ruſtico interceſſurus exierat, miſer ruſticus ad pedes proſtratus eſt. Ille vero infelix diabolico ut erat ſpiritu actus in furiam; nullaque ſancti præſentis reverentia flexus pede ruſticum ſub mento feriens ſupinavit; ſanctus autem vir nihil omnino locutus totum caput obvolutus cucullo, eccleſiam protinus ingreſſus eſt. At infelix Redemtus aſſcenſo velociter equo, priuſquam monaſterii cimeterium poſſet egredi, divina animadverſione terribiliter in ſacrilego pede percuſſus eſt. Cumque multa medicaminum genera dolori adhibita nullo modo ſuccurrerent, intolerabiles cruciatus ultra ferre non ſuſtinens, die tandem tertio nullum alium qui ſibi facere id vellet inveniens, propriis manibus accepto dolabro pedem impiiſſimum detruncavit. Qua ex re omnipotens & benigniſſimus Dominus manifeſtiſſime verum eſſe declaravit quod ſervis ſuis promiſerat dicens: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei*, dum pedem peſſimum qui pulſando ruſticum ſanctum virum in corde tetigerat, tanta diſtrictione percuſſit.

* *al.* ſauciavit.

Zach. 2. 8.

XIX. Sed hæc jam terribilia relinquamus, & jocundemur in proſperis. Natalis Domini ſollemnitas imminebat, & mare nimis agitatum procellis nullam omnino piſcaturæ copiam relaxabat. At in ipſa vigilia, vir quidam ob patris anniverſarium ipſo die à fratribus celebratum, magnorum piſcium quos uſquequaque collegerat, copioſam multitudinem, contra quam in ea temporum facie ſperari poterat, advehens, œconomorum animos

mos non mediocriter ſuſtulit. Deliberatum continuo atque ſancitum eſt, ut tamquam vere à Domino miſſa benedictio ob honorem ſummæ feſtivitatis in diem craſtinum ſervaretur. Tum Martinus quidam ex obedientia quam regebat, gratia feſtivitatis adveniens, caſu videns piſces, auditoque decreto, urbane quidem, ſed tamen pluſculo quam nominis hujus virum decuerat, (nam longe ab illo ſummo Martino hæc, ut arbitror, Martini hujus diſtabat oratio) cauſam ventris agendam ſuſcepit. Heu, inquit, tantus hodie advenientium conventus fratrum itineris labore, ſimul & hiemis inſolentia feſſus, appoſita inſuper tot tantorumque piſcium tentatione, contra morem hujus domus caritativa refectione fraudabitur, quæ ratio, feſtivitatis gratia ſervari piſces, cum labor viæ & inedia gratiam feſtivitatis excludant? Hæc vir ſanctus audiens, & clementi affectu compaſſionis votum perorantis exaudiens, accitis œconomis omnes piſces protinus coqui jubet: illis contra nitentibus, non debere aſſerit nimis ſollicitos eſſe de craſtino, præſertim in nativitate illius, qui docuerit de craſtino non cogitandum. Expenſis igitur piſcibus ob amorem iſtius puſillanimis Martini, magnanimi illius Martini vir ſanctus exempla proſequitur. Unum è fratribus piſcandi gnarum hujus cognominem multis precibus obſecratum ad mare mittit, ut quaquaverſum litora inſpiciat, ſicubi forte quocumque modo, vel ad modicum intrare poſſit, exploret: non defuturum clementiſſimum Jeſum, omniaque de largitate ejus ſperare docet. Tunc frater Martinus benedictione Patris armatus, veſpertinas Laudes celebrantibus aliis, ipſe quantum ad ſe pro obedientia ilico moriturus, ac pro fratribus animam poſiturus aſſcenſo * carabo, furibundum mare vix duobus ſociis comitatus invadit; finita vero ſynaxi pater Yſarnus more ſuo ſecretum petit pro ſalute filii periculo expoſiti, & aliorum refectione totis præcordiis cum multa effuſione lacrymarum benignitatem Salvatoris implorat. Mox igitur fratri Martino in ipſo introitu à ſumma Trinitate miſſi permaximi tres delphini occurrunt: ille tamquam unum Deum in Trinitate colens, unum tridenti ferro mira fiducia percutit, unoque ictu fauces ei penitus deſecat, miroque modo qui multas naves retibus validiſſimis involutus & ad mortem percuſſus facile diſſipat, eum Martinus piſcem ſine retibus captum parvo injectum carabo ſui pæne oblitus ad terram portat. quo in facto beatum patrem Yſarnum magno Martino valde ſimilem dixerim, niſi quia delphinus iſtius Martini Eſochem [a] non ſolum corpulentia, ſed etiam ſignificantia valde utili ſuperavit. Martini enim piſcis ad ſolius Martini uſum in aquis dulcibus ſimpliciter, aut non tanta ſignificans, retibus captus eſt. At vero delphinus noſter ex tribus communiter occurrentibus ferro tridenti, mare commoto, à tribus viris in veſpera Nativitatem Dominicam præcurrente, ob refectionem fratrum communem ſine retibus unus percuſſus & captus illum ſatis aptè ſignificat, qui tota quidem cooperante Trinitate, ipſe tamen ſolus in mundi veſpera tamquam à tribus viris, à tota videlicet Trinitate, tridenti quoque ferro tamquam ex una triplicis peccati noſtri ſententia nullis peccatorum funiculis irretitus ſæculo ſæviente percuſſus, ut nos in illo renaſceremur, & illius corpore omnes quotquot ſumus in una Eccleſia fratres reficeremur, occubuit. Ita beati viri miranda piſcatio, & præſentis fuit ærumnæ blanda conſolatio, & ad æternas delicias ſolida & mera & viſibilis quodammodo prædicatio, & illos tunc præſentes ſemel refecit edulio corporis, & quoties recitabitur, recreabit poſteros alimonia mentis.

Quædam monaſterii poſſeſſio Marignana [b] dicitur, in qua vir Dei rece- XXI.

Marginal notes: ANN. CHR. MXLVIII. SEPT. XXIV. — * al. cacabo. — Mira piſcatio.

[a] Vide S. Greg. Turon. lib. de gloria Conf. cap. 5.

[b] Anno 1031. Bertramnus Comes Provinciæ monaſterio ſancti Victoris duos manſos dedit, *ob malum quod fecerat in obedientia ſancti Victoris, quæ eſt juxta villam Marignana*, ut habet Antonius de Ruffi, Hiſtoriæ Provinciæ Comitum pag. 59.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXLVIII. Sept. XXIV. ptus hoſpitio ad introitum eccleſiæ, in contiguo diverſorio dormiebat. Erat autem nox in diem Dominicam terminanda, ob cujus noctis reverentiam ſimul & beati martyris Victoris, in cujus honore eadem eccleſia ſacrata erat, multa tunc ex more circummanentium manus cum ſuis luminaribus excubabat. Clericus ergo ad cujus eadem eccleſia curam pertinebat, ſumtam unius feminæ tunc forte abſentis candelam, ad caput viri Dei tota nocte cremandam fixit. Quod cum mulier deforis reverſa à convigilantibus didiciſſet, animoſitate feminea exardeſcens: Sancto, ait, Victori, non Abbati cuilibet, candelam paravi. citatoque gradu diverſorium in quo vir Dei quieſcebat abſque ulla reverentia ingreſſa candelam rapuit, eoque impulſu exſtinctam fruſtra per omnia eccleſiæ luminaria curſitans illuminare nequivit. Tunc omnes qui aderant magna admiratione permoti, miſeram mulierculam grandi fremitu & multimodis increpationibus terrent, eam non poſſe vivere divinitus aſſerentes, quæ ſanctum Dei tam ſtulte, tam impudenter injuriare præſumſerit. At illa infelix, accepto tandem ab eiſdem conſilio, ad ipſum locum unde ſtulte aſportaverat candelam, ſolo ſatis punita metu, tremula reportavit. Quo facto, nutu divino, ita eadem candela, videntibus cunctis, ardere mox cœpit, ac ſi minime exſtincta fuiſſet. In quo duplici miraculo admirandum circa hunc virum Dei omnipotentis favorem merito prædicarim, qui glorioſo Martyri ſuo devotum lumen huic tam evidenter maluit deſervire.

XXI. Caſtellum quod de Mandolis dicitur, divina animadverſio multis annis continuis crebro fulgure miſerabiliter punierat. unde factum eſt, ut ejus habitatores nimium territi, cæleſti plaga ſæviente, divinum Medicum implorare cogerentur. Yſnardus ergo caſtelli dominus, multis ſupplicationibus ſanctum virum adorſus eſt, ut vel aquæ quam ipſe ſacraſſet, uti remedio mereretur. Quod dum ille, multas excuſationes ſuo more prætendens, omnimodis recuſaret, vix tandem fratrum qui ſecum erant inevitabili importunitate violenter quodammodo ab eo extortum eſt, reſperſumque ex eadem aqua opidum uſque hodie ab omni fulgurum percuſſione, Domino miſerante, ſalvatum eſt.

Aqua benedicta fulgura ceſſant.

XXII. Apud Maſſiliam femina quædam ab annis ſeptem cæca, frequenter ſanctos Martyres ut ſui miſererentur orabat, ſed ſancti Martyres familiari ſuo Yſarno miraculi gloriam concedere maluerunt. Audivit etenim in ſomnis mulier vocem ſibi dicentem, ut ad monaſterium tenderet, aqua unde pater Yſarnus manus ſuas laviſſet oculos ſuperfunderet, lumen continuo receptura. Tunc illa lætabunda ad monaſterium properans, quibus potuit loqui fratribus viſionem refert, qui feminæ compaſſi ſtudioſe obſervant patrem, ut aliquod manuum ejus lavacrum furarentur. At ille rem jam per ſpiritum forſitan edoctus, mox ut laviſſet, aquam qua erat lotus, fundebat in terram. Verumtamen tandem diligentiſſimi obſervatores pio furto potiti, mulieri deſideratam aquam tribuunt: illa exinde oculos ſuperfundens, viſum ſe ilico plene recepiſſe gaviſa eſt.

Cæca viſum recipit.

XXIII. In montem quem Curſonem vocant, Pater ſanctus aliquando morabatur. Vir autem nobilis quidam ibi juxta nimiis laterum cruciatibus acerbiſſime ſæpius torquebatur; is ſimili furto, aqua unde manus ſancti lotæ fuerant percepta, latera tinxit, atque ab omni dolore deinceps perfecte liberatus eſt.

Alius à laterum dolore liberatur.

XXIV. Me vero iſta coram fratribus memorante, Rainoardus quidam, magnæ ſanctitatis æſtimatione in monaſterio venerabilis, ea quæ narraturus ſum intulit dicens: Ego apud eccleſiam ſancti Mauricii [a] juxta Mareſtam opidum cum domino Iſnardo monacho tunc adoleſcentulus manebam: cumque de beato Yſarno quomodo in terras illas ferebatur adveniſſe colloque-

[a] Sita eſt in epiſcopatu Regienſi ex bulla Paſchalis.

Digitized by Google

remur, ecce nobis ipſe pro foribus adeſt. Nos vero nullum apparatum receptui ejus congruum habentes, perturbari vehementer cœpimus, atque anxiari. Menſa tamen appoſita ad prandium blande nos conſolatus aſſedit. Erat nobis tantulum vini, quod vix à tribus ad unam refectionem parciſſime communicari poſſet, ſed neque inveniendi plus in tota vicinia noſtra ulla ſpes habebatur. Quid plura? de benedictione patris confidentes illud tantillum obtulimus. Ipſe ego propinavi, & triginta ferme hominibus nimium ſtupens largiſſime abundare vidi. Sed quid ſtupendum, ſi ille qui Chriſtum imitabatur vivendo, eum etiam in miraculis poterat imitari, ut ſicut Chriſti potentia panes dum comedebantur, multiplicavit, ita benedictio. iſtius, cooperante Chriſto, vinum dum biberetur, augeret? cum dixerit ipſe Dominus: *Qui credit in me opera quæ ipſe facio & ipſe faciet, & majora horum faciet.* Ann. Ch. MXLVIII. Sept. XXIV. Vinum multiplicat. Johan. 14. 12.

XXV. Tunc & illud quoque idem Rainoardus ſubjecit. Habebamus vero puerum, qui per totum fere annum graviſſimis febribus afflictus acerbiſſime torquebatur: hunc aqua, unde ſanctus Pater manus laverat, potavimus, & ipſa hora nobis non parum mirantibus plene ſanatus eſt. Puer à febribus curatus.

XXVI. Sed ad illa nunc memoranda tranſibo, quæ ſupra nominato venerabili viro Rainaldo* narrante cognovi. Multa, inquiebat, de ſancto patre Yſarno miranda referri poſſunt, ſed ego ſola illa narrabo quibus ipſe interfui. Pandulfus, ait, dicebatur quidam, tam potentia quam omni fere malignitatis genere ſuos vicinos facile ſuperans. Is in domo ſua in caſtello, cui nunc ob ipſius piaculi eventum Tortorio[a] agnomen eſt, nam prius ſancti Domnini caſtrum vocabatur, duorum clariſſimorum juvenum ſolidos ab ipſo ſperantium injuſte fraudulento clandeſtinoque ſuſpendio gulas fregit, eorumque cadavera in vaſtiſſimam quamdam ſpecum projecta operuit. Sed non multo poſt, cum jam impiiſſimum facinus detectum fuiſſet à monachis, qui apud Croſam villam[b] morabantur, ad monaſterium ipſum humanitatis reſpectu delata atque humata ſunt. Poſt aliquot igitur dies matronæ cuidam non valde longe ab eodem monaſterio manenti in ſomnis apparentes: Noſti, aïunt, Yſarnum abbatem? Quem cum illa ſicut & ipſos quoque ſe numquam vidiſſe reſponderet: Nos, inquiunt, ſumus juvenes illi quos Pandulfus nuper impie ſuffocavit; ſed obſecramus te, ut apud Yſarnum abbatem tertia die hac tranſiturum pro nobis intervenias, ut qui in monaſterio, ejus caritatis interventu ſepulturam meruimus, unam ex ejus ore Miſſam eadem caritate mereamur. Hæc enim ſuper nos divini judicii lata ſententia eſt, ut cum ob injuſtam necem noſtram ſupernæ pietatis viſcera moveantur, peccatis tamen noſtris impedientibus ab ingreſſu regni, donec ipſe pro nobis Miſſam celebret, excludamur. Quod cum matrona die tertia, ſicut ei revelatum fuerat, tranſeunti viro Dei, pro defunctis ſupplicans enarraſſet; ille non ſe eſſe dignum, qui defunctos ſolvere poſſit, reſpondit. Mox tamen ad villam-Croſam veniens, eadem femina proſequente, & nobis exorantibus, pro abſolutione juvenum Miſſam celebravit. Hinc ergo datur intelligi, quantum nunc apud Deum vir iſte poſſit, in cujus adhuc viventis manu judicium ſuum eſſe de mortuis ipſius ſententia Judicis declaravit. * al. Rainoardo. Miſſæ celebratione defuncti duo abſoluti.

XXVII. Sed ad ornamentum ceterarum virtutum, mirabiliter hujus ſancti mentem prophetiæ quoque Spiritus illuſtravit; quod evidenter oſtendimus, ſi unam rem geſtam, quam nobis adhuc idem venerabilis Rainaldus* retulit, proferamus. Ego, inquit, obedientiam, cui Lagninas nomen eſt, procurabam: per id tempus quemdam noſtrum hominem de caſtello-Duplo re- * al. Rainoardus.

[a] Jam vulgo *Tourtour*, in diœceſi Forojulienſi, cujus eccleſia parochialis ſancto Domnino ſacra, abbatiæ Victorinæ ſubjecta dicitur in Bulla Paſchalis.

[b] Monaſterium ſanctæ Mariæ de Villa-croſa, vulgò *Villecroſe*, in diœceſi Forojulienſi, memoratur in Bulla Paſchalis.

Ann. Ch. MXLVIII. Sept. XXIV. deuntem undique inſurgentes latrunculi ſupradicti Pandulfi equo protinus dejecerunt. Iiſdem diebus domnus Abbas apud villam-Croſam morabatur, ad quem homo ille propere veniens, equi ablati damnum & ſuſceptas injurias cum ingenti gemitu exponit. quapropter continuo me domnus Abbas ad Pandulſum, qui longiuſculo aberat, cum verbis ſupplicibus mittens, ipſemet uxoris ejus, quæ apud Tortorium tunc manebat, pro equo rogaturus fruſtra colloquium petit. Nam illa viro Dei virulentis quibus erat aſſuefacta ſermonibus, ut talem ſatis decebat feminam, reſpondens, omnem ei funditus, quantum in ſe erat, ſpem recuperationis abſcidit. Pandulfus autem re cognita me, ut æſtimo, præſentiens adventurum, per multa diverticula ne à me inveniretur aufugit. Tandem ergo magis quia nihil profeceram quam labore itineris fatigatus, complutus, nam tota die me copioſus imber attriverat, ad domnum Abbatem reverſus ſum. Ille vero plena me alacritate reficiens, ad aurem mihi poſtmodum, quaſi familiare quid locuturus accedit: Confortare, inquit, quia quocumque deductus ſit equus noſter, huc nobis hodie reducetur. Verumtamen ad domum tuam feſtinatius redi, ne majora tibi adveniant prævideto, & maxime porcos tuos tota die diligenti cura ſervari præcipito. Certus igitur jam de recuperando equo; ſed nec minus certus quia non abs re porcos aſſervari præceperit, lætus & ſollicitus confeſtim redii, opportunas cuſtodias univerſæ ſubſtantiæ noſtræ & porcis maxime delegavi. Sed quæ contra diabolicos homines, ſive humanos, ut ita dixerim, diabolos cuſtodela prævaleat? Niſi enim *Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat qui* Pſ. 126. 1. *cuſtodit eam?* Tota ſiquidem die in propinqua ſilva ſupradicti latrunculi delituere. Inclinata vero jam veſpera, nobis pæne ſecuris, nihilque minus quam tale aliquid putantibus, exeuntes de ſilva porcos cum ſuffragio imminentis noctis raptu ſubitaneo ſubrepturi occurrunt. At ubi humana cuſtodia ſubvenire non poterat, divina non defuit. nam continuo in loco quiſque quem ceperat, quaſi ſtatua fixus obſtupuit. Cumque à ſe mutuo cum admiratione, cur morarentur inquirerent, atque ad rapiendum porcos alius alium hortaretur, repentina ſe cæcitate perculſos omnes confeſſi ſunt, ac beati patris Yſarni juſta maledictione obſtrictos, in exemplum ſeſe omnium peſſimorum ſubmurmurant ilico perituros. Tunc dictantibus, cogentibuſque anguſtiis, ſalubre conſilium nacti, confeſſi errorem, ſolo ſeſe divinam oraturi clementiam ſternunt, equum ipſa die reddituros devovent, & correctiores de reliquo jam futuros, ſi ſancti viri meritis cælitus ſibi oculorum lumina redderentur. Quid plura? oratione completa, mox receptis ad plenum luminibus certatim domum properant, impium latrocinium pietatis furto commutant. equum enim quem in manus ſceleſtiſſimæ dominæ jam tradiderant, pio furto ſubripiunt, & cum omnibus quæ præfato homini noſtro cum illo abſtulerant, ad beatum virum eadem hora ſeſe proripiunt: de porcis & cæcitate repente incuſſa & excuſſa ſeriatim omnia replicant, ſeque cum ſuis omnibus ejus dantes arbitrio ſatisfactione humili veniam rogant. quos vir ſanctus, indulta venia, de correctione Futurum prædicit. vitæ attentius commonet, ſi ſe corrigerent proſpere victuros, ſi vero negligerent, ante ipſius anni terminum infami nota denuntiat puniendos. Utramque conditionem evidens rerum probavit eventus. nam duo correcti vitam ſuam proſpere tranſegere, tres autem reverſi ad vomitum (quinque enim omnes fuerant) ante completum annum, calamitatis ſuæ fœdum ſpectaculum cunctis dederunt. nam uni effoſſi oculi, pedes alii truncati ſunt, tertius vero conjuncto in ſe utroque ſupplicio duplicata infelicitate multatus eſt. Quod igitur equum ipſa die reddendum prædixit, quod eadem die porcos diligentius cuſtodiri præcepit, quod eiſdem latrunculis vel correctis proſperum, vel incorrectis ejuſdem anni triſtem exitum de-

Digitized by Google

nunciavit, propheticæ gratiæ mira celſitudo cognoſcitur. In eo vero quod latrunculi rapturi quidem porcos cæcati, humiliati vero illuminati ſunt, haud immerito Eliſæi factum recolimus, qui latrunculos Syriæ ſe rapere venientes, orando divinitus excæcavit, & intra Samariam captis atque humiliatis integre poſtmodum lumina reformavit: niſi quod hoc majoris in hac parte fortaſſe miraculi videatur, quia quod Eliſæus ob tutelam ſui ipſius obtinuit, hoc Yſarnus pro defenſandis monachi ſui porculis impetravit; & quod ille comminus præſens in articulo ſummæ neceſſitatis expetiit in divinæ opis refugium, hoc iſte longius abſens in re non valde neceſſaria à Deo promeruit, in admirandæ ſanctitatis indicium. Nec valde mirandum ſi Prophetarum gloriam in exhibendis miraculis tam ſublimiter habuit, qui prophetarum ſanctiſſimam converſationem tam excellenter aſſequi laboravit. Sed hæc omnia illi ſunt penitus reputanda, illi toto rationis intuitu adſcribenda, qui in omnibus ſanctis ſuis operatur, & ſine acceptione judicat perſonarum: qui bona ſua diſpenſare novit temporibus ſuis, & in fine ſæculi tanquam longiſſimæ cujuſdam noctis licet rariores eaſdemque hebetiores ſtellas proferat, cum tamen opportunum arbitratur, magna etiam nunc plerumque ſidera, maximos quoque interdum promere luciferos novit.

ANN. CH. MXLVIII. SEPT. XXIV. 4. Reg. 6. Eliſæo comparatur.

XXVIII. Cogitationes occultas noſcit.

Sed ad ea quæ de ſancto viro adhuc narranda cognovimus veniamus. Frater quidam, juxta ſæculum nobilis, de civibus Maſſiliæ, nomine Georgius, regularem ſub eo vitam fuerat profeſſus. huic vir Domini, cum clauſtrum forte pertranſiens, eum ſicut & ceteros fuiſſet intuitus, per quemdam ſibi familiariter adhærentem mandavit, ut quas verſabat inutiles cogitationes corrigeret, mortiferum enim eſſe quod cogitaret. At ille cum gaudio & verecundia nimium admiratus, de cetero melius ſaluti ſuæ conſuluit, atteſtatus, quod ea hora qua vir Dei ante fratres tranſiit, rediturum ſe ad ſæculum pertractaret.

XXIX.

De equo cui inſidere idem vir Domini conſueverat, tota fere Provincia conclamante, didicimus id quod nunc ponemus. Dederat miſericors Dominus nimiæ fragilitati ejus equum fortiſſimum quidem viribus, & magna vectandi ſuavitate præcipuum. ad hunc ſi quis alius aſſcenſurus accederet, intolerabili pæne ſe ferocitate totius corporis jactatione hinniens, fremenſque diſtendebat; quoties vero ſanctum patrem Yſarnum appropiare conſpiceret, tanta ſe manſuetudine componebat, ut quaſi ſponte ſeſſuro terga offerre videretur: ſi quis autem ei forte inſideret alius, velut indignabundus totus in rabiem vertebatur; cum autem illum ſubveheret, ceu aſellum mitiſſimum ſe præbebat. Cumque vir ſanctus, utpote qui totam prope noctem orando vigilaverat, crebrius dormitaret, ac veluti caſurus, ut fit, in partem alteram pendulus vacillaret; equus lapſurum eſſe illum metuens, prout poterat in latus ſeſe oppoſitum deflectebat, eoque modo quamdiu ſanctum quidem dormitare ſentiret. quo expergefacto, mox erecto corpore, ita ut nullus decentius incedebat. Quod ſi ſub arbore tranſeundum erat, cujus forte ramuſculi præſidentis oculis nocituri putarentur; aut circumire arborem, aut ſi id pro denſitate plerumque ſilvæ non proficeret, ibidem immobiliter, donec ſubſequentium obſequio juvaretur, immorari, eodemque modo in omni ambiguo tranſitu factitare: tanta vero interdum cautela per anguſtiſſimos aſperrimarum rupium anfractus aut paluſtris viæ paſſus incognitos contra ſpem omnium pertranſibat, ut Angelico eum miniſterio crederes educari. Sicut enim male gradientis & terrena cupientis Balaam, oppoſitus Angelus & contra voluntatem ejus impediebat, & contra inſipientiam ejus edocebat aſellam; ita juſte incedentis, & Angelorum contubernia deſiderantis Yſarni non abſurde credi poteſt equum ab Angelo, ubi viæ flagitabat neceſſitas, fuiſſe dire-

Digitized by Google

Ann. Ch. MXLVIII. Sept. XXIV.

ctum: ubi innocua juſti expoſcebat requies, quomodo ſe ageret, fuiſſe inſtructum.

XXX. Sed quomodo ad proſequenda cetera quæ de ſancto patre multa ſuperſunt non ſufficio, quia & graviſſima quædam mihi neceſſitas ut ſcitis ineſt, & nimia quoque temporis artor anguſtia; de glorioſo ſaltem ejus fine ad ædificationem eorum qui hæc lecturi vel audituri ſunt ſcribam, & ad conſummationem omnium virtutum ſuarum, quomodo exemplo boni Magiſtri fratres ſuos qui erant in mundo in finem dilexit, & quomodo pro eis animam ſuam poſuit, divina ope confiſus enarrabo. Cum enim perlongum militiæ ſuæ curſum incredibili auſteritate vitæ, & immenſis jejuniorum vigiliarumque cruciatibus continue ſe martyrem declaraſſet, hoc etiam à Deo promeruit, quo duplicis martyrii gloria triumpharet, ut in ipſo mortis articulo ſicut Abraham patriarcha filium vocatus obtulit, nec occidit; ita iſte ſeipſum ad martyrium vocatus offerret, & cum parata eſſet voluntas, deficiente tamen percuſſore victor in pace quieſceret. ut autem totius facti ratio clareſcat, primum quæ factum cauſa præceſſit, aperiam.

XXXI. Pagani Lirinum diripiunt.

Pagani [a] Lirinenſe monaſterium pervadentes, diſperſis aliis multos ex fratribus captivos ad Hiſpanias traduxere. tunc reliqui fratres, congeſta prout facultates tulere pecunia, pro redimendis captivis ad Hiſpanias aliquos ex ſe mittere ſtatuerunt. Sed homines quibus omnia illic ignota erant, quid facerent, ſeſe cum pecuniis poſt alios tradere poſſent; nam de reverſione nulla ſpei ratio ſe præbebat: ſed & fratribus captivis non ſubvenire à ſervorum Dei moribus extraneum videbatur; inſaniæ vero habebatur ſimillimum, ubi nec conſulendi aliis, nec evadendi ſibi conſilium ſuppeteret, ex ſuperfluo ſe injectare periculo. ſed poſt multos animorum fluctus, vicit tandem ratio pietatis, & deputatis Deo omnibus curis, facta eſt pars caritatis ſuperior. Viſum igitur eis eſt, quomodo ſancti Victoris poſſeſſiones Hiſpaniis conjunctæ ſunt, uti patris Yſarni conſilium petant, quatenus aliquem de ſuis in illis partibus notum ſecum mitteret, per quem ſibi, & in re familiari, ſi neceſſitas ingrueret, conſuleretur, collimitaneos principes accedendi, ut negotio videlicet ſuccurrerent, facultas aliqua præſtaretur. Tum ſanctus vir, languore gravi & continuo eodemque extremo adactus ex multo jam anni ſpatio, lecto ſeſe conceſſerat. At illa mens ejus ſanctiſſima, penes quam periclitari non noverat negotium caritatis, in qua valida ut mors ardebat dilectio, cui ſoli jam emortuo corpore tota vivebat; pro tanti deſtructione monaſterii, & captivitate fratrum amariſſime gemens, ſeipſum iturum, ſeipſum diligentius procuraturum, ac pro fratribus omnia ſubiturum ſpopondit. Mox igitur lecto exſurgens, huc illucque deambulabat, ac ſe optime convaluiſſe ſimulabat. Sed ut de ſententia hac in monaſterio leni quodam ſuſurrio præſentiri aliquid cœpit, quantus ilico dolor omnium qui compererant corda perſtrinxerit, quanta querimoniarum agmina, quanta fletuum objecerint flumina, nemo facile explicare poteſt. Bona ſiquidem voluntas ejus abrogari jure non poterat: verum ad expletionem operis corpuſculum ejus non poſſe ſufficere referebant; denique ſapientem nihil ultra vires præſumere, ſed vires ſuas ad id quod aggreditur oportere metiri, omnia vero cum conſilio facienda. Id autem nullius eſſe conſilii, ut ſibi commiſſas oves deſereret, alienas non inventurus quæreret; ipſe quoque exſul in medio itineris abſque ſolatio fratrum tamquam unus quilibet de populo moreretur: & in re quidem caſtigabili levius ferendum errorem; hoc vero factum, poſtquam ipſe mo-

[a] Sub eo capite quidquid hujus vitæ ſupereſt, continetur in mſ. codice: illud tamen in plura dividere viſum eſt, ut res diſtinctius habeantur. Porro clades hîc memorata ea eſt, quam vetuſtus codex Lirinenſis à Barrali laudatus conſignat primo Aldeberti II. anno. de cujus veritate dubitavit vir eruditus, cum nulla, ut ipſi videbatur, eſſet in vetuſtis monumentis ejus rei memoria.

Digitized by Google

reretur, nulla eſſet pœnitentia, nulla correctio ſecutura. ſed & captivos abſque morte ejus multis aliis modis redimi poſſe. Innumerabiles enim eatenus fuiſſe liberatos, quorum nullus ejus labore nedum morte liberatus ſit. Quare cum & ipſe certe non ſufficeret, & ex hoc majora propemodum pericula timerentur, & de redimendis captivis multæ viderentur aliæ ſuppetere rationes; illum debere melioribus conſiliis cedere, ac de ferenda captivis ope modis aliis cogitare. Tunc ille ab Spiritu-ſancto verba mutuatus: Apoſtolico, inquit, vobis exemplo reſpondeo. Quid facitis affligentes ſpiritum meum? *Non facio animam meam pretioſiorem quam me.* *Act. 20. 24.* Magis enim Salvatorem, quam vos audire decet, cujus exemplo & præcepto inſtructus, non ſolum ad Hiſpanias ire pro fratribus, ſed & ſervituti meipſum ſubjicere, inſuper & animam dare paratus ſum. Me autem & domum iſtam & quæcumque me acturum diſpono, non meæ prudentiæ, ſed omnipotenti Deo cuſtodienda & providenda committo. ipſe quippe non dormit, neque dormitat qui cuſtodit Iſraël, qui niſi nos cuſtodierit, in vanum vigilant oculi noſtri. ſic denique nos & noſtra melius cuſtodimus, ſi Dominica præcepta ſervemus, cui ſervire non ſolum cuſtodiri, ſed etiam regnare eſt. Quod ſi mori contigerit, ô me felicem, ſi tali morte beari meruero! Potens eſt quidem Dominus ſine me ſuos liberare captivos. Sed ſi per me nunc ſibi complacuit, tanto magis nunc concurrere debeo, quanto me hactenus nihil ſimile feciſſe cognovi. Quapropter omnia projicientes in Dominum, quo nos ille vocat alacriter properemus. Vos autem viſcera mea, cariſſimi filii mei, confortamini in Domino, & pro nobis orate.

Ann. Ch. MXLVIII. Sept. XXIV.

XXXII. *Iter in Hiſpaniam ſuſcipit pro captivis redimendis.*

Talia fatus omnes obſiſtentium querelas grandi auctoritate interim compeſcuit, ſimul & morbi magnitudinem, immo ipſam pæne jam præſentem mortem pretioſæ mortis amore ſuperavit. Tunc priuſquam ex rumore patria turbaretur, aut acrius in eum iterum fratrum tumultus aſſurgeret, ſilenter jubet ſubito jumenta parari, ac ſe Domino & orationibus fratrum commendans, illis communi prece proſequentibus, iter arripuit. Cumque velut invitatus ad regnum maturius incedere feſtinaret, conſuetis nimium vexatus anguſtiis, tam miſerabiles ſubito clamores efferebat, ac ſi ſpiritum foret ilico redditurus. Tunc vero ſocii eo in terram depoſito, immenſis lacrymis lugere, pectora infeliciter tundere, ſeque qui de morte ſua illi parerent, homicidas crudeliſſimos inclamare. Ita ille dupliciter & ſuis videlicet calamitatibus & ſuorum aſſidue torquebatur querelis. qui refocillato paulliſper ſpiritu, ut ſociorum mærores abſtergeret, univerſos dolores ſuos quomodocumque poterat intra ſemetipſum tacite deglutiens, ipſorum animos lepidis ſermonibus ſerenabat; ſed mox dolorum violentia ſuperatus, identidem ſæpius repetere cogebatur. ex quibus patenter oſtenditur, quanto caritatis incendio flagrans peregrinationem illam invaſerit, tenuerit, conſummarit, cum tot uſquequaque adverſantes offremerent, & ipſe nihilo certius infatigabilis perduraret. Tranſmiſſo autem Rhodano, continuo fama de adventu ejus per omnes circum-circa patrias prævolans, in cunctis urbibus, caſtellis, vicis & villis, obviam illi populos aggregabat. Omnes quippe tam ſancti hominis viſu & benedictione ſe ſanctificari credebant. Ille vero ſe feliciſſimum reputabat, qui eum hoſpitio ſuſciperet, vel quocumque modo de ſuis ei miniſtrare facultatibus mereretur.

XXXIII.

Tandem ad poſſeſſionem quamdam ſancti Victoris, Alſalium nomine, ubi in ſpecu amœniſſima perpulcrum & ſatis habile monaſterium [a] in honore ſancti Michaëlis Archangeli conſtructum eſt, ſumma difficultate perveniunt. Ibi jam ægritudine nimium confectus pater ſanctus ex toto decu-

[a] Illud monaſterium in epiſcopatu Barcinonenſi ſitum eſſe diſcimus ex Bulla Paſchalis ſæpius laudata, ubi vocatur *monaſterium de Fallio in Penedes.*

Digitized by Google

ANN. CH. MXLVIII. SEPT. XXIV.

buit. Tunc adventus ejus rumore reſperſi Barcinonæ Conſul Raimundus Berengarii, & uxor ejus Elizabeth, & Gumbaldus vir Conſularis, illuc ſe ſuaque offerentes, principes ſcilicet maximi totius regionis, accelerant, peccata propria detegunt, patronumque illum ſibi apud Deum fieri deprecantur. quos ille multum ſermonibus divinis ædificans, id eis protinus pœnitentiæ munus injunxit, ut quibuſcumque juſte poſſent modis, tam potentiæ minis, quam ingenii viribus & ſenſu & prece, captivos monachos Domino Deo reſtituerent, ac nobile quondam Lirinenſe monaſterium, nunc inique ab impiis deſtructum gentibus, ad honorem Domini reſtaurarent. quod ſi facerent, remiſſionem illis peccatorum, ſi ſe corrigerent, à Domino facile pollicetur; ſeque pro eis totis viſceribus precaturum. Tunc aſpirante illo, qui rinocerotis hujuſmodi cornu potentiæ ad edomandos barbarorum animos armat, & per tales vectes amariſſimo turbulentoque gentium mari terminos ponit, ad omne votum ejus ſeſe promtiſſimos offerunt. Nec mora, ſtatim Raimundus Comes & uxor ejus ad urbem Deniam [a] Alaïo Regi legatos ſuos una cum monacho, qui captivos recognoſceret, dirigunt, ut omni inſtantia monachos repetant. Quod ſi reddere Rex paganus contemneret, omnia prorſus fœdera pacis ruptum iri, atque irreconciliabile terra marique bellum agitandum eſſe denuntient; eadem æque regi Dertoſæ [b] Agaliſo per ſuos nuntios una cum monacho Gumbaldus mandat. Nam is ad Gumbaldi potentiam reſpondere magis videbatur. In his vero duabus civitatibus omnes captivi monachi tenebantur. Cum igitur non impune ſibi ceſſurum, majoraque multo laturos ſeſe diſpendia, ſi ſecus ac petebatur res fieret, certius edocti utrique Reges viderent; conſilio tandem ſaniori cedentes, prædam innocuam revomunt, captivoſque non abſque dolore grandi reſtituunt: nec minori pæne miraculo, quam ſi ex internis luporum forte viſceribus, poſtquam jam introrſus abſorptæ penitus manſæque fuiſſent, illæſæ raperentur oves. Tunc navi onerariæ cum diverſis mercimoniis Barcinonam tendenti legati receptos imponunt: ipſi terreſtri via revertuntur.

Tis libertatem obtinet.

XXXIV. Qui iterum in captivitatem ducti.

Cumque de recuperatis fratribus ſancto Patri gaudium nuntiaſſent, è veſtigio alii ſubſequuntur, qui repetitos in mari paganorum fraude fratres aſſererent, ac in Siciliam tranſportaturi, & ibi ſine ulla retractatione venditum iri. Tunc ſanctus pater, tamquam vulnere letali viſcera transforatus ad animum doluit, jamque omni humana ſpe deſtitutus eccleſiam lacrymoſus ingreditur, atque ad illum de quo non fruſtra ſperare didicerat, omne id quod magnitudo ſibi doloris parturiebat, effudit. Cum igitur à mane uſque ad horam circiter nonam, flens coram Domino peroraſſet, hilariſſimo vultu ad conſolandos fratres egrediens: *Exſultate*, inquit, *in Domino, cantate & pſallite ei: Narrate omnia mirabilia ejus.* Victa ſunt enim humana præſidia, diſſipata ſunt conſilia principum: hoſtilis ad tempus calliditas ſuperavit, ut Dei magnalia copioſius celebrarentur, nec totum ſibi humana prudentia reputaret. Voluit enim mirificare miſericordias ſuas Dominus, & ſalvos fecit ſperantes in ſe. Laborent hoſtes, inſaniant quantum licet: nullus enim de captivis noſtris detrahetur, omnes nobis in proximo Dominus reddet. Aſſumta igitur ſpe ad Dominum cuncti corda ſuſpendunt, aure ſemper ſollicita, quando eis, & ex qua parte promiſſa proſpera nuntientur. Interea Pagani dromoni captivis impoſitis, ſecundis flatibus ad Siciliam tendunt; ſed cum jam longius aſportati eſſent, aura contraria violentis eos flatibus ad Hiſpanias ſubito reportavit. cumque per novem continuos dies nimio labore confectos, poſt initia proſpera

Pſal. 32. 1.

[a] Ea urbs videtur eſſe opidum maritimum regni Valentiæ in Hiſpania, quod etiamnunc Denia appellatur, non longe ab urbe Gandia.

[b] Urbs epiſcopalis, vulgo *Tortoſe*, ſub metropoli Tarraconenſi, ad oſtium fluminis Iberi, in hodiernæ Cataloniæ finibus verſus Valentiæ regnum.

ſimilis

Digitized by Google

ſimilis eos adverſitas ad litora quæ reliquerant revolviſſet, fertur ipſos dixiſſe Paganos, aut in eadem navi ſummi Dei Oratores eſſe; aut alibi pro illis qui in navi ferebantur orari, ſeque haud dubie orationibus impediri. Interim legati præfatorum principum ad Reges ſupradictos remiſſi, dominos ſuos turpiſſima fraude irriſos graviter conqueruntur, & niſi captivi quocumque trajecti, ubicumque venundati aut reconditi, ſani continuo reducantur, nullius pecuniæ, nullius hominis, nullius tergiverſationis interventu ſequutura mala poſſe redimi conteſtantur. Tunc illi graviſſimo conſtricti articulo ad navem protinus mittunt, captivos omnes, ſi adhuc forte non tranſierint, balneis & dapibus recreatos, novis mutatoriis decoratos, abſque ullo dolo reddi jubent. Dominicæ Reſurrectionis dies illuxerat, cum deſperata captivis nuntiata & facta libertas eſt; digno ſane judicio, ut qui in die paſſionis Dominicæ cum Domino fuerant paſſi, Reſurrectionis etiam tempore congauderent: & ſicut ipſa olim die Chriſtus Dominus pro humano genere oblatus ſuos captivos ab inferis, ſuperata morte, reduxerat, ita etiam nunc pater Yſarnus, qui amore & exemplo Domini Jeſu, ſe pro fratribus obtulerat, eadem ipſa die per virtutem ejuſdem Domini noſtri captivos fratres à dominio miniſtrorum inferni victa eorum feritate liberaret.

Iterum liberantur.

XXXV.

Receptis igitur fratribus ex totis præcordiis, ex totis animæ viribus erumpens in gaudia, ſimul & lacrymas, nec ſe ab eorum amplexibus & oſculis ſatiare valens pro ereptione fratrum, & reſtauratione diſſipati monaſterii, & quia ipſum Dominus harum rerum miniſtrum idoneum deputaſſet, inexplicabiles omnipotenti Deo vir ſanctus gratias retulit. Tunc ſupradictis Principibus cum multa gratiarum actione valefaciens, cum divinis eos valde inſtruxiſſet eloquiis, cum ſummo favore omnium, & digna proſecutione, tam ægritudine quam meritis auctus jam equitare non valens, vix in lecto vectus Maſſiliam repedavit: ubi devotione ineffabili tam à fratribus quam à multis occurrentium undique populorum turbis exceptus, ita univerſæ Provinciæ gaudium fecit, tamquam ſi Dominus poſt longiſſimas tenebras ablatum ſolem terris flentibus reddidiſſet. Tunc ergo & labore viæ, & valetudinis moleſtia fractus, completa victoria cujus deſiderio in hoc ſæculo tenebatur, jam ex toto affectu diſſolvi cupiens, & eſſe cum Chriſto, morbo ad extrema cogente, cœpit in dies acrius exerceri. Ut vero etiam ſuperabundantis patientiæ merito non careret, tantis tunc, ferme quatuor menſibus, dolorum ſtimulis agitatus eſt, ut vix numquam ſe in latus alterum, niſi aliorum manibus reclinaret, benigniſſime divino agente judicio, ut cum filiis quos pro caritatis officio deſolatos reliquerat pater optimus redderetur, martyrii tamen gloria, quæ promtiſſimæ voluntati ejus non evitato, ſed victo perſecutoris incendio, cum mortem ipſe ultro peteret, ſed pæne morientem mors fugeret, paullominus aderat, per acerbiſſimæ & longiſſimæ ægritudinis patientiam ſuppleretur. quo temporis ſpatio toto ſpiritu in orationem, in lacrymas, in deſiderium futurorum aſſidue currens, quis cogitare nedum edicere valeat, quantum profecerit, quantum creverit, quam perfectum virtutum omnium ædificium cumularit? cum ipſam momentis omnibus non jam à longe minantem, ſed præſentem mortem certiſſime ſentiret, ſentiendo tamquam homo aliquatenus timeret, timendo cunctas animæ infirmitates clarius cerneret; in multitudine autem infirmitatum ad omnipotentis Medici gratiam omnibus viribus, omnibus intentionibus, totis deſideriis orando medullitus fugeret; in oratione autem ipſum clementiſſimi Jeſu vultum, & omnia ſalutis humanæ myſteria contemplatus, confortaretur, reficeretur, epularetur, ac ſe de gaudio Domini jam ſui jocundaret, ſpeque certiſſima ſolidaret. Si facinoroſus, ſi flagitioſus, ſi criminoſus quilibet tanto ſe ſpa-

Maſſiliam reverſus.

Graviſſimis doloribus cruciatur.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXLVIII. Sept. XXIV.

tio pœnitens ita fleviſſet, ſanctus crederetur, ſed & latro ſub ipſo exitu in momento uno gloriam meruit: quantas igitur putamus glorias, quot coronas, tam immunis à crimine, tot refertus virtutibus, tot & tantis adustus anguſtiis, tanta & tam diuturna patientia in fine maxime probatus ſanctus iſte promeruerit? cum jam cæleſtem ejus mentem, utpote in extremo agone, nulla terrenæ cupiditatis ambitio, nulla, aut perrariſſima immunditiæ macula, nulla hypocriſeos admixtura fœdaret! ſed jam totam ſe in cælum ſuſtolleret, jam choros cæleſtium miraretur, jam in vitam pæne ſaliret. Et jamdiu prævisa & deſiderata dies advenerat, qua virtutum ſuarum per omnia præmia recepturus ad ſupernæ retributionis bravium vocabatur.

XXXVI. Obit.

Tunc collectis undique ſanctorum filiorum turmis, cum ad mundi contemtum, & ad amorem cæleſtium ſacris eos monitis, & illis ſuis ſermonibus igneis animaſſet, fideliſſimo paſtori Domino Jeſu creditas oves commendans, ſumto divino viatico, tota propemodum carne conſumta, ſanctiſſimam illam & Deo dilectam animam, pſallentibus & plorantibus diſcipulis, gaudentibus & tripudiantibus Angelis, octavo Kalendas Octobris, ipſa eadem poſt annum die, qua ad Hiſpanias ſe pro fratribus daturus exierat, ad deſideratum diu vitæ æternæ fontem, ſolutus carne, lætus emiſit. Erat autem annus tunc ab Incarnatione Domini milleſimus quadrageſimus-octavus: ſepultuſque eſt in pretioſo vaſe marmoreo, in ſeptemtrionali parte templi, ubi aſſiduis miraculis glorificatur à Domino Deo noſtro, cui eſt gloria, laus & imperium per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

Epitaphium ſancti Yſarni tumulo inſcriptum.

Obiit anno M.XLVIII. Indict. I. Epact. III.

Cerne mors quæ lex homini noxa protoplaſti in me.
Sacra viri clara ſunt hic ſita patris ISARNI
Membra, ſuis ſtudiis glorificata piis.
Qua felix vegetans anima provexit ad alta,
Moribus egregiis pacificiſque animis.
Nam redimitus erat hic virtutis ſpeciebus,
Vir Dominus cunctis pro quibus eſt hilaris.
Quæ fecit, docuit Abbas pius atque beatus,
Diſcipuloſque ſuos compulit eſſe pios.
Sic vivens tenuit regimen, ſed claudere limen
Compulſus vitæ eſt acriter & miſere.
Rexit bis denis ſeptemque fideliter annis,
Commiſſumque ſibi dulce gregem Domini
Reſpuit, Octobris tranſacto octavo Kalendas,
Et cœpit rutili regna ſubire poli,
Sicque gemens corde, dic, Deus huic miſerere. Amen.

defuncto lector ineſt miſero.

VITA S. GERARDI EPISCOPI
CANADIENSIS ET MARTYRIS.

Ex Surio deſcripta.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Gerardus monachus Benedictin.

1. *PAUCA de beato Gerardo obſervanda occurrunt, quæ in Vita ejus, quam ex Surio deſcripſimus, non habeantur. Falluntur qui eum Ordinis Servorum beatæ Mariæ, aut alumnum fuiſſe aut inſtitutorem ſcribunt, cum certum ſit Gerardum floruiſſe ſæculo undecimo, Ordinem vero Servorum nonniſi circa ſæculi decimitertii medium in Italia inſtitutum fuiſſe. Hujus tamen opinionis auctor fertur apud Ferrarium ſanctus Antonius Paduanus in ſermonibus, quod ab eo dictum fuiſſe puto occaſione piæ illius conſuetudinis, quam Gerardus in Hungariam invexiſſe dicitur infra in Vita num. 3. beatam Virginem Mariam abſolute* DOMINAM *compellandi. Non minus à vero aliena eſt eorum opinatio, qui Gerardum canonicum ſancti Marci apud Venetias fuiſſe aiunt. id enim aperte repugnat Vitæ auctori, qui diſertis verbis num. 1. habet, eum fuiſſe in monaſterio educatum, ubi, inquit, adhuc* puer monaſticæ religionis habitum accepit. *quod in percelebri ſancti Georgii monaſterio factum fuiſſe ſub Johanne Mauroceno primo ejuſdem loci abbate, Veneti ſcriptores paſſim referunt, & quidem non abſque fundamento. Hanc enim ſententiam confirmat ſingularis erga ſanctum Georgium Gerardi noſtri devotio, qui creſcente, ut narratur Vitæ num. 3. fidelium in Hungaria numero, in variis urbibus complures eccleſias, & ex eis omnium primariam in honorem ſancti Georgii martyris conſtruxit. Trithemius tamen in nova Chronici Hirſaugienſis editione ad annum* MXIX. *hunc beatum virum in monaſterio* ſancti Gregorii in urbe Roma *noſtri ordinis monachum fuiſſe ſcribit; at vereor, ne vocum* Georgii *ac* Gregorii *affinitate deceptus Trithemius, hunc in errorem fuerit lapſus.*

2. *Ceterum ex his patet, quam futilis ſit Carmelitarum, ut ipſi aiunt, traditio, qui hunc ſanctum virum ordini ſuo adſcribere non verentur. Etenim eum in Italia Carmelitam non fuiſſe evidens eſt, ex his quæ à nobis jam dicta ſunt. Neque etiam in Hungaria; ibi enim ante epiſcopatum in cœnobio Beel vitam agebat monaſticam, quod ſub inſtituto Benedictino fuiſſe ex Carthuitio, Bonfinio, aliiſque rerum Hungaricarum ſcriptoribus conſtat. Nec dicant Gerardum in Palæſtina Carmeli religioni nomen dediſſe. Nam licet vitæ ejus auctor ſcripſerit Jeroſolymitanum iter à Gerardo fuiſſe ſuſceptum, ex eodem auctore diſcimus eum, cum in Hungariam adveniſſet, à beato rege Stephano impeditum ultra progreſſum non fuiſſe.*

3. *Trithemius qui loco ſupra laudato Gerardi miſſionem in Hungariam Benedicto Papæ attribuit, eum laudat tum ob vitæ ſanctitatem, tum ob doctrinæ meritum. Et quidem ex Vitæ num.* Multa ſcripſit.
4. patet libros aliquot ab eo editos fuiſſe, quorum nonnullos recenſet Franciſcus Sanſovinus in deſcriptione urbis Venetæ apud Vvionem libro 5. ſcilicet de laudibus beatæ Mariæ virginis librum 1. Sermonum Quadrageſimalium lib. 1. Homeliarum de ſollemnitatibus totius anni lib. 1. *quos omnes idem auctor manuſcriptos ſervari ſcribit penes nobiles dominos ex familia de Secretis, ſeu* Segredo, *apud Venetos, qui Gerardum ut ſibi conſanguineum agnoſcunt ac venerantur.*

Quo anno exſtinctus.

4. *Beati Gerardi mortem anno circiter* MXLVIII. *conſignamus. Nam ex Vitæ auctore num. 8. in ſeditione occiſus eſt, quæ contigit uno luſtro & altero inchoato poſtquam Uvoni coronam imponere die ſancto Paſchæ renuiſſet. Petrus autem Hungariæ rex è ſolio dejectus anno* MXLI. *Uvoni regnum dimiſit, cui anno ſequenti ob nimiam ſævitiam coronam denegavit Gerardus. Iis itaque ſi addantur ſex ſaltem anni, tot enim exigunt luſtrum unum completum & alterum inchoatum, annum* MXLVIII. *habebimus, quo Gerardum obiiſſe veri ſimilius eſt, & quidem* XXIV. *Septembris, qua die in faſtis eccleſiaſticis memoria ipſius recolitur. Hac enim ipſa die Gerardi feſtum celebrabatur in Hungaria ſub Ladiſlao rege, ut ex hujus Regis decretis patet, libro 2. cap. 38. ubi* ſancti Gerhardi epiſcopi *feſtivitas memoratur media inter feſta ſancti Matthæi apoſtoli, & ſancti Michaëlis archangeli. Corpus ſacrum beati Gerardi circa annum* MCCCC. *Venetias tranſlatum eſt, ac Murani in eccleſia beatæ Mariæ, quæ nunc ſancti Donati titulum præfert, depoſitum fuit, ubi etiam nunc aſſervatur. Hæc Tranſlatio facta dicitur die 23. Fe-*

Digitized by Google

CIRCA ANN. CH. MXLVIII. SEPT. XXIV.

bruarii, qua die locum habet in Martyrologio Benedictino, & in Ferrarii Catalogo generali ſanctorum Italiæ.

INCIPIT VITA.

B. Gerardi patria.

1. GAUDIA quæ Chriſti participibus dies hodierna contulit, ex beati patris noſtri, Chriſtique martyris GERARDI meritis fluxere. Is enim hujus lucis lumen per Venetos parentes ſortitus, Dei gratia illum præveniente, ab ipſa pueritia cœpit Domino noſtro Jeſu-Chriſto eſſe devotus, & doctrinæ evangelicæ per omnia parere. Itaque & ipſum monaſticæ religionis habitum puer accepit, ſiniſtramque primi parentis viam declinans, novi hominis ſecundum Deum creati veſtigiis inſiſtens, regionis per inobedientiam amiſſæ, nempe paradiſi gaudia, adoleſcens ſtuduit appetere & amare. Cum ſic igitur ſincero animo ſanctam vitam duceret, cupido ei inceſſit Dominicum ſepulcrum inviſendi, ut Chriſtum, qui cum dives eſſet, propter nos egenus factus eſt, inops ipſe & pauper ſequeretur. Egreſſus itaque de terra & de cognatione ſua, tendebat ad Orientem, ubi Abraham & divitiis auctus eſt, & pater multarum gentium effectus; uti etiam ipſe in Abrahæ ſemine, id eſt in Chriſto, datam benedictionem, ſuſcepto peregrinationis labore, inſtar fidelis Abrahæ adipiſceretur.

Adhuc puer fit monachus.

Iter Jeroſolymitanum ſuſcipit.

A S. Stephano in Hungaria ſuſcipitur.

2. Pervenit interim in Pannoniæ partes, cujus habenas tunc chriſtianiſſimus rex STEPHANUS moderabatur; ad quem regem vir Dei humilis & ſimplex acceſſit, cauſamque ſui itineris ei aperiens, majori ſtudio & amore ab eo exceptus eſt. Ubi autem animadvertit Rex, eum moribus & doctrina bonum Chriſti odorem ſpirare, clam dimiſſis itineris ejus ſociis, illum ſolum apud ſe retinuit invitum, eique ſervando cuſtodes adhibuit. Cernens vero ſervus Chriſti ſe ſolum illic derelictum; ut populi ſtrepitus evitaret, ejus regionis eremum, quam [a] Beel vocant, petiit, atque illic ſeptennio jejuniis & precibus vacans, excepto [b] Mauro monacho, ſolus habitavit. Interea memoratus rex Stephanus, ut robuſtiſſimus Joſue, impietatem gentis profligavit, crudeleſque ac barbaros ethnicorum mores edomuit, ac plurimorum pectora ad ſuſcipienda ſanctæ fidei ſemina præparavit. Videns autem pius Rex regnum ſuum pacis tranquillitatem adeptum, ſervum Dei Gerardum ab eremo revocavit, pontificalique infula decoratum, ad prædicandum populo ſuo deſtinavit. Tantam autem ſuperna pietas ei contulit gratiam, ut eum omnes loci illius incolæ unice amarent, & ut patrem colerent, ita ut jam pater multorum inſtar Abrahæ patriarchæ haberetur.

Qui eum retinet.

Fit Epiſcopus.

3. Creſcente vero fidelium numero, eccleſias Deo per ſingulas urbes ædificavit, principalem autem eccleſiam in honorem ſancti Georgii pretioſiſſimi Chriſti martyris, ad litus Moriſii fluminis exſtruxit, atque inde [c] Moriſſenam ſedem appellavit, quam beatus rex Stephanus dotalitiis muneribus nobiliter ditavit. In qua eccleſia ad honorem beatiſſimæ Matris Domini Salvatoris venerabilem erexit aram, ante quam thuribulum argenteum collocavit, ejuſque miniſterio duos provectæ ætatis homines adhibuit, qui jugiter illic vigilarent atque operam darent, ne ulla umquam hora thymiama ibi deeſſet. Singulis quoque Sabbatis cum novem lectionibus, ut in die Aſſumtionis ejuſdem ſanctiſſimæ Matris, magniſque lau-

Ejus in B. Virginem devotio.

a Monaſterium Beel ædificavit ſanctus Stephanus Rex, inquit Chartuitius in ejus vita, ad Guntheri preces, *ubi Gerardus monachus Venetiis veniens, vitam duxit contemplationi addictam, &c.* de Gunthero egimus ad annum 1045.

b Is eſt Maurus poſtea Quinqueccleſienſis epiſcopus, de quo vide ſupra pag. 76.

c Moriſſena regio eſt Hungariæ ſuperioris, cujus urbs præcipua nunc Canadium ſeu Conadium, urbs epiſcopalis ſub metropoli Colocenſi. Sedes epiſcopalis olim Moriſſena dicebatur, vel à fluvio qui nomen dat regioni, vel ab urbe Morſenes, quæ inter Canadium & Cybinium ſita eſt. Hinc à Trithemio Gerardus *Moriſenus epiſcopus* appellatur.

Digitized by Google

dum præconiis devotionis ſuæ officium illic explebat. Ceteris autem diebus, matutinis & veſpertinis precibus abſolutis, bis cum proceſſione eo venire ſolebat, quæ conſuetudo hodieque perſeverat. Porro laudibus & venerationi ejuſdem ſacratiſſimæ Virginis tantæ humilitatis obſequio ſe ſubdere noverat, ut ſi quis reus, clam à ſancti viri familiaribus edoctus, veniam ab ipſo peteret per nomen Matris Chriſti; mox audito nomine Matris miſericordiæ pater ſanctus lacrymis perfunderetur, & perinde ac ſi ipſe reus eſſet, à reo veniam peteret; filium quoque ſuum illum fore affirmaret, ſi eam ſincere Dei crederet Genitricem. Ipſo auctore, ab Hungarica gente non pronunciatur nomen ipſum Matris Dei, ſed DOMINAM eam vocant. Si ſit autem pronunciatum illius nomen, ſtatim flexis genibus, & demiſſis in terram capitibus, ſeſe inclinant. Atque adeo Pannonia à ſancto rege ſuo Stephano familia ſanctæ Mariæ appellata eſt. O prædicandam virorum prudentiam, qui in hanc maris ſtellam intendendo, vitæ ſuæ curſum dirigebant; ut contemplatione exemplorum ejus, poſſent inter hujus ſæculi fluctus navigantes, voluptatum illecebras & incitamenta, tamquam Scylleam voraginem declinare, portumque æternæ ſalutis attingere. CIRCA ANN CH. MXLVIII. SEPT. XXIV.

4. Erga miniſteria eccleſiaſtica magna beato viro cura & ſollicitudo inerat. Itaque æſtivo tempore in domo Dei vaſcula glacie plena ponebantur, in quibus lagunculæ & vinum, quod poſſet optimum inveniri, ad Dominici ſanguinis conſecrationem aſſervarentur. Dicebat enim, quod per fidem intus accipitur, id extrinſecus ſuave inveniri. Nocturno tempore leproſum in ſuo reponebat lectulo, & arrepta ſecuri, ad ſilvam ſolus pergebat, faſciculoſque lignorum pro corporis ſui caſtigatione propriis humeris inde reportans, ſervorum ſuorum labores ſæpe antevertebat ac ſublevabat. Cum illi proficiſcendum eſſet à loco in locum, non jumento utebatur, ſed vehiculo; in quo ſedens, libros quos ſancti Spiritus gratia compoſuerat, relegebat. Veſtibus cilicinis & ex arietum pilis confectis ſæpe induebatur. Ut autem ſanctis hominibus uſu venire ſolet, aliquando negligentia aurigæ ſui, aut qualibet injuria læſus, levi ira commotus, juſſit protinus hominem reum flagellis cæſum duris vinculis alligari. Parebant vero illi miniſtri; ſed non ignorantes animi ejus clementiam & ſuavitatem, juxta viam, qua ſanctus Pater tranſiturus erat, hominem culpæ obnoxium ad ſtipitem alligabant, & plagarum veſtigia in ejus nudo dorſo gallinæ aut alterius animantis ſanguine exprimebant. Cumque eo perveniſſet homo Dei, oblitus ſeveritatis ſuæ, ilico è vehiculo exſiliens, ad vinctum illum properabat, & modo ſtipitem, brachia, manus ac vincula, modo pedes oſculabatur, munera pollicebatur, ſi veniam & miſericordiam ab homine conſequi mereretur. Si cui tum id videre contingeret, illum virum Dei pro tanta humilitate & ſimplicitate dicere non dubitaret converſum in puerum illum, quem Salvator imitandum ſtatuit in medio diſcipulorum ſuorum. Ejus virtutes.

5. Etſi autem epiſcopalem functionem & dignitatem ſumma prudentia adminiſtraret, attamen eremum non reliquit: ſed apud urbes, ad quas concionaturus veniebat, cellulas ſibi in ſilvarum ſecretioribus locis conſtruxit, in quibus ligatus pernoctaſſe, multaſque afflictiones ſoli Deo cognitas pertuliſſe memoratur. Cum aliquando pro cujuſdam defenſione ad beatum Stephanum regem properaret, in ejus regionis parte quadam, pecoribus paſcendis opportuna & apta, vir Dei hoſpitio uſus fuit. In ea autem domo ſub noctis medium ancilla quædam manibus verſans molam qua triticum terebatur, laboris moleſtiam cantilena temperabat. Ea autem cantilena expergefactus vir ſanctus, accerſito miniſtro, quid ea ſibi velit, inquirit. Reſpondet ei famulus, id quod res erat. Mox pius paſtor inſu-

CIRCA ANN. CH. MXLVIII. SEPT. XXIV.

ſus lacrymis: Felicem, inquit, feminam, quæ cum ſit ſub alterius poteſtate conſtituta, debitum ſervitutis officium tam ſuaviter abſque ullo murmure perſolvit! juſſitque ei non minimum pecuniæ pondus deferri.

S. Stephanus rex obit. a

Cui ſuccedit Petrus. b

Oſee 4.

6. Poſtquam autem beatus rex Stephanus totam Pannoniam ad veram Chriſti lucem adduxit, eam ſub patrocinio ſanctiſſimæ matris Dei ſemperque virginis Mariæ voluit contineri; atque in ipſo die Aſſumtionis ejus migrans [a] à corpore, ipſe quoque ad æternam requiem aſſumtus eſt. Succeſſit autem ei PETRUS Rex; cui cum omnes Pannoniæ principes fidem & amorem ſe conſervaturos juraſſent [b], unus ex eis, illo exturbato, regiam ſibi auctoritatem per vim uſurpavit. Eo autem regnante, ſicut Propheta ait: *Sanguis ſanguinem tetigit, & peccata peccatis cumulata ſunt.* Namque ipſis ſanctis Quadrageſimæ diebus, honeſtiſſimos ſui conſilii viros ſudibus ac palis perinde ut immunda pecora interficere non dubitavit. Deinde ad Moriſſenam ſedem, nempe ad Gerardi pontificis locum, paſchalia ſacramenta celebraturus advenit, atque in ipſo die Dominicæ Reſurrectionis, ut pater ejuſdem loci regio capiti diadema impoſiturus adveniret, ab Epiſcopis & principibus per honeſtiſſimos viros invitatur. At illo renuente, reliqui Pontifices Regi coronam imponunt, magnoque Cleri & populi comitatu Rex ornatus eccleſiam ingreditur. At vero plenus Spiritu-ſancto beatus Epiſcopus, ſtola candida indutus, pulpitum aſcendit, Regemque his verbis per interpretem intrepidus alloquitur.

Regni invaſori coronam regiam imponere recuſat.

Futura prædicit.

» Obſervatio ſanctæ
» Quadrageſimæ peccatoribus pro venia, juſtis pro præmio conſtituta eſt.
» quam tu Rex cum cædibus pollueris, mihique nomen patris eripueris,
» per te dulciſſimis filiis orbato, nullam hodie veniam mereris. Et quia pro
» Chriſto meo hodie mori paratus ſum, quæ tibi ſint eventura pronuncia-
» bo. Anno tertio regni tui gladius ultionis excitabitur in te, qui tibi re-
» gnum improba fraude per vim acquiſitum auferet, & cum illo pariter &
» vitam.

7. Hæc cum Regis amici, liberalibus inſtituti litteris, attoniti mirarentur, innuebant interpreti, ut taceret, Epiſcopum ab ira & indignatione Regis ſervare volentes, iiſque interpres timens aſſenſit. At vero paſtor immorigerum interpretem perurget & compellit, ut pergat, ita *dicens*: Deum time, Regem honora, patris tui verba edicito. Tandem coactus interpres, paſtoris declaravit ſententiam, non mediocriter Regis iram reformidans. Poſtquam autem evenere quæ dixerat beatus Epiſcopus, totius regni incolæ re ipſa didicerunt eum prophetiæ ſpiritum habuiſſe. Prædixerat namque etiam in illa gente immanem ſeditionem excitatum iri, atque in ea ſe mortem oppetiturum. Nolim igitur, quiſquis es Chriſtiana religione initiatus, ex me humana prudentia noſſe velis, num hîc ſanctus vir in vita ſua miracula, quæ ſunt cum reprobis communia, ediderit; num cæcis viſum, ſurdis auditum reformarit, tametſi ejuſmodi *ſpiritaliter* ei non defuerint. Nihil horum à te requirit Deus. Da operam, ut ſancti-Spiritus gratia adjutus, hujus beati viri humilitatem & pietatem obtineas; nec dubites te habiturum partem in regno Dei Patris, & Chriſti ejus.

Seditione exorta quā prædixerat occiditur. c

8. Uno inde luſtro evoluto, & altero inchoato, prædicta ſeditio exſtitit, in qua cum ad [c] Albam-regalem vir Dei proficiſceretur, apud eccleſiam ſanctæ Sabinæ Virginis & martyris hoſpitio uſus eſt, illicque cœnantibus

[a] Anno ſcilicet MXXXVIII. ut probat Cardinalis Baronius ex ſcriptoribus æqualibus, Hermanno & Mariano Scoto, quibus addendus Johannes Thvvrochz, qui labente ſæculo XV. Chronicon Hungarorum ſcripſit. quorum auctoritas Chartuitio & Bonfinio prævalere debet. ſed & Bonfinius Conradi mortem paullo poſt obitum S. Stephani anno 1039. contigiſſe refert.

[b] Aba ſcilicet ſeu Ovo aut Uvo ſororius S. Stephani, quo ab Henrico Cæſare in fugam verſo & capto, Petrus regnum recuperavit.

[c] Alba-Regalis urbs Hungariæ Regum inauguratione & ſepultura olim celebris, ad fluvium *Sarvvitz*, quam à Turcis anno 1543. captam, Chriſtiani in ultimis bellis recuperarunt.

Digitized by Google

fratribus ait: Fratres & amici, cras ad cœnam Agni Dei vocamur. Itaque abſque detrectatione properemus, pro Chriſto moriamur. Altera vero illuceſcente die, pater ſanctus Miſſam celebravit, menſæque Chriſti multitudinem ſibi adhærentem fecit participem, lætuſque ad martyrium perrexit. Ubi autem ad Danubium intendit iter, ecce turba populi eum circumſiſtit, lapideſque in eum in curru ſedentem jactat, à quibus tamen, Deo eum protegente, tactus non eſt. Ille vero ex adverſo benedictionem & crucis ſignum opponit. At impii homines tandem equorum retortis collis ſubvertunt currum, patremque humi abjiciunt, & magno impetu lapidare conantur. Tum inſtar protomartyris Stephani primus Pannoniæ martyr, poſitis in terra genibus, clamavit voce magna: Domine Jeſu-Chriſte, ne ſtatuas illis hoc peccatum, quia neſciunt quid faciunt. Et cum hoc dixiſſet, in pectore lancea percuſſus, obdormivit in Domino. CIRCA ANN. CH. MXLVIII. SEPT. XXIV.

9. Eodem autem die maxima Chriſtianorum ſtrages facta eſt. [a] Duo enim Epiſcopi, multique viri religioſi interemti ſunt; quorum numerum & nomina ſola Dei ſcientia collegit. Corpus quidem beati viri, cum in loco martyrii ſui jaceret, nulla ſorde commaculatum eſt. porro ſequenti die à Catholicis viris in eccleſia Dei ſanctæ Genitricis conditum eſt. Multis inde lapſis diebus, fidiſſimus ſancti viri procurator regem ANDRÆAM adiit, orans, ut peregrini atque hoſpitis patris corpus celeriter reſtituat. quod etiam impetravit, ac deinde ad ſanctum corpus perveniens, tam illud nitidum ac luculentum invenit, ac ſi eo die martyrium obiiſſet. Itaque ad Moriſſenam ſedem illud cum hymnis & canticis tranſlatum, cum multa reverentia ſepelierunt; ubi multæ gratiæ Catholicis viris collatæ ſunt, non tamen adhuc evidenter, uſque ad tempora LADISLAI regis & LAURENTII antiſtitis, qui à beato viro quintus ejus cathedram accepit. Tum enim à ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Synodo injunctum eſt, ut corpora eorum, qui Pannoniam fidei prædicatione irrigaſſent, ſummo honore afficerentur. Veniente etiam Sedis Apoſtolicæ legato, & nobilium Pannoniæ coacto conventu, ſacrum hujus beati martyris corpus elevatum eſt, atque Regis & Principum humeris tranſlatum, honorificeque depoſitum eo loco, ubi pro meritis tanti patris ſuperna gratia efficiendis & declarandis miraculis largius coruſcat; præſtante Domino noſtro Jeſu-Chriſto, qui cum Deo Patre & Spiritu-ſancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

[a] Hos duos Epiſcopos auctores vulgati appellant Beztricum & Buldum, ſed eorum ſedes ſcire non licuit.

SANCTI ODILONIS ABBATIS Cluniacenſis quinti

ANN. CH. MXLIX. I. JANUAR.

ELOGIUM HISTORICUM.

I. Vitæ ſcriptores.

1. *QUOD ſuperiori ſæculo de quatuor primis monaſterii Cluniacenſis abbatibus fecimus, hic quoque à nobis in beati Odilonis gratiam præſtandum eſt, ut ſcilicet præter vitam ejus ab antiquis ſcriptoribus exaratam, quæ tanti viri geſta non ſatis exponit, elogium ipſius non ſolum ex antiquis auctoribus, ſed etiam ex variis chartis ex archivio Cluniacenſi de-*

Ann. Ch. MXLIX. I. Januar.

promtis, aliiſque veteribus inſtrumentis contexamus. Hoc enim pacto tanti viri præclara actiones facilius & accuratius repræſentabuntur; nec parum conferent tot antiqua monumenta ad illuſtrandam Ordinis monaſtici hujus ſæculi hiſtoriam.

Duo vitæ ſcriptores.

2. *Ab iis qui beati Abbatis res geſtas poſteris mandare curaverunt, exordium ducimus. Duos habuit Vitæ ſuæ ſcriptores præcipuos ſanctus Odilo, Jotſaldum ſcilicet, & Petrum Damiani Cardinalem, utrumque ipſi æqualem. Jotſaldus, ſic enim conſtanter habent antiqui codices, quamquam in editis nonnullis mendoſe Lotſaldus ſcriptus invenitur, primus Vitæ ſcriptor, monachus fuit Cluniacenſis & beati Odilonis diſcipulus, cujus rei teſtem ſe ipſe exhibet in operis præfatione, ubi ſe* Magni Odilonis nutritum magiſterio, informatumque beneficio *fuiſſe profitetur. Is ipſe eſt, niſi fallor, Joſaldus, unus è quinque monachis, qui cum Odilone abbate & Roberto priore charta Girbaldi cujuſdam anno* MXXXII. *ſubſcripſiſſe reperitur. Joſaldus item & Joſerannus fratres nominantur in Charta Bernardi & Adæ eorum patris & matris, quæ regnante Roberto confecta eſt. Præterea Joſaldus notarius pleriſque Archivii Cluniacenſis chartis iſtius temporis ſubſcripſiſſe legitur, quem à noſtro alium eſſe non putamus. qui & idem videtur eſſe Joſaldus in indiculo veterum librorum Cluniacenſis monaſterii bibliotheca memoratus, ubi dicitur calamum adverſus Berengarium hæreſiarcham ſtrinxiſſe, tempore Henrici Francorum regis. at excidit iſtud opus; aut certe ita incognitum latet, ut nemo hactenus, aut ipſum viderit, aut laudatum uſquam invenerit. Denique Jotſaldum abbatem habemus, cujus epitaphium legitur exteriori muro veteris eccleſiæ ſancti Petri Cluniacenſis affixum ſub his verbis:* Hic jacet domnus Jodſaldus abbas. *Sed an his in omnibus monumentis unus & idem laudetur Jotſaldus; an diverſi ejuſdem nominis viri deſignentur, prorſus eſt incertum.*

Primus Jotſaldus, quis fuerit?

3. *Porro vitam ſancti Odilonis à Jotſaldo ſcriptam, ſeu potius ejus fragmentum Andreas Ducheſnius in appendice ad Bibliothecam Cluniacenſem ſub Anomymi Silviniacenſis nomine, & Joannes Bollandus die* I. *Januarii ediderunt. Sed eam nos hic exhibemus integram ex codice mſ. bibliotheca Thuanea, quem ſe vidiſſe teſtatur Chiffletius in probationibus Trenorchienſis Hiſtoriæ. Eamdem habuimus ex duobus aliis codicibus mſſ. uno C[illegible]ienſis monaſterii, altero noſtræ Bibliothecæ ſancti Germani à Pratis. Ceterum [illegible] Jotſaldus Carmen edidit ſub* Planctus *titulo, de beati Odilonis obitu, quod editum eſt in Bibliotheca Cluniacenſi. At cum nihil habeat ad illuſtranda beati viri acta, ipſum omittere viſum eſt; ſatis ſit aliquot verſus ſeligere, in quibus ſic de Odilone & Willelmo Divionenſi abbate canit.*

Hiſdem deceſſit Vuillelmus ſorte Kalendis
Magnus & ipſe pater monachorum Divionenſis.
Hi fuerant monachi Maïoli denique ſancti,
Uno florentes in tempore, corpore mundo,
Unius & fidei, veræ pietatis amici.
Junxit utroſque fides, ſimiles habuere receſſus:
Gloria non diſpar, eadem ſequiturque corona.

Odilonem in fine carminis precatur, ut ſui ac Almanii memor ſit apud Deum. Almanius autem hic eſt fortaſſe ipſe, cui & Hugoni Odilo vitam ſancti Maïoli nuncupaverat. Eum enim cariſſimum ibi fratrem appellat, quem virum litteratum fuiſſe ex eo patet, quod illum & Hugonem rogat, ut ſi quid in ea vita non recte dictum occurreret, emendare velint.

Odilo jam valeas, Jotſaldi jam memor eſto,
Almaniique tui votis pie ſemper adeſto.

Alter beatus Petrus Damiani.

4. *Alter beati Odilonis Vitæ ſcriptor fuit ſanctus Petrus Damiani, Cardinalis, epiſcopus Oſtienſis, vir vel ſuo nomine ſatis celebris. quod opus hortante Hugone abbate beati Odilonis ſucceſſore aggreſſus eſt, ut quæ in priori vita fuſius enarrabantur*

Digitized by Google

tur, ſuperfluis reſectis, compendioſius referret. Unde cum nihil in hac poſteriori vita habeatur, quod Joſſaldus antea non retulerit, viſum eſt priorem ſufficere. & quidem ipſo atteſtante Baronio, vita hac pertenuis eſt, longeque impar meritis tanti viri. *Si tamen in ea aliquid obſervatione dignum occurrerit, hoc ipſum data occaſione, in elogio aut in notis ad alteram vitam proferemus. Præter hos Vitæ ſcriptores multi alii beati Odilonis res geſtas ſcriptis ſuis celebrarunt, quorum, aut certe celebriorum, verba ſuis locis pro opportunitate in hujus elogii decurſu referre non omittemus. Habemus etiam præ manibus ſermonem Anonymi de beati Odilonis laudibus, ex codice mſ. monaſterii Silviniacenſis deſcriptum. Sed cum nihil habeat ad illuſtrandam tanti viri hiſtoriam, ipſum omittere viſum eſt.* ANN. CH. MXLIX. I. JANUAR.

II. Beati Odilonis patria & parentes.

5. *Odilonem patria Arvernum fuiſſe omnes uno ore fatentur, quem è nobili Mercoriorum familia prodiiſſe vulgati auctores affirmant. & quidem non deſunt ad id probandum legitima argumenta. Hujus rei probationem affert Andreas Ducheſnius, vir doctiſſimus, in notis ad ipſius vitam in Appendice ad Bibliothecam Cluniacenſem, ubi laudat vetus Necrologium Claromontenſis eccleſiæ ſibi à Savarone mutuo datum, in quo die* IV. *Nonas Januarii Odilo de Mercorio, canonicus Claromontenſis & præpoſitus Brivatenſis, quadraginta ſolidos cenſuales eidem eccleſiæ dimiſiſſe dicitur, ad celebrandam beati Odilonis feſtivitatem in eccleſia Claromontenſi. Ad quid enim, ſubdit vir eruditus, Odilo ille Mercorianus tantam pecuniæ ſummam expendiſſet, niſi quod beatus Odilo ejus fuerit conſanguineus? Deinde Stephanus epiſcopus, cui Jotſaldus beati Odilonis vitam nuncupavit, quemque idem auctor aſſerit fuiſſe beati viri nepotem, is eſt ipſe, qui in vulgatis pontificum Aniciensium ſeu Podienſium catalogis* Stephanus de Mercorio *dictus occurrit. quod diſerte affirmant Giſſeius in hiſtoria epiſcoporum Podienſium, Sammarthani in Gallia Chriſtiana, aliique auctores qui de iis rebus ſcripſerunt. Omne dubium tollit vetus Chronicon mſ. ſancti Petri Podienſis, ex quo hæc verba noſter Stephanotius deſcripſit:* Stephanus Anicienſis paſtor exſtitit nobili parentela ortus de caſtro, vulgo nuncupato Mercurio, nepos beati Odilonis abbatis Cluniacenſis..... obiit, & ſepultus eſt apud cœnobium, Voltam nuncupatum, quod ipſe cum beato Odilone avunculo ſuo in propria conſtruxerat tellure. Obiit autem IIII. Auguſti, regnante Heinrico rege Francorum, flentibus populis ac gaudentibus angelis migravit ad Chriſtum. *Tum ſubjungit Petrum ejuſdem* beatæ recordationis Stephani epiſcopi *nepotem, & in epiſcopatu ſucceſſorem in eodem Voltæ monaſterio cum ſuo avunculo fuiſſe ſepultum. De Volta monaſterio inferius plura dicemus. Certe beatum Odilonem ex illuſtriſſima Arvernorum familia originem traxiſſe obſervavit Petrus Damiani in ipſius Vita, ubi eum ex* equeſtri familia genus duxiſſe *aſſeverat. Id quoque teſtatur Jotſaldus, ubi ait* Beraldum *cognomento* Majorem, *beati Odilonis patrem, inter Alverniæ proceres nobiliſſimum fuiſſe, poſſeſſionibus & terrena poteſtate ditiſſimum; matrem vero Girbergam appellat, non minus pietate quam nobilitate pollentem, quam defuncto viro ſuperſtitem, ſanctimonialem in Auguſtodunenſi ſancti Johannis monaſterio factam fuiſſe ſcribit. Fratres etiam, & quidem complures habuit Odilo, ſed eorum nomina reticuit Jotſaldus; ſororem vero ejus Blitſemodem abbatiſſam laudat, ſed cui illa monaſterio præfuerit, nuſquam expreſſit.*

Odilonis patria & genus nobile.

Ex familia Mercoriana.

6. *At plura diſcimus de beati Odilonis familia ex duabus chartis, in quibus ipſe vir ſanctus fratres ſuos, nonnulloſque eorum liberos recenſet. Prior eſt ipſius Odilonis, qua, priuſquam veſte monaſtica indueretur, poſſeſſiones aliquot monaſterio Cluniacenſi contulit. Eſt abſque data in Chartario Cluniacenſi, quod vulgo ſancti Maioli appellatur, numero* XI. *ſic autem habet.*

Ejus parentes ex charta veteri.

Sacro-ſanctæ Dei eccleſiæ Cluniacenſis cœnobii, in honore beati Petri Apoſtolorum principis dedicatæ, in Dei nomine ego ODILO, filius BE-

Ann. Ch. MXLIX. 1. Januar.

RALDI, conſentiente matre mea & fratribus meis, STEPHANO ſcilicet, EBONE, BERALDO, BERTRANNO, cedo aliquid ex rebus proprietatis meæ, quæ mihi legitimo ordine ſucceſſerunt, ceſſumque in perpetuum eſſe volo & deſidero. Sunt autem ipſæ res ſitæ in patria Arvernica, in Comitatu Brivatenſe, in vicaria de Aurata, in villa quæ vocatur Saraciacus, in ipſa villa cedo Deo ſanctoque Petro in ſtipendia ſervientium ſupradictæ eccleſiæ, totam eccleſiam in honore mundi Salvatoris conſtructam, & quantum ſors hereditatis meæ in ipſo loco mihi largitur, & inſuper unum manſum, qui excolitur à Leotardo filio Gerbaldi, quem olim donavimus ego & mater mea & fratres mei pro ſepultura fratris noſtri HICTERII, quem ego poſtea emi ex fratribus patribuſque & dominis meis, Canonicis videlicet beatiſſimi domini mei martyris Juliani, & donavi in pretio ſolidos centum; ipſumque manſum ſimiliter cedo jam dictæ eccleſiæ, non ſolum pro me, ſed etiam pro patre meo & matre mea & fratribus meis, vivis atque defunctis, & omnium parentum & fidelium noſtrorum ſalute. Iſtas res ſupradictas cedo jam ſæpe dictæ eccleſiæ, ea ſcilicet ratione, ut paſtor ipſius eccleſiæ, domnus ſcilicet Abba MAÏOLUS, quamdiu vixerit, ſuique omni tempore ſucceſſores, & ipſius eccleſiæ ſervitores habeant, teneant, atque poſſideant, & juſto ordine quicquid facere voluerint faciant: tamen alienare, nec vendere præſumant, niſi ad fratres meos. Si quis vero, (quod futurum minime credo) aliquando ſurrexerit, ego ipſe videlicet mutata voluntate, aut ullus ex heredibus meis, ſive ulla emiſſa aut contra-poſita perſona, quæ contra hujuſmodi chartulam ullam calumniam inquietare præſumſerit, iram omnipotentis Dei incurrat & ſanctorum offenſam, & inſuper cui litem intulerit, auri libras x. coactus exſolvat, & argenti pondera totidem. Et ut hæc chartula firmiorem per ſuccedentia tempora obtineat vigorem, manu propria ſubter eam firmavi, & ut aliorum virorum manibus roboraretur decrevi. S. Odilonis, qui chartam iſtam ſcribere rogavit. S. Girbernianæ matris ejus. S. Stephani, & Ebonis, & Beraldi, & Bertranni fratrum ejus. Signum Beraldi, Rotbert, Gozfret, Vvarini, Bernardi, Mironi, Gualterii, Guitberti, qui hanc chartam ſcripſit.

Item ex charta fundationis Voltæ.

7. *Altera charta, quæ majoris eſt momenti, utpote quæ monaſterii Voltæ fundationem continet, data eſt anno* MXXV. *in qua non ſolum beati Odilonis fratres, ſed etiam plerique ex eis nepotes nati recenſentur. quare eam hic integram etſi prolixiorem proferre non dubitavimus, ex Chartario Cluniacenſi deſcriptam.*

Ab omnibus fidelibus recte ſaneque ſapientibus utile judicatur & congruum, ut univerſa negotia quæ ad Dei cultum, & ad incrementum dignitatis eccleſiaſticæ diſponuntur, ab ipſis ſuis auctoribus poſteritati fidelium teſtamentis legalibus & litteris commendentur. Hac igitur auctoritate præmonitus, ego in Dei nomine Clunienſis monaſterii monachus & preſbyter ODILO, hujus regionis & patriæ advenas & cives per ſuccedentia temporum ſcire volo & deſidero, quoniam fratres mei mihi, omnibuſque noſtris amicis inluſtriſſimæ dulciſſimæque memoriæ, BERALDUS Anicienſis eccleſiæ præpoſitus, & BERTRANNUS, & domnus STEPHANUS honorabilis ſenior, & vir bonæ ſimplicitatis EBO, in quodam ſuo prædiolo pari voto parique deſiderio decreverunt conſtruere monaſteriolum, & ſecundum ſuæ poſſibilitatis modulum ad Dei ordinare ſervitium: ſed quidam illorum, pro dolor! acerbiſſimis caſibus & infortuniis impediti, quidam vero naturæ ſorte præventi, non potuerunt incipere quod deſiderabant perficere. Poſt mortem vero illorum convenerunt mecum filii eorum, cum aliis nepotibus meis & conſanguineis, & pluribus ſuis fidelibus: cœperunt etiam conqueri, quod pro exceſſibus ſupradictorum fratrum meorum, patrum & parentum & ſeniorum ſuorum eſſent

Digitized by Google

acturi, vel ſi aliquod poſſemus invenire conſilium, quod eis à Domino præſtaret ſalutare remedium. Quod nullum aliud potuimus invenire ſalubrius vel conſequentius, niſi ut illud ipſum ſtuderemus incipere, & ſecundum noſtrum poſſe perficere, quod ipſi nobis reliquerunt in deliberatione: videlicet, ut ad votum illorum in aliquo ſuo prædiolo ædificemus monaſterium, & ſecundum noſtrum poſſe ad Dei ordinemus ſervitium. Hoc etenim conſilio definito, & ab omnibus noſtris amicis & vicinis alacribus vocibus conlaudato, incepimus ædificare eccleſiam in quodam proprii juris monticulo, qui Volta vocatur, eo quod præterfluentibus aquis Hylaris * fluminis, partibus ex tribus concluditur, &, ut ita dicam, quaſi ſinuatim involvitur. Poſt peractam vero aliquantam partem ædificii, cum conſilio fidelium vicinorum decrevimus in ipſo ædificio oratorium conſecrari à domno STEPHANO Arvernorum epiſcopo venerabili, quod factum eſt XVIII. Kalendas Octobris in Exaltatione dominicæ Crucis, & paſſione beati Cornelii papæ, & beatiſſimi Cypriani victorioſiſſimi martyris. In ipſius namque oratorii conſecrationis die, ego in primis frater Odilo, una cum nepotibus meis, filiis fratrum meorum & ſororum mearum, domno videlicet Stephano Anicienſis eccleſiæ præpoſito, & ejus fratre Beraldo, & domno Hildegario ſupradictæ eccleſiæ clerico & canonico, Beraldo quoque ſupradicti fratris mei Ebonis filio, Vvillelmo etiam filio quondam fratris mei Vvillelmi honeſtiſſimi viri, & filiis ejus; Geraldo etiam & Rotberto, Beraldo, Odilone, & Hicterio, cum conſilio ſororum noſtrarum, dominæ videlicet Bliſmodis venerabilis abbatiſſæ, & Aldegardis ſecundum ſæculum nobiliſſimæ matronæ, omnes ſimul Deo omnipotenti, vivo & vero, incommutabili & æterno, ſanctiſſimæ & individuæ Trinitati, Patri & Filio & Spiritui-ſancto, & beatiſſimæ genitrici Dei & Domini noſtri ſemperque virgini Mariæ, & ſanctis angelis & archangelis, & omnibus cæleſtis gloriæ civibus patriarchis & prophetis, & dilectis Domini Johanni Baptiſtæ & Johanni Evangeliſtæ, & beatis apoſtolis Petro & Paulo, ceteriſque apoſtolis & apoſtolicis viris, Innocentibus & omnibus ſanctis martyribus, confeſſoribus, & virginibus, offerimus quaſdam res, quas parentes noſtri jure hereditario poſſederunt, quaſdam quas à ſuis honeſtiſſimis ſenioribus ſtudioſiſſimo fidelitatis obſequio adquiſiverunt. Sunt autem ipſæ res in comitatu & epiſcopatu Arvernenſi: in primis ſupradictus monticulus, ut dictum eſt, ſinu jam dicti fluminis involutus, & eccleſia ex alia parte fluminis in honore ſancti martyris Cyrici conſecrata; villula etiam eidem loco proxima, quæ vocatur Forſanguis, & unus manſus eidem villulæ contiguus, qui vocatur Plania; eccleſia vero in villa Saraziaco, & omnis ipſa villa, excepta illa parte quæ in ſorte ſupradicti Vvillelmi nepotis noſtri venit. Eſt & alia villa ſupradictæ eccleſiæ proxima, quæ diminutivo nomine Saraziacellus vocatur. Hanc enim villulam & ſupradictum villare, quod vocatur Forſanguis, domnus & cariſſimus frater meus Stephanus per cartam donationis ad perficiendum opus, quod præ manibus tenetur, vivus adhuc & ſoſpes contulit, & ex hac vita diſcedens reliquit. Eſt & alia villa in ipſo comitatu, qui vocatur Montaniacus, quæ ex hereditate Golfaldi avunculi noſtri ad nos pervenit. Sunt & aliæ duæ eccleſiæ, non cum duabus, ſed cum una parochia conſiſtentes in epiſcopatu Vallavenſi, una in honore ſancti Johannis Domini præcurſoris, & alia in honore beati Petri apoſtoli conſecrata; & in villa Liſaco eam partem, quam Beraldus præpoſitus & Bertrannus frater ejus viſi ſunt habere, totam ex integro; & in Capilliaco hoc quod domnus Bertrannus habere viſus eſt. Hæc omnia ſupra ſcripta cum omnibus rebus ad ſe pertinentibus offerimus, ut ſupradictum eſt, Deo, omnibus ſanctis ejus pro liberatione & ereptione, ſalute, & requie ſupradictorum virorum Beraldi, Bertranni, Ebo-

* l'Allier.

Digitized by Google

ANN. CHR. MXLIX. I. JANUAR.

nis & Stephani, pro quibus hæc oblatio ſpecialiter fit, & aliorum fratrum ſuorum Hicterii, Euſtorgii, Vvillelmi & Hicterii, pro ſalute quoque patris eorum Beraldi, & ejus genitoris Hicterii, illuſtriſſimorum virorum, omniumque parentum, conſanguineorum & fidelium ipſorum & noſtrorum, tam vivorum quam defunctorum, utriuſque ſexus, ætatis & ordinis, & eorum, qui ad hoc opus perficiendum & cuſtodiendum & ſtabiliendum nunc conſilium & adjutorium præſtant, & per ſuccedentia tempora præſtiterint, & omnium fidelium Chriſtianorum, ut miſericordia, pietas & gratia Domini nunc & in futuro omnium illorum miſereatur & noſtri, ſupradictum locum, & omnia quæ ad ipſum locum pertinere videntur, & deinceps per cuncta ſpatia ſuccedentium temporum à fidelibus Chriſtianis in prædiis & quibuſlibet rebus vel oblationibus eidem loco conceſſum fuerit, ſub protectione & tuitione beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, & defenſione pontificum apoſtolicæ ſedis, & gubèrnatione abbatis & monachorum Clunienſium conſtituimus, & ab omni ſervitute & exactione humanæ improbitatis liberum eſſe decernimus. Ordinamus namque, & cum omni deſiderio optamus, ut Clunienſes abbates & monachi iſtum locum teneant ſemper & poſſideant, & in Dei ſervitio ſecundum Regulam ſancti Benedicti, ſicut & cetera monaſteria ad ſe proprie pertinentia, ut dictum eſt, ad cultum divinæ religionis ordinent & diſponant. Si cui forte hæc noſtra ſanctio... ſciat profecto dignum nos duxiſſe, ut illius loci ſancta congregatio ex noſtra paupertate aliquid ſervitutis habere ſe recolat, propter cujus reverentiam & meritum aliquis ex noſtro genere honorem ſecundum Deum, & ſecundum ſæculum viſus eſt obtinuiſſe, & parentibus etiam *noſtris &* nobis ipſis non parvos profectus conſtat eveniſſe. Ceterum ſi quis adverſus teſtamentum noſtræ oblationis aliquam aliquando calumniam inferre præſumpſerit, contra cenſuram divini judicii & mundanarum legum jura ſe feciſſe recognoſcat. Si pœnitendo emendare voluerit, indulgentiam percipiat; ſi vero emendare noluerit, & magis in ſua malitia perſeverare diſpoſuerit, quod petierit non vindicet, ſed quod meretur percipiet; ita ut hic leges pro tali crimine promulgatas perſolvat, & in æternum pœnas perpetuas luat. Signum domni Odilonis abbatis, cujus voto & deſiderio hæc charta conſcripta eſt, S. nepotum ſuorum, Stephani videlicet, *Beraldi*, alterius Beraldi, iterumque Beraldi, Aldigerii, Vvillelmi, Odilonis, S. Petri, S. Bernardi, S. Pontii, S. Dalmatii, S. Pontii, S. Bliſmodis, S. Aldiardis, S. Auxiliæ. Facta autem eſt hæc charta anno ab Incarnatione Domini millesimo xxv.

III. Odilo fit monachus Cluniaci, tum abbas.

Fit monachus Cluniaci.

8. *Odilo, ut loquitur Jotſaldus*, poſt deſpectas Brivatenſes & Anicienſes arces, *quod in utraque urbe aut eccleſiæ dignitates precipuas ſive ipſe, ſive alii ex ejus familia obtinerent, Cluniacum ſeceſſit, monaſterium ſanctitate & Religionis fama per totum orbem celeberrimum, ubi à beato Maïolo, ſanctiſſimo abbate, cui jam probe notus erat, monaſtica veſte donatus eſt. Id anno* CMXCI. *contigiſſe tradit Hugo Flaviniacenſis abbas in Chronico Virdunenſi, cui adſtipulatur Chronicon Cluniacenſe, à noſtro Stephanotio ex ejuſdem monaſterii veteribus membranis deſcriptum. Hoc tamen nemo ſibi facile perſuadebit, ſi verum ſit Odilonem hoc ipſo anno, uti ex aliquot Chartis colligi poſſe videtur, à beato Maïolo in abbatia regiminis conſortium aſſumtum fuiſſe. Certe haud multum ab ea ſententia recedere videtur ipſemet Jotſaldus, & poſt eum Petrus Damiani, qui referunt ſanctum Maïolum è vivis abiiſſe annis quatuor fere evolutis poſtquam Odilo ad converſionem venerat. Certum eſt autem eum anno* CMXCIV. *obiiſſe. Unde conjicere licet, quanta fuerit beati Odilonis maturitas, quantumve ejus meritum, qui adhuc neophytus, & in ipſo fere ad Re-*

ligionem ingreſſu, tantæ congregationis regimine ab ipſomet ſancto Maïolo dignus fuerit habitus. ANN. CH. MXLIX. I. JANUAR.

9. *Ejus porro electionem ultra annum* CMXCII. *differri non poſſe probatur ex multis Chartis, hoc ipſo anno datis, in quibus nempe Odilo abbas nuncupatur. In Chartario II. monaſterii Cluniacenſis charta* 738. *campus quidam in villa Berſoniaco ſitus datur monaſterio Cluniacenſi*, cui præeſt Odilo abbas, *anno* V. *Hugonis regis Francorum, id eſt anno ſaltem* CMXCII. *Hoc ipſo anno menſe Julio Girbaldus vendidit* peciolam *campi ibidem ſiti; charta* 539. *donatio eſt curtilis & vineæ in villa Morgono in pago Matiſconenſi, facta Odiloni abbati anno* VI. *Hugonis regis. quem eumdem annum præfert charta* 753. *quæ in ipſius etiam Odilonis abbatis gratiam facta eſt. Huc quoque proferendæ eſſent aliquot Chartæ primo Rodulfi Burgundionum regis anno datæ, ſi apud omnes conſtaret hunc regem ante* CMXCIII. *thronum conſcendiſſe. Chartis quas ſupra laudavimus ſuffragatur auctor veteris Chronici, quod penes nos manuſcriptum habemus, ubi ad annum* CMXCII. *hæc habentur.* Tum Abbas.

In Burgundia Odilo ex clerico Brivatenſi monachum profeſſus, in Cluniacenſi cœnobio præficitur, quod per annos LVI. miro religionis fervore rexit & provexit, &c. *Quin & cum alii fere omnes auctores Odiloni totidem regiminis annos conceſſerint, certumque ſit, ut & ipſi etiam atteſtantur, eum Kalendis Januarii anni* MXLIX. *ex hoc ſæculo abiiſſe, iſtorum quoque auctoritas ad confirmandam noſtram ſententiam merito proferenda eſt. Tamen Sigebertus in Chronico regiminis Odilonis initium anno ſequenti conſignat, Hugo vero Flaviniacenſis anno* CMXCIV. *ſed iſte ad Maïoli mortem ſolum attendit. quod expreſſius habetur in Chronico Malleacenſi, ubi vir ſanctus Maïolo abbati anno* CMXCIV. *ſucceſſiſſe dicitur. Et quidem præter Chartas, quas ſupra adduximus, complures aliæ occurrunt in Chartariis Cluniacenſibus, quæ Maïolo adhuc vivente Odilonem Cluniaci abbatem appellant. Talis eſt charta data anno* VI. *Hugonis regis, id eſt anno* CMXCIII. *qua nonnulla monachis Cluniacenſibus conferuntur apud Viſandonum. Anno præcedenti menſe Decembri, donatur vinea Odiloni abbati Cluniacenſi in villa Dambinas, in Matiſconenſi comitatu. Denique eodem anno* VII. *ejuſdem regis, menſe Martio, proindeque anno* CMXCIV. *paullo ante obitum ſancti Maïoli, Odilo abbas* in loco ſcambii *recipit & dat terram in villa Odgraco, in comitatu item Matiſconenſi ſitam.*

10. *Nondum tamen monaſterii regimen tunc temporis abjecerat Maïolus, uti probant variæ chartæ, annis ſexto & ſeptimo Hugonis regis datæ, quæ ipſius nomen præferunt, in libro donationum ſub ſancto Maiolo factarum. In charta* 16. *Maïolus Cluniaci abbas dicitur anno* VI. *Hugonis regis quaſdam eccleſias per commutationem adquiſiviſſe in comitatu Auguſtodunenſi. Eodem anno menſe Junio Landrada Cluniacenſibus*, ubi Maïolus eſt abbas, *nonnulla confert in pago Matiſconenſi ſita. Anno* VII. *ejuſdem Regis, Berardus Clericus monaſterio Cluniacenſi*, ubi eſt, *inquit*, Maïolus abbas, *medietatem ſilvæ Advolt contulit. Hinc patet Odilonem fuiſſe Maïoli veluti vicarium, atque in regendo monaſterio coadjutorem. unde in charta Bernardi cujuſdam viri nobilis, manumittentis aliquot è ſuis ſervis ad preces Viviani præpoſiti, quos hic ad ſuum monaſterium pertinere contendebat, ſic habetur:* Simul cum S. Maïolo.

Vverpivit illam querelam, quam habebat adverſus dictum Cluni locum, cui domnus & reverentiſſimus pater Odilo præeſt juſſione ſancti patris Maïoli.

11. *Habemus in Spicilegii Acheriani tomo* 6. *Decretum electionis ſancti Odilonis in abbatem Cluniacenſem, quod vivente adhuc ſancto Maïolo factum eſt, eique præter eumdem Maiolum ac centum ſeptuaginta ſeptem monachos, rex ipſe Rodulfus, Burchardus archiepiſcopus, aliique epiſcopi, complures abbates, & viri nobiles ſubſcripſerunt. Nulla autem occurrit in hoc inſtrumento temporis nota; at ſi Rodulfus ante anni* CMXCIII. *finem Burgundiæ regnum adeptus non fuerit, paullo ante Maïoli obitum, qui die* 10. *Maii anni ſequentis contigit, factum eſt. Ex eo autem patet Maïolum ſenio confectum in Odilonem ſeſe exoneraſſe, ne regularis diſciplinæ* Electionis decretum.

ANN. CH. MXLIX. I. JANUAR.

vigor, cui ob provectiorem ætatem invigilare, quantum neceſſarium erat, ſe non poſſe arbitrabatur, ſua culpa in monaſterio Cluniacenſi tepeſceret. Ego, *inquit*, Maïolus.... ætate defatigatus, officiis quoque corporis imminutus, dum minus me paſtorali cura idoneum perſentiſco, beati Benedicti capitulatim de conſtituendo abbate ſollicitudine præmonitus, cum omnibus fratribus meis, filiis & conſervis, beati quidem Petri pridem clericum, fratrem & filium monachis Odilonem religioſum eligimus, & abbatem eſſe decernimus; ne inſolentia noſtræ infirmitatis ordo detereſcat, & repulſam in aliquo patiatur Deo propitio ſemper ad meliora provehendus. *Ex eodem inſtrumento diſcimus Odilonem ægre hanc dignitatem accepiſſe, quod ſe tanto oneri imparem putaret. quare beatus ſenex advocatis epiſcopis & abbatibus, atque etiam viris nobilibus, hoc decretum eorum ſubſcriptionibus confirmari procuravit.* Et ne, *inquit*, technam alicujus excuſationis prætendat, nam ſicut quis indigne ad regimen incautus adſpirat, ita ſi quis dignus refugit, merito conſtringendus habetur, conſilium epiſcoporum & abbatum adhibuimus, &c. *Nomina vero eorum, qui electionem ſua ſubſcriptione confirmarunt, retulimus in Elogio ſancti Maïoli, Sæculi præcedentis pag.* 781. *quæ ideo hic repetere non juvat, ſed eorum loco damus aliquot verſus ab auctore, ut videtur, æquali de hac electione editos, qui in codice mſ. Ciſtercienſis monaſterii ſub hoc titulo*, Electio domni Odilonis, *habentur.*

Odilo ægre electioni conſentit.

Hic pater emeritus mox eſt ut ad aſtra vocatus,
Quem ſucceſſorem Deus eligeret ſibi patrem
Haud opus eſt noſtro perferre per omnia digne
Dogmate, quam prudens, quam morum ſtemmate pollens,
Sit quis in humanis rebus pariterque ſupernis;
Cognitor eſt ſolus dans hæc ſibi munera Chriſtus.
Qui claris patribus prænobilis ODILO dictus,
Terrea mox fugiens tener annis cælica quærens,
Patri MAÏOLO junxit ſe præduce Chriſto.
A grege ſuſceptus, ductor gregis ipſe futurus,
Sedulus implevit quicquid ſibi Regula juſſit.
Vivere pro tali dignatus ſede magiſtri,
Fratribus electus pater omnibus atque cupitus,
Præcepto patris curam ſuſcepit ovilis,
Huic non diſſimilis, licet addit culmen honoris,
Cuncta Deo placite diſponit cum pietate.
Verbo diſcretus manet, actu tamque modeſtus,
Devius ut lævum non pergat iter neque dextrum.
Sollers rubricam metitur in omnibus æquam,
Ejus conſilium quærit dominatio regum,
Atque ſuo ſummi proceres ſubduntur honori.
Sic agit activam quo non linquat theoriam.
Sola carne ſolo, verſatur pectore cælo.
Sed ne plura loquar, non eſt virtutibus impar
Patri Maïolo, per plurima mira coruſco.
Mitis ut ille fuit, divinitus hic quoque conſit,
Iſtum cum videas, illum præſto tibi dicas.
O quantum pollet locus hic, quantumque refulget,
Qui meruit tales ſibimet conquirere patres;
Qui veluti ſoles bini nos irradiantes,
Emicat hic cælis, alterque coruſcat in arvis!

Huc uſque veniſſe ſufficiat, dicit enim ſancta Scriptura: Ne laudaveris hominem in vita ſua.

Digitized by Google

12. *Porro cum ita certa & manifeſta videantur argumenta, quibus Odilonem ſancto Maïolo adhuc ſuperſtite in abbatem Cluniacenſem electum fuiſſe probatur, mirari ſubit Maïolum in monaſterio Silviniacenſi morti proximum, à fratribus interrogatum, cui regimen abbatiæ committendum vellet, nihil prorſus de ſancto Odilone reſpondiſſe. Id quippe teſtatur Syrus ejus diſcipulus & Vitæ ſcriptor. Immo in altera vita, quæ habetur in Appendice ad Bibliothecam Cluniacenſem, Maïolus reſpondiſſe dicitur*: Non eſt noſtrum, filii chariſſimi, vobis abbatem eligere, ſed magni conſilii Angelus non patietur vos diu inconſultos, &c. *An quod Odilo abbatiæ regimen ſuſcipere renueret, ut numero præcedenti dicebamus, ita ut neceſſarium fuerit Hugonis regis & Epiſcoporum auctoritatem interponere? Certe Adhemarus in Chronico, ait Odilonem invitum Maïolo ſucceſſiſſe, eumque tam ab ipſo Hugone rege, quam à cuncta Congregatione electum.*

IV. Acta ſub ſancto Odilone.

Variæ donationes monaſterio factæ.

13. *Superiori paragrapho Chartas aliquot laudavimus anno* CMXCII. *aut ſequenti datas, quæ cum ſub Maïoli & Odilonis communi adminiſtratione ſcriptæ fuerint, nihil mirum eſt ſi alterutrius nomen præferant. Quantum vero ſub tantis viris vigeret religio monaſtica, colligi poteſt ex Charta Vvalterii Æduenſis epiſcopi eodem tempore, anno videlicet* VI. *Hugonis regis menſe Maïo, data, in qua* cœnobium Cluniacenſe ſibi præ ceteris amore conjunctum *dicit*, ubi pollet religio, &c. *tum ei dimittit, quidquid ad ſe vel ad Archidiaconos ſpectare poſſet in eccleſiis ad dictum cœnobium pertinentibus, exceptis tamen ſynodalibus eulogiis. Eccleſias autem has exprimit, ſcilicet de Algaïo-monte, de Treſela, ſancti-Leodegarii, Montis-Malarii, Terviſi, Vallis & ſanctæ Mariæ. Subſcribunt præter ipſum Vvalterium Elinardus abbas, tum præpoſiti, cantor, Erpertus abbas, Ugo abbas, denique archipresbyteri & canonici. Idem epiſcopus anno* XXIX. *Lotharii regis ſancto Maïolo dederat eccleſias ſanctæ Mariæ de Monte-Melardi, & ſanctæ Mariæ in villa Vallis, nec-non & alios proventus & decimas eccleſiæ ſancti Germani villæ Tyrinaci, ubi monachi Cluniacenſes* in obedientia quotidie aſſiſtebant. *De Magabrenſi autem cœnobio quod idem antiſtes ſancto Odiloni meliorem in ſtatum revocandum tradidit, inferius dicemus: interim de donationibus poſt ſancti Maïoli obitum Odiloni factis agendum eſt. quippe cum ſub hujus ſancti viri regimine Cluniacenſium monachorum ſanctitatis fama non minus, quam ſuorum deceſſorum tempore celebris fuerit, epiſcopi, aliique viri nobiles multa eis bona conceſſerunt, ex quorum chartis multa diſcimus ad hiſtoriam illuſtrandam haud parum utilia.*

14. *Anno* II. *Rodulfi Burgundiæ Transjuranæ regis, menſe Aprili, proindeque anno* CMXCV. *ſi verum ſit Conradum Rodulfi patrem die* 19. *Octobris anni* CMXCIII. *è vivis exceſſiſſe, Artaldus comes dedit ſancto Odiloni eccleſiam ſancti Petri in villa Marogliaco cum presbyteratu, decimis & univerſis appendiciis, &c. in agro Lugdunenſi & Rodenenſi. Is forte ipſe eſt Artaldus qui in altera charta, quæ eſt ſine data, donavit villam ſancti Prajecti Memboli in pago Valentinenſi, cui ſubſcripſit Pontius Ademari comitis filius.*

15. *Anno* III. *ejuſdem regis Rodulfi Humbertus epiſcopus Gratianopolitanus dedit cœnobio Cluniacenſi*, ubi, *inquit*, domnus Odilo abbas præeſt, *medietatem caſtri de Viſilia cum toto burgo & eccleſia ſanctæ Mariæ. Item eccleſiam ſancti Martini de Ponte-Roſo cum decimis, oblationibus & cœmiteriis. Subſcripſerunt Frideburgis ejuſdem epiſcopi mater, Vvigo frater ejus, & Humbertus epiſcopus de Valentia ejus nepos.*

16. *Anno* I. *Roberti Francorum regis, qui ſolus defuncto patre anno* CMXCVI. *die* 24. *Octobris regnare cœpit, quidam Ayroardus monaſterio Cluniacenſi dedit manſum indominicatum in pago Matiſconenſi. Anno item* I. *Roberti, Odilo quædam commutavit cum Maïolo præpoſito Matiſconenſi. quæ commutatio die* 2. *Martii, proindeque anno* CMXCVII. *à Vvillelmo & Vvidone approbata fuit.*

17. *Anno* CMXCVII. *conſignatur charta Rodulfi regis in Bibliotheca Clunia-*

Digitized by Google

ANN. CHMXLIX. I. JANUAR. *cenſi, ubi ille anno nono regni ſui, compluribus bonis monaſterio Cluniacenſi confirmatis, nonnulla largitur ad Emmæ conjugis ſuæ petitionem. Data eſt apud Anſam villam* XI. *Kalendas Julii Indictione* III. *&c. Reamundus ad vicem Anſuſi epiſcopi recognovit. Sed manifeſtus error eſt. conſtat quippe hanc chartam eſſe Rodulfi, qui Carolo Simplice in carcere detento Francorum rex appellatus eſt anno* CMXXIII.

18. *Anni* CMXCVIII. *qui Rodulfi regis quintus fuit, initio, idem Rex poſt conceſſas jam antea in Cluniacenſium gratiam aliquot chartas, unam dedit, quæ varias eis poſſeſſiones confirmat in comitatibus Lugdunenſi, Forenſi & Viennenſi. data eſt* in Paterniaco, *anno* DCCCCXCVIII. *Rodulfi regis quinto.* Padicius cancellarius ad vicem Purgardi archiepiſcopi & archicancellarii recognovit. *Idem rex anno regni ſui ſexto, ſub finem ſcilicet ejuſdem anni* CMXCVIII. *uxoris ſuæ* Agildrudis *reginæ, &* Putchardi *archiepiſcopi interventu confirmavit omnia* præcepta regalia, *&* chartas ſeu donationes ab aliis fidelibus Cluniacenſi monaſterio *intra regni ſui fines factas, eaſque* more patris ſui bonæ memoriæ in omnibus miſſis *renovat, ac ſingillatim recenſet.*

19. *Anno item* CMXCVIII. *aut ſequenti, nam charta data eſt anno* III. *Roberti regis, qui anno* CMXCVI. *die* 24. *Octobris, defuncto, ut quidem cenſemus, patre ſuo Hugone monarchiam obtinuit, Bernardus dedit Odiloni & monaſterio Cluniacenſi medietatem alodii ſui in villa Buxerias pro anima fratris ſui Iſraëlis adhuc viventis. Idem Bernardus in altera charta, quæ data eſt anno* V. *Roberti regis, dicitur* Miles, & ſecundum ſæculi dignitatem vir clariſſimus, *& cum Emma uxore ſua donat ea quæ habebat in villa Buxerias in pago Matiſconenſi, in pignus pro ducentis ſolidis. Quinquennio poſtea elapſo, id eſt anno decimo regis Roberti, hæc eadem Emma Bernardi uxor cum Maiolo mariti ſui fratre, partem ſuam ejuſdem villæ Buxerias, quam cum Iſraële altero Bernardi fratre partita fuerat, eidem monaſterio conceſſit. Denique eadem in alia charta, ubi dicitur* Bernardi clariſſimi militis *uxor, dedit cum filio ſuo Gauceranno & filia Emma pro ſepultura ſua apud Cluniacum, res quas habebat in agro Ammacenſi in pago Matiſconenſi. Unde patet hanc familiam erga Cluniacum beneficentiſſimam fuiſſe. Hic porro Bernardus ab alio ejuſdem nominis diſtinguendus, qui eodem tempore ac eadem in regione vivebat, quique erga Cluniacum beneficus fuit, ut patet ex ejus charta, qua cum uxore ſua Ada confert monaſterio coloniam unam in agro Mediolanenſi in pago Matiſconenſi, in villa Curtilis. Hic ibidem dicitur duos habuiſſe filios, Joſaldum videlicet & Joſerannum, quorum prior is fortaſſe fuit Jotſaldus poſtea Cluniacenſis monachus & beati Odilonis vitæ ſcriptor. His quoque adjungi poteſt Bernardus, qui cum uxore ſua Atta, & Roberto eorum filio anno quarto Roberti regis dedit vineam in villa Noglas. Hæc autem omnia ſimul referre viſum eſt, ne propter nominum conſonantiam aliqua ſuboriretur perſonarum confuſio. ſed jam annorum ſeries repetenda.*

20. *Anno* CMXCIX. *menſe Januario, Rodulfi regis ſexto, Odilo & Vivianus prior locarunt ſub annuo cenſu Petro militi & Ermengardi ejus uxori, caſtrum Condorcenſe cum ſuis pertinentiis, receptis in compenſationem tribus manſis. Eumdem annum ſextum Rodulfi regis præfert charta Bliſmodis, quæ ſe* feminam nobiliſſimam *nuncupat, & donat eccleſiam ſanctæ Maximæ de Taluſatis: charta ſubſcripſit cum filio Albuino & aliis teſtibus.*

21. *Anno circiter milleſimo Robertus rex & Henricus, patris ſcilicet ſui Hugonis Capeti frater, Dux Burgundionum, diplomate communi vetuerunt, ne quis intra certos Cluniacenſis monaſterii limites, quos deſignant, caſtellum audeat conſtruere. Charta eſt abſque data in noſtro apographo, ſed ultra annum* MI. *differri non poteſt, cum Henricus hoc ipſo anno è vita exceſſerit menſe Octobri.*

22. *Anno* VI. *Roberti regis, id eſt anno* MI. *aut ſequenti, ſi de monarchia intelligatur, Maiolus clericus quaſdam conſuetudines in terris monaſterii Cluniacenſis ſibi debitas eſſe contendebat, ſed coram Vuillelmo Matiſconenſi comite ejuſque uxore Ermentrude cauſa cecidit. Eumdem annum Roberti ſextum præfert charta data menſe Junio, proindeque anno* MI. *qua Arleis donat ſancto Maiolo & monachis ejus,*

ut

Digitized by Google

ut per ipſius merita valeat adipiſci præmia æterna, *partem de medio planto in pago Matiſconenſi, villa Marſiaco, loco ad Trimbladam dicto. Si tamen annus Roberti ſextus hic deſignatus intelligatur de tempore, quo ſimul cum patre ſuo Hugone regnaverit, charta ipſa ad annum* CMXCIII. *revocanda erit. ſed Arleis Maïoli jam defuncti, ut quidem videtur, patrocinium ambiebat. Nam ſtatim poſt ipſius mortem ſacri honores ei delati ſunt.* ANN. CH. MXLIX. I. JANUAR. Maïoli ſanctitas.

23. *Anno* MIV. *Canonici Vallavenſis eccleſiæ* * *domos quaſdam ab Odilone petierunt, Gauſlino dimittendas, ut ipſi alias domos quas ex Kigone Gauſlinus habebat, acquirere poſſent ſuis officinis amplificandis profuturas. Annuit Odilo, receptis in compenſationem aliis domibus, quæ ex donatione Vvigonis* bonæ memoriæ *pontificis provenerant. Res acta fuit* in Anicienſi civitate III. Nonas Februarii, feria 5. Luna 8. anno Incarnationis MIV. Indictione II. *Subſcripſerunt Beraldus præpoſitus Anicienſis, Robertus abbas, & alter Robertus æditus. Hoc ipſo anno Ratburnus vicecomes, & Vvalda uxor ipſius Cluniacenſibus donaverunt eccleſiam ſancti Martini Laudadis.* * le Puy en Vellay.

24. *Anno* MV. *Rodulfus vir nobilis, qui ibi monaſterii Paterniacenſis conditor fuiſſe dicitur, ancillam quamdam ſuam cum altera ex monaſterii Cluniacenſis jure commutavit. Charta data eſt anno* MV. XII. *Rodulfi regis, Indictione* III. *quæ temporis notæ optime ſibi cohærent, ſi quidem Rodulfus anno* CMXCIII. *poſt patris ſui obitum menſe Octobri regnare incœperit.*

25. *Ad hunc ipſum annum, aut certe ad annum* MXX. (*ſola quippe Indictio* III. *regnante Roberto indicatur*) *revocanda eſt Lamberti Comitis donatio ſancto Odiloni facta unius manſi in villa Latonai in territorio Matiſconenſi. Data ſic exprimitur:* Actum publice apud Cabilonem civitatem, regnante Roberto rege, apud nos vero Domino Jeſu-Chriſto, menſe Aprili, die Jovis, Indictione III. Formula *Regnante Chriſto.*

26. *Eadem formula utitur Robertus quidam in Chartario Celſinianenſi, cui monaſterio, ubi tunc præerat domnus Odilo abbas, confert pro ſepultura ſua vineam in monte Dorenſe ſitam. Charta ſic concluditur,* Data regnante Roberto rege Francorum, immo Domino noſtro Jeſu-Chriſto. *Fundatio Chauriaci monaſterii, quod Celſinianenſi ſubjectum eſt, data eſt ſub eadem formula, quam item adhibuit Pontius Comes in charta, qua poſſeſſiones aliquot Cluniacenſibus donat in pago Trevis juxta rivulum Lota ſitas, in locis Villetas, Merduſana & Mota. ſed hæc diverſas omnino à præcedenti chronologiæ notas habet: Data quippe eſt* in caſtro Torana, feria 5. Septuageſimæ, Indictione VII. Epacta XV. regnante Jeſu-Chriſto. *Subſcripſit domnus epiſcopus Cono. Denique Beatrix uxor Archimbaldi vicecomitis,* nuper, *ut ipſa loquitur,* defuncti, *donat Cluniaco,* ubi Odilo eſt abbas, *de rebus ſuis ſitis in pago Lugdunenſi, in loco qui dicitur Salſeto, unum manſum. Data eſt charta* Cluniaci, regnante Domino Jeſu-Chriſto, menſe Maïo. *In his porro & ſimilibus chartis ejuſmodi formulam adhibitam fuiſſe nonnulli cenſent, quod tunc temporis Rex ſacris interdictus eſſet ob Bertham, quam licet ſibi affinitate conjunctam, uxorem duxerat. Certe id vel ex ſola Beatricis charta, quam modo laudavimus, falſum eſſe patet. Hæc quippe poſt Roberti obitum ſcripta eſt. nam Archimbaldus, quem Beatrix defunctum dicit, adhuc in vivis erat anno* MXXXVII. *ut ex ejus charta inferius patebit, & quidem biennio poſtea monachos in cella ſancti Laurentii inſtituit. Sed de hac formula diſſerendi non eſt hic locus, quam quæſtionem alias viri eruditi fuſius agitarunt.*

27. *Anno decimo Roberti regis* LETBALDUS *epiſcopus Matiſconenſis duos ſervos ad Odilonis preces donavit. Charta data eſt die Lunæ menſe Auguſto, proindeque ad annum* MVII. *revocanda. Porro in charta quadam Cluniacenſium monachorum, poſt Odilonem abbatem & Vivianum præpoſitum Letaldus epiſcopus ſubſcripſiſſe dicitur ante alios monachos. an Letbaldus Matiſconenſis, qui relicta ſede aliquando Cluniacum ſeceſſerit?*

28. *Anno* MVIII. *Indictione* VII. *octavo Calendas Aprilis, Odilo domos quaſ-*

Digitized by Google

Ann. Ch. MXLIX. I. Januar. *dam Arelate ſitas in emphyteoſim conceſſit. Multi alii cum eo ſubſcripſerunt, inter quos Hugo de Calviote, & Redemptus de Botera.*

29. *Anno* XII. *Roberti regis, menſe Aprili, proindeque Chriſti* MVIIII. *quidam Rodulfus Odiloni ac monaſterio Cluniacenſi dedit curtillum & alia quædam in villa Aziaco in pago Matiſconenſi.*

30. *Anno* MXV. Gaufredus *Cabilonenſis eccleſiæ præſul ſimul cum canonicis in generali conventu reſidens,* exaltavit *à decimis eccleſiam Juliacenſem, idque ad preces Odilonis abbatis: qui viciſſim in compenſationem dedit eccleſiæ ſancti Vincentii, id eſt Cathedrali, eccleſiam quamdam ſibi à Goffrido Sinemurenſi donatam. Subſcribunt cum Gaufrido præſule Hugo comes & epiſcopus, ſcilicet Autiſiodorenſis, & alii. Data eſt anno* 26. *Roberti regis, qui tamen annus non congruit cum anno* MXV. *quo hæc contigiſſe dicuntur.*

31. *Anno* MXVII. *Regnante Roberto, ſexto Nonas Maii, Vuillelmus Dux Aquitanorum Roma rediens, in civitate Papia donavit monaſterio Cluniacenſi medietatem de cenſu piſcium, qui circa inſulam Rado capiuntur; ſubſcripſerunt duo Vuillelmi filii, Vuillelmus & Odo.*

32. *Anno* MXVIII. *regnante Roberto, Idem Vuillelmus, qui à nonnullis ob egregias ipſius dotes Magnus nuncupatus eſt, curtem quamdam in vicaria Marevenno contulit monaſterio Cluniacenſi. Charta cum Vuillelmo duce ſubſcripſerunt Agnes comitiſſa, Vuillelmus Junior, Giſlebertus epiſcopus, Fulco comes, &c.*

33. *Giſlebertus epiſcopus in hac charta memoratus Pictavienſi eccleſiæ præfectus eſt anno* CMLXXV. *ex Chronico Malleacenſi. cui ſucceſſit Iſembertus Archidiaconus, qui eidem chartæ ſubſcripſit; ſub quorum Pontificatu Arnaldus in ea pariter memoratus Decanatum ejuſdem eccleſiæ adminiſtravit. Porro idem Vuillelmus monetam de Niort Cluniacenſibus conceſſit, ut ex altera ejus charta patet, cui cum illo ſubſcripſerunt Agnes ejus uxor, ac duo ejus filii Vuillelmus & Oddo.*

Agnes Willelmi uxor. 34. *Agnes in utraque charta Vuillelmi Ducis memorata; tertia ejus uxor fuit, Ottonis cognomento Vuillelmi Burgundiæ Ducis filia. Vuillelmum vero & Oddonem ex prioribus uxoribus ſuſceperat Vuillelmus, primum nempe ex Almodia, alterum vero ex Priſca, ſecunda ipſius uxore. Uterque abſque liberis defunctus fuit, ſepultique ſunt in monaſterio Malleacenſi, quod eorum pater condiderat, qui & ibi paullo ante obitum monaſtica veſte donatus & ſepultus fuit, anno* MXXX. *aut ſequenti. Ceterum Agnes præter Agnetem filiam, quæ Henrico Imperatori, cognomento Nigro nupſit, duos etiam filios Vuillelmo peperit in Hiſtoria Aquitaniæ celebres. Hos ipſa memorat in donatione quadam monaſterio Cluniacenſi, poſt ejus mariti obitum facta, quam hic ſubjicere viſum eſt ex Chartario Cluniacenſi.*

Sacro-ſancto & exorabili loco Cluniacenſis monaſterii, quod eſt conſtructum in honore apoſtolorum Petri & Pauli, cui præeſt domnus Odilo abbas, ego Agnes & filii mei Vuillelmus & Gauffredus, donamus habitatoribus jam dicti loci monetam totam, quam habemus in villa quæ nominatur Engeliacus; & in alia villa, quæ vocatur Molgong, omnes conſuetudines, quas illic ſolemus habere, ut inde faciatis emere ſepicas, quas ſoliti eramus dare vobis. Unde etiam poſtulamus adſcribi nomina noſtra in Miſſali, in quo recitantur benefactores veſtri, quia maximam fiduciam habemus in orationibus veſtris, veſtræque Congregationis, & hoc quod conventum habetis attendite mihi. In hoc anno jam dicta nobiliſſima comitiſſa Agnes obſedit caſtrum Volventem, &, ut fuit ſua conſuetudo, cepit eum.

35. *Quantum vero ſibi Cluniacenſes beneficiis tam à ſe, quam à ſuis propinquis collatis devinxiſſet Agnes, patet ex inſtrumento quodam publico, quo Cluniacenſes ei Laſiacum dimittunt in grati animi monumentum, ut videre eſt in Cluniacenſi Chartario.*

36. *Anno* MXIX. IX. *Calendas Februarii, Rodulfus rex ad Irmingardis conjugis ſuæ petitionem concedit, ex propria hereditate, monachis Cluniacenſibus,* Regulæ

ſancti Benedicti modo & deinceps obedientibus, *eccleſiam ſancti Blaſii, & viculum totum cum ſuis appendiciis. Charta, quæ etiam habetur in Bibliotheca Cluniacenſi edita col.* 411. *data eſt* in villa Tabernis, quæ aliter Urba appellatur ex fluvio ibi defluente. *ſed in ea charta conjungitur annus* XXXV. *Rodulfi regis cum anno* MXIX. *Incarnationis Dominicæ, quod mendum eſt. Hunc ipſum annum* MXIX. *præfert Charta Leotbaldi (in alio apographo Theobaldus appellatur) epiſcopi Matiſconenſis, qua domno Odiloni abbati monachiſque Cluniacenſibus dimittit decimas, aliaſque pertinentias eccleſiæ ſancti Sulpicii. Data eſt in Synodo clericorum die* IV. *Idus Novembris. At jam tunc defunctus erat Letbaldus, ſi vulgatis Matiſconenſium epiſcoporum catalogis credamus. Et quidem hoc ipſo anno placitum habitum dicitur in conſpectu Ottonis Matiſconenſis comitis, & Gauſlini epiſcopi (qui Letbaldo ſucceſſit) ubi adfuit Humbertus præpoſitus eccleſiæ Cluniacenſis, cum quatuor aut quinque ejuſdem loci monachis, ad vindicandas monaſterio quaſdam poſſeſſiones, quas Raculfus ad ſe pertinere contendebat. Non aliud, ut puto, fuit placitum, in quo idem Humbertus cum aliquot aliis monachis apud Matiſconem coram Odone comite & Gauſlino epiſcopo conqueſtus eſt adverſus mulierem, quæ nonnulla apud Colongias, aliaſque ditionis Cluniacenſis villas invaſerat, quæ cauſa cecidiſſe dicitur menſe Octobri anno* MXIX. *quo circiter tempore Hugo epiſcopus Autiſiodorenſis dedit Cluniaco,* ubi Odilo abbas, *medietatem curtis de Givriaco in comitatu Divionenſi; idque pro anima Lamberti patris ſui, comitis ſcilicet Cabilonenſis, & matris ſuæ Adheleidis, de quibus agit Glaber Rodulfus. Alteram medietatem ejuſdem Hugonis ſoror, Mathildis dicta, ſimul cum viro ſuo Gaufredo, filiiſque Gaufredo, Herveo, Odone, Thetbaldo & Lamberto, pariter monaſterio contulit. Donationi ſubſcripſit idem Hugo ſimul cum Leothaldo epiſcopo Matiſconenſi. Idem Hugo in altera charta eamdem donationem confirmavit, cui cum eo ſubſcripſere Otto comes, Gauſlenus epiſcopus, Ugo vicecomes, Acelinus abbas & alii. Data eſt anno Incarnationis* MXIX. *& unctionis regis Roberti* XXXII.

37. *Anno* XVII. *Rodulfi regis, menſe Martio, proindeque anno* MXX. *Tetberga comitiſſa dedit manſum unum in loco, qui ad Camnium dicitur, in pago Lugdunenſi, pro Artaldi ſui ſenioris, id eſt mariti, ſalute & filiorum ſuorum Artaldi & Geraldi, qui donationi ſubſcripſerunt. Hoc ipſo anno Vuicardus Cluniaci exſiſtens monaſterio dedit capellam ſanctæ Mariæ apud Rocham in villa Quinciaco. quam donationem iterata charta donat anno* XXXIII. *Roberti regis, id eſt* MXXVIII. *ſi de monarchia intelligatur. Habentur in Chartario Cluniacenſi alia ejuſdem Vuicardi ſuorumque affinium charta, ſed abſque datis. Ipſius* Vuadiatores *donarum Odiloni abbati eccleſiam ſancti Martini in villa Vallis in pago Lugdunenſi.*

38. *Anno* MXXI. *Bernardus dedit Cluniacenſi monaſterio Silvam Auguſtam, in pago Matiſconenſi. Charta ſubſcripſit Otto comes, quæ data eſt Indictione* IV. *anno* XXXIV. *Rotberti regis, ex quo ſcilicet cum patre ſimul regnare cœpit. nam alias annum* MXXIX. *deſignaret, ſed diſſideret Indictio, niſi forte* XII. *pro* IV. *legatur. Anno* XXVI. *ejuſdem regis, qui cum anno Incarnationis* MXXI. *& præcedentis fine concurrit, data eſt Cluniacenſi monaſterio eccleſia beatæ Mariæ Bellimontis in comitatu Cabilonenſi, in fine Senoio.*

39. *Anno* MXXII. *ineunte, ſi quidem conjungitur cum anno* XXVIII. *Rodulfi regis, Ademarus monaſterio Cluniacenſi,* ubi Odilo abbas, *contulit eccleſiam villæ Teſtor, cum decimis, ſepulturis, primitiis, &c. ſubſcripſerunt ejuſdem Ademari filii Vuillelmus, Stephanus abbas, Vuido, Pontius, Armannus.*

40. *Anno* MXXIII. *Duo fratres, nobiles viri, Leodegarius & Pontius, ſæculo abrenuntiantes, dimidiam partem caſtri Altoni Odiloni abbati dederunt, cujus alteram partem monaſterio Cluniacenſi eorum pater jam antea contulerat. Charta data eſt anno Incarnationis* MXXIII. *feria* IV. *ante Aſcenſa Domini, regnante Rodulfo. Donationi conſenſerunt eorum fratres Feraldus & Petrus epiſcopi, Vapincenſis ſcilicet, ut quidem mihi videtur, & Siſtaricenſis, Arnulfus, Geraldus, Rodulfus & Rumbaldus. Eodem anno Gauſlenus epiſcopus Matiſconenſis quædam commutavit*

ANN. CH. MXLIX. I. JANUAR.

Digitized by Google

ANN. CH. MXLIX. I. JANUAR. *cum Odilone abbate in villa Lupiaco, in pago Matiſconenſi, deditque variis in locis aliquot vinearum raſcias. Cum Epiſcopo ſubſcripſerunt Vualterius præpoſitus & alii canonici, anno Incarnat.* MXXIII. *regnante Roberto.*

41. *Anno* XXXVI. *Roberti regis, qui ab inito cum patre regno intelligendus eſt, non enim tam diu ſolus regnavit, proindeque anno* MXXIII. *menſe Junio, Gibaldus dedit Odiloni abbati ſilvas, prata, terras & molendinum ſuper fluvium Abſonus, in diœceſi Auguſtodunenſi, in comitatu Avalenſi, in villa Martiniaco, Indictione* VIII. *qua tamen cum hoc anno non concordat. Subſcripſerunt Ermuinus epiſcopus (Auguſtodunenſis) Landricus comes, & Rainaldus ejus filius. Eodem Roberti regis anno,* XV. *Calendas Julii, luna* XIII. *dati fuerunt Odiloni abbati Cluniacenſi duo manſi in Villa-Francorum, in comitatu Matiſconenſi. Donationi ſubſcripſerunt Gauſlenus epiſcopus & Vvigo vice-comes.*

42. *Anno* XXVIII. *Roberti regis, menſe Martio, proindeque anno* MXXIII. *datur Odiloni abbati Cluniacenſi curtilus in villa Caſotis, in agro Salorniaco, in pago Matiſconenſi. charta ſubſcripſit Otto comes & data dicitur Indictione* XI. *qua cum ſupraſcriptis Chronologia notis non convenit, nec etiam cum ejuſdem Regis anno* XXVIII. *ſi computetur ab inito cum patre regno.*

43. *Anno* XXIX. *regis Roberti menſe Junio, ac ideo æra vulgaris anno* MXXIV. *Odilo abbas & monachi Cluniacenſes homini cuidam Hebræo, nomine Salomoni, dederunt unam vineam, unum pratum, & unam raxiam in villa Carniaco, in pago Matiſconenſi; & ipſe in commutationem dedit eis vineam in agro Fuſciaco, villa Molonaco. Suſcripſere Otto comes, Elizabeth ejus uxor, Gauſlenus epiſcopus & alii. Actum die Veneris, menſe Junio, Epacta* XV. *anno* XXIX. *Roberti regis.*

Robertus & Hugo reges.

44. *Ultra ejus annum* XXXI. *Chriſtiana ſcilicet æra* MXXVI. *quo Hugo junior Roberti filius exceſſit è vita, differri non poteſt charta, qua ambo illi Reges complures donationes variis temporibus monaſterio Cluniacenſi factas confirmarunt. Nullam habet datam in chartario Cluniacenſi.*

45. *Sub iiſdem Regibus Otto comes Matiſconenſis villas duas Cluniacenſi monaſterio dedit aut reſtituit, ut ipſe in charta loquitur,* pro anima patris mei Vvidonis, necnon & avi mei Ottonis cognomento Vvillelmi, & uxoris meæ, & filii mei Gaufridi, reddo ad locum Cluniacum villam, Aniſcum à priſcis dictam, in vicino Araris fluvii ſitam, quæ olim ex hereditate ſancti Vincentii (*eccleſia cathedralis Matiſconenſis*) ad meum Comitatum ab antiquis devenit, ſicuti jam ante comes Leotaldus atavus meus per teſtamentum præcepti Ludovici regis dederat Apoſtolo Petro & Clunienſibus monachis. *Donat etiam villam alteram priori contiguam, Aſnerias dictam, cum appendicibus, &c. Data eſt regnante Rotberto rege cum filio ſuo Hugone. Uxor Ottonis, cujus nomen in charta non exprimitur, fuit Elizabeth, quæ eodem Roberto regnante ſimul cum marito ſuo donavit monaſterio prædium quoddam in villa Fuſciaco, in pago Lingonenſi, in comitatu Ocherenſe. Denique Otto comes Odiloni abbati quaſdam res donavit in villa Camavata, in comitatu Matiſconenſi; item molendinum ſupra fluvium Graonam ſecus Rocam-cavernoſam. Subſcripſit Goſlenus epiſcopus.*

46. *Anno* XXXV. *Rodulfi regis, id eſt æra vulgaris* MXXVII. *aut ſequenti, data eſt Odiloni abbati eccleſia ſancti Georgii, ſita in villa-Domina. Item vinea ibidem, & una condamina in pago Gratianopolitano.*

47. *Anno* XXXVII. *Rodulfi regis Amedeus comes, filius Humberti comitis, ſimul cum uxore ſua Adalheida, dedit monaſterio Cluniacenſi,* ubi præeſt domnus pater Odilo, *eccleſiam ſancti Mauricii in villa Maltacena, & alia multa, reſervato ſibi ac ſucceſſoribus ſuis jure patronatus. Hæc charta habetur in Bibliotheca Cluniacenſi col.* 412. *ubi data dicitur anno* XXXVII. *regnante Rodulfo, Incarnationis Domini* MXXV. XI. *Kal. Novembris Luna* XX. *qui characteres chronologici non ſibi cohærent. nam annus* XXXVII. *Rodulfi regis anno* MXXIX. *vulgata æra menſe Octobri incœpit. Ceterum erga monachos Cluniacenſes in villa Maltacena degentes beneficus fuit idem Humbertus, ut patet ex duplici ejus charta apud Guichenonem in*

Digitized by Google

probationibus Hiſtoria Sabaudica, ubi multa confert eidem loco. Utraque caret data, ſed utrobique nominantur tres Humberti filii, ſcilicet Amadeus, Aymo, & Odo. ANN. CH. MXLIX. I. JANUAR.

48. *Anno* XLII. *Roberti regis, ex quo ſcilicet à patre in regni ſocietatem fuerat aſſumtus, ac proinde anno* MXXIX. *datus eſt monaſterio Cluniacenſi curtilus in villa Sarciaco in pago Matiſconenſi, Indictione* XI. *menſe Februario.*

49. *Anno* XXXIII. *ejuſdem regis, qui ſi de monarchia intelligatur, erit annus* MXXVIII. *aut ſequens, data fuit Cluniacenſibus capella ſancta Mariæ cum decimis, &c. in villa Quinciaco, in pago Lugdunenſi,* & tantum terræ juxta eamdem *capellam*, quod ſufficiat domui ædificandæ & officinis hortoque monachi. *Ad idem fere tempus revocari debet alia charta, qua dantur monaſterio Cluniacenſi ſeptem raſcia vinearum in pago Matiſconenſi, Roberto rege cum filio Henrico regnante. Anno* MXXVII. *Henricus regni ſocius à patre dictus eſt.*

50. *Anno* MXXXI. *Otto comes rogatus à Roberto priore Cluniacenſi, venit in Capitulum, ibique amortizavit omnia quæ eis data, vel ab iis comparata hactenus habebant in comitatu Matiſconenſi, ac ſilvam Cerviam, quam olim ſui ipſius anteceſſores monaſterio contulerant, confirmavit. Subſcripſerunt Otto comes, Gaufredus filius ejus, & Vvido filius Gaufredi comitis.* Actum Cluniaci III. Idus Auguſti, anno Incarnationis MXXXI. Indictione XIV. XXV. die poſt tranſitum Roberti glorioſi Francorum regis, anno quadrageſimo regni ipſius, qui eſt ſextus filii ejus piiſſimi domni Henrici, ex quo unctus eſt in Regem ſuper gentem Francorum & Burgundionum. *Labbeus habet, & quidem rectius,* die XXII. anno XLIV. qui eſt V. filii, &c.

51. *Eidem anno conſignanda videtur Charta ipſius Odilonis concedentis aliquam terram ſub cenſu Joſcelino clerico, & duobus ejus heredibus. Conſenſerunt alii monachi, ex quibus quinque poſt Robertum Priorem ſubſcripſerunt, tum poſt illos, Ugo abbas. Data eſt apud ſanctum Marcellum* VII. *Calendas Novembris, anno* I. *Henrici regis Francorum. Porro ejuſmodi chartis non plures quam quatuor aut quinque monachi ſolebant ſubſcribere; unam tamen præ manibus habemus, cui viginti monachi ſubſcripſere, ſed eſt abſque data.*

52. *Anno* MXXXII. *Indictione* XV. *feria* V. *infra paſchalem hebdomadam, Girbardus presbyter ad converſionem veniens, nonnulla contulit monaſterio, quæ tribus menſibus elapſis, Aia nobilis femina in præſtariam ſub cenſu trium ſolidorum obtinuit pro ſua ac filiorum ſuorum vita, acceptis ab ea quadraginta ſolidis,* mulo valente C. adjuncto uno bancale. *Subſcripſere Odilo abbas, Robertus prior, cum aliis quinque monachis, è quibus unus appellabatur Joſaldus, is fortaſſe qui beati Odilonis vitam conſcripſit.*

53. *Ante id tempus Berlio Miles dederat Odiloni abbati Cluniacenſi eccleſiam ſancti Germani confeſſoris, ſitam in pago Viennenſi, in agro Corſoriacenſi, in inſula inter Bulburum & Caruſium. charta nullam datam exhibet, ſed ei ſubſcribunt Leodegarius archiepiſcopus Viennenſis, atque Aymo epiſcopus* Belenſis, *id eſt Bellicenſis.*

54. *Cum hoc ipſo anno* MXXXII. *Rodulfus Burgundionum rex vitam finierit, viſum eſt huc referre aliquot chartas, quæ ipſo regnante, abſque alia temporis nota data paſſim occurrunt. Ex his eſt charta Vvigonis vicecomitis, qui ſimul cum Eufemia uxore ſua, filia Nardumi vicecomitis, dedit Odiloni abbati Cluniacenſi, regnante Rodulfo, terras in comitatu Lugdunenſi & Matiſconenſi, ſitas ſuper Ararim & Voïanam fluvios, in villa Konneuco. Hanc autem donationem fecit Vvigo pro anima patris ſui Berardi, & matris ſuæ Bliſmodis, ac fratris ſui Vvichardi. Item quidam Milites ſub eodem Rodulfo rege Cluniacenſi monaſterio dederunt eccleſias ſancti Johannis, ſancti Antonini & ſancti Leuterii, in comitatu Vindaſcenſi, in territorio Dimont, quas à ſeniore ſuo Vvillelmo comite (videlicet Provinciæ) & ejus uxore Lucia comitiſſa acceperant. Vvalterius archiepiſcopus Veſontionenſis altare & decimas eccleſiæ ſancti Stephani in villa Portenſi Cluniacenſibus monachis petentibus conceſſit, ſalvo eulogiarum & paratarum cenſu. Data eſt regnante Rodulfo, & conſenſerunt canonici, Decanus, Robertus abbas, &c.*

Digitized by Google

Ann. Ch. MXLIX. 1. Januar.

55. *Huc quoque laudare liceat chartam Ottonis-Vuillelmi, quod hanc ſolam clauſulam habeat* regnante Rodulfo rege. *nam cum ipſe Otto comes, anno* MXXVII. *& alii qui in ea habentur, longe ante Rodulfum regem obierint, non poteſt uſque ad extremos Rodulfi annos rejici. In ea Charta Otto cognomento Vuillelmus ait ſe diu aure ſurda prateriiſſe clamorem ſancti Maïoli & domni Odilonis ſucceſſoris ipſius, de duabus ſancti Petri Cluniacenſis poteſtatibus, Ambariaco ſcilicet & Juliaco. ſed declarat tandem eas ſe reſtituere ſimul cum omnibus ſilvis, villis, &c. ad eas pertinentibus. ſubſcripſere Otto, Rainaldus ejus filius, Otto, Gauſlenus epiſcopus, & Adſelinus abbas. Actum Ledoni regnante Rodulfo rege. In altero hujus Charta apographo habetur & alius Ottonis-Vuillelmi filius, nomine Vuido; & ipſe Otto Henricum Burgundia Ducem ſeniorem ſuum appellat, multaque ſubjungit atrocia maledicta in ſui beneficii violatores, ſi aliquando fuerint; quo ex loco chartam hanc ultra annum* M I. *quo Henricus Burgundia Dux fato functus eſt, differri non poſſe intelligimus.*

56. *Poſt Rodulfi regis obitum Ermengardis regina, ejus relicta, monaſterio Cluniacenſi*, ubi, *inquit*, præeſt domnus Odilo abbas, *donavit per advocatum ſuum, nomine Hubertum, duos manſos in pago Genevenſe; unum in villa Silvigiaco, alterum in villa Cicuilatis, cum omnibus ad eos pertinentibus caſis, caſalibus, vineis, pratis, &c. caret data.*

57. *Anno* MXXXVI. *Vuillelmus nobiliſſimus comes [Provincia], & ejus uxor Lucia, reddiderunt Cluniacenſi monaſterio*, ubi præeſt, *inquiunt*, domnus Odilo abbas, *hereditatem ſancti Maïoli, ſcilicet Diliadam & Septem-fontes in epiſcopatu Regenſi. Actum apud Podiiodolinum monaſterium, feria 2. anno Incarnationis* MXXXVI. *Indictione* V. *Chunone imperatore regnante anno decimo. Altera charta de eadem re ſic habet:* Duo fratres Provinciæ Comites, Gaufredus atque Bertrannus, vverpiverunt Deo & ſancto Petro Clunienſi in manu Odilonis abbatis Diliadam & Septem-fontes. *Teſtes fuere Raimbaldus archiepiſcopus, Feraldus epiſcopus, Petrus epiſcopus Sextericenſis, Franco epiſcopus, & alii multi nobiles viri. In altero apographo inter Feraldum & Petrum Sextericenſem ſubſcribit alius item Petrus epiſcopus, cujus ſedes non deſignatur; & charta data dicitur apud Serrianum-villam, feria* V. *Aſſcenſionis Domini, regnante Conone imperatore anno* X. *Porro Cono ſeu Chuno, in iſtis aliiſque ejuſmodi chartis memoratus, eſt Conradus imperator, cognomento Salicus, quem Rodulfus Transjurana Burgundia regni heredem inſtituit. Annum* MXXXVII. *prafert altera charta, anno item* X. *Cunonis imperatoris data, Indictione* V. *ſecundo Kalendas Novembris. In ea Pontius cognomento Valnerudis, & frater ejus Armannus, ac Roſtagnus conſobrinus eorum, dant monaſterio Cluniacenſi*, ubi præeſt Odilo abbas, *medietatem eorum qua habent in villâ Salabaldemari, in pago & epiſcopatu Dienſi.*

Cono ſeu Conradus imp. & rex Burgundiæ.

58. *Anno* MXXXVII. *Archimbaldus Vicecomes dedit domno Odiloni abbati eccleſiam ſancti Laurentii cum omnibus appendiciis in pago Matiſconenſi. Dedit quoque in pignus ſilvam Planacaſſaneam & manſum in villa Vigoſeto, donec reverſus fuerit ex Jeruſalem. Poſt reditum dedit & confirmavit donationem curtis Mommalardis, quam Hugo ipſius avus, & Artaldus ejus pater fecerant Cluniaco, modo tamen ipſe abſque herede moriatur. Actum apud Cluniacum anno* MXXXVII. *Indictione* V. *Henrico regnante. Vualterius epiſcopus & alii ſubſcripſerunt. Idem Archimbaldus biennio poſtea in eccleſia ſancti Laurentii monachos inſtituit, ut ſuo loco dicemus. Ejus vero uxor, nomine Beatrix, poſt ipſius obitum Cluniacenſibus, quibus tum Odilo præerat, dedit manſum unum in loco, qui dicitur Salſetum, in pago Lugdunenſi. Charta data eſt apud Cluniacum menſe Maïo, regnante Domino noſtro Jeſu-Chriſto.*

59. *Anno* MXXXVIII. *data dicitur charta donationis Odiloni facta unius curtilis, & trium raxarum de vinea in pago Matiſconenſi, in villa Maniſiaco, in agro Itgiaco,* III. *Idus Januarii, Indictione* V. *(qua cum anno ſupradicto non concordat) feria quarta, regnante* Chonone *imperatore. Ceterum cum hoc ipſo anno Conradus imperator filio ſuo Henrico Burgundia regnum dimiſerit, huc revocamus chartam, qua eodem Chunrado imperatore regnante, Odilone abbate, & Leutfrido*

Digitized by Google

comite, Richuinus & uxor ejus Lanzede dederunt monachis Cluvienſibus in pago & epiſcopatu Santenſe quartam eccleſiæ de Dombaſila & eccleſiæ de Gingivilla.

60. *Anno* VIII. *Henrici Francorum regis, qui, ſi de monarchia intelligatur, eſt annus* MXXXVIII. *aut ſequens, Hugo Autiſiodorenſis epiſcopus dedit Odiloni abbati eccleſiam ſancti Cyrici ſuper Graonnam, cum poteſtate & foreſte ad eam pertinente. Subſcripſere Robertus Dux & Johannes abbas. Actum Autiſiodori, dictante Jotſaldo.*

61. *Anno* MXXXIX. *data fuit monaſterio Cluniacenſi eccleſia ſanctæ Mariæ cum decimis, terris, ſilvis, &c. in villa Silviago, in pago Genevenſi. Et monachi inveſtiti fuerunt per funem ſigni eccleſiæ. Data eſt anno Incarnationis* MXXXIX. *Henrici regis primo. Qui quidem Henricus, ipſe eſt Conradi filius, Niger dictus, qui patri in Imperio & in regno Burgundiæ Transjuranæ ſucceſſit. Eodem anno Laco donavit Odiloni abbati Cluniacenſi tres* condaminas *ſitas in villa Silviago. Data eſt anno Incarn.* MXXXIX. *Indictione* VII. *regnante Henrico rege, filio Chunonis imperatoris, anno* I. *imperii ejus. Termini condaminarum in charta à quatuor ventis deſcribuntur. qua ſcilicet voce conſtat aliquam terræ portionem deſignari. Eamdem datam habet donatio Allodii, quod dicitur Germinata, in pago Genevenſi. Eodem anno Dundinus ſuſcipiens monachicum habitum* ſub norma ſancti Petri Cluniensis cœnobii, *ut ipſe loquitur, res ſuas monaſterio contulit anno Incarnationis* MXXXIX. *Indictione* VII. *Henrico rege anno* I. *Idem fortaſſe ipſe eſt Dundinus, qui in altero apographo Divus dicitur, ubi anno pariter* MXXXIX. & *Indictione* VII. I. *Henrici imperatoris filii Cunonis, monachus Cluniaci factus memoratur, & ſua apud Auſiacum villam monaſterio tradidiſſe.*

62. *Anno* MXL. *ſub rege Francorum Henrico, Vvigo filius Vvillelmi dedit Odiloni abbati de Cluniaco curtilum in villa Berziaco, in pago Matiſconenſi. Donationem confirmavit Gaufredus comes. Eodem anno Bernardus epiſcopus Caturcenſis, & Robertus ipſius frater, dederunt Odiloni abbati eccleſiam ſancti Saturnini de Carennaco. In altero Chartario habentur duæ ejuſdem Bernardi chartæ, donantis eamdem eccleſiam ſancti Saturnini cum omnibus ipſius pertinentiis, Odiloni abbati Cluniacenſi ordinandam. quibus chartis præter canonicos duo abbates, Stephanus & Albertus, ſubſcripſerunt; ſed ſunt abſque data. Porro Bernardus in iſtis chartis memoratus deſideratur in catalogis Cadurcenſium epiſcoporum, tum apud Cruceum, tum in Gallia Chriſtiana. Bernardus quippe ab iſtis auctoribus memoratus, jam tunc fato functus fuerat, cum iſtæ donationes factæ fuerunt. ſiquidem Deodatus, ſive Deuſdedit ejus ſucceſſor anno* MXXVIII. *interfuit dedicationi eccleſiæ ſancti Salvatoris apud Lemovicas, & anno* MXXXIV. *peroravit in Synodo* II. *Lemovicenſi. qui & anno circiter* MXL. *obiiſſe dicitur apud laudatos auctores.*

63. *Anno* XII. *Henrici Regis, qui, ſi de monarchia intelligatur, erit Incarnationis* MXLII. *Data fuit Odiloni abbati Cluniacenſi capella ſanctæ Mariæ de Bracmaco in pago Cabilonenſi, ſubſcripſerunt Theobaldus comes & alii.*

64. *Anno* MXLVI. *Hugo archiepiſcopus Chryſopolitanus confirmavit* Hugoni honeſto religioſo & clerico, *atque uniri permiſit eccleſiæ Laudonenſi, quam ipſe Hugo conſtruxerat & amplificarat, eccleſias ſanctæ Mariæ de Calx, ſancti Albini, ſancti Symphoriani cum omnibus earum appendicibus. Actum Biſuntii Indictione* VI. *Henrico regnante, anno* MXLVI. *ſed annus non concordat cum Indictione.*

65. *Pontius comes & Rotlandus miles donant loco Cluniacenſi,* ubi domnus Odilo præeſt abbas, *eccleſias ſanctæ Mariæ & ſancti Johannis cum decimis* & preſbyteratu toto, *& duodecim ſextaradis terræ, in loco qui dicitur Heron, in pago Trevis, in epiſcopatu Dienſi. Charta data eſt* anno X. Eyco rege, *an legendum Erico, ſeu Henrico? ſed etſi legatur Henricus, inquirendum ſupereſt an Rex Francorum, aut Imperator, qui Burgundiæ regno, ut jam diximus, tunc præerat, hic deſignetur. Difficile eſt hunc nodum abſque autographo ſolvere.*

66. *His ſubjicimus aliquot chartas ſub ſancto Odilone confectas, ſed ſine data. Ejuſmodi eſt charta Geraldi patris Armanni epiſcopi, ut puto, Vivarienſis, qui cum*

Digitized by Google

ANN. CH. MXLIX. I. JANUAR. *uxore ſua Valmode monaſterio Cluniacenſi*, ubi præeſt Odilo abbas, *donavit eccleſiam ſancti Johannis in villa Meiſſano, in epiſcopatu Vivarienſi. Harmannus ſeu Hermannus ineunte ſæculo undecimo Vivarienſem eccleſiam adminiſtravit. Aymo Petræfortis*, ſæcularem militiam gerens, *dedit cœnobio Cluniacenſi*, cui præeſt dominus Odilo abbas gregi principans, *villam ſitam in pago Gratianopolitano in comitatu Sarogenſi, cui nomen eſt Mons-Ermenoldi, cum omnibus quæ ad eam pertinere videntur, vineis, pratis, & campis. Subſcripſerunt Ubertus comes* [*Sabaudiæ*] *Amedeus filius ejus, Burcardus, Odo & alii apud Guichenonem in Probationibus Hiſtoriæ Sabaudicæ pag. 5. Anſedeus quidam dedit monaſterio Cluniacenſi eccleſiam ſancti Nazarii, cum altari & appendiciis omnibus & quatuor capellis juxta poſitis in agro Auguſtodunenſi, juxta Borbonium caſtrum, quam eccleſiam ab Hugone comite in beneficio tenebat. Dedit etiam eccleſiam ſancti Petri in villa Leuma, & capellam ſancti Prajecti ibidem, & eccleſiam ſancti Baudilii in Piſtithiano, &c. Subſcripſere donationi Hugo comes & Theobaldus comes. Item Rotbaldus marchio & Eimildis ejus uxor* Cluniaco, ubi eſt abbas domnus Odilo, *donarunt caſtrum Podium-Dolinum ex integro cum omnibus ſuis appendiciis, in comitatu Arauſico ſitum. Subſcripſerunt cum illis, Adalax comitiſſa & filius ejus Vuillelmus, Roſtagnus de Sabran, Vuillelmus vicecomes & alii. Tetha mulier monaſterio Cluniacenſi*, ubi præeſt Odilo abbas, *dedit Durannum clericum ſervum ſuum. Donationi conſenſerunt Vualterius epiſcopus, & Vuarulfus ejuſdem epiſcopi frater. Defuncto vero Odilone, ac in ejus locum electo Hugone, tunc apud ſanctum Marcellum in diebus Quadrageſimæ reſidente, prædictam donationem confirmarunt iidem Vualterius & Vuarulfus, & alius Vualterius ejuſdem Vuarulfi filius. Idem Vualterius confirmavit donationem à matre ſua Teſcenda factam de terra in villa Cueles, pro anima Vualterii fratris ſui Vuarulfi filii. Conſenſere ejuſdem epiſcopi nepotes Vualterius, Bernardus & Otto, præſente Hugone priore Cluniacenſi.*

Werpitionis modus. 67. *Singularis eſt Vuerpitio à Boſone facta de* comanda de Polliaco, *quam ideo huc deſcribendam curavimus ex apographo Cluniacenſi, ubi ſic habetur abſque ulla data.* Venit Boſo ad Placitum, ubi cum Geraldo comite erant nobiliſſimi homines, & juravit Boſo hoc ſacramentum ita dicens manu ſua propria: Ego Boſo, nec meus conductus, me jubente, homo, nec femina ad meam artem, nec ad meum ingenium, in Polliaco nec in ejus obedientia comandam non requiram, prenſionem nullam faciam de bove, vacca, &c. Et ſi ego vel meus conductus homo vel femina aliquam comandam vel prenſionem fecerit; poſt quindecim dies poſtquam ſciero, vel ad rationem miſſus fuero, per te, Geralde, vel per tuos miſſaticos, ſive per abbatem qui modo eſt, vel per ipſum qui inantea erit, vel per monachum qui ipſam obedientiam tenuerit, captam emendabo, & poſtea ad tuam miſericordiam, Geralde, veniam; ſive ad abbatem vel monachum, qui modo eſt vel inantea erit.

68. *Ibidem ſequitur charta abſque ulla temporis nota Rainaldi comitis, qui donat Cluniacenſi monaſterio curtim Belmontis, cum terris, villis & appendiciis, ſitam in pago Navernenſi, legendum forte Nivernenſi, pro anima patris ſui Landrici, matris ſuæ Mathildis, uxoris ſuæ Adviſæ & fratris ſui Vuidonis. Ipſe Rainaldus cum uxore ſua Adviſa & Vuillelmo eorum filio ſubſcripſit. Porro Landricus hic memoratus erga monachos quam bene affectus fuerit, colligi poteſt ex alia charta, quæ nullam quoque præfert temporis notam, in ea autem ſic loquitur:* Semper optavi monachis tranquillam vitam habere, & abſque impedimento vota ſua perſolvere; ideoque querelam, quam monachi Cluniacenſes cum Adeleide nobili femina habebant, de terra quam Antelmus frater ejus dederat eis in pago Auguſtodunenſi, in villa Fontinellulas componere, &c. *Subſcripſerunt Rainaldus Landrici comitis filius, Gauzfridus vir Adeleidis & ejus filii Gauzfredus, Robertus & Vualterius; & Adeleidis filii Girboldus, Obtrannus, Gauzfredus, Ugo, tum Hatevvis comitiſſa.*

69. Habentur

Digitized by Google

69. *Habentur in Chartario Celſiniacenſi, quod præ manibus habuimus, complures chartæ donationum ſub beati Odilonis regimine eidem loco factarum, ſed in quibus nulla fere occurrit data: nonnullæ ex his hanc clauſulam habent* quod regitur, *vel* ſub regimine beatiſſimi patris Odilonis. *pleraque ſunt pro obtinendo ſepulturæ jure. Ex his una eſt Hugonis de Vcione & Duranni Deibanio & aliorum, qui dant pro ſepultura Bomparis duas appendarias, &c. In alia Stephanus & Theotberga dant vineam in villa de Samniaco pro ſepultura ſua. Rotbertus presbyter dat quædam, ut ſi aliquando ei, permittente Domino, voluntas fuerit, ut monachus fiat, recipiatur; ſin autem & in loco moriatur, ibi obtineat ſepulturam. Vuillelmus dedit monaſterio Celſiniacenſi eccleſiam in honore beati Petri conſtructam, quæ vocatur Caſa-meiana cum manſis, appendariis, &c. ut remaneat beato Petro de Celſinianas* in advocatione ſancti Petri de Roma, ſine ullo contradicente, &c. *Denique, ut multos alios omittam, Bernardus de Turre cedit loco Celſiniacenſi*, qui regitur ſub gubernatione domni Odilonis abbatis, *multa in villa Plauſiaco, omnemque alodum*, quem, *inquit*, pater meus Geraldus in ipſa villa de Plauſiaco habebat, in ipſa die qua monachus fuit. *Unde patet famoſum illum Geraldum de Turre, quem illuſtriſſima hodiernorum Bullioniorum principum familia nominis ſui* de Turre *primum parentem agnoſcit, Cluniacenſi familiæ nomen dediſſe, quod & plerique ex ejus poſteris fecere, ut ex eodem Chartario diſcimus. Haud leviter prætereundum eſt, quod in aliquot ejuſdem loci chartis cum Odilone abbate Cluniacenſi memoretur alius Odilo, qui ſcilicet Celſiniacenſis monaſterii tunc erat prior. quare ſi quandoque occurrant chartæ Odilonis nomen præferentes, quarum Chronologici characteres cum ſancti Odilonis ætate non ſatis cohæreant, non ſunt ob id in dubium revocandæ, ſed tribuendæ Odiloni priori. Unam hujuſmodi chartam exhibere viſum eſt.*

Ann. Chr. MXLIX. I. Januar.

Odilo prior Celſiniacum.

In Dei nomine ODILO Clunienſis monaſterii indignus presbyter & negligens monachus, ODILO etiam Celſinienſis monaſterii præpoſitus, & ceteri fratres Deo ibidem ſervientes, Notum eſſe volumus præſentibus & futuris, quia illud prædium quod bonæ memoriæ vir nobilis, nomine Euſtorgius, contulit Deo & ſanctis Apoſtolis, & monaſterio Celſiniacenſi, non potuimus retinere firma pace, niſi Rotbertus avunculus ejus, vir nobilis & catholicus & decanus Arvernenſis eccleſiæ, dignaretur & donum nepotis ſui confirmare, & ex ſua parte concedere, quod & fecit ſua benevolentia & dulciſſima caritate. Idcirco gratiam pro gratia duximus eidem reddere, ſicut ipſe ſtuduit humiliter quærere, rogans & obſecrans, ut ſuſciperemus eum in ſocietate fratrum noſtrorum, & patrem ejus & matrem & fratres, eorumque parentes. Nos vero ad votum ejus & deſiderium adtendentes, eos in noſtra ſocietate & fraternitate ſuſcepimus, optantes, orantes & obſecrantes, ut in omnibus quæ agere vel dicere potuerimus nos & omnis noſtra fraternitas, intercedente beato Petro apoſtolo & omnibus ſanctis, partem eis & ſocietatem concedat omnipotens Dominus, ut & vivis ſpatium pœnitentiæ & indulgentiam peccatorum concedat, & defunctis requiem & vitam conferat ſempiternam. Si ille ſenior domnus Robertus monaſtico ordini ſe ſociare voluerit, orando præcipimus, & præcipiendo rogamus, ut cum caritate ſuſcipiatur, & cum honore & reverentia tractetur. Si ſepulturam in noſtro loco habere voluerit, ibi ſepeliatur, ubi ipſe juſſerit.

V. Varia monaſteria per ſanctum Odilonem inſtituta, aut reſtituta, ſive reformata.

70. *Quæ monaſteria anno* CMXCVI. *Cluniacenſium abbatum juriſdictioni eſſent ſubjecta, diſcimus ex bulla Gregorii V. pontificis maximi, in Bullario Cluniacenſi relata pag.* 10. *in qua non ſolum variæ poſſeſſiones ad monaſterium iſtud nobiliſſimum pertinentes, ſed etiam cellæ, ſeu ut vocant prioratus, ab eo pendentes ſin-*

Digitized by Google

Ann. Ch. MXLIX. I. Januar.

gillatim recenſentur. Ex iis cellis nonnulla ſub beati Odilonis regimine, alia vero longe antea monaſterio Cluniacenſi ſubjecta fuerunt; de iis ſolummodo hic agendum, quæ Odilonis tempore Cluniacenſibus attributa ſunt. quas ſervato chronologico ordine, quantum ex antiquis monumentis fas erit, recenſebimus.

Monaſterium Magabrenſe.

71. *Ex Bulla Gregorii V. quam modo laudavimus, patet Magabrenſe monaſterium jam anno* CMXCVI. *Cluniaco aggregatum fuiſſe, at quo id anno factum fuerit non liquet. quamquam certi ſumus id tempore beati Odilonis contigiſſe, uti diſcimus ex Walterii Æduenſis epiſcopi charta, ubi occaſionem & rationes iſtius unionis faciendæ ipſemet exponit; hanc ipſam ex vetuſto exemplari, ab annis circiter quingentis exarato, proferimus integram.*

Omnibus Chriſticolis ſub norma Catholicæ fidei degentibus notum eſſe volumus, quoniam ego in Dei nomine Valterius gratia Dei Eduorum epiſcopus, de rebus eccleſiæ mihi à Deo commiſſæ cogitans, quantum divina majeſtas meæ poſſibilitati largiri dignabitur, colligere diſperſa, & conſervare congregata; neceſſarium duxi adire conſilium domni Odilonis abbatis Cluniacenſis cœnobii, & domni Viviani, ceterorumque fratrum ſupradicti monaſterii, de quodam noſtro monaſterio, vocabulo Magabrenſe, quod eſt in honore ſancti Martini conſecratum, anteceſſorum noſtrorum temporibus, non ſolum regulari ordine, ſed etiam pæne omni utilitate deſtitutum, reſtaurare cupiens ipſum in priſtinum monaſticæ religionis gradum. Ideoque hoc feci, quoniam nullum aliud tam ſalubre conſilium invenire me poſſe credidi, quam ut peterem ſubſidium à ſupradicto domno Odilone Cluniacenſis cœnobii abbate, & à venerandis ejuſdem loci Patribus, ſub eo regulari tramite degentibus; atque jam dictum Magabrenſe cœnobium eorum traderem dominationi gubernandum. Illi itaque noſtris precibus aſſenſum præbentes, prout poſſibilitas loci erat, idem monaſterium regulariter diſponere cœperunt, fratres ibi omnipotenti Deo ſerviturος ordinantes. Ceterum vero noverint cuncti tam præſentes quam futuri, quoniam ea intentione hoc agere cœpi, quatenus amor & ſocietas ſupradicti Cluniacenſis loci, ſicut tempore venerandæ memoriæ domni Maïoli abbatis noſtro loco caritatis vinculo conligata permanſit, ſic etiam cuncto in perpetuum tempore inconvulſa & firma permanere poſſit. Idcirco jam dictum Magabrenſe monaſterium trado fratri noſtro domno Odiloni abbati & ſucceſſoribus ejus, cœnobioque Cluniacenſi in perpetuum regendum & regulari ordine diſponendum, per conſilium noſtrorum clericorum, & ceterorum nobis à Deo commiſſæ eccleſiæ filiorum: ea ratione, ut ſuperius dixi, ut ſocietas noſtri loci & Cluniacenſis cœnobii per ſuccedentia temporum ſpatia ſemper ſit caritatis vinculo conligata & conjuncta, atque ibi omni tempore tam vivorum quam defunctorum eccleſiæ nobis commiſſæ clericorum agatur memoria digna. Similiterque eorum memoria in noſtra celebretur eccleſia. Hoc vero agens non ut videar, quod abſit, loci mihi commiſſi deſtructor, jam dictum monaſterium non à poteſtate ſucceſſorum meorum & ſanctæ eccleſiæ Auguſtudunenſis aufero, ſed potius ita ordinare diſpoſui, ut Clunienſis abbas & ſucceſſores ejus, fratreſque ipſius loci per conſilium noſtrorum ſucceſſorum epiſcoporum & canonicorum regulariter ordinent, teneant & poſſideant. Ipſique noſtri ſucceſſores Epiſcopi & canonici per noſtram deprecationem & obſecrationem hanc noſtram deſcriptionem ſua pontificali dignitate & auctoritate, & ut noſtri voti participes ſint, rogamus & deprecamur, ut ſemper in melius corroborent & confirment, & ſecundum Dei omnipotentis voluntatem & hujus noſtræ deſcriptionis congruam diſpoſitionem gubernent & regant, & ipſius loci, ut dignum eſt, ſemper ſint advocati, & contra adverſitates malorum hominum adjutores fortiſſimi. Hoc vero ſtatuimus & omnino contradimus, ut nullus noſter ſuc-

Societas Cluniaci cum eccleſia Æduenſi.

Digitized by Google

ceſſor Epiſcopus, neque aliqua alicujus poteſtatis perſona, aliquem ibi abbatem aut præpoſitum ordinare præſumat ſine licentia & voluntate ſupradicti abbatis Cluniacenſis & ſucceſſorum ejus. Cluniacenſis quoque abbas & fratres ipſius loci, & ſucceſſores eorum, ipſum jamdictum cœnobium cum conſilio noſtrorum ſucceſſorum epiſcoporum & canonicorum, videlicet bonorum Chriſtoque devote famulantium, ordinent & diſponant. Hanc vero noſtram deſcriptionem diſpoſuimus roborare, & Romanæ auctoritatis privilegio, & regali præcepto. VValterius peccator epiſcopus. *In altero hujus chartæ apographo cum VValterio peccatore epiſcopo, ut hic dicitur, ſubſcripſiſſe memorantur Humbaldus abbas, Hemericus abbas, Autus præcentor, & Anſcherius archidiaconus.* Ann. C H. MXLIX. I. Januar.

72. *Rodulfus vir nobilis condidit monaſterium Beracenſe, quod propriis poſſeſſionibus dotavit. Fundationis occaſionem ipſemet Rodulfus exponit his verbis.* Ego igitur in Dei nomine RODULPHUS, audiens quotidie per ſacrarum Scripturarum auctoritatem male agentibus minari pœnas, & juſte operantibus promitti ſidereas manſiones, deſiderans invenire aliquod confugium, ubi poſſim declinare inſidias meorum peccaminum; nullum tam ſalubre potui reperire conſilium, quam ſi ædificarem juxta poſſibilitatem meam, aliquod monaſterium monaſticæ religioni aptum, ubi quotidie Deo & Sanctis ejus congruum exhiberetur ſervicium. Ad hoc tamen agendum & perficiendum, ad Paterniacenſe monaſterium, venerabilis ODILONIS abbatis cœnobii Cluniacenſis, fratrumque ibi degentium ivi expetiturus auxilium: quorum conſilio confortatus, anno ab Incarnatione Domini CMXCVIII. quinto videlicet anno Rodulphi regis nobiliſſimi, convocavi domnum Aindricum Lauſanienſis eccleſiæ præſulem, ad dedicandum ipſum monaſterium, qui ut eſt bonus & nobilis, benigne & nobiliter noſtrum adimplevit deſiderium. Eſt autem ipſum monaſterium ſuper ripam laci Everdunenſis ſitum, in epiſcopatu videlicet ſanctæ eccleſiæ Lauſanenſis in comitatu VValdenſi, in honore ſancti apoſtoli Petri dicatum. Hoc autem monaſterium dono Deo & ſancto Petro. Concedo etiam ipſi monaſterio has terras, &c. *In altero hujus chartæ apographo Epiſcopus Lauſanenſis hic memoratus appellatur Amedeus, ſed retinenda eſt noſtri exemplaris lectio. Is eſt enim Henricus, (quod nomen aliquando* Aindricus, *ſeu* Ainricus, *in veteribus chartis ſcriptum legitur) qui eccleſiam Lauſanenſem ſæculo decimo exeunte adminiſtrabat.* Monaſt. Beracenſe.

73. *Iiſdem ferme temporibus ſancto Odiloni data creditur eccleſia ſancti Mauricii de Maltacena, alias de Burgeto, ubi monachi Cluniacenſes fuerunt inſtituti, ut patet ex variis Humberti comitis, & Amedei ejus filii donationibus poſtea factis, quæ in probationibus hiſtoriæ Sabaudicæ à Guichenone editæ ſunt. Habetur in Bibliotheca Cluniacenſi col.* 412. *charta Rodulfi regis ea de re anno* MXXIV. *data.* Maltacena.

74. *Ad idem tempus, ut mihi quidem videtur, revocari poteſt monachorum inſtitutio apud ſanctum Victorem in urbe Genevenſi. Erat quippe tunc celebris eccleſia illa ſancti Victoris, quam* antiquam & nobilem *appellat auctor Vitæ ſancti Odilonis: & quidem in Fredegarii Chronico cap* 22. *conſtructa dicitur à* Sedeleuba regina in ſuburbano Genavenſi. *quæ Seleuba ſoror fuit Chlotildis uxoris Clodovei magni, Chilperici Burgundionum regis filia. Hanc autem eccleſiam paucis ante id tempus annis viſitans Adhelais imperatrix, pæne deſolatam repererat: quod ægre ferens, Hugoni ejuſdem civitatis epiſcopo perſuaſit, ut tam venerabilem locum, monaſticæ religioni inſtituendæ aptiſſimum, haud negligenter tractaret. Votis Auguſtæ favit corporis beati Martyris inventio, quæ tunc temporis contigit. Ejus quippe ſacra membra, quæ diu latuerant, neſcio quo caſu detexit memoratus antiſtes, eaque præſente Rodulfo rege, cum ejus uxore Egildrude aliiſque aulæ primoribus, Epiſcopis & comitibus, ſollemni pompa, ſub ara ejuſdem baſilicæ reverenter collocavit. At non erant ſatis amplæ loci facultates, ut ibi abbas inſtitui poſſet, quare* memorandum, Monaſt. S. Victoris Genevæ.

Digitized by Google

ANN. CH. MXLIX. I. JANUAR. *verba ſunt ipſius Hugonis epiſcopi in charta quam ea de re confecit*, Clunienſis cœnobii abbatem Odilonem ad hoc peragendum evocavi, & permiſſione domni Rodulfi regis, conſenſu etiam fratris ejus Burchardi Lugdunenſis archiepiſcopi, ceterorumque Comitum & nobilium virorum hortatu, prædictum locum ſancti martyris Victoris ejus ordinationi commiſi.... ut prædictus locus in perpetua valeat manere religione, & inter noſtros ſucceſſores, Clunienſiſque cœnobii abbates caritas excellentiſſima firmetur, & apud illos noſtra memoria ſpecialiter obſervetur, &c. *Charta hæc, quam Guicheno in Bibliotheca Sebuſiana centuria* I. *num.* 13. *edidit, eſt abſque data, quam proinde varii variis annis conſignarunt. Hugonem epiſcopum Genevenſem hic memoratum anno* CMXXX. *vixiſſe ex iſta charta inferunt Sammarthani fratres in catalogo Genevenſium antiſtitum; at vel ex hoc eos allucinatos fuiſſe evinci poteſt, quod Odilo, cui hac occaſione commiſſa dicitur fuiſſe ſancti Victoris eccleſia, nonniſi anno* CMXCII. *aut præcedenti, in regiminis conſortium à beato Maïolo fuerit adſcitus. Eamdem anno circiter* MXIX. *datam fuiſſe conjicit Guicheno. Si tamen falſa non ſit data charta Rodulfi regis in Bibliotheca Cluniacenſi col.* 411. *relata, anno* MXIX. *Agiltrudis prima Rodulfi uxor, quæ in charta pro ſancto Victore memoratur, defuncta jam erat. nam ipſe Rodulfus, uxorem ſuam ibi Iraiſindam appellat. Et tamen Rodulfus ad uxoris ſuæ Agiltrudis, & fratris ſui Burchardi epiſcopi, necnon & Odilonis abbatis preces, omnia Cluniacenſis monaſterii privilegia à prædeceſſoribus ſuis conceſſa confirmaſſe dicitur in diplomate, quod anno* CMXCVIII. *datum dicitur. Unde ſatius viſum eſt ad priores ejuſdem regis annos prædictam ſancti Victoris donationem revocare.*

Aureæ-vallis ſeu Paredi monaſterium.

75. *Anno* CMXCIX. *Hugo Autiſiodorenſis epiſcopus & comes, ſcilicet Cabilonenſis, monaſterium Aurea-vallis, alias Paredum, jam antea à Lamberto comite ipſius patre, cooperante ſancto Maïolo ædificatum, ſed quod ſub proprio abbate eſſe debebat, monaſterio Cluniacenſi penitus ſubjecit, ut patet ex ejus Charta, quam ex autographo edidit Peraldus in collectione chartarum Burgundicarum pag.* 166. Data eſt menſe Maïo, Indictione XII. anno Incarnationis Domini DCCCCXCIX. Roberto rege anno IV. regni ejus. Udebaldus, licet indignus ſacerdos & monachus ſcripſit. *Actum in ſuburbio Cabilonenſi, cœnobio beati Marcelli in præſentia regis Roberti, qui tamen ipſe non ſubſcripſit, quamvis cum Hugone ſubſcripſerint Henricus dux, & alii comites ac viri nobiles, ex quibus Rodgerius & Raynaldus epiſcopi fuere. Porro ejuſdem chartæ exemplar habemus, cujus ope ſuppleri poſſunt aliquot verba, quæ in autographo Peraldus legere non potuit, quod proculdubio nonnullis in locis detritum præ vetuſtate fuerat. In eodem noſtro apographo* Ainricus *pro* Henricus *ſcribitur, quod in veteribus chartis paſſim occurrit, mater quoque Hugonis epiſcopi non* Adellerdis, *ſed* Adelaydis *dicitur, quod etiam aliunde nobis compertum eſt; & qui inter ſubſcribentes apud Peraldum* Marcius comes, *in noſtro* Mauricius comes *appellatur. Quin & in eodem exemplari noſtro Hugo mentionem facit donationis eccleſiæ ſancti Marcelli, à Gaufredo matris ſuæ marito olim ſancto Maïolo factæ. Sic enim poſt hæc verba*, donationis fiat, *habet charta.* Eodem

Monaſt. S. Marcelli Cabilon.

etiam voto & deſiderio, conſilio & auctoritate ſupra memoratorum principum & Epiſcoporum roboratus, tradit jam dictus Apoſtolis ac præfato Abbati, fratribuſque ſibi commiſſis, prælibatum Cluniacenſe cœnobium incolentibus, necnon ſucceſſoribus illorum in perpetuum, locum ſancti Marcelli in ſuburbio Cabilonenſi poſitum, ſcilicet ubi ipſe idem ſanctus Martyr requieſcit corpore, cum omnibus ad ſe pertinentibus, ſicut olim à Gauffredo comite, matris ejuſdem præſulis conjuge, ſancto Maïolo ſuiſque ſucceſſoribus fuit commiſſum, ad poſſidendum & ordinandum, atque diſponendum jure perpetuo ſine alicujus contradictione. Placuit autem huic teſtamento, &c. *ut in editis. quam additionem ſpuriam non eſſe patet ex Charta Theobaldi comitis Cabilonenſis, Hugonis noſtri nepotis, in qua ille teſtatur monaſterium ſancti Marcelli à Gaufredo comite, qui Adheleidem Lamberti avi ſui*

Digitized by Google

relictam uxorem duxerat, ſancto Maïolo commendatum fuiſſe, conſentientibus Adheleide, & Hugone tum clerico, poſtea Epiſcopo. Poſtea, *inquit*, regnante sereniſſimo rege Roberto, avunculus meus domnus Hugo comes & epiſcopus, præſente ipſo Rege, comitibus & epiſcopis iſtius patriæ, ſupradicti monaſterii donum tradidit domno Odiloni abbati, ſucceſſori abbatis Maïoli, &c. *quam donationem confirmat ipſe Theobaldus, cujus charta ea de re integra edita eſt Sæculo ſuperiori pag. 772. Porro monaſterii Aureæ-vallis ſive Paredi donationem Cluniacenſibus factam confirmavit Robertus rex Francorum, ut obſervavit Andreas Ducheſnius in Notis ad vitam beati Hugonis, quæ habentur in appendice Bibliothecæ Cluniacenſis, col. 93. ſed & idem Hugo epiſcopus & comes villas de Vivens & de Moncello atque alia quædam bona eidem monaſterio contulit, ut patet ex alia ejus charta anno* XX. *Roberti regis data.* ANN. CHR. MXLIX. I. JANUAR.

76. *Hoc ipſo anno* CMXCIX. *Otto III. Imperator monaſterium beatæ Mariæ apud Papiam, quod vulgo Cella ſancti Maïoli appellabatur, Cluniacenſi monaſterio confirmavit. Diploma hac de re confectum habetur in Bibliotheca Cluniacenſi col. 409. Hic vero* locus nobiliſſimus *dicitur in vita ſancti Odilonis, &* multum *ab eodem ſancto viro* adauctus. S. Maria Papiæ.

77. *Anno* XV. *Roberti regis, menſe Septembri, proindeque anno æræ vulgaris* MXI. *ſi de monarchia intelligatur, Vvido nobilis vir monaſterium Thiernenſe à* ſuis parentibus quondam ſæculariter poſſeſſum *Cluniaco ſubjecit, aſſentiente Petro ejuſdem loci abbate, cui toto vitæ ſuæ tempore reſervata ſunt abbatis jura & prærogativa. De reliquiis ſancti Symphoriani in altari eccleſiæ Thigernenſis reconditis agit Gregorius Turonenſis lib. 1. de Gloria Martyrum cap. 52. De Geneſii martyris Inventione ibidem facta capite 67. ejuſdem libri.* Thiernum.

78. *Eodem ſæculo undecimo ineunte, ſed incertum quo anno, contigit monaſterii apud Valentiolam in epiſcopatu Regenſi erectio. Huic occaſionem dedit donatio curtis in eodem loco, cujus meminit Gregorius V. in bulla jam à nobis laudata. cum enim ipſam monaſterio exſtruendo aptam judicaſſet beatus Odilo, hanc licentiam ab epiſcopo petiit & obtinuit, ut patet ex veteri Notitia, quam ex chartario Cluniacenſi deſcriptam habemus, ubi hæc leguntur:* Odilo abbas mittit monachos ad ALMERADUM Regenſem epiſcopum, qui poſtularent licentiam monaſterii ædificandi juxta eccleſiam in honore almi confeſſoris Maximi antiquitus conſecratam in villa Valentiola. Cui conſenſit, decrevitque, ut nulla perſona habeat dominationem aut conſuetudinem in dicto loco, atque fratres ibi commorantes poſſent, quæ à fidelibus offerrentur accipere. *Nulla eſt appoſita data, ſed ex eo conjicimus Almeradum ſæculi undecimi initio eccleſiæ Regenſi præfuiſſe, quod Lirinenſi monaſterio, cui tunc Vvarnerius abbas præerat, aliquot bona contulerit. Vvarnerius quippe in Lirinenſis monaſterii regimine ſanctum Odilonem præceſſit. Idem Almeradus, ſeu, ut ibi ſcribitur, Helmeradus, in charta quadam, agente domno Vvarnerio Cluniacenſi præpoſito, agnovit coram reliquiis in imagine ſancti Petri contentis ſibi decimas proprii laboris non deberi in terris Valentiolæ, & aliarum poſſeſſionum à Cluniaco pendentium. Charta data eſt in ipſa eccleſia Valentiolæ, ſed eſt abſque data, ſicut & tertia, ubi idem Antiſtes ſancto Odiloni dimittit annuos quoſdam redditus, quos eccleſia Valentiolæ ſolebat Epiſcopo ſolvere. Denique Archimbertus quidam & Pontius filius ejus Cluniacenſibus monachis dimiſere, quidquid ſui juris in villa Valentiolæ, &c. eſſe contendebant. Hoc actum eſt in concilio quod fuit in* căpŭ; *ſic habet noſtrum apographum, an legendum* campo, *aut* capitulo? *ſancti Romani, præſente Joſcelmo epiſcopo, & aliis quampluribus in epiſcopatu Fricdunenſe. Annus non exprimitur: quis vero ſit epiſcopatus Fricdunenſis, cui iſte præfectus fuerit, nos latet; niſi forte legendum ſit Forojulienſi, cui eccleſiæ circa hæc tempora præerat Gaucelmus ſive Gocelinus, qui multa bona Lirinenſi monaſterio contuliſſe dicitur.* Valentiola.

79. *Anno* MXXII. *Odilo Lirinenſe monaſterium regendum ſuſcepit, eique præfuit ad annum* MXXVIII. *quo in ejus locum ſuffectus eſt Amalricus, ut diſcimus* Lirinenſe.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXLIX. I. Januar.

ex duobus chronicis mſſ. quæ penes nos habemus, quorum chronicorum ope emendandus eſt Vincentius Barralis ejuſdem loci monachus, qui Odilonem Lirinenſi inſula paullo poſt ſancti Maïoli obitum præfectum fuiſſe ſcripſit in Chronologia ſanctorum Lirinenſium. Duas idem auctor chartas refert, quæ Odilone Lirinenſi abbate datæ ſunt: ſed nullam habent temporis notam, ſicut nec in Bibliotheca Cluniacenſi, ubi iterum editæ habentur.

Juliacum.

80. *Varias vices paſſa eſt Juliacenſis eccleſia, unde difficillimum eſt tempus aſſignare, quo tempore à monachis Cluniacenſibus primum inhabitata fuerit. Certe jam ſupra laudavimus chartam Ottonis cognomento Vuillelmi Burgundiæ ducis, datam regnante Rodulfo; in qua poſtquam faſſus fuiſſet ſe Maïoli & Odilonis abbatum voces ſurda aure diu audiviſſe, compunctus tandem Juliacum reſtituiſſe dicitur.*

81. *Verum poſt factam Cluniacenſibus Juliaci reſtitutionem ab Ottone Vuillelmo, eumdem locum nonnulli ſæculares viri ſibi attribuere tentaverunt, quorum conatus nonniſi alterius terræ largitione retundere potuit comes Raynaldus Ottonis filius. Id probamus ex veteri notitia, quæ in chartario Cluniacenſi habetur his verbis.* Otto comes, qui cognominatur Vuillelmus, reddidit monachis, in famoſiſſimo cœnobio Clunienſi Deo ſervientibus, poteſtatem, quæ dicitur Juliacus. Longo tempore tranſacto ſurrexerunt Aymo & Otbertus filii Aldonis, proclamantes eam poteſtatem ſuam hereditatem eſſe: ſed hæc calumnia ceſſavit in præſentia Raynaldi comitis filii ſupradicti Vuillelmi, qui pro hac calumnia dedit præfatis Aymoni & Otberto aliam quamdam poteſtatem, quam ſuſceperunt, & querelam depoſuerunt. S. Raynaldi comitis. S. Adheleidis uxoris ejus. S. Azelmi abbatis de Monte-ſancti-Johannis. Acta ſunt hæc apud caſtrum Divionenſe anno MXXII. Indictione VI. Rotberto rege Francorum. *Nondum tamen anno MXXII. defunctus erat Otto-Vuillelmus: ſed error eſt librarii. Utriuſque vero reſtitutionis meminit Robertus Burgundionum Dux in veteri quadam notitia, ex eodem chartario, tempore Henrici regis fratris ſui data. in qua quidem notitia teſtatur Robertus Vuillelmum ejuſque filium Raynaldum, auctoritate & juſſu patris ſui Roberti regis, Juliacum Cluniacenſi monaſterio reſtituiſſe, cum conſenſu Hugonis comitis Cabilonenſis aliorumque virorum* nobilium utriuſque militiæ, *quod ipſe confirmat & corroborat.*

Volta.

82. *Anno* MXXV. *beatus Odilo monaſterium Volta in paterno fundo conſtruxit. Hoc enim, quod à fratribus ſuis ante complures annos promiſſum fuerat, nec ſatisfacere potuerant, ipſe cum nepotibus ſuis, eorum filiis, adimplevit. Exſtat etiamnunc, ut teſtatur Andreas Ducheſnius in notis ad Vitam ſancti Odilonis, append. Bibliotheca Cluniac. pag. 74. verſus ſupra januam eccleſiæ ejuſdem loci, quâ aditus eſt ad clauſtrum inſculptus, qui hæc indicat paucis iſtis verbis.*

Hoc tibi Rex regum ..... condidit Odilo templum.

Verum totam rei geſtæ ſeriem exponit ipſemet ſanctus Abbas in inſtrumento fundationis, quod ſupra paragrapho ſecundo integrum dedimus.

Monaſt. S. Johannis Molgonenſis.

83. *Circa hæc tempora Kadolenus vicecomes cum uxore ſua & filio Vuillelmo dedit monaſterio Cluniacenſi locum, qui dicebatur Sancti-Johannis de Molgone, cujus rei complura inſtrumenta exſtitiſſe colligimus ex variis notitiis, quæ in Cluniacenſibus chartariis ea de re habentur. Hæc donatio facta fuit* regnante Roberto rege & præſidente Aquitanis Vuillelmo Duce, menſe Maïo. *Ei ſubſcripſit Iſembertus epiſcopus Pictavienſis, qui ſeſe* pontificem Aquitanorum *appellat, & cum eo Jordanis epiſcopus Lemovicenſis & Roho Encoliſmenſis. Item Joffredus & Acfredus vicecomites, tum Vuillelmus de Partenaco. Nuſquam vero Kadolenus ſubſcripſiſſe legitur, quod fortaſſe nonniſi poſt ipſius mortem inſtrumenta hujus rei confecta fuerint.*

Monaſt. Sarianenſe.

84. *Non liquet quo tempore incœperint monachi domum de Sariano inhabitare. Initia ſua debet Leodegario cuidam monacho Cluniacenſi, qui ibi proprio labore eccleſiam conſtruxit. qua dotata, factum eſt ut ibi monachi inſtituerentur. Dicata eſt eccleſia à Regimbaldo Arelatenſi archiepiſcopo, qui anno circiter* MXXXI. *huic eccleſiæ præeſſe cœpit. Hæc diſcimus ex veteri quadam notitia, quam penes nos habe-*

Digitized by Google

mus, in veteribus membranis deſcriptam, ubi præmiſſa brevi formula hæc leguntur: Quidam Dei famulus, nomine LEODEGARIUS, Clunienſis monaſterii frater & monachus, in villa, quæ vocatur Sarrianis, quam Vvillelmus quondam Dux Provinciæ & pater patriæ, ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli & monaſterio Clunienſi & loco in quo ſe ſepeliri rogavit, & beato Maïolo adhuc in carne vivente & vivens delegavit, & moriens donando attribuit, eccleſiam conſtruere ſtuduit, & eam conſecrare & dedicare rogavit à domno & venerabili Regimbaldo Arelatenſium archiepiſcopo, ad honorem Dei & memoriam Dominicæ & victorioſiſſimæ crucis, & ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli, & beati Marcelli papæ & martyris, & beati Saturnini martyris inclyti, & omnium ſanctorum viventium & regnantium cum capite ſuo Chriſto per omnia ſæcula ſæculorum. Donat etiam ſupradictus frater ſupradictæ eccleſiæ die conſecrationis ſuæ manſum unum, ad ſuſtentationem & utilitatem per ſuccedentia tempora inibi Deo ſervientium. *Et in fine abſque ulla cujuſquam ſubſcriptione habetur hæc clauſula:* Valeant cuncti fideles hujus noſtræ operationis laudatores. ANN. CH. MXLIX. I. JANUAR.

85. *Anno* MXXIX. *Rodulfus Burgundiæ Transjuranæ rex ad petitionem Reinoldi comitis, filii Ottonis cognomento Vvillelmi, conceſſit Cluniacenſibus monaſterium Vallis in diœceſi Veſontionenſi ſitum, confirmatque ei omnia, quæ tam ab Ottone-Vvillelmo, quam à Reinoldo ipſius filio collata fuerant. Chartam integram refert Perardus, pag.* 177. *quæ data eſt Logis anno* MXXIX. *Rodulfi regis* XXXV. *Ibi dicitur* monaſterium in honore Dei & Salvatoris noſtri Jeſu-Chriſti, ejuſdemque genitricis Mariæ, ſanctique Petri apoſtoli, necnon & beati Nicolai almi confeſſoris conſtructum, ſitum in epiſcopatu Biſoncionenſi juxta Polliniacum, in loco qui recte Vallis vocatur, conſtructum. *Porro monaſterium iſtud ab Ottone-Vvillelmo à fundamentis ædificatum fuiſſe diſcimus ex charta Hugonis archiepiſcopi Veſontionenſis, ubi confirmat donationem deciniarum, oblationum, ſepulturarum, capellarum, &c. in villa, quæ dicitur Medialanum; & capellæ ſancti Victoris apud Madriacum, à Vvalterio prædeceſſore ſuo factam eccleſiæ loci Vallis, quam, inquit, Otto-Vvillelmus conſtruxerat, & ipſe Vvalterius in honorem beatæ Mariæ conſecraverat. In alio apographo hæc omnia intercedente Odilone abbate conceſſiſſe dicitur ipſe Hugo. Data eſt anno* MXXXIII. *die ſancti Johannis, & ſubſcripſerunt R. præpoſitus, Robertus abbas, tum Archidiaconi duo, Radaldus abbas & alii complures canonici & ſæculares.* Monaſt. Vallis.

86. *Ante annum* MXXXIV. *conſignanda eſt fundatio monaſterii de Chauriaco, quæ à Stephano Claromontenſi epiſcopo facta eſt ſub regimine ſancti Odilonis, in gratiam Celſinianenſis monaſterii. Eo quippe anno jam Renco Stephani IV. ſucceſſor, eccleſiæ Claromontenſi præerat, quam eccleſiam adhuc anno* MLII. *regebat. Hujus porro fundationis notitiam habemus in chartario Celſinianenſi.* Stephanus ſanctæ Dei eccleſiæ Claromontenſis epiſcopus, & mater ſua & fratres ſui, ſimulque Rorgius & filius ejus Faramundus, & omnes Canonici ſanctæ eccleſiæ Claromontenſis, dederunt Deo & ſancto Petro & ad locum Celſiniacenſem, qui regitur ſub gubernatione domni Odilonis abbatis, tres eccleſias & ſex appendarias; prima eccleſia vocatur Chauriacus, ut ibi monaſterium conſtruatur; ſecunda ſancta Maria; tertia, ſancta Marcella cum decimarias, baptiſteriis, ſepulturis, campis, pratis, &c. Facta eſt hæc donatio menſe Decembrio, feria tertia, regnante Domino noſtro Jeſu-Chriſto. Chavriacus.

87. *Sub ejuſdem Stephani pontificatu, atque iiſdem fere conditionibus, fundatum eſt monaſterium ſancti Flori apud Arvernos, quod Cluniacenſibus monachis ſub beati Odilonis regimine in monaſterio Celſinianenſi degentibus conceſſere Amblardus & Euſtorgius viri nobiles, quorum donationis inſtrumentum in Celſinianenſi chartario habetur, eique cum donatoribus ſubſcripſerunt Stephanus epiſcopus Claromontenſis & Robertus vicecomes. Monaſterium ſancti Flori ſub Cluniacenſis ordinis obedien-*

Digitized by Google

Ann. Ch. MXLIX. I. Januar. *tia perſeveravit uſque ad annum* MCCCXVII. *quo, repudiata à Gerardo abbate Aurilıacenſi epiſcopali dignitate, Raymundus Vehens prior ſancti Flori Epiſcopus factus eſt, & ejus monaſterium in cathedralem mutatum. Ibi tamen perſeverarunt monachi uſque ad annum* MCCCCLXXVI. *quo à Sixto IV. ſæcularis toga eis indulta eſt.*

Salciacum. 88. *Anno* MXXXVII. *monaſterium ſancti Marcelli apud Salciacum, in epiſcopatu & comitatu Valentino conſtructum, monachis Cluniacenſibus traditum eſt ad inſtaurandam ibi diſciplinam regularem, quæ ſub abbatibus ibi conſtitutis ſervari non potuerat. Habemus ejus conceſſionis chartam, quam ex Chartario Cluniacenſi proferimus.*

Primo homine tranſgrediente, &c. Ego Ademarus comes, & uxor mea, nomine Rotildis, una cum filiis noſtris, Pontio videlicet epiſcopo, Hugone, Lamberto, Gontardo, Geraldo, quemdam locum, Saltiacum nomine, ſitum in epiſcopatu & comitatu Valentinæ civitatis, conſecratum in honore ſancti Marcelli martyris, ſub quibuſdam abbatibus hactenus in negligentia curæ animarum poſitum, ut ad ſtatum melioris rectitudinis valeat converti, cum omnibus quæ ad ipſum locum pertinent, videlicet terris, paſcuis, ſilvis, vineis, aquis, molendinis, pratis, & cunctis ſuis appenditiis donamus Deo & ſanctis apoſtolis Petro & Paulo, & monachis Cluniacenſibus, quibus præeſt domnus Odilo abbas, ad poſſidendum & ordinandum, & jure hereditario quidquid agere voluerint agendum. Ideo autem hæc facimus, quatenus tam nos quam cuncti propinqui & amici noſtri, anima etiam domni Lamberti comitis, vel animæ omnium fidelium Chriſtianorum mereantur habere ſocietatem & partem orationum ſervorum Dei, [in] Cluniaco monaſterio, vel in cunctis ſuis appendiciis Chriſto militantium. Actum publice anno ab Incarnatione Domini MXXXVII. regnante Conone imperatore, anno X. regni ſui. Teſtes Ademarus comes, & uxor ſua Rotildis, qui hanc donationem fecerunt, & decem uncias auri à monachis pro ea acceperunt, & Edraldus monachus magnum ſervitium eis fecit, qui eam ſancto Petro acquiſivit. Pontius epiſcopus & frater ejus Hugo, & Lambertus, Gontardus, Geraldus fratres eorum. Rainardus preſbyter ſcripſit dictante Raintardo. *Pontius epiſcopus Ademari filius, qui in hac charta memoratur, eique ſubſcripſit, Valentinenſem eccleſiam poſt Guigonem rexit. Sedebat adhuc anno* MXLVII. *ut ex nonnullis chartis colligitur, at quo anno hanc ſedem inierit aut dimiſerit, nobis compertum non eſt.*

89. *Porro Lambertus comes, ibidem memoratus, Ademari donatoris pater fuit, qui monaſterium ipſum ſancti Marcelli penitus deſolatum reſtaurari curaverat, ut ex alia charta patet, in qua ſic cum uxore ſua Fuletrude loquitur:* Donamus de rebus proprietatis noſtræ Deo & ſancto Marcello, & monachis Oddoni & Duranno, & ad illos qui ad illum locum venerint, damus pro filiis noſtris Ademaro & Lamberto & parentibus noſtris, ut eccleſia ſancti Marcelli ibi reædificetur, monaſteriumque ibi fiat, nullique loco ipſe locus niſi ſancto Petro principi Apoſtolorum ſit ſubjectus. Abbatem quoque in dicto loco ſancti Marcelli de Fellinis, non habeatur neque eligatur, niſi qui Regulam ſancti Benedicti teneat & cuſtodiat, & ad hoc fratres ſibi ſubditos caritative compellat. *Ob lacerum folium data non habetur, in ejus tamen titulo facta fuiſſe dicitur ſub rege Conrado. Et quidem hanc donationem confirmavit idem Conradus anno* XLVI. *regni ſui, id eſt æra vulgaris anno* DCCCCLXXXIII.

Monaſt. S. Laurentii Matiſc. 90. *Anno* MXXXIX. *conſignanda eſt fundatio cellæ ſancti Laurentii in pago Matiſconenſi, ut patet ex charta Archimbaldi vicecomitis, qui hoc ipſo anno Indictione* VII. *regnante Henrico rege, dedit Odiloni abbati manſum vineale in pago Matiſconenſi ſitum, ea ſcilicet conditione, ut in eccleſia ſancti Laurentii, quam ipſe jam antea Cluniacenſi monaſterio contulerat, monachorum ſub diſciplina Cluniaci abbatum viventium conventus inſtitueretur, in quorum uſus manſum illud cum ceteris ad eamdem eccleſiam pertinentibus cederet.*

91. *Anno*

Digitized by Google

91. *Anno* MXLV. *cui tamen Indictio* XI. *quam in apographo charta præfert, non concordat, monaſterium ſancti Salvatoris Nivernenſis Cluniacenſibus ſubjectum fuit ab Hugone ejuſdem urbis epiſcopo, aſſentientibus Adalelmo loci rectore, & Canonicis eccleſiæ ſancti Cyrici, ad quorum jus antea pertinebat. Inſtrumentum ea de re confectum in chartario Cluniacenſi exſtat, datum publice in ſancta Synodo anno* MXLV. *Indictione* XI. *octavo Idus Novembris.* ANN. CHR. MXLIX. I. JANUAR. S. Salvatoris Nivern.

92. *Sub Henrico rege Francorum, at incertum eſt quo anno, Petrus-Rogerii epiſcopus Toloſanus apud Cluniacum exſiſtens, monachorum ibi degentium ſanctitatem miratus, contulit eis eccleſiam ſanctæ Columbæ in ſua diœceſi ſitam. Ibidem monachos fuiſſe inſtitutos colligimus non ſolum quod ad hanc eccleſiam multæ aliæ cum prædiis & appendicibus attinebant, verum etiam quod in diplomate Paſchalis* II. *in Bibliotheca Cluniacenſi pag.* 571. *inter alia quæ Cluniacenſibus confirmat, occurrit,* In epiſcopatu Toloſano monaſterium ſanctæ Columbæ. *Eamdem eccleſiam, neſcio quo pacto, à Cluniacenſibus alienatam, ipſis reſtituit Amelius epiſcopus Toloſanus, Pontio tunc Cluniacenſi abbate, ut ex ejus charta patet, data anno* MCX. *regnante Ludovico rege, quæ integra habetur in Bibliotheca Cluniacenſi col.* 578. *Anſelmus canonicus eccleſiæ Leodienſis in libro de geſtis ejuſdem eccleſiæ pontificum capite* 53. *ſcribit, beatum Odilonem, ejuſque ſucceſſores,* plures eccleſias in parochia Leodienſi *acquiſiviſſe;* in quibus, *inquit,* religioſi monachi ab ipſo ſub nomine prioratus ſunt ſtatuti, qui nocte & die pro ſtatu eccleſiæ aures divinæ miſericordiæ non ceſſant perpulſare. Monaſt. S. Columbæ.

93. *Hæc fuerunt præcipua monaſteria, quæ, quantum diſcere potuimus ex antiquis monumentis, Odilonis tempore, abbatum Cluniacenſium regimini commiſſa fuerunt, præter alia bene multa, quæ jam antea ſub ejus præceſſoribus Cluniaco ſubjecta, reſtauravit, aut plane renovavit, ut teſtatur ipſius vitæ auctor. Sed præter hæc, varia item alia monaſteria, quæ temporum injuria, aut incuria abbatum à diſciplina regularis fervore defecerant, ad meliorem frugem revocavit Odilo, quæ tamen Cluniacenſibus ſubjecta non fuere. Ex his exſtitere celebre ſancti Dionyſii monaſterium, aliaque bene multa per Gallias; in quibus agente potiſſimum Hugone rege, ut teſtantur Ademarus, & auctor chronici ſancti Maxentii, vir ſanctus diſciplinam regularem reſtituit. Vuillelmus quoque Aquitanorum Dux, ut idem Ademarus aſſerit, nonnulla ditionis ſuæ monaſteria Odilonis magiſterio eadem de cauſa commendavit. Hinc in monaſterio Angeriacenſi Raynaldum abbatem inſtitui curavit in Alduini locum, qui fato functus erat, & pro Raynaldo pariter defuncto Aymericum ſubſtituit. quamvis Raynaldo Goffridum ſucceſſiſſe dicat Chronici Malleacenſis auctor. Tanta nempe erat beati Odilonis & monachorum Cluniacenſium, ſub ipſius regimine viventium, apud omnes opinio, ut plerique aliorum locorum monachi, quibus diſciplinæ regularis amor inerat, Cluniacenſium mores amplecterentur, immo & inde abbates acciperent, quamvis ſui juris remanerent, nec alias monaſterio Cluniacenſi ſubjici vellent. quod tum maxime fiebat, ſi id poſtularent monachi, aut placeret Epiſcopis, ſive principibus, ſub quorum diſpoſitione conſtituta erant ejuſmodi monaſteria. Sic Durando, qui conſilio abbatis Cluniacenſis, aliorumque Ordinis abbatum, Saviniacenſis abbas creatus fuerat, ſuffectus eſt Iterius monachus Cluniacenſis, conſilio ſancti Odilonis, uti teſtatur Burchardus Lugdunenſis antiſtes in charta ea de re conſcripta, cujus authenticum præ manibus habemus.* Alia monaſter. ab Odilone reformata. Saviniacum.

94. *Non autem continebatur intra Galliarum fines monaſterii Cluniacenſis ejuſque ſanctiſſimi Abbatis fama, quæ occaſionem præbuit Cluniacenſe inſtitutum in exteras nationes propagandi. Illuſtre hujus rei exemplum habemus in Sancio Hiſpaniarum rege, qui cum monaſteriorum in ſuo regno recte inſtituendorum deſiderio teneretur, Cluniacum, ex epiſcoporum & optimatum conſilio, miſit unum è ſuis, Paternum nomine, qui regulari diſciplina, ſanctiſque loci illius conſuetudinibus probe imbutus, eas poſtmodum redux in Hiſpaniarum monaſteriis obſervari curaret. Id diſcimus ex ejuſdem Regis diplomate pro monaſterio Onienſi, quod noſter Tepezius in appendice tomi* 5. *Annalium Ordinis noſtri edidit, ubi piiſſimus princeps ſic loquitur:* Ordo

monaſticus, omnium eccleſiaſticorum ordinum perfectiſſimus, tum temporis omni noſtræ patriæ erat ignotus..... tandem, inſpirante Deo, à prudentibus ac religioſis viris ſalubre reperi conſilium, quibus referentibus didici, quia perfectionem hujus ſanctæ quam requirebam profeſſionis nemo perfectius oſtendere poterat, quam congregatio monaſterii Cluniacenſis, quæ in eodem tempore clarius ceteris monaſteriis ſancti Benedicti perfecta florebat regulari religione, auxiliante Deo, & venerando abbate Odilone adminiſtrante. Igitur ſuper hoc negotio accepi ab omnibus Epiſcopis noſtris conſilium & optimatibus, & unum ex noſtris patriotis virum, quantum hominibus poſſibile eſt ad cognoſcendum, religioſum & timoratum, vocitatum Paternum, cum devoto comitatu religioſorum ſociorum, miſimus ad prædictum Cluniacenſe cœnobium, ut in ipſo perfectionem monaſticæ vitæ cognoſceret ac diſceret: qua ſufficienter imbutus ad patriam noſtram rediret, & ſitienti patriæ noſtræ potum monaſticæ profeſſionis propinaret. Quod donante gratia Dei, ut ordinavimus factum eſt. Nam iſdem vir doctrina diſciplinæ regularis cum ſuis ſodalibus perfecte inſtructus, proſpere ad nos reverſus eſt. quem primo doctorem monaſticæ vitæ in monaſterio ſancti Johannis de Peña conſtituimus, & ut fratres ſub ipſo regulariter viverent, eum paſtorem animarum præfecimus, & prædictum monaſterium ut firmiter in ſtabilitate regularis vitæ perſiſteret, regalibus donis atque firmiſſimis privilegiis munivimus, &c. Hoc ergo monaſterio regulari diſpoſitione decenter ordinato, omnes Epiſcopi & principes totius regni communiter conſilium inierunt, & ad me venientes unanimiter, ut cœnobium ſancti Johannis de Peña decoraveram monaſticæ religioni, ſic etiam honeſtarem eadem regulari beati Benedicti profeſſione Onienſe monaſterium, quondam à religioſo Santio comite in honore ſancti Salvatoris conſtructum, &c. ad monaſterium ſancti Johannis de Peña miſi, & domnum Paternum, quem ibi abbatem venerandæ congregationis præfeceramus, ad nos venire cum aliquantis religioſis fratribus expoſtulavi. Qui benigne obediens meæ juſtæ petitioni, quod ab eo petebam ſine aliqua dilatione impetravi; depulſiſque mulieribus in Onienſi monaſterio ſine aliqua reverentia habitantibus, conſenſu & voluntate atque petitione omnium patriæ noſtræ Epiſcoporum ac clericorum, ſtatuimus ibi congregationem religioſorum monachorum, quibus abbatem Garseam nomine, ſecundum Regulam ſancti Benedicti, communi etiam fratrum acclamatione præpoſuimus. Domnum vero Paternum, abbate loci diligenter inſtructo, & congregatione honorifice ordinata, ad proprium monaſterium remiſimus. Ut ergo inconvulſa, &c. *Plura decernit Rex pro electione abbatis, ac monaſterii immunitate, quod nulli omnino ſubjectum eſſe vult, ita ut ſi abbas aliquando gravium delictorum reus dejici mereretur, id ſolummodo fiat in Concilio. Ceterum Paternus in Diplomate regio memoratus, is ipſe eſt, ad quem Odilo epiſtolam ſcripſit in Spicilegii tomo 2. pag. 386. editam, ubi eum* divini amoris fervidum domnum Paternum, gregis Chriſti affectu paterno procuratorem providum *appellat. Ex eadem vero epiſtola facile colligi poteſt quantum Sancio regi atque ejus filio Ranimiro devinctus eſſet Odilo, qui quotidianis precibus ad omnes horas Hiſpaniæ regnum in publico conventu commendari curabat. Habuit quoque Cluniacenſis ordo monaſteria in Hiſpaniis omnino ſuæ juriſdictioni ſubjecta, etiam tempore ſancti Odilonis. Ex his fuit celebre monaſterium ſancti Zoili de Carrione, ubi Arnulfus primus loci prior ab ipſo ſancto Abbate inſtitutus dicitur apud Hiſtoriæ Hiſpanicæ ſcriptores. Sed & huic monaſterio complura alia parebant, quæ omnia Cluniacum, uti matrem venerabantur. Sed anno* MCCCCXXXV. *Eugenius quartus Carrionenſes priores Cluniacenſibus ſubtractos, abbatis titulo donavit.*

Digitized by Google

VI. Summorum Pontificum, Regum, aliorumque Principum erga ſanctum Odilonem affectus.

95. *Tanta erat Cluniacenſium monachorum ſub beati Odilonis regimine ſanctitatis fama, ut fideles quique ac pii viri eos beneficiis aut donationibus ſibi devincire cuperent, rati nihil ſibi defuturum, ſi tantorum virorum precibus & patrocinio apud Deum adjuvarentur. Hinc tot Pontificum bullas, tot regum & Imperatorum diplomata in eorum gratiam data legimus, queis aut vetera privilegia confirmarentur, aut nova concederentur; tot principum, aliorumque virorum, nobilium ſimul & ignobilium chartas, quibus aut nova inſtituebantur cœnobia à Cluniacenſibus monachis inhabitanda; aut certe jam erecta prædiis, variiſque poſſeſſionibus augebantur, ut in eis ſaltem accreſceret Deo ſub tam ſancta diſciplina ſervientium numerus. Certare videbantur Pontifices & Reges, utri eorum erga Cluniacenſes magnificentiores eſſent. Pontifices intercedentibus ſæculi principibus privilegia impertiebantur; iſti vero commendatione Pontificum, ſua auctoritate bona monaſterio jam parta tuebantur, noviſque donationibus vetera amplificabant.*

96. *Videre eſt in bulla Gregorii quinti, quam ſe interventu Ottonis imperatoris conceſſiſſe teſtatur, quam accurate & minutatim omnia Cluniacenſis monaſterii bona recenſuerit, ne qua eſſent quæ ipſius confirmatione carerent. Edita eſt in Bullario Cluniacenſi pag.* 10. *quam ideo huc proferre viſum non eſt. Obſervatione digna ſunt, quæ ibidem pag.* 11. *Silveſter II. Gregorii ſucceſſor ad beatum Odilonem ſcribit:* Silveſter.... Odiloni dilecto filio, & abbati præclaro, atque univerſæ congregationi ſibi commiſſæ caram ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Veſtris nos ſanctiſſimis omni tempore committimus orationibus, & ut accipere dignemini fidelibus exoramus petitionibus: quia in quocumque noſter valuerit ſtatus, nullo modo veſter defectum ſentiet profectus, &c. *Habemus duas Benedicti VIII. epiſtolas adverſus Cluniacenſis monaſterii bonorum invaſores. In priori epiſtola adhortatur Aquitaniæ, Burgundiæ ac Provinciæ epiſcopos, quibus ipſa inſcripta eſt, ut viriliter agant in tuendo Cluniacenſi monaſterio, quod à Vuillelmo nobiliſſimo Aquitanorum principe conſtructum, & ab eo, ſimulque laudantibus & approbantibus Romanorum Imperatore, ac Francorum & Burgundionum regibus, ſub ſpeciali Romanæ eccleſiæ tutela poſitum fuerat. Ex eadem epiſtola colligimus Robertum Francorum regem ejuſmodi monachorum Cluniacenſium vexationes ægre admodum tuliſſe, ſiquidem pontifex teſtatur querelas ea de re ad ſe fuiſſe delatas* in præſentia Deo devoti domini Roberti regis Francorum, principumque ejus & optimatum, qui cum eo venerunt ad limina Apoſtolorum. *Altera Benedicti papæ epiſtola inſcripta eſt Stephano Arvernenſi epiſcopo, cui mandat, ut nonnullos ex recenſitis in ſuperiori epiſtola invaſoribus, quos propriis nominibus deſignat, ob inobedienter neglectam bonorum Cluniacenſis monaſterii reſtitutionem excommunicationis vinculo innodare non differat. Johannes* XIX. *ut præfert titulus in Bullario Cluniacenſi pag.* 8. *interventu ſancti Henrici imperatoris, jura omnia tam ſpiritualia quam temporalia monaſterii Cluniacenſis aſſeruit in epiſtola, quam ea de re ſcripſit Odiloni. Laudatur ibidem alia ejuſdem pontificis epiſtola, qua interventu Conradi Imperatoris, omnia monaſterii Cluniacenſis bona & jura confirmat. Idem Pontifex in epiſtola ad Robertum Francorum regem, eum, ut eumdem locum contra invaſores tueatur, invitat. Scripſit & ad Burchardum Lugdunenſem archiepiſcopum, tum ad Gauſlenum Matiſconenſem; pro aſſerenda ejuſdem monaſterii immunitate ab omni juriſdictione epiſcopali. In epiſtola autem ad univerſos fideles directa teſtatur ſe anteceſſorum ſuorum veſtigiis inhærentem, cum conſenſu multorum Epiſcoporum tunc Romæ in Synodo in præſentia domni Conradi Imperatoris nuper coronati congregatorum, omnia Cluniacenſium privilegia & immunitates confirmaſſe. Data eſt quinto Calendas Aprilis, anno Johannis papæ tertio, Indictione* X. *quæ quidem chronologicæ notæ anno* MXXVII. *optime congruunt. Denique Clemens II. ad Epiſco-*

Pontificum bullæ.

Ann. Ch. MXLIX. 1. Januar. *pos, Principes & Magnates Galliæ ſcripſit, ut eis pariter Cluniacenſis monaſterii tuitionem commendaret.*

Odilo à Principibus honoratus.

97. *Quo autem loco apud ſæculi principes habitus fuerit Odilo, probant complures donationum chartæ quas ſupra laudavimus, & varia diplomata in ejus gratiam data. Idem teſtantur Pontificum bullæ, in quibus Romani pontifices Cluniacenſium curam ſe ſuſcepiſſe teſtantur, ad id potiſſimum Imperatorum aut Regum interventu permoti. Certe Otto tertius, quo imperante Odilo in monaſterii Cluniacenſis regimen aſſumtus eſt, confirmavit ipſi monaſterium ſancti Maïoli apud Papiam, ut ex diplomate ea de re confecto patet, quod ex Bibliotheca Cluniacenſi jam ſupra laudavimus. Præ ceteris vero Odilonem coluit Adhelais auguſta, Ottonis I. Imperatoris uxor, cujus vitam ipſe vir ſanctus conſcripſit. Unicum locum proferre ſufficiet, ex quo patebit quanta & quam ſincera fuerit beatæ hujus feminæ erga ſanctum abbatem veneratio. Sic quippe ea de re loquitur ipſe Odilo, de ſe, tacito licet nomine, ſic loquens.* Erat quidam ibi in præſentia ipſius, *paullo ſcilicet antea quam eſſet è vita exitura,* monachus, qui licet eſſet indignus abbas vocitari, ab ea tamen putabatur alicujus eſſe momenti: quem cum illa reſpiceret, & ipſe eam eſſet intuitus, cœpit uterque flere uberius. Dicam eam plus feciſſe, quam ſi dicerem eam multos infirmos ſanaſſe. Veſtem enim ſatis incultam, qua erat indutus, humiliter apprehendit, & ſanctiſſimis oculis, & ſereniſſimæ ſuæ faciei oſculando impreſſit, eique humiliter & cum ſilentio dixit: Memento mei, fili, in contemplativis, & ſcias me non amplius te viſuram corporalibus oculis. Cum enim humanis rebus exceſſero, orationibus fratrum animam meam committo. Inde per iter quo venerat, pervenit ad locum, ubi ordinante Deo decreverat ſibi parari ſepulcrum. *Elogium hujus ſanctæ feminæ dedimus Sæculo ſuperiori ad annum* CMXCIX. *pag.* 889. *Ottoni imperatori ſucceſſit ſanctus Henricus monachorum tutor, qui ſuum erga Cluniacum affectum donis magnificis comprobavit. inter ea erant, ut refert Ademarus in Chronico,* ſceptrum aureum, ſphæra aurea, veſtimentum imperiale aureum, corona aurea, Crucifixus aureus, penſantia ſimul libras centum, & alia multa. *Sed &, uti proſequitur laudatus auctor,* cum Odilone abbate ejuſdem loci crebrius conloquium familiare exercebat, & in aula palatii ſui cum primoribus ducebat. *Eadem repetit auctor chronici ſancti Maxentii ſeu Malleacenſis.*

Ab Ottone III. — Ab Adhelaide. — A S. Henrico.

Ab Hugone & à Roberto regibus.

98. *Diplomata varia Hugonis Francorum regis, & Roberti ejus filii & ſucceſſoris, ultro probant qua in veneratione apud eos eſſent Odilonis ſanctitas & morum innocentia. Eum cum aliis regni epiſcopis & proceribus adeſſe voluit Robertus Tranſlationi corporis ſancti Aniani apud Aurelianos, quam piiſſimus princeps celeberrimam eſſe volebat.* Non defuit etiam, *inquit Helgadus,* præſentia domni & venerabilis Odilonis Cluniacenſium abbatis, & aliorum bonorum virorum non minimi meriti, cum quibus ſemper deſiderabat colloqui. *Quanti vero Odilonis ſanctitatem veneraretur Robertus, ex Chronico Divionenſi intelligere poſſumus, ubi legimus quod cum Vuillelmus ſancti Benigni abbas accepiſſet Robertum regem in Burgundia omnia devaſtantem Divionem accedere velle,* præfatus abbas Vuillelmus, *ait Chronographus,* monachos per alia monaſteria juſſit ſecedere...... paucis ob cuſtodiam loci & ſancti Benigni ſervitium cum domno abbate Odilone in hoc loco dimiſſis. quem ad hoc accerſerat, ut ſi forte Rex aliquid mali contra hunc locum moliretur, illius precibus exoratus dimitteret. *Et re ipſa Robertus nihil mali monaſterio intulit. Robertus Burgundionum dux, ejuſdem Roberti regis filius, ſanctum Odilonem* ſuæ ſalutis & honoris devotum & fidelem amicum *appellat, Vuillelmus Aquitanorum dux ita eum venerabatur, ut teſte Ademaro, ſe in* eo Spiritus-ſancti templum contemplari *putare diceret,* ſeque ei in manibus commendatum traderet, *cui ideo, ut ſupra obſervavimus, aliquot ditionis ſuæ monaſteria ſubjecit.*

99. *Rodulfus Tranſjuranæ Burgundiæ rex, hujus nominis tertius, in ipſo regni ſui*

Digitized by Google

initio chartam edidit, qua declarat ſe monaſterii Cluniacenſis velle eſſe tutorem inviĉtiſſimum, *omneſque Regni ſui proceres ac judices conteſtatur, ut idem ipſi faciant. Habetur hoc diploma in Bibliotheca Sebuſiana centuria* 1. *ch.* 55. *Plura de hoc Principe congerere ſuperfluum eſſet, cum varias ipſius chartas paſſim ſupra laudaverimus. Haud minor erat apud exteras gentes Odilonis fama, quam apud Gallos. Eum Sancio in Hiſpania regi ejuſque filio Ranimiro acceptiſſimum fuiſſe colligi poteſt ex ipſius Odilonis epiſtola ad Paternum, quam ſupra laudavimus. Idem patet ex altera epiſtola ad Garſiam Sancii filium & ſucceſſorem data, ubi ſic loquitur:* Scimus itaque ex indiſſolubili familiaritate & ſocietate, qua olim patri veſtro probamur copulati, ita in veſtra fidelitate devoti, &c. *Ejus implorat opem tempore famis, quæ jam à biennio in Galliis invaluerat.*

100. *Quanta autem polleret apud Principes ſimul & populos eis ſubjectos auctoritate probari poteſt ex famoſo illo fœdere publico, quod vulgo* Treuva-Dei *appellatur, ab ipſo Odilone ceteriſque, ut refert Hugo Flaviniacenſis in Chronico ad annum* MXLI. *viris piis* divinis revelationibus inſtitutum. *Aliud exemplum auctoritatis ejus in populos ſuppeditat Ademarus in Chronico, ubi refert cives Bituricenſes Goſlino, qui ex monacho ſancti Benedicti factus fuerat à Roberto rege archiepiſcopus Bituricenſis, per quinquennium reſtitiſſe; quod Goſlinus etſi ex ſtirpe regia, ex ſcorto tamen natus fuiſſet, ſed* ſequeſtro tandem Odilone, *inquit ille auctor, Regis voluntas prævaluit. Odilonis tamen auctoritatem exoſam nonnulli habuere. Talis fuit Adalbero Laudunenſis epiſcopus, qui in carmine ad Robertum regem, quod Valeſius edidit, Odilonem* regem *per deridiculum nuncupat.*

101. *At nemo exiſtimet principum gratiam Odilonem adulationibus, aut molli aſſentatione, vel etiam apud ſimplices faſtu ſibi conciliaſſe, cum è contrario maximam hanc auctoritatem ſanctitate morum & boni ſtudio promovendi, etiam aliquando ſeverioribus verbis, acribus reprehenſionibus, ac minis de divino judicio intentatis ſibi comparaverit. Teſtatur Otto-Vvillelmus dux Burgundionum, vir iſtorum temporum potentiſſimus, in charta jam à nobis ſuperius laudata, ſe diutius* ſurda aure ſancti Maïoli & domni Odilonis clamores præteriviſſe, *eiſque tandem morem geſſiſſe. Narrat quoque Glaber Rodulfus Hiſtoriæ ſuæ libro* 2. *cap.* 8. *beatum Odilonem Roberto regi cum exercitu ſuo ad obſidionem caſtri ſancti Germani prope Autiſiodorum urbem properanti occurriſſe; ſed cum, uti idem auctor proſequitur, regem ejuſque primates vir ſanctus redarguiſſet, quod adverſus tantum Dei pontificem, ſanctum Germanum, hoſtili manu inſurgerent; ipſique viri Dei monita contemſiſſent, ſtatim nebula divinitus exorta caſtrum omnino contectum fuit, qua muniti obſeſſi magnam obſidentium ſtragem fecere. Simili fere miraculo, Vvillelmus, cognomine Bucca-uncta, comes Matiſconenſis, cum exſtruxiſſet caſtrum contra Cluniacum, repente claudus factus eſt, & Ugo comes ejus hoſtis captum paullo poſt caſtrum illud diruit, ut narrat Ademarus in chronico ad annum* MX. *Ermengardem comitiſſam, quæ Odilonem ad peccandum incitaſſe dicitur, ita ſeſe ſuper carbones ardentes volutando deterruit, ut hæc piis operibus dein intenta multa bona monaſterio contulerit. Carbones illi etiamnunc aſſervantur in ſacrario Silviniacenſis monaſterii. Ibidem vero Ermengardis anniverſarium ſollemniter celebrandum memoratur in Necrologio Gaufridi Choleti anno* MCCCCLIII. *ſcripti, in quo hæc leguntur.* XI. Kal. Officium fiat plenum pro domina Ermengarde Comitiſſa, quæ donum ſancti Mauricii cum appendiciis ſuis ad ſervitium & recreationem Fratrum debilium & infirmorum de conventu Silviniacenſi per manum beatiſſimi P. N. Odilonis Deo & eccleſiæ Silviniacenſi donavit. Item dedit etiam portum de Firmitate ſuper Aligerim. Item dedit magnam crucem auream. Item duo candelabra argentea. Item duos pannos purpuratos, multaque alia bona huic monaſterio fecit & dedit in terris & pratis.

Digitized by Google

ANN. CH. MXLIX. I. JANUAR.

VII. Monaſterii libertates tuetur, archiepiſcopatum Lugdunenſem recuſat.

Cluniaci privilegia.

102. *Tantus pontificum & principum ergà beatum Odilonem ac Cluniacenſes affectus cohibere non potuit monachorum æmulatores, quin eis negotia faceſſerent, tum ob temporalium bonorum poſſeſſiones, tum ob privilegia eis conceſſa, quæ nonnulli convellere totis viribus conati ſunt. Paragrapho ſuperiori bullas aliquot Pontificum laudavimus, queis viros in ſæculo potentes redarguebant bonorum monaſterii invaſores. At multo difficilius fuit Matiſconenſium epiſcoporum conatibus obſiſtere, qui ægre ferebant monaſterium Cluniacenſe, intra ſua diœceſeos fines conſtructum, à ſua ipſius juriſdictione eximi. Conceſſerant quippe Pontifices Romani privilegia Cluniacenſibus, quibus ex Vuillelmi conditoris teſtamenti præſcripto, ac Regum & Principum conceſſu immunitas omnimoda monaſterio Cluniacenſi aſſerebatur. ſcilicet ut monachi Cluniacenſis monaſterii à quocumque Epiſcopo, prout abbati placeret, ordinari poſſent; nec quidquam juris in loco illo haberet epiſcopus Matiſconenſis, immo nec niſi ab abbate invitatus illuc accedere poſſet. Hæc diſerte habentur in Bulla Gregorii quinti à nobis paragrapho ſuperiori laudata, quæ à ſubſequentibus Pontificibus confirmata fuerunt.*

In Synodo Anſana diſcutiuntur.

103. *Privilegiis iſtis munitus Odilo Burchardum Viennenſem archiepiſcopum invitavit, ut ordinationes apud Cluniacum celebraret. quod cum ille feciſſet, graviter conqueſtus eſt Gauſlinus Matiſconenſis epiſcopus adverſus eum, remque detulit ad Synodum Anſanam, cui anno* MXXV. *habitæ inter alios Pontifices intererat quoque Burchardus. qui cum à Gauſlino ea de re coram patribus accuſaretur, culpam omnem in Odilonem rejecit. Acceſſitus itaque ſanctus abbas, cum aliquot è ſuis monachis comparuit, protulitque in medium privilegia quæ modo recenſebamus, queis licitum eſt abbati Cluniacenſi, ut poſthabito Matiſconenſi epiſcopo, quemcumque mallet epiſcopum poſſet acceſſere ad celebrandas in monaſterio Cluniacenſi ordinationes. At patres, qui ibi aderant, lectis Synodi Chalcedonenſis canonibus, aliiſque antiquorum conciliorum decretis, cenſuerunt eis præponi non debere quod obtendebatur ab Odilone privilegium. quare Burchardus à Gauſlino obtenta venia, pollicitus eſt, ſe quamdiu in vivis ageret, tantum olei ſeſe ei præſtiturum, quantum pro chriſmate ſacro ſingulis annis conficiendo opus eſſet. Ea fuit occaſio, ni fallor, cur Johannes* XIX. *Romanus pontifex ad Gauſlinum, tum etiam ad Burchardum Lugdunenſem litteras ſcripſerit, eos graviter reprehendens, quod monaſterium Cluniacenſe ſpeciali Apoſtolicæ tuitioni commiſſum, & Odilonem ſanctiſſimum abbatem vexarent. Defuncto tamen paullo poſt Gauſlino, veſtigiis ipſius inſtitit Vualterius ejus ſucceſſor, ut narrant Petrus à ſancto Juliano, aliique paſſim ſcriptores. unde anſam ſumſit, uti videtur, idem Johannes Pontifex Roberto regi ſcribendi, adverſus eos ſacerdotes qui privilegia per ſedem Apoſtolicam Cluniacenſi monaſterio conceſſa convellere tentabant. Immo rem ad Synodum quæ Romæ anno* MXXVII. *habita eſt, delatam fuiſſe patet ex ejuſdem Pontificis epiſtola ad univerſos fideles, in qua confirmatis de conſenſu adſtantium Pontificum monaſterii Cluniacenſis privilegiis, præſente etiam Conrado imperatore paullo antea coronato, prohibet, ne quis monachos Cluniacenſes excommunicare audeat, aliaque fuſius exponit, quæ videri poſſunt in Bullario Cluniacenſi pag.* 9. *Ceterum hæc controverſia ſæpius poſtea ſub Odilonis ſucceſſoribus recruduit: ſed quid tandem ea occaſione in concilio Remenſi ſub Calliſto II. ſtatutum fuerit, legeſis apud Ordericum Vitalem.*

Ea tuetur Rom. pontifex.

Odilo epiſcopatum Lugdunenſem recuſat.

104. *Eam vero monaſterii ſui immunitatis tuendæ ſollicitudinem, qua tenebatur vir ſanctus, ambitioni nequaquam eſſe tribuendam vel ex eo ſolo patet, quod ampliſſimas dignitates ultro ſibi oblatas conſtanter recuſaverit. Hujus rei exemplum illuſtre ſuppeditat nobis Glaber Rodulfus libro* 5. *Hiſtoriæ ſuæ cap.* 4. *ubi poſt relatas varias diſceptationes, quæ poſt Burchardi Lugdunenſis epiſcopi mortem in ſucceſſoris electione exortæ fuerunt, hæc ſubjungit.* Quæ omnia dum perlata fuiſſent Romano pontifici, ſuggeſtum eſt ei à viris fidelibus, ut ſua auctoritate patrem

Odilonem, Clunienſis monaſterii abbatem, ibidem eligeret conſecrari pontificem: ſic enim totius cleri ac plebis optans acclamabat devotio. Qui protinus mittens eidem Patri pallium ſimul & anulum, imperavit eumdem prædictæ civitati fore archiepiſcopum. Sed vir religioſus ſuæ humilitatis attendens propoſitum, omnimodis renuit fieri, pallium & anulum ſuſcipiens, illi qui Deo dignus exſiſteret, reſervavit futuro pontifici ejuſdem ſedis. *Idem narrat Hugo abbas Flaviniacenſis in Chronico Virdunenſi, ubi id à Gregorio papa factum fuiſſe ſcribit, quem quidem Gregorium ejus nominis ſextum fuiſſe refert vetus auctor Chronici Cluniacenſis mſ. At Gregorius anno* MXLIV. *electus eſt in Romanum pontificem, quo tempore jam ab aliquot annis Odelricus qui renuenti Odiloni ſubſtitutus eſt, Lugdunenſi eccleſiæ præfectus fuerat. Et quidem Hugo ipſe refert Odelricum ab Henrico imperatore Lugdunum cum ornamentis pontificalibus anno* MXLI. *directum fuiſſe; aliunde vero certum eſt Odelricum, ex quo in epiſcopum aſſumtus eſt, ſedem ſuam nemine contradicente tenuiſſe. Unde Garnerius in notis ad cap.* 4. *Diurni Romani ait, Odilonem à Benedicto IX. in Archiepiſcopum Lugdunenſem fuiſſe electum. At id, ut quidem cenſemus, ſub Johannis XIX. pontificatu contigiſſe veriſimilius eſt. Ipſe enim Johannes in epiſtola ad Odilonem, graves adverſus eum querelas movet, quod poſthabita quam debebat Pontifici reverentia, oblatum eccleſiæ Lugdunenſis regimen recuſaſſet. Epiſtola ea de re integra habetur tomo* 2. *Spicilegii Acheriani pag.* 387. *quam legiſſe neminem pœnitebit.* Ann. C H. MXLIX. I. Januar.

105. *Non paruit tamen Papæ monitis Odilo, qui hac in ſola re pontificum mandatis non obtemperare licitum eſſe ſibi exiſtimabat. alias quippe nihil ſibi licere putabat abſque eorum venia, ſi res eſſet alicujus momenti. Hinc cum homicida quidam, qui Stephanum Claromontenſem occiderat, Cluniacum receſſiſſet; ibique monachus factus pœnitentia lacrymis commiſſum crimen diluiſſe nonnullis videretur, immo & ob egregia talenta talem eum eſſe cenſerent, qui ad ſacerdotium deberet promoveri; id non eſt auſus piiſſimus Abbas abſque peculiari Pontificis mandato. qua de re interrogatus pontifex, id nequaquam fieri permiſit: ſatis eſſe ratus, ſi illi homicidæ, tota vita ſua tempore communione ſancta privato,* in exitu vitæ pro miſericordia viaticum detur, *ut teſtantur patres concilii II. Lemovicenſis ſeſſione* 2. *ſub finem.*

VIII. Odilonis virtutes præcipuæ.

106. *Humilitatis, quæ virtutum omnium fundamentum eſt, egregium exemplum jam in Odilone admirati ſumus, qui dignitates eo ardore refugiebat, quo plerique alii ſolent eas aucupari. quantas in corde ipſius radices egiſſet iſta virtus, colligi poteſt ex iis quæ apud Caſinum montem ei contigêre. Cum enim aliquando beatus vir, ut legitur apud Leonem Marſicanum in chronico Caſinenſi, libro* 2. *cap.* 53. *illud ſacrum Ordinis noſtri caput monaſterium inviſere ſtatuiſſet, montem ipſum ob ſanctiſſimi Patris reverentiam pedes integrum conſcendere voluit. Tantum virum cum eo honore quem exigere videbatur ſumma ejus ſanctitatis fama, excepere Caſinates; ſed cum in capitulum pro antiqua monaſterii conſuetudine deductus fuiſſet, ibi à Theobaldo abbate unam ſibi gratiam concedi efflagitavit, ut ſcilicet omnium fratrum veſtigiis provoluto eorum pedes oſculari ſibi liceret: quod cum, ægre licet, impetraſſet, illud ſumma cum humilitate ac devotione animi exſecutus eſt. Contigit his diebus feſtivitatem ſancti Patris Benedicti celebrari, quam occaſionem nactus Theobaldus abbas gratiam unam ſibi ab Odilone viciſſim rependi poſtulavit, ut ſcilicet ipſe in tanta ſollemnitate publice miſſas celebraret in ſacro monte. cui Odilo, quamvis animo reluctanti, tandem acquievit. Paratis itaque omnibus, cum ad altare eſſet progrediendum, Theobaldus baculum, quem pro abbatum more inter celebrandum geſtabat, beato viro obtulit: at ille ad id faciendum numquam potuit adduci; ferendum non eſſe affirmans, ut præſente beati Patris Benedicti Vicario, qui abbatum eſt abbas, quiſpiam alius abbas virga paſtorali uteretur; idque beati viri humilitati indulgendum fuit. Denique cum è ſacro monte diſcedentem Theobaldus & multi è fratribus*

Humilitas Odilonis.

Caſinum viſitat.

Ann. Ch. MXLIX. 1. Januar.

honorifice proſecuti ſunt, à quo impetraverunt, ut omnem ſuam operam interponeret ad obtinendum monaſterio Caſinenſi aliquid è ſancti Mauri reliquiis. quod ſeptennio poſtea factum eſt. Etenim cum os brachii ſancti Mauri à Foſſatenſibus ſibi fuiſſet conceſſum, illud argentea in theca incluſum ſex è ſuis fratribus commiſit, qui ipſum in Caſinenſe monaſterium detulerunt.

Ejus lenitas.

107. Non minus autem Odilo erat domi humilis inter ſuos, quam apud exteros. hinc naſcebatur tanta erga eos qui ſibi ſubjiciebantur manſuetudo, ut etiam nonnulli ei vitio vertere conati fuerint, quod in agendo videretur, quam ut ſuperiorem deceret, indulgentior. At ipſe, uti Petrus Damiani, aliique poſt eum auctores ſcripſerunt, reſpondebat: Si damnandus ſum, malo damnari de miſericordia quam de duritia. Hinc, uti refert idem auctor, in imponendis pœnitentiæ modis, ita erat circa errantes compatiens, ut nequaquam diſtrictum patris imperium, ſed maternum potius exhiberet affectum. quo quidem agendi modo, ut obſervat Chronographus Cluniacenſis, præclariſſimum Clementiſſimi viri titulum conſecutus eſt, quem ibidem miſericordiſſimum Odilonem appellat. Hæc omnia tamen prudentia, virtutum nutrice, ita temperabat, ut non ejus facilitate regularis diſciplinæ vigor diſpendium aliquod pateretur. Certe ſummam ejus prudentiam laudaverunt patres concilii Lemovicenſis anno MXXXI. in cauſa Apoſtolatus ſancti Martialis congregati. Ipſe vero ita ſibi ipſi vileſcebat, ut in vita ſanctæ Adheleidis cunctorum ſe peripſema declararet Clunienſium pauperum.

Pacis amor.

108. Eo potiſſimum intendebat vir ſanctus, ut caritas inter ſuos illibata & inviolata vigeret, hincque adeo invidentiæ malum abhorrebat, ut ſæpius, teſtante Glabro Rodulfo libro 5. plangere ſolitus fuerit, tam immane ſcelus apud nonnullos qui monaſticæ profeſſioni adſtricti erant reperiri. Eos vero qui caritatem & unionem inter fratres labefactare ſuſurriis aut adulationibus conabantur, ſive qui inveniebantur murmurantes, ita vir ſanctus exſecrabatur, ut eos è monaſterio ejiciendos eſſe cenſeret, hac ſolum in re auſterus. Id teſtatur Abbo Floriacenſis abbas in epiſtola ad monachos Miciacenſes, ubi ejuſmodi homines deteſtatur, quos deridendo Hiſtoriographos appellat, quod fratrum ſuorum mores traducere ſolerent, in idque laudat beati Odilonis exemplum, qui aliquot è ſuis hac labe inquinatos, flagris cæſos è monaſterio ejici juſſerat. Si quidem, inquit Abbo, & in noſtra profeſſione ſingularis Odilo Clunienſium rector hujuſmodi hiſtoriographos nuper detectos, de ſuo monaſterio flagris cæſos expulit, & ferro abſciſſionis terribiliter inuſſit.

Caritas in Deum.

109. Caritatis igne ita exæſtuabat vir ſanctus, ut negotiorum licet pæne infinitorum multitudine obrutus numquam omitteret pietatis exercitia, quibus illa aleretur. Nec itinerum difficultates, nec monaſteriorum cura, nec alia qualibet occaſio, eum ab offerendo quotidie ſacro-ſancto Euchariſtiæ ſacrificio avocare poterant, quod ſolebat cum exuberanti lacrymarum effuſione præſtare; tremendam adeo actionem excubiis ſacris, jejuniis, altiſque corporis & animæ macerationibus præveniens, ut purior ad altare ſacrum accederet. Virginitatem adeo coluit, ut vulgo virgo centenarius diceretur, ut diſcimus ex chronico Lemovicenſi, tum ex Senonenſi ſancti Petri-Vivi in Spicilegii tomo 2. inde naſcebatur in beatiſſimam Virginem adeo fervens devotio, ut cum caneretur in eccleſia verſus ille, Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem, non horruiſti Virginis uterum, ſtatim, teſte Petro Damiani, in terram reverentiæ cauſa pronus corrueret. Obſervat Jotſaldus in Planctu metrico de ejuſdem beati viri obitu, eum tenero affectu beatiſſimam Virginem ſemper coluiſſe; cujus ideo & aliorum ipſius tutelarium patrocinium implorat, ut eum dignentur in ſuâ ſocietatem admittere.

Devotio erga B. Virginem.

Caritas erga proximum.

110. Quam erga Deum habebat vir ſanctus caritatem, in proximum etiam, dum ſeſe offerebat occaſio, diffundere numquam omiſit. quod potiſſimum eluxit tempore famis, qua invaleſcente vaſa ſacra ac pretioſa quæque ornamenta, quibus ex Regum ac Principum donariis affluebat Cluniacenſis eccleſia, diſtrahere ac vendere non dubitavit, ut pauperum neceſſitatibus ſubveniret. Coronam ipſam imperialem, quam ſanctus Henricus beatorum apoſtolorum Petri & Pauli altari impoſitam eis conſecraverat,

Digitized by Google

verat, hac occaſione venumdedit, ratus nihil prorſus eſſe membrorum Chriſti vitæ anteponendum. Et quidem ejuſmodi largitionibus Cluniacenſe monaſterium difficillimis illis temporibus adeo exhauſtum fuit, ut ab exteris gentibus opem efflagitare fuerit coactus, cum nihil ſuſtentandis ejus loci fratribus, & populis vicinis adjuvandis ſupereſſet. Id patet ex ejus epiſtola ad Garſiam regem, ubi ea de re ſic ſcribit: Licet non ſine rubore pandere cogimur veſtræ ſublimitatis munificentiæ noſtræ inopiæ neceſſitatem, qua jam per duos & eo amplius annos affligimur continue. Nam generalis totius regni paupertas, famis quoque & inopiæ nos opprimit calamitas, ſicut & alios noſtræ vicinitatis compatriotas. quòd periculum ut evadere poſſimus, veſtro amminiculo, ſi placet, perquam plurimum indigemus. *Sed nihil magis Odilonis miſericordiam in pauperes commendat, quam quod ipſe habet in prologo ad Vitam ſancti Maioli à ſe conſcriptam, ubi fatetur, ſe ita* provinciæ calamitatibus, ac pauperum grandi lamentabilique diſpendio *affectum fuiſſe, ut etiam noctes perplures inſomnes tranſegerit. Denique cum aliquando improbis illis famis temporibus iter agens, duos pueros fame enectos mediis in agris reperiſſet, commota ſunt viſcera ejus, & quos adhuc viventes juvare non potuerat, mortuos detractis propriis veſtibus circumtectos ſepeliri curavit.* Ann. Chr. MXLIX. I. Januar.

IX. Commemoratio fidelium Defunctorum à ſancto Odilone primum inſtituta.

111\. *Celebris eſt in tota Eccleſia memoria beati Odilonis, quod primus omnium diem commemorationi generali omnium defunctorum ſollemniter celebrandæ peculiariter dedicatum conſtituerit; quem ritum cum primo ſuis in monaſteriis inſtituiſſet, poſtea univerſalis approbavit Eccleſia, & generali decreto ubique obſervandum præſcripſit. Jam quidem antea in pleriſque locis fiebat aliquo certo die commemoratio defunctorum, ut patet ex multis paſſim veteribus Martyrologiis, & Necrologiis, immo & ex Udalrico, qui in Conſuetudinibus Cluniacenſibus obſervat, feria ſecunda poſt feſtum ſanctiſſimæ Trinitatis, commemorationem defunctorum apud Cluniacenſes celebrari ſolitam fuiſſe. ſic in vetuſtiſſimo Kalendario mſ. Autiſiodorenſi iſta commemoratio* X. *Kal. Februarii memoratur, & longe ante id tempus in cap. ultimo Regulæ beati Iſidori, quotannis ſacrificium altera die poſt Pentecoſten præſcribitur pro ſpiritibus defunctorum. ſed ejuſmodi preces pro iis ſolummodo fiebant, qui ex eadem Congregatione, aut aliqua ſaltem ſocietate ipſi conjuncti fuerant, aut certe qui hanc gratiam donationibus, conſanguinitate, aut familiaritate, aliiſque beneficiis meruerant: at Odilo, cujus caritas intra limites adeo anguſtos coartari non poterat, hanc ad omnes omnino fideles defunctos gratiam extendi voluit.* Preces pro defunctis.

112\. *Hujus inſtituendæ commemorationis occaſionem fuſe deſcribunt Jotſaldus & Petrus Damiani in beati viri Vita: quare ſatis viſum eſt hic proferre Burchardi cujuſdam monachi epiſtolam hac de re ſcriptam, quam ex mſ. codice Thuanea Bibliothecæ habemus.* Quales à S. Odilone inſtitutæ.

Dominis Patribus & ſenioribus Clunienſis cœnobii BURCHARDUS pauper & exiguus ipſorum ſervus & monachus, cæleſtis gloriæ munus. Quia enim novi vos ferventiſſimos communis domini & patris noſtri ODILONIS coronæ gloriæque propalatores & commendatores, ſanctitatis veſtræ auribus intimamus, quod de ejuſdem præconii laudibus veridicis teſtibus nuper audivimus. Homo quidam religioſus & miles abbatis Voltenſis perrexit Hieroſolymis cauſa orationis ad ſepulcrum Domini: cumque idem reverteretur ad propria, perdidit viam recti itineris: qui ingreſſus in quadam ſilva grandi errando vagabatur neſciens quo iret. Contigit autem nutu Dei dum erraret in ſilva, ut inveniret quemdam ſenem Heremitam ſanctiſſimum virum. Cum ergo vidiſſet eum ſenex ille, interrogavit illum quis eſſet, aut quid quæreret, vel unde veniret, quove tenderet? At ille

Ann. Ch. MXLIX. 1. Januar.

humiliter intimavit ei cauſam erroris & unde eſſet, & quod de Hieroſolymis rediret, ſeque viam recti itineris perdidiſſe. Audiens autem ille ſenex Heremita quod de Gallia eſſet, inquiſivit ab eo, an ſibi notus & cognitus fuiſſet locus Cluniacus, & Abbas ipſius loci, ſanctus Odilo nomine. Cui miles ille peregrinus reſpondit, ſibi quidem locum ipſum & Abbatem ipſius loci eſſe incognitum, ſed tam frequentius ſe audiſſe à ſuo ſeniore Abbate, ſcilicet de Volta, ſupradicti loci atque Abbatis ſe eſſe. Ad hæc ſenior dixit ei: Ego, inquit, quod mihi de eo divina pietas revelavit, indicabo tibi. Abbas ſupradicti cœnobii ſanctus Odilo tantæ excellentiæ & tanti meriti eſt apud Deum, ut obtinuerit ab ipſo, quod nulli ſanctorum umquam conceſſum, ut duos inſuper dies, videlicet ſecunda feria & tertia feria, liberæ ſint omnes animæ defunctorum fidelium à tormentorum cruciatu, & ab omnibus gehennæ incendiis atque ſuppliciis. Tu vero viæ tuæ citius redderis, qui ut hæc audires à me, voluntate Dei permiſſus es paullulum de via erraſſe. Cumque in patria tua reverſus fueris, ubicumque poteris nomen hujus ſancti Odilonis divulgabis, denuncians omnibus hominibus, divitibus & pauperibus, majoribus & minoribus, ut unuſquiſque pro ſuis viribus orationes & eleemoſynas ſtudeant facere pro glorificatione illius animæ, cujus interceſſione ſingulari etiam defunctis peccatoribus, ſive etiam damnatis, tam inaudita & tam benigna atque inæſtimabilis à Deo conceſſa eſt miſericordia. Quid inde faciendum ſit ſapietis ſanctiſſimi Patres. Scitote tamen quia nulla remanſit eccleſia in Germania, ubi non pulſatis omnibus ſignis in ſupradictis duobus diebus publica & largiſſima pro ejus karitate facta ſit eleemoſyna.

113. *Huic epiſtolæ ſubjungimus Decretum de tam celebri inſtitutione à beato abbate factum, jam quidem editum à Cheſnio in Bibliotheca Cluniacenſi: ſed illud huc proferimus ex veteri mſ. Cluniacenſis monaſterii, in quo ſic habetur.*

Ea de re decretum.

Decretum eſt à beatiſſimo patre domno Odilone, una cum conſenſu & rogatu omnium fratrum Cluniacenſium, ut ſicut in eccleſiis Dei, quæ per orbem terrarum longe lateque conſtructæ ſunt, in die Kalendarum Novembrium agitur feſtivitas omnium-Sanctorum, ita apud nos agatur feſtivo more commemoratio omnium fidelium defunctorum, qui ab initio mundi fuerunt uſque in finem, tali modo. Ipſo die ſupradicto poſt capitulum facient eleemoſynam Decanus & cellerarii de pane & vino omnibus ſupervenientibus pauperibus, ſicut mos eſt agendi in Cœna Domini; & quidquid ipſo die ex refectione fratrum remanſerit ad prandium, ex integro recipiat eleemoſynarius, niſi tantum panem & vinum quæ pro cœna recipiet. Ipſo etiam die poſt veſpertinalem ſynaxim pulſentur omnia ſigna, & canantur Veſperæ pro defunctis. in craſtino autem poſt Matutinas pulſentur denuo omnia ſigna, & agatur officium pro defunctis; ad Miſſam vero matutinalem feſtivo more agatur officium, omnia ſigna pulſentur, tractum à duobus fratribus cantetur. Cuncti fratres offerant privatim; & publice Miſſam celebrent pro requie omnium animarum fidelium, & duodecim pauperes reficiantur. Et ut hoc decretum perpetuum vigorem obtineat, volumus & petimus, & præcipimus, ut tam in hoc loco quam in cunctis locis ad iſtum locum pertinentibus ſervetur, & ſi alius aliquis ex iſta noſtra fideli inventione ſumpſerit exemplum, particeps omnium bonorum efficiatur votorum. Ergo qualiter omnium memoria Chriſticolarum ſemel in anno agatur, monuimus & præcipimus, dignum profecto ducimus, ut pro noſtrorum fratrum animabus ſub almi Benedicti norma in cœnobiis Domino militantibus, ut divinis aliquid obſequiis plus more ſolito adaugeamus, necnon ut memoria cari noſtri Imperatoris Henrici cum eiſdem præcipue agatur conſtituimus, ut merito debemus, multis ab ipſo ditati opibus. ſcilicet ad vigiliam mortuorum poſt pſalmum, *Ad Dominum cum tri-*

Digitized by Google

bularet, qui poſt lectiones recitatur, *Domine quid multiplicati ſunt*, dicamus: ad matutinas laudes poſt *De profundis, Uſquequo Domine*. Ad Veſperas poſt *Lauda anima mea Dominum*, *Niſi quia Dominus*, ad *Deus auribus noſtris*, poſt *Domine refugium*, *Dominus regit me*. Ad letaniam, *Judica me Deus & diſcerne*. Et ita divina favente gratia, ut præmiſimus, eorum agatur memoria per omnia futura tempora, tam in hoc loco, quam in omnibus ad hunc reſpicientibus. ANN. CH. MXLIX. I. JANUAR.

114. *Hujus Inſtituti meminit Udalricus libro* I. *Conſuetudinum Cluniacenſium cap.* 42. *ubi cum egiſſet de feſtivitate omnium Sanctorum, ſubdit de ſequenti die, decretum eſſe à patre Odilone, ut ſicut in priori die commemoratio fieri ſolet omnium ſanctorum, ſic & in ſequenti fieret commemoratio omnium fidelium defunctorum. Tum de occaſione inſtituendæ hujus conſuetudinis ſic proſequitur:* Unde acciderit quod hoc pius Pater conſtituit, qui ejus vitam legerit, ibi bene hoc ipſum cognoſcere poteſt. *quæ Udalrici verba confirmant ea, quæ in utraque beati viri Vita de hac re habentur. Suffragatur quoque Gaufridus prior Voſienſis in Chronico cap.* 12. *ubi ait Odilonem* divina revelatione *inſtituiſſe* feſtum defunctorum, *quod* poſt feſtivitatem omnium ſanctorum celebravit, & toti Ordini ſuo celebrandum indixit. *quæ inſtitutio brevi apud alias quoque eccleſias invaluit, ut inter alios teſtatur Sigebertus Gemblacenſis monachus in Chronico, ubi poſt relatam ad annum* CMXXVIII. *ſupra memoratam viſionem, & Odilonis de celebranda defunctorum memoria conſtitutionem, ſubjungit:* qui ritus ad multas eccleſias tranſiens, fidelium defunctorum memoriam ſollemnizari fecit. *Id à Notgero epiſcopo in diœceſi Leodienſi receptum fuiſſe monet Anſelmus ejuſdem eccleſiæ Canonicus capite* 53. *in geſtis pontificum Leodienſium, ubi poſt expoſitam hujus ſollemnitatis à ſancto Odilone inſtituendæ occaſionem, ſubjungit eam variis in eccleſiis ſtatim receptam fuiſſe, tum,* quam, *inquit*, conſuetudinem etiam epiſcopus Chriſti Notgerus ad ſuam diœceſim tranſtulit, eamque ſollemniter fieri ordinavit. Ab Uldarico, &c. laudatur.

115. *Trithemius in veteri editione Chronici Hirſaugienſis decretum ea de re à ſancto Odilone factum conſignat anno* MX. *quo anno narrat hiſtoriam vulgatam Eremita, qui huic inſtitutioni occaſionem præbuiſſe dicitur. Eum vero inhabitaſſe ſcribit eremum juxta montem Æthnæ ſeu Vulcani in Sicilia ſitum. Hæc eadem, ſed paullo fuſius, repetit in nova ejuſdem Chronici editione Sangallenſi, niſi quod loco Eremitæ monachum quemdam peregrinum è Cluniacenſi familia inducit. Subdit deinde inſtitutum iſtud à Johanne* XVIII. *pontifice Romano confirmatum fuiſſe. quod potius ad Johannem* XIX. *referri debet, ſi hæc ipſa conſtitutio poſt Henrici Auguſti obitum, ut in Decreto à nobis ſuperius laudato diſertis verbis habetur, facta fuerit. ſi quidem Johannes* XVIII. *jam è vivis exceſſerat ab aliquot annis, cum ſanctus Henricus obiit. Longius à vero abeſt, quod in veteri Martyrologio Adonis ex Corbeienſi ſancti Laurentii præpoſitura habetur his verbis:* IV. Nonas Novembris.... item ipſo die generalis memoria fidelium defunctorum, conſtituta à beato Odilone, auctorizata vero & confirmata à beatiſſimo papa Leone, anno ab Incarnatione Domini milleſimo-ſecundo. *Hoc quippe anno Silveſter, non vero Leo Romæ ſedebat. ſed error eſt fortaſſe amanuenſis, qui vocem* quinquageſimo *incaute omiſerit. anno quippe hujus ſæculi ſecundo ſupra quinquageſimum Leo* IX. *vir ſanctiſſimus Romanam eccleſiam regebat.* Quo tempore factu.

X. Odilo ſtudia promovet. Ejus ſcripta.

116. *Odilonem litterarum ſcientiam cum honeſtate morum in ſe ipſo conjunxiſſe, probant ea quæ jam de ipſius virtutibus diximus, & opera quæ edidit. Studia vero etiam in ſuis approbaſſe diſcimus ex iis, quæ ad illa promovenda ab eo facta fuiſſe apud vetuſtos auctores paſſim legimus. Certe Abbo Floriacenſis abbas, vir illorum temporum ſanctitate & doctrina celeberrimus, ſcripſit epiſtolam prolixiorem ad cujuſdam monachi Cluniacenſis* attenti & docilis *petitionem*, de repetitione ſimilium numerorum, qui habentur frequentius in canonibus Evangeliorum. *quam* Odilo ſtudiis favet.

Digitized by Google

ANN. CH. MXLIX. I. JANUAR.

quidem quaſtionem ſe mandaſſe ſcriptis, & prolixiore ſermone expoſuiſſe teſtatur; quod nequiviſſet illi ex tempore facere ſatis, tum ob ipſius quaſtionis difficultatem; tum quod tempus ad integram illius explanationem non ſuffeciſſet: ex quo patet monachum illum ad difficiliores ſcriptura ſacra quaſtiones enodandas animum applicuiſſe. Studiis etiam Hiſtoria incumbebant monachi Cluniacenſes ſub beati Odilonis regimine, ut patet ex Glabri Rodulfi hiſtoria, ipſimet Odiloni nuncupata, quamque ſe ſuſcepiſſe ſcribendam Glaber teſtatur, ſtudioſorum fratrum querimoniis excitatum, qui ægre ferebant neminem inveniri, qui ſuorum temporum eventus tam in eccleſiis Dei quam in plebibus poſteritati commendaret: tum dicit ſe hac in re Odilonis præceptioni ac fratrum voluntati obedientem præſtitiſſe. Et ne quis fortaſſe putet hanc Hiſtoriam pro monachis ſcriptam non fuiſſe, Glaber hanc ipſam pro Religioſis ſe ſcripſiſſe diſertis verbis affirmavit. Vitam ſancti Maïoli cum duobus libris miraculorum domni ac reverentiſſimi abbatis Odilonis paterno imperio obediens ſcripſit Syrus monachus. Cetera omittimus, ut dicamus aliquid de ipſiſmet beati Abbatis operibus & doctrina.

Ejus eruditio.

117. Odilonis eloquentiam laudat Abbo Floriacenſis abbas in epiſtola ſuperius laudata, Jotſaldus vero ejuſdem in ſcripturis eruditionem & in ſermone facundiam pluribus commendat in ejus Vita. Ejuſdem exhortationes laudat Petrus Bleſenſis in epiſtola 123. qua eſt ad Richardum Londonienſem epiſcopum, ubi refert aliquot ſancti abbatis loca de ſanctiſſimo Euchariſtia ſacramento. Trithemius, qui ejus ſolummodo ſermones viderat, eum tamen recenſet inter viros doctos, qui ſaculo XI. floruerunt. Eidem cum iis, qui ortu & doctrina inſignes erant, locum conceſſit Platina. Ad calcem veteris codicis mſ. eccleſia Anicienſis, exſtant nonnulli verſus de laudibus ſancti Maïoli, qui beato Odiloni inſcripti ſunt. Horum aliquot proferimus, in quibus beati viri doctrina laudatur.

> OYDELIO domino patri, probitate colendo,
> Dogmate perſpicuo, divino munere fulto,
> Quem Domini Phœbum dat nobis onoma græcum,
> Cum grege commiſſo Regi parente ſuperno,
> Hunc omnes fratres Domini matri famulantes
> Vallari rogitant, & pervenire peroptant, &c.

Scripta.

Omitto auctores, qui virorum illuſtrium catalogos contexuere: at mirari ſatis non poſſumus beati viri humilitatem, qui ſibimet ipſi ita vilis & abjectus videbatur, ut Vitam Adheleidis imperatricis, quam Baſilii & Hieronymi more Epitaphium nuncupavit, ſe ideo ſolum ſcripſiſſe vili brevique ſermone dixerit, ut occaſionem praberet alicui viro erudito de tam ſancta Imperatrice digne & competenter, prout par erat, ſcribendi. Eodem ſpiritu ductus vitam ſancti Maïoli ſui præceſſoris conſcripſit ſecundum parvitatem intellectus ſui, ut ipſe aïebat. Hymnos etiam & orationes aliquot in Officiis divinis de ſancto Maïolo & ſancta Adheleide, in horum feſtivitatibus recitandas compoſuit. qua omnia in Bibliotheca Cluniacenſi edita ſunt cum ejus ſermonibus, aliquot epiſtolis, profeſſione fidei, & orationibus nonnullis. Tres item ejuſdem beati viri epiſtolas edidit noſter Lucas Dacherius in Spicilegii tomo 2. quas ex archivis Cluniacenſibus deſcripſerat. Unum item ex ejus ſermonibus ineditum pra manibus habemus, quem de ſollemnitate ſancta Crucis compoſuit. Huc etiam revocari poteſt ſollicitudo beati viri pro aſſervandis privilegiorum & donationum monaſterio ſuo factarum chartis, qui earum collectionem accuratam fieri ſategit, ut diſcimus ex collectoris prologo in veteri mſ. Cluniacenſis cœnobii. Denique prater hac omnia, à nonnullis ex cod. mſ. laudatur chronicon quoddam vetuſtum noſtro Odiloni tributum. ſed cum ejus rei apud veteres nullum exſtet veſtigium, conjicimus Odilonis nomen, pro Odone in hunc codicem irrepſiſſe. & quidem monachus Majoris monaſterii, qui geſta Conſulum Andegavenſium collegit, edita tomo 10. Spicilegii Acheriani, laudat Thomam Luochenſem, qui breves chronicas nomine Odonis abbatis

intitulatas conſcripſit; non alias, uti videtur, ab iis, quæ illi Odiloni noſtro tribue- ANN. CH. MXLIX. I. JANUAR.
runt. Ceterum ea qua pollebat vir ſanctus humilitas non minus in ejus ſcriptis, quam in ceteris vitæ ejus actionibus eluxit, ita ut ea propriis etiam diſcipulis examinanda committere non erubeſceret. Teſtis eſt hujus rei ipſemet ſanctiſſimus abbas, qui ea de cauſa vitam ſancti Maioli à ſe exaratam Hugoni & Almanno Cluniacenſibus monachis nuncupavit, ut ex epiſtola vitæ præfixa patet, quam hic brevitatis cauſa omittimus, quod jam non ſemel edita ſit.

XI. De aliquot beati viri Diſcipulis.

118. *Ita ſuave erat Chriſti jugum ſub beati Odilonis regimine, ut mirum non ſit, ſi complures genere aliiſque dotibus illuſtres viri relictis ſæculi pompis, Cluniacenſibus accenſeri voluerint, eo tempore quo percelebri illi monaſterio præfectus erat. Eos omnes recenſere nec vacat, nec ſinit multitudo. Nonnullos ex illuſtrioribus memorare ſufficiat, præter eos quos ſupra ex variis chartis in parag.* I V. *laudavimus. Inter eos vero, qui ſcientia & litterarum ſtudio illuſtres fuerunt, Sirus, Arlebaldus, & Jotſaldus locum habere debent; ſed unus omnium loco eſſe poteſt ſanctus Hugo, ſanctitatis ejus ſimul & dignitatis ſucceſſor: nec defuerunt epiſcopi, qui ſub Odilonis diſciplina vitam humilem ducere maluerunt, quam ceteris præeſſe. Certe cuidam chartæ, quam ſupra num.* 27. *laudavimus, poſt Odilonem abbatem & Vivianum præpoſitum,* Ledbaldus *epiſcopus ſubſcripſit: unde conjicimus eum relicta ſede Epiſcopali tunc temporis apud Cluniacum monaſtica vita nomen dediſſe. Alium vero Ledbaldum epiſcopum iſtis temporibus neſcimus, præter Ledbaldum Matiſconenſem, aliunde ſatis notum, qui, ut ex variis chartis diſcimus, monaſterio Cluniacenſi nonnulla contulit. Hunc tamen ipſum eſſe in ea charta memoratum aſſeverare abſque alio argumento non audemus. Habemus item in epiſtola Silveſtri II. Papæ, à nobis ſuperiùs laudata, Epiſcopum quemdam cujus nomen non expreſſit, qui relicta ſede ſua Cluniacum ſeceſſerat. An is fuit Letbaldus, aut Sancius epiſcopus, incertum eſt. Sancium dimiſſo epiſcopatu ex Hiſpania Cluniacum adventaſſe, ubi ſub Odilonis regimine monaſtica vitæ inſtitutum profeſſus eſt, colligimus ex beati viri epiſtola* 1. *Spicilegii tomo* 2. *edita, quam Paterno epiſcopo ſic inſcripſit,* Igne, *&c.* frater Odilo cum domno epiſcopo Santio, omniſque pauperum Cluniacenſium congregatio, &c.

119. *Richardum quemdam epiſcopum laudat ſemel & iterum Jotſaldus libro* 2. *quem beati viri diſcipulum & ejus itinerum comitem fuiſſe ſcribit. Denique Vvalterium epiſcopum Matiſconenſem in monaſterium Cluniacenſe ſeceſſiſſe, ubi ſub habitu monaſtico defunctus eſt, narrat Sanjulianus ex veteri catalogo, in Hiſtoria Matiſconenſi. quod idem habent quoque Sammarthani in Gallia chriſtiana. Abbates ejus diſcipuli tot recenſeri poſſent, quot fere monaſteria ad meliorem frugem revocavit. Ex his in ejus vita à ſancto Petro Damiani edita laudatur Adraldus Bremetenſis abbas. Nec repetere hic vacat, quæ ſupra diximus de Paterno & Garſia abbatibus, qui Regulæ Benedictinæ, ſimul cum inſtitutis Cluniacenſis monaſterii, accuratam obſervationem in Hiſpaniæ monaſteriis renovarunt. Alii aliis in locis paſſim occurrunt apud vulgatos auctores. ſed multo plures ſunt, qui hominibus licet ignoti, vivunt in perenni gloria. Talis fuiſſet Vvalterius, cujus nec nomen, nec ulla geſta perſpecta haberemus, niſi Glaber ejus mentionem, occaſione quaſi fortuita, eum nobis notum feciſſet. Erat quippe homo nec corporis ſtatu, nec ingenii ſubtilitate multum commendandus, ſed ſanctitate morum & cordis puritate Deo acceptiſſimus, ut ex ejus vitæ exitu patuit. ſed ipſius Rodulfi Glabri verba proferre libet, ex libro* 5. *Hiſtoriæ cap.* I. Contigit ibidem, *Cluniaci*, ipſo tempore, *ſancti Odilonis*, ut aliqui è fratribus migrarent ex hac vita, quorum unus, nomine VVALTERIUS, cognomento, ut erat ſtatura, Puſillus, ac natura ſimpliciſſimus, incipiente nocte magni ſabbati reſurrectionis Dominicæ obiit. Apparuit enim in hora ſui exitus innumerabilibus viris ac mulieribus columna lucis igneæ à culmine

Digitized by Google

monaſterii ad cælum uſque pertingens : quibus nempe non dubium fuit miſericordiſſimi Dei actum largitione, qui animam fratris iſtius ſuæ glorioſæ reſurrectionis voluit participem fore, ac viventibus viam innocentiæ demonſtrare. *Vvalterius in faſtis Benedictinis cum titulo beati locum invenit, die 7. Aprilis. Nullo tamen cultu publico umquam donatus fuit. Jotſaldus in planctu quem edidit de beati Odilonis obitu, ei gratulatur, quod in futura reſurrectione multis diſcipulis ſtipatus Chriſto Domino ſit obviaturus.*

Odilo tuncque novus cæleſti lumine clarus,
Sanctorum medius incedet, & obvius ibit,
Agmine multorum vallatus commilitonum,
Quos Domino verbis, exemplis conſociavit.

Caſimirus rex.

120. *Hic autem omittere non licet Caſimirum Miceſlai II. Polonorum regis filium, quem Hiſtoriæ Polonicæ ſcriptores aiunt poſt patris mortem, quod regni proceres Rikſchæ matris ejus regimen ferre non poſſent, adhuc juvenem è regno pulſum, in Cluniacenſe monaſterium ſeceſſiſſe; ibique abjectis ſæculi pompis monaſticam vitam profeſſum Diaconum fuiſſe ordinatum. Sed cum crebreſcentibus in Polonia diſſidiis calamitates publicæ eo crevisſent, ut nulla reſtituendæ tranquillitatis ſpes affulgeret, niſi regnum Caſimiro reſtitueretur, Rex ab omnibus Caſimirus etiam abſens proclamatur: & legati, qui eum accerſerent, quocumque in loco deliteſceret, quo enim ille ſeceſſiſſet nullus ſciebat, deputantur. Hi poſt varias fortunas à Rikſcha accipiunt Caſimirum Cluniaci monaſticam vitam profeſſum, nihil jam de rebus terrenis cogitantem degere. Illi tamen Cluniacum petunt, Regem ſuum ſalutant, abbatémque precantur, ut licentiam ei det repetendi regni, cum alia non ſupereſſet via tam nobilem Chriſtiani orbis portionem ab imminenti exitio liberandi. Negat Odilo, proteſtatus id in ſua poteſtate non eſſe conſtitutum; nec umquam id permiſſurum reſpondet abſque ſpeciali pontificis Romani mandato. Romam itaque legati contendunt, expoſitiſque Pontifici, (is erat Benedictus IX.) regni calamitatibus, & acceptis variis conditionibus, quas iſti auctores memorant, poſtulata impetrant. Atque ſic Caſimirus, diſſoluto caſtitatis voto, monachus ſimul & diaconus in Poloniam revertitur, Rex iterum proclamatur, uxorem ducit, filios procreat. Memor tamen ſuæ conditionis priſtinæ, pietatis officiis, quantum ſtatus ferebat, animum applicuiſſe dicitur, & varia monaſteria pro ſuis Cluniacenſibus exſtruxiſſe. Ne vero tanti beneficii immemores aliquando eſſent Poloni, cautum eſt, ut præter nummum annui cenſus, quem regni nobiles ſedi Apoſtolicæ ſolvere tenerentur, illi etiam cæſariem in modum coronæ deferrent, & alia præſtarent quæ Poloniæ Hiſtorici fuſius narrant. De hac enim re in veteribus Cluniacenſis monaſterii inſtrumentis nihil reperire licuit. Caſimirus vero regnum iniiſſe dicitur anno* MXLI. *quod defunctus anno* MLVIII. *filio ſuo Boleſlao II. reliquit. Ceterum initio ſæculi* XIV. *Voladiſlaum, qui primum Ciſtercii, tum in monaſterio ſancti Benigni Divionenſis monachus converſus fuerat, à votis abſolvit Clemens V. ſummus Pontifex, ut Caſimiro Poloniæ regi defuncto ſuccedere valeret. Sed innuit Pontifex in litteris ea de re datis, quæ habentur tomo 7. Spicilegii Acheriani, iſtius profeſſionem liberam non fuiſſe. Caſimirum cum* beati *titulo commemorat Bucelinus in Menologio Benedictino die 28. Novembris.*

Alii viri illuſtres.

121. *Mirum eſt, quanti fecerint beati Odilonis conſilia plerique ejus temporis antiſtites & alii viri potentia & ſæculi dignitatibus illuſtres, quibus cum pro ſuæ conditionis ſtatu in monaſteriis degere non liceret, ita tamen ſeſe ſuaque omnia beati viri regimini commiſerant, ut nihil alicujus momenti abſque ipſius conſilio aut juſſu facere aggrederentur. Ex his fuit Fulbertus Carnotenſium epiſcopus, præclariſſimum hujus undecimi ſæculi lumen, qui ſe excuſans quod ad beatum virum accedere non potuiſſet, ſpondet ſeſe id quam primum ei licuerit, facturum.* Veniam, *inquit*, aliquando ad vos, quos vere inhabitat Spiritus-ſanctus, conſilium divini oraculi petiturus, &c. *& certe ex Epiſtola quam beatus abbas ad Fulbertum ſcripſit,*

Digitized by Google

& ex illis quas ipſe Fulbertus ad eum direxit, quæ habentur in Bibliotheca Cluniacenſi col. 351. *patet Fulbertum ita ſeſe beato Odiloni ſubjeciſſe, ut totus ex ejus nutu penderet. Non enim de uno aut altero negotio, ſed de toto ſuæ ipſius vitæ ſtatu conſilium ab eo requirebat. In alia epiſtola Leutherico Senonum archiepiſcopo ſuadet, ut ſeſe omnino* Odilonis & ejus aſſeclarum conſilio *committat, ſi ipſe velit* non ſolum animæ periculum, ſed & vitæ præſentis gloriam & honorem recuperare. *Deplorat ſortem ſuam H. quidam monachus in epiſtola ad Divionenſes monachos, Spicilegii tomo* 2. *pag.* 390. (*is eſt ut puto Halinardus ſancti Benigni poſt Guillelmum abbas*) *quod abſens tardius nuncium accepiſſet de Odilonis apud Divionem adventu; ubi eum potuiſſet videre. En ejus verba:* Quod tarde, *inquit*, domni ſanctiſſimique patris Odilonis ad vos mihi adventum mandaſtis, valde effectus ſum triſtis; quia quem longe poſitum dulciſſimæ ac benigniſſimæ gratia conſolationis decreveram quærere, propriam viſitantem patriam non potero videre, &c. *Alia occaſione Alinardus vidit beatum Odilonem, ut teſtatur ipſemet Odilo in charta quadam compoſitionis factæ inter ſe ipſum & Elizabeth Balmæ abbatiſſam, cujus rei gratia Odilo cum aliquot è ſuis, & ex altera parte abbatiſſa, comitata pariter aliquot ſanctimonialibus, prout ferebat iſtorum temporum conſuetudo, in locum deſignatum convenerant. Id ipſum narrat Odilo in veteri hujus rei notitia, quæ in Chartario Cluniacenſi habetur.* Ego Odilo Clun. monaſterii preſbyter & monachus, & domnus Rotbertus ejuſdem loci præpoſitus, notum eſſe volumus, contentionem cum ratione & pace inter nos & abbatiſſam monaſterii de Balma Elizabeth fuiſſe pro prædiolo juxta villam Givriacum. Ob id ſimul dicta abbatiſſa & plures Dei ancillæ cum illa & nos ad ſupradictum locum convenimus, ubi præſentes fuerunt venerabiles abbates domnus Allenardus, domnus Guidricus, domnus Otgerius, &c. qui rem compoſuere; & partes fraternitatem mutuam pepigere. *Nulla appoſita eſt huic chartæ data, ne quidem in autographo; eam tamen poſt annum* MXXX. *factam fuiſſe colligimus, quod Alinardus anni* MXXXI. *initio Guillelmo ſuffectus fuerit. Et quidem Robertum Cluniaci priorem tunc temporis fuiſſe ex multis chartis patet, quas ſuo loco laudavimus.*

122. *Ceterum Odilo non quæ ſua erant ſed quæ Jeſu-Chriſti attendens, haud minus aliorum quam propriæ utilitati invigilabat. Cujus rei præclarum argumentum ſuppeditat Hugo Flaviniacenſis abbas in chronico Virdunenſi, ubi narrat beatum Richardum & Fredericum comitem, abjectis jam ſæculi pompis, de eligendo monaſterio, ubi vitam religioſe tranſigerent, ſollicitos ad beatum Odilonem acceſſiſſe, ut ea de re conſilium ab eo acciperent, paratos ſeſe beati viri diſciplinæ ſubjicere, ſi id melius ipſi videretur. At vir ſanctus prophetiæ ſpiritu plenus, eis, ut ad beati Vitoni Virdunenſe monaſterium, quod jam elegerant, remearent perſuaſit,* adjiciens, *inquit ille auctor,* poſſe per eos fieri in proceſſu temporis, ut habitacula ſervorum Dei nunc modica poſtmodum creſcerent, & fieret eorum induſtria locus ille inſignis, qui tunc videbatur anguſtus & deſpicabilis. *Pluribus extollit poſtea idem Hugo beati Odilonis caritatem, utpote qui hac actione ſinceræ caritatis exemplum præbuerit; multo magis de alieno quam de proprio bono ſollicitus. Unde concludit totum, quantus quantus ille fuerit, Virdunenſis monaſterii profectum beato Odiloni acceptum referri debere.*

XII. Odilonis Elogia ex variis auctoribus.

123. *Quamvis tot tamque præclaræ virtutes, quibus Odilonem enituiſſe fuſe probavimus, videantur ad ejus elogium conficiendum pluſquam ſufficere, operæ tamen pretium erit huc proferre elogia aliquot, quibus ab auctoribus potiſſimum æqualibus fuit donatus, ut inde pateat, quo in pretio tantus vir apud omnes fuerit. Et quidem tanta erat ſanctitatis fama Odilonis, fratrumque ſub ejus regimine degentium, ut vulgo monaſterium Cluniacenſe præ ceteris* & religione præcipuum, & divitiis opulentiſſimum *diceretur. Id teſtatur Hugo in Chronico Virdunenſi, & Johannes*

Ann. Ch. MXLIX. I. Januar. *XIX. Romanus pontifex in epiſtola quam ſupra laudavimus, Gauſlenum epiſcopum Matiſconenſem arguit, quod* cœnobium Cluniacenſe *perturbaret* cunctis pæne nationibus ſanctitate præfulgens, *cujus abbatem appellat* venerandum etiam infidelibus patrem domnum Odilonem. *Injurias eidem loco illatas in totam eccleſiam redundare innuit Benedictus VIII. ſcribens Galliarum Epiſcopis in hæc verba: Cluniacenſis monaſterii* diſpendium, commune eſt omnium noſtrorum detrimentum, *ob ſcilicet interruptas orationes, aliaque pia opera, quæ eo loci pro totius Eccleſiæ ſtatu jugiter fieri ſolebant. Unde Cluniacenſium monachorum preces tanti faciebat Silveſter II. ut ſe omnino eis commendatum vellet.* Veſtris, *inquit*, nos ſanctiſſimis omni tempore committimus orationibus; & ut accipere dignemini fidelibus exoramus petitionibus. *Idem Odilonem* præclarum abbatem *nominat. Summorum pontificum veſtigiis inhæſerunt ceteri epiſcopi. Odilonem, ut modo dicebamus, veluti patrem ſuum venerabatur Fulbertus Carnotenſium antiſtes, qui eum* ſanctum monachorum Archangelum *appellare conſueverat. Eumdem veluti* clariſſimum in mundo ſpeculum *à Deo datum fuiſſe dixerunt Carnotenſes canonici, quem* ſanctiſſimum patrem *adhuc viventem in epiſtola ſua nuncupant. Hunc ipſum* in noſtra, *id eſt monaſtica*, profeſſione ſingularem *ab Abbone Floriacenſi in epiſtola quam ſupra laudavimus, dictum fuiſſe jam à nobis obſervatum eſt, at in epiſtola ad G. abbatem, illum tamquam* totius Religionis ſigniferum *commendat. Eumdem ſancto Maïolo* virtutibus & merito vitæ non diſparem *fuiſſe teſtatur auctor Chronici ſancti Maxentii. Virum* vitæ & famæ venerabilem *appellat Leo Marſicanus in chronico Caſinenſi. Arvernorum regioni gratulatur Petrus Pictavienſis, quod talem alumnum, quem* Odilonem magnificum *nuncupat, protulerit. Petro autem Venerabili abbati Cluniacenſi cui panegyricum dicit, Odilonis & aliorum patrum* ſpiritum *optat. Laudatur à Sigeberto aliiſque Chronographis, quod monaſterium Cluniacenſe per annos* LVI. miro religionis fervore *rexerit* & provexerit. *tum addit:* qui præter cetera, pietate etiam inſignis, non ſolum vitæ exemplis, ſed etiam miraculis in vita claruit, &c. *quæ verba Chronographus noſter Magdeburgenſis in cod. mſ. adoptavit. At idem Sigebertus ad annum* MXLVIII. *inter* viros religioſos & illuſtres ſanctitate *eum prædicat. & ad annum* MXXVII. *inter* abbates nominabiles, *quorum opera* religio eccleſiaſtica florebat, *eumque* pietate inſignem *peculiariter nuncupat. Eumdem Maïoli ſucceſſorem & virtute ei non imparem prædicat Ademarus. Ipſum, uti jam diximus, reverebatur tamquam* templum Spiritus-ſancti *Guillelmus Dux Aquitanorum;* Virginem centenarium *alii vulgo appellabant, quod eum centuplum fructum in Eccleſia agro proferre putarent; alii* clementiſſimum patrem *nuncupabant, quod ſeſe totum miſericordiæ operibus impenderit; alii denique aliis encomiis ejus ſanctitatem, præclaraque opera celebrare ſtuduerunt, quorum verba referre non vacat; ſatis fuerit ſi hæc omnia beati Bernardi ſententia concludamus, qui in Apologia ad Guillelmum abbatem Cluniacenſes monachos adhortatur, ut ad ſanctos Odonem, Maïolum, Odilonem & Hugonem, quos ipſi* principes & præceptores habere *gloriabantur, attendentes, mores ſuos reformare ſatagant.*

XIII. Beati Odilonis morbus extremus, obitus. Cultus ſacer.

124. *Quæ à beato Odilone geſta ſunt cum morti proximus ſeſe ad cæleſtis patriæ iter accingeret, ita accurate deſcripſit Jotſaldus in vita quam inferius daturi ſumus, ut vix quidquam ea de re hic adjiciendum videatur. Certe habemus epiſtolam monachorum Silviniacenſium ad quemdam abbatem de beati Odilonis exitu ſcribentium ea quæ coram viderant & audierant; ſed in qua nihil fere aliud occurrit præter ea quæ à Jotſaldo referuntur. Eam tamen huc referre viſum eſt, quod paullo poſt beati abbatis obitum ſcripta ſit, & conferre poſſit ad conciliandam noſtro Jotſaldo auctoritatem. Hanc vero Epiſtolam habemus ex 2. codicibus mſſ. uno ſcilicet Chriſtinæ Reginæ Sueciæ, qui olim fuit ſancti Maglorii Pariſienſis, altero ſancti Mauri Foſſatenſis.*

tenſis. In priori hunc præfert titulum : Epiſtola monachorum Silviniacenſium ad A. abbatem Cluniacenſem. Incipit, &c. *In altero,* De obitu Odilonis abbatis. Totius nobilitatis, &c. *Perſuaſum autem habemus titulum in codice Magloriano appoſitum, ſincerum non eſſe, quod vel ex ſola epiſtolæ lectione patet, ſed tamen quis fuerit ille* A L. *vel* A. *qui in utroque codice* abbas abbatum *appellatur, ſi conjicere licet, non alius videtur quam Albertus Majoris-monaſterii tunc abbas. Nobis ſatis fuerit hanc epiſtolam, prout eam invenimus, hîc integram repræſentare.* ANN. CH. MXLIX. I. JANUAR.

Incipit qualiter domnus abbas ODILO migravit ad cælos, & de virtutibus ejus.

TOtius nobilitatis & ſanctitatis luce coruſco, in domo Dei olivæ fructiferæ, domno A L. * abbati abbatum humilis concio Silvinienſis, Regem cælorum & regnum. Quia, ſanctiſſime pater, comperimus vos admodum velle ſcire, quot dies beatæ memoriæ domnus & abbas Odilo languerit jacendo in ultima infirmitate, quidve appropinquante hora vocationis ſuæ fecerit vel dixerit, necnon quid benigna Dei pietas, poſtquam exceſſit ad ſuperos, demonſtravit ad tumulum ejus, ſtuduimus vobis breviter cuncta innoteſcere. Poſt duos menſes ergo, ex quo domnus Abbas venerat ad nos gratia viſitandi tumulum ſancti Maïoli prædeceſſoris ſui, volens Cluniacum redire, rogatus eſt quamdam eccleſiam adire, ibique die Dominico, adſtante innumera multitudine hominum, miſſam canere. Hinc vero altera die, quæ tertia-decima eſt à die Natalis Domini, dum revertebatur, ſolitus dolor ventris eum invaſit, & invadendo per ſex continuos dies torquere non deſtitit. poſt quos tandem relinquens illum, ſolam corporis defectionem, uti ipſe referebat, non dolorem pertulit, non valens ultra quicquam cibi vel potus ſumere, præter aliquid mulſi, quod etiam poſt modicum projiciebat. Vigilia enim Natalis Domini veniens in capitulum, ſe ſolo ubertim lacrymas fundendo proſtravit, cum Domini nativitatem pronunciare audivit. Denique ſermonem poſtquam mirifice peregit, ſeipſum valde cœpit judicare, dicens ſe nihil boni umquam egiſſe, attamen Dei gratia virginem corpore eſſe; & nos abſolvens, & ſummo Paſtori commendans benedicendo admonuit, ut ipſam ſacratiſſimam ſollemnitatem cum gaudio ſpirituali celebraremus, nihilque ob ſui incommoditatem dimitteremus. Ad matutinos vero in eadem nocte in oratorium beatæ virginis Mariæ ipſe delatus, cum pſallentibus coram ſe fratribus pſalmos & reſponſoria cecinit, benedictiones protulit, *Te Deum laudamus* adniſu quo valuit excelſa voce pronuntiavit. Enimvero quia jam terrenum cibum omiſerat, ſpiritualem quotidie ſumebat, faciendo coram ſe legere ſanctorum Patrum ſermones, eorumque ſuffragia implorando, quo ex hac lacrymarum convalle eorum precibus aſſumeretur. Porro vigilia feſtivitatis ſancti Silveſtri, antequam fratres ad matutinos ſurgerent, ſentiens ſe ingraveſcere jamjamque propinquare ad exitum, communionem Dominicam & crucem ſibi juſſit afferri, quam crucem ut vidit, ſtatim ab imo pectoris longa ſuſpiria protrahere cœpit, eamque lacrymas fundendo, & quaſdam orationes, quas corde tenus retinebat, decantando, adoravit: ſicque ſanctam communionem ſuſcepit. Eadem vero die, veſpertinali ſcilicet hora, ante altare ſanctæ Dei genitricis Mariæ faciens ſe deferri, ibique veſperas ſollemniter canere, diutiſſime eam cum lacrymis rogavit, quo ſui dignaretur miſereri. Denique ſe faciens iterum referri in domum infirmorum, poſtquam aliquantulum videlicet quievit in lectulo, ſeſe erigere fecit, & inde ſedendo tenere, quo uſque ſubito caput inclinavit. quod ſtatim ut viderunt qui adſtabant, nos vocaverunt, ponentes eum interim in cilicio, & lumina accendentes, quia nox immi-

* *cod. Mag.* A.

ANN. CH. MXLIX. I. JANUAR. nebat, qua ſacratiſſimus dies Circumciſionis Domini habetur. Occurrentibus ergo nobis continuo, & vocem in cælo cum lacrymis dando ob tanti patris amiſſionem, innuit ipſe ut taceremus: quibus tacentibus, interrogavit illos qui ſe tenebant, ſi eſſet poſitus in cilicio. cumque illi reſpondiſſent, Utique. ſubjunxit ille; & dixit: Trahite me, reſpiciens neſcimus quid. Quod verbum quidam ex nobis cum non bene intellexerunt, ei dixerunt protinus: Domine, dicitis ut vos radamus. Quibus ille reſpondens, dixit valde aperta voce: Numquam hoc dixi quod dicitis. Deinde reſpiciens terribiliter contra orientem quaſi cum aliquo loqueretur, cœpit alternatim ſilere & fari. Tum poſtquam ejus organum quaſi ridendo diutiſſime viſum eſt moveri, felix ejus anima migravit ad cælos. Hinc corpus ejus ut fuit lotum & aromatibus conditum, ac iiſdem veſtibus, quibus ipſe vivendo juſſerat, indutum, delatum eſt in eccleſia, & poſitum ante altare apoſtolorum Petri & Pauli, ubi maximus dolor & luctus actus eſt ab illis, qui excubias ante ejus feretrum illa nocte peregerunt.

Interea quidam frater, nomine Gregorius, valde religioſus, ſtratum petens, eum ſibi adſiſtere vidit, quaſi in eodem loco quo obierat: quem interrogans quomodo ſe haberet, memorans videlicet quod jam obiiſſet, reſpondit omnia bona ſibi proveniſſe, ipſumque Regem gloriæ Jeſum-Chriſtum ſibi occurriſſe. Dixit etiam quod forma diaboli inſtar tetri hominis ſibi adprimum apparuerit, oſtendens illi in quam partem, oſtium videlicet latrinarum, ſed confuſus abſceſſerit, cum in ſe nihil invenit. Deinde velociter tranſitus ejus perſonans, incredibilis multitudo hominum in obſequium funeris ejus agglomerari cœpit, quem * *univerſi* quodam germano & dulciſſimo affectu plangebant, & neſcimus quo divino inſtinctu, compunctius eum lugebant, ob id videlicet, quod eum placuiſſe Domino non ignorabant. Evolutis exinde paucis diebus, poſtquam eſt ſepultus in ſiniſtra ipſius eccleſiæ crypta prope altare ſancti Lauriani martyris, virtutum ſignis Salvatoris noſtri dignatio cœpit eum manifeſtare mundo. In Longoumnis villa quædam degebat vidua, cujus unica filia occulto Dei judicio, non ſolum mentis ſenſum perdiderat, verum etiam linguæ officium & aurium. Hanc itaque tertio in ſomnis admonuit *ipſe*, quod ad ſuum ſepulcrum eam duceret. Accipiens ergo mulier miſeram prolem, & ad ejus tumulum ducens, mox ut ei vinum * bibere, unde ſacratiſſimum ejus corpus fuit lotum, auribuſque infudit de eo, loquelam & auditum, ac ſenſum mentis recepit. Interim dum hæc grates perſolvebat omnipotenti Deo, quidam ſurdus adveniens, ſibi etiam infundi auribus ex illo vino rogavit, qui ſtatim audiens, rediit ad regionem deſerti unde advenerat. Quidam etiam homo ex Biturigenſi patria, qui per decem annos officium linguæ perdiderat, ad ejus tumbam accedens, poſt aliquos dies quo advenerat, loqui bene promeruit. Denique quidam vetulus in longiſſimæ cæcitatis remanens tenebroſitate, ilico ut cryptam, qua tumba ejus habetur, intravit, vigilia videlicet Ramis palmarum, ductori ſuo ſe clare videre dixit, gratia Dei & ejus meritis, cujus tumulum expetebat *. Quædam deinde mulier ex Montis-Lucii caſtro, aggravata videlicet viſus diſpendio, ad ejus mauſoleum ſe protrahi fecit: quo dum verba orationis multiplicat, & fide Deum invocat, adeſt beati Odilonis generale auxilium, quo cæcitas orbatæ mulieris depellitur ab oculis, quia filius lucis & ei non filius tenebrarum fuit. Ex Diezeze caſtro quidam homo ad ejus ſepulcrum veniens, loquendi officium quod perdiderat, non ſolum recepit, verum etiam pedis dextri & manus nihilominus, ſicque lætus ad propria remeavit. Turonis erat quidam vetulus, lumine oculorum privatus: hic ergo ſecundo poſtquam ad ejus ſepulcrum venit, lumen quod amiſerat recipere meruit.

* *Mag.* quia.

* *Foſſ.* unde.

* *Mag.* exſpectabat. pro ſpectabat.

Hæc de miraculis patris noſtri breviter vobis explicavimus. Dicuntur etiam præter ea multa, quæ ideo non creduntur, quia à contemtilibus perſonis referuntur. Valete *. ANN. CH. MXLIX. I. JANUAR. *Hic deſinit in Feſſat.

De electione vero clariſſimi patris noſtri domni HUGONIS abbatis, canticum novum cantantis, ſi cupitis noſſe, ſciatis illum ſecundum almi patris Benedicti imperium electum eſſe, omnique ſapientia & eruditione præditum, ac morum probitate, utilitate, honeſtate ſubnixum, abbatiæque honorem invitum accepiſſe, lacrymando ſcilicet & judicando ſe indignum eſſe tali honore. Denique à Burgundionum principibus & Arvernorum, immo & à ſummo Pontifice ſanctæ Apoſtolicæ ſedis valde diligitur, honoratur, attollitur; & quicquid in prædeceſſoris ſui erat ditione, ei conceditur & donatur.

Jodſaldus obſervat beatum virum in extremis poſitum fratribus ab eo ſciſcitantibus, quis in ejus locum monaſterii regimen eſſet ſuſcepturus, ab ejus quippe nutu omnino pendebant, reſpondiſſe, ſe hanc rem in Dei diſpoſitione & fratrum electione committere. *Verebatur fortaſſe beatus pater, ne ſi ipſe ſucceſſorem ſibi deſignaret, res in exemplum traheretur, eoque tandem deveniret, ut abbates Cluniacenſes non fratrum electione, quod tamen adeo diſerte praſcribit beati Legiſlatoris Regula, ſed ejuſmodi deſignationibus crearentur. Qui enim Cluniaci beatum Odilonem praceſſerant abbates omnes, aut à praceſſoribus ſuis fuerant deſignati, aut certe, veluti in ſubſidium ab iis adhuc viventibus in regiminis conſortium adſumti. Ita Bernoni ſucceſſit Odo, Odoni Aymardus, Aymardo Maïolus, uti ſaculo ſuperiori pag. 317. probatum eſt in ejuſdem Aymardi Elogio. Et tandem Odilonem eodem modo ſancti Maïoli primum collegam, tum ſucceſſorem fuiſſe nemo eſt qui poſſit inficiari. Ceterum Jodſaldo ſuffragatur Udalricus, qui libro 3. Conſuetudinum Cluniacenſis monaſterii capite 1. exponens qua ratione ad abbatis electionem procedendum ſit, ea qua poſt ſancti Odilonis obitum in beati Hugonis electione contigerant, in exemplum his verbis enarrat:* Beatus pater Odilo rogatus in extremis ſuis quid ſibi de ſucceſſore videretur, non adquievit ad hoc quemdam nominare. *Subjungit tamen aliquot è* majoribus & probabilioribus perſonis *monaſterii à beato ſene fuiſſe deſignatos, quorum judicio ac ſuffragiis ceteri ſtare poſſent; & quidem, ut idem auctor proſequitur, cum Prior clauſtralis primus omnium Hugonem, qui tum erat prior, nominaſſet, ceteri omnes unanimi conſenſu hanc electionem comprobarunt. Id fortaſſe innuere voluit auctor Chronici Malleacenſis, qui ad annum* MXLVIII. *ait, Odilonem in ſenectute bona annos* LXXVI. *(legendum* LXXXVI.*) natum quieviſſe;* in cujus locum, *inquit*, juſſu ſuo, & electione omnium fratrum, ordinatus eſt Hugo nobilis paſtor, vitæ merito non diſſimilis. Odilo electionis libertati providet.

125. *Cum vero Jodſaldus diſertis verbis ſcripſerit, beatum Odilonem ipſis Januarii Kalendis anno* MXLIX. *exceſſiſſe ex hac vita, nullus ea de re remanere poteſt ambigendi locus. Qui vero eum anno* MXLVIII. *obiiſſe ſcripſerunt, aut annum à paſchate incœpiſſe cenſendi ſunt; aut certe, cum in ipſa nocte, qua inter utrumque annum media fuit, beatus abbas exceſſerit, alii diei pracedenti, qui extremus erat anni* MXLVIII. *alii ſubſequenti, qui primus erat anni* MXLIX. *ejus obitum conſignaſſe videntur. Et quidem cum Jodſaldo teſte die dominica obierit Odilo, ejus mors neceſſario conſignanda eſt anno* MXLIX. *qui ipſe revera à die Dominica exordium ſumſit. Nulla item eſt difficultas circa tempus quo beatus vir Cluniacenſi monaſterio praſuerit. qui enim nonniſi quinquaginta ſex regiminis annos ei tribuunt, computant eos à beati Maïoli obitu, quamvis, ut fuſius ſupra expoſuimus, ſaltem biennio antea, in monaſterio Cluniacenſi nomen & officium abbatis impleverit.* Annus mortis.

126. *Porro licet ipſiſmet Kalendis Januarii beatus Odilo exceſſerit è vita, ejus tamen feſtivitas in diem ſequentem tranſlata fuit, quod ſcilicet ipſo ejus obitus die Circumciſionis Dominica feſtivitas ageretur. id vero paullo poſt ejus mortem factum fuiſſe colligimus ex Udalrici libro* 1. *Conſuetudinum Cluniacenſium capite* 47. *ubi ille ait depoſitionem ſancti Odilonis* tam cari ſancti & tam familiaris, *feciſſe, ut* Dies. Feſtivitas.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXLIX. I. Januar.

dies octava natalis ſancti Stephani ſolam haberet commemorationem cum una tantum antiphona & una collecta. Unde Henricus Cluniacenſis abbas in ſtatutis, initio ſaculi decimi quarti editis, potius antiquam conſuetudinem firmaſſe dicendus eſt quam de novo inſtituiſſe, ſtatuendo, ut deinceps feſtivitates ſancti Odilonis, Hugonis, Odonis & Maioli ſub ritu duplici celebrarentur. Et certe tanta fuit erga ſanctum Odilonem Cluniacenſium animi propenſio, ut ſtatim poſt ipſius mortem, ejus fecerint ſimul cum aliis monaſterii patronis ſpecialem commemorationem in illis precibus, quæ vulgo ſuffragia ſanctorum appellantur. Idipſum teſtatur Udalricus libro I. *jam laudato capite* 5. *Habemus in Bibliotheca Cluniacenſi col.* 328. *hymnum & orationes, quæ in ejus feſtivitate antiquitus recitabantur, & in ejus Miſſa præter tres orationes conſuetas, adjicitur quarta ſuper populum recitanda. Adeo celebre jam tunc erat apud omnes ſancti Odilonis nomen, ut anno* MLXIV. *capella in ejus honorem conſtructa fuerit. Id diſcimus ex veteri Chartario, quod vivente ſancto Hugone conſcriptum eſt, ubi in Charta* 689. *Achardus epiſcopus Cabilonenſis anno* MLXIV. *Indictione* II. *feria* 6. *luna* XXIII. *Nonis Decembris dedicaſſe memoratur capellam in honore beatæ Mariæ &* dulciſſimi patris Odilonis, *in loco dicto Alacarmeda, in parochia Cidanis. Inde factus eſt tantus populorum concurſus ad illud oratorium, in denſiſſima licet ſilva ſitum, ut cum multi ſuam ſedem ibi fixiſſent, neceſſarium fuerit poſtea parochiam ibidem inſtituere. Odilonem inter quatuor ſanctos Cluniacenſis monaſterii abbates recenſet Gaufridus Voſienſis prior in Chronico ſui monaſterii cap.* 34. *cujus feſtivitatem in Claromontenſi eccleſia celebrari procuravit Odilo de Mercorio, noſtri, ut jam diximus num.* 5. *ſancti Odilonis conſanguineus. Ipſa Necrologii verba huc referre viſum eſt, ex Quercetani notis ad Bibliothecam Cluniacenſem col.* 69. IV. Nonas Januarii, Octava ſancti Stephani, & Odilonis abbatis & confeſſoris, pro quo feſto librando Odilo de Mercorio canonicus Claromontenſis & præpoſitus Brivatenſis promiſit quadraginta ſolidos cenſuales, aut reddere ſemel quadraginta libras, & debent librari in miſſa & in veſperis diei feſti. *Ceterum Martyrologia vulgata Odilonis memoriam celebrant* I. *Januarii, aut certe die ſequenti, quod in aliis obitus dies, in aliis vero depoſitionis, ſeu potius ejus feſtivitatis memoria indicetur. In Martyrologio ſancti Arnulfi apud Mettas* II. *Kalendas Januarii fit Odilonis commemoratio. In Necrologio autem Remenſis eccleſiæ ipſa die Kalendarum Januarii laudatur* Oydelo abbas, *ſimul cum Vvillelmo pariter abbate.*

XIV. Odilonis ſacræ Reliquiæ, & earum Tranſlationes.

Ejus ſepulcrum.

127. *Sacrum beati Odilonis corpus in Silviniacenſis monaſterii, ubi ipſe defunctus eſt, eccleſia navi prope ſanctum Maiolum depoſitum fuit. Viſitur etiamnunc ejus tumulus, licet ſacræ exuviæ à multis retro ſæculis exinde elevatæ fuerint & publicæ*

Tranſlatio.

fidelium venerationi expoſitæ. Certe ſi fides eſt libro Anniverſariorum Silviniaci, quem Gaufridus Choleti ejus loci Prior anno MCCCCLIII. *fieri curavit, Petrus Damiani, proindeque paullo poſt beati abbatis mortem, ipſius corpus è terra levatum primus tranſtulit. Ibi quippe legitur:* VIII. Kalendas Februarii officium fiat plenum, ſicut de abbatibus Cluniacenſibus, pro Petro Damiano epiſcopo, qui corpus beati patris noſtri Odilonis relevavit, & in loco in quo nunc requieſcit, mira devotione collocavit. Refectionem fratrum procuret Sacriſta. *Conſentit ejuſdem loci Necrologium, ubi* VIII. *item Kalendas Februarii* depoſitio domni Petri Damiani epiſcopi *recolitur. Apud Sauſſaium in Martyrologio Gallicano recolitur die* III. *Maii* Reſeratio corporis ſancti Odilonis abbatis Cluniacenſis. *quæ verba Bollandiani ad eamdem diem in Prætermiſſis adoptarunt. Clemens IV. & Honorius item IV. qui Romanæ eccleſiæ labente ſæculo decimo-tertio præfuerunt, teſtantur in Bullis, quæ habentur in Bibliotheca Cluniacenſi col.* 309. *corpora ſanctorum Maioli & Odilonis, quæ in eccleſia Silviniacenſi requieſcunt, multis miraculis ſuis temporibus coruſcaſſe, ſed nihil habent de ſancti Odilonis*

Digitized by Google

tranſlatione, quamvis beati Maïoli elevationem approbent, quod forte jam dudum facta fuiſſet. ANN. CH. MXLIX. I. JANUAR.

128. *Alia tamen beati Odilonis reliquiarum tranſlatio peracta fuit à Rogerio archiepiſcopo Bituricenſi: quam quidem, convenientibus ea occaſione ad monaſterium Silviniacenſe compluribus epiſcopis & abbatibus, ſollemnem fuiſſe diſcimus ex inſtrumento veteri, quod in Bibliotheca Cluniacenſi habetur.*

129. *Clemens ſextus, quo mandante iſta Tranſlatio facta fuit, Indulgentias conceſſit iis, qui Silviniacenſem eccleſiam inviſerint diebus feſtis ſanctorum Maïoli, Odilonis & aliorum quos recenſet, item & die Tranſlationis beati Odilonis; ex qua quidem ſpeciali Tranſlationis memoria colligimus eam fuiſſe ceteris celebriorem. Verum cum hæc Bulla data ſit, ut quidem habetur in Bibliotheca Cluniacenſi col. 312. anno* II. *Clementis, id eſt æra vulgaris* MCCCXLIII. *aut de alia Tranſlatione ab ea quam ipſe fieri mandaverat loquitur Pontifex, quod non eſt veriſimile; aut inſtrumentum Rogerii biennio ſaltem poſt factam tranſlationem datum fuit; aut denique error in Bulla notas chronologicas irrepſit. Certe litteræ Aymonis prioris, quibus fidem facit unam è beati viri coſtis Carnotenſibus canonicis datam fuiſſe, hanc tranſlationem anno pariter* MCCCXLV. *conſignant. Has litteras huc integras proferimus ex ſchedis V. C. Antonii Vvionis Herovallii.*

130. *Ceterum ſacræ Reliquiæ beati Odilonis etiamnunc in eccleſia Silviniacenſi à noſtris Cluniacenſibus religioſe aſſervantur, corpus quidem in ſcrinio, quod eſt ſuper altare ad eccleſiæ odeum; è regione ſcilicet alterius altaris, quod ad aſſervandum beati Maïoli corpus conſtructum fuiſſe alias dictum eſt. Eorum vero capita in thecis ſeparatis incluſa ſunt, quæ in jocundo adventu Caroli Ducis Borbonienſis & Alverniæ deferri fecit Gaufridus ejuſdem loci prior, cum primum anno* MCCCCXXXIV. *Princeps ille Silviniacum advenit, ut ex inſtrumento publico ea de re facto patet, quod in Bibliotheca Cluniacenſi col. 312. editum eſt. Is eſt, ut quidem mihi videtur, Gaufridus Choleti, de quo jam diximus, qui capſam ad ſancti Odilonis corpus recondendum, & aliam, pro ejus capite, cum armario fieri curavit.* Littera teſtimonialis &c.

LITTERA TESTIMONIALIS COSTÆ ſancti Odilonis Confeſſoris Abbatis Cluniacenſis Canonicis Carnotenſibus conceſſæ.

VEnerabilibus Patribus & dominis domniſque & amicis cariſſimis, dominis Decano ceteriſque Canonicis Carnotenſ. Nos frater AYMO de ſancto Geranno humilis Prior Prioratus Silvigniacenſis, totuſque ejuſdem loci Deo devotus Conventus; ſalutem in eo qui eſt omnium vera ſalus. Cum per reverendum in Chriſto patrem ac dominum dominum R. permiſſione divina Archiepiſcopum Bituricenſem, adjunctis ſecum nonnullis Epiſcopis, Abbatibus, Clero ac populo pro majori parte totius patriæ .... ad dictum Prioratum confluentibus, & ipſis præſentibus, ſecundo Idus menſis Aprilis, anno Domini milleſimo trecenteſimo quadrageſimo-quinto, corpus pii ac glorioſiſſimi Patris noſtri beati ODILONIS ad laudem totius curiæ Paradiſi, & ejuſdem ſancti ſollemnitatis cum illa devotione, honore & reverentia qua decuit relevavit. qua relevatione completa, venerabili & diſcreto viro domino Stephano-Rogerii concanonico veſtro ac Officiali Bituricenſi nos humiliter cum magna inſtantia ſupplicante, quatenus de reliquiis ſanctiſſimi corporis prædicti vobis mittere vellemus; cui ſupplicationi annuentes in quantum nobis Altiſſimus deſuper miniſtravit, unam de coſtis præfati ſancti Odilonis per ipſum veſtro ſanctiſſimo Collegio duximus deſtinandam, quam in veſtro Capitulo cum magna reverentia & ſollemnitate recepiſtis; ordinare ac ſtatuere proponentes, quod tam in veſtra Eccleſia cathedrali, quam in tota diœceſi ſa-

Digitized by Google

Ann. Ch. MXLIX. 1. Januar. ceretis ejus feſtum tranſlationis ad exaltationem ejuſdem ſancti jugiter celebrari : dum tamen per noſtras patentes litteras teſtificaremur dictam coſtam eduxiſſe de corpore ejuſdem ſancti, prout hæc omnia in litteris veſtris nobis deſtinatis vidimus plenius contineri. Devotioni veſtræ, domini cariſſimi, cui in quantum poſſumus & debemus, ſuper tam devota & ſollemni receptione dictarum reliquiarum regratiamur, ſignificamus per præſentes dictam coſtam per præfatum dominum Stephanum-Rogerii Canonicum veſtrum vobis traditam, de corpore beatiſſimi Odilonis extractam fuiſſe, & vobis per eum deferendam in præſentia plurium fide dignorum fuiſſe commendatam: quapropter vobis cum devota precum inſtantia ſupplicamus, quatenus feſtum tranſlationis ipſius facere velitis in eccleſia veſtra, & in tota diœceſi Carnotenſi celebrari annuatim.

In cujus rei teſtimonium ſigilla noſtra in his præſentibus litteris duximus apponenda. Datum in Prioratu noſtro prædicto, die viceſima ſecunda menſis Julii, anno Domini milleſimo trecenteſimo quadrageſimo-ſeptimo.

INCIPIUNT CAPITULA VITÆ SEQUENTIS.

Prologus Jotſaldi monachi ad Stephanum Pontificem.
Item Præfatio vel deploratio ex tranſitu ejuſdem Patris.
De generis ejus nobilitate.
CAPUT I. *Qualiter Deo militare cœperit in ſua ipſius pueritia.*
II. *Quomodo Maioli ſancti ſe conjunxerit ſocietati.*
III. *Qualiter deſeruit hujus ſæculi pompam.*
IV. *Qualiter ſanctus Maiolus illum elegerit ſucceſſorem ſibi.*
V. *De habitu corporis ejus, & quod nihil in eo fucatum vel affectatum fuit.*
VI. *Quod in eo quatuor virtutes principales refulſerint.*
VII. *De juſtitia, vel quod à Pontificibus, Regibus, Ducibus, vel Imperatoribus maximo fuit amore dilectus.*
VIII. *Quod in pauperes munificus fuit.*
IX. *Qualiter binis pueris jam defunctis indumenta præſtitit, vel ſepulturæ eos tradidit.*
X. *De clerico contagio lepræ maculato.*
XI. *Quam hoſpes fuit; & quam plures diverſæ ætatis diverſi generis Chriſto acquiſivit.*
XII. *De fortitudine.*
XIII. *De temperantia, & renovatione ſuorum locorum.*
XIV. *De tranſitu ejus quomodo terram ejus beatus ſpiritus deſeruit, cæloſque petivit.*
XV. *Commendatio animæ.*
XVI. *Qualiter ſanctus vir apparuerit cuidam monacho.*
XVII. *De ſimili viſione.*

CAPITULA LIBRI SECUNDI.

CAPUT I. *Quomodo quondam puer liberatus ſit divinitus à graviſſima infirmitate.*
II. *De cæco illuminato.*
III. *De aqua in vinum converſa.*
IV. *De furto apud Papiam invento.*
V. *Item de alio ſimili furto.*
VI. *De tranſmeatione profundiſſimæ Ticinenſis aquæ, & accenſione lucernæ.*
VII. *De ſimili miraculo.*
VIII. *De paucis piſciculis plurimis refectis.*
IX. *De exuberatione vini in parvo vaſculo in monte Aventino.*
X. *De quodam homine à febribus liberato.*
XI. *De utribus in uſus pauperum evacuatis, & iterum divinitus impletis.*
XII. *De vaſe vitreo confracto & ſolidato.*
XIII. *De quadam viſione cujuſdam Eremitæ.*
XIV. *De revelatione domni Benedicti Papæ.*
XV. *De quodam puero ab infirmitate gutturis ſanato.*

Digitized by Google

XVI. *De libris & aliis ſupellectilibus aqua infectis & minime læſis.*
XVII. *De quodam puerulo monacho à graviſſima infirmitate liberato.*
XVIII. *De libro & vaſis repertis.*
XIX. *De quodam potente à dolore oculi liberato.*
XX. *De clerico à morbo brachii curato.*
XXI. *De quodam mente capto ſive dæmoniaco ſanato.*
XXII. *De quodam muto ſanato.*
XXIII. *De quodam parvulo vaſculo à vino exinanito; & virtute Sancti poſtmodum pleno reperto.*

CAPITULA LIBRI TERTII.

Caput I. *De quadam puella inſana, ſurda & muta ſanata.*
II. *De homine ſurdo & muto liberato.*
III. *Item de alio muto.*
IV. *De quodam paralytico ſimul & muto curato.*
V. *De preſbytero muto.*
VI. *De cæco illuminato.*
VII. *Item de cæca ſanata.*
VIII. *Item de alio cæco illuminato.*
IX. *De quodam inſano ad mentem revocato.*
X. *De quodam paralytico.*
XI. *De hydropico liberato.*
XII. *Item de alio hydropico.*
XIII. *De quadam contracta ſanata.*
XIV. *Item de alia ſimili modo ſanata.*
XV. *De quadam paupercula ſimili modo curata.*
XVI. *De quodam captivo à vinculis liberato.*
XVII. *De quodam mente capto ſanato.*

INCIPIT PROLOGUS JOTSALDI monachi ad STEPHANUM Pontificem, de vita & virtutibus ſancti ODILONIS Abbatis.

Reverendo Patri Stephano, ſecundum ſui nominis interpretationem pontificali gloria coronato, ultimus ſervus ſervorum Dei, nomine tantum monachus, Jotsaldus, quicquid in utraque vita jocundius. Antiquorum philoſophorum ſtudia ſcriptis & monumentis extulerunt priorum ſuorum laudes & memorias, talibus indiciis ſperantes ſe facere immortales, quos noverant fuiſſe mortales. Deinde gradu ſecundo regula eccleſiaſtica, tanto dicendorum materia ſublimior, quanto ſpei certioris directior, ſanctorum virorum præclara deſcribit opera, ut ſuccedentes & futuri habeant ſemper quorum ſequantur exempla; totumque ad illum referatur, à quo virtus & prudentia datur, à quo etiam derivatur fortitudo & ſapientia. Ad horum formam ego, quantilluſcumque homuncio, nutritus magni Odilonis magiſterio, informatuſque beneficio, quemadmodum Hieronymus de Blæſilla & Nepotiano, epitaphium [a] quoddam volui de morte virtutibuſque ejus inſcribere, & veluti flores ad ſepulcrum ejus ſpargere, quæ introeuntibus præſtent aliquid ſuavitatis & gratiæ, redoleantque ſecundum ſui ſpeciem quantulocumque odore. In hoc vero devotionem animi mei offero, & altiora deſcribere volentibus materiam præſto, non occaſionem agendi id melius ſubripio. Quod opus tibi, ſancte Præſul, ideo mittere diſpoſui, quia te nepotem ipſius, & per illum ad ſacerdotii gloriam accerſitum novi: confidens tuo complacere judicio, quicquid in laudibus ejus deſcripſerit cultus vel incultus ſermo.

Auctor Odilonis diſcipulus. [a]

Stephanus Odilonis nepos.

[a] Sic etiam Odilo ipſe librum de vita Adelheidis imperatricis Epitaphium vocat, Hieronymi exemplo.

Digitized by Google

ANN. CH. MXLIX. I. JANUAR.

Item Præfatio vel deploratio ex tranſitu ejuſdem Patris.

QUis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo deſolationem, non unius hominis, neque duorum vel trium, ſed multorum populorum promiſcui ſexus, diverſæ conditionis, diverſæ ætatis, diverſi ordinis! Plorabo, inquam, vaſtitatem nobiliſſimæ congregationis, amplæ familiæ, deſtitutæ dormitione ſui patris Odilonis: de cujus viſceribus, de cujus magiſterio & virtutibus, quaſi quibuſdam vinculis & funibus religata dependebat, &, ut ita dicam, indiſſolubilibus amoris nexibus complexa ſuſtentabatur. Quid agis graviſſimarum lacrymarum excitator, & tantæ calamitatis delator*? Erumpe & clama in auribus promiſcuæ multitudinis, dicens: Quomodo deceſſit miſerorum adjutor? Quomodo ſiluit mærentium opportunus conſolator? vel quo abiit plurimorum monachorum deſiderabilis auriga, innumerabiliumque populorum diſcretus moderator & rector? O quam incertus humanæ conditionis ſtatus! ô quam mutabilis rerum mortalium curſus! Dum putavimus eum eſſe nobis in communi vita ſocium, tenemus defunctum; & quem ſperabamus præſentem, dolemus abſentem. Si tamen dolendus eſt, qui dolorem evaſit; ſi lugendus eſt, qui de luctu ad gaudium, de tenebris ad lucem, de pœna ad requiem, & de morte tranſivit ad vitam. Quid agimus anima? Quo nos convertemus? Si intemperantius exaggerare dolorem cœperimus, timeo ne acies mentis reverberetur, & id quod de virtutibus ejus volumus inſcribere, immoderato dolore perturbati, minimè proſequamur. Sed primo de carnis ejus nobilitate, quæ in titulis Sanctorum virorum pro additamento laudis ponitur, dicamus; & poſtmodum ſenſim per veſtigia virtutum ejus incedentes, quaſi quibuſdam gradibus ad iteratos lugubres luctus funeris veniamus. Præcepta rhetorum ſunt, ut majores ejus qui laudandus eſt memorentur, & eorum altius geſta repetantur; ſicque ad ipſum per gradus ſermo perveniat, quo videlicet avitis paterniſque virtutibus inluſtrior fiat, & aut non degeneraſſe à bonis, aut mediocres ipſe ornaſſe videatur. Nos carnis bona, quæ ſemper & ipſe contemſit, in animæ laudibus non requiramus; tamen quia non de mediocris nobilitatis ſanguine deſcendit, quod poſſumus in laudibus ejus aſſumamus. Exſtitit pater ejus inter proceres Arvernorum nobiliſſimus, vir in armis ſtrenuus, poſſeſſionibus & divitiis locupletiſſimus, in conſilio providus, & in omni morum honeſtate ſuo tempore nulli ſecundus. qui etiam privilegio auctoritatis & gratiæ, MAJOR BERALDUS vocabatur ab omnibus. Fidei virtute ita præcipuus, ut quod alii difficile ſacramentis, hoc iſte inviolatum cuſtodiret ſimplicibus verbis. Longè ſe habebat actus aliter ejus & habitus, quam modo videri poſſit in quovis Principe quilibet actionis modus. Fuit illi uxor, GIRBERGA nomine, non degener natalibus & moribus. Quæ quantæ continentiæ, quantæ caſtitatis, & cujus voluntatis fuerit ſub marito, poſt mortem ejus omnibus fuit in aperto. Nam relicta patria, relictis propinquis & filiis, & magnis fundi poſſeſſionibus atque divitiis, tamquam alia Paula, ſecuta eſt Chriſtum, & apud monaſterium [a] ſancti Johannis Auguſtiduno poſitum, ſanctimonialium ſuſcepit locum, & religionis habitum. Quam laudabile ibi duraverit propoſitum, quamque dulcis & utilis omnibus ibi deinceps ejus vita fuerit, & quam glorioſo exitu vitam finierit, paucis quæ ſupererant cum gemitu narrare audivi. Fuerunt denique iſtis alii filii potentes & nobiles, & in ſuo ordine quan-

* mſſ. 1. deſolator.

Odilonis parentes.

a Subſiſtit etiamnunc antiquum illud monaſterium, quod ſub B. Mariæ titulo à Brunichilde fundatum S. Gregorius privilegio donavit. Alii tamen cenſent monaſterium à Brunichilde conditum illud eſſe, quod hodieque ſub S. Andochii nomine celebre eſt. Utrumque eſt Ordini Benedictino adſtrictum.

tum

Digitized by Google

tum ad mundanam gloriam nulli inferiores. Quædam etiam non prætereunda filia, nomine Blismodis, abbatiſſa, quæ in ſancta virginitate, nocte & die Deo ſerviens, prope centenarium explevit annorum numerum. His ita breviter deſcriptis, ad illum quem celebriter commendat nobilitas mentis, & celſitudo generis ſtilum vertamus. Ann. Ch. MXLIX. I. Januar.

IN NOMINE DEI SUMMI INCIPIT vita ejuſdem Patris.

Igitur Odilo vir beatiſſimus, nobilitatis ſtemmate procreatus, inter ipſa primordia tamquam alter Iſaac Chriſto conſecratus, & Brivate * apud ſanctum Julianum glorioſum martyrem clericali ſorte eſt donatus. Delectabatur in ipſa pueritia, humilitate, caſtitate, innocentia & puritate, & prout ætas admittebat, miſericordiæ operibus inſiſtebat. Superabat coætaneos ſapientia & moribus, ita ut jam non puer, ſed ſenex maturitate, non tempore, ab omnibus putaretur. Decurſis itaque puerilibus annis, ubi robur juventutis ſuccedere cœpit, tacitus ſecum deliberat, ut Ægyptias ollas deſereret, & per media mundi diſcrimina, terras repromiſſionis intraret. Jeſu bone, quam ſuavis tua vocatio, quamque dulcis tui ſpiritus inſpiratio! qui mox ut mentem pulſaverit, æſtus fornacis Babyloniæ in amorem transformas cæleſtis patriæ. Ecce enim cor noſtri juvenis, dum ſubito pulſas, mutas, & in veros amplexus Salomonis mirabiliter accendis. Caput I. Odilo puer fit clericus. * Brioude.

II. Certe dum talia meditatur in animo, magnus ille Maïolus per totum pæne mundum famoſus, Arvernorum fines ingreditur. Et divina diſpoſitione is de quo loquimur, ante eum adducitur. qui conſiderans in eo præſtantem elegantiam corporis & nobilitatem generis, magnum quiddam & divinum oculis interioribus in eo prævidens, totus in ejus amorem inlabitur, & viciſſim inter eos ignis divinæ caritatis magis magiſque accenditur. Fit inter eos familiare colloquium, junior ſeniori ſuum prodit deſiderium: ſenex ut præmeditata perficiat, modis quibus potuit junioris inſtruit animum. S. Maïolo carus.

III. His ita inter ſe diſpoſitis, ſenex ad propria revertitur, ſollicitudo juvenis ad ea perficienda quæ cœperat, præparatur. Non multis itaque interjectis ſpatiis, novus miles tamquam Benedictus Romuleas, deſerit & iſte Brivatenſes ſeu Anicienſes * arces. Deſpicit patrias opes, propinquos & fratres, & quaſi antiquus Abraham de Ur Chaldæorum egrediens, Cluniacum quaſi quemdam terræ repromiſſionis requirit introitum, & veteri iterum depoſita ſarcina, monachicum ſuſcipit indumentum. Jeſu bone! quam jocundum erat tunc videre ovem mundano vellere detonſam, de lavacro baptiſmatis iterum aſſcendentem, cum gemellis fœtibus dilectionis utriuſque procedentem, nihil ſterile ſecum portantem, nihilque vanum meditantem! Jam ſumto habitu videres noſtram ovem inter alias primam opere, extremam ordine, æternæ viriditatis paſcua requirere, lucernarum miniſteria concinnare, infantum cuſtodiendorum excubias obſervare, pavimenta verrere, & quæque vilia officia humiliter peragere. Sed non diu latuit margarita, non diu potuit occultari in privato loco fortis athleta. Cluniacum ſecedit. * le Puy.

IV. Evolutis poſt hæc fere quatuor annis, ſanctus Maïolus poſt multos pro Chriſto deſudatos labores, de tenebris Ægypti egreditur, tranſitoque maris periculo Jeruſalem ingreditur, atque in æterna pace à Chriſto collocatur. Inſtante vero mortis articulo domnum Odilonem ſibi ſucceſſorem eligit, atque proprias oves Domino & ſibi reliquit. Qui reluctans, & ultra quam credi poſſit invitus, communi omnium voto, communi om- Ubi ſancto Maïolo abbas ſufficitur.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXLIX. I. Januar. nium ſententia ad injunctum officium ordinatur, & tamquam alter Moïſes Dei populo præficitur. Quid agis Deo dilecta anima? Quid reluctaris? Quid adhuc vis ſtare poſt parietem, & reſpicere per cancellos & feneſtras? Egredere jam ad diffuſam lucem, egredere. Loquitur tibi ſponſus tamquam ad ſponſam, in Canticis canticorum: *Surge, propera, amica mea, formoſa mea, & veni.* videlicet aperte dicens: Surge de ſtratu quietis, in quo tuimet ſolius curam agere quæris, propera & veni, ad impendendam etiam proximis curam ſalutis, per ſtudium ſedulæ prædicationis. Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Suſcepto itaque regiminis officio, magis ac magis ſanctorum conformabatur exemplo, & in omnibus cæleſti adornabatur magiſterio. Prælucebat in eo quoddam inſigne documentum, quod ſubjectis imitandum eſſet & timendum: & qualis eſſet interius, relucens in eo gratia declarabat exterius. Habitus enim mentis, ut ante nos dictum eſt, in corporis ſtatu cernitur. Et quia ita eſt, nunc de ipſius corporis poſitione, pauca dicamus.

Cant. 2. 10. & ſeq.

V. Exterioris ejus habitus deſcriptio.

Erat mediocris in eo ſtatura. Vultus ipſe plenus auctoritatis & gratiæ; manſuetis hilaris & blandus, ſuperbis vero & offenſis, ut vix ſufferri poſſet, terribilis. Macie validus, pallore ornatus, canitie decoratus. Oculi illius veluti quodam ſplendore fulgentes, intuentibus & terrori erant & admirationi, lacrymis aſſidui, quia ſæpius aderat virtus compunctionis. Renitebat etiam in ipſius motu, geſtu, inceſſu, ſpecies auctoritatis, pondus gravitatis, tranquillitatiſque veſtigium. Occurſus illius quaſi quidam gratiſſimæ jocunditatis radius, & inſolitæ delectationis eventus. Vox illi virilis, & ita plena decoris, ut mentes audientium non mediocriter demulceret dulcedine modulationis. Sermo illius plenus ſuavitatis & gratiæ, prout ratio cauſarum ſe habebat, medie temperatus: nec modum progrediens loquendi, nec minus pro tempore improvidus diſſerendi. Nihil in eo fucatum, nihil affectatum; ſed natura mirabiliter reddebat eum corporis poſitione, & ordine vitæ quadratum. Et quamvis, ſecundum beatum Ambroſium, in pulcritudine corporis locum virtutis non ponamus, gratiam tamen non excludimus. His vero omiſſis, ad compoſitionem morum ejus, quibus per divinam gratiam adornatus exſtitit, redeamus.

VI. Ipſius virtutes.

In quantum humana æſtimatio ſe habet, quatuor in ſancto viro principales non mediocriter relucebant virtutes, prudentia, juſtitia, fortitudo & temperantia. Prudentiam philoſophi definiunt in veri inveſtigatione conſiſtere, & ſcientiæ plenioris cupiditate. quo genere virtutis ita enituit, ut non diebus neque noctibus à veri inveſtigatione ceſſaret. Semper ei liber divinæ contemplationis in manibus, ſemper ei ſermo de Scripturis aſſiduus, & ad ædificationem cunctorum labor continuus. Ut Hieronymus Euſtochium inſtruit, faciem dormientis interdum pagina ſancta ſuſcipiebat; evigilantem, iterata lectio recreabat. Nihil ei in hac vita dulcius, nihil amabilius fuit. Lectioni oratio jugis ſuccedebat. Qui gemitus, quæ ſuſpiria, vel affluentia lacrymarum, & præcipue in illo ſancto ſacrificio Agni immaculati erat, Spiritus-ſanctus auctor ipſius muneris & gratiæ novit. Rem miram dicturus ſum, & certe veram. Cum ſæpius illum pſallentem in ſtratu ſomnus exciperet, tamen pſalmus ab ore dormientis non recedebat: ut ſi neſcires, vigilare eum putares. Evigilans vero ita pſalmum cum feſtinatione arripiebat, quaſi non intermiſiſſet. Loquebatur credo tunc cum Sponſa in Canticis canticorum: *Ego dormio & cor meum vigilat.* In ſcripturis quam fuerit eruditus, & in ſermone facundus, quamque etiam in recta fide catholicus, teſtantur ſermones ejus, & multiplices epiſtolæ, quas, tamquam favos dulcedinis pinguiſſimæ, videas redolere odore prudentis eloquentiæ, decoreque ſuavitatis & gratiæ.

Lectionis aſſiduitas.

Cant. 5. 2.

Digitized by Google

ANN. CHR. MXLIX. I. JANUAR. VII.

Juſtitia eſt, ut volunt philoſophi, quæ ſuum cuique tribuit, alienum non vindicat, utilitatem propriam negligit, ut communem æquitatem cuſtodiat. Hæc omnia in illo non mediocriter, ſed profuſe noveris reluxiſſe. Omnibus enim ætatibus, perſonis, & conditionibus, prout juſtitiæ fuit, debitum honorem exhibuit: & omnibus ita ſe gratum præbuit, ut non aliter quam angelus, ſi ita dicendum eſt, immo quia ita dicendum eſt, cunctis carus exſtiterit. Principibus & poteſtatibus Chriſtianis, ſecundum apoſtolicam ſententiam, in nullo reſtitit, ſed ita amicabilem & officioſum ſe reddidit, ut tamquam alter Joſeph ab omnibus amaretur, & celebriter veneraretur. Concurrat in hunc amorem ROTBERTUS rex Francorum; accedat ADELEIDA mater Ottonum; veniat HEINRICUS imperator Romanorum; interſint CONRADUS & HEINRICUS, videlicet pater & filius, Cæſares & ipſi nobiles invicti: quorum omnium amicitiis, officiis, & imperialibus muneribus ita magnificatus eſt, ut ſibi & illis cor unum & anima fuerit. Quid etiam STEPHANUS rex Hungrorum, ſive SANCIUS rex Heſperidum populorum, qui quamvis eum præſentialiter non viderint, tamen ad famam ſanctitatis ejus intercurrentibus legatis & reciprocis litteris, adſtrinxerunt illum ſibi beneficiis & copioſis muneribus, commendantes ſe humiliter orationibus illius & ſuffragiis. Fuit etiam in remotis partibus occidentalium alter SANCIUS, Pampulanorum epiſcopus, qui ita ſibi in amicitiis adhæſit, & copioſis muneribus deſervivit, ut ad eum etiam de tam longinquis regionibus veniret, & monachum ſe ab eo fieri decerneret. quem in tantum dulcis memoriæ Odilo dilexit, ut etiam moriens de eo mentionem faceret, & poſt mortem ſuam ad eum viſitandum, cum exuviis veſtimentorum ſuorum duos fratres mitteret, qui illi finem vitæ ſuæ nuntiarent, & antiquam amicitiam ſibi mortuo conciliarent [a], & rurſum eamdem viventibus renovarent. Non prætereundi ſunt etiam illi Domini ſacerdotes & apoſtolici viri, SILVESTER, BENEDICTUS, JOHANNES, & in ultimis piæ memoriæ CLEMENS, quorum gratiam ita promeruit, ut tamquam ex fratribus unus exſtiterit. Quæ enim perſona undecumque locorum non cuperet habere Odilonem tamquam alterum Salomonem amicum & patrem, & pro ſe apud Deum interceſſorem? Gaudebat Italia cum Odilonis aderat præſentia, & præcipuè familiaris ſibi Papia, cujus prece & induſtria, temporibus Heinrici & Conradi imperatorum liberata eſt ab excidio gladii, & periculo incendii. Lætabatur etiam urbs Roma, mundi domina, tanti viri conturbernio, frequentata ſæpius ſanctorum Apoſtolorum amore & deſiderio. Officiales etiam & clerici, ſive monachi, ita ſibi adplaudebant venienti, ut tamquam de ſuis cariſſimum fratrem haberent amore vehementi. Hæc ideo in partes juſtitiæ poſuimus, ut aperte monſtraremus illum proprium cuique tribuiſſe, & idcirco omnium gratiam & amorem promeruiſſe; & ut etiam omnibus declararetur, quia neceſſe erat ut quem Deus perfuderat gratia, ab omnibus amaretur. Bene itaque de eo omnes in commune ſenſerunt, quia ubique cunctis & amori & honori fuit. Jam vero de inferioribus ſeniores honorabat ut patres, juniores ut fratres, anus ut matres, virgines ut ſorores; omnes tamen æſtimans ſibi ſuperiores, cunctis in commune præbebat familiare conſortium, & ſalutare conloquium. Nulli oneroſus, nulli importunus, nullius honoris cupidus, alienum non vindicabat, immo magis quod ſuum erat, hilariter alteri concedebat. Utilitatem propriam negligebat, ut communem æquitatem cuſtodiret. Benevolentiam & liberalitatem, quæ etiam & ipſe partes ſunt beneficientiæ, ſive juſtitiæ [b], ita retinebat, ut in eis noſtris temporibus in ſuo

Quam omnibus fuerit acceptus.

Regibus.

Pontificibus.

In Italia.

Officioſus in omnes.

[a] Hæc verba, *& rurſum eamdem viventibus renovarent*, deſunt in mſſ. 2.

[b] Sic mſſ. 2. At Thuan. cum edit. *Beneficientiam &... partes ſunt juſtitia, &c.*

ANN. CH. MXLIX. I. JANUAR. ordine ſingulariter ſolus reluceret. Omnibus enim in commune volebat benefacere : ſed quibus poterat liberaliter liberalis exſiſtebat. Plus gaudebat datis quam acceptis, ſciens illud felicitatis, iſtud indigentiæ eſſe, & ſecundum dominicæ Veritatis ſententiam, beatius eſſe dare quam accipere.

VIII. Liberalis in pauperes. In pauperes ita munificus erat, ut aliquando non diſpenſatorem ſed profuſum largitorem videres. Etenim magis delectabatur in faciendis eleemoſynis, quam aliquis gratulari poſſit in aquirendis pecuniis. Et quid dicam? Cæcorum baculus, eſurientium cibus, ſpes miſerorum, ſolamen lugentium fuit; & quid dicam? Miſericordiæ viſceribus ultra quam dici poſſit affluebat, & quantum in ſe erat, nullum à beneficio miſericordiæ excludebat. Et ſicut in epitaphio Sabiniani papæ legitur,

Hic hominum vitia blando ſermone removit:
Nec culpis judex, ſed medicina fuit.

Erat certe in hac virtute in tantum diffuſus, ut ab imprudentibus in officio hujuſce virtutis dijudicaretur nimius. Sed ille ad hoc objectum eleganter alludere ſolitus erat. » Ego, inquit, magis volo de miſericordia miſericorditer judicari, » quam de crudelitate crudeliter damnari. Ut enim, ait Ambroſius: Bonus * eſt miſericors homo, qui dum aliis ſubvenit ſibi conſulit, & in alieno remedio vulnera ſua curat. Agnoſcit enim ſe eſſe hominem, qui novit ignoſcere : & vias Chriſti ſequitur, qui carne ſuſcepta, maluit in hunc mundum redemtor venire quam judex. Unde & iſte vir ſanctus, ut prædiximus, malebat eſſe culparum medicina quam judex. At hoc aliquotiens quod offerebatur, libentiſſime accipiebat, ut haberet quod pauperibus diſtribueret. Implebatur ſemper in eo quod dicitur in Evangelio : *Omni habenti dabitur, & abundabit.* (*Matth.* 13. 12.) Vidimus enim multotiens marſupium illius ita exinanitum, ut quod daret fratribus non haberet, cum ſubito ex inſperato veniebat ſibi ſufficiens benedictio, unde ſedaretur petentium vociferatio. Et ne generaliter hæc proſequendo, ejus aliqua miſericordiæ opera ſpecialiter ignorare videamur, quædam hic ſunt inſerenda, ſatis memoratu digna, quæ fidem præbeant etiam his quæ nominatim non ſunt ponenda.

* *mſſ.* bonum.

IX. Pueros mortuos veſtit & ſepelit. Quodam tempore cum ad ſanctum Dionyſium Pariſius pergeret, & per publicum iter incederet, offendit duos pueros famis & frigoris ſupplicio occubuiſſe, & ſub oculis omnium, dictu miſerabile! nudos & inſepultos in media via jacere. Erat enim eo tempore fames valida, quæ ſui magnitudine pæne totas Galliarum ſive Aquitaniæ oppreſſerat provincias. Compunctus itaque vir ſanctus tali horrore, equo deſilivit, ſubſtitit, pollinctores mercede quæſivit. Lanea veſte, quam vulgo ſtaminiam vocant, à dorſo abſtracta, illorum nuditatem propriis manibus cooperuit, ſepelivit, debitum mortuis obſequium perſolvit, ſicque cœptum iter tenuit. Si Martinus per totum orbem celebratur in dimidia tunica pauperi diviſa; cur non & iſte ſecundum ſui ſpeciem celebris habeatur in tunica integra, non uni vivo, ſed duobus mortuis data? Multa proferri poſſint ſimilia, niſi ſuccumberent noſtræ parvitatis ingenia. Sed tamen ne ſilentio premantur omnia, tunc tali temporis, & deinceps per multos annos incumbente miſeria, in uſus pauperum confregit plurima vaſa eccleſiaſtica, & ornamenta inſignia, inter quæ etiam imperialem HEINRICI imperatoris coronam; indignum judicans talia denegare pauperibus Chriſti, pro quibus effuſus eſt ſanguis Chriſti. In theſauris Eccleſiæ pauperibus datis, divinis & humanis oraculis Laurentius prædicatur mirabilis. cui licet iſtum æquiparare non audeamus; tamen cunctis quos vidimus moderni temporis hominibus (quod ſine præjudicio cujuſquam dixerim) in ſuo ordine in hac

Tempore famis vaſa ſacra comminuit.

Digitized by Google

virtute præferimus. Conſuluit quibus potuit, & quibus per ſe non valuit, alios ut misererentur rogavit. Cum enim non ſufficeret tam acerbæ famis prædictis temporibus omnium miſeriis ſubvenire; vidimus eum vicos & eccleſias quas poterat circuire, ad eleemoſynas faciendas; Principes [a], divites, mediocres ſuadere, dulcibus ſermonibus ad miſericordiam provocare, eiſque inde pleniſſimam peccatorum remiſſionem libera voce de cælis repromittere. Ita vir ſanctus quos non ſufficiebat alere ſumtibus, juvabat apud illos quos poterat ſermonibus miſericordiam ſuadentibus. Certe tali conſultu multa millia pauperum cognovimus famis & mortis evaſiſſe periculum. Nullius miſeriam præterivit, nullius neceſſitatem deſpexit, nullius infirmitatem exhorruit.

X. Leproſum inviſit.

Denique quidam ſanctæ Dei Genitricis Anicienſis eccleſiæ clericus, ſecundum carnem nobiliſſimus, lepræ contagio maculatus, privatum ſibi veluti tantæ corruptioni neceſſarium juxta Ligerim [b] fluvium quemdam elegerat locum monaſteriolo, quod dicitur Volta, contiguum, quo adveniens Dei famulus, & hoc agnoſcens infirmo compatitur, ſolatiari illi in quibus neceſſe erat, fratribus imperat. Requirit vero ipſe miſerabilis ſancti viri privatum conloquium, & ut ad ſe accedat, humiliter rogat per internuntium. Quod ſanctus facere non recuſavit, recolens dominicæ humilitatis exemplum, qui etiam non rogatus venire voluit ad Centurionis ſervum. Dum vero ad eum pervenitur, illius non exhorreſcens miſeriam, nobis qui videbamus valde mirantibus, in oſcula ruit, amplexatur, & diu cum illo familiare conloquium participatur. O virum per omnia laude dignum! qui magis in homine naturæ diligebat prærogativam, quam alicujus morbi expaveſcebat accidentem miſeriam. *Auctor teſtis.*

XI. Aliæ virtutes.

In ſuſcipiendis hoſpitibus feſtivus erat & jocundus. Nihil umquam ſibi deeſſe liberalis confidebat animus, ſed in abundantia benedictionis Chriſti omnibus largiter erat profuſus. Munditiam integritatis ita inviolabilem cuſtodivit, ut Spiritus-ſancti mereretur fieri domicilium, & caſtiſſimæ puritatis receptaculum. Humilitatis etiam tanta in eo fuit perfectio, ut ne ad modicum quidem notaretur in illo ſuperbiæ veſtigium. Innocentia in illo non mediocriter reluxit. Ex ſuo affectu penſabat omnes, & ſicut ille erat alienus à felle malitiæ, ita etiam æſtimabat alios nullius doli peſte corrumpi poſſe. Honeſtatis decore ita pollebat, ut in omni ſua actione hujus virtutis pulcritudine, tamquam cujuſdam fulgoris reſplenderet lumine. Nihil enim inhoneſtum, nihil indecorum illa ſancta anima videre, vel audire volebat. Veritatem corde retinebat, & ore proferebat: mendacium vero tamquam peſtiferum morbum, modis omnibus cavebat. Humanæ etiam laudis favores non requirebat, neque gloriam ſuam in ore hominum ponebat. Si quando vero à confratribus vel Epiſcopis more eccleſiaſtico officioſis obſequiis ſuſcipiebatur vel honorabatur, teſtor Jeſum advocatum animæ ejus, quia talia parvi pendebat, & veluti quoddam nullius momenti precium computabat. Tamen quia hoc ſine ſcandalo plurimorum declinare non poterat, exterius quidem fraternum obſequium ſuſcipiebat, ſed interius à propoſito humilis rigoris non diſcedebat. Con-

a Huc dubio procul revocanda eſt beati viri epiſtola ad Garſiam regem, edita tomo 2. Spicilegii, qua vir ſanctus pii Principis implorat opem, tempore famis.

b Sic habent codd. mſſ. Criſpeienſis & S. Germani. At in Thuaneo legitur *juxta Alierim*, quo nomine deſignaretur Elaver, vulgo *l'Alier*, cui inſidet Volta, locus ob monaſterium ab ipſo S. Odilone ibi conditum celebris; & quidem idem codex habet infra *monaſterio, quod, &c.* pro *monaſteriolo quod.* Favet Bibliotheca Cluniacenſis, ubi in hac ipſa Vita legitur, juxta *Alexim ..... monaſterio.* Bollandus ex veteri cod. mſ. S. Maximini habet quidem *monaſterio*, ſed tamen *Ligerim fluvium* appellat. Unde lectionem, quæ exhibet *Ligerim* prætulimus. Nam præter Voltam illam celebrem, quam modo laudabamus, ad Elaverim fluvium, haud procul ab urbe Anicienſi diſſitam, invenimus in tabulis geographicis paullo infra eamdem urbem locum *la Volte* nominatum, ſupra Ligerim ſitum, quem hic indicari ſuſpicamur. Certe ibi tunc fortaſſe erat exiguum aliquod monaſterium, quod auctor noſter *monaſteriolum* appellavit.

Digitized by Google

ANN. CH. MXLIX. I. JANUAR. ventus fratrum fortiter tenuit, donec ad ipſa mortis extrema pervenit. O quam jocundus inter alios procedebat, quam feſtivus in illo ſancto choro medius ſtabat, à dextris & à ſiniſtris proſpiciens coronam novellæ plantationis, memor illius verſiculi Davidici carminis: *Filii tui ſicut novellæ olivarum, in circuitu menſæ tuæ.* (Pſal. 127. 3.) Et quanto magis augebatur numerus fratrum, tanto magis quibuſdam ſignis & certis indiciis declarabat ſui animi gaudium. Et quia multotiens videbat quibuſdam id oneri eſſe, ſolitus erat dicere: » Nolite fratres in augmentatione gregis contriſtari. Cujus enim nu» tu & vocatione congregantur, ejus providentia & miſeratione guberna» buntur. Multorum enim monachorum pater exſtitit, quos de diverſis conditionibus, diverſis ætatibus & temporibus Domino acquiſivit. Alios namque in pueritia, alios in juventute, alios in ſenectute accepit: & quamvis diverſis ad eum venerint temporibus, tamen ſub una moderatione diſcretioniſque virtute, materna caritate, paterna ſollicitudine fovit, nutrivit, & ex multis partibus diſparibuſque moribus in unum corpus collegit. Quocumque exibat, quocumque procedebat, tanta ſequebatur eum frequentia fratrum, ut jam non ducem & principem, ſed re vera putares eum eſſe Archangelum monachorum. Hoc enim nomine cenſebat eum appellandum in ſuis ſermonibus & epiſtolis FULBERTUS ille ſibi præcordialis amicus, Carnotenſis epiſcopus, in ſanctitate laudabilis, in ſapientia mirabilis, in cujus morte ſtudium philoſophiæ in Francia periit, & gloria ſacerdotum pæne cecidit.

XII. *Ejus fortitudo.* Jam de fortitudine animi ejus, vel corporis pauca dicturi, etiam virtutis illius definitionem, juxta veterum æſtimationem adhibere debemus. Fortitudo eſt animum ſupra periculi metum agere, nihilque niſi turpia timere; tolerare fortiter adverſa, vel proſpera. Hac itaque fretus virtute, quam fortis fuerit in repellendis inimicorum inſidiis, quam patiens in tolerandis, dictu videtur difficile. Cerneres in illo hoc privilegium patientiæ: quia his qui læſerant, tamquam alter David, majorem rependebat beneficii gratiam, & his qui oderant potiorem conſervabat benivolentiam. Non valebant hunc adverſa dejicere, nec proſpera elevare. O quantas infeſtationes, & quam graviſſimas inſectationes à domeſticis & extraneis ipſa ſancta anima ſuſtinuit; & præter has, quam duras corporis pœnas in jejuniis, in vigiliis, in orationibus ipſe ſibi adſcivit, &, quod jam libere dicendum eſt poſt navigantis felicitatem, quibuſdam vinculis & nexibus ferreis, ſolo Deo teſte, membra ſua ita damnaverat, ut vix humana caro hoc tolerare potuerit. (*Vitæ auſteritas.*) Cilicium ei ſemper aſperrimum interius adhærebat, deſuper vero mediocri & communi veſte indutus apparebat. Multiplices etiam & diverſos labores ſuſtinuit pro pace eccleſiarum, pro ſtatu ſuorum locorum, pro utilitate proximorum; & propriis periculis quæſivit tranquillitatem univerſorum. Scis & tu miſericors & miſerator hominum Jeſu-Chriſte, ad comprobandam ejus patientiam quam graviſſimos dolores & acerbos cruciatus dederis ſibi in occulto: & tamen in his invictum tenuit animum, tamquam bona terra fructum reddens in patientia, dicens ſe majora mereri quam patiebatur ſupplicia. Animarum Redemtor Domine, qui ad hoc percutis ut ſanes, ad hoc mortificas ut vivifices, ſecundum multitudinem illius præteritorum dolorum, ſuccedant ſibi conſolationes tuarum ſanitatum & lætitia cæleſtium gaudiorum.

XIII. Temperantia, quæ ultima in catalogo propoſitarum virtutum eſt, in ſui definitione modum & ordinem ſervat eorum quæ dicenda ſunt, vel agenda. In quo virtutis officio tantum valuit, ut in omnibus actionibus & imperiis modum teneret, ordinem ſervaret, & diſcretus mirabiliter exſiſteret. (*Quam moderatus fuerit.*) Jejunia in aurigæ modum, ſecundum beatum Hieronymum, pro laſſitudine & viribus corporis moderabatur: & ſic appoſita quæque liba-

bat, ut & ſuperſtitionem fugeret, & continentiam reſervaret. Cultus ipſe nec mundiciis, nec ſordibus notabilis erat. Gravitatem morum hilaritate frontis temperabat. In corrigendis vitiis pro modo & tempore ſeverus, in remittendis gratioſus, & in utroque æqua lance libratus. Hæ vero quas propoſuimus in eo relucebant virtutes, & in has concurrebant ceteræ omnes. Tota enim cerneres in illo exempla virtutum. Ita in ſingulis eminebat, quaſi ceteras non haberet: ita omnes retinebat, ut nulla deeſſet: ita etiam affabilem ſe & benivolum ſubjectis exhibebat, ut magis vellet diligi quam timeri, magis prodeſſe quam præeſſe. Quis umquam de hoc viro quod diſpliceret audivit? quis audivit ut crederet? quis credidit ut non magis ſe ipſum malignitatis & infamiæ denotaret? Ipſe enim ſibi auctoritatem dabat, qui in omnibus ſuis actibus vel actionibus euformis & compoſitus coram Deo & hominibus apparebat. Et præter hæc interiora, fuerunt in eo extrinſecus glorioſa ſtudia in ædificiis ſanctorum locorum conſtruendis, renovandis, & ornamentis undecumque acquirendis. Demonſtrat hoc Cluniacus ſuus principalis locus, in cunctis ædificiis interius & exterius, præter parietes eccleſiæ, ab ipſo ſtudioſe renovatus, & ornamentis multipliciter adornatus: ubi etiam in noviſſimis ſuis clauſtrum conſtruxit, columnis marmoreis ex ultimis partibus illius Provinciæ, ac per rapidiſſimos Durentiæ Rhodanique curſus, non ſine magno labore advectis mirabiliter decoratum: de quo ſolitus erat gloriari, ut jocundi erat habitus, inveniſſe ſe ligneum, & relinquere marmoreum, ad exemplum Octaviani Cæſaris, quem deſcribunt Hiſtoriæ, Romam inveniſſe latericiam [a], & reliquiſſe marmoream. Incœpit etiam ciborium ſuper altare ſancti Petri, cujus columnas veſtivit ex argento cum nigello [b], pulcro opere decoratas. Jam vero de omnibus monaſteriis ſuis; quid Paterniacus [c] ob Dei-Genitricis amorem, ſibi delectabilis locus? Romanum monaſterium à fundo conſtructum; locus ſancti Victoris Genevenſis, præter ſuam antiquam & nobilem eccleſiam ex toto etiam ſuo tempore conſtructus; Carus-locus, Amberta valde celebris eccleſia, Rivis ex toto, Celſinanias, Silviniacus, tranſlata Firmitas, monaſterium ſancti Saturnini, apud Papiam ſancti Maïoli nobiliſſimus locus; & præter hæc diverſarum eccleſiarum multiplex numerus; hæc omnia illius induſtria ſuo tempore in ædificiis, in poſſeſſionibus & ornamentis ampliſſime dilatata creverunt. Conſtruxit etiam in ultimis vitæ ſuæ in prædiolo genitorum ſuorum quoddam monaſterium, Volta * à revolutione aquæ circum-currentis nuncupatum, ſtudioſo opere decoratum, quod de redditibus ſuorum amicorum antiquorum & parentum, prout potuit, ad ſerviendum Deo hereditavit, & competentibus libris, vel ornamentis decenter adornavit. Si inimici ſubſanaverint, vel amici reprehenderint me hæc ſuperflue poſuiſſe; noverint profecto, noverint hæc omnia ad virtutes animi ejus ſpectare, & pro talibus patrocinia Sanctorum feliciter promeruiſſe, atque coronam beatæ retributionis jam à Domino percepiſſe. Quid jam agimus anima? cur tam prolixas circumlocutionis moras innectimus? ſic differre volumus mortem, & vitam facere longiorem, quaſi timeamus venire ad ultimum. Manet adhuc illa ſententia primo homini data: *Terra es, & in terram ibis.* Quotquot poſt hanc venerunt, omnes præterierunt, & mortis legem perſolverunt. Mortui ſunt Patriarchæ, Prophetæ, & Apoſtoli, Re-

Margin: a. b. Monaſteria ab eo reſtaurata. c. ſeu extructa. * *la Voute.* *Gen. 3.*

a Sic codex Creſpeienſis, alius cum Bollando *ligneam.* Noſtra lectio videtur melior, quod auctor videatur alludere ad Auguſti Cæſaris dictum de urbe Roma.

b Sic mſſ. pro quo Bollandus legit *jugello.*

c Monaſteria aliunde nota fuſiores non exigunt hic notationes. Paterniacum & Romanum in diœceſi Lauſannenſi ſita Odilo ab Adhelaide habuit. Carus-locus in pago Matiſconenſi ſitus, datus eſt S. Odoni à Roberto epiſcopo Valentiæ & Edvvardo ejus germano. Amberta ad pagum Lugdunenſem pertinet, ad Arvernos vero Rivis, vulgo *Riz*, & Celſiniæ, *Saucillanges.* Silviniacum, *Souvigni*, apud Borbonios, Firmitas, *la Ferté*, prioratus Silviniaco ſubjectus. de ceteris alias dictum eſt.

Digitized by Google

ANN. CH. MXLIX. I. JANUAR.

ges, Imperatores, Principes, majores & minores : quotquot habuerunt initium naſcendi, habent conditionem moriendi : excepti ſunt Elias & Enoch, & ipſi in ſuo ordine, temporibus Anti-chriſti morituri. Moritur Filius Dei, aliter nos, aliter ille : ille poteſtate, nos conditione ; ille voluntate, nos neceſſitate : quamvis & ipſe neceſſitate, quia pro noſtra liberatione. Niſi enim ille moreretur, nos non reſurgeremus : moritur ille, ut nos poſt mortem vitam ſperaremus æternam.

XIV. Romam pergit.

In extremis itaque vitæ ſuæ felicis memoriæ Odilo per quinquennium novis iterum & graviſſimis cruciatibus cœpit vehementer affligi. Qui cum jam mortem vicinam ſentiret, ſanctorum Apoſtolorum limina adiit, eo voto, ea ſpe, ut ibi ſub tantorum Apoſtolorum protectione debitum mortis exſolveret, ſicut ſemper in votis habuerat. Sed quia non eſt in hominis poteſtate via ejus, aliter ſe res habuit, quam ſperavit. Manſit itaque ibi per quatuor menſes, graviſſima corporis detentus infirmitate. Aderat ſibi dulcis memoriæ CLEMENTIS papæ, de quo ſupra memoravimus, deſiderabilis conlocutio, & apoſtolicæ reverentiæ benedictio : frequens etiam monachorum & clericorum grata viſitatio, inter quos ſæpius reviſebat domnus LAURENTIUS archiepiſcopus de Malfia [a], vir per omnia ſanctiſſimus, in ſcripturis utriuſque linguæ, græcæ videlicet & latinæ, facundiſſimus, iſtiuſque noſtri Patris familiariſſimus : quorum uterque animus conglutinabatur individui amore Spiritus. Poſtquam vero contra ſpem convaluit, fultus ſanctorum Apoſtolorum ſuffragiis, & munitus benedictionibus apoſtolicis ad propria rediit ; Cluniacum venit, & ibi per totum fere annum ſemetipſum, in quantum infirmitas conceſſit, jejuniis, orationibus & vigiliis vehementer afflixit ; Fratres ibi manentes & ſupervenientes piis exhortationibus inſtruxit, & velocem ſui corporis depoſitionem imminere prædixit. Decreverat poſt hæc ut monaſteria ſua & cellas circuiret, fratres viſitaret, paternis admonitionibus inſtruendo ad meliora provocaret, & ſic demum quocumque ſecederet, ibi ſuam ſollicitus vocationem exſpectaret. Hoc opere incœpto, Silviniacum venitur, quo præceſſor ſuus ſanctus Maïolus moritur, & ſepultus requieſcit. Ibi itaque non paucis diebus commoratus, cum inſtaret jam Adventus dominicæ Nativitatis, & ipſe tamquam vox præcurrens, de die in diem populo tantæ feſtivitatis gaudia in ſuo ſermone publice denuntiaret, ſubito illi ſui diuturni cruciatus, & antiquiſſimi dolores ſimul ad vitalia congregantur, & de ejus vita, heu, prô dolor, deſperatur ! Ut eſt eccleſiaſticæ conſuetudinis, fratres cum pſalmis ante eum veniunt, ſecundum apoſtolicam ſententiam oratio fidei ſuper eum celebratur, myſterium vivifici corporis & ſanguinis ſumitur, pax fratribus præbetur, & ad ultimum illa ſalutifera crux noſtræ redemtionis, & imago crucifixi Domini noſtri ad orandum præſentatur. O Domine Jeſu ! in illa hora quæ ſuſpiria, qui gemitus fuerunt ! quæ recordatio & confeſſio delictorum, quæ glorificatio tuæ majeſtatis, quæ invocatio tui nominis, & quæ memoria tuæ paſſionis, & noſtræ redemtionis ! Ita enim ſuſpenſis oculis, & lacrymarum imbribus plenis contemplabatur & compatiebatur tui vultus imaginem, quaſi iterum te videret crucifigi & mori. Adſtabat tibi totus ſuſpenſus cum Maria matre, pertranſiebatque animam illius acerrimæ compunctionis gladius. Neſcio corporeis an incorporeis oculis reſpiciebat è latere inimicum inſidiatorem humani generis, qui nec ab ipſo Domino conatus ſuæ fraudis abſtinuit, contra ſe ſtare. Videres illum, & libero clamore audires quibuſdam terribilibus contradictionibus eum increpare, & ut à ſe longe recederet, imperialibus

Silviniaci ægrotat.

Ejus in diabolum lucta.

[a] Legendum *de Amalphia*, & quidem Petrus Damiani habet *Amalfitanus*. Is eſt Laurentius Amalphitanus archiepiſcopus, qui ex monacho Benedictino hujus eccleſiæ antiſtes factus, eam egregie adminiſtravit uſque ad annum 1049. quo, ut ex cap. 17. infra diſcimus, obiit.

verbis

Digitized by Google

verbis juberet. Et ut verbis ipſius loquar: Tibi, inquit, humani generis « ANN. CH. MXLIX.
inimice, interdico per virtutem Domini mei Jeſu-Chriſti, & per vexillum » I. JAN.
ſanctæ crucis, averte à me machinas tuas, occultas & apertas inſidias, «
quia crux Domini mei vita mihi, mors tibi. Crux Domini mei mecum eſt, «
quem ſemper adoro, ſemper benedico, & nunc in manibus ejus ſpiritum «
meum commendo. His ita expletis, appropinquabat jam ſollemnitas do- «
minicæ Nativitatis, in quibus diebus ſollemne ſibi in vita ſua fuerat, ut
magis gratioſus & officioſus appareret. Vigilia vero adveniente, in capitu-
lo cum fratribus procedit: nuntium cæleſtis oraculi & venturæ feſtivitatis
audit: genua flectit, adorat, orationem terminat. poſt hæc tam feſtive &
luculenter, ut numquam melius ante in vita ſua fecerat, ſermonem per-
orat, de ſua morte dolentes fratres conſolando relevat, de Dei miſericor-
dia ſperare poſt mortem ſuam denuntiat, deinde cum illis gaudiis tantæ
feſtivitatis intereſſe ſollicitus procurat. Sed quia jam pæne exanimis in
majori eccleſia ſancti Petri, quo conventus fratrum conveniebat, inter-
eſſe non poterat; in eccleſia Dei genitricis & virginis Mariæ, aliquibus
fratribus ſecum detentis, quaſi quidam feſtivus præcentor, pſalmos & an-
tiphonas imponebat, benedictiones dabat, & quæque officia tantæ feſti-
vitati congruentia, oblitus corporeæ infirmitatis, lætus perſolvebat. Jo-
cundus enim & feſtivus, feſtive, non jam per ſpeculum & in ænigmate, ſed
facie ad faciem, Dominum venientem ſuſcipere volebat, & ad hoc toto
deſiderio ſuſpirabat. Erat certe ſollicitus valde, ne minus imparatum ſe
inveniret jam imminens divinæ vocationis exitus. Viribus itaque corporis
ex toto pæne deficientibus, per totam ſollemnitatem bajulorum manibus
per ſingulas horas dierum ac noctium, & celebrationes Miſſarum ad eccle-
ſiam defertur, vivificis ſemper myſteriis recreatur, & diem ſuæ vocatio-
nis circa feſtivitatem dominicæ Circumciſionis imminere pro certo teſta-
tur: memorans illius perfectiſſimi viri domni WILLELMI abbatis Di-
vionenſis in eadem ſancta Circumciſione obitum, qui propterea eadem
die coronam accepit divinæ remunerationis, quia ſemper pie compatie-
batur tenera vulnera Dominici cruoris, videlicet ſecundum Hieronymum,
injuriam Circumciſionis. Simili modo & iſte in humanitate Salvatoris,
eamdem habebat qualitatem affectionis. Igitur utrique uno eodemque af-
ficiebantur pietatis genere, ſimili quoque de hoc mundo vocantur ſollem-
nitatis tempore, non diſpari etiam in cælis refulgent claritate. Fuerunt
enim inter ſe, dum viverent, amici indiſſolubiles, in ſancta profeſſione
æquales, & in omni morum honeſtate non diſpares. Suſpenſus itaque tali
exſpectatione, totum illud tempus pæne ſine cibo & potu tranſigebat. Et
mirum in modum rem privatam & communem, ac ſi nihil pateretur, diſ-
ponebat, & de corporis ſui compoſitione vel ſepultura lætus & alacer, quo-
modo fieret, commendabat.

Nativitatem Domini celebrat.

Advenerat ſancti Silveſtri pontificis feſtivitas, & vigilia exſpectatæ Cir-
cumciſionis, cum ſubito ante lucem magis ac magis urgeri cœpit ad extre-
ma mortis. Myſterium corporis & ſanguinis Domini cum feſtinatione re-
quirit, fideliter agnoſcit, devotus ſumit: iterum crux adoratur, iterum dia-
bolus repellitur, & ne ad ſe funeſtus propinquare audeat, imperialibus
verbis iteratis prohibetur. Succedente vero die, contra malignorum ſpiri-
tuum illuſiones, cogitationumque peſſimarum incurſiones, pro ſcuto fidei
Symbolum coram omnibus legitur: Auguſtinus exponens introducitur,
intente auditur, in ſermone etiam cum adſtantibus replicatur. In longum
diem lectio prolongatur, atque in ultimo certamine poſitus animus, in
virtute fidei ſolidatur, morſque inter hæc paullatim clauſtra carnis irrum-
pens ingreditur. Fratres ante eum venientes denuo ſalutantur, paternis ex-
hortationibus & benedictionibus inſtruuntur, muniuntur, & ut de voca-

In extremis agit.

Ann. Ch. MXLIX. I. Januar.

tione ſua ſolliciti ſint, admonentur. Conſultus de ſucceſſore: Hoc, inquit, in Dei diſpoſitione & electione Fratrum committo. Poſt hæc ad veſperum dies trahitur, veſpertina officia à fratribus perſolvuntur, & ipſe bajulorum manibus ante ſanctum altare Dei genitricis Mariæ cum lecto defertur. Rem miram! pſalmos imponit, cum pſallentibus moriens pſallit: & ſicut ad tale ſpectaculum doloris, cum à fratribus in triſtitia mortis ejus poſitis aliqua pſallendo negliguntur, ab illo emendantur; & quod ab illis obliviſcitur, ab illo recordatur. His expletis, ut fratres exirent innuit, & ipſe aliquamdiu in oratione manſit. Poſtmodum quando voluit, ad domum reportatur. Quidnam ageret Conventus fratrum ſollicitus requirit. Erat enim ſabbatum. Nox jam interveniebat, & ipſe de mandato abluendorum pedum, ne hora prolongaretur à fratribus, ſollicitus erat. Cum inter iſta ſpiritus ejus in mortem reſolvitur, ſubito pæne exanimis redditur, inter manus tenetur: cilicium à fratribus feſtinanter in terra ſternitur, cineres ſparguntur, & ſanctum corpus ſuperponitur. Tandem reſumto ſpiritu, ubi eſſet, quemdam fratrum ſuæ ſenectutis bajulum, nomine BERNARDUM, requirit. Quo dicente, Domine in cinere & cilicio. Deo gratias reſpondit. Deinde ſi infantes & conventus fratrum adeſſent, ſollicitus interrogat. Cui cum reſponſum eſſet, omnes præſto adeſſe: tandem reſpiciens crucem adſtantem, viſus oculorum in illam dirigit, & motu labiorum quædam ultimæ orationis verba ſub ſilentio profert. Et ita ſine ulla concuſſione corporis, & ſine aliqua habitudine incompoſitæ affectionis, clauſis oculis in pace quievit. Corpus ejus à Fratribus, quibus ipſe juſſerat, & quemadmodum ordinaverat, lavatur, aromatizatur, componitur, in geſtatorio ſibi conſueto collocatur: ante ſanctum altare ad eccleſiam defertur, & per triduum propter fratres undecumque ad ſepulturam concurrentes reſervatur. Jam vero ad exſequias funeris ejus, non dico ſolum villa, ſed pæne tota provincia venit. Videres hinc alios dolere, hinc alios gaudere, & tamen omnes flere. Flebant alii præ gaudio tanto donati patrono: flebant alii præ dolore tanti Patris deſtituti ſolatio. Jam vero poſt triduum, expletis de more exſequiis, cum magno pſallentium choro, diſcipulorum ſuorum manibus ad ſepulcrum in eamdem eccleſiam defertur, & decenter in loculo novo de petra exciſo, ut decebat, ſepelitur. Deceſſit vero vir ſanctus nocte Circumciſionis Domini noſtri Jeſu-Chriſti, in prima vigilia noctis, quæ etiam Dominica habebatur, ætatis ſuæ anno octogeſimo-ſeptimo, ordinationis vero quinquageſimo-ſexto, anno etiam Dominicæ Incarnationis milleſimo quadrageſimo-nono.

Pacifice obit.

Ejus exſequiæ.

XV. Auctor pro ejus requie orat.

Nunc jam, Domine Jeſu, illius animam tibi commendamus, quem defunctum tenere non poſſumus. Gaudemus quia tale munus ex te habuimus: dolemus quod tam cito amiſimus. Abſentiam ejus ferre non poſſumus: ſed in hoc conſolamur, quia eſſe tecum eum ſperamus. Cur enim, Domine, non tecum ſit ibi, qui hic numquam voluit à te ſeparari? Quis umquam illo magis te dilexit? quis illo magis te ſecundum ſuum velle & poſſe glorificavit? Pro te cum dolentibus dolens exſtitit, pro te multos labores ſuſtinuit, pro te pauperibus multa miniſtravit. Et quid dicam, Domine? Licet ſanguinem pro te non fuderit, tamen martyrii fructu non carebit: quia hoc ſi neceſſe eſſet totis viribus ferret *; & quia hoc eſſe non potuit, ipſi ſui diuturni cruciatus, & labores paſſionibus Sanctorum tuorum reddentur æquales. Si quid, Domine, virtutis & gratiæ in eo refulſit, totum de tuo & ſuo fuit, de tuo per gratiam, de ſuo per voluntariam obedientiam. Tua gratia præceſſit, illius operis effectus ſucceſſit. Jam animarum ſanctarum ſuſceptor, Fili Dei Jeſu-Chriſte, laborum illius ſis perpetuus remunerator, & ſis noſtri in illo & per illum clementiſſimus conſolator, qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum, amen.

* mſ. 1. vel. ter.

Digitized by Google

Eadem vero nocte, qua vir ſanctus diſceſſit, quidam frater, Gregorius nomine, Ninivita [a] natione, ſimplicis naturæ, & innocentiſſimæ vitæ, illo, ſicut diximus, in eccleſiam deportato, laſſitudine & infirmitate gravatus, ad proprium ſtratum in eamdem domum, in qua ſanctus obierat, rediit, & ſe quieti dedit. qui necdum in ſomnum plene reſolutus, eumdem Patrem ſibi adſtare vidit. At ille præſumtibili voce: Quid agis, inquit, domine? Ipſe vero: Bene, frater, & optime, reſpondit. Nam Dominus meus Jeſus-Chriſtus per ſemetipſum dignatus eſt venire ad ſervum ſuum: ſed in hora meæ diſceſſionis ibi in angulo, oſtendebat autem quaſi digito locum, vidi trucem & valde terribilem figuram, quæ me ſui horrore & ingenti deformitate terrere voluit: ſed Domino mihi præſente, nocere non potuit. Hæc dicens receſſit. Frater vero inde ſurgens, quæ audierat & viderat fratribus, qui ibi tunc aderant, & nobis poſtmodum in veritate narravit.

Ann. Chr. MXLIX. 1. Januar. XVI. S. Odilo apparet monacho cuidam.

Auctor teſtis.

Succedente vero Quadrageſima domnus LAURENTIUS archiepiſcopus, de quo ſupra diximus, Romæ moritur. Aderat devotus in exſequiis ejus quidam clericus, ALBERO nomine, natione Teutonicus, genere nobiliſſimus, patri Odiloni dum viveret familiariſſimus: qui cum domno Papa LEONE, ſibi proximo parente, Romam advenerat ea tempeſtate. Is itaque, memorato Archiepiſcopo defuncto & ad eccleſiam deportato, laſſitudine cogente, ſe ſopori dedit in quodam ejuſdem eccleſiæ angulo: cum ſubito adhuc pæne vigilanti Odilo vir beatus apparuit. Cui cum ille tremens & pavidus amicabili voce diceret: Domine quando huc, & cur advenisti? Ad exſequias, inquit, fratris noſtri domni Laurentii archiepiſcopi veni: quibus expletis, hinc recedens quin viderem te præterire nolui. His dictis, viſio diſparuit. Ipſe vero poſtmodum hæc nobis & pluribus aliis in veritate narravit.

XVII. Altera viſio.

Epitaphium jam terminetur, ne mentibus audientium longæ orationis faſtidium generetur. Verumtamen in calce ſermonis compendioſe dicatur, Odilonem ex multo tempore terminum vitæ ſibi optaſſe, ſed ſecundum Apoſtolum, ſubditorum cogente neceſſitate, per Dei gratiam tam diu in carne manſiſſe. Erat certe præſens vita ſibi tædium, & mori lucrum. Uſque ad effuſionem lacrymarum multotiens dolebat coætaneos & juniores ſuos præceſſiſſe, & ſe dolorum videre miſeriam ſuperſtitem remanſiſſe. Videbatur ſibi inter alios eſſe peregrinus, quia paucorum illi diſcretus & moderatus conſentiebat affectionis habitus. Compungebatur ſæpius, quia de mundo pæne receſſerat totius honeſtatis decus, & ingenitæ bonitatis virtus. Heu me! quia incolatus meus prolongatus eſt, cum David frequenter canebat, & ſecundum Apoſtolum diſſolvi & cum Chriſto eſſe multo melius eligebat. Quia ergo jam receſſit ut voluit, luctus funeris ejus cum ſermone claudatur, & requies ejus in Jeruſalem omnibus diebus iterum atque iterum imprecetur, & per omnia ſæcula ſæculorum repetatur. Amen.

Odilo cum Chriſto tu vivas ſemper in alto:
Odilo perpetuam capias tu ſancte coronam.
Odilo virgineus temet præcedat & Agnus:
Currere poſt valeas, lætus veſtigia tangas,
Illius unguenti pleno perfuſus odore,
Quo recreat mentes * diffuſo nomine ſanctas,
Quo caput ipſa Dei perfudit odore Maria,
Ex ſe peccatrix, divino munere felix.

* mſ. 1. animas.

a Mſſ. 1. *Ninevita*. An à Niniva Flandriæ opido, medio inter Bruxellas & Aldenardam in comitatu Aloſtenſi? Petrus Damiani apud Bollandum habet *Juveneta*.

Ann. C. M. MXLIX. I. Januar.

INCIPIT PROLOGUS in libro ſecundo.

IN ſuperiore libro, vel potius denominato epitaphio, de moribus patris Odilonis, & animi virtutibus, etſi non ad plenum, tamen ſecundum quod potuimus diximus. Signorum vero inquiſitoribus, & meritum cujuſque in miraculi novitate * metientibus id dicendum eſt, quia divinæ dilectionis prærogativa ponitur, non in oſtenſione ſignorum, ſed in perfectione virtutum. Neque enim miracula vel ſigna nos Deo commendant, ſed virtutes operum perfectos eſſe demonſtrant. Cum & Judas ſimul cum Apoſtolis ſigna fecerit, & reprobi in die judicii foris à regno excluſi, dicant: *Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in tuo nomine multa ſigna fecimus?* (Matth. 7. 22.) Et ipſe Dominus in Evangelio ſanctis Apoſtolis à prædicatione redeuntibus dicat: *Nolite in hoc gaudere, quia dæmonia ſubjecta ſunt vobis: ſed in hoc gaudete, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis.* (Luc. 10. 20.) Cum ergo hæc ita ſint, vanum eſt pro magno ducere, quod conſtat reprobos aliquando cum electis habere. Tamen ne noſter Odilo ab hac etiam gratia excludatur, dicenda ſunt pauca de multis, quæ Dominus noſter ad laudem & gloriam ſuam, & ad illius meritum hominibus commendandum, ante mortem, & poſt mortem dignatus ſit demonſtrare.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

Odilo puer infirmus mire ſanatur.

IN exordio vero virtutum ejus, dicendum eſt quid illi contigerit cum adhuc puer eſſet. quod ne cui videatur incredibile, ab ipſis agnovi, quibus ipſe ſolitus erat narrare. Dum adhuc puerulus in domo patris nutriretur, antequam etiam ſcholis daretur, contigit ut membrorum omnium pæne virtute privaretur, incedendique vel per ſe movendi ei poſſibilitas negaretur. Accidit vero quadam die familiam patris ejus de loco ad locum mutari, & infantem ſub cuſtodia nutricis ſervulorum miniſterio bajulari. Cumque in medio itinere ad quamdam eccleſiam in honore Dei Genitricis Mariæ conſecratam divertiſſent, depoſuerunt puerulum cum ſarcinulis ante oſtium ejuſdem eccleſiæ. Erant autem domus adjacentes eidem baſilicæ, in quibus neceſſe erat illis quædam victualia quærere. Dum vero diutius in his implicarentur, videns ſe puer ſolum relictum, inſpiratione divina attractus, cœpit tentare ſi quo modo ad oſtium poſſet accedere, & eccleſiam Dei Genitricis intrare. Itaque virtute qua poterat, manibus & pedibus reptando, oſtium attigit, eccleſiam intravit, ad altare uſque pervenit, pallam altaris manibus arripuit; deinde ſummo conamine brachiis in altum protenſis ſurgere conabatur, ſed nodis diu male ligatis retinebatur. Vicit tandem * divina virtus, redintegrans pueri languidos artus, atque mirabili modo Dei Genitricis interventu ſurgit, & ſtat ſuper pedes ſanus, & in circuitu altaris hac illacque diſcurrit. Clientes vero poſtmodum ad ſarcinas redeuntes, & puerum non invenientes, mirati valde cœperunt illum ubique locorum requirere: & non invento, nimis inter ſe conturbati, tandem caſu eccleſiam introeunt, vagantem & diſcurrentem per eccleſiam conſpiciunt, divinæ virtutis potentiam recognoſcunt, puerum lætabundi in ulnis accipiunt, quo tendebant perveniunt, atque parentibus incolumem & ſanum cum magna lætitia reddunt. Oſtendebat jam Dominus in puero, quam gratus & acceptus ſibi deberet eſſe in futuro, quem nedum pæne loquentem, vel aliqua diſcernentem,

* al. cod. tamen.

* Cod. S. Germ. *Miraculis novitatum.*

Digitized by Google

miſericorditer liberavit à tantæ contractionis vinculo. Erat autem præſagium Dei Genitricis eccleſia, quam ipſe dum ad liberam ſcientiam & ætatem pervenit, omnibus votis dilexit, coluit, atque pro viribus in omni vita ſua glorificavit. Refertur etiam quod jam adultus ætate, in eccleſiam ſimili modo in honore Dei Genitricis conſecratam intraverit, & nullo alio niſi Deo teſte, ſemetipſum collo mancipatum eidem altari tradiderit dicens: O piiſſima Virgo & Mater Salvatoris omnium ſæculorum, ab hodierna die & deinceps me in tuo ſervitio habeto, atque in omnibus meis cauſis, miſericordiſſima advocatrix, mihi ſemper adeſto. Poſt Deum enim à modo nihil tibi præpono, & ultroneus in æternum meipſum, tamquam proprium ſervum, tuo mancipatui trado. Hæc de pueritia ejus dicta ſufficiant, nunc veniendum eſt ad illa quæ jam in perfectiori ætate poſitus, & regimine abbatiæ decoratus, Domino cooperante fecerit. Verum plurima quæ in prima fronte dicturus ſum ipſe non vidi, ſed duobus monachis ejus, PETRO videlicet monaſterii ſancti Maïoli, quod apud Papiam eſt præpoſito, viro ſcilicet religioſo, & SYRO [a] cujuſdam monaſterii abbate, per adnotationem fratris BOSONIS, miræ ſimplicitatis & innocentiæ monachi, ſicut rogaveram dum hoc opus inciperem, referentibus agnovi. Fuerunt enim prædicti fratres probabiles viri, patris Odilonis admodum familiariſſimi, ſecretorum etiam illius in pluribus conſcii, & itineris vel laboris per multa tempora ſocii. Quapropter ea quæ ab illis referuntur, tanto credibilia ſunt, quanto illos certiſſime conſtat narrare illa, quæ oculis viderunt, auribus audierunt, manibus etiam tractaverunt, atque ut certo tempore nobis & multis nota fierent, prudenti [b] memoriæ commendaverunt. Ideo vero hanc noſtram relationem probabilium virorum teſtimoniis cingimus, ne ab æmulis gratia cujuſquam falſæ adulationis hæc finxiſſe judicemur. Sicut enim Gallus in Sulpicii Severi & Poſthumiani dialogo refert de Martino, non indiget, ut mendaciis aſſeratur Odilo, quem Chriſtus jam, ut pia fide credimus, glorificavit in cælo, atque diverſis virtutum ſignis, celebriter commendat in mundo. Abſit enim me niſi viſa & experta, & à fidelibus perſonis ſive idoneis teſtibus relata, de tanto viro aliquid mendaciter fingere vel narrare.

Ann. Chr. MXLIX. 1. Januarii

B. Virgini ſe vovet.

Auctoris fides.

II. Exiens quodam tempore beatiſſimus pater Odilo à Cluniaco celeberrimo loco, devenit ad quemdam ſui juris locum, non longe ab eodem monaſterio ſitum, nomine Beſorniacum *. More ſibi conſueto eccleſiam petiit, ut Chriſto Domino perſolveret vota orationum: inde ſe domum recepit, quæ ipſi eccleſiæ contigua videtur. Accenſo autem igne, quia frigus erat, cœpit ſedendo gelidos artus calefacere. Poſtmodum vero oculorum orbes hac illacque volvens, conſpicit eminus puerum, cujus faciei effigiem pulcra manus ſuperni Opificis decoram effecerat. Interrogat quis eſſet? Aïunt circumſtantes: Servitutis vinculo in veſtro, domine, ſervitio adnexus tenetur. Et ſanctus: Quomodo, inquit? Filius eſt, inquiunt, villici veſtri. qui licet videatur decorus adſpectu, caret tamen oculorum viſu. Tacuit Deifer heros, & animum ad ſpem reformans, Altitonantis clementiam tacita prece invocat. Et advocans parvulum, damnatis cæcitate oculis ſignum imprimens dominicæ crucis, quæ natura minus dederat, virtutum Deo cooperante, ilico accommodat. Moxque videntem remittit ad propria ovantem. Amabat enim pueros, non laſciviam ſectans, ſed ætatis innocentiam pie in illis amplexans.......... *talium eſt enim regnum cælorum.* Quis loquetur magnalia Dei, fratres cariſſimi? Cernimus namque impleri veridicum dictum Chriſti: *Qui credit in*

** al. Berſiniacum.*

Cæco viſum obtinet.

Matth. 19. 14.

Johan. 5. 36.

[a] Aliqui codd. habent *Syrone*. Hic porro eſt Syrus abbas, qui vitam S. Maïoli in litteras retulit.

[b] Avulſo hic in codice noſtro S. Germani folio, hiatus, qui interdum occurrunt in Thuaneo uſque ad cap. 5. ſuppleri non potuerunt.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXLIX. I. Januar. *me, opera quæ ego facio & ipſe faciet.* Egit quidem ſimile opus potens Salvatoris dextera, commorans in carne humana: & nunc eodem inſigni miraculo ſervum ſuum magnificare dignatus eſt in noſtri temporis ævo, ut facile quis perdiſcere queat, quanti æſtimandus ſit, qui opere conſimili, Domino ſæculorum Rege cooperante, meruit ſublimari.

III. Aqua in vinum verſa. Degebat aliquando ſanctus Odilo in quodam ſuo cœnobio, quod nuncupatur Aurea-vallis, loco ſcilicet religioſo, & fratrum illic commanentium ſanctitate famoſo. Aderat ille primus dies jejuniorum, quæ Domini Paſcha præcedunt, in quo & cineris ſuper capita impoſitio ſuſcipitur, & arduæ incœptio abſtinentiæ à fidelibus inchoatur. Dei itaque cultor conſuetum morem explere cupiens, cum jam hora diei nona fratres, modico cibo percepto, lectioni vacarent, clam cinere impleto pugillo conſedit ad menſam, & cœpit ſecundum Pſalmigraphi dictum, pane ſimul cum cinere feſſum corpus reficere. Innuit vero cuidam fratri, ut ſibi aquæ potum deferret, quo imbecilles artus arido edulio ſuſtentaret. Attulit ille quod juſſerat. Ut vero applicuit labiis, ecce ſaporem odor aquæ contulit vini. Subſtitit ille, & quaſi ignarus, iterum fratri ut aquam deferret, innuit manu. Qui miratus, ſe aquam obtuliſſe ſignificavit. Tandem evacuato vaſe, iterum idem aqua plenum detulit Patri. Attigit ille ſummotenus ore, denuo vinum pro aqua cœpit redolere. Vir ergo beatus Dei pietatem erga ſe perſentiſcens, humili devotione quod Deus miſerat ſumere non recuſavit. Ecce .... in Cana Galileæ convivantibus de aqua vinum exhibuit. Nunc vero famulo ſuo ſponte ſe atterere volenti, pallentem lympham in vini ſaporem convertit. Quali vero cordis jubilo, vel qua mentis fiducia æſtimandus eſt tunc tripudiaſſe, cum ita de ſe Deum curare cognoviſſet? Potuit tunc Pſalmiſtæ verbis concinere: *Dominus ſollicitus eſt mei*, vel ſicut alibi dicitur, *Dominus curam habet mei.*

IV. Eo tempore quo HEINRICUS rex ad arcem Romani imperii feſtinabat, ut de regno ad imperium promoveretur, comitabatur cum eo beatiſſimus Odilo, & glorioſiſſimæ Virginis adorandum partum utrique celebraverunt apud Papiam, ditiſſimum Italiæ opidum. Expletis itaque illius diei ſacris hymnorum officiis, conſedit ſenior cum fratribus ad menſam, ut ſumtis ciborum dapibus, amiſſas revocarent vires. Erant autem diſcumbentes multi, atque obſequentes non pauci: inter quos quidam fraudis poſſeſſor ſe velle obſequi ſimulans, captabat oculis quomodo aliquid quiret furari. Cernens igitur mappam operoſam ſuper viri Dei menſam, illectus cupiditate letifera anhelabat patrare, quod cupiverat iniqua mente. Poſtquam ergo exempta eſt fames epulis, menſæque ſunt remotæ; aliis ſua curantibus, ille malignus caſu repertam mappam ſubito rapuit, & diſceſſit feſtinato, gaudens de inventa præda, & ignarus quanta ſibi in proximo futura erant membrorum detrimenta. Altera vero die hora competenti appoſita menſa, requiritur quod deerat. Orto inter clientes de amiſſa mappa querelarum murmure, dapſilis Pater hoc parvipendens, Afferte, inquit, aliam, & ne tale aliud ulterius accidat, ſolliciti eſtote in poſterum .... poſtmodum beato viro ſimul cum Rege, malignus ille rem male ſublatam detulit in forum venalium rerum; ſed diſtrahi nullo modo potuit, quia hoc ille iniquus poſſidere non meruit. Semel, bis terque fruſtra conatus, tandem rubore frontis confuſus caſam repetit inanis: & ecce divina ultio ſceleſtum facinus in injuriam ſui ſervi perpetratum extemplo vindicat. Subito enim manibus pedibuſque arefactis, miſer & miſerabilis ſimul cum furto ſancti Maïoli* defertur, in terram ponitur, mappa vero ſurſum appenditur. Fit concurſus populi, conſtipatur eccleſia multitudine innumerabili, meritum Odilonis quale ſit agnoſcitur, & beatus Maïolus ut opem miſero ferat omnium votis exoratur. Tandem divina pietas inolitis miſe-

Fur divinitus punitur.

* *Supple* ad eccleſiam.

Digitized by Google

rationibus miſerum erigit, brachia manuſque nativo humore perfundit, baſes ejus & plantas conſolidat, iſque cum omni populo Deum magnificans, ad propria remeat. Ann. Ch. MXLIX. 1. Januar.

V. Item & alius.

Alterius etiam furis efferа mens ſimile direptionis damnum ſupradicto Patri inferre molita eſt. Morabatur namque jam fatus Pater in denominata Papia civitate, cum ecce in una noctium quidam fur ingreſſus ſtabulum equorum, abegit unum, quem præ ceteris perſpexerat optimum, & cujus tergo vir beatus ſedere ſolitus erat. Sed quia in eadem urbe non ſolum homo Dei, verum etiam quæ ſui juris erant nota videbantur; veritus ibidem morari, confugit ad Laudenſe opidum, ut illic de venditione equi cupitum acquireret pretium. Verum quia Deus ſemper ſuorum curam gerit, omnium cernentium corda ita obſtruſa ſunt, ut nullius ad emendum adhiberetur convenientia. Quod cernens ille malivolus, tactus pœnitudine cordis, & pervidens ſe nequiter egiſſe, confeſtim rediit ad locum ſuæ fraudis conſcium, & mærentibus famulis repræſentat equum fraude ſubductum. Nuntiatur hoc viro Dei. Agit ille grates ſummo rerum opifici, & ne quid moleſtiæ inferatur latroni, imperioſa prece ſævientium mitigat voluntates. Non enim erat avidus vindictæ, ſed nimia cordis benignitate, bona pro malis ſemper ſtudebat recompenſare. Secundum beati Pauli Apoſtoli, qui vas electionis dicitur, admonitionem, nulli malum pro malo alicui volebat umquam reddere, ſed omnibus in commune benefacere.

VI. Padum ſine cymba tranſiit.

Ea tempeſtate, qua regnum Italiæ quidam nobilis Arduinus [a] arripuerat, & ille magnus Heinricus, inter ceteros clariſſimus, regni monarchiam conſentientibus Italiæ Principibus, jam in eodem ſolo Italico poſitus affectabat; ſupradictus Pater tranſiens per Italiam, devenit ad quamdam aquam, quæ mœnia Papiæ præterfluens, ab auſtrali parte, mutuato à ſe nomine dat vocari Ticinum. Hanc ergo feſtinanter tranſire cupiebat: ſed navigium deerat, quo tantæ altitudinis flumen tranſvadari poſſet. Confidens itaque de Deo, cui tota mente adhærebat, vocat unum ex famulis, cui nomen Vvolveno, & in nomine Domini jubet eum per alta fluminis haud dubie incedere. Mirum dictu! ſed tamen omnia poſſibilia ſunt credenti. Obedivit ilico famulus, & ſubſequitur poſt eum dominus, & ita cum omni comitatu abſque ſubſidio cymbæ, ſine aliqua læſione, Chriſto ductore ventum eſt ad ripam ulteriorem. Impleta eſt tunc prophetia ſancti Abacuch dicentis: *Viam feciſti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum.* Quid vero mirabilius, vel laude dignius videtur? Quondam populus Iſraëliticus inter diviſiones maris per ſiccum tranſivit: nunc vero beatus pater Odilo ſuper ipſas undas æquoris viam ſulcavit. Sed quia utrumque Dei munus eſt, de utroque à nobis Deus magnificandus eſt. Hoc cernentes qui ibi aderant, putaverunt conſuetum aquæ tranſitum, & aſſcenſis equis id tentare conati ſunt: ſed priuſquam prima veſtigia ſonipedum ripam tangerent, pæne ſubmergerentur, niſi confeſtim retroacti gradum preſſiſſent. Viſo tanto miraculo, unus ex circumſtantibus accurrit ad genua ſancti viri, orans ut hoſpitio ſuæ domus uti dignaretur. cui vir beatus libenter aſſenſum dedit, vergebatur enim jam dies ad occaſum. Veniens itaque cum ſuis ad domum, & caritate illius hominis refectus, dormitum perrexit. In noctis vero medio, jam beato viro ſoporato, repente ventus adſpirans per rimas domus quæ patebant, ſuo flatu lucernam exſtinxit. Expergefactus cubicularius qui ante eum cubitabat, nomine Deodatus, atque exterritus, doluit tenebras irrepſiſſe, ubi ſe lucem meminerat reliquiſſe. Exſilivit à lectulo, & neſciens quo lumen peteret, ſumta fidei audacia cœpit Deum orare, dicens: O lumen divinum, qui totum illuſtras Habac. 3. 15.

[a] De hoc egimus ſupra pag. 350.

ANN. CH. MXLIX. I. JANUAR.

* *al. cod.* miſerum.

mundum, audi me immeritum *, & per Odilonem tuum depelle ab hac domo horrores tenebrarum. Nec mora, lux ab æthere fuſa illum lætitia & ſecuritate, & domum luminis perfudit claritate. Et ne cui iſta incredibilia videantur, ô viri fideles & Chriſtiani fratres, Creatoris eſt miranda potentia, qui devotos ejus animos cernens, taliter illum glorificare voluit, ut lux meritorum ipſius per orbis climata diffunderetur.

VII. Memorialis dies divinæ viſitationis & humanæ ſalutis, feſtivitas videlicet dominicæ Nativitatis appropinquabat, & ſanctus Dei Odilo primos dies Adventus Dominici apud Paterniacum, delectabile ſibi cœnobium, celebraverat. Inde greſſum movens, & per montana paullatim iter faciens, pervenit ad quemdam vicum, nomine Leodonium *, ubi conficitur ſal, humanorum ciborum condimentum. Feſtinabat enim pio deſiderio beatæ Virginis partum apud Cluniacum, virtutis & religionis habitaculum, celebrare. Advenerat autem domnus PETRUS ab Italia, & in ejus obſequium gradiebatur, in cujus ſolatio valde pius Pater gratulabatur. Hoſpitati igitur in prædicto vico, præcepit ſenior ſuis, ut eſſent diluculo parati, & primo mane proficiſcerentur, ut diurna itione * peracta, poſſint attingere ad monaſterium ſancti [a] Marcelli. Imminebat namque ille dies quartæ feriæ, in qua & ſollemne jejunium, & electio Dei Matris in Eccleſia præconatur [b]. Illic ergo cupiebat feſtivum cæleſtis oraculi legatum beatæ Virgini directum audire pariter & celebrare. Facto itaque mane carpebant iter, cum jam cælum nubibus prætectum diffunderet terris immenſitatem imbrium, impelleretque incommoditates aurarum [c]: ſed fortem viri Dei animum à ſtatu ſui deſiderii hæc aſpera revocare nequiverunt. Quinimmo confortabat ſocios ne animos frangerent, ſed viam conſtanter explerent. Qui enim non patiebatur vinci à voluptate, invictum ſe præſtabat à labore, quia manebat liber ab omni animi perturbatione. Laborioſo igitur itinere cum plurimo ſpatio diei confecto, venerunt ad quoddam flumen, quod ita intumuerat, ut ultra litoris terminum protenſum intranſmeabile videretur. Comites vero circumcirca diſcurrentes, & plurima conantes, meabilem tranſitum minime reperiebant. Tunc Chriſti famulus ſpem in Deum ponens, vocat unum ex famulis, nomine *Arbaldum*. Videtur, inquit, mihi per hanc partem fluminis ineſſe curſum meandi. Ergo in Dei nomine ſecurus ingredere, & experiendo diſce utrum & nos queamus tranſire. Ille nihil moratus, agit imperata, tranſit flumen, & allabitur ad ripam ulteriorem, & emiſſa voce clamat, ſe omnes ſequi poſſe. Et ſenior: Non, inquit, ſed te ad nos oportebit redire. Tranſvadavit ille iterum interventu Patris, æquoris evadens periculum. Præcede ergo, inquit, nos in nomine Domini. Ad lineam itaque cuncti ingredientes, tranſierunt gurgitem vaſtum, aquis uſque ad partes femorum irrigati: viro autem Dei, ſicut teſtati ſunt qui adfuerunt, neque uſque ad corrigiam calciamenti aqua potuit diffundi. Ex infuſione itaque aquarum, nimioque algore conſtricti omnes ſocii, tandem profunda nocte venerunt ad locum diu flagitatum, eximii martyris Marcelli honore dicatum. Facta oratione petierunt domum, & ſedentes circa ignem copioſum, alii ſe calefacere, pars cœperunt veſtes mutare. Quorum gravem laborem cernens dulciſſimus Pater incaluit corde, & dictis amicis afflicta pectora mulcet.

* *Leon le Saunier.*

* *mſ.* diurnatione.

O quondam fortes per multa pericula fratres!
Ne veſtra veſtris frangatis pectora rebus,
Per varios caſus per tot diſcrimina rerum

[a] Hoc monaſterium ſitum eſt in ſuburbio Cabilonenſi.

[b] Feria quarta IV. temporum, in hebdomada tertia Adventus, qua ſcilicet legitur Evangelium *Miſſus eſt angelus Gabriel, &c.*

[c] Alter codex, *impleretque incommoditates aurarum.*

Tendimus

Tendimus ad regnum cæli, ſedeſque beatas.
Durate, & hæc olim meminiſſe juvabit.

Credite meæ parvitati, beata Dei Mater, ob cujus obſequium conveniſtis, hujus veſtri laboris erit pia remuneratrix. Poſt hæc cibo ſumto feſſos artus ſomni quiete refocillarunt. In craſtinum autem completis officiis eccleſiaſticis, omnipotentis Dei dono, cibo & lætitia corda fratrum implevit, ac deinde Cluniacum pervenit.

VIII. Luteciæ [a] Pariſiorum proximum eſt monaſterium, ſancti Dionyſii martyris glorioſi corporis honore præclarum, qui locus à Francorum regibus Hugone & Rotberto, viro Dei Odiloni fuerat commiſſus, ut monachali ordine & doctrina regularis vitæ proveheretur in melius. In quo cœnobio aliquando Dei famulus commanens, vitæ pabulum & ſalutis hauſtum facundo ore ſuis auditoribus miniſtrabat. Quadrageſimale tempus effluxerat, & dies myſticæ cœnæ necnon & ſalutiferæ paſſionis Chriſti deſierant, cum lux lætitiæ, triumphus videlicet Dominicæ reſurrectionis, mundo irradiaret. Eſus vero piſcium in tanta diei ſollemnitate patri fratribuſque deerat. Gerebat tunc officium præpoſituræ ſenior Ivo, amicabilis homo, qui bene meritum Patris obſervare & colere ſtudebat. quique valde mæſtum geſtiens animum quod ſterilitas aquarum ſibi non præberet affluentiam piſcium. actitabat enim ut undecumque adquireret ejuſmodi edulium, ſed quæcumque agitabantur minime ad profectum proficiebant. Divina enim providentia id agebatur, ut in nova feſtivitate novus hoſpes gurgitis novo etiam homini, ſecundum Apoſtolum ſpiritu mentis ſuæ de die in diem renovato, Dei munere mitteretur. Sub ipſo itaque magnæ diei crepuſculo, completo à fratribus celebriter matutinali officio, prædictus Ivo fidem poſſidens in Deo, de meritis Patris præſumens, movit greſſum ab eccleſia, & ad famulorum tendit habitacula. Piſcandi gnaros vocat, multa cum eis conquæritat, ſuper capiendis piſcibus multa inculcat, nunc pium Odilonem veniſſe, nunc diem Dominicæ reſurrectionis adeſſe, nunc fratres melodiarum cantu fatigatos fore. Imperat demum in Chriſti virtute, ut Sequanam fluvium retibus expetant: Ite, inquit, & meritum Odilonis interpellate, nomenque Chriſti invocate. credo enim quia non fruſtrabitur ſpes veſtra. Id ſine mora fidiſſima clientum turba dant fluvio rete. fluvius ex improviſo reddit piſcem magnitudine enormem, vocabulo ſturionem, in quo fluminis gurgite hujus generis piſcis vix umquam ferebatur à piſcatoribus captus eſſe. Redeunt ergo onuſti qui abierant vacui. Præſentatur novus piſcis, quem non prædictus fluvius dare ſolebat, ſed Chriſti largiflua manus ſuo ſervo direxerat. Quod videlicet inopinatum miraculum in tanta admiratione eſt à ſancto patre habitum, ut etiam infantes ſcholæ, quibus erat inviſus & incognitus tantæ enormitatis piſcis, ad videndum venire præciperet, & ad glorificationem Dei omnipotentis ſuper hoc beneficio ſeniores cum juvenibus & pueris magis ac magis accenderet. Agitur dies ſollemnis pro gloria Dominicæ reſurrectionis. Lætantur heroes novitate rei peractæ meritis tanti viri.

Piſcis miro modo captus.

Eſt prope ſanctum Dionyſium monaſteriolum in honore ſancti Martini [b] conſecratum, & vulgariter ad publicam Stratam dictum: in quo videlicet loco fratres, qui in prædicto ſancti Dionyſii monaſterio cauſa infirmitatis vel fatigationis manere non poſſunt, aliquando ſecedunt. Quadam itaque die vir ſanctus fatigatus adveniens, monaſterium declinans, cauſa

[a] Hæc uſque ad hæc verba *tanti viri* habemus ex unico cod. S. Germani.

[b] Subſiſtit hodieque eccleſia S. Dionyſii de Strata, vulgo, *ſaint Denys de l'Eſtrée*, ubi viſuntur vetuſtiſſima ſepulcra SS. Dionyſii & ſociorum. Nulli ibi habitant monachi, quamvis reditus pinguiſſimi ſint, qui à Priore commendatario percipiuntur. juxta hanc eccleſiam alia habetur parochiali titulo inſignita, ſub ſancti Martini patrocinio.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXLIX. I. Januar. repauſationis illuc divertit. quod agnoſcentes illius monaſterii majoris procuratores, mittunt ſibi quæque neceſſaria, ſed de piſcibus, nuſquam enim reperiri apud eos valebant, valde parva munuſcula. Interea dum vir Domini privatam requiem ſe putat habere, ecce ſubito, ſicut ad eum ſemper frequentia monachorum quocumque locorum veniebat, credo duo Abbates cum pluribus monachis accedunt. Quos cum gaudio ſuſcepit, & in longum cum eis ſermonem protraxit, atque ad ultimum ut ſecum prandeent, invitavit. Accedens vero ad coquos & infertores ciborum, inquirit quid haberent, unde ſuos quos invitaverat hoſpites reficere poſſet. At illi cetera quidem utcumque ſe habere, de piſcibus vero pæne nihil eſſe, quod tantæ multitudini valeret ſufficere. Pueri, inquit vir ſanctus, illi veſtram ſuper hoc ſollicitudinem committite, qui de quinque panibus & duobus piſcibus quinque millia hominum valuit ſatiare; & ita nobis hoſpitibuſque noſtris pleniſſimam refectionem præparate. Hæc dicens abſceſſit. illi vero quod juſſum fuerat, diligentius ut poſſunt procurarunt. Quid morer? Ventum eſt ad menſam, omnes ordinata ſede recumbunt. Mira dicturus ſum, ſicut in veritate teſtantur qui præſentes fuerunt. Dum à coquis piſces miniſtrantur, & ab infertoribus ad menſam fratribus inferuntur, ita in manibus comedentium, ſive miniſtrantium illa parvitas piſcium vel aliorum ciborum cœpit excreſcere, ut abundanter & ſuperabundanter omnes inde haberent, & multa ſervitoribus remanerent. Tandem finito convivio; Pueri, inquit vir ſanctus, parva promiſiſtis, & multa dediſtis. Famem timuiſtis, & ſuperabundanter refeciſtis. Tantum videte ut de plenitudine noſtræ refectionis vobis aliquid ſervetis. At illi nimia cordis lætitia exhilarati, reſpondent: Adhuc, domine, nobis multa ſuperſunt, quæ nobis & aliis ſi ſupervenerint, ſufficere poſſunt. Et ſi deinceps veſtra ſanctitas aliqua ſuadere voluerit, ad credendum in cordibus noſtris nulla difficultas erit. Ecce enim contra ſpem noſtræ puſillanimitatis contigit, quod veſtra de Deo præſumens fiducia repromiſit *. Ad hæc vir ſanctus: Non hæc, inquit, mea fides, ſed veſtra obedientia, & meritum hoſpitum noſtrorum promeruit, ut quod ſumſimus pro caritate, divina operante benedictione, valeret nobis omnibus ſufficere. Verumtamen nobis & vobis in illo ſpes eſt ſemper ponenda, apud quem omnia ſunt poſſibilia quæ hominibus ſunt impoſſibilia.

Edulia multiplicata.

* *al. cod.* non diffidit.

IX. Huic etiam non diſſimile miraculum alio tempore contigit eveniſſe. In Romulea urbe, quæ ſui magnitudine & formoſitate, necnon & apoſtolica dignitate arcem totius retinet orbis, reverendus ſenior Odilo uno in tempore morabatur. Habebat autem hoſpitium in monaſterio ſacræ puerperæ Virginis, quod eſt ſitum in Aventino monte ª, qui præ ceteris illius urbis montibus ædes decoras habens, & ſuæ poſitionis culmen in altum tollens, æſtivos fervores aurarum algore tolerabiles reddit, & habilem in ſe habitationem facit. Ovibus autem ſpiritualibus intra ſepta ejuſdem cœnobii accubantibus miniſtrabat vitæ paſcua abbas quidam, ARMO nomine, beato viro ſpeciali adnexus amore. Una igitur dierum veniens domnus Odilo ad menſam, interrogat an tale vinum in promtu haberet, quod ſuæ imbecillitati accommodum foret. Intimant hi quibus cura erat commiſſa, minime hujuſmodi habere, quod ſibi utile valeret eſſe. Converſus autem homo Dei ad præfatum abbatem, qui ſuo lateri aſſidebat: O., inquit, bone vir, ſi habes quod poſſit eſſe utillimum, confer inde mihi caritativum ſubſidium. Ille hilari vultu placidoque animo jubet ilico afferri quantum eſſet ſuæ voluntati. Tunc Pater: Hoc noſtrum vaſculum licet videatur exiguum, modo deferatur plenum. Studebat enim in ſuis ſemper

Vinum multiplicat.

ª Ibi educatus fuit ſub avunculo ſuo abbate Hildebrandus, poſtea Gregorius VII. papa, ut in ejus Vita dicitur.

Digitized by Google

eſſe largus, in alienis vero parcus. Allatum eſt modicum vas mero plenum, præ ſe ponit; & cœpit more pincernæ illud expendi ſibi & Abbati juxta recumbenti, & quamdiu prandium moras habuit, uterque prout libuit hauſit. Alii vero fratres, qui erant vegetiores viribus, alterius liquoris utebantur potu, cui tamen non inerat ſimilis ſaporis guſtus. Jam epulæ defecerant, & à menſa ſurgendum erat, cum illud vas, velut inexhauſtum, videbatur adhuc retinere meri puſillum. Tunc veræ pietatis amator blande ſubridens: Non, inquit, fratres mei, integram caritatem erga vos modo habui. Accepto confeſtim parvo holo-vitreo infudit merum, & ſingulis pro benedictione largitur potum. Accidit tunc res ſtupenda. Cum enim eſſent fratres fere duodecim, hauſtis ſecundum numerum poculis, vinum ilico ultra fluere deſivit. Lætantibus vero inter ſe fratribus, & quod evenerat ſtupentibus, prudentiſſimus ſenior infit: Hoſpes iſte noſter uberibus eximiæ dilectionis abundare fecit in exiguo vaſe vinum præſtitæ caritatis. Ita opus per ſe divinitus factum, alterius religione atteſtabatur actitatum. Excellebat enim in illo pura humilitas, per quam, ſicut Apoſtolus dicit, omnes ſibi ſuperiores ſeque inferiorem arbitrabatur.

X. Inclyta poſt hæc Urbe relicta, incedens per aggerem publicum venit ad Taurinenſe * opidum, ubi quidam patiens ardores febrium per ablutionem manuum ejus orat ſibi dari remedium. Occulte igitur à miniſtris obtentum recipit infirmus ſine mora ſanctitatis beneficium, collaudans æterni Patris unicum Dominum Jeſum-Chriſtum. Sed ne ad aures Patris perveniretur, alto ſilentio ab omnibus occultatur.

* Turin.

Febricitantem neſciens ſanat.

XI. Inde ad Alpes Jovinas tendens, jamque arduum iter conſcendens, obviat egenorum turba, quæ tota ſimul ſtrepebat, ut præberet ſtipem neceſſariam. Ilico munificentiſſimus Pater juſſit exinaniri utres vino, & egentium dari deſiderio: & ſtatim hoc ſine dilatione perficitur. Non multo poſt aderat competens hora, qua cibi perceptionem exigebat fragilis natura. Diſcumbunt itaque cuncti, & ecce utres vino vacui, reperiuntur ſalubri liquore pleni. Obſtupeſcunt omnes, & pro tanto munere divinæ majeſtati perſolvunt ſollemnes gratiarum actiones.

Utres miraculo repleti.

XII. Cum in Pannonia ſimul cum domno abbate HUGONE [a] eſſem, quadam die cum venerabili viro RICHARDO epiſcopo, patris Odilonis nutrito & monacho, cœpi de virtutibus ejuſdem Patris conlocutionem habere; & ego illum, ſi qua noſſet, ut mihi panderet, ſollicitus eram inquirere. Fuit enim ſibi ipſe Epiſcopus valde familiariſſimus, & per multa tempora ſuorum ſecretorum conſcius, itinerisque vel laboris ſocius. Erat vero inter alia mentio de vaſe quodam confracto, & orationibus Patris, ut fertur, conſolidato: unde ego adhuc incertus, ab illo rei veritatem inquirebam ſollicitus. At ille: Recolis, inquit, frater, illam contentionem ALBERICI epiſcopi Cumani [b], quam habuit cum ODILONE, ſenioris Odilonis nepote, de Abbatia Bremetenſi? Et ego: Recolo certe & bene reminiſcor. Dum illa, inquit, contentio eſſet, quadam die ego & prædictus Epiſcopus in via ſimul pergentes, & de multis ad invicem conloquentes, inter cetera cœpi eum arguere, cur ſupradictam abbatiam injuſte ſibi præſumſiſſet acquirere, cum ſciret illam primum ab imperatore CONRADO traditam eſſe prædicti patris Odilonis ordinationi: & inter alia ei cœpi opponere ſanctitatem viri, & quia multum audiebantur ab

Auctoris diligentia.

[a] Cod. S Germani, *domno & ſeniore Hugone abbate.*

[b] Id eſt Comenſis, qui ſæpius Cumanus dicitur. Nam inter Cumanos in Campania Italica epiſcopos nullus Albericus occurrit. At Albericus Comenſis epiſcopus celebris eſt, qui novam Cathedralem eccleſiam à fundamentis exſtruxit, vetere, quæ erat extra civitatem, monachis Benedictinis attributa, quæ poſtmodum ad Ciſtercienſes tranſiit, ac tandem in commendam tradita nullos nunc habet monachos, teſte Ughello tomo 5. Italiæ ſacræ, ubi ex chronico Novalicenſi contentionis hic memoratæ hiſtoriam refert. De abbatia Bremetenſi, quam nunc Olivetani monachi poſſident, plura idem auctor. Vide & Lubinum in Notitia abbatiarum Italiæ.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXLIX. I. Januar.

illo laudabilia fieri, inter quæ etiam fama erat de redintegratione cujuſdam vaſis vitrei confracti. Hoc inquam me, reſpondit Albericus, melius quam te ſcire fateor; & quia te ex hoc incertum video, ne deinceps ſis dubius, audi veritatem apertius. Et ego: Libenter, inquam, audiam, & diligentius animo recondam. At ille: Quodam tempore, ille tuus ſenior, quem dicis, & abbas [a] ad curiam HEINRICI imperatoris mei ſenioris venerat; & dum ibi maneret, accidit quadam die ut in menſa Imperatoris vas pretioſiſſimum vitreum Alexandrini generis [b] cum pigmentis tritis ante eum poneretur. Ille vero advocans me & LANDULFUM *, poſtea Taurinenſem epiſcopum, præcepit ut ipſum vas cum pulvere pigmentorum ad menſam ſenioris Odilonis deferremus, & ei gratia corporeæ ſalutis daremus. Nos vero, ſicut Imperator juſſerat, vas detulimus; coram Abbate ex parte Cæſaris poſuimus, & ſicut decebat, humiliter inclinavimus. At ille humiliter recipiens, vaſe retento, præcepit nos redire, & tempore conſtituto iterum pro vaſculo repetendo redire. Nobis vero redeuntibus, ſicut humanæ curioſitatis eſt novas & inconſuetas res libenter velle inſpicere, cœperunt inter ſe monachi vas manibus attrectare, alter alteri de manu ad manum tradere: cum ecce de manibus vas labitur, &, ut erat fragile, labendo confringitur. Quod agnoſcens vir Deo amabilis, non leviter contriſtatus ait: Fratres non bene feciſtis, quia pro tali veſtra negligentia, juvenibus clericis, ſub quorum cuſtodia vas à vobis confractum poſitum erat, gratiam Imperatoris fortaſſe abſtuliſtis. ſed ne illis damnum eveniat qui immunes ſunt à culpa, accedamus ad eccleſiam, & Domini ſuper hoc imploremus miſericordiam. Ad cujus imperium ad eccleſiam concurrunt, pſalmis & orationibus incumbunt, & ne nobis inde innocentibus damnum eveniat, unuſquiſque pro nobis ſollicitus exorat. Finita vero oratione, vir ſanctus vas ſibi confractum præſentari jubet, oculis inſpicit, manibus attrectat: & ecce nihil rupturæ vel confractionis recognoſcit. Indignatus vero circa monachos: Quid, inquit, vobis, fratres, videbatur? credo certe viſus veſter neſcio qua caligine detinebatur. Fingebatis fallaciter fracturam vaſculi, cum ecce inde nulla conſpiciantur ſigna periculi. Fratres vero hæc videntes, attoniti ſtupore miraculi, nihil inde audebant loqui. Poſt hæc tempore conſtituto, ego cum ſocio pro vaſe repetendo venimus; & à bajulo illius requiſivimus. Qui advocans me in partem vas reddidit, & ut Imperatori pro magno munere redderem ſuaſit. Quem percunctatus cur talia diceret, per ordinem cuncta quæ acciderant, narravit. Ego vero gratulabundus cum ſocio redii, Imperatori quæ agnoveram ſub ſilentio retuli, & ſuper hoc miraculo magno illum replevi admirationis gaudio, & inſolitæ delectationis jubilo. Supra modum enim eum diligebat, illiuſque conſiliis humiliter adhærebat. De quo etiam talia agnoſcens, magis ac magis omni veneratione dignum habebat. Hæc ita mihi Albericus eccleſiæ Cumanæ epiſcopus in veritate narravit, quæ etiam à pluribus aliis perſonis vera eſſe pro certo agnovi.

* mſ. Laudulfum.

Vas vitreū fractum redintegrat.

XIII. Retulit mihi etiam domnus RICHARDUS epiſcopus quamdam viſionem, quam & ego quondam audieram, ſed tunc animo minime retinebam. Quodam tempore, inquit, vir quidam religioſus de pago Rotenenſi * oriundus ab Jeroſolymis revertebatur. Tranſiens autem mare, quod à Sicilia verſus Theſſalonicam protenditur, pertulit cum pluribus aliis graviſſimum ventum in medio poſitus: qui navim impellens, appulit ad quamdam inſulam ſive rupem, ubi quidam ſervus Dei recluſus manebat: ubi aliquamdiu tranquillitatem maris exſpectans prædictus vir commoratus, cœpit cum illo ſervo Dei de multis conlocutionem habere. Inquiſitus

* de Rodez.

a Mſ. S. Germani. *Ille tuus, quem dicis ſenior & dominus abbas.*
b Idem. *Alexandrinum cum &c.*

Digitized by Google

vero à viro Dei unde genus duceret, Aquitanum ſe eſſe reſpondit. Tunc idem homo Dei ſciſcitatus eſt, ſi quoddam monaſterium, quod nominaretur Cluniacum, & Odilonem ejuſdem loci Abbatem noſſet. At ille reſpondit: Novi, & bene novi; & hoc quare percuncteris ſcire cupio. Dicam tibi, inquit, & ut animo recondas quæ audieris admoneo. Vicina loca ſunt nobis, ex ſemetipſis manifeſto Dei judicio, graviſſima eructantia ignis incendia, in quibus animæ peccatorum ad tempus ſtatutum diverſa luunt ſupplicia. Sunt vero ad eorum ſemper renovanda tormenta multitudo dæmonum deputata, qui eorum pœnas de die in diem reſtaurantes, intolerabiles magis ac magis exaggerant dolores. quos tamen ſæpius audivi lamentantes, & non parvam querimoniam facientes; quia orationibus religioſorum hominum, & eleemoſynis pauperum, quæ fiunt per diverſa loca ſanctorum, multotiens per Dei miſericordiam ab eorum pœnis liberarentur animæ damnatorum. Inter cetera vero mentionem & maximam querimoniam noveris illos præcipue feciſſe de illa Cluniacenſi congregatione, & ipſius abbate. Quapropter per Deum te admoneo, ſi ad tuos cum proſperitate habueris reditum, ut hæc omnia quæ à me audiſti nota facias prædictæ congregationi, & ex mea parte denunties, quatenus magis ac magis inſiſtant orationibus, vigiliis & eleemoſynis pro requie * animarum in pœnis poſitarum, ut per hæc gaudium multiplicetur in cælo, & damnum ſive luctus inferatur diabolo. Regreſſus itaque vir prædictus ad patriam, hæc per ordinem ſancto Patri & fratribus nuntiare ſtuduit [a]. quod audientes, admirationem non parvam cum maxima cordis lætitia ſumſerunt, Domino gratias egerunt, orationes orationibus addiderunt, eleemoſynas eleemoſynis appoſuerunt, & pro requie defunctorum inſtanter laborare ſtuduerunt. Hac igitur occaſione ſanctus Pater generale propoſitum per omnia monaſteria ſua conſtituit, ut ſicut in capite calendarum Novembrium feſtivitas agitur omnium Sanctorum, ita etiam inſequenti die, memoria generaliter ageretur pro requie omnium fidelium animarum; privatim & publice Miſſæ cum pſalmis & eleemoſynis celebrarentur, omnibus ſupervenientibus pauperibus eleemoſyna multipliciter daretur: quatenus per hæc jacturam ſibi provenire magis ac magis doleret adverſarius, & è contrario gratularetur ſub ſpe miſericordiæ in hoc laborans Chriſtianus.

Ann. Ch. MXLIX. 1. Januar.

Orationes Cluniacenſium pro defunctis.

** Thuan. redemtione.*

Inſtitutio comm. defunctorum.

XIV. Cum ſemper obſervare viſiones & ſomnia vaniſſimum ſit, tamen plerumque fides adhibenda eſt his quæ eveniunt divina diſpoſitione, aut manifeſtatione præteritarum rerum, aut oſtenſione futurorum. De his habemus tam in veteribus, quam in novis tot exempla, pæne quot volumina. Quapropter huic noſtro operi inſerere dignum duximus, quamdam viſionem memoratu dignam, multis adhuc viventibus luce clarius cognitam, per quam conjicere poſſumus, quantam apud Deum is, de quo ſermo eſt, adhuc in mundo ſuperſtes promeruit gratiam. Præerat quondam Apoſtolicæ ſedi ſenior BENEDICTUS [b], in Romana nobilitate præcipuus, prudenti ingenio ſollertiſſimus, & quantum ad mundanum culmen attinet, urbanis cauſis aptiſſimus: qui beatum Odilonem clara affectione diligebat, & ſummo ſtudio excolebat; & quoties arcis Romanæ mœniis ſui præſentiam vir beatus intuliſſet, larga liberalitate neceſſitudinum juvamen exhibebat. Hic ergo mortalis vitæ curriculo jam decurſo, corpus terræ animam ſupernæ remiſit poteſtati. Regimen vero ſedis Apoſtolicæ adeptus eſt JOHANNES, ſibi affinis carnis germanitate. Multum tempus effluxerat cum prænominati Præſulis anima, non adepta lucis æternæ

a Cod. S. Germ. *Regreſſo itaque viro prædicto .... fratribus, ac religioſis viris nunciatum eſt.*

b Octavus ſcilicet, cujus frater ac ſucceſſor fuit Johannes XIX. ſeu XX. ambo filii Gregorii comitis Tuſculani, teſte Leone Marſicano in lib. 2. Chronici Caſinenſis cap. 27. Adi Baronium ad ann. 1024.

Digitized by Google

ANN. CH. MXLIX. I. JANUAR. Benedictus VIII. papa in purgatorio.

conſortium, luebat pro commiſſis pœnale judicium : cum ecce clementis Dei miſeratio ad ſignificandum beati Odilonis meritum, manifeſtare voluit & pœnam illius hominis, & donum ſuæ immenſæ pietatis. Apparuit namque ſpiritus jam dicti Præſulis in revelatione JOHANNI [a] Portuenſi epiſcopo, & aliis duobus, quorum nomina non recolo, indicans eis quæ circa ſe gererentur: quia videlicet non ſplendore lucis, ſed pœnarum teneretur in umbris. Monet itaque ut eant ad fratrem, & ocius pio Odiloni legationem dirigat: ipſius enim ſuffragiis deſtinavit ſuperna cenſura illum eripi à tormentis. Recedentibus ergo tenebris, hujus viſionis conſpectores Papam adeunt, quæ injuncta fuerant ſibi edicunt. Talia Præſul audiens, & multum de fratre condolens, rumpit morulas omnes, & pugillarem chartam ſecundum tenorem viſionis deſcriptam, per prædictum epiſcopum Johannem beato viro dirigit. Nec mora, fidus legator viam arripiens attigit Papiam, & pertæſus itineris labore, domno PETRO cellæ beati Maïoli præpoſito, quæ revelata vel præcepta ſibi fuerant, aperit; eumque oppido expoſcit, ut ipſe hujus cauſæ velox internuncius eſſe ſtudeat. Ille impiger bullatam epiſtolam ſanctiſſimo Patri tranſmittit, & contigit divino nutu, ut iſdem Dei ſervus Cluniaco reperiretur. Delatam itaque epiſtolam perlegens, convocat nobilem monachorum ſenatum, & ſeriatim cuncta perorat. Aperit profunda ſapientiæ ſuæ, multaque replicat, & ne talis legatio parvipendatur, exorat. Dein præcipit ut libamina precum & dationes eleemoſynarum pro generalis Præſulis liberatione ſollemniter peragantur. Suſcipiunt ergo ſeniores gratanter onus leve caritatis, publice & privatim aures pii Conditoris devotis precibus appellant.

Cluniacenſium precibus liberatur.

Nec tantum in eodem cœnobio, ſed ubicumque fratrum cœtus manebat diffuſus, præcepto Patris ſimilis perſolvitur famulatus. Jam præfixi termini ſpatium complebatur, cum tot preces & oblationes, atque eleemoſynarum largitates aditum divinæ benignitatis penetraverant. Unde & libuit ſupernæ clementiæ haud dubio relatu id propalare. Erat in prælibato cœnobio quidam ſenior, nomine ELDEBERTUS, nobilis carne, nobilior ſpiritu, miniſtrans egenis eleemoſynæ ſubſidium, cui talis viſio per ſoporem revelata eſt. Videbat namque quamdam perſonam decore conſpicuo cum multo agmine candidatorum intrare monaſterii clauſtrum, & uſque ad capitulum, ubi domnus Odilo cum ſacro ſenatu reſidebat, perveniſſe, & ad ejuſdem Patris genua caput humiliter flexiſſe. Cumque frater ille requireret, quænam illa fulgida eſſet perſona, didicit domnum Benedictum papam Romanum, primæ ſedis epiſcopum, referentem gratiarum actiones pro ſua liberatione, quod domni Odilonis & fratrum interventu immane chaos evaſiſſet, & ad ſupernam beatitudinem evolaſſet. His viſis expergiſcens frater à ſomno, & tenaci memoria viſa & audita retinens, die relucente cuncta per ordinem narrat. Tripudiat tunc ſacer ſenatus, & cum pio Patre æternæ majeſtati perſonant vota jubilationis. palam conſtat omnibus quantum venerabilis Odilo de individuæ Trinitatis gratia poſſit, per quem uterus mortis raptata præda potuit evacuari.

XV. Tumorem gutturis ſanat.

Quodam tempore dum idem vir ſanctus apud *Paterniacum* moraretur, erat ibi quidam puerulus monachus, nomine *Rodulfus*, quem illa ſatis horrenda infirmitas, quæ in illis regionibus *multis* accidere ſolet in gutture, ita deturpaverat, ita dehoneſtaverat, ita etiam vocem pæne intercluſerat, ut in illa parte corporis, non jam ſpecies eſſe gutturis, ſed quædam videretur intumeſcere peſtis. Miſertus itaque vir Dei tantæ calamitati, puerum ad ſe evocat, manibus locum tumoris attrectat, ſignum cru-

[a] Hanc hiſtoriam refert Sigebertus in chronico ad annum 1025. ſed cum multis mendis. Id tamen obſervari velim quod dixerit, pontificem à *pœnis infernalibus* Odilonis interventu fuiſſe liberatum. quibus verbis nihil aliud quam piaculares Purgatorii flammas deſignare voluit.

Digitized by Google

cis ſuperimprimit, ſalutaria quædam verba ſimul dicit, & ſic abire permittit. Mirum in modum ille tumor, ſicut in aliis poſtquam ſemel affecerit in dies ſolet creſcere, ita verſa vice in iſto ex-tunc cœpit evaneſcere, & in priſtinam formam deturpatum guttur redire, & uſque in præſentem diem optata fruitur ſanitate. ANN. CH. MXLIX. I. JANUAR.

XVI. In locis Jurenſibus Nantoatis eſt monaſterium, ſancto Patri ad componendum regularis vitæ ſtatum à GISLEBERTO comite traditum. De hoc quadam die egreſſus, iter agens ad urbem Genevenſem, hora jam diei tertia incumbente, tranſivit fluvium per eadem montana diſcurrentem. Mulus autem ſuarum rerum portitor, qui lectulum hominis Dei ferebat ſimul cum libris, abſque ductore tranſiens, devians à publico vado, per profunda fluminis jam cœperat mergi. Concurrerunt omnes, levatis in altum vocibus, conantes opem ferre pereunti. Animal autem valido conatu ab aqua emerſum, ad ripam pervenit, capite protenſo. Currens vero unus ex famulis extendit manum, ut capiſtrum arriperet, ſed nequicquam. Mutum namque animal nihil intelligens, iterum retroactum natando per profunda ad alteram ripam ejectum eſt, nihil de ſe dans videndum, præter ſolum caput. Ecce autem magnanimus heros per plana incedens veniebat. Intuens vero quæ gerebantur, nil mortale ſonans, cygneum caput pileo operiens antetulit greſſum, cœptumque iter progreditur. Inter alios vero qui hujuſmodi fluctuatione agebantur, præcipue ſenior PETRUS anxie diſcurrebat, cui ſollicitudo diſponendarum rerum Patris commiſſa erat [a], hic exclamavit cuidam, ut captato ingenio propius accederet, ſi quoquomodo animal capere poſſet. Qui nihil moratus, protenſa manu capiſtrum arripiens, forti adniſu educit mulum ab aquis. Concurrunt cuncti, perniciter equis deſiliunt, & exonerato ſaumario perſcrutantur erutam ab aquis Patris ſupellectilem, lectulum ſcilicet ipſius atque libros. Quæ omnia Deo teſte & his qui interfuerunt, ita intacta ab aquis reperta ſunt, ut nullum veſtigium infuſionis in eis appareret. Mirantur cuncti præ gaudio, Deumque magnificant, & tanti viri merita laudibus extollunt. Onerato rurſum mulo, ovantes ſubſequuntur ſeniorem, & domnus Petrus anticipans ceteros Patri quod acciderat refert. Qui leviter indignans: Quid, inquit, dicis? num aliquid aquis immerſum poteſt videri non madidum? Confecto itaque itinere, die jam decurſo, receperunt ſe in cujuſdam villulæ hoſpitium. Tunc juſſit ſibi afferri libros, & cetera quæ de aqua fuerant abſtracta, mantilia ſcilicet ac manutergia: quæ ſicut ſemper ad utilitatem, ita & tunc ſine damno aquis reperta ſunt madida. Tunc vir benigniſſimus Deum conlaudans, fratribus ſic cœpit loqui. O fratres dilecti, cernitis circa nos miram Dei noſtri pietatem? Certe quæ recuperare non poſſemus, ſi aquis intingerentur, ea conſervavit inlæſa; quæ vero abſque damni diſcrimine poterant intingi, ipſa paſſus eſt madida fieri. Ita nihil ſibi, ſed totum Deo qui in illo & per illum operabatur, fideli corde tribuebat. Excellens enim erat animus, & humana contemnens; nec deſiderabat gloriam quaſi mercedem rerum geſtarum.

Mulus è fluvio mire eductus.

XVII. Quia vero de Nantoacenſi monaſterio ſuperius memoriam fecimus, dicendum eſt nobis etiam quid ibi aliquando contigerit evenire. Quodam tempore cum ibi ſanctus Pater advenit, puerum nomine Gerardum reperit, quem illa deteſtanda infirmitas caducæ paſſionis ita de die in diem vexabat, ut in eo nec vox, nec memoria, nec aliqua membrorum officia remanerent, & pæne à mortuo jam nihil diſtaret. Tali calamitate vir Dei compunctus, fratribus ut pro eo Dominum precarentur rogavit; ipſe ad ſanctum altare Miſſam celebraturus accedit, ut intereſſet infirmus præ-

Caduco morbo laborans ſanatur.

a Cod. Thuan. *progreditur. Tunc domnus Petrus qui præſens aderat, exclamavit.*

Digitized by Google

Ann. Ch. MXLIX. I. Januar.

cepit, divinis myſteriis refecit, aquam ſanctificatam, ut ſibi moris erat, ex calice ſancti Maïoli bibere compulit. Nec mora, infirmitate fugata, ſalus optata ſuccedit, & uſque in diem præſentem in ſupradicto homine integra perſeveravit.

XVIII. Liber in nivibus deperditus.

Gradiebatur aliquando verus Dei amator Odilo per Alpes Jurenſes: & ſubito equus multis oneratus ſarcinis lapſus, per devexa montis uſque ad profunda vallis inter aſperrimos ſcopulos dilabitur. Ruunt præcipites Allobroges fruſtra nitentes, & ultra vires aliquid conantes. Tandem poſt multos animi conatus, reperto equo ſano, & aliquanta de ſarcinulis, cognoſcunt deeſſe librum Sacramentorum aureis litteris ſcriptum, cum vitreis vaſculis anaglypho opere formatis. Quæ res non parum viri Dei mæſtificavit animum, verum cum his quæ repererant, cœpto itinere gradiebantur. Adveſperaſcente autem die, devenerunt ad quamdam cellam ſancto Eugendo abbati jure ſubditam, ubi honorifice à fratribus illic manentibus ſuſcepti, poſt exhibitam humanitatem quieverunt. Defluebat autem imber copioſus nivibus commixtus. Vir autem Domini intimat fratribus quæ ſibi acciderant, ſumma expoſcens prece, ne pigritarentur ad eadem loca ſcrutanda accedere, ſi forte auratum librum reperire valerent. Illi vero mente promtiſſima ſpondent ſe exſequi ejus mandata. Quis enim tanti viri precibus non acquieſceret, cui etiam Deus noſter plerumque ut ita dicam obſequi videbatur. Aurora itaque apparens miſſos dirigit, dies ſubſequens ad loca deducit [a], librum perditum cum vaſis requirunt: ſed ipſo ſuo labore diutius fatigati ſine fructu ad propria redeunt. Erant montes & circumjacentes colles tanta denſitate nivium cooperti, ut ſpes nulla ſupereſſe videretur ulterius prædictas res recuperandi. Interjectis itaque fere duobus menſibus, cum jam hiemis aſperitas prædictorum montium & collium evaneſcendo faciem denudaret, & de perditis rebus pæne jam nulla memoria eſſet, quidam preſbyter, nomine Ermendrannus, locum in quo prædictæ res perierant caſu adiit, oculorum orbes huc illucque deflexit; & ecce contra ſpem librum reperit, quem Chriſti protectio à nimbis & diuturnitate nivis intactum meritis patris Odilonis ſervavit. Vaſa enim ſana invenit, quæ Dei noſtri pietas ne frangerentur protexit. Tollens itaque ea quæ invenerat, Gauzeranno abbati ſancti Eugendi conſignavit, & poſtmodum juſſione ejuſdem prædictus preſbyter Odiloni patri, dum ad illas Jurenſium partes rediret lætus & alacer reddidit. qui quanto geſtierit gaudio, ex immenſis Deo laudum fuſis præconiis qui vult dinoſcere poterit.

Intactus reperitur.

XIX.

Aliquando dum tranſiret per pagum Genevenſem & caſtrum Albienſe quidam ſenior, SIEBODUS nomine, dominus ejuſdem caſtri, ampla perſona, non parva poteſtas, ad eum acceſſit. Huic quadam die ſub arbore jacenti fortuito caſu particula corticis ceciderat in oculo. quæ ita turbaverat, ita corruperat ejuſdem membri officium, ut nec expelli, nec aliquod inde remedium invenire poſſet. Fugerat ſomnus ab oculis, faſtidiebatur cujuſcumque generis cibus, nulluſque ſoſpitatis inveniebatur locus. Cognoſcens itaque vir ſanctus cauſam tanti periculi, & condolens viro ſibi ſatis familiari, ſeorſum illum accipiens, ſuper locum doloris ſignum imprimit ſanctæ crucis cum inſufflatione oris & virtute orationis, ſpondens ſe, dum veniret ad hoſpitium, pro illo ſacrificium offerre ſalutiferæ oblationis. Nec mora ſancto recedente, ſomnus diu negatus prædictum hominem dormire coëgit, evigilanſque particulam corticis ab oculo cum quadam lanugine deductam invenit, & præteriti doloris moleſtiam non

Oculus æger ſanatus.

[a] Sic codex S. German. At Thuaneus, fere ut Petrus Damiani in altera Vita cap. 13. ſic habet. *ad loca deducit: auratum librum reperiunt, quem Chriſti protectio à nimbis intactum ſervaverat: vaſa ſana inveniunt, quæ Dei noſtri immenſa pietas ne frangerentur, protexerat. Confeſtim igitur inventa tollentes, repedant ovantes, & ea Patri conſignant. qui quanto geſtivit gaudio, ex immenſis Deo laudum fuſis præconiis qui volet dignoſcere poterit.*

ſenſit.

ſenſit. Mox etiam cibum omnino faſtiditum requirit, cum deſiderio ſumit, ſuæque liberationis cauſam præ gaudio per internuntium viro Dei apud Silvigiacum *, quo jam pervenerat, innoteſcit, gratias agit, & deinceps eum in magna veneratione habuit. ANN. CH. MXLIX. I. JANUAR. * ſic.

XX. Quodam etiam tempore dum à Roma reverteretur, & Lucas [a] caſtro hoſpitaretur, cuidam ſancti Martini Turonenſis canonico, ARCHIMBALDO nomine, letale vulnus in brachio excreverat, quod ſibi non jam languorem, ſed ipſam mortem pæne interminare videretur. Accedit itaque ad ſanctum, & tantæ neceſſitatis oſtendit periculum. At ille quaſi hæc ſe videre diſſimulans, latenter propria manu tangit brachium, ſanctæ crucis implorat præſidium, & ſuper vulnus ejuſdem crucis impreſſit ſignaculum: ſicque à ſe dimittit, & ut caute prævideat præcipit. Mirum in modum dum recedit & locum vulneris videre vel tangere voluit, nulla ſigna præteriti doloris nec invenit, nec ſenſit. Attonitus vero ſtupore miraculi ad hominem Dei regreditur, quæ ſibi contigerant palam facere voluit. Sed Dei ſervus ubi hoc prævidit, indignatus valde, illum nec quicquam paſſum fuiſſe, nec quid diceret ſcire, objurgavit. Ita enim timebat rumores hominum, tamquam letale venenum, & quaſi peſtiferum malum ſic fugiebat vanæ laudis appetitum.

Cum [b] quodam tempore apud monaſterium ſuum, quod Volta nominatur, moraretur, & murus eccleſiæ adhuc imperfectus conſummaretur, contigit ut quadam die dum miniſtri operis operi complendo inſiſterent, deambulatoria ubi ſtabant, retortis cum quibus ligata erant ex nimia vetuſtate ruptis, deorſum ruerent, cum quibus cæmentarii ex altitudine muri ad terram ceciderunt, & colliſionis membrorum..... De cæmentariis ſanatis.

XXI. Alio tempore cum ex partibus Ultrajuranis Nantoatis, de quo ſupra diximus, cum eo adveniſſemus, quemdam juvenem militem, nomine MAINERIUM, mente captum, à propriis ſervulis ibi adductum invenimus, qui rejecta militia, omnique cura privata vel publica poſtpoſita, huc illucque miſer nudus niſi teneretur oberrabat, incognitas voces emittens, ſine cibo perſeverans, &, ut talibus conſuetudo eſt, nuſquam tutam ſedem, nullam habebat requiem. Miſertus itaque homo Dei tantæ calamitati, & condolens gratiſſimæ juventuti, cum fratribus in terram ante altare ſancti Petri proſternitur, pſalmis inſiſtit, patrocinia ſanctorum cum letaniis requirit: deinde ſurgens ad vexatum accedit, aqua ſanctificationis aſpergit, bibere cogit, & ſic recedere permittit. Poſt hæc ſancto recedente, ipſe jam non infirmus, ſed ſanus; non ligatus, ſed liber; non coactus, ſed voluntarius, Cluniacum uſque proſequitur, gratias Deo & illi pro recuperata ſanitate reddidit, voto caritatis munera piſcium detulit; ſicque ad propria rediit. Sequenti etiam anno eum ibidem requiſivit, ſed non invento, Silviniacum die qua ſanctus obiit, & ipſe advenit: triſtis & mærens ejus exſequiis interfuit, & quia vivo non potuit, defuncto pro ſua liberatione iterum atque iterum gratias egit. Inſanus curatur.

XXII. Abbas quidam religioſus de Brolio * monaſterio, nomine GIRBERTUS, quemdam nepotem habuit militem ſtrenuum, nomine Gauzfredum, qui ex multo tempore officium linguæ amiſerat, audiendi tamen efficaciam & prudentis ſenis memoriam, quemadmodum de Zoë uxore Nicoſtrati legitur, non mediocriter retinebat. Hic per viſionem admonetur, ut ex aqua qua ſanctus manus abluebat requireret, & eam bibendo deinceps effectum loquendi recuperaret. Qui mox familiares miniſtros advocat: utcumque ſapit, utcumque valet, quæ volebat manibus innuit, non ſine magno * Ebreuil. Mutus recipit loquelam.

a Hic deſignatur Lucæ civitas nobiliſſima & ducalis in Etruria, vulgo *Lucques*.

b In cod. Germ. habetur hoc capitulum quod deeſt in Thuaneo; ſed imperfectum eſt, avulſis è codice reliquis foliis.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXLIX. I. Januar. tamen labore innoteſcit: & Silviniacum, quo Sanctus tunc manebat, ad hoc obtinendum pro eo prædictus Girbertus dirigit, ſuaſiſque quibuſdam viri Dei miniſtris, fidele furtum perpetratur; aqua latenter manibus ablutis ſubripitur, ſub ocaſione etiam calice ſancti Maïoli ab ipſo viro Dei ſignata altera aqua ſuperadditur, & ſic infirmo tranſmittitur. quam accipiens mutatis prius veſtibus in eccleſiam ingreditur, orationi incumbit: deinde cum ſumma veneratione aquam ſumit, & ſumendo priſtinæ vocis officium mox ad integrum recuperat. loquitur, atque non jam manibus innuit, ſed ex ordine quæ viderat verbis enarrat, & Deo gratias pleno ore, plena voce lætus proclamat.

XXIII. Omnipotens Deus remunerator & glorificator fidelium ſuorum, ſe in hac mortali ærumnoſaque vita pro ſcire & poſſe glorificantium per ſibi fidelis dilectique famuli patris Odilonis in hacce convalle lacrymarum coram hominibus confitentis & glorificantis merita, inter alia plura præclara prorſus atque memoranda miraculorum ſigna, quoddam valde jocundum, atque mirificum virtutis opus, hic etiam eum glorificando, operari eſt dignatus. De quo ne quiſquam, quia illud ſcripto tradere ſuccedentium memoriæ ſuſcepimus, dubitare queat, habemus & proferimus veracem fidelemque, quæ hoc narrat, perſonam, ad hoc adſtipulandum ſic idoneam, ut conſtet luce clarius, quia is qui hoc refert, & hujus Deo dilecti Patris eſt monachus, & nomine proprio vocitatur ADRALDUS, atque ipſe ſolus cum alio quodam laïco homine hujus tunc rei geſtæ fuit conſcius. Quodam ſiquidem tempore iſdem vir Domini Odilo rediens à Francia, & Cluniacum totius religionis locum feſtinanter expetens, eidem jam dicto fratri apud quamdam eccleſiam, quæ vocatur Tolonnis *, cui obedientiæ cauſa præerat, eſtque juris monaſterii quod vocatur Aureavallis, commoranti, improviſus & inſperatus ſupervenit. Quidam tamen ex fratribus beatum virum comitantibus, nomine Vvarnerius, ipſum Patrem comiteſque parvo præcurrens ſpatio anteceſſit, & adveniens patrem Odilonem adeſſe nuntiavit. Qui jam fatus Adraldus miratus & obſtupefactus, primo non credidit, poſt triſtis & mærens, & quia ſuſceptioni ejus non ſe præparaverat, miſerum ſe clamans expavit. Verumtamen confortatus in Domino reſumſit vires, & miſſis circumquaque pueris domus ad quærendum neceſſaria, inſtabat, prout anguſtia temporis permittebat, præparare quæque erant tanti Patris ſuſceptioni congrua. Inter hæc dilectus Deo & hominibus pater Odilo adveniens, ab eodem ipſo fratre gaudenter admodum & jocunde ſuſcipitur, amabiliter & affectuoſe exoſculatur & amplectitur: ſed tamen humilis & ſummiſſa querela & objurgatio de ſuo adventu ſic inſperato minime perdonatur. Sed ad hæc iſdem dulciſſimus Pater dulci & ſuavi, ut ſibi moris erat, alloquio cœpit & ſe excuſare, & ipſi ſatisfacere: occaſione temporis & loci dicens hoc contigiſſe, ſeque illuc nequaquam ſumtuoſum apparatum quærere. Et quia ipſo anno ſterilitas vinearum nimis carum reddiderat vinum, ejuſque niſi locupletioribus ſubtraxerat uſum; providus & moderatus Pater ne fratrem gravaret, emere ſe vinum dixit, ſed protinus eidem ipſe ob hoc non leviter indignatus contradixit. Qua, inquiens, fronte, hoc vos, domine, in domo veſtra patiar agere? Ventum itaque ad prandium, & cibis eidem Patri ſuiſque omnibus largiſſime ſufficienterque, prout diſcreto ordini eorum congruebant, appoſitis, vinum etiam de parvo ſingularique & pleno emptu vaſculo profertur. At diſcretiſſimus Pater monachis ſcyphos geminari, ceteris vero ſemel præcipit dari. Sed ſtatuta menſura exceditur, & abſque ulla æſtimatione cari pretii potus large omnibus præbetur. Poſtquam autem ſumtæ epulæ menſæque ſunt remotæ, ſuccedunt grates & laudes caritativæ refectionis à dulciſſimi patris Odilonis gratioſo atque

* Toulonſ.

Digitized by Google

mellifluo ore. Succedit igitur nox diei, & Pater Odilo inibi laxabat membra quieti. Mane vero facto, inde eum proficiſcentem frater Adraldus aliquantulum proſequitur: ſed ab illo redire juſſus, mox ut domum ſuam ſubintravit, vocato diſpenſatore, juſſit eum citius quantum in vaſculo remanſiſſet vini diligenter conſiderare, ſibique renuntiare. Is itaque famulus & juſſis obtemperans, curioſius vas æſtimat, offenditque contra ſpem, & (quod eſt dictu mirabile) plenum, quod credebat ex maxima parte exinanitum. Invadit formido hominem, & ſtupidus de hoc aliquamdiu ſecum cogitationes verſat, ſed tamen reverſus inventum indicat. Res fratri viſa eſt auditu incredibilis, & hanc referens inſanienti ſimilis. Parvitas denique vaſis, & numeroſitas multitudinis illud exhaurientis ſuadebat valde parum ſupereſſe in illo reſidui liquoris. Attamen itur, & oculorum fideliori miniſterio res diſcutitur, & ita eſſe deprehenditur. Tunc geminatur ſtupor mixto timore talia cernenti, quæ nil aliud prius illum dicere ſubmonebant, quam, Mirabilis Deus in ſanctis ſuis. Vere enim mirabilis, vere omnipotens, vere miſericors Deus in ſanctis ſuis, qui in illorum munda & ſincera mente auguſtiſſimum ſibi palatium ſtatuens, ibi reſidet, ibi regnat, indeque diſponit multa & magna, & ait mirifica prorſus & non imitanda.

Multa ſimilia ſi notarentur diligentius, de ejus poſſent deſcribi virtutibus. Multum enim per Dei gratiam in talibus in occulto poſuit, quæ numquam ad publicum venire voluit, & maxime in febricitantibus, quibus ſemper ſuccurrebat calicis ſancti Maïoli ſignaculo, dicens talia non ſuis, ſed ejuſdem prædicti Patris fieri meritis, cum re vera dubium non eſſet, diſcipulum in talibus cooperatorem eſſe magiſtri virtutibus.

INCIPIT LIBER TERTIUS.

ITaque de his quæ dum viveret geſſit, pauca de multis diximus, ſicut nos ipſi quædam vidimus, & ab idoneis teſtibus alia etiam vera fuiſſe pro certo agnovimus: nunc de his quæ poſt mortem per illum Dominus operatur, ſicut veracium teſtium affirmatione comperimus, quæ poſſumus, Domino annuente, loquamur. *Miracula poſt mortem S. Odilonis edita.*

CAPUT I. *Inſania, muta & ſurda ſanatur.*

In fundo Longovernis nominato, Silviniaco prope quatuor miliariis contiguo, erat quædam miſerabilis mater, quæ filiam habebat tribus paſſionibus obnoxiam, inſanam videlicet, ſurdam & mutam. Hæc tertio admonetur in ſomnis à quadam ſatis formoſa & jocunda perſona, ut Silviniacum pergat, filiam ſecum deducat; ſepulcrum ſenis (ſe autem ipſum eſſe dicebat) noviter ſepulti requirat, & inter eundum videbit quid ſibi contingat. Ter itaque per tres conſequentes noctes, ſicut diximus, admonita, dat fidem verbis, & illo cum filia pergere cœpit. Inter eundum vero, antequam ad locum deſtinatum venirent, portentum viſionis compleri cœpit. Nam quamdam prætereuntes ſilvam, prædicto loco, Silviniaco videlicet, ſatis contiguam, filia ex multis annis ſurda & muta: Mater, inquit, mater, hinc audio magnos ſonitus tintinnabulorum. Dicebat autem de campanis monaſterii quas audiebat. Hinc vero cerno ſimul & audio boves & ſonitus collo pendentium cymbalorum. Mater his auditis ſigna viſionis recognoſcit, ad ſepulcrum uſque deducit, pro poſſe oblationem obtulit, gratias egit, deinde cum filia ſana ad propria rediit.

II. *Item ſurdus & mutus.*

Succedit & huic aliud non diſſimile miraculum. Nam de illis vaſtis Alpibus interioris Aquitaniæ venerunt ad ſepulcrum viri Dei duo juvenes, quorum alter erat ſurdus & mutus, ſed ut curaretur ab altero fuerat adductus. Introgreſſis vero ad ſepulcrum, qui ſanus erat, ex aqua qua beati Patris membra lota fuerant, dari ſibi petiit, & accepta in auribus ſocii

Digitized by Google

ANN. CH. MXLIX. I. JANUAR. infudit, bibere coëgit; & ſic ad hoſpitium, (erat enim veſperum) uterque ſecedit. In craſtinum vero, qui pridem ſurdus & mutus fuerat, audiens & loquens cum oblatione in manu ad ſepulcrum rediit, pro ſua liberatione gratias plena voce reddidit, & ſic ad propria repedavit.

III. Item mutus. Sub eodem tempore ex pago Bituricenſi quidam mutus advenit, qui, ut poſtmodum referebat, à ſeptem annis ex toto amiſerat efficaciam vocis. Hic etiam ad ſepulcrum de miſericordia Dei præſumens accedit, ex multis annis, ut prædiximus, perditam loquelam recepit, quid ſibi contigiſſet omnibus enarravit, & lætus receſſit. Ad comprobandum vero utrum vera eſſent an non quæ dixerat, cum illo quidam curioſi curioſum quemdam mittunt, qui diligenter hæc à vicinis & veracibus teſtibus inquireret. Qui hæc ita eſſe inveniens, ſe nobis obtulit aſſertorem veracem & idoneum teſtem.

IV. Paralyticus. In pago Nevernenſi, & in caſtro Dizetenſi paralyſis languor quemdam hominem ex una parte totum damnaverat, & ſermonis loquelam penitus abſtulerat. Vicinorum itaque amicorumque nutu & auxilio ad memoriam ſancti Patris acceſſit, membrorum ſanitatem ex integro recepit, linguam ad loquendum diſſolutam promeruit, Deo gratias egit, & ſic ad propria repedavit. Erat vero pluribus notus, qui hæc ita ſe habere ſuis affirmant aſſertionibus.

V. Presbyter mutus. Ex pago etiam Bituricenſi & de caſtro Briodorenſi preſbyter quidam mutus ad ſepulcrum viri Dei accedit, reddi ſibi quod perdiderat humiliter proſtratus in oratione petiit: ſed dum diutius preces ſuas differri vidit, domum regredi ſtuduit. At ubi pervenit, mox quod diutius quæſierat accipere meruit: ſilentium in verba reſolvit, & ſe hæc promeruiſſe Domini virtute, & patris Odilonis interceſſione libera voce narravit. Hoc ita verum eſſe mercator quidam dives, nomine Salomon, & plures alii fatentur ſua aſſertione.

VI. Cæcus. Quidam ſenex ex toto privatus lumine, cum ſe deduci faceret à puero ad Patris ſanctiſſimi urnam, antequam attingeret limen oſtioli illius cryptæ qua ſanctus requieſcit, lumen amiſſum recepit, ductoremque ſuum jam inluminatus & velox præceſſit, atque in terram ante ſanctum ſepulcrum proſtratus pro conceſſo ſibi lumine gratias egit, & gaudens receſſit. Erat vero tunc ſabbatum ante Ramis-palmarum feſtum.

VII. Cæca. Ex caſtello Lucii-montis quædam femina cæca ad limina ſancti Patris eſt adducta. quæ diutius ibi perſiſtens, & in oratione perſeverans, dum vidit quæ petebat in longum ſibi differri, jam deſperata ad propria cupiens regredi, ad ſepulcrum iterum accedit, & licentiam redeundi à ſancto cœpit cum lacrymis deprecari. Inter hæc verba, profundaque mæſti cordis ſuſpiria, oculi male clauſi aperiuntur, lumen ex inſperato mox redditur, & ita domum propriorum, non aliorum oculorum intuitu revertitur.

VIII. Item cæcus. Alius etiam quidam veteranus Turonenſis urbis indigena, oculorum privatus lumine, admonitus per viſum, ductu cujuſdam ſuæ filiæ ſepulcrum ſancti Patris ſtuduit inviſere. qui veniens ex aqua, qua ſancti fuerant membra abluta, quæſivit & accepit, oculis tenebroſis infundi fecit, ut ſibi redderetur lumen oravit. Et quia jam nox inſtabat, inde recedens, hoſpitium & ſubſidia victus (erat enim pauper) requiſivit, & nuſquam invenit. Sine cibo itaque & hoſpitio totam noctem pernoctavit. In craſtinum vero ad ſepulcrum feſtinus rediit, ſtatimque viſum recepit, & lætus Deo gratias magnis clamoribus inclamare cœpit. Erat autem eccleſia plena hominibus, preſbyteris & clericis Miſſam celebrantibus. Ad tale ſpectaculum omnes cucurrerunt, rei veritatem agnoverunt, cuncti in commune Deum benedixerunt, atque pro tam evidenti manifeſtoque miraculo ſimul cum paupere gratias egerunt.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXLIX. I. Januar.

IX. Amens ſanatur.

In burgo Silviniacenſi, quo ſanctus requieſcit, erat quidam mercator, nomine Rainaldus, qui propter diuturnum & graviſſimum languorem penitus memoriam & ſenſum amiſerat. Hunc fratres & parentes ad ſepulcrum tanti Patris cœperunt deducere: ſed ut ſigno ſanctæ crucis ſe muniret, vel pectus tunderet, non potuerunt ſuadere. Venientes itaque ad ſancti Patris memoriam, quoddam oblationis munus pro infirmo ſuper ſepulcrum offerunt, & cenſum denominatum omnibus annis vitæ ſuæ perſolvere ſe promittunt. Hoc itaque pacto, quem adduxerant amentem & inſanum, jam memoria valentem & ex integro ſanum ad domum reducunt.

X. Languidus vires recipit.

In burgo Autiſiodorenſis civitatis quidam ruricola, nomine Rainaldus, manebat. Hic à renibus deorſum omnem vim membrorum amiſerat. Auditis ergo virtutibus ſignorum quæ fiebant ad ſepulcrum tanti Patris, in plauſtro ſe poni fecit, & ad limina ſancta à fratribus & uxore duci præcepit. Qui veniens & ad ſepulcrum ſancti Patris accedens, ex aqua ſæpius dicta dari ſibi petiit, languida membra lavit, & ut ſibi ſanitas redderetur devotus exoravit. Poſt hæc paullatim dolor à membris abſceſſit, ſalus optata redit, & magis magiſque de Dei præſumens bonitate, & tanti Patris confidens interceſſione, ad propria ſe reportari fecit. Non multis interjectis diebus non jam vehiculo, ſed firmis incedens veſtigiis ad limina ſancta regreditur, pro reddita ſanitate gratias egit, vota obtulit, ſuæ curationis indicia omnibus manifeſtavit, & ſic ad propria receſſit.

XI. Hydropicus ſanatur.

In Comitatu Flandrenſi, & in burgo venerandi patris Otmari, quidam juvenis clericus, nomine Geraldus, manebat, qui hydropico morbo ita affligebatur, ut neque cibum, neque potum ſine magno dolore ſumere valeret: ita venter intumuerat, ut cutis ſupra modum extenſa pæne rumpi videretur, ſtare vel ſedere ſine maximo periculo non valebat, incedere etiam vix poterat. Et quid dicam? omnium membrorum officiis ita carebat, ut melius ſibi mortem quam ipſam miſerrimam vitam optaret. Hic ergo nutu divino Silviniacum cum magno labore advenit, ad ſepulcrum ſancti Patris ſe introduci petiit, ad orationem in terra procubuit, ſe de longe veniſſe flebili voce conqueſtus, ut Sanctus ſibi miſero opem ferret cum lacrymis rogavit. Nec mora rivum concreti ſanguinis ibidem dum oraret, ab interioribus per os, videntibus cunctis, evomuit: & inde ſurgens, nutibus & verbis ſe ſanum fore exclamavit. Oſtendebat autem, veſtimento ſurſum collecto, rugas cutis prius extenſæ, nunc vero inflatione recedente vacuas remanſiſſe. His ita peractis ad propria gaudens repedavit.

XII. Item alius.

Jampridem etiam quidam ſenex vulgaris, ibidem à ſimili liberatus fuerat morbo.

XIII. * Moulins. * l'Allier. Contracta erigitur.

In extremo confinio Auguſtidunenſi Molinis * eſt caſtrum, ſuper Aletis * fluvium ſitum. Ibi quædam juvencula jacebat ſub ſolario Ermengardis nobiliſſimæ matronæ. Hæc ex multis annis membrorum uſum ita perdiderat, ut nec incedere, niſi portaretur, uſpiam valeret. Hæc igitur in ſomnis monita, ut ad memoriam ſancti Patris pergeret, à vicario ejuſdem matronæ nimiis clamoribus & importunis precibus extorſit, ut ſe vehiculo imponeret, & Silviniacum deduci faceret. Nec mora dum illo pervenit, & ad ſepulcrum ſancti acceſſit, ſeſeque in orationem dedit, membrorum officia redintegrantur, & quæ contracta venerat erigitur, cum ipſa Deo laudes ab omnibus qui eam noverant redduntur. Poſt hæc regredi illuc unde venerat cœpit, ſed neſcio quo occulto judicio, antequam veniret ad extrema villæ, iterum debilitatur. Iterum aliorum manibus ad ſepulcrum reportatur, atque iterum Dei Omnipotentis miſeratione & patris Odilonis interceſſione priſtinæ ſanitati redditur: ſed ne-

Digitized by Google

ANN. CH. MXLIX. I. JANUAR. quaquam ulterius extra villam egreditur, nec terminum ſuæ debilitatidnis denuo tranſire conatur.

XIV. Puella convaleſcit. Quidam mercator, nomine Rainaldus, ibidem apud Silviniacum degebat. Hic habebat filiam debilem cruribus, invalidam & ad ſupplementum doloris ex ſuperiori parte corporis. Hanc itaque ad tumulum ſancti Patris deferunt; at ubi delata eſt, mox ſe erigere & paullatim incedere cœpit, & tamdiu ibidem ſtetit, donec ex integro effectum ſtandi vel incedendi promeruit.

XV. Item mulier. Altera mulier paupercula ibi tunc aderat, ſimiliter ex multo tempore toto corpore debilis, quæ & ipſa eadem die in conſpectu multitudinis vigorem obtinuit integræ ſanitatis. Sanctorum enim Apoſtolorum Petri & Pauli feſtivitas tunc advenerat, & multorum populorum ibidem turba confluxerat. Qui videntes uno eodemque tempore hæc tria ſupra ſcripta miracula fieri, repleti ſunt ſtupore vehementi. Fit itaque ingens lætitia, currit per aures cunctorum miraculorum volitans fama. Hominibus promiſcui ſexus eccleſia completur, diverſis & immenſis clamoribus concutitur. Pſallebant Monachi cum Clericis in jubilo, ad cælum uſque populi voces dabant præ gaudio, tantæ novitatis ſtupefacti miraculo. Chriſtus in ſanctis ſuis ſemper mirabilis ab omnibus prædicatur, & quantum ſervus ſibi fideliſſimus de ejus gratia poſſit, certis indiciis manifeſtiſque ſignis declaratur, & cunctorum ore celebratur.

XVI. Quidam miſerabilis à quodam perverſo homine captus compedibus artatur, & ut diligentius cuſtodiretur arca recluditur, ſaxorum acervus deſuper congeritur, ſeracula firmantur, & ita miſer per longum tempus tenetur. Captivus evadit. Verum ille captivus in Deo ſpem retinens, de illis abditis tenebrarum Deum, cui obſcura ſunt manifeſta, ſupplex exorat, & patrem Odilonem interceſſorem advocat, ut ſe inde ejiciat, & liberum ire concedat. Inter hæc verba ſuæ petitionis, ſentit & audit quamdam perſonam ad arcam accedere, & ſe inde ut exeat, inclamare. Mox virtute divina ſaxorum acervus huc illucque diſpergitur, ſeracula reſiliunt, compedes ſolvuntur: & ita incarceratus liber & abſolutus de tenebris ad lucem procedit, gaudenſque ad ſepulcrum ſancti Patris quantocius venit, & quæ ſibi contigerant certis indiciis omnibus enarravit.

XVII. Amens fit ſanus. Alius quidam ſancti Maïoli monachorumque proprius ruricola, nomine Rotbertus, habens uxorem & filios, in amentiam totus verſus fuerat. Hunc totis viribus repugnantem filii & parentes violenter ad memoriam ſancti Patris adducunt, oblationem pro eo offerunt, & mox mente & corpore ſalvatum domum reducunt.

Digitized by Google

HISTORIA DEDICATIONIS ECCLESIÆ SANCTI REMIGII APUD REMOS.

Auctore Anselmo ejuſdem loci monacho & æquali.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *NON ſemel jam his in Actis de percelebri archimonaſterio ſancti Remigii apud Remos ſermonem fecimus; verum nulla hactenus occaſio occurrit, quæ ejus dignitatem adeo commendarit, quam ejus baſilicæ Dedicatio, à beato Leone IX. ſummo Pontifice facta. Nihil omnino prætermiſit ſanctiſſimus Papa, ut eam redderet celeberrimam; eo præcipue animo in Gallias accedens, ut ſummam animi religionem, qua erga beatum Remigium tenebatur, palam coram univerſo orbe teſtatam faceret. Unde indicta Synodo, quam in eadem baſilica habuit, Epiſcopos, alioſque utriuſque ordinis Primores invitavit, ut ad hanc celebritatem convenirent. Et licet quorumdam malevolorum invidia, Rex Francorum rebellibus comprimendis intentus, huic ſollemnitati præſens non adfuerit, tanta tamen ad eam convenit omnium ordinum multitudo, ut vix eam plateæ urbis ampliſſimæ, & baſilicæ frequentes capere potuerint. Huc ex omnibus fere Europæ nationibus homines conveniſſe, præter alios auctores, Vvibertus archidiaconus, qui beati Pontificis comes individuus fuit, diſertis verbis affirmat: Nam præter Italos & Germanos, qui ibi frequentes adfuerunt, ſic de aliis populis loquitur libro 2. cap. 4. Vita ſancti Leonis.* Invitatur, *Leo papa*, ab Herimaro abbate venerandi cœnobii ſancti Remorum Pontificis, ad conſecrandam eccleſiam in ejus honore conſtructam: ubi non eſt dictu facile, quanta multitudo à finibus terræ, Hiſpanorum, Britannorum, Francorum, Anglorum advenerit ejus inviſere præſentiam. In qua præſentia adfuit etiam non modicus cœtus Pontificum.

Dedicationis celebritas.

2. *Hanc ſollemnitatem data opera deſcripſit Anſelmus monachus ejuſdem cœnobii ſancti Remigii, juſſu Herimari abbatis, in libello ſingulari ea de re edito ſub titulo Itinerarii papæ Leonis, in quo omnia quæ præſens viderat & audierat ſingillatim exponit. Hujus auctoris meminit Trithemius libro de ſcriptoribus eccleſiaſticis, quem in Scripturis divinis exercitatiſſimum fuiſſe, & alia opuſcula præter Itinerarium ediſiſſe ſcribit. De Itinerario autem ſic habet:* Congeſſit in unum volumen geſta Leonis Papæ IX. per Galliam in Conciliis & conventibus facta; ut notificaret quanta auctoritate Remis, vel in aliis urbibus Synodum celebraverit, quanta induſtria & ſubtilitate examinaverit cauſas eccleſiaſticas, quave diſtrictione peccantes correxerit, quomodoque ei virtus divina cooperata ſit, &c. *Hæc mutuatus eſt Trithemius ex Sigeberto, qui eadem omnino verba habet in libro de ſcriptoribus eccleſiaſticis. Ejuſdem quoque, poſt alios auctores vulgatos, meminit Marlotus Tom. 2. Hiſtoriæ Remenſis, inter viros illuſtres, qui Remis ſub Gervaſio archiepiſcopo claruerunt. Porro id opuſculum jam per partes ferme editum, hic, & quidem integrum ex Remenſibus manuſcriptis edere viſum eſt, ne tanta celebritatis, & fortaſſe omnium majoris quæ in eccleſiarum dedicationibus umquam facta fuerit, deſcriptio in his Actis deſideraretur.*

Ab Anſelmo deſcripta.

3. *Præter Anſelmum alii quoque ſcriptores baſilicæ Remigianæ dedicationem, & concilium ibidem habitum ſcriptis ſuis celebrarunt. Vvillelmus Gemmeticenſis libro 7. hiſtoriæ Normannorum integrum caput 15. ea de re habet, ubi quædam de Ivone Sagienſi epiſcopo narrat, quæ in Anſelmi opuſculo relata non ſunt, quæ ideo hic viſum eſt proferre.* In illo tempore ſanctus Leo Papa Gallias expetiit, eccleſiam ſancti Remigii Remenſis epiſcopi conſecravit, ejuſque corpus in eccleſiam nuper dedicatam tranſtulit. Tunc Remis idem Papa grande Concilium tenuit, & deſides Epiſcopos vel Abbates acriter redarguit, inter quos, ut dicunt, propter combuſtionem eccleſiæ Ivoni dixit: Quid feciſti perfide? qua lege damnari debes, qui matrem tuam cremare auſus es? Eloquens Ivo palam confeſſus eſt ſe quidem malum feciſſe, ſed ad hoc ſcelus agendum ſe graviter coactum fuiſſe, ne deteriora fierent à ſceleroſis ſuper filios Eccleſiæ. Deinde pœnitentiam ſecundum ſagacis Papæ juſſum accepit, ac de reſtituenda ſancti Gervaſii eccleſia operam adhibuit. Igitur Apuliam, & inde Conſtantinopolim

Alii auctores.

Digitized by Google

ANN. CH. MXLIX. OCTOB. II.

perrexit ..... Reverſus autem Sagium, eccleſiam tam magnam cœpit ædificare, &c. *Non tamen malitioſe eccleſiam ſuam incenderat Ivo, ut ex cap. 13. ejuſdem libri patet; ſed cum ea à ſeditioſis occupata fuiſſet, incenſæ ſunt vicinæ domus, & flante vento incendium adeo exarſit, ut eccleſia quoque ſimul cum illis cremata fuerit. Meminit ejuſdem dedicationis, & concilii ea occaſione habiti Ordericus Vitalis libro 5. Hiſtoriæ eccleſiaſticæ, ubi obſervat preſbyteros ex eo tempore conſuetudinem arma deferendi ſenſim abjeciſſe.* Tunc, *inquit*, ibidem generale Concilium tenuit, & inter reliqua Eccleſiæ commoda quæ inſtituit, Preſbyteris arma ferre, & conjuges habere prohibuit. Exinde conſuetudo letalis paullatim exinaniri cœpit. Arma quidem ferre Preſbyteri jam gratanter deſiere, ſed à pellicibus adhuc nolunt abſtinere, nec pudicitiæ inhærere. *Mirum autem eſt nihil de preſbyteris concubinariis haberi inter canones Concilii quos Anſelmus retulit, niſi forte de iis intelligatur canon adverſus inceſtuoſas conjunctiones prolatus. Certum eſt tamen eo in concilio preſbyterorum conjugia proſcripta fuiſſe, quod alii etiam auctores præter Ordericum obſervarunt. Nam Albericus in Chronico obſervat, ſancti Hugonis Cluniacenſis abbatis conſilio papam Leonem in Concilio Remenſi preſbyterorum conjugia prohibuiſſe. Et quidem Raynaldus abbas Vezeliacenſis in vita ejuſdem ſancti Hugonis ſcribit, beatum Leonem* ob hæreſes Simoniacorum & Nicolaitarum à Galliis exſtirpandas Remis Synodum celebraſſe. *Et in altera ejuſdem ſancti Vita, quam Hildebertus Epiſcopus Cenomanenſis Pontio abbati Cluniacenſi nuncupavit, refertur Leonem nonum Remis* Synodum *celebraſſe* generalem, *ac eo jubente, ibi Hugonem habuiſſe* ſanctam & plenam gratiæ orationem; qua & Simoniaci è male comparatis expulſi ſunt dignitatibus, & de ſacrario Domini fornicatores inhibiti ſunt ſacerdotes. *De hac autem Hugonis oratione in Remenſi Concilio habita loquuntur etiam alii ejus vitæ ſcriptores, ſed nihil quicquam ex ea ſupereſt. Ceterum ante hos auctores Hermannus Contractus in chronico ſuo jam notaverat* Papam Leonem autumnali tempore Synodum magnam Remis cum Galliarum Epiſcopis habuiſſe.

Etiam Angli.

4. *Sed illuſtrius eſt fragmentum libri fundationis monaſterii Rameſienſis in Anglia, quam ut à nobis prætermittatur. ex eo quippe diſcimus papam Leonem, non ſolum Galliæ, ſed etiam aliarum gentium Epiſcopos ad Concilium Remenſe convocaſſe. unde non mirum eſt, ſi paſſim à vetuſtis auctoribus* Concilium generale *nuncupetur. Fragmentum iſtud edidit Spelmannus tomo 1. Conciliorum Anglicanorum ad annum* MXLIX. *ubi ſic habetur.* Acta ſunt hæc, poſtquam ſupradictus abbas *Rameſienſis* Alfvvinus repatriavit, revertens de magno Concilio quod Remis à Leone Papa anno Verbi incarnati MXLIX. celebratum eſt, quo miſſi fuerant honorabiliter à rege Edvvardo Duduc epiſcopus *, & ipſe Alfvvinus Rameſiæ, & Wlfricus de ſancto Auguſtino abbates, decreta Chriſtianitatis, quæ ibi à ſanctis Patribus ſtatuebantur relaturi. Nec ſilentio prætereundum, quod memoratus abbas Alfvvinus in memorato concilio Remenſi tantam in oculis domini Papæ Leonis gratiam invenit, ut ad preces ipſius & inſtantiam, Rameſenſem eccleſiam liberali protectionis Apoſtolicæ dono privilegiatam, & jura ejus & poſſeſſiones, tam habitas tunc, quam in poſterum juſtæ acquiſitionis titulo habendas, auctoritate ſuarum litterarum, contra malignantium infeſtationem communiret. *Ex hoc autem fragmento diſcimus nomen Duduci ſeu Duduconis, qui concilio Remenſi cum duobus Abbatibus Anglis mittente Edvvardo Rege adfuit. Hic Duduco inter Vvellenſes antiſtites decimus-quartus numeratur, quam ſedem amplius viginti-ſeptem annis tenuit. Porro etſi Rogerius Hovedenus in parte priori Annalium referat ab Edvvardo Anglorum rege abbates duos ad Synodum Remenſem miſſos fuiſſe, nihil tamen habet de Epiſcopo cum iis miſſo; obſervat autem Præfectum Romæ alioſque Urbis Primores Leonem in hoc itinere comitatos fuiſſe. Hæc ſunt ejus verba:* Eodem anno, *inquit, id eſt* MXLIX. Leo Papa rogatu eximiæ religionis abbatis Herimari, in Franciam venit, habens in comitatu ſuo Præfectum, & digniores quoſque Romuleæ urbis; & ſancti Remigii Francorum Apoſtoli monaſterium Remis conſtitutum maximo cum honore dedicavit; & poſtmodum in ipſa urbe magnam Synodum Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum, ſex diebus celebravit; in qua Synodo fuit Aldvvinus Rameſigenſis, & Abbas monaſterii ſancti Auguſtini, à rege Anglorum Edvvardo illo miſſus. *Hac in Synodo* divinam religionem nimium tepefactam ſtudioſe reparatam fuiſſe *teſtatur, qui ei interfuerat Odalricus, præpoſitus eccleſiæ Remenſis, in ſuo Teſtamento, quod penes nos ex codice Remenſis eccleſiæ mſ. habemus.*

* *Wellenſis.*

Feſtum ſancti Remigii ſollemne.

5. *Alii denique auctores Dedicationem eccleſiæ ſancti Remigii paſſim ſcriptis ſuis celebrarunt, quos ſingillatim recenſere nimis eſſet operoſum. At hic omittere non licet, ea occaſione feſtum ſancti Remigii, quod jam antea Kalendis Octobris celebrabatur, ſollemnius exinde evaſiſſe, ex præſcripto beati Leonis: qua in re ſanctiſſimus Pontifex antiquam eccleſiæ Francicæ in ſuum Apoſtolum religionem, quæ fortaſſis ob bellorum tumultus nonnihil imminuta fuerat, in priſtinum vigorem revocavit, data ea de re Bulla, quam Anſelmus noſter in opuſculi ſui fine inſeruit. Verum cum in pleriſque Galliarum locis iterum tepuiſſet erga ſanctiſſimum antiſtitem hæc priſca veneratio, rurſus excitata eſt Decreto comitiorum generalium Cleri Gallicani, quod agente piiſſimo antiſtite Felice Vialardo Catalaunenſium epiſcopo, Remenſis provinciæ legato, die* 17. *menſis Martii anno* MDCLVII. *editum eſt. Atque inde data ſunt, nomine Cleri Gallicani, litteræ*

Digitized by Google

teræ ad univerſos epiſcopos, quibus innoteſceret ſtatutum fuiſſe, ut in univerſo Galliarum regno beati Remigii feſtivitas ſub duplici ritu celebris haberetur. Has litteras, ſimul cum privilegio altaris Remigiani, inferius integras exhibebimus.

ANN. CH. MXLIX. OCTOB. III.

6. Ceterum non modo beati Remigii feſtivitas ex Leonis decreto inde ſollemnis fuit, verum etiam & ipſum feſtum Dedicationis ſcilicet anniverſarium. quod præter Martyrologia Remenſia, alia etiam externa commemorant. Hoc Ferrarius in catalogo generali omnium ſanctorum ad diem ſecundam Octobris inſeruit; ſicut & Andreas Sauſſaius in Martyrologio Gallicano, Hugo Menardus in Benedictino, Bucelinus in Menologio, &c.

Et Dedicationis.

PROLOGUS IN DEDICATIONE
Eccleſiæ beati Remigii Remenſis.

1. DILECTIS in Chriſto fratribus ſub beati REMIGII tutela Deo militantibus, ſubſequentis auctor opuſculi magnam incircumſcriptæ dulcedinis multitudinem, quam timentibus ſe repromiſit Deus. Cum vita noſtra ſuper terram tentatio ſit, quia vetuſtatis deprimitur pondere, ad novitatis gaudium ſuſpendi debemus in caritatis celſitudine, quam Deus commendavit in nobis, in unigeniti Filii ſui humilitate. quapropter ex imperio domini abbatis HERIMARI ſeriem Dedicationis hujus ſanctiſſimi Patris eccleſiæ ſilentio non patiar oblitterari. Sed quoniam à beatæ recordationis Papa nono LEONE, Deo auctore, facta eſt, eo magis dignam litteris tradam pro modulo ingenioli mei. Unde in primis paucis prælibabo, quorum induſtria conſtructa fuerit anterior eccleſia, & ex cujus cauſa jam præ vetuſtate ruinam minitantis, hæc quæ nunc, Deo propitiante, ſubſiſtit, ſumſitque exordia. Additur etiam, ut quia ex hujus dedicationis occaſione à miniſtris diaboli multa excitata ſunt ſcandala, & poſtea ex Synodo ab eodem Papa ibidem celebrata, multa provenerunt utilia. Deinde in fine hujus opuſculi ſubjungam quæ per pretioſum Francorum patronum REMIGIUM, aut viſu aut auditu didici poſt ipſam dedicationem facta miracula. Vos autem fratres, quos ſinceræ devotionis fervor unanimiter in domo habitare facit divina... hoc quantulumcumque obſequium fraterna excipite benevolentia: nec in eis tantum venuſti cultique ſermonis gratiam conſiderabitis. unde non vos pigeat hoc aliquando legere, quia licet aurea & argentea vaſa in domo Dei veſtri habeatis plurima, ex quibus hauritis grandiloquia, & dulciflua ſancti Spiritus pocula; tamen interdum hæc, quamvis de fictili vaſe, vos recreare poterit aqua.

INCIPIT NARRATIO.

2. BAſilica igitur glorioſi confeſſoris Chriſti Remigii corpore inſignita, quæ uſque ad hæc moderna perduravit tempora, Remenſium quondam Archiepiſcoporum ſtudio inchoata, & à venerabilis memoriæ HINCMARO eorum ſucceſſore conſummata, anno incarnati Verbi octingenteſimo quinquageſimo-ſecundo ab ipſo eſt dedicata. Quæ quidem non adeo operoſi ædificii ſolidata eſt munitione, quoniam barbaræ nationes, per id temporis hanc infeſtantes provinciam, frequenti incurſione præfatos Præſules ab hujuſmodi præpediebant intentione; unde intra centum quinquaginta & duos annos tanta eſt attrita vetuſtate, ut jam ad caſum propinquans reparationem ſui videretur exigere. Anno vero dominicæ Incarnationis milleſimo-quinto, poſt reparationem autem monaſticæ religionis per Hugonem pſeudo-epiſcopum inibi factam ſexageſimo-ſecundo, ab ARNULFO archipræſule eidem loco ordinatus eſt AIRARDUS abbas, poſt HINCMARUM [a], præcipuæ bonitatis virum & in cœnobiali ſtrenuum, ordine ſextus. Qui Airardus cum ſagaci intenderet animo plures dominici gregis paſtores ſua ætate per Gallias enituiſſe, qui eccleſias ſuas ex vetuſtate in potiorem ſtatum ſtuduerant reformare, deliberavit & ipſe operam adhibere in ejus quæ ſibi commiſſa erat renovatione. Quapropter viris, qui architecturæ periti ferebantur, aſcitis, futuri templi fabricam ex quadris lapidibus erigere cœpit à fundamentis, multo quidem operoſiorem illis quam prænotatum eſt in gallico Regno renovatas, & ambitioſiorem, ideoque ſibi & illius ævi hominibus inconſummabilem. Nam ubi per viginti & octo fere annos paſtorale officium adminiſtravit, ſenio confectus cœptoque operi finem non imponens vita deceſſit.

Baſilica S. Remigii ab Hincmaro dedicata.

Aliam incipit Airardus.

3. Hujus ergo tempore ad beati Remigii tumulum divina virtus ſe plurimis declaravit

[a] Is eſt primus abbas regularis anno 954. electus, cum antea Remenſes pontifices, ſimul archiepiſcopi eſſent & abbates. quod tamen à prima inſtitutione alienum erat. Nam Epiphanius abbas ſancti Remigii tempore Ægidii archiepiſcopi memoratur à S. Gregorio Turon. lib. 10. Hiſtoriæ Franc. cap. 19. De Hincmaro actum eſt Sæculo ſuperiori ad ann. 967.

ANN. CH. MXLIX. OCTOB. II.

* *Conſtreu.*

miraculis, quorum duo quædam, quæ ego puer conſpexi, huic narrationi inſerere operæ pretium duxi. Debet enim dilectio veſtra veniam dare, ſi præter ea quæ promiſit Prologus aliqua interſeram, quæ tamen ſi ſciatis non ſit inutile. In villa ſancti Dionyſii martyris, quæ dicitur Curtis-ſuperior *, erat quidam mendicus occulto Dei judicio tantæ calamitatis infortunio preſſus, ut pedes illi ambulandi ſubſidium denegarent, & calcanei ejus retro inflexi natibus quaſi naturaliter inhærerent. Unde ſicut aliis contractis mos eſt, non valens ſeſe per terram ſcabellis ad mendicandum trahere, vehiculo quodam per ſancta loca tam petendæ ſtipis, quam recuperandæ ſalutis gratia à ſuo circumducebatur fratre. qua de re factum eſt, ut etiam ad ſæpe memorandi protectoris noſtri Remigii baſilicam deduceretur, & in hora qua ſacra Miſſarum ſollemnia celebrabantur, ante ſanctum altare ab eodem germano ſuo deportaretur. Cumque jam à miniſtris illud incorruptum perciperetur epulum, ab illo miſerationum indeficienti fonte ſalutis emanavit donum. Calcanei à poſterioribus, quibus impacti erant, in momento cœperunt avelli, eiſque ad congruum divino nutu redeuntibus ordinem ad indicium miraculi inde effluxerunt ſanguinum rivi. quæ Dei magnalia fratres qui aderant conſiderantes, ſignis pulſatis, operatrici majeſtati devotas concinunt laudes.

4. Accreſcit devotioni devotio, & omnipotentis virtus dilecti ſui Remigii merita reciproco declarat miraculo. Poſtquam enim ſuper pedes paullatim firmatos idem conſtitit pauper, ecce ſcabellulis trahens ſeſe contractus adveniebat alter, qui comperta Dominici operis novitate ſuper invalido, ingreſſus eſt properanter, ut & ipſe mereretur perfrui recuperatæ ſanitatis emolumento. Nec diutius caſſa ſpes properantis exſtitit; ſed antequam ad ſancti perveniat ſepulcrum, optata ſalus adfuit. nervi ſub genibus, qui jamdudum retracti diriguerant, extenduntur, officio pedum diu inſueto qui acclinis advenerat, ſe ſuperna gratia erigente nititur, & ante ſacros illius artus per cujus interventum ſibi ſalus proveniebat gratias acturus ingreditur. Hæc videns fratrum conventus divinas ingeminat laudes, & qui in vicino poſiti ea audiunt, ad tam jocundum ſpectaculum confluunt alacres. Duos inopes paullo ante corruptionis humanæ miſeria licet diſpari compeditos, illic expeditos aſpiciunt; indeque Deum in ſanctis ſuis mirabilem collaudantes ad ſua læti redeunt. Eorum autem unus, qui majori exemtus erat infortunio, interceſſoris ſui amore agglutinatus præcipuo, uſque ad mortem in monaſterii obſequiis perſeveravit: alter vero piſtoribus ſolatium aliquanto tempore exhibens, tandem diſceſſit.

5. His igitur omiſſis, ut ad propoſitæ narrationis ſeriem redeamus, abbati [a] Airardo, ut præfatum eſt, vita exemto ſucceſſit THEODERICUS, à VVIDONE Remenſi archiepiſcopo ibidem ordinatus. Qui cum plurima eccleſiaſticæ utilitati profutura decerneret diſponere, deliberavit reparationi eccleſiæ ſuæ, quam ſuus prædeceſſor incœperat, manum perfectionis imponere. Verum quia grave nimis & inexplebile ſibi illud erat incœptum, deliberatio quoque ſua, ſi id intenderet implere, videbatur non habitura effectum. Quocirca eorum qui inter ſibi commiſſos prudentiores habebantur, & ſeniorum Remenſis provinciæ conſilio uſus, difficulter aggreſſus eſt inchoatum diruere opus: quo pæne diruto, & fundamentis quibuſdam relictis, quæ architectis viſa ſunt neceſſaria fore futuris ædificiis, divinam domum cœpit faciliori quidem ſtructura, ſed non indecentiore conſtruere, ut aſpectum adhibentibus facile eſt cernere. Qua incœpta feliciter anno quinto ſuæ ordinationis, accenſi ſunt plures catholici viri fervore divinæ religionis, ut pro facinorum ſuorum abolitione parentumque ſuorum, quorum corpora ibi humata erant, requie, pro poſſe ad id opus condigna ſubſidia ſtuderent ſuppeditare. Nonnulli etiam de eccleſiaſtica familia ſuum auxilium promta impenderunt benevolentia, ſuiſque plauſtris & bobus, tantis incœptis competentia advexerunt onera; ſicque fundamentis in quibus locis non erant locatis, & columnis ex diruto priori ædificio competenter diſpoſitis, arcus ſuper eas diligenter voluti conſurgere, & baſilicæ fabrica inter manus artificum cœpit clareſcere. Tunc jam veſtibulorum parietibus undique erectis, & interioris templi faſtigiis altius elevatis, vetuſta eccleſia ab Hincmaro archiepiſcopo, ut dictum eſt, antiquitus dedicata, eſt everſa funditus; & vilis interim tecti coopertoriolum fabricatum ſuper chorum fratrum, ubi abſque inquietudine ventorum & pluviarum divinis poſſent vacare laudibus. Supra ſepulcrum vero beati Remigii crypta conſtructa eſt, licet parva, ideoque toto corpori ſuo incongrua, pulcre tamen columnis & arcubus fulta. Præfatus namque Abbas aſſiduus hortator aſſiſtens, conabatur ſummopere, quatinus idem opus ad ſummam perfectionis conſurgeret ſuæ vitæ tempore, maximoque æſtuabat deſiderio, ut Papa Romano, ſi quomodo valeret, in Gallias evocato, illud conſecrari faceret apoſtolica benedictione. Quod licet ex affectu piæ voluntatis proceſſerit, divina tamen diſpoſitio hoc differens, ejus ſucceſſori peragendum reſervavit. Nam morte immatura præventus diem clauſit extremum, mæroris maximi ſe diligentibus relinquens infor-

Tertiam Theodericus.

[a] Airardus obiit anno MXXXVI. ex Marloto, Theodericus ejus ſucceſſor MXLVIII. cui ſucceſſit Herimarus. Horum epitaphia etiamnunc viſuntur in monaſterio Remigiano, quæ videſis edita apud Marlotum Tomo I. Metrop. Rem. lib. 3. cap. 14.

Digitized by Google

tunium, expletis in regimine monaſterii annis undecim, & menſibus octo; qui cum deducta à proavis polleret generoſitate, morum etiam vigebat eximia nobilitate, ſibi reverentiam exhibentibus, ſe præcipua humilians lenitate, ſubditos ſuos & maxime ſanctæ religionis amatores devota excolens devotione, quibuſque magnis, & minimis affabilis: ideoque quam plurimis Francorum proceribus amabilis, honorem eccleſiæ ſibi creditæ pro poſſe exaltavit, & exaltare voluit. Sed quoniam occaſio mortis interveniens effectum piæ voluntatis abſtulit, ejuſdem loci præpoſitum, HERIMARUM nomine, adhuc vivens * ſibi ſucceſſorem delegit: ipſum quippe, quod habuerat in deſiderio credidit adimpleturum ſtrenue, qui ſibi adjutor & cooperator exſtiterat ante omnes in præfati operis exſecutione, maximaque ſuppeditarat ſubſidia ex reditu villarum ſuæ commiſſarum providentiæ. — *Ann. Chr. MXLIX. Octob. 1.* — * *Marl.* juvenem.

6. Hic ergo loco defuncti Patris ſubrogatus fratrum pæne omnium unanimi ſententia, ordinatu memorati VVidonis Remorum archipræſulis, non diu paſſus eſt interruptum pendere memorabile cœptum ſui anteceſſoris; ſed primo quidem dexteram baſilicæ crucem, maxima ex parte jam inchoatam, & ſiniſtram nihil adhuc præter fundamenta habentem, cum cocleis, quibus ad ſuperiora eſſet aſſcenſus, fecit ædificari. Crypta autem quæ ſuper beati Remigii ſepulcrum conſtructa fuerat, quia, ut ſuperius relatum eſt, præ parvitate ſui, alterius operis incongrua videbatur, dirui, & aliam eminentiorem fecit reſtitui. Deinde trabibus de ſaltu, juxta Orbacis monaſterium ſito, advectis, faſtigia ejuſdem conſequuntur templi, ſicque decentiſſima [a] domus tota apparuit in partibus ſuis. — Quam perficit Herimarus.

7. Quapropter idem abbas Herimarus cum quibuſque ſapientibus Remenſis provinciæ prudenti cœpit tractare conſilio, quatinus eamdem apoſtolica faciens conſecrari benedictione, ut ſcilicet prædeceſſoris ſui devoto ſatisfaceret deſiderio, cui ut facultas non deeſſet optata peragendi, oportunitatem temporis obtulit dignatio divinæ diſpoſitionis [b]. Defuncto ſiquidem Papa Damaſo, qui in civitate Brixenorum, quæ eſt in provincia Hyſtriæ, fuerat epiſcopus, & in apoſtolica ſede inthronizatus, triginta ſolummodo ibi vixerat diebus; Romani, legatione de ejus obitu ad imperatorem HENRICUM directa, petierunt ut eccleſiæ paſtore viduatæ ab eo ſubrogaretur alius. Qui ſuper hoc negotio Epiſcoporum & Optimatum imperii ſui quærens conſilium, invenit inter ceteros domnum BRUNONEM Tullenſem præſulem ad idem officium ſubeundum eſſe idoneum, utpote qui ætatis maturitate, morumque & ſcientiæ claritudine videbatur conſpicuus, ſibique ſanguinis affinitate proximus. Unde apoſtolicæ dignitatis ei adjudicata ſunt inſignia, juſſuſque ab Auguſto, ut ad hæc ſecundum eccleſiaſticas ſanctiones ſuſcipienda, Romana inviſeret mœnia; ſed quia ſollemnia imminebant Nativitatis Dominicæ, hæc cum clero, cujus fuerat paſtor, diſpoſuit celebrare, eiſque celebratis quo erat præceptum abire. Hujus itaque Pontificis notitiam in colloquio, à præfato Imperatore & Francorum Rege, de pacis & amicitiæ confirmandæ gratia, ante non multum tempus habito, memoratus abbas Herimarus fuerat conſecutus, à quo etiam promiſſum acceperat, quod in proximo quadrageſimali jejunio beati Remigii ſepulcrum abſque equi ſolatio foret expetiturus: quia cum eorumdem Regum aliquando familiaria ab invicem perferens mandata, per contiguam regionem tranſierit, ipſius ſancti locum orationis gratia inviſere neglexerit. Quod idem Abbas ſagaciter recolens animo, ſua dirigens ſcripta illi ſuggerit, ut quoniam pro delegato ſibi Apoſtolici primatus officio, Romam ire diſponit, ſi quando ad cognatos fines, certo eccleſiæ revocetur emolumento, non fiat irrita Francorum Apoſtolo ab eo facta promiſſio. Mittit vero ei in munere vas ad bibendum idoneum, intus & exterius auro decentiſſime decoratum, inſinuans ei de ipſius ſancti eccleſia dedicanda ſuum cum petitione deſiderium. ad hæc idem Epiſcopus benigne refert, quia etſi alia nulla ſe revocet eccleſiæ utilitas, vel pro ſolo amore ſancti Remigii reverſurum ad Gallias, & ejus baſilicam dedicaturum, ſi divina annuerit benignitas. Celebratis ergo in ſede civitatis Leuchorum duobus dominicæ Nativitatis diebus, in tertio clero ſuo valefaciens, iter capere Romam ducens aggreditur. Quo perveniens, cum favore totius populi honorabiliter excipitur, apoſtolicæque dignitatis infulis inſignitur, in hypapanti Domini in cathedra beati Petri inthronizatur, & LEO Papa, Romano more, nuncupatur. Hic digne adminiſtrans quæ ſui ſunt officii, inſtanterque diſponens quæque videntur accommoda divinæ religioni, Quadrageſimalis temporis explet jejunia, ſuccedentiaque dominicæ Reſurrectionis ibi celebrat ſollemnia: quibus elapſis Synodum convocat Epiſcoporum Italiæ, & ibi quælibet perverſa in eorum epiſcopiis pullulantia aut corrigit, aut hortatur corrigere. — Eamque à Papa conſecrari deſiderat. — Quod promittit Leo.

8. Aliquanto autem temporis interlabente curriculo, Gallicum reviſere ſolum, tam beato — Qui in Gallias venit.

[a] Hanc eccleſiam iterum auxit Petrus abbas, Cellenſis vulgo dictus, qui poſtea Johanni Sariſberienſi Carnutenſi epiſcopo ſuffectus eſt. Id à ſe ſuſceptum teſtatur in epiſtola ad Fratres de Monte Dei. Cardinalis Lenuncurtius nonnulla item adjecit, ſicque eccleſiæ moles ex variis additamentis in ampliſſimam baſilicam, qualis nunc cernitur, coaluit.

[b] Hæc fuſius referuntur in vita S. Leonis infra ad annum MLIV.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXLIX. Octob. II.

Remigio facta promiſſio, quam orthodoxæ fidei, in illis partibus adeo tepefactæ, perſuadet intentio. Unde à Romanis expetita licentia, per quaſdam Latii urbes iter agens, in eis multa diſponit eccleſiaſticæ honeſtati congrua, tandemque adit imperatorem Henricum, in regione commorantem Saxonica. Interea memoratus Abbas, deſiderii ſui compotem ſe futurum ex ipſius Papæ certus pollicitatione, Regi Francorum Laudunum venienti occurrit in Pentecoſtes ſollemnitate, ejuſque conſilium & favorem expetit de præfato templo Apoſtolica conſecrando benedictione, monens & poſtulans, ut his agendis ſuam præſentiam exhibeat, & Epiſcopos regnique ſui Principes ſecum intereſſe faciat. cui idem Rex ad præſens * mente benigna annuit, ſeque, niſi alicujus impedimenti interceſſerit caſus, tantæ feſtivitati affuturum aſſerit. Ex quo promiſſo Abbas lætificatus revertitur, indeque Papæ Coloniam-Agrippinam cum Imperatore advenienti, in apoſtolorum Petri & Pauli natalitio fit obvius, à quo adventus ſui ad Remenſe ſolum, gerendarumque ibi rerum tempus & ordinem inveſtigat diligentius. Ille vero ſibi notificans pandit quomodo prius deliberaſſet, ut octava die ab ipſius ſancti feſtivitate, quæ in Kalendis Octobris habetur celeberrima, illo veniret, & ipſius monaſterium dedicans, poſtea ibidem ex Epiſcopis Galliæ congregatam Synodum celebraret. Qua ſententia mutata, ad eumdem locum in ſollemnitate ſancti Michaëlis Archangeli ſe venturum, & in eccleſia beatæ Mariæ Remis Miſſarum ſacra in eadem die memorat celebraturum; feſtum vero glorioſi patris Remigii, pretioſi corporis ejus elevationi, & ſubſequentem baſilicæ conſecrationi, ceteros deinde tres Synodi deputat celebrationi. Quibus auditis, ad ſuum cœnobium rediit Abbas, ſuaque ſcripta per Franciam eique contiguas direxit provincias, invitans ſanctæ Eccleſiæ fideles, ut ad tanti gaudii participationem concurrant mente promtiſſima, tam pro amore & veneratione ejuſdem Patroni ſui, quam ut benedictione muniri mererentur Apoſtolica. Ceterum Papa Colonia digreſſus, Tullum in Exaltatione dominicæ crucis venit, indeque circumjacentium regionum Epiſcopis & Abbatibus litteris ſuæ auctoritatis mandari præcepit, ut in præfixa die ſibi occurrerent, ad Synodum celebrandam in baſilica præfati Francorum Apoſtoli; ut per quem orthodoxæ fidei initiati ſunt rudimentis, in ejus præſentia conſequerentur reparationem tepefactæ in ſe divinæ religionis. Hujuſmodi mandatis gratulatur pia fidelium devotio, præparans ſe ſtudioſe ad implendum quod ex apoſtolicæ dignitatis ſibi promulgatur edicto.

* al. preces.

Synodum Remis celebrandam indicit.

Quā invidi impedire nituntur.

9. Venenatus autem ſerpens, qui ab exordio mundi ad humani generis inhiat præcipitium, tam ſalutari propoſito commenti ſui nititur opponere obſtaculum. Ad complendam enim perfidiæ ſuæ voluntatem, quoſdam potentes laïcos excitat, qui inceſtis conjugiis operam dando, & aliorum criminum nefariis uſibus ſe implicando, violatores erant honeſtatis eccleſiaſticæ; ideoque verebantur reatuum ſuorum latebras in lucem prodere. Sed & nonnullos Epiſcopos & Abbates illis adjungit, qui in ovile dominicum aliunde, non per oſtium irruperant, & in eccleſiis ſuis Catholicorum Patrum ſanctionibus contraria quædam pullulare permiſerant, quæ condictæ ſynodi examinatione reſecanda manifeſtari metuebant: ut enim ſcriptum eſt: *Omnis qui male agit, odit lucem*, & ideo peccatis ſuis magis magiſque occultationis adhibet obnubilationem. Tantæ itaque perverſitatis viri incentoris ſui callida ſuggeſtione inſtructi, Regi Francorum ſuggerunt regni ſui decus adnihilari, ſi in eo Romani pontificis auctoritatem dominari permitteret; vel ſi eidem, ut decreverat, occurrens præſentiæ ſuæ favorem, ad cogendum concilium exhiberet. Addunt etiam quod nullus anteceſſorum ejus id reperiatur aliquando conceſſiſſe, ut ob ſimilem cauſam in Franciæ urbes ingreſſus pateret alicui Papæ: his vero agendis pacis & tranquillitatis congrua ſunt tempora, regni autem ejus ſtatus ſit in perturbatione non modica, quibuſdam viris potentibus dominationis ejus jugum detrectantibus, terraſque & caſtella quælibet ab ipſius ditione abalienantibus. Quapropter regiæ dignitati ferunt congruere, utilitati reipublicæ ſua ſapientia conſulere [a], potius quam ſynodis intendere; Principes ſuos & totius exercitus ſui potentiam commovere in rebelles, ipſos etiam Epiſcopos & Abbates, penes quos maxima pars facultatum regni eſt, cenſent immunes hujus expeditionis eſſe non debere. Ante alios Abbatem ſancti Remigii, quem quaſi de rerum ſuarum abundantia præſumentem, pro vanæ gloriæ amore, ad monaſterium ſuum conſecrandum calumniabantur Romanæ Urbis pontificem evocaſſe. Hac igitur verſipelli perſuaſione Rex emollitus, & ab honeſto propoſito ad ſeductionis devia flexus, Papæ per Silvanectenſem mandat epiſcopum, ſe ſuoſque Pontifices cum Abbatibus cogi ad comprimendam pervicaciam ſibi reſiſtentium, ideoque non poſſe occurrere ei in præfixo termino ad peragendum Concilium. Unde adventum ſuum in Franciam in aliud tempus differat, quo, abſolutus hujuſmodi negotiis, eum debito cum honore ſuſcipiat. Ad hæc Papa remandat, promiſſionem beato factam Remigio nequire ſe irritam facere, ſed ad Baſilicam ejus dedicandam procul dubio venturum, ubi ſi qui divinæ religionis amatores convenerint, cum eis ſynodi rationem ſe fatetur habiturum. Cujus mandati ad Regem relatione perlata, ipſe tamen iter in rebelles aggreditur, coacta in unum

Johan. 3. 20.

Pontifex cœptis inſiſtens.

a Edit. *reipublica ſua ſapienter conſulere.*

ingenti exercitus ſui militia. Sed & Epiſcopis & pleriſque Abbatibus contra voluntatem ſuam illo euntibus, illis etiam perverſis eccleſiarum rectoribus ad id negotium ultro ſe ingerentibus, qui ut ſummi Paſtoris Vicarium actus eorum examinare venientem poſſent effugere, eamdem expeditionem exitiali techna elaboraverant ſtruere. Adducitur cum eis & memoratus Abbas ſancti Remigii, mæſtus admodum & gemens, quaſi non eſſet viſurus effectum deſiderii ſui. Sed divinæ conſolationis ejus mærori non defuit potentia. Vix enim unius diei & dimidii itinere confecto, indulta eſt ei redeundi licentia: qui reverſus celerrime Romanum Antiſtitem adhuc Tullo remorantem expetit, eumque pro regiis mandatis, jam diu conceptum propoſitum non permutaſſe cognoſcens, gratulabundus ad monaſterium rediit, inſtanter præparare ſatagens quæ tanti Patris confluentiumque filiorum ſanctæ Eccleſiæ forent neceſſaria conventui. Jam quippe dierum prope erat terminus, qui ſupradictæ diſpoſitionis completioni fuerat attributus.

10. Denique domnus Papa à Leuchorum urbe digreſſus, iter ad Remenſem ducens urbem arripuit, & in oportunis locis, ſingulis quibuſque noctibus manſione accepta, in vigilia feſtivitatis ſancti Michaëlis ad Curmolenſem [a] villam venit: cui præfatus Abbas ibidem obvius factus, quæcumque neceſſarius expetiit uſus, illi omnique comitatui ejus affluenter ſuppeditavit. Die vero ſequenti ad ſanctum pervenit Remigium, Archiepiſcopis tribus comitatus, Trevirenſi videlicet, Lugdunenſi, Veſontionenſi, aliiſque viris honorabilibus; inter quos erat Johannes epiſcopus Portuenſis, & Petrus eccleſiæ Romanæ diaconus, & ipſius Urbis præfectus. Hic protinus conglobatur in unum tota fratrum congregatio, & cum eis * Abbatum, Monachorum, Clericorum, qui jam ex multis confluxerant partibus, innumeroſa * concio. ex quibus omnibus in atrio baſilicæ diſponitur decentiſſima proceſſio, epiſcopis tribus, Silvanectenſi videlicet, Andegavenſi, Nivernenſi, longe digeſtos ordines antecedentibus, textumque Evangelii cum aqua benedicta & aromatum odore ferentibus. Sic ergo diſpoſiti Papam advenientem ſuſcipiunt, cui Eccleſiam introeunti, Reſponſorium *Lætentur cœli*, cum digna modulatione concinunt: & dum ante Altare ſanctæ Crucis orat, aliud Reſponſorium, *Summæ Trinitati* videlicet, concinentes finiunt. Progreſſo autem eo uſque ad altare ſancti Chriſtophori, & ante venerandi Francorum Apoſtoli ſepulcrum orationem explente, iterum Hymnum *Te Deum laudamus*, conſona vocum jubilant vociferatione. Qui tamen in ſede ſibi decenter apparata paullulum reſidens, adſtantes lætificavit benedictione apoſtolica: & exinde egreſſus, ab eiſdem pſallentium choris cum divinis laudibus deducitur uſque ad civitatis [b] mœnia. Cui Remenſis clerus cum Archiepiſcopo ſuo, aliiſque quibuſdam obviam procedens Epiſcopis, perſpicuæ proceſſionis numeroſos diſponit ordines in atrio [c] ſancti Dionyſii martyris, ubi ad tanti Pontificis ſuſceptionem competentia concinens cantica, uſque ad eccleſiam ſanctæ Mariæ illum comitatur cum maximæ jubilationis gloria. Illic vero ante ſanctæ crucis, & ejuſdem Dei Genitricis altaria, completa oratione, in archiepiſcopali aliquantulum reſedit ſede, Archipræſule Remenſi ad ejus dexteram, Trevirenſi autem reſidente ad ſiniſtram. Deinde miniſtris altaris præparatis, quibuſque pro officiorum congruentia, & ipſe ſacerdotalibus redimitus inſignibus proceſſit ad Miſſarum celebranda ſollemnia. Quibus expletis, & adſtante populo Apoſtolica benedictione munito, prædicto Remorum archiepiſcopo, ſibi ſuiſque neceſſarios ſumtus ſuppeditante, refectionem percepit in majori palatio juxta eccleſiam ſito.

Remos venit.

* al. è cunctis.

* al. numeroſa.

Miſſam in majori eccleſia celebrat.

11. Die autem ſubſequenti, metuens ne præpediretur frequentia circumfluentium populorum, duobus tantum comitatus capellanis, dum nocturnæ à fratribus explerentur vigiliæ, ad ſanctum remeavit Remigium; factoque ſibi balneo, lotus eſt & tonſus, utpote qui imminentem tanti Patris ſollemnitatem in craſtino celebraturus, transferre diſponebat tam pretioſæ gemmæ venerabile pignus, & præparata ſibi quadam domo contigua eccleſiæ, illic ſecretum remorandi expetiit, quia metuebat ad publicum procedere. Ad ſepulcrum enim Sancti, quaſi ex toto orbe excita tanta hominum confluebat numeroſitas, ut introeuntibus ſpatioſi templi vix ſufficeret capacitas. Advolabant enim tam ex vicinis quam ex longinquis regionibus promiſcui ſexus innumerabiles, effundebat aſpera Francia ad honorem glorioſi Apoſtoli ſui villanos, oppidanos & cives: ſed & Gallia pæne ex omnibus ſuis partibus huc tranſmittebat populorum millia. Inter quos accelerabant Epiſcoporum, Abbatum, Monachorum, Clericorum generoſa agmina. Ignobilis nobili, aut inops cedere neſciebat diviti, ſed omnes una conglobatim concurrebant intentione devota, buſtoque cæleſtem margaritam continenti dulcia imprimentes oſcula, oblationum ſuarum quiſque pro poſſe offerebant donaria. Qui vero conſtipatorum violentia repulſi propius accedere non valebant,

Altera die redit ad S. Remigium.

[a] Vicus eſt vulgo dictus *Cormeloy*.

[b] Tunc quippe monaſterium S. Remigii extra urbis mœnia erat, nunc à trecentis circiter annis, dilatato urbis pomerio, in eo incluſum.

[c] Ibi fuiſſe Canonicorum Remenſium ſepulturam refert Frodoardus lib. 2. Hiſt. Remenſis cap. 15. verum anno 1067. Gervaſius hanc baſilicam, poſitis in ea canonicis Regularibus ſancti Auguſtini, in abbatiam erexit, quæ hactenus perſeverat.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXLIX. Octob. II.

heu, quantum gementes ſe deſiderii ſui effectu privari, de longe projectis muneribus quæ attulerant, quaſi lapidibus, Sancti ſepulcrum pia devotione obruebant. Eſt autem ante fores ipſius baſilicæ quoddam ſpatioſum atrium, in quo quotiens denſitatem ſui perpeti non poterat, frequentia tantorum ſe explicabat cœtuum, eo ducta aviditate cernendi ipſum beati Petri Vicarium: poſt beati enim Remigii captatum ſuffragium, ad hujus ſummopere inhiabat aſpectum. qui ut magnanimo deſiderantium ſatisfaceret affectui, eminentius ſolarium domus in qua remorabatur petens, unde & adſtantes contueri, & ab eiſdem conſpici, & loquens poſſit audiri, Apoſtolica benedictione eos lætificavit; hiſque recedentibus, & aliis ſubinde atque aliis illud * atrium catervatim replentibus, ter in eadem die, ſuæ exhortationis monita impertiens ſalubria; liquido patefecit quæ vitanda, quæque ad ſalutem animarum ſuarum ſibi forent expetibilia. In eadem denique domo ſacra myſteria ſibi fecit celebrari, quia non dabatur uſpiam locus oportunus eccleſiam introeundi, nec ipſi fratres, præ importunitate plebium, ſolitum illic penſum divini valebant perſolvere officii. Adveniente interea nocte, nec tamen confluentium rareſcente, ſed magis magiſque crebreſcente copia, domnus Papa metuens, ne in ſacris vigiliis Deo famulantes importunitate plebis præpedirentur exſequi divinæ ſervitutis ſollemnia, tum etiam ne ſibi pretioſi corporis ſancti ipſius transferendi, eccleſiæque dedicandæ inhiberetur copia; delegatis clericis ſuis, ejuſdem loci memorato Abbati ſpatioſitatem templi præcepit penitus evacuari, obſeratiſque diligenter foribus, omnibus intercludi facultatem introeundi; præcepit etiam ex ſua parte hoc populis annunciari, ut ad horam ſecederent, & abſque ulla ſui impetus inquietudine ſollemnes illius noctis excubias, cum digna devotione, à Deo militantibus celebrari ſinerent: ſe procul dubio die ſubſequenti eorum deſideriis promittit ſatisfacturum, & theſaurum deſiderabilem, quem quærebant, illorum conſpectibus expoſiturum; ſi vero mandatis detrectarent annuere, infecto negotio, propter quod adveniſſet, receſſurum fore. Quod cum tandem maxima difficultate fuiſſet obtentum, pleraque tamen numeroſitas populorum cum copioſis luminaribus deforis excubans, ejuſdem pollicitationis præſtolaretur effectum, cereorum ubertate quaſi multiplici ſiderum ſplendore interius irradiata eccleſia, Deo ſervientium chori in canticis ſpiritualibus decentiſſime illius noctis exegerunt ſpatia.

* al. aliud.

Tertia die.

12. Mane autem facto, ſuſceptus eſt à domno Papa intra eccleſiam ſanctus martyr Cornelius, quem cum aliis ſanctorum pigneribus Compendienſes clerici illo detulerant, pro multis violentiis, quas eccleſia ſua patiebatur à quibuſdam malefactoribus. Circa horam deinde tertiam, redimitus idem Apoſtolicus infulis ſacerdotalibus, ad glorioſi patris Remigii ſepulcrum procedit cum thymiamateriis & crucibus, ſociatis ſibi Archiepiſcopis quatuor, Remenſi videlicet, Treverenſi, Lugdunenſi, Veſontionenſi, cum quibuſdam aliis, ſed & ipſius loci Abbate, domnoque Hugone venerabili patre cœnobii Cluniacenſis, & illius ordinis plurimis: cum quibus letania facta, & ſuper ſanctum corpus non modica thimiamatum accenſa fragrantia, cecinit Reſponſorium *Dirigatur oratio mea*, quo cum verſu expleto, feretrum ſancti, ut præparatis inſtrumentis aptatum ad ferendum redderetur habile, à ſuo loco paullulum removit, & Antiphonam *Confeſſor Domini Remigi*, decantavit. At ubi competenter prout res exigebat diſpoſitum fuit, ipſe ante alios cum præfatis Archiepiſcopis & Abbatibus ſuppoſitis humeris illud devote lacrymans extulit, & Reſponſorium, *Iſte eſt de ſublimibus*, inchoavit: cujus vocem ſubſequentes chori pſallentium, ovantes erumpunt in jubilationis tripudium, præque alacritate cordis; O quantorum ora manantium rigavit redundantia fletuum! quantorumve mentes ad tanti Patris captanda ſuffragia ſunt compunctæ in ſuſpiria beatorum gemituum! Tradens autem domnus Papa eumdem pretioſum theſaurum ſe ultro ingerentium votis, ab inquietudine turbarum ſeceſſit in oratorium ſanctæ Trinitatis, quod ad meridianam plagam infra ambitum ipſius eccleſiæ decenter conſtructum erat, Harduini [a] cujuſdam loci illius cœnobitæ ſtudio, continens Dominicum ſepulcrum eleganter imaginatum, inſtar illius Jeroſolymitani, in quo noſtra requievit ſalvatio. Hoc igitur Treverenſem archiepiſcopum in ſui præſentia eadem die conſecrare fecit, ex conſenſu præfati Remorum archipræſulis, multorum ibi ſanctorum collocatis reliquiis. Denique monaſterii foribus patefactis, ubi illa cæleſtis gemma deſiderantium populorum eſt expoſita obtutibus. Tum vero cerneres promiſcuum vulgus præ minia exſultatione manibus plaudere, innumeros in divinas laudes gratulabunda vociferatione erumpere, potentes, impotentes, nobiles, ignobiles, quemque pro ſuis viribus ſummopere niti, ut tam optata gaudia propius mereretur contingere. Magna fides, magno procul dubio remuneranda præmio, quæ ne tanti reddatur expers emolumenti, nec imminentis mortis revocatur periculo. Quidam enim præ nimia ſui deſiderii feſtinatione præcipites, dum inter conſtipatos cuneos corruunt, non valentes reſurgere, ſuffocati & conculcati intereunt. Rapitur & jactatur potius quam portatur pretioſi corporis theca, tot millium

Defert corpus ſancti Remigii.

[a] Hic ſub Ludovico Pio imperatore floruit, de quo vide Frodoardum lib. 2. Hiſtoriæ Rem. cap. 19. & Marlotum Tomo 1. Metropol. Rem. lib. 3. cap. 2.

Digitized by Google

Ann. Chr. MXLIX. Octob. II.

undique propellente frequentia, velut navis æquoreorum fluctuum hac & illac agitata violentia: nunc hi, nunc illi extorquendo ſibi felicia vindicant dona; & ut paucis multa concludantur, nec longis ambagibus legentium deficiat intentio, toto interſtitio quod civitatem & caſtellum ipſius ſancti interjacet, tam jocunda agitatur contentio. Adeſt Remenſis clerus cum civium multitudine, Apoſtolum ſuum ad propriæ urbis mœnia elaborat devehere, quem vix ab hujuſcemodi impetus denſitate avulſum, ſanctæ Dei-Genitricis infert eccleſiæ [a], ut cui vivens in corpore dignis laboribus vitæ præſentis multa comparaverat commoda, catholicæque religionis competentia addiderat inſignia; huic vel unius noctis morula exſultationem ſimul & ſanctificationem ſuorum oſſium exhiberet præſentia. Collocato ergo eo ſuper ſanctæ Crucis altare, Archiepiſcopus Veſontionenſis ad altare beatæ Mariæ procedens, Miſſarum ſollemnia cum eodem clero de ipſius glorioſi Patris celebravit feſtivitate. His autem expletis; dum concurrentium devotio magis & magis agglomeratur, diei interea elapſo curriculo, nox ſubſequitur; cujus tamen caligine baſilicæ illius adyta nullo modo fiunt obſcura. Tot gratulabundi conventus, ſuum quodammodo diem præferentia, undique micant luminaria. Monachi ibidem circa patronum ſuum lætis invigilant excubiis, & matutinalem explent curſum cum duodecim Lectionibus & Reſponſoriis ſuis. Poſt quos eaſdem Vigilias ſollemniter peragendas Canonici ſuſcipiunt, & cum novem Lectionibus matutinorum officia conſummantes, uſque ad lucem protrahunt. Qui facto mane Primam, Tertiam, Miſſamque cum Sexta hora, ante ſolita decantantes tempora, venerabile corpus cum divinis laudibus efferunt à beatæ Dei Genitricis eccleſia. Quod in circuitu civitatis cum jocunditate deportantes, congruas ſtationes per præfixa faciunt ſpatia. Cumque ad eum locum ventum eſſet, ubi quondam fuerat porta, antiquo Patens nuncupata vocabulo, per quam idem ſanctus hoſtem humani generis in eadem urbe viſibilibus ignium debacchantem exterminiis, adhuc in carne vivens orationibus expulit; illic eoſdem pretioſos artus deponunt, & ipſius miraculi memoriam digna devotione, & canticis ſpiritualibus agunt. Ad cujus facti memoriale ibidem baſilica moderno eſt conſtructa tempore, quam quidam ſervus Dei [b], CONSTANTIUS nomine, ſuis impenſis eleganter compoſuit, & Dei famulos ad ejus obſequium, quot potuit, dum viveret aggregavit, & in honore ſanctæ Mariæ Magdalenæ, ſanctique Remigii conſecrari fecit.

Defertur S. corpus ad eccleſiam Cathedralem. [a]

[b]

13. Cum itaque agitur illa circuitio extra civitatis mœnia, domnus Papa, convocatis Epiſcopis intra dedicandi monaſterii abdita, ſingulis ſingula ad conſecrandum delegavit altaria. Remenſem vero archiepiſcopum ternam circuitionem, cum crucibus & ſanctorum reliquiis, ſecundum eccleſiaſticum ordinem, exterius conſtituit agere, ibique conſecrationis officium adimplere: ipſe vero cum ſibi neceſſariis remanens interius, divini tabernaculi ſanctificationem ſtrenue diligenterque exſequitur. Poſtquam igitur eo deventum eſt, ubi ſecundum orthodoxorum Patrum decreta, pignora ſanctorum, & ſacra quæque debent intra dedicatam eccleſiam recipi; præfati Canonici, ut dictum eſt, deportato corpore beati Remigii per gyrum urbis, & caſtelli, eique adjacentis municipii, pervenerunt cum eo uſque ad portas monaſterii, ubi tot millium excreverat frequentia, ut præ eorum denſitate eidem glorioſo Patri domum ſibi præparatam introeundi intercluderetur licentia. Ipſe namque Papa eaſdem januas vetuerat reſerari, ne impetus cum eodem ſancto irruentium, & ſibi diſcrimini, & impedimento cœptæ dedicationis foret conſummationi. Quocirca aliquod diverticulum quo valeat intromitti perquiritur, tandemque vix à turbarum inquietudine abſtractus, per feneſtram quæ eſt ſuper ſanctæ Trinitatis oratorium demittitur: quem domnus Apoſtolicus, cum maxima devotione & canticis ſpiritualibus receptum, non ad præſens in proprio loco repoſuit, ſed ſuper principale altare, quod in honore apoſtolorum Petri & Pauli, Clementiſque & Chriſtophori martyrum, & beati Remigii conſecrarat, collocavit. Et cujus rei gratia hoc facere decreverit, dignam memoria rationis ſententiam ſubintulit: videlicet, ut evidens & conſpicuus omnibus appareret oculis in celebranda ſynodo, in qua, ſi quis erroneus aliquid frivolum, vel eccleſiaſticæ religioni adverſum adſerere præſumeret, erga hunc vir Dei illius virtutis potentiam per ſui corporis præſentiam exhiberet, quam adhuc in mundo vivens erga Arianum hæreticum exhibuit; cui in conventu epiſcoporum Catholicæ fidei lucem nebuloſi dogmatis umbra obnubilare molienti, ad adventum ſuum, divina virtute officium vocis extorſit: ſed paullo poſt cum humili ſatisfactione reatum ſuum agnoſcentem, animæ corporiſque eumdem ſanitate donatum, ad filios adoptionis tranſtulit. Quæ perorantis Papæ intentio ex ſuperno inſtinctu procedens, effectu nullo modo caruit, velut hoc opuſculum loco ſuo declarabit. Hac ergo de cauſa ſic locato beati Remigii cor-

Eccleſia conſecratur.

[a] Ea eſt metropolitana beatæ Mariæ eccleſia, quam compluribus prædiis ditaverat ſanctus Antiſtes.

[b] De hoc Conſtantio canonico vide Chronicon Virdunenſe Hugonis abbatis Flaviniacenſis, ubi multis laudibus effertur. Ejus hortatu S. Hugo in ipſo concilio orationem habuit contra Simoniacos & preſbyteros fornicarios, ut in ejuſdem S. Hugonis Vita habetur. Ceterum eccleſia quam ædificavit, hodie obtinent Milites Melitenſes. In cujus porta majori ſuperest vetus inſcriptio tempore fundationis poſita.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXLIX. Octob. II.

* al. numeroſis.

pore, univerſis * agminibus epiſcoporum, Abbatum, Monachorum, Clericorum, per choros decentiſſime diſpoſitis, Miſſarum ſollemnia idem Pontifex ex Dedicationis celebravit feſtivitate: lectoque Evangelio, pulpitum conſcendens exhortationis ſermonem fecit ad circumſtantem populum, qui plurimus, monaſterii, ut dictum eſt, foribus obſeratis, per feneſtras irrumpendo ſibi fecerat aditum. ad quem multa ex ipſius templi ſanctificatione concionatus utilia, diem illam celebrem eſſe præcepit per Remenſis epiſcopii confinia, anathematis pœna damnans illos omnes, qui ad eumdem locum hujus ſollemnitatis gratia per ſingulos annos confluentibus, vel inde redeuntibus, alicujus impedimenti irrogarent incommoda. Conſtituit etiam, ut ad altare, quod, ut præfatum eſt, in honore apoſtolorum Petri & Pauli, Clementis & Chriſtophori martyrum, glorioſique confeſſoris Remigii conſecraverat, non indiſcrete à quibuſque, ſicut hactenus, ſacro-ſancta myſteria agerentur, ſed ſecundum morem Romanæ eccleſiæ, ſeptem tantummodo ſacerdotes, qui in illa congregatione digniores haberentur, ad hoc officium deputarentur, ſoli Remenſi archiepiſcopo, ipſiuſque cœnobii Abbati, ibidem Miſſas agendi poteſtate collata, & cui idem abbas daret licentiam, certe interdum rationis exigente gratia; necnon clero Remenſi bis in anno, feria ſcilicet ſecunda paſchalis feſti, & vigilia Aſſcenſionis Dominicæ, quando ſollemnes illic ſtationes ex antiqua faciunt traditione. Hæc decreta ne aliquando irrita fierent antiquitate temporis, litteris mandari [a], eaſque ſignari ſigillo ſuæ præcepit auctoritatis. Deinde memoratum populum, ſecundum inſtitutionis ejus verba publicam de peccatis ſuis confeſſionem agentem, abſolvit; explicitiſque divinis officiis Apoſtolica benedictione ſanctificans illum dimiſit. Pontifices autem, cœnobiorumque Rectores, & ceteros ſacri Ordinis miniſtros, qui ibi aderant, ad eumdem locum craſtino juſſit reverti, ut cum illis haberet rationem, quam condixerat, Synodi.

Privilegium altaris ſancti Remigii.

PRIMA DIES SYNODI.

Synodus in eadem baſilica habetur.

Remenſis Archiepiſcopi primatus in Gallia. [b]

14. Die vero altera, quæ eſt quinto Nonas Octobris, congregati ſunt in memorata baſilica, Epiſcopi videlicet numero viginti, cum quinquaginta fere Abbatibus, & aliis eccleſiaſtici ordinis complurimis. Ubi ſtatim vetus querela inter Remenſis & Treverenſis archiepiſcopi clericos eſt renovata: his adſtruentibus quia Remenſis Primas [b] eſſet in Gallia, ideoque illi diſpoſitio competeret Synodica: è contra vero illi archiepiſcopo Treverenſi eamdem dignitatem conabantur adſcribere, primamque ſedem poſt Romanæ eccleſiæ præſulem in celebrando concilio adquirere. Domnus autem Papa non arbitratus oportunum tempus, quo his rationibus imponi valeret congruus finis, ſed potius metuens hujuſmodi controverſiam prorumpere ad ſcandalum contentionis; in modum coronæ ſedilia Epiſcoporum diſponi, & in medio eorum ſuæ ſedis ſuggeſtum præcepit locari, cujus ordinationis modum ex arbitrio Remenſis archipræſulis ſanxit adminiſtrari; qui convocatis Archidiaconis, & quibuſque cleri ſui præcipuis, cum eorum conſilio, in modum ut dictum eſt coronæ, pontificum ſedilia, & in medio ejus apoſtolicæ ſedis apparari fecit inſignia. His ita diſpoſitis, domnus Papa ſacerdotalibus quaſi ad celebrandam Miſſam infulis redimitus, proceſſit ex oratorio ſanctæ Trinitatis cum cruce & Evangelii libro, antecedentibus eum ſacri ordinis miniſtris, ſexque alii coram eo procedentes, ante ſanctum altare ex integro cantaverunt Antiphonam *Exaudi nos Domine.* qua expleta cum pſalmo, & *Gloria*, archiepiſcopus Treverenſis letaniam fecit: eaque finita, conventum Diaconus, ut ad Deum preces effunderet, admonuit, & ſic tempori congruentem domno Apoſtolico orationem dicente, lectum eſt Evangelium, *Dixit Simoni Petro Jeſus: Si peccaverit in te frater tuus.* Poſt hæc conſederunt omnes, ordine quo Remenſis archipræſul diſpoſuit, domnus quidem Papa in medio, ut dictum eſt, chori, verſo vultu ad ſepulcrum beati Remigii, ante oculos autem ejus, ad orientalem plagam, * Remenſis in dextera, * Treverenſis vero in parte reſedit ſiniſtra. Poſt Remenſem deinde ſecundum ſubnotatum ordinem reſederunt Beroldus Sueſſionenſis, Drogo Morinenſis, * Rollandus Silvanectenſis, Adalbero Mettenſis; ad meridianam autem pla-

Synodi diſpoſitio.

* Wido.

* Eberhardus.

* al. Frollandus.

[a] Hanc bullam habes infra. Porro idem Pontifex ſimile privilegium conceſſit Altari majoris eccleſiæ Colonienſis, ubi ſeptem illi preſbyteri appellantur *Cardinales*, quod & à Remigianis noſtris obſervatur. Hæc autem rerum diſpoſitio à Pontifice ordinata hodieque in baſilica Remigiana ſervàtur religioſe.

[b] Remenſem eccleſiam *omnium regni eccleſiarum caput* appellat Gerbertus Earum *matrem* appellat Carolus rex. Alii aliis verbis inſignes ſedis beati Remigii, Regum & gentis noſtræ Apoſtoli & patroni, prærogativas expreſſerunt. Remenſis Archiepiſcopi eſſe totius Galliæ epiſcopos ad concilium convocare ſcribit Manaſſes in epiſtola ad Gregorium VII. papam. quem *diadema regni &c.* poſſidere fatetur Yvo Carnotenſis. Unde ex S. Bernardo, coronam regis capiti, quod ſingulis feſtis tunc fieri ſolebat, ubique Galliarum in eccleſiis quibuſcumque imponebat ex ſedis ſuæ privilegio. Duæ cruces eum ſemper præcedebant, ex veteri Remenſis eccleſiæ Rituali. Primatum Remenſi eccleſiæ in univerſas Gallias à beato Petro collatum fuiſſe ſcribit Fulco Hinemari ſucceſſor, quam dignitatem alii ad S. Remigii vicariatum Apoſtolicum malunt referre. Hodie Remenſis antiſtes S. ſedis Apoſtolicæ legatus-natus & Galliarum Belgicarum Primas nuncupatur, & inter regni proceres Primi Franciæ Ducis ac Paris titulo ac prærogativis gaudet.

gam,

Digitized by Google

Ann. Chr. MXLIX. Octob. II.

gam, Aylenardus archiepiſcopus Lugdunenſis, Hugo Lingonenſis, Joſfridus Conſtantienſis, Ivo Sagenſis, Herbertus Liſoienſis, Hugo Bajogacenſis, Hugo Avringenſis, Theodericus Virdunenſis; ad ſeptemtrionalem vero plagam, Hugo Archiepiſcopus Veſontionenſis, Hugo Nivernenſis, Euſebius Andegavenſis, Pudicus [a] Nannetenſis, [b] Epiſcopus Anglorum, & Johannes Portuenſis. Poſt quorum terga in modum ſimiliter coronæ reſederunt Abbates hoc ordine: domnus ſcilicet Abbas ſancti Remigii Herimarus, domnus Hugo Cluniacenſis, Sigefridus Gorzienſis, Folco Corbienſis, Robertus Prumienſis, Rainoldus ſancti Medardi, Girvinus ſancti Richarii, Godfridus Verzelliacenſis, Arnoldus Pultarienſis, Rodulfus Moſomenſis, Oylardus Cathalaunenſis, Milo Dervenſis, Norgaudus Altvillarenſis, Albertus ſancti Theoderici, Stephanus ſancti Urbani, Wlfricus ſancti Auguſtini Cantuarienſis, [c] Alvvinus ſancti Benedicti de terra Anglorum; deinde ceteri qui, ut ſuperius relatum eſt, ſimul fuerunt numero fere quinquaginta. Quibus ita reſidentibus, imperato ſilentio, ex præcepto domni Papæ ſurrexit Petrus ſanctæ Romanæ eccleſiæ diaconus, expedito ſermone proponens de quibus in eadem Synodo ſermo eſſet habendus. De multis videlicet illicitis, quæ contra Canonum inſtituta in Gallicis finibus exercebantur: id eſt, de ſimoniaca hæreſi, de miniſteriis eccleſiaſticis, & altaribus quæ à laïcis tenebantur, de pravis conſuetudinibus quæ ab eis in atriis eccleſiarum accipiebantur, de inceſtis conjugiis, & eis qui legitimas relinquentes uxores, adulterinis iterum nuptiis implicabantur, de monachis & clericis à ſancto propoſito & habitu recedentibus, item de clericis mundiali militiæ ſtudentibus, de rapinis, pauperumque injuſtis captionibus, de Sodomitico vitio & quibuſdam hæreſibus, quæ in eiſdem pullulaverant partibus. Quibus propoſitis admonuit omnes qui aderant, ut inde ſecum prudenti deliberatione tractarent conſilium, quæ cum oportuno adjutorio domno Papæ præberent, quomodo hæc zizania divinæ ſegetis ſemen ſuffocantia exſtirpari valerent. Poſt hæc ad Epiſcopos converſo ſermone, commonuit illos ſub anathemate Apoſtolicæ auctoritatis, ut ſi quis eorum per ſimoniacam hæreſim ad ſacros ordines perveniſſet, vel præmio quemlibet ad eamdem dignitatem promoviſſet, publica confeſſione patefaceret. Primus ergo Trevirenſis archiepiſcopus ad hæc verba ſurrexit, ſeque nec aliquid dediſſe, vel promiſiſſe pro adepto epiſcopatu, neque alicui ſacros ordines vendidiſſe reſpondit. Deinde Lugdunenſis & Veſontionenſis ſurgentes ab hujuſcemodi culpa profeſſi ſunt ſe eſſe immunes. Tunc præfatus diaconus ad Remenſem archiepiſcopum ſe convertit, & quid de his ex quibus à ceteris facta fuerat purgatio ediceret, requiſivit. At ille ſurgens inducias petiit uſque in craſtinum, dicens ſe privatim velle loqui ad domnum Apoſtolicum; cumque datæ fuiſſent, ceteri omnes ſurrexerunt in ordine, ſecundum verba priorum purgantes ſe ab hujuſcemodi ſuſpicione, quatuor tantummodo exceptis, Lingonenſi ſcilicet, Nivernenſi; Conſtantienſi, Namnetenſi; quorum cauſa eo die ad diſcutiendum relicta, Diaconus ſermonis curſum ad Abbates qui aderant vertit, eoſque ne forte & ipſi in ovile dominicum aliunde, non per oſtium introiſſent, confiteri ammonuit. Primus ſancti Remigii abbas Herimarus ſurrexit, ſeque ab hujuſcemodi culpa congrua reſponſione purgavit; deinde domnus Hugo Cluniacenſis ſubſecutus, hanc purgationis ſuæ rationem ſubintulit, dicens: Pro adipiſcendo abbatiæ honore, Deo teſte, nihil dedi, vel promiſi, quod quidem caro voluit, ſed mens & ratio repugnavit. Poſt hunc ſe quidam congrue excuſare ſtuduerunt.... alii vero nihil reſpondentes, reatum ſuum occulere, quam patefacere maluerunt. Tunc Lingonenſis epiſcopus ſurgens, ſuper Abbate Pultarienſi diœceſaneo ſuo plurimum eſt conqueſtus, quod videlicet in fœtore luxuriæ vivens, pluribus flagitiis inſerviebat; beato quoque Petro, ejuſque Vicario, Romanæ ſcilicet eccleſiæ Pontifici, cujus abbatia illa erat, debitum cenſum quotannis perſolvere detrectaverat; & inde excommunicatus Miſſarum ſacramenta celebrare præſumſerat, excommunicationique adhuc ſubjacens eidem Synodo intererat. Qui diſcuſſus, nec ab objectis ſe valens expurgare criminibus, ab honoris ſui eſt dignitate depoſitus. His ita diffinitis, edictum eſt ſub anathemate auctoritatis Apoſtolicæ, ut ſi quis aſſidentium, quempiam univerſalis Eccleſiæ Primatem præter Romanæ ſedis Antiſtitem eſſe aſſereret, ibidem publica ſatisfactione patefaceret. Cumque ad hæc univerſi reticerent, lectis ſententiis ſuper hac re olim promulgatis ab orthodoxis Patribus, declaratum eſt quod ſolus Romanæ ſedis Pontifex univerſalis Eccleſiæ Primas eſſet & Apoſtolicus. Poſt hæc domnus Papa ſub excommunicatione prohibuit, ne quis abſque ſui licentia recederet, antequam tertia lux conſummaretur in celebratione Concilii; ſicque jam nocte propinquante conventum dimiſit.

Quid in ea tractandum?

Hugonis Cluniacenſis humilitas.

[a] Mirum eſt Sammarthanos hunc Pudicum in Epiſcoporum Namnetenſium catalogo omiſiſſe, de quo tamen præter Anſelmum noſtrum alii quoque ſcripſerunt. Vide quæ de illo ex Chronico eccleſiæ Namnetenſis refert Petrus *Lebaud* in Hiſtoria Britanniæ cap. 22. ubi eum Gualterii Epiſcopi filium dicit. Idem habetur infra num. 16.

[b] Duduco ſcilicet epiſcopus Wellenſis, ut in obſervationibus præviis annotavimus.

[c] Alvvinus abbas Rameſienſis in agro Huntidonenſi, cujus cœnobii eccleſiam in honorem B. Mariæ, omnium SS. Virginum & S Benedicti conſecrarunt S. Dunſtanus archiepiſcopus Cantuarienſis, & S. Oſvvaldus Eboracenſis, anno 974.

Digitized by Google

ANN. CH. MXLIX. OCTOB. II.

SECUNDA DIES SYNODI.

15. Sequenti autem die ad memoratam baſilicam cum Abbatibus & clero convenientibus Epiſcopis, domnus Papa cum quibuſdam eorum ſeceſſit in oratorium ſanctæ Trinitatis, ubi dum cum eo confeſſionis ſuæ privatum colloquium Remenſis habuiſſet archiepiſcopus, & de eccleſiaſticæ religionis profectu tractatum eſſet diutius, eo ordine quo & tranſacta die, Apoſtolicus inde proceſſit, dictaque Antiphona, & letania facta à Treverenſe archipræſule, Evangelium *Omnis arbor bona*, Diaconus legit. Univerſis deinde ſuo loco reſidentibus,

Agitur de Remenſi archiepiſcopo.

Remenſem Archiepiſcopum ut de ſimoniaca hæreſi, de qua heſternas obtinuerat inducias, rationem redderet, præfatus admonuit Cancellarius, impetens etiam eum de multis quæ ſe, fama vulgante, comperiſſe aſſerebat criminibus. Ad hæc Archiepiſcopus ſurgens, ut ſibi conſiliandi facultas concederetur expetiit. qua impetrata, Veſontionenſem, Sueſſionenſem, Andegavenſem, Nivernenſem, Silvanectenſem, Morinenſem Epiſcopos convocans, cum eis myſterium habuit conſilii ſui; indeque reverſus, ut cauſam ſuam Silvanectenſis perorarет, à domno Papa obtinuit. Surgens autem epiſcopus Silvanectenſis, eumdem Archiepiſcopum reſpondit non eſſe reum ſimoniacæ hæreſis. His auditis, Apoſtolicus præcepit, ut hæc ita eſſe ſacramento probaret Archiepiſcopus, mandans etiam recitari ſententiam, qua Maximum Salonitanum epiſcopum, ex ſimili culpa notatum, pari modo ſe inde purgare beatus Papa ſanxit Gregorius. At ille canonicas inducias inde poſtulavit, ſeque poſt earum expletionem, quod ratio purgationis poſceret, peracturum ſpopondit. quibus ei conceſſis, ſtatutum eſt, ut medio Aprili menſe Concilio [a], quod Romæ celebrandum erat, intereſſet. Cetera vero quæ ei objecta ſunt, quia legitimi accuſatoris videbantur delatione carere, decretum eſt ad præſens indiſcuſſa remanere.

De Abbatia Dervenſi.

Sic igitur hujuſmodi diffinito negotio, ſuper abbatia Dervenſi domnus Papa conqueſtus eſt, quia Tullenſi ſubtracta fuerat epiſcopio, & hanc ad ipſius eccleſiæ pertinere poſſeſſionem, per privilegiorum, quæ inde habebat, demonſtravit recitationem: è contra Remenſis archiepiſcopus abbatiam illam reſpondit ſui juris potius eſſe, & hoc antiquioribus privilegiis eccleſiæ ſuæ ſe teſtificari valere. Papa vero, quia in præſenti non erant eadem ſcripta ex quorum lectione valeret hæc controverſia finiri, juſſit ea interim in archivis Remenſis eccleſiæ perquiſita, in craſtino in medium afferri.

De epiſcopo Dolenſi.

Tunc Turonenſes clerici per Lugdunenſem Archiepiſcopum querelam intulerunt ſuper [b] Dolenſi epiſcopo Britanniæ, qui ſe cum ſeptem ſuffraganeis à Turonenſi archiepiſcopio ſubtraxerat, ſibique Archipræſulis nomen contra fas vindicaverat. Qui ſtatim ex auctoritate Apoſtolica vocatus eſt ad Concilium, quod, ut præfatum eſt, medio menſe Aprili, Romæ erat celebrandum, ut ibi rationis hujus agitaretur judicium.

De Hugone Lingonenſi.

Poſt hæc memoratus Diaconus in epiſcopum Lingonenſem invehitur, eumque epiſcopalem dignitatem per ſimoniacam hæreſim obtinuiſſe, ſacros ordines vendidiſſe, bellica arma contra fas ferendo homicidia perpetraſſe, alieni matrimonii jura violaſſe, in clericos ſuos tyrannidem exercuiſſe, Sodomitico etiam flagitio pollutum eſſe criminatur. quibus verbis fidem præbebant plurimi delatores qui aderant, inter quos quidam clericus aſſeruit, quod ſibi adhuc laïco conjugem ſuam violenter abſtulerat, & poſt perpetratum cum ea adulterium, monacham fecerat. Affuit & Preſbyter quidam, ſe ab eodem epiſcopo conquerens captum, & ſatellitum ejus fuiſſe poteſtati traditum, qui eum multis ſuppliciis excruciantes, quod ſceleſtius eſt, clavis acutiſſimis genitalia ejus confixerant, talique violentia ab eo decem libras denariorum extorſerant. His auditis, Epiſcopus conſiliandi licentiam petit. qua impetrata, Archiepiſcopos Veſontionenſem & Lugdunenſem acceſſit, eiſque credens arcanum conſilii ſui, petit ut ſibi ſint cauſidici: ſed qui cum tantis flagitiis foret implicitus, in oculis alterius magis quam in ſuis trabem videns, fratrem quamvis culpabilem in heſterna Synodo criminatus fuerat, ejuſque ad damnationem & ipſe merito damnandus aſpiraverat, non ſolum ſe ab objectis nequit excuſare criminibus, ſed etiam ejus cauſidico, ne ad ſui defenſionem quicquam proferre valeat, linguæ munus * adimitur divinitus.

* *al.* motus.

Epiſcopus Veſontionenſis divinitus obmuteſcit.

Veſontionenſis quippe epiſcopus, dum ſuſceptum ejus negotium perorare, & ad excuſationem criminoſi incongrua quædam decerneret proponere, inſperatò ſibi ſuffragium vocis divino ſenſit denegari numine. Procul dubio Magnus pater Remigius ob hoc ipſum, ut prædictum eſt, ante conſpectum Synodi expoſitus, à beatæ fidei Papa etiam hic ejuſdem virtutis enituit potentia, quam olim, dum adhuc peregrinaretur in terris, Ariani illius exinanivit molimina. Tunc enim hæreticum adverſus catholicam fidem blaſphemias deliberantem garrire, ne conata

[a] Wido ſedem ſuam uſque ad mortem retinuit, quæ contigit anno MLV. ſepultuſque eſt in eccleſia S. Remigii.

[b] Hanc controverſiam, quæ tot ſæculis agitata fuerat, finivit tandem Innocentius III. Papa, celebri decreto, quo Dolenſis & alii Britanniæ minoris Epiſcopi Turonenſi Metropolitano aſſerti ſunt. Hujus controverſiæ Acta à noſtro Edmundo Martene recens typis edita ſunt in nova Collectione veterum ſcriptorum.

Digitized by Google

peràgeret, ſed potius reſipiſcendo fidelis fieret, ſilentio condemnavit; nunc autem virum, licet fidelem, ne ſceleratum defendendo delinqueret, uſu loquendi privavit. Et revera divinæ ſublimitatis incomprehenſibilis virtus in utroque hoc facto mirabiliter enituit, quæ & ibi glorioſæ animæ, licet corporeis adhuc involucris ſeptæ, tantum poteſtatis contulit, & quanta eam jam beatificaverit gloria, nunc circa ejus exanime corpus patenter oſtendit. Poſtquam ergo præfatus Veſontionenſis epiſcopus à ſuo conatu tali miraculo ſe prohiberi cognovit, Lugdunenſi ut ſui vice fratris cauſam perorarel innuit. Qui ſurgens ait eumdem Lingonenſem epiſcopum confiteri, quod ſacros ordines vendiderit, & memoratam pecuniam ab illo preſbytero extorſerit, ſed ſuppliciis quibus aſſerebat eum excruciari non fecerit; cetera vero quæ ſibi fuerant objecta hunc penitus denegare aſſeruit. His dictis, domnus Papa videns eadem die non poſſe ad plenum hujuſmodi negotium ventilari, jam enim nox inſtabat, quod in canonibus de ſacrorum ordinum venditoribus ſit decretum, juſſit tantummodo recitari; lectaque ſententia ad præceptum ejus ex Concilio Calcedonenſi, capitulo videlicet ſecundo, ſoluta eſt Synodus, dilato uſque in craſtinum hujus rationis judicio.

TERTIA DIES SYNODI.

16. Mane autem facto iterum ad eumdem locum Epiſcopi convenere cum Abbatibus & ceteris Eccleſiæ ordinibus, ad quos domno Papa procedente, non eſt cantata Antiphona, *Exaudi nos Domine*, ſicut heri & nudiuſtertius, ſed ad ejus adventum Clerus decentiſſime cecinit hymnum *Veni creator Spiritus*. quo completo cum Antiphona de ſancto Remigio, Letania facta eſt à Veſontionenſi Archiepiſcopo, poſt quam de Spiritu-ſancto collectam dixit domnus Apoſtolicus; ſicque lectum eſt Evangelium, *Ego ſum paſtor bonus*. Cumque univerſi conſueto reſediſſent ordine, ſupradictus Romanæ eccleſiæ Diaconus ait, conſequens eſſe, ut ubi heſterna ſynodus fuerat terminata, ibi rationis ſuæ iteraret initia, à Lingonenſis videlicet epiſcopi cauſa. qui requiſitus & à ſynodica examinatione ſe ſubduxiſſe repertus, ex parte Dei & beati Petri Apoſtolorum principis, ejuſque Vicarii qui præſens aderat, ab eodem Diacono tertio eſt vocatus. Directi ſunt etiam epiſcopi Silvanectenſis & Andegavenſis ad illius hoſpitium, ut ſi forte eum ibi reperirent, revocarent ad Concilium. Qui dum imperata accelerant peragere, ipſius Referendarii allocutio fit ad illos, qui nondum ſe à ſimoniaca hæreſi debita purgaverant reſponſione. At Nivernenſis epiſcopus ſurgens, pro ſuo epiſcopio plurimum pecuniæ confeſſus eſt à parentibus datum fuiſſe, ſe tamen ignorante; eoque adepto, nonnulla eccleſiaſticæ religioni contraria commiſiſſe: unde aſſerebat divinæ ultionis vindictam pertimeſcere. Ideoque, ſi domno Papæ & præſenti conventui dignum videretur, idem officium velle dimittere, potius quam in ejus retentione animam ſuam peſſumdare. quæ ubi dixit, paſtorale pedum ante pedes ipſius Apoſtolici poſuit. Ille vero tanti viri flexus devotione, favente ſynodo, eumdem, quod abſque conſenſu ſuo eadem pecunia data fuerit, ſacramento comprobare fecit, ſicque illi per aliud pedum miniſterium epiſcopale reddidit. Interea allatum eſt coram privilegium Remenſis eccleſiæ de abbatia Dervenſi, ex cujus lectione comprobatum eſt eam pertinere ad jus Remenſis Archiepiſcopi. Redeuntes denique qui miſſi fuerant ad revocandum Lingonenſem epiſcopum, nuntiaverunt eum facinorum ſuorum metuentem diſcuſſionem, fugæ arripuiſſe præſidium. Tunc ex præcepto ipſius Papæ, lectæ ſunt ſententiæ ſuper hujuſcemodi re promulgatæ ab orthodoxis Patribus: ſicque univerſi Concilii judicio, excommunicationis eſt pœna damnatus [a]. Quod audiens Archiepiſcopus Veſontionenſis ſurrexit, & quomodo pridie eumdem reum excuſare nitens, ex divina virtute per beati Remigii merita ſilentio condemnatus ſit, patefecit coram eodem conventu, ſatis devote veniam petens, quod ejuſdem miraculi novitatem eo uſque negligenter celarit. Hic ex pia devotione, & alacritate cordis, domnus Papa in lacrymas compunctus, ſic ait: ADHUC VIVIT BEATUS REMIGIUS. Tunc ex præcepto ejus omnes ſurrexerunt & cum eo ante ejuſdem ſancti ſepulcrum proſtrati, Antiphonam *Sancte Remigi*, ex integro devotiſſime cecinerunt. Poſt hæc ſurgens Conſtantienſis epiſcopus confeſſus eſt, ſe ignorante, à quodam fratre ſuo emtum ſibi epiſcopium fuiſſe. quod cum reſciſſet, ne contra fas ordinationem illam ſuſciperet, voluiſſe aufugere: ſed ab eodem violenter captum, epiſcopali contra voluntatem ſuam dignitate eſſe donatum. quod ſacramento comprobare juſſus, nec renuens, ſic judicatus eſt ſimoniacæ hæreſis non incurriſſe facinus. Accedens denique Namnetenſis, confeſſus eſt genitorem ſuum Epiſcopum fuiſſe ſuæ civitatis, & in ejus vita donum epiſcopii ſe percepiſſe, mortuoque illi ſubrogatum per largitionem pecuniæ. Quapropter judicio ſynodi, ſublato anulo & paſtorali pedo, privatus eſt pontificali miniſterio, condonato ei, intervenientibus Epiſcopis, tantummodo preſbyteratus officio. Eorum igitur cauſa tali modo determinata, commonuit domnus Papa Archiepiſcopos qui erant in præſentia, ut ſi quem ſuffraganeorum ſuorum ſimoniacæ peſtis eſſe

Iterum tractatur cauſa Epiſc. Lingonenſis.

Nivernenſis epiſc. cauſa agitur.

Et abbatiæ Dervenſis.

Hugo Lingonenſis excommunicatur. [a]

Et Namnetenſis deponitur.

[a] De ejus pœnitentia & morte vide vitam S. Leonis lib. 2. cap. 4. infra ad annum 1054.

Digitized by Google

Ann. Ch. mxlix. Octob. ii.

reum ſcirent, coram omnibus notificare non renuerent. quibus id omnino ſe ſcire denegantibus, habitus eſt ſermo de epiſcopis, qui invitati ad eamdem ſynodum venire noluerant, nec aliquod inde ſuæ excuſationis ſcriptum illo tranſmiſerant. Unde competentibus ad hæc Patrum recitatis ſententiis, pœna damnati ſunt excommunicationis, cum omnibus illis, qui ipſius Papæ formidantes adventum, hac de re profecti erant in expeditionem Regis. Nominatim vero Senonenſis archiepiſcopus, Belvacenſis, & Ambianenſis epiſcopus; ſed & abbas ſancti Medardi, quia abſque licentia receſſerat à conventu Concilii. Excommunicatus eſt etiam ſancti Jacobi archiepiſcopus Gallicienſis, quia contra fas ſibi vendicaret culmen Apoſtolici nominis. Poſt hæc petentibus iis qui ſanctæ religionis amatores ibi aderant, plurima ſanctorum Patrum decreta, quæ jam per incuriam pro nihilo habebantur, præcepto ſuæ auctoritatis renovavit; & multa quæ in Gallicana eccleſia exercebantur illicita, ne fierent ulterius, ſub anathemate prohibuit, videlicet,

Qui ad Synodum venire renuerant excommunicati.

Antiqui canones confirmati.

Ne quis ſine electione cleri & populi ad regimen eccleſiaſticum proveheretur.

a Ne [a] quis ſacros Ordines, aut miniſteria eccleſiaſtica, vel altaria emeret, aut venderet: & ſi quis Clericorum quidlibet eorum emiſſet, id cum digna ſatisfactione ſuo Epiſcopo redderet.

Ne quis laïcorum Eccleſiaſticum miniſterium, vel altaria teneret, nec Epiſcoporum quilibet

b conſentiret [b].

Ne quis in atriis Eccleſiarum, præter Epiſcopum & ejus miniſtrum, quaſlibet conſuetudines exigere præſumeret.

Ne quis pro ſepultura vel baptiſmo, ſive pro Euchariſtia, aut infirmorum viſitatione quicquam exigeret.

Ne quis Clericorum arma militaria geſtaret, aut mundanæ militiæ deſerviret.

Ne quis Clericus vel laïcus uſuras exerceret.

Ne quis Monachus vel clericus à ſuo gradu apoſtataret.

Ne quis cum aliquibus ſacri Ordinis iter agentibus violentiam ullam inferre auderet.

Ne quis pauperes homines rapinis vel captionibus vexaret.

Ne quis inceſtuoſæ conjunctioni ſe copularet.

Ne quis legitima uxore derelicta, aliam duceret.

Et quia novi hæretici in Gallicanis partibus emerſerant, eos excommunicavit, illis additis, qui ab eis aliquod munus vel ſervitium acciperent, aut quodlibet defenſionis patrocinium illis impenderent.

* Engelrai.

Pari modo damnavit & ſodomitas. Excommunicavit etiam Comites Angelrai *, & Euſtacium propter inceſtum, & Hugonem de Braina, quia legitimam uxorem dimiſerat, & aliam ſibi in matrimonio ſociaverat. Interdixit & Balduino Comiti Flandrenſi, ne filiam ſuam Vuillelmo Normano nuptui daret, & ei ne eam acciperet. Vocavit etiam Comitem Tetbaldum, quoniam ſuam dimiſerat uxorem; vocavit & Gozfridum Andegavenſem uſque ad ſynodum futuram Moguntiæ, ibi excommunicandum, niſi relaxaret quem captum tenebat domnum Gervaſium, qui tunc erat præſul ſedis Cenomannicæ; poſtea vero ab ejuſdem tyranni poteſtate exemtus, Vuidone Archiepiſcopo defuncto, à Rege Francorum Henrico

c ſubrogatus eſt [c] ad regimen Remenſis eccleſiæ. Excommunicavit denique illos, de quibus proclamationem fecerant Compendienſes clerici, propter quorum injuſtitiam illuc detulerant corpus ſancti martyris Cornelii; eos quoque, qui ab eadem ſynodo redeuntibus aliquid inferrent impedimenti. Privilegium autem quod fecerat ſancto Remigio, ibidem in conſpectu omnium recitatum confirmavit, & conſtituit omni tempore, ſicut ſcriptum continebatur, inviolabiliter conſervari, ſicque data benedictione Concilium ſolvit.

Papa refert corpus ſancti Remigii.

17. Hujuſmodi ergo ordine beati patris Remigii devotus Romanæ ſedis Pontifex quartam celebravit Tranſlationem, & feliciter ſexto Nonas Octobris conſummavit divinæ domus ſanctificationem: quam etiam, ut declaratum eſt, trium dierum continuatione, inſignivit celebratione ſynodi, milleſimo & quadrageſimo nono anno feliciſſimæ Incarnationis Domini noſtri Jeſu-Chriſti. Quapropter ut deliberaverat, ex divina diſpoſitione compos effectus deſiderii ſui, die ſubſequenti poſt expletionem ſynodicam, venit in Capitulum * fratrum, ſeque eis innotuit ſuum velle accelerare reditum. unde ſpiritualibus illos demulcens colloquiis, ſocietatem eorum & devote petiit, & accepit, ſuamque eis humiliter petentibus ipſe largitus eſt, & proſtratos ad publicam confeſſionem abſolvit, & ex ordine omnes deoſculatos Apoſtolica benedictione ſanctificavit. Poſt hæc egreſſus, Epiſcopos & Abbates ceteroſque eccleſiaſtici ordinis qui nondum receſſerant convocavit, & cum eis eccleſiam ingreſſus, Miſſarum ſollemnia celebrari fecit. quibus expletis, ad ſancti ſepulcrum quod, ut dictum eſt, ſuper altare ſancti Chriſtophori, poſt baſilicæ dedicationem collocaverat, cum

* mſ. capitolium.

a Hunc canonem nonnulli in duos partiuntur ad hæc verba: *Et ſi quis clericorum, &c.*

b Mſ. Remig. *conſentirent.* Baron. *epiſcoporum quibus conſentirent*, vel *quis iis conſentiret.*

c Eccleſiam Remenſem egregie adminiſtravit ab anno 1055. ad 1067.

Digitized by Google

humili devotione acceſſit, ibique oratione completa, illud ſuppoſitis humeris devote inde extulit, & in ſtatione ſibi decenter apparata, cum divinis laudibus repoſuit: ubi iterum atque iterum cum lacrymis ſe proſternens, tandem in viam ſuam exiit, & uſque ad Caſtelli aditum comitatus cum canticis ſpiritualibus à fratribus, & innumeroſo * conventu populi, omnibus valedicens receſſit. Recedens autem inde ad ſui laboris recompenſationem retulit fructum magnæ mercedis, in arcano ſcilicet devoti pectoris ignem præcipuæ dilectionis, quo ab illo tempore erga eumdem glorioſum patrem Remigium magnopere dinoſcitur flagraſſe, ut idem ipſe fatetur in quadam epiſtola directa poſtmodum epiſcopis Franciæ, quam ſuo loco in ſubſequentibus curabimus ponere. Ex qua gratia etiam alterius gratiæ adeptus eſt emolumentum, cum ei divina virtus, de quibuſdam, qui ei impedimentum advenienti in Gallias conati erant inferre, ultionem præſtitit, per ipſius ſancti, cui fuerat famulatus, meritum. Nam, ut multos prætermittamus qui ei fuere contrarii, Gibuinus Laudunenſis Epiſcopus, & Hugo de Braina-caſtello, qui inter ejus derogatores quaſi ſigniferi exſtiterunt, eodem anno ignominioſa morte vitam finierunt. Ille enim, quia exitialem technam, ut Apoſtolicam devitaret præſentiam Regi ſuggeſſit, & hanc maxima parte cleri ſui devote expetente, ipſe à ſua ſede longe aufugit, nec Dominici corporis Viatico, à malitia ſua ſanctificatus, nec ab eodem clero ſuo conſolatione viſitationis in extremis refocillatus, divino judicio extra fines epiſcopii ſui ſolus obiit quaſi peregrinus. Alter vero, quia caput Miniſtri Chriſti ſe abſciſſurum fuerat minitatus, ore ſacrilego quo impia verba protulerat, hoſtilis gladii abſciſione eſt mutilatus.

Ann. Ch. MXLIX. Octob. II.

* al. numeroſo.

18. Dignum eſt ad poſterorum memoriam aliud miraculum ſupradictis addere, quod divina potentia in manibus hujus Pontificis operata eſt, ex ea qua erga Patronum noſtrum flagrabat devotione. Anno enim ſecundo poſt expletionem eorum quæ præmiſſa ſunt, cum Romæ moraretur, caſu accidente per pincernæ incuriam, vas illud fractum eſt quod ſibi datum eſſe à præfato abbate Herimaro in primordiis hujus opuſculi memoratum eſt. quod ubi pro certo agnovit, aliquantum graviter tulit. licet enim multa haberet pluris pretii, præ ceteris tamen illud diligebat, quia in initio Apoſtolatus ſui, ex parte ſancti Remigii ſibi miſſum aſſerebat; ideoque ad bibendum ſupra cetera quæ erant in obſequio ejus, illi delectabilius eſſe ſolebat. Dum ergo cum ſpiritualibus quibuſdam viris qui ei præſentes erant, placido, ut ſemper erat, vultu, de eodem damno conquereretur, & aurifex peritus reficiendi hujuſmodi fracturam ab eo perquiri præciperetur; quidam eorum alludentes, ſeria & alacri reſponſione dixerunt, quod ſanctus hic, in cujus illud tantopere amplectebatur devotione, tanti eſſet apud Deum meriti, ut ei idem vas integrum ſua reformaret interceſſione. At ille nihil ſe inde diffidere cum ſpirituali jocunditate reſpondens, ejuſque virtutes multiplici ſermone exaggerans, vas fractum ſibi deferri præcepit. quo delato, avulſam inde particulam ſuo loco repoſuit, & quaſi aurifici ad reficiendum reſervaretur, ſignum tamen crucis ut fertur ei caute imprimens recondi juſſit. quod in craſtino velut cauſa reficiendi coram delatum, ita operatione divina integrum eſt inventum, ut nullum in eo fracturæ poſſet reperiri veſtigium. Hoc itaque videns venerabilis Papa, Dei omnipotentiam collaudavit, & hujus miraculi novitatem meritis beati Remigii adſcripſit, per cujus interventum fidei ejus efficacia id obtinere meruit. Ne autem ex hac relatione arguamur mendacii, ideoque frivolum habeatur hujus ſcripti memoriale, proferimus tres idoneos teſtes, quorum judicio * id nobis poſtmodum contigit agnoſcere: Hugonem videlicet Nivernenſem epiſcopum, & Hugonem Remenſis eccleſiæ Diaconum, & quemdam clericum, Aylenardi quondam Lugdunenſis Archiepiſcopi capellanum, nomine Benedictum: quorum duo primi, Concilio ab eodem Papa, ut moris illi erat, quinto-decimo die poſt dominicam Reſurrectionem Romæ habito, interfuerunt; & quod retulimus, ab his qui præſentes viderunt, id vere factum eſſe didicerunt; tertius vero cum domino ſuo præſens interfuit, & quod videndo comperit, nobis poſt aliquot annos ſciſcitantibus indicavit. [a] Vir denique venerabilis ſæpe dictum Apoſtolum noſtrum, eo magis ferventi excolens dilectione, eumque ſummopere deſiderans honorare, & illius monaſterium ſua auctoritate nobilitare, epiſtolam ejus laude refertam direxit ſanctæ Eccleſiæ filiis in Francia conſtitutis, qua decrevit apud eos haberi celebrem ipſius ſancti feſtivitatem, quæ recolitur Kalendas Octobris. Plurima etiam ad eccleſiaſticam utilitatem pertinentia, quæ in præfata Synodo in ejus baſilica habita tractaverat, juſſit apud eos capitulatim digeri, & inter orthodoxos Canones numerari: cujus epiſtolæ textum, quia ordo narrationis videtur exigere, huic operi dignum judicavimus inſerere. Hujus vero exemplar hujuſmodi eſt.

Auctoris ætas.

* al. indicio.

a His adde Victorem III. lib. 3. Dialog. Brunonem Signienſem, Wibertum, &c.

Digitized by Google

ANN. CH. MXLIX. OCTOB. II.

Epiſtola beati LEONIS *papæ.*

LEO Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, fratribus & filiis catholicis per univerſum regnum Francorum conſtitutis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Compertum caritati veſtræ credimus, quod poſt conſecrationem noſtram, illam videlicet qua benignitas Dei humilitatem noſtram ſanctæ Romanæ eccleſiæ præeſſe voluit, Germaniam, Galliamque viſitavimus, ac Remorum urbem adeuntes, maximo voto & ſumma devotione Eccleſiam beati REMIGII, ut longe ante deſideravimus, Deo annuente, & ejuſdem ſanctiſſimi viri patrocinantibus meritis, cum magna gloria dedicavimus; atque poſt conſecrationem eccleſiæ in eadem Synodum celebrantes, plurima ad utilitatem chriſtianæ Religionis neceſſaria, conſilio coepiſcoporum noſtrorum, aſſenſu etiam & laude cleri & populi, quorum innumera multitudo ad tantæ devotionis celebritatem confluxerat, ſtatuendo confirmavimus: quæ omnia capitulis digeſta inter Canones haberi præcepimus, & poſtea in omnibus Synodis quas habuimus, idipſum confirmare curavimus. Et quoniam beatiſſimum REMIGIUM gentis Francorum prædicatorem & Apoſtolum ſcimus, venerari & honorare illum quem Dominus in terris & in cælo mirificavit, prout poſſumus, debemus: præſertim cum ſemper in noſtro pectore inde ipſius amor ferventius ardeat, quod pretioſiſſimum corpus ipſius ſanctiſſimi viri propriis manibus transferentes in locum ſibi præparatum, miraque pulcritudine exquiſiti operis decoratum repoſuimus. Unde veſtram admonere volumus dilectionem, ut ſicut nos in ejus obſequiis perpenditis gratulari, ita & vos cauſa noſtri amoris, maximeque ex debito paterni honoris, ſollemnitatem ejus, quæ eſt Kalendas Octobris, celebrem habeatis: quia etſi aliis non eſt Apoſtolus, tamen vobis eſt. nam primitiæ Apoſtolatus ejus vos eſtis in Domino. Hunc itaque honorem Patri & Apoſtolo veſtro exhibete, ut juxta promiſſum Domini, longævi ſuper terram vivere, & ejuſdem Patris precibus æternæ beatitudinis felicitatem mereamini poſſidere. Valete.

Privilegium altaris-majoris eccleſiæ ſancti Remigii Remenſis.

LEO epiſcopus ſervus ſervorum Dei, HERIMARO abbati, & omni Congregationi monachorum ſancti Remigii perpetuam ſalutem. Divinæ bonitatis non immemor & ingratus, quæ ſua gratia humilitatem meam in ſede apoſtolica ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſublimavit, ne mea negligentia mihi diſcrimen, eccleſiarum autem faciat ruinam, Eccleſias quæ noſtro Apoſtolatui ſubjacent, catholice ordinare, regere & emendare, nec non apoſtolica auctoritate immunes & liberas facere propoſui, ſi ſancti Spiritus benignus favor mihi annuerit. Unde ex debito noſtri Apoſtolatus, poſt aliquas eccleſias, quas zelo ſuccenſus caritatis viſitavi, & divina miſericordia me præveniente, ut potui emendavi: ad hanc beati REMIGII eccleſiam dedicandam, de eccleſiaſticis etiam cauſis tractaturus, & definiturus adveni; confidens ſanctiſſimis meritis ipſius adjuvari ad obtinendam Dei miſericordiam, ſi aliquid dignum & memorabile egerim ad ipſius honorem & gloriam. Hac igitur dedicata eccleſia, placuit huic idonea & laudabilia auctoritatis & noſtræ viſitationis relinquere monumenta. Deliberamus itaque, & coram hac ſancta ſynodo promulgamus, ſtatuimus, & confirmamus, ut hæc eccleſia hoc privilegium noſtræ auctoritatis ſupra ceteras Franciæ eccleſias habeat, quatenus nulla eccleſiaſtici ordinis magna vel parva perſona in hoc altari quod conſecravimus, Miſſam celebrare præſumat, niſi Remorum archiepiſcopus, & hujus loci Abbas, & cui licentiam concedet; permiſſa eadem licentia Canonicis Remenſis eccleſiæ bis in anno, in Paſcha ſcilicet & in Rogationibus, ſeptem Presbyteris legitimis, ad hoc officium deputatis, quos & ſcientia ornet, morum gravitas, & vitæ probitas commendet. Præterea quia hæc eccleſia ab iniquis pervaſoribus graves & multiplices ſuarum rerum eſt paſſa injurias, ne quiſquam amodo villis beati Remigii quas poſſidet, vel poſſidebit, aut hominibus intra vel extra ipſas villas poſitis, graves conſuetudines imponat & iniquas, auctoritate beati Petri Apoſtolorum principis prohibemus, & quæ hactenus injuſte fuerint impoſitæ, eadem ſancta & inviolabili auctoritate, ne ulterius fiant interdicimus, ſervata hac in omnibus auctoritate, ut conſuetudines quæ juſte ei antiquitus ſunt conſtitutæ, ratæ permaneant & inviolatæ. Hoc etiam noſtra auctoritate confirmamus, quod VVIDO Remorum archiepiſcopus partem quam in mercato habebat, quod erat XII. Calend. Novemb. beato Remigio noſtro obtentu donavit, ea conditione ut nemo in ipſo mercato quinque denariorum pretium per violentiam auferat, nullus niſi hujus loci abbas, aut cui ipſe juſſerit, ibi quicquam accipiat. Nullus ad idem mercatum convenientes, quod XII. Calend. Novemb. ſtatuimus & promulgamus, veniendo & redeundo cædat, impediat, aut per vim

Digitized by Google

eis aliquid auferat. Statuentes ſub divini obteſtatione judicii, ut qui hoc privilegium ſanctæ Romanæ ſedis violare præſumſerit, æternam damnationem incurrat. Sub eadem etiam obteſtatione, noſtro precatu & præfati Archiepiſcopi voluntario aſſenſu, remiſſus eſt eccleſiæ ſumtus, quem in feſto ſancti Remigii accipiebat Remenſis archiepiſcopus. Datum III. Nonas Octobris per manum Petri diaconi Bibliothecarii & cancellarii ſanctæ apoſtolicæ ſedis, anno domini Leonis IX. Papæ I. Indict. III. Ann. Ch. MXLIX. Octob. III.

Epiſtola cleri Gallicani pro renovanda ſancti Remigii feſtivitate.

UNiverſis per Gallias Epiſcopis, Cœtus Eccleſiæ Gallicanæ ſalutem in Domino. Cum ſancti REMIGII archiepiſcopi Remenſis feſtiva celebritas tum Eccleſiæ Gallicanæ conciliis, tum ſummorum pontificum decretis, Regumque noſtrorum capitularibus luculenter per tot ſæcula ſancita ſit: attamen illud lugendum accidit, ut quæ magis vetuſtate commendanda fuerat, frigeſcente populorum pietate obliterata vel fere ſileatur, aut ſaltem TANTI FRANCORUM APOSTOLI ET DOCTORIS non condignis honoribus celebrata memoria vileſcat. Ille enim, ſicut optime novit caritas veſtra, quaſi ſecundus Silveſter, ſubdita CHRISTO Regi mortali purpura, CHLODOVEUM noſtrum, tamquam novum Conſtantinum, abjectis inanibus diis docuit adorare quod incenderat, & incendere quod adoraverat; ac demum miraculis atque doctrina ad fidei communionem adductis cum Principe populis, & idololatriæ lepræ nempe veteris, ſalutari lavacro abluta Francorum labe, hujuſce Chriſtiani regni ſub Chriſtianiſſimis Regibus dedicavit Chriſto primitias, & Eccleſiæ ſuæ primogenitos peperit atque defenſores. Cumque gauderet Græcia, quod ſola haberet Principem legis noſtræ, non deeſſe & reliquo orbi claritatem ſuam oſtendit, effulgurante ſiquidem occiduis partibus in rege non novo novi jubaris lumine. Certe ſi quando ante oculos poſitæ vicinarum gentium in fide ruinæ patronis cælitibus fecere ſupplices, quod obſequii genus erga ſanctum REMIGIUM apoſtolum ſuum non præſtabit adunatis enixius precibus Francorum pietas, cum, pro dolor! à finitimis regionibus dilatato hæreticæ pravitatis incendio, ulciſcente peccata Numine, propulſata recedat religio? Quapropter hortamur caritatem veſtram, ut ad honorem ſancto REMIGIO die prima Octobris ſollemniori ritu exhibendum, excitata ſubditorum veſtrorum devotione, collaboremus unanimes & nos tanti Præſulis exemplo, qui teſte Hormiſda agebat ſummi documenta Pontificis, dum & prædicanda faceret, & ea inſinuare non differret: ſedulo in id incumbamus, & operantes juſtitiam quæ vincit regna, & nos omnes ſalvos faciamus & eos qui nos audiunt. Pariſiis die XXII. Maii MDCLVII. Vobis addictiſſimi ſervi & confratres archiepiſcopi, epiſcopi, & eccleſiaſtici viri in generalibus Cleri Gallicani comitiis congregati. CLAUDIUS archiepiſcopus Narbonenſis præſes. De mandato reverendiſſimorum ac illuſtriſſimorum archiepiſcoporum totiuſque cœtus eccleſiaſtici Cleri Galliæ nomine congregati, Henricus de Villars à ſecretis. Johannes de Montpezat de Carbon à ſecretis.

VITA S. ALFERII ABBATIS CAVENSIS PRIMI.

Ann. Ch. ML. Apr. XII

Auctore Abbate Venuſino Anonymo ſubæquali.

Ex Surio & Bollando.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

I. *ACTA quatuor primorum Abbatum Cavenſium, Alferii ſeu Adelferii, Leonis, Petri, & Conſtabilis, litteris continenter mandavit procedente ſæculo duodecimo Anonymus quidam, ex Cavenſi monacho Abbas Venuſini ſanctæ Trinitatis cœnobii, quod in provincia Baſilicata, in confiniis Apuliæ & Lucaniæ poſitum, Cavenſi ſubjectum erat. Is in narratione de rebus geſtis Petri abbatis, Simonem Cavenſem, qui*

Google

ANN. CH. M L. APR. XII. *Conſtabili proxime ſucceſſit*, *Abbatem ſuum vocat; ibidemque ſe ex Cavenſi monaſterio ad Venuſinum fuiſſe tranſlatum memorat. Vitam Alferii ex prædicto auctore hic ſubjicimus, aliis in ſequentes tomos rejectis. Interim Petri & Conſtabilis vitæ apud Bollandum videri poſſunt, Petri quidem, ex Abbate epiſcopi Policaſtrenſis ad diem 4. Martii, Conſtabilis vero ad 17. Februarii.*

2. *Alferii quædam miracula retulit ejus diſcipulus Victor tertius in libro tertio Dialogorum de miraculis ſancti Benedicti, qui Dialogi exſtant in tomo ſecundo Sæculi 4. De eodem etiam agunt Gononus, aliique recentiores. Præter hos Chronographus Cavenſis Anonymus ab Ughello editus tomo 7. monaſterii originem, ejuſdemque Alferii & aliorum Abbatum facta compendio deſcripſit, cujus quædam fragmenta identidem referemus. Ad hæc Anonymus quidam ineditus quatuor primorum Abbatum geſta breviter commemoravit. quæ ex mſ. codice ſancti Pauli Romæ habuimus. ſi quid in his obſervatione dignum occurrat, in notulis referemus. In brevi Chronico ad cyclos paſchales, Alferii obitus ad annum* M L. *notatur his verbis:* Domnus Adelferius abbas monaſterii ſanctæ Trinitatis obitus. *& in Kalendario pervetuſto:* Prid. Id. Aprilis, depoſitio domni Alferii abbatis. *Colitur ejus feſtivitas in eodem monaſterio ad ipſum diem.*

3. *Originem monaſterii Cavenſis ad annum* DCCCC. LXXX. *revocant plerique omnes poſt Chronographum Ughellianum, & Anonymum ineditum, qui de quatuor abbatibus ſcripſit, cujus hæc verba ſunt, ubi de Alferio abbate.* Ejuſmodi igitur oraculo Pater ſanctus in triplici radio, & unico lumine, Trinitatis deificæ unitatem, unitatiſque trinitatem intelligens, in eodem loco, qui Metelliani-Cava dicitur, circa annum Domini nongenteſimum-octogeſimum ad ejuſdem Trinitatis honorem monaſterium eccleſiamque conſtruxit: unde innumeri per Dei gratiam viri prodiere ſanctiſſimi, innumeraque monaſteria per omnes mundi partes, ubi Chriſtiana religio viget, inſtituta ſumſere. *Exſtat in archivo Cavenſi primarium & authenticum Vvaimarii utriuſque, patris & filii, diploma de donatione cryptæ ac fundi ſanctæ Trinitatis Cavenſis, datum* de menſe Martio, octaba Indictione, XXXVII. principatus Guaimarii patris, & VII. anno principatus Guaimarii filii ejus: *cui diplomati affixum eſt ſigillum cereum, referens ex una parte dimidiatam Vvaimarii figuram cum corona clauſa in capite, ſub hoc lemmate,* WAIMARIUS PRINCEPS: *ex alia vero parte manum protenſam, medio digito ad pollicem reflexo, cum eadem inſcriptione. quod nuſquam invenimus factum in ſigillis affixis, quibus averſa pars (contra quam in pendentibus) nulla figura, nullove charactere inſignita eſſe ſolet. Is erat Vvaimarius III. princeps Salernitanus, ſub cujus principatu ſitum erat Cavenſe monaſterium haud ita procul à Salerno, in Alpibus Apenninis, in loco horrido, & intra rupem excavato, unde & Cavæ nomen accepit. Peregrinius ait eum cum Johanne patre ſuo ſediſſe ab anno* CMLXXXVIII. *Indictio* VIII. *in prædicto diplomate cohæret cum anno* MXXV. *qui primus conditi monaſterii aſſignandus videtur. Numerantur à Chronographo Ughelliano* CXX. *monaſteria Cavenſi ſubjecta. Eccleſiæ omnino* CCCXXXIII. diverſis in locis, tam in regno Neapolitano, quam in Sicilia & in ipſa urbe Roma poſitæ. *Baronius ad annum* MXCII. *refert diploma Urbani II. datum poſt dedicationem ab ipſo factam eccleſiæ Cavenſis: quo in diplomate eximit à jure diœceſani Salernitani archiepiſcopi eccleſias omnes à Cavenſi monaſterio pendentes. Ibidem hiſtoria monaſterii ab Alexandro Rodulfo monacho Caſinenſi ſcripta laudatur.*

4. *Anno* M CCC XCIV. *Bonifacius IX. Cavenſem eccleſiam in cathedralem erexit, & epiſcopatus titulo inſignivit. Hinc monaſterium datum in commendam ad annum* M CCCC XCVII. *quo Oliverius Carafa commendam ipſam Patribus Congregationis Caſinenſis reſtituit. Tandem anno* M D XIII. *epiſcopatus in urbe Cava, quæ altero à cœnobio milliari in valle amœniſſima ſita eſt, inſtitutus fuit, ubi etiam nunc perſeverat, tranſlata in epiſcopum ejuſdem urbis juriſdictione non modo ſpiritali, ſed etiam temporali, quæ ad id tempus utraque ad monaſterium pertinuerat: ſed retenta in alia loca eidem cœnobio ſubjecta utraque poteſtate.*

PROLOGUS AUCTORIS.

1. SI juxta divinæ ſententiam Veritatis, lucerna ad hoc accenditur, ut ſuper candelabrum poſita, lumen domum intrantibus præbeat; bene prolatæ ſententiæ virtutem exſequimur, ſi ſanctorum virorum exempla ad minorum formam altius ſublevemus. Ex alto ſiquidem ſuæ revelationis, ad inſtar ignis, quo longius lumen proferunt, invitare eos quos illuſtrant, melius poſſunt: magna autem cum fuerint & neſciuntur, magnum quod habent lumen non proferunt: quia in imis locis & abditis occultantur. Et fortaſſe idcirco abſcondi ſub modio lucerna dicitur, quia ii, qui ſanctorum lucidam converſationem ſciunt,

Digitized by Google

ſciunt, pro perfecta menſura illorum, quam continet, modii nomine deſignantur. Ex inferiori vero parte exprimentur quando ſcita abſcondunt, quia per meritum in imo & abjecto loco ſe conſtituunt. Hinc etiam ſcriptura ſacra denuntiat, dicens: *Qui abſcondit frumenta, maledictus erit in populis.* Quid enim frumentorum nomine, niſi ſanctorum exempla figurantur? Ex omnibus quidem granis excellentior cibus eſt. Excellentia ergo facta perfectorum frumenti nomine deſignantur: quia quo dulcius hæc fidelium mentes percipiunt, eo plenius velut de electiori cibo ſatiantur. Si ergo maledicitur, qui frumentum abſcondit, caute vigilandum eſt, ut ad quemcumque fidelem mira ſanctorum facta pervenerint, hæc prædicando proferat, ne maledictum incurrat; & occultando in imo ſit, qui exponendo fieri luminis candelabrum ſublime poteſt. Unde etiam in Evangelio Dominus dicit: *Si in alieno fideles non fuiſtis, quæ veſtra ſunt quis dabit vobis?*

ANN. CHR. M L. APR. XIII

Prov. 11. 26.

Luc. 16. 12.

2. Ego igitur tam his & hujuſmodi territus, quam etiam audientium profectibus invitatus, venerabilium Patrum, ALFERII videlicet, LEONIS, PETRI atque CONSTABILIS Abbatum Cavenſium vitas atque miracula ſcribere propoſui: ut quia, auctore Deo, idem Cavenſe cœnobium magnæ religionis eſt, jamque ejuſdem religionis Ordo longe lateque diffunditur, ii qui eorum ſequuntur inſtitutionem, exemplis atque miraculis accendantur. Quod profecto vobis hujuſmodi, Fratres, ſpecialiter convenit, quos impoſito pio religionis onere, ad Ordinis eorum normam redegimus. Valde enim devotius poſt illorum veſtigia curritis, ſi aperte cernitis, quia qui vos laborando præceſſerant, de labore ſuo jam ad æterna gaudia pervenerunt. Me quoque quia hoc deceat, nulli veſtrum dubium eſt: ut qui de clauſtro illo, velut terra promiſſionis egreſſus, in longinqua regione paſcendos atque multiplicandos ſuſcepi greges, virgas exemplorum vario cortice inſtituendis proponam: quatenus ii, qui ex vobis per divinam gratiam fœcundantur in ſpirituali ſobole, non ſolum perpetua carnis incorruptione ſint virides, ſed omnimoda virtutum varietate fulgentes. Sed quia in univerſalibus ſcriptis noſtris verborum quibuſdam obſtaculis æmulorum acceſſus obſtruere ſolemus, opuſculi hujus tenerum ſitum nullis reprehenſionum ſpinis obducimus, quia cum domeſticis noſtris de rebus notis fraternis affectibus fabulamur. Ad quod nimirum opus priorum noſtrorum non modico rubore ſuccendimur, qui de ſuis agere, quod alii fecerant noluerunt. VICTOR namque Romanæ Eccleſiæ ſummus Pontifex, cum adhuc illi monaſterio, quod à ſanctiſſimo Patre noſtro Benedicto in Caſino monte conſtructum eſt, in venerando habitu præeſſet; in libro, quem de ſanctorum miraculis ſcripſit, viri venerabilis Alferii mentionem fecit, ejuſdem ſe familiarem fuiſſe aſſeruit, & ipſius quædam miracula, ita, ut ab eo fuerant geſta, narravit. Vir quidem ſanctus, dum ſubjectorum animas ad cæleſtem patriam ſuccendere per exempla meliorum ſatageret, ea quæ ad eorum formam producere voluit, & prope & longius quæſivit. Quid ergo nobis de noſtris agendum eſt, ſi ab aliis jam & miris extolluntur laudibus, & ſcriptorum memoria celebrantur? Quia vero præfatus Pontifex quædam, non omnia, hujus viri venerabilis miracula ſcripſit, & pro ejus reverentia ſcripturæ ipſius auctoritatem operi noſtro præmittimus, & pro ædificatione audientium plura, quæ eum vel tunc latere potuerunt, vel poſt ejuſdem obitum ſunt geſta, ſupplemus. Quia item nova ſcribendi tempora contemni ſolent, fidem dictorum relatoribus, non ſcriptis lector adſcribat: quia etſi iſto tempore ſcribimus, ea, quæ ab antiquis monaſterii ſenibus ſunt nobis dicta, narramus.

Cavenſibus proponuntur domeſtica exempla.

Auctor adhibet Victoris 3. teſtimonium.

Et ſeniorum.

Digitized by Google

Ann. Ch. M L. Apr. XII.

VITA INCIPIT.

Alferius in Gallias miſſus.

3. VIr ergo Domini Alferius ex Salernitana civitate oriundus [a] fuit: in qua cum bonis polleret moribus, & litterarum ſcientia apprime eruditus eniteſceret, principi ejuſdem civitatis magna familiaritate conjunctus eſt, & inter primos palatii ſui ingenti cum honore ſuſceptus. Quodam vero tempore, cum res exigeret, ut à præfato [b] principe ad Regem Germaniæ nuncii mitterentur, probitatis ſuæ merito vir venerandus eligitur, & in Gallias pro perficiendis principalibus negotiis apocriſiarius deſtinatur. quod tamen non tam humano judicio decerni cœperat, quam divino: ut is videlicet, qui jam magnus in cælorum regno cenſebatur, ad alia tenderet, & ad alia perveniret: aliud appeteret, ſed aliud obtineret: dum qui terrenis innititur, ſpiritualibus atque cæleſtibus ſublimatur.

Apud S. Michaëlem de Cluſa ægrotat.

4. Nam ubi ad eccleſiam beati Michaëlis de Cluſa venit, gravem corporis valetudinem incurrit: qua impellente, legationem mutare placuit, & negotia hominum imperfecta relinquere, ut ad divina ſervitia perfectus & integer pertingere meruiſſet. Mortis ergo, ut putabat, feſtinatione perterritus, ſæculo renunciare propoſuit, & id quod reſtabat vitæ, in omnipotentis Dei ſervitio conſummare. Vir autem vitæ valde venerabilis ODILO [c] Cluniacenſis abbas, forte tunc ad idem cœnobium venerat: quem cum plurimum rogaret, ut habitum ſibi ſanctæ religionis imponeret, Cluniacum deductus eſt, ibique quod pie poſtulavit obtinere promeruit. Vir ergo ſanctus, poſtquam religionis habitum ſumſit, omnem illam ſtrenuitatem ſæculi ad divina ſtudia convertit. Cœpit enim magnis deſideriis ſuperna quærere, qui ſolebat ingenti ſtudio ſtrenuus pro temporalibus apparere. Sæculum igitur tota intentione fugiens, in brevi tempore adeo profecit, ut ad ſanctæ converſationis arcem pertingeret, & culmen perfectionis magnis laborum meritis obtineret.

Cluniaci fit monachus.

Revocatur in patriam.

5. Qui cum plurimum temporis in ſecretiori clauſtri converſatione perageret, licet valde eſſet acceptus fratribus, quamquam patri monaſterii ſatis carus, tamen memorato Salerni principe obtinente remittitur, & ejuſdem civitatis fere omnia monaſteria ei regenda committuntur. Sed vir ſanctus internæ quietis ſplendoribus aſſuetus, exteriorum negotiorum tenebris diu præpediri noluit. Dimiſſa quippe civitate, longe in excelſi montis latere, cui Feneſtra vocabulum eſt, quietis ſuæ locum ſubiit, primuſque præ omnibus Metelliani-Cavam [d] monachorum manſionem fecit, &, ut aperte jam cernitur, omnis noſtræ multitudinis ſeminarium fuit. Velut enim granum ex grano illo frumenti Evangelici, dum perfecta contemplatione terræ viventium mundi omnibus ſtrepitibus obiit, multum imitantium ſe fructum dedit. Ibi itaque ingentis & terribilis ſpeluncæ ſecretis repoſitus, ſolus ſoli Deo vacans, ſolique placere deſiderans, dum mundi gloriam fugit, ad laudis ſuæ præconium vicinarum urbium fere omnium linguas movit.

Cavam incolit.

6. Cœpit itaque nomen ſanctitatis ejus haberi celebre, & tantæ opi-

a Nempe ex ſpectabili Pappacarbonum familia, quæ à Longobardorum ſanguine trahebat originem, ut diſertis verbis legitur in Chronico Cavenſi, & apud Anonymum.

b Buimaxium principem vocat Anonymus ineditus, qui de quatuor primis Abbatibus ſcripſit.

c Mendoſe Hugo apud eumdem Anonymum. Si Odilo abbas tunc erat, Cavenſis monaſterii conditio anno 980. non recte poſita eſt.

d Ante Alferius collem, *qui hodie ſancti Elia dicitur*, ait Anonymus, incoluit, quam ad Metelliani Cavam ſe conferret. Cauſa hujuſce mutationis hæc fuit, quod *quicquid in die artificum magiſterio conſurgebat, noctu divinitus deſtruebatur.* Mons ſancti Eliæ viſitur in adverſa parte monaſterii Cavenſis, interjecto fluviolo Selano, qui valliculam irrigat. Porro Metelliani-Cavam appellatam ait idem Anonymus ob adjacentem immanem cryptam, quam veteres *Arſitiam* appellarunt.

Digitized by Google

nionis fama longe lateque dilatari. Et quia ſanctorum perfectio major eſt meritis, quam ore hominum referri poſſit; Pater ſanctus non ſolum fortia exercuit, ſed etiam miraculis coruſcavit: ut quos fama alliceret, miracula ſolidarent. Cœperunt ergo nonnulli ſæculum relinquere, & ejuſdem ſe magiſterio ſubjugare. Inter quos & vir venerabilis LEO Lucenſis, & DESIDERIUS Beneventi nobilis, ad æmulandum piæ virtutis ejuſdem ſtudium, ſe ejus magiſterio ſubdiderunt. Quorum nimirum alter poſt eum Cavenſi monaſterio præfuit, alter ſancti Benedicti montis Caſini abbas conſtitutus, dehinc in totius orbis culmine, videlicet Romanæ eccleſiæ pontificatum ſublimatus eſt *. ANN. CH. M L. APR. XII. Diſcipulos ad ſe trahit. *Victor III

7. Sed humani generis inimicus ſancti viri ſucceſſibus invidens, cum quadam die Salernum [a] euntem cerneret, ſuper excelſæ rupis verticem ſe obvium præbuit, & jumentum, cui inſidebat, exterrens, per immenſum montis præruptum in præcipitium dedit. Dejectus itaque tantæ rupis vertice cum jumento cui præſidebat, ad litus maris, quod eidem monti ſuberat, non ſicut ruens cecidit, ſed ſcandens quaſi deambulando perveniens ſtetit, quia integer & illæſus apparuit. Qui autem comitabantur eum, à multo fletu ad oram maris veniunt, ſed incolumem læti conſpiciunt, quem lugentes invenire mortuum crediderunt. Sicque factum eſt, ut antiquus hoſtis ſe tanta viri venerabilis virtute ſuperatum erubeſceret: quia ejuſdem gloriam auxit, quam exſtinguere moliendo cogitavit. Miraculis illuſtratur. a

8. Alio quoque tempore, dum quidam Salernitanæ civitatis viri irruentium latronum impetum fugerent, ad vicina Cellæ viri Dei loca pervenerunt: ubi cum pauſare ſub rupe quadam voluiſſent, ingens ſaxum de eadem rupe diſſiluit, & quemdam ex eis, Burellum nomine, conterens exſtinxit. quem ut ſocii mortuum atque contritum cernerent, ad viri Dei monaſterium jam inclinato veſpere ſepeliendum detulerunt. quibus Pater venerabilis præcepit, ut nocte illa diſcederent, atque ſequenti die ad ſepeliendum, quem detulerant, redirent. In eadem vero ſpecu Pater ſanctus jam oratorium conſtruxerat, in quo poni feretrum juſſit: & aſſumpto Leone [b] diſcipulo ſuo, cujus ſuperius mentionem feci, in oratione eadem nocte vigilavit. Mane igitur facto defuncti illius comites redeunt, ſed mirabili ſtupore & gaudio, quem mortuum dimiſerant, non ſolum viventem, ſed etiam incolumem receperunt. b

9. Quadam item die ſeptem viri ad monaſterium venerunt, quos poſt ædificationis verba refici præcepit. Quod dum cellerarius perfici devote voluiſſet, ſola quinque ova in omni cella reperit, ex quibus æqualem refectionem ſeptem viris diſtribui non poſſe viro Dei nuntiavit. Hæc autem Pater ſanctus ad ſe deferri inſtanter juſſit, allata benedixit, & (quod valde ſtupendum eſt, niſi à Deo per tanti viri miniſterium fieret) ex quinque ovis ſeptem viris ſingulis ſingula præbuit. Quo nimirum viri Dei opere quanta ſit etiam virtus caritatis agnoſcitur, qua à perfecto in caritate velut condi incondita, & quæ non erant eſſe potuerunt.

10. Cœpit etiam vir Domini ſpiritu prophetiæ pollere, ventura cognoſcere, & cognita, ut rerum poſcebat utilitas, nuntiare. Quidam namque de vicinioribus locis quemdam ad eum energumenum vinctum ferro duxerunt, ſuppliciter deprecantes, ut ei manus imponeret, atque immundum ab eo ſpiritum fugaret. quibus vir venerabilis reſpondit, dicens: Hic non me vivente, ſed moriente ſanabitur. Quod profecto ita impletum teſtati ſunt qui noverunt. Nam ubi Pater ſanctus obiit, ab eodem obſeſſo ad ſepulcrum ejuſdem delato immundum ſpiritum ejecit: quod ab omnipotente Deo diſpoſitum, ut obſeſſum longiori pœna purgaret, & ut Futura prædicit.

a De hoc miraculo vide librum 3. Dialog. Victoris, relatum in ſecundo tomo Sæculi 4.

b Et hæc ipſa ex ore Leonis ſe accepiſſe teſtatur idem Victor III.

Digitized by Google

ANN. CH. M L. APR. XII.

in ejus ſalute, qualis fuerat ſervi ſui vita, clareſceret. Vir quoque duplici fulgore miraculi decorus apparuit, quia & futura prædixit, & curationem quam promiſit, exercuit.

In his numerum monachorum Cavenſium.

11. Venerando etiam viro LEONI diſcipulo ſuo atque aliis condiſcipulis præceperat, ut poſt ejuſdem mortem in eodem monaſterio plus quam duodecim fratres ſimul eſſe numquam debuiſſent: ne ſi numerum prædictum excederent, ſuſtentari de rebus monaſterii nequaquam poſſent. nam facultates ejuſdem monaſterii tunc tantis ſolummodo fratribus vix ſufficere videbantur. Sed cum jam fere de hoc ſæculo eſſet profecturus ad Dominum, eiſdem diſcipulis vocatis ad ſe ait: » Ego quod de numero fratrum » conſtitui, ſecundum hominem dixi: nam (quod mihi Dominus revelare » dignatus eſt) in hoc monaſterio innumerabilis multitudo ad ejuſdem ſervitium » colligenda eſt. Qua de re & futura fratrum receptio non ex præ» ſenti inopia, ſed ex copia futura penſanda eſt: quia ille, qui eos ad re» gnum ſuum congregat, temporales etiam ſumtus largiter miniſtrat. Hoc autem quod vir Dei voce protulit, nos ſtupemus in opere: quia omnipotens Dominus in eodem monaſterio & multos conſtituit, & ſemper largiter procuravit.

Et ſui monaſterii turbationem.

12. Eis quoque diſcipulis dum læta futura protulit, quæ etiam eos manerent adverſa nuntiavit. » Poſt obitum meum, inquit, quidam in hoc ovile » dominicum lupus ingredietur, pacem communem turbare nitetur. Sed » turbari refugite: quia citius exſtinguetur. Quod profecto ita factum antiqui monaſterii ſenes referre ſoliti ſunt. Nam quidam turbine ſæcularium fultus, poſtquam vir ſanctus obiit, monaſterium irrupit, ejuſdem ſucceſſorem expulit: ſed paſtoralem locum, quem impune ſibi uſurpare ſe credidit, divina ultione percuſſus, ei, quem expulerat, liberum citò dereliquit.

Virtutes ſuas occultat.

13. Hæc ad nos de tanti patris vita atque miraculis pervenerunt: non quod iſta ſola fuerint, ſed quia ſanctus plura exercuit, quæ humiliter occultavit. Sancti etenim viri cum magna faciunt, in quantum poſſunt, latere cupiunt: quia in cælo, non in terra honorari concupiſcunt. Sic fortaſſe vir ſanctus & iſta occultaret, ſi talia eſſent, quæ latere qualitercumque potuiſſent. Nam quod de excelſæ rupis vertice cadens lædi non potuit, quod viventem ſociis reddidit quem ſepeliendum recepit, quod eo benedicente numerus ovorum crevit; rerum quidem immenſitas erat, quæ occultari non poterat. Et fortaſſe energumenum curare ideo vivens noluit, ut tunc magnus in ejuſdem curatione clareſceret, cum illic jam receptus eſſet, ubi favor ei minuere operis meritum nequaquam poſſet.

14. Ceterum in quo latere potuit, ad futurorum notitiam non pervenit. Nam quo abſtinentiæ rigore corpus attriverit, quibus vigiliis mentem extenuarit, quibus lacrymis quotidie cæleſtia flagitaverit; quam fortis fuerit in adverſis, quam mitis in proſperis; quo vigore mundum deſpexerit, ad regnum cæleſte quo deſideriorum fervore flagraverit: horum & his ſimilium magnitudinis ejuſdem menſura ad aliorum notitiam non pervenit. Sed ſi modum vitæ & continentiæ ejuſdem ſcire non poſſumus, colligere ex oſtenſis evidentibus miraculis ejuſdem poſſumus, quia in uſu quotidianæ converſationis ſibi valde improbus & auſterus fuit. Nam pondus carnis quis in illo tanto præcipitio illæſum ſervaret, ſi quotidianis ferventibus atque igneis deſideriis ſe non quotidie in cæleſtis vitæ amore ſuſpenderet? & volare, ut ita dicam, deſideriis totus igneus quando poſſet, ſi non carnis gravedinem per vim magnæ abſtinentiæ leviaret? Rerum numerum quomodo augeret, ſi ſibi ipſe rerum uſus non potenter ſubtraheret? Poſtremo de expulſione dæmonum ab ipſa Veritate dicitur: *Hoc genus dæmonum non ejicitur, niſi in oratione & jejunio.* Liquet ergo, qua jeju-

Matth. 9. 28.

Digitized by Google

niorum ſe auſteritate contriverit, qua orationum inſtantia Deo importunus fuerit, qui quando vellet, ejicere dæmonia poteſtatem accepit. Item ſi vigiliarum, orationum, lectionum & ſpiritualium meditationum inſtantia cordis puritatem conſequimur, vir Domini, qui non ſolum præſentia, ſed etiam futura noverat, horum donorum omnium menſuram non ſolum bonam, confertam, & coagitatam, ſed & ſupereffluentem habebat. Ann. Chr. M L. Apr. XII.

15. Sed quid in præſcientia rerum tantam puritatem cordis ejuſdem aſſerimus, qui ab his, à quibus optime notus eſt, tantus aſſeritur, ut ipſum etiam humani generis Redemptorem in carne adhuc poſitus videre mereretur? Dicunt enim, quod ante ſextum ſui exitus diem ei Dominus Jeſus-Chriſtus apparuit, eique dixit: Die Cœnæ meæ venies ad me. Tunc Pater venerandus quanta lætitia & gaudio exſultaverit, quibus deſideriis diem tantæ promiſſionis exſpectaverit, cogitando colligat qui poteſt, quia dici non prævalet. Quo nimirum die veniente, impleviſſe fertur omnia, quæ ad tantæ ſollemnitatis miniſterium debebantur. Nam Miſſarum ſollemnia celebravit, fratrum pedes abluit, pauperibus donativa diſtribuit, & conſtituto diſcipulis Patre, LEONE videlicet venerabili viro, cujus ſuperius mentionem feci, ſolam diei cœnam præteriit, cui ſuæ viſionis epulas Redemptor promiſit. Vel fortaſſis idcirco jejunus voluit de hoc mundo tranſire, ut regulari mandato ſe & moriendo ſubjiceret. Quia enim directi in via de monaſterio fratres jejuni redire præcipiuntur, qui inclinato jam diei veſpere jejunus ad Dominum tranſiit, ab iſtius vitæ decurſu ad domum cæleſtem, quaſi de via ad cellam, venit.

Obitus ſui diem prædicit.

Leonem deſignat ſucceſſorem.

16. Tunc quidem fratribus cum ſtatuto eis Patre ad refectorium dimiſſis, cellulam ſpeluncæ, in qua manere conſueverat, intravit, ſe in orationem dedit, atque inter orationum verba in Redemptoris manus ultimum ſpiritum [a] tradidit. Dubium quippe non eſt, quod ad eum deducendum acceſſerit, qui ante ſextum diem hunc invitare dignatus eſt. Quando enim illi beatæ animæ egredienti deeſſet, qui nuntius paullo ante fuerat ut exiret? Obiit autem vir vitæ valde venerabilis ſenex & plenus dierum, cum fere centum viginti eſſet annorum. Quod ſane omnibus mirabile eſt, ita ſanus & fortis uſque ad extremam horam mortis exſtitit, ut nec præ tam decrepita ætate caligaret, nec aliqua debilitate deficeret. Nam uſque ad extremum vitæ ſuæ tempus clariſſime & legit, & ſcripſit, Miſſas celebravit, & omne paſtoralis ſui ordinis miniſterium valenter exhibuit. ſicque, ut videre eſt, tam vivendo, quam moriendo humanæ naturæ moleſtias vicit: ſeneſcens utique, vigoris ſui defectum neſciens: moriens, mortis ægritudinem non incurrens.

Moritur die Cœnæ.

Cum eſſet annorum 120.

17. His ergo tantis donatus meritis talis aſpicitur, ut illud ei quod de dilecto Johanne ab eodem Redemptore noſtro dicitur, quomodolibet competere videatur: *Sic eum*, inquit, *volo manere, donec veniam.* Re vera talis erat, ut haberet unde mercedis ſummæ bona reciperet: ſed quod corrigendum eſſet non haberet. Habuit ſiquidem quod ad æternitatem ſtaret: ſed non habuit quod cum humani lapſus fragilitate deficeret. Sic ergo eum Dominus manere voluit, donec venit: quia nimirum à ſuæ inceptionis initio talis fuit, qui egreſſionis ſuæ tempore ipſius Redemptoris præſentiam meruit. Cum autem fratres à refectione ſurgerent, cellulam ejuſdem intrantes, defunctum invenerunt, ita membris diſpoſitum, ut orans, non mortuus credi poſſet, niſi tactus quid de eo jam factum eſſet indicaret. Tunc quis mæror & luctus fuerit ſimul omnium, quis & quantus dolor & triſtitia ſingulorum, dici lingua nequaquam poteſt. Pater quidem ſanctus abſentes diſcipulos habere moriens voluit, ut eis mærorem ſuæ mortis auferre debuiſſet. Verum unde eis mitigare dolorem credidit,

Johan. 21. 21.

Fratribus mærentibus.

[a] Nempe die Cœnæ Domini, & quidem prid. Id. Aprilis, qui characteres anno M L. conveniunt.

Digitized by Google

Ann. Ch. M L. Alf. R. XII.

duplicavit, mærentibus ſiquidem omnibus, non ſolum quia tantus Pater obiit, ſed etiam quia præſentes quos nutrierat habere recuſavit. Sed fortaſſe eorum ſtrepitus rectius vitaſſe cognoſcitur, ut ſecretæ orationis quiete, venientis Jeſu majeſtate liberius frueretur. Tollentes autem diſcipuli corpus ejus, in eodem ſpeleo [a] circa oratorium, quod idem vir Dei conſtruxerat, condiderunt.

Miracula poſt mortem.

18. Hæc autem de vita & obitu viri valde venerabilis Alferii Abbatis, tam de ſcriptis Deſiderii abbatis montis Caſinenſis, quam de aſſertionibus ſenum monaſterii, in parvum libellum contulimus: nunc ad ea, quæ poſt ejuſdem obitum in eodem monaſterio ſunt geſta, veniamus. Supra retuliſſe me memini, quia dæmoniacus ad ſepulcrum ejus delatus ut venit, à maligno ſpiritu liberatus eſt, quem optimum pictorem fuiſſe aſſerunt. Et ne tantis beneficiis ingratus exſiſteret, eccleſiam ſanctæ Trinitatis, quam ſuffraganeam [b] vocant, in ſignum liberationis ſuæ propriis manibus depinxit.

19. Quidam præterea frater erat in monaſterio, Nicolaus nomine, vir quidem valde religioſus, ſed tamen malignis adhuc antiqui hoſtis bellis expoſitus. nam quoties communicare diſponebat, illud ei diabolica illuſione contingebat, quod qui patiuntur, ad ſacramenta Dominica accedere non præſumunt. multis quoque jejuniis & orationibus, fletibus quoque & confeſſionibus probationis ſuæ cauſas abſcindere tentabat: & tamen liberari non poterat. Tandem ſalubri reperto conſilio, ad tumulum ſancti viri ſibi orandi conſuetudinem fecit. Quadam vero die, dum illic triſtis oraret, atque à Domino carnis ſuæ munditiam ſolitis mœroribus peteret; ut ſolet mærentibus accidere, præ triſtitia obdormivit. cui in venerando habitu Pater idem ſanctus apparuit, & ab eo cauſas tanti doloris inquiſivit. Cumque ille quid pateretur exponeret, fons vivus ante ejuſdem oratorii altare viſus eſt ſurgere, in quo eum ſenex venerandus depoſuit, lavit, & dixit ei: Vade, quia amodo jam mundus eris. quod & ita factum eſt. nam ex illo jam die immundi ſpiritus ſolita impedimenta non pertulit.

20. Anniverſaria depoſitionis ejus ſollemnitas in monaſterio agebatur, cum vir vitæ valde venerabilis abbas PETRUS, de fratrum refectione ſollicitus, per omnia fere maris litora regioni proxima piſces quæſivit, & invenire non potuit. Reverſi itaque ſunt qui miſſi fuerant, ab omnibus illis maritimis nuſquam piſces invenire ſe potuiſſe referentes. Tunc admodum contriſtari vir valde venerabilis cœpit, quia diem prædeceſſoris ſui qua cupierat caritate proſequi non valebat. Sed quod defuerat in anguſtia temporis poſito, ei cui jam Deus erat omnia in omnibus, deeſſe non potuit. Die etenim illa fratrum cœnam pater ſanctus Alferius affluentem paravit. Egreſſus ſiquidem Petrus venerabilis abbas de Capitulo, ante clauſtri januam cophinum plenum magnis piſcibus vidit. quem cum inſtanter quis depoſuiſſet inquireret, & invenire portitorem *illius* nullatenus potuiſſet, miraculo quo ſe vir ſanctus oſtenderat, ſtupuit, & piſcationem illam patris Alferii fuiſſe cognovit.

21. Et ut jam temporum noſtrorum ad acta veniamus, Lucas monachus adhuc ſupereſt, qui nobis in monaſterio referre *ſolitus* erat, quia quodam die minutus [c], ex more monaſterii extra chorum reſidendi licentiam habuit. Ibi itaque ſedens, cum non his, quæ in choro canebantur, intenderet, ſed oppreſſus ſomno graviter dormiret; ſenex quidam veneranda

[a] Nunc Oratorium, ubi ſanctiſſima Euchariſtia ſervatur. Alferii tumulum hinc inde ambiunt Petri primi & Petri ſecundi abbatum tumuli.

[b] Sic infra num. 21. Cauſa nominis incerta, niſi ſi ſuffraganea dicta eſt ob juriſdictionem, quæ ipſi competebat, ſpiritualem.

[c] Minuti dicebantur, hi, quibus vena ſecta fuerat.

Digitized by Google

canitie fulgidus, hunc per oram cucullæ tenuit, & violenter trahere ad chorum cœpit. Tunc motus Lucas monachus, cum quis eſſet, qui trahere monachos violenter auderet, inquireret; audivit, quia abbas Alferius eſſet, cui omnia tamquam in proprio monaſterio licerent. Cumque ille trahendo feſtinaret, hic autem tardius ſequeretur, quod ante altare ejuſdem ſuffraganeæ eccleſiæ veniret, ei viſum eſt. Evigilans autem, illic ſe invenit, ubi ſe attrahi per ſomnium viderat, veſtimenta etiam, quæ homo Dei tenuit, exuta jam, & ſuper humerum ſibi poſita reperit. quod vir ſanctus feciſſe cognoſcitur, ut loco illi quem incolit, ſe præſentem oſtenderet, & negligentium torporem ad divinæ laudis ſtudium excitaret.

22. Neque illud ſilendum puto, quod candela vitrea, quæ ſuper beati viri tumulum lucere conſueverat, plerumque lapſa, in ejuſdem tumuli ſaxa venit, & non ſolum frangi non potuit, ſed quandoque, ut erat, plena permanſit.

23. Coſſus etiam monachus de ſemetipſo referre ſolitus eſt, quia diſcurſione mali humoris maxilla ejuſdem vehementer intumuit, & intolerabili dolore dentium cœpit cruciari. Sed cum quotidie languor ingraveſceret, & arte medicorum ſentire remedia nulla potuiſſet; ante ſepulcrum ſancti viri ſe projecit in oratione. quo cum proſtratus levamen tanti doloris devotis precibus impetraſſet, ab oratione ſurrexit, & ſtatim gingivæ dolentis cutis crepuit, atque per illius vulnus crepidinis emiſſa putredine, & faciei tumorem perdidit, & dentium dolorem.

24. Adeſt etiam Petrus de Guardia monachus, qui efficaci aſſertione quod in ſe etiam geſtum eſt teſtari ſolet. Ea namque peſtilentia, quæ ante annos fere viginti [a] in illis partibus vehementer populum vaſtavit, præfatus monachus magnis febribus tentus eſt. Cumque ardor nimius febrium vires ejus excederet, hora accenſionis [b] ad tumulum jam ſæpe memorati Patris confugit, firmiter credens, quod tanto Patri commendatum febris invadere nequaquam poſſet. In quo nimirum tutelæ & confugii ſui loco fructum fidei ſuæ ita conſecutus eſt, ut ardentiſſima febris eum relinqueret, nec ultra ſancto viro commendatum fatigare potuiſſet.

a In Chronico ad cyclos paſchales anno 1085. *fames & mortalitas magna* notatur: ſed non ſatis hæc cum Auctoris noſtri tempore conveniunt, qui poſt mortem Conſtabilis, anno 1124. mortui, ſcribebat.

b Sic legendum, non *aſcenſionis*, nempe hora qua febris accendebatur.

DE SS. GERMANO PRIORE, & aliis tribus monachis Taluerenſibus.

Saviniacum monaſterium.

1. *CELEBRIS erat ſæculo undecimo ineunte Saviniacenſis, in Lugdunenſi diœceſi abbatia ob regularem diſciplinam, quæ ibidem ſub Durando abbate ejuſque ſucceſſoribus maxime vigebat. Id ex multis chartis patet, quibus variæ monaſterio donationes tunc temporis factæ ſunt à viris nobilibus, qui monachorum ibidem ſancte converſantium precum ſuffragia ambiebant. Gerardus comes Foreſii anno* M V I I. *Durando dedit villam Conziacum & alia in agro Tarnantenſi, qui ad pagum Lugdunenſem pertinebat. Encolimenſes vero comites aliquot monachos ab Iterio abbate Saviniacenſi obtinuerunt, quos in eccleſia ſancti Pauli de Botavilla diœceſis Santonenſis collocarunt, ut ſemper, inquiunt, pro ipſis ſuiſque conſanguineis illi Deum deprecarentur. Hos autem, ac eos qui ipſis ſucceſſuri eſſent, abbatiæ Saviniacenſi ſubjectos fore voluerunt, quamdiu ipſa ſub beati patris Benedicti Regula perſeveraret. Celebris fuit ejus eccleſia dedicatio, ad quam*

ANN. CH. CIRC. MLI. NOV. I.

Iſlo Santonenſis, Arnaldus Petragoricenſis & Raho Encoliſmenſis epiſcopi cum ſuo Metropolitano Gotafredo archiepiſcopo Burdegalenſi, præter abbates complures & monachos, anno MXXIX. *convenerunt, ut ex publico ejus rei inſtrumento patet, quod in Bibliotheca Sebuſiana Guichenonis, centuria* I. *numero* 62. *integrum habetur.*

Sub eo Taluerenſe.

2. *Iiſdem ferme temporibus Ermengardis, Rodulphi Burgundiæ regis uxor, monaſterium in villa Talueriis excitavit, quod accerſitis è cœnobio Saviniacenſi monachis inhabitandum tradidit, ea conditione, ut locus iſte ſub Itherii abbatis ſucceſſorumque ejus juriſdictione remaneret. Fundationis chartam refert Guicheno in probationibus Hiſtoriæ Sabaudicæ, quam ex archivio Taluerenſi huc proferre viſum eſt.*

Mundi terminum appropinquare ruinis crebreſcentibus certa manifeſtant indicia. Ideoque oportet unumquemque ſollicite perſiſtere, quamdiu in præſenti vita ſubſiſtit, ut de terrenis mereantur æterna, & de tranſitoriis acquirantur ſempiterna laborando non laceſſere. Igitur ego ERMYGARDIS, domni RODOLPHI regis conjux humilis, pro remedio animæ ſenioris mei RODOLPHI regis, & pro remedio animæ meæ, conſtruxi eccleſiam in honore ſanctæ Mariæ ad habitationem monachorum ſancti Martini Saviniacenſis monaſterii, & ad regimen & ſubjectionem Yterii abbatis & ſucceſſorum illius, & utilitatem fratrum ibidem Deo regulariter famulantium, in pago Albanenſe, in villa, quæ vocatur Talvveriis; cui loco ex permiſſione ſenioris mei Rodolphi, per conſilium archiepiſcoporum & epiſcoporum, ſcilicet LEODEGARII Viennenſis, & EMIONIS Tarentaſii, & FREDERICI Gebennenſis, & PONTII Valentinenſis, & comitis UMBERTI, & aliorum qui ibidem convenerunt fidelium noſtrorum, in dedicatione eccleſiæ donavi ad victualia fratrum, poteſtatem de Dulſatis cum eccleſia & appendiciis ſuis, & Marſiacum cum appendiciis ſuis, & Veſonem cum appendiciis ſuis, & poteſtatem Marlenſem cum eccleſia, & in Verello tres manſos, & in Poniaco unum manſum, & unum manſum qui vocatur Ramponetus, & manſum de Eſcalvina, &c. *ſine data.*

Hanc donationem firmavit Rodulphus Ermengardis conjux, cujus ea de re præceptum idem auctor refert in Bibliotheca Sebuſiana.

Germanus Prior, &c.

3. *Dotato itaque Taluerenſi monaſterio, quatuor è ſuis Ithcrius illuc deſtinavit, qui locum illum vitæ ſanctitate ac multis miraculis illuſtrarunt. Hi fuere Germanus ceteris præfectus, & Rodulfus frater, uterque presbyter, cum duobus diaconis, Iſthmio ſcilicet & Iſthmidone, quorum tam nota ſunt miracula, quantum ignota rerum ab iis geſtarum ſeries. Germanum Jeroſolymam perrexiſſe, ut ibi loca ſacra veneraretur, fama eſt, indeque reverſum, in ſolitudinem ſeceſſiſſe, ubi poſt multorum annorum curricula, quæ in accurata Religionis Chriſtianæ monaſticæque perfectionis diſciplina tranſegit, defunctus eſt. Haud minus pie ejus ſodales ex hac vita migrarunt; quorum deinde memoria in vicina quidem regione celebris fuit, ſed eorum nomina in faſtis ſanctorum generalibus reperire non licuit. Corpus ſancti Germani in eccleſia ipſius nomini dicata religioſe aſſervatur. Rodulfus pariter in prioratu, qui ab eo nomen ſortitus eſt, jacet; aliorum vero duorum reliquiæ in ipſo Taluerenſi prioratu remanſerunt. Loca quæ ſinguli incoluerunt hactenus viſuntur, ab aliquot prioratus monachis inhabitata. Quo anno, quove menſe aut die ad cælos abierint non conſtat, deficientibus undequaque ad id ediſcendum inſtrumentis, nec ex annua ipſorum feſtivitate id colligi poteſt; cum ter in anno eorum memoria celebretur, primo quidem feria ſecunda poſt Paſcha, eadem feria poſt Pentecoſtem, ac ipſo Kalendarum Novembrium die, quo generalis omnium ſanctorum feſtivitas recolitur. ſæculo undecimo eos vixiſſe ex Ermengardis ætate nobis conſtat.*

S. Franciſcus Saleſius levat corpus S. Germani.

4. *Beati Germani corpus à ſancto Franciſco Saleſio, Genevenſi epiſcopo, ad cujus diœceſim Taluerenſis prioratus pertinet, è tumulo levatum fuit anno* MDCXXI. *die Novembris vigeſima octava. qua in celebritate concionem habuit luculentiſſimam de beati Germani meritis, inconcuſſam populorum circum adjacentium fidem laudans, qui*

Digitized by Google

qui ab annis ſexcentis viri illius ſancti tumulum inviſere & venerari numquam deſtiterant. qui quidem religionis cultus, nequidem inter hujus & præcedentis ſæculi hæreticorum tumultus, quibus Genevenſis diœceſis attrita fuerat, intermiſſus eſt. Ann. Chr. circ. ML. Nov. II.

5. Nec minus in reformandis monachorum ibi degentium moribus, ſollicitus fuit beatiſſimus Antiſtes, quos tandem poſt ſuperatos multos labores, devorataſque injurias à nonnullis male viventibus monachis illatas, ad meliorem frugem reduxit, ut in ejus vita narratur. Id quidem pro virili, ſed fruſtra conatus fuerat pia memoria Claudius Granerius, beati Franciſci deceſſor, qui ex ejuſdem loci priore in ſedem Genevenſem evectus fuerat. At id beato Franciſco reſervatum à Deo fuerat. Ceterum perſtat etiamnunc regularis diſciplinæ vigor in prioratu Tallueranſi, vulgo Taloire, *qui à Saviniacenſis monaſterii juriſdictione Urbani VIII. pontificis maximi auctoritate fuit abſolutus, idque duplici diplomate, quorum prius Romæ datum eſt anno* MDCXXXII. *alterum anno* MDCXXXVII. *Poſtmodum Tallueranſe monaſterium abbatiæ titulo auctum fuit beneficio Clementis X. ſummi pontificis, dato ea de re brevi Apoſtolico anno* MDCLXXIV. *die* XVIII. *Julii, pontificatus anno* V. *quæ quidem litteræ anno* MDGLXXVI. *Camberienſis curiæ ſenatuſconſulto confirmatæ fuerunt.* Et monaſterium reformat.

ADDENDA ET EMENDANDA.

P*ag.* 15. *lin.* 37. *lege* viginti. *pag.* 20. *lin.* 16. *lege* ſene *aut* ſeniore. *pag.* 28. *num.* 9. *lin.* 8. & 9. Novembris, *lege* Octobris. *Ibid. num.* 10. *lin.* 6. *lege* abbates. *pag.* 81. *lin.* 3. *ad num.* 8. *adde.* Hæc abſque fundamento ſcripta non fuiſſe probari poteſt ex Chronico Wirciburgenſe à V. C. Stephano Baluzio ex veteri mſ. codice edito tomo I. Miſcellaneorum, ubi hæc leguntur ad annum MIX. *Anno* MIX. BRUN *epiſcopus & monachus à Prucis multis ſuppliciis affectus, & manibus pedibuſque abſciſſis, poſtremo capite plexus cælos petiit. Pag.* 86. *lin.* 29. hic ſequens. *lege* hunc ſequens. *pag.* 96. *è regione tituli de SS. Caſinenſibus in margine lege* XVII. Martii. *& ſic deinceps ad pag.* 112. *pag.* 100. *num.* 10. *lege* defuncto Johanne. *pag.* 168. *lin.* 20. *lege* Benedictus. *pag.* 201. *num.* 4. *lin.* 2. *lege* die Novembris vigeſimo. *& ſic emenda diem in margine indicatum ad pag.* 216. *pag.* 221. *lin.* 14. lege Notgerus Leodienſis. *pag.* 277. *menſis dies in margine male aſſignatur ad pag.* 304. *cujus loco ponendus eſt* Junii XIX. *pag.* 288. *nota a. ubi de Johanne diſcipulo S. Romualdi, adde:* Hujus memoria in Appendice ad Martyrologium Benedictinum his verbis celebratur: *Sanctus Johannes monachus Caſinenſis & ſancti Romualdi abbatis diſcipulus, in vita & morte miraculis clarus.* Bucelinus *venerabilem* ſolummodo appellat in Menologio die 4. Martii, quo ejus celebrat memoriam. *pag.* 335. *lin. ult. nota, lege* Ludovici IV. *pag.* 344. *lin.* 38. *lege* proferenda *pag.* 396. *n.* 3. *lin. penult. lege* eccleſiæ. *pag.* 397. *lin. ult. lege* moveatur. *pag.* 545. *n.* 14. *lin.* 11. *lege* S. Vincentii Mettenſis Inſulæ. *Inſulæ quippe ipſum eſt S. Vincentii monaſterium. Videſis Gallia Chriſtiana tomum* 4. *&c. pag.* 572. *nota b. lin. ult. lege*, annum CMLXXVIII. *pag.* 705. *nota a, lege* nobiliſſima. *pag.* 706. *lin.* 4. *lege* occaſione. . . calicis.

INDEX HISTORICUS
PARTIS PRIMÆ
SÆCULI SEXTI BENECTINI.

Littera (a) *initium paginæ uſque ad medium*; (m) *medium uſque ad finem*; (n) *notulas marginis inferioris deſignat.*

* *Monaſteriorum nomina & ſeries habentur ſub voce* Monaſterium.
* *Topographica vocabula Italicis typis diſtinguuntur.*

A

Abbates quomodo epiſcopis ſubjecti 35, a. Eorum virga paſtoralis 35, m. 101, m. In ſandaliis celebrant 74, a. Plures ſub abbate Guidone. 513, a
Abbatis-villa fit caſtrum. 504, m
Abbo abbas Floriac. 667, m. In ſuſurrones, &c. invehit 664, m. Ejus vita, &c. 30, *& ſeqq.*
Abrincenſes epiſc. Norgaudus 348, a. Hugo. 721, a
Academiæ. V. Scholæ.
Achardus epiſc. Cabilonenſis. 676, a
Achardus abbas S. Germani Autiſiod. 171, a
Adalbero dux. 300, m
Adalbero epiſc. Lauduni. 661, a
Adalbero epiſc. Mettenſis 25, *& ſeqq.* 140, a. 328, m. 340, a. 720, m.
Adalbero epiſc. Virduni 185, m. 186, 524, a. 543, a. dicitur Adalbertus. 538, a
Adalbertus archiepiſc Bremæ. 131, m
Adalbertus Pragæ epiſcopus. 72, 79, 292, a. n
Adalbertus epiſc. Senogalliæ. 488, m
Adalbertus epiſc. Virdun. 27, m. 538, a
Adalbertus abbas Michelveldenſis. 467, n
Adalbertus comes. 348, m. 585, a
Adaldagus archiepiſc. Bremenſis. 130, a
Adaldagus epiſc Ripenſis. 132, m
Adalpertus abbas Seunenſis. 22, a
Adalvvinus epiſc. Ratiſponæ. 17, a
Adam abbas Firmenſis. 174, a
Adam monachus Caſini. 106, m. 107, a
Adela comitiſſa. 32, a
Adhelais imperatrix 628, m. 151, m. Ottonis I. uxoris pietas, &c. 660, a
Adelardus abbas S. Trudonis. 185, a. n. 570
Adelardus abbas S. Vitoni. 27, m. 537, m
Adelberga-Ava abbatiſſa S. Mauri. 550, a
Adelbertus abbas. 418, n
Adelbertus abbas Lirinenſis. 622, n
Adelberti Piſcarienſis elogium. 493, m
Adelboldus epiſc. Trajecti. 93, a. 585
Adelheidis abbatiſſæ vita. 137, *& ſeqq.*
Adelmarus abbas S. Vitoni. 27, m. 537, m
Adelrad rex Britannorum. 131, m
Adelvivva recluſa B. Popponis mater. 569, m. 571, a. 572, a. m. 577, m. 578.
Ademari locus de S. Martiali. 31, a
Adonulfus epiſc. Firmanus. 174, a
Adraldus abbas Bremetenſis. 669, m
Adſo abbas Parentinus. 296, a. 297, a
Adventius epiſc. Mettenſis. 29, m
Æduenſis eccleſiæ ſocietas cum Cluniaco. 650, m
Æduenſes epiſc. Ermuinus, 644, a. Walterius 639, &c.
Ælfricus V. Alfricus.
Æpletius epiſc. Mettenſis. 30, a
Æthelredus rex Anglorum. 63, a
Agaliſus rex Dertoſæ. 624, a
Aganus epiſc. Carnotenſis. 315, m
Agathenſis epiſc. Stephanus. 313, &c.
Agelnothus V. Egelnothus.
Agildrudis regina Burgundiæ. 640, a
Agionoros mons Græciæ. 98, m
Agius epiſc. Aurelianenſis. 34, m
Agnes Auguſta 350, m. 642, m. nuptiæ ejus 560, a
Agnes duciſſa Aquitanorum. 642, m
Agundia ſanctimonialis. 105, a
Ailmarus abbas S. Auguſtini Cantuariæ. 119, n
Aimoïnus ſcriptor. 30, m. 52, a. patria & mater 53, m
Aïnardus abbas Divenſis. 362, m
Aindricus epiſc. Lauſanenſis. 651, m
Airardus abbas S. Remigii. 713, m. 714
Alaïus rex Deniæ. 624, a
Alara fluvius Saxoniæ. 206, a
Alba ſacerdotale indumentum. 373, m
Alba-regalis urbs Hungariæ. 630, m. n
Albertus epiſc. Comenſis, Cumanus. 699, m. 700
Albertus dux Saxoniæ epiſc. Patavienſis. 445, m. n
Albertus abbas Majoris-monaſt. 673
Albertus abbas Miciacenſis. 252, a. 253, m. n. 313. m. 314, a.
Albertus abbas S. Theoderici. 721, a
Albia fluvius. 130, m. 131, n. 206
Albienſis epiſc. Amelius. 313, a
Albingalæ epiſcopus. 340, m
Albricus abbas Helmvvardeshuſen. 384, a
Albuino dicata vita S. Godehardi. 396
Aldebergenſis epiſc. Reinoldus. 413, a
Aldenburgi epiſc. Benno. 227, a
Alduinus abbas Angeriacenſis. 657, m
Aleis abbatiſſa. 137, a
Alexandrinum vitreum. 700, a
Alferii abbatis Cavenſis vita. 727, *& ſeqq.*
Alfrici epiſc. Cantuariæ geſta 61. An alius à Grammatico. 63
Alfricus archiepiſc. Eboraci. 450, a
Alffvinus abbas Rameſiæ. 712, m. 721, a. n
Aligernus abbas Caſini. 98, m
Alinardus abbas S. Benigni 344, a. 671. archiepiſcopus Lugduni. 717, a. 718, 721, 722, 723, 725

Digitized by Google

Alix diaconus 97, m. Beneventi epiſcopus. 98, a
Almanius monachus Cluniaci. 632, m
Almanzor Saracenorum rex. 169
Almeradus epiſc. Regienſis. 653, m
Alſonenſis epiſc. Oliba. 312, m. &c.
Altare ſupra defuncti corpus, 269, m. 279, m. 311, m. n. Altaris ſecretarium 18, m. Altare geſtatorium 542, a. Altaria an ſemper ad epiſcopos pertineant 43, m.
Altfridus epiſc. Hildesheim. 208, 210, m. 407, m. 408, a. 472, m.
Altini Tranſlatio. 254, & ſeqq.
Alverat ſoror S. Adelheidis. 140, a
Alveus abbas Carnotenſis. 32, a
Alvinus abbas Hiſpanus. 60, m
Alvoldus epiſc. Schireburnenſis. 475, a
Alvvardus epiſcopus. 131, m
Amalbertus abbas Floriaci. 32, a. 52, a
Amalfitan. archiepiſc. Laurentius. 688, &c.
Amalguinus vicecomes. 52, m. 56, m
Amalricus abbas Lirinenſis. 653, m
Amandus epiſc. 88, a. 578
Ambiani epiſc. Fulco 348. Excommunicatur, 724. Guido. 503, &c.
Ambo in eccleſia. 8, m
Ambroſii ſcriptum de SS. Gervaſio & Protaſio, 257, m.
Amelius epiſc. Albienſis. 313, a
Amelius epiſc. Senecienſis. 615, m
Amelius epiſc. Toloſæ. 657, a
Amnicadi monachi geſta. 471
Amicus Ramibonenſis. 172, m
Anaſtaſii papæ reliquiæ. 208, a. 407, m
Anaſtaſius epiſc. Senonenſis. 262, a
Anaſtaſii epiſc. Strigoniæ geſta. 72, & ſeqq.
Anaſtaſius abbas. 340, m
Anaſtaſius abbas S. Petri Vivi. 254, a. 256, m
Anathema ad miraculi memoriam appenſum. 18. a. 24, m.
Andegav. epiſcopi S. Albinus 135, a. Euſebius. 721, &c.
Andegavenſi comiti Cenomannenſis comitatus ſubjectus. 135, m
Andreæ apoſtoli apparitio. 117, a
Andreæ eremitæ vita. 75, & ſeqq.
Andreas epiſc. Peruſii. 70, m
Andreas abbas Fructuariæ. 350, m
Andreas abbas Miciaci. 314, m. 315, a
Andreas præpoſitus monaſterii Capuæ. 97, a
Andreas rex Hungariæ. 631, a
Angelranni abbatis vita. 494, & ſeqq.
Angelrannus comes Pontivi. 500, a
Angelus monachus Caſini pius. 163, m
Angeli ſervant SS. ſepulcra. 65, m
Anglia, ibi à S. Gregorio Regula Benedictina inſtituta 39, m. litteræ reſtitutæ 30. m. per Gallos 31, a. 39, m. ſub Danis. 113. *ad* 127
Angliæ reges Ceuvvines, Ines &c. ante Cnutonem. 448, m.
Anianus epiſc. Aurelian. 313, m. Ejus baſilica. 193, a. tranſlatio. 660, m
Anicienſes epiſc. Stephanus 633, &c. Petrus 633, m Wigo. 641, a
Anno archiepiſc. Coloniæ. 350, m
Annuus cenſus ex voto redditus ad ſepulcrum S. Symeonis. 380, m
Anſcharius. 132, n
Anſelmus archiepiſc. Cantuariæ. 114, 363, a. 364
Anſelmus epiſc. Aurelianenſis. 34, m
Anſelmus eremita. 231, a
Anſelmus ſcriptor. 711
Anſfredus abbas Pratellenſis. 362, a
Anſfridi epiſc. Traject. Vita. 85
Anſfridus comes Brabantiæ. 86, a
Anſuſus epiſcopus. 640, a
Antonius monachus Caſinas. 109, n
Apollinaris epiſc. & mart. 81. apparitio. 281, m. 289
Aptatus epiſc. Mettenſis. 30, a
Aptenſes epiſcopi, Theodoricus, Stephanus 95. n. Auſpicius & Caſtor. 96, a. n
Aqua benedicta 156, & *paſſim*. moribundo 182, a. exorcizata 50, m. ſacrata. 11. m
Aquenſis archiepiſc. Petrus. 608, a
Aquilegiæ patriarcha Wolfgangus. 382. &c.
Aquiſgranenſis palatii picturæ 597, m. capella 89, m
Aratoris reliquiæ. 550, a
Arbo comes. 16
Archembaldus archiepiſc. Senonenſis. 261, m
Archembaldus abbas Floriaci. 31, m
Archincus abbas Majoris-montis. 611, m
Ardericus epiſc. Vercellenſis. 289, m
Arduini preſb. Arimini Vita. 81
Arduinus rex Italiæ 329, a. n. 330, a. 347, 349. a. 350, 695.
Arelatenſes archiepiſc. Raïambaldus, Pontius, Aycardus. 608. &c.
Arelatenſe regnum. 94, a
Aretini epiſc. Theodaldus 277, &c. Immo ſeu Henrenfredus, Guido, Conſtantinus, Gregorius, Buïanus, Guillelmus. 278
Arfaſtus epiſc. Tetfordenſis. 449, m
Argentina urbs. 581. a. 584, m
Argentorati epiſc. Wernherus. 412, &c. Willelmus, 413, m.
Argrimus epiſc. Lingonenſis. 338, a
Arbuſa epiſcopatu donatur. 133, a
Aribo archiepiſc. Moguntiæ. 226, a. 391, a. 407, *ad* 413, Obit 414, a. archicancellarius. 488, a
Arimini epiſc. Johannes 81, m. Uberti duo. 82, a
Arimini comes Rodulfus. 81, m
Ariſtotelis elogium ex Philippo rege. 177, a
Arma preſbyteris interdicta. 712, a
Armenus epiſcopus. 154, a
Armo abbas Romæ Montis-Aventini. 698, m
Arnaldus epiſcopus. 313, a
Arnaldus epiſc Convenenſis. 312, m
Arnaldus epiſc. Petragoric. 736, a
Arnaldus epiſc. Magalonæ. 312, m. 313, a
Arnoldus epiſc. Halberſtatenſis. 383, m
Arnoldus abbas Helmvvardeshuſen. 384, a
Arnoldus abbas Herveldenſis. 391, a. 405, a
Arnoldus an Vitæ S. Godehardi auctor. 395, m
Arnoldus abbas Pultarienſis. 728
Arnolfus ex comite monachus ſcripſit de rebus S. Emmerammi, 3, a. Ejus ætas. 17, n
Arnolfus abbas Herveldæ. 413, a
Arnulfus archiepiſc. Remenſis 47, m. Reſtitutus ſedi 48, m. 49, a. 539, m. 713, m.
Arnulfus epiſc. Turonenſis. 252, a. 253, m. 314. a
Arnulfus epiſc. Aurelian. 34, 42, 44, a. 197, a
Arnulfus alter epiſc. Aurelianenſis. 34, m
Arnulfus epiſc. Mettenſis 30, a. Ejus peccata remiſſa, 84, m.
Arnulfi abbatis Carnutenſis geſta. 315, & ſeqq.
Arnulfus prior Brittaniacæ-curtis. 340, m. 342, m
Arnulfus prior S. Zoili Carrionenſis. 658, m
Arnulfus comes. 181, a
Arſenius patriarcha Jeroſolymit. 149, a. 150, 151, n. 167.
Arvernenſes epiſc. Stephanus 635, a. Stephanus IV. Renco. 655, m
Aſcomanni piratæ. 130, m. 131, a
Aſpertus epiſc. Ratiſponæ. 17, m
Athelbero comes palatinus. 202, m. 203, m
Athelbertus abbas Hildesheimenſis. 396, m
Atheldagus archiepiſc. Bremenſis. 128, a
Athelmus ex epiſcopo Wellenſi archiepiſc. Cantuariæ, 448, a.
Athenulfus abbas Caſini. 100, m. obit. 101, a
Atholfus abbas Helmvvardeshuſem. 384, a
Atrebatenſ. epiſc. Gerardus 545, m. Rothadus, Elluinus. 578, n
Attalæ reliquiæ. 452, a
Attilanus epiſc. Zamoræ 58, n. 59. m. geſta. 82. &c.

Digitized by Google

Atto epiſc. Virdunenſis. V. Hatto.
Atto, pater & filius, comites. 108, m
Aufridi epiſc. Trajectenſis vita. 85, & ſeqq.
Auguſtenſes epiſc. Bruno 412, &c. Eppo 413. Sigefridus. 215. &c.
Auguſtini vita 38. a. opus de Symbolo. 689, m. Ejus brachium Coventreiæ. 447, m. 448, m. 449, a. 451, a.
Aurelia recluſa apud S. Emmerammum. 5, a
Aurelian. epiſc. S. Anianus 313, m. Arnulfus 34, &c. Odolricus, 314, &c. Manaſſes 314. n. Odelgerius 367, m. S. Theodoricus 192, alii ſæculo IX. & X. 34, m.
Auſpicius epiſc. Aptenſis. 95, a. n
Auſtraſia 540, a. Auſtraſii. 559, m
Auſtricus epiſc. Strigoniæ. V. Anaſtaſius.
Autiſiodori epiſc. Hugo 642, &c. Vvillelmus. 256, a
Aycardus archiepiſc. Arelatenſis. 608, a
Aymericus abbas Angeriacenſis. 657, m
Aymo epiſc. Bellicenſis. 645, m
Aymo de S. Geranno prior Silviniaci. 677, m
Aymo comes. 343, a
Aylenardus. V. Alinardus.
Azelmus epiſc. Hildesheimenſis. 422, n. 424, m
Azelinus abbas de Monte-S. Johannis. 654, a
Azo abbas S. Benigni Divion. 335, m
Azo prior Camalduli. 278. m. 311. m. n
Azzo monachus Caſini, pius. 104, a

B

Babylonia Ægypti. 374, a
Baduradus epiſc. Paderbornæ. 384, m. 385, a
Bajoariæ epiſcopatuum inſtitutio. 399, a. à S. Bonifacio. 10, a
Bajocenſes epiſc. Ugo 348, a. 721. S. Vigor. 498, m
Balderici epiſtola de Fiſcamno. 352
Baldricus epiſc. Leodii 175, a. 178, a. n. 180, m. 544, m. 597, a. m. 598, a. 600, 601, m. 602, 603, a.
Balduinus epiſc. Trajectenſis. 89, a
Balduinus abbas S. Vedaſti. 590, a
Balduinus comes Flandriæ 67, 543, a. 545, a. Marchio 69, m. 574, m. 578, m. Alter, prioris filius 589, a n.
Balſamum Babylonis. 268, m
Bambergenſis epiſcopatus erectio 200, a. 223, m. 178, a. n. 452, a. 456, m. 467.
Bamberg. epiſc. Eberhardus 412, &c. S. Otto 452, &c. Tiemo 462, &c. Eppo. 383, m
Bar caſtri obſidio. 525, a. 559, a. 562, m
Barcinon. epiſc. Guilebertus. 313, a
Bardo archiepiſc. Moguntiæ 391, a. 414, a. archicapellanus. 393, m
Barnabas græcus epiſcopus. 340, m
Baronius emendatur. 448, m
Baſilienſis epiſc. Theodoricus. 563, a
Baſilii regula. 151, m
Baſilius Caſini pſeudoabbas. 102, a
Batua inſula. 579, m. n
Baturicus epiſc. Ratiſponæ. 17, a
Beatrix filia Hugonis Magni. 29, a
Bellegrada civitas. 555, m. 376, a
Bellicenſis epiſc. Aymo. 645, m
Bellovac. epiſc. [Drogo] excommunicatur. 724, a.
Benedicta abbatiſſa Thorenſis 87, m. Ejus geſta 88, 89, a. 93, a.
Benedictus VIII. Caſinum viſitat 101, m. Ejus dona 454, a. Bambergam accerſitur 456, m. exſul 128, m. Epiſtolæ pro Cluniaco 650. Liberatur è purgatorio. 701, m. 702, a
S. Benedicti mors 50, a. tumulus 51, m. miracula 109, m. & ſeqq. reliquiæ Floriaci 88, a. ſanat S. Henricum 452, m. Ejus translatio in Gallias 453. Ejus regula à S. Gregorio Anglis præſcripta. 39, m
Benedictus abbas S. Arnulfi. 340, a
Benedictus abbas Caſæmarienſis. 356, a
Benedictus abbas S. Severi Claſſenſis. 340, m
Benedictus abbas Soræ. 356, a. 360, n
Benedictus monachus, martyr. 295, a
Benedicti martyris geſta. 75, & ſeqq.
Benefactorum nomina in Miſſali ſcripta. 692, m
Beneventi epiſcop. Alix. 98, a
Benignus epiſcopus-monachus. 340, m. 344, m
Benigni reliquiæ, &c. 337, m. 339
Benno epiſc. Aldenburgi. 227, a
Benno epiſc. Patavii. 480, a
Benno epiſc. Trajectenſis. 413, a
Benno abbas Hildesheimenſis. 231, n
Benno dux 131, a Saxonum. 132, m
Bennopolis urbs Hildesheim. 228, a. n
Beraldus epiſc. Spoleti. 488, m
Beraldus epiſc. Sueſſionenſis. 346, m
Beraldus archidiaconus & abbas. 346, m
Beraldus abbas S. Stephani Divionenſis. 350, m
Berardus pius monachus. 306, m
Berengarius epiſc. Helenenſis. 312, m. 313, a
Berengarius epiſc. Virduni. 26, 27, a. 518, a. 541
Berengarius rex 348, m. Longobardorum. 323, a
Beringerius abbas Herveldæ. 401, a. n
Beringerus epiſc. Verdenſis. 212, m. &c.
Beringerius abbas Columbenſis. 365, 367, m
Bernardus epiſcopus. 312, m. 313, a
Bernardus epiſc. Biterrenſis. 313, a
Bernardus epiſc. Conſeranenſis. 312, m. 313, a
Bernardus epiſc. Toloſanus. 312, m. 313, a
Bernardus abbas Belliloci 44, m. 46, & Sollemniaci 45, a. tum epiſc. Caturci. 45, 647, a
Bernardus abbas S. Maximini. 588, a
Bernardus abbas S. Victoris, Cardinalis, &c. 608, m
Bernardi vitæ auctor emendatus. 396, a
Bernardus dux 132, m. dux Saxoniæ 383, m. 385, a. 401, a.
Bernarius Verdenſis epiſcopus. 132, m. n. 133, a
Bernarius abbas Herveldæ. 402, a. n
Bernerius epiſc. Meldenſis. 314, a
Berno epiſcopus Aurelianenſis. 34, m
Berno epiſc. Hildesheimenſis. 239, m. 244, m
Bernvvardus epiſc. Hildesheim. 396, n 406, a. 408, 409, a. 413, m. 417, a. 432, m. 433, 434. Ejus vita &c. 201, ad 251
Beroldus epiſc. Sueſſion. 720, m. 722, a
Berta uxor Arduini regis. 347, m. 350, a
Berta Roberti regis uxor. 264, a
Berta auctor Vitæ S. Adelheidis. 137. a. m
Berthgerus abbas Helmvvardeshuſen. 384, a
Bertoaldus epiſc. Tullenſis. 331, a. 340, m
Bertholdus epiſc. Hildesheim. 430, m. 431, 432, m
Bertholdus abbas Degarenſis. 405, a
Bertholdus abbas Herveldæ. 402, a. n
Bertrada abbatiſſa Coloniæ. 137, a. 144, a
Bertramus abbas Stabulenſis. 574, m. 581, m
Bertulfus abbas S. Eucharii Trevir. 585, m
Beztritus epiſc. Hungarus, martyr. 631, a. n
Bibliotheca Hildesheimenſis. 202, a. 205, m
Biterrenſ. epiſc. Bernardus. 313, a
Bituricenſis archiepiſc. Gauſlinus 32. &c. Petrus Rogerii. 677
Bliſmodis abbatiſſa. 633, m. 635, a. 681, a
Bobienſis epiſcopatus erectio. 452. a
Boëmia à Benedictinis in fide erudita. 72
Boleſlaüs dux Boëmiæ. 72, 80. m. 129, a
Bonifacius archiep. Moguntiæ, 9, m. 17, a. 33, a. 399, a.
Bonifacius archiepiſcopus Ruſſorum martyr 292, a. monachus &c. *ibidem*. 293, martyrium 394, a. 300, a.
Bonifacii ſeu Brunonis martyris geſta. 79, a. 737
Bonifacius dux Mantuæ. 160, a. 161, a. 163, m. 168
Bonizo abbas S. Petri Perusii. 70, m
Bononii abbatis Lucedienſis vita. 266, & ſeqq.
Brandeburgi epiſcopi Volcvvardus ſeu Folchardus. 424, a.
Brantous epiſc. Halberſtadenſis. 413, a
Brediſlaus dux Boëmiæ. 484, 485

Digitized by Google

Bremenſis eccleſia ad canonicos tranſit. 130, n
Bremenſes archiepiſcopi Libentius ſeu Lievizo 128, &c. Oddo 129, m. Unvvanus 383, &c. Adaldagus. 130, &c.
Briccii pueri & mart. tranſlatio. 64, & ſeqq.
Brichtegus abbas Perſorenſis. 450, m
Brictvvaldus archiep. Cantuariæ. 448, a
Briegii regio. 194, m. 197, a
Briethmerus epiſc. Lichefeldenſis. 450, m.
Britanni in Anglia. 131, m
Brithmerus abbas Croylandenſis. 450, a
Britulii comites. 525, m
Britvvaldi epiſcopi Vvviltonienſis geſta. 473, m. & ſeqq.
Britvvoldus epiſc. Vvintonienſis. 474, m. 475. a
Brivatenſis eccleſia. 634, a. 681, a.
Brixienſis epiſc. Damaſus Papa. 715, a
Bruningus epiſc. Hildesheim. 411, n
Bruno archiepiſc. Coloniæ. 86, a
Bruno archiepiſc. Trevirenſis. 384, a
Brunonis epiſc. & martyr. elogium. 79, 737
Bruno epiſc. Auguſtenſis. 412, m. 413, a. 480, a
Bruno epiſc. Hildesheim. 432, n.
Bruno epiſc. Lingonenſis 326. *ad* 349. Ejus elogium 343.
Bruno epiſc. Merſburgenſis. 413
Bruno epiſc. Mindenſis. 421, a
Bruno epiſc. Tulli 715, m. V. Leo IX.
Bruno pius monachus. 473, a
Bruno imperium ambit. 222, a
Buianus epiſc. Aretinus. 278, m
Buldus epiſc. Hungarus martyr. 631, a. n
Buliganus epiſc. Firmanus. 173, m
Bulla Alexandri II. de S. Symeone 168, m. Benedicti VIII. Guillelmo Divionenſi 344, m. pro canonizatione S. Symeonis 168. Cæleſtini III. pro S. Bernvvardo 251. Innocentii II. pro canonizatione S. Godehardi 433, m. Innocentii III. de canonizatione S. Chunegundis 465, m. Leonis IX. pro S. Symeone 168. pro S. Remigio. 726
Burchardus archiep. Lugduni 652, a. 662. archicancellarius. 640, a
Burchardus Viennæ archiepiſcopus. 662, a
Burchardus Vvormatiæ epiſcopus 598, m. 600, a. Ejus decretum, Vita &c. laudantur 599, a. 600, a. decretum mſ. 32, m
Burchardus abbas Degarenſis. 405, n
Burchardus abbas S. Emmerammi. 25, a
Burchardi abbatis S. Galli geſta. 198, & ſeqq.
Burchardus-Ingenitus abbas S. Galli. 198, a
Burchardus ſcriptor Sangallenſis. 198, a
Burdegalæ archiepiſc. Gotafredus 736, a. comes Guillelmus. 52, a
Burgum S. Domnini. 161, m. 514, m
Buſclavus Sclavorum rex. 292, a. 294, m

C

CABILONENSES epiſc. Achardus 676, a. Gofridus. 349, m. 642, a
Cadroë abbas Mettis. 28, a. 32, a
Cadurcenſ. epiſc. Bernardus. 45, &c. Deus-dedit 647, a. m.
Cæleſtinus III. papa. 237, a. 244, a. 251
Cæleſtini monachi libellus. 82, a
Cœnæ Domini celebrandæ mos. 160, m
Calabricum bellum ſub Ottone. 400, m
Calvomontenſis pagus. 29, m
Camaldulenſis ordinis initia. 277, & ſeqq.
Cameraci epiſc. Theodericus 65, m. Gerardus 516, m. &c.
Camertina provincia. 298, m
Campania comes Odo. 525, &c.
Canadienſis epiſc. S. Gerardus. 627, &c.
Canon Miſſæ. 231, a
Canonicæ horæ 109, a. curſus 105, a. V. Officium.
Canonici libri & authentici præter S. Scriptur. 571, m
Canonizationes altaris erectione 172, m. 269, m. 279, m. 508, m. Obtentu difficiles 239, m. Sedi apoſtolicæ reſervatæ 432, m. In conciliis generalibus 433, a. Iis neceſſaria cum ſanctitate morum miracula, 466, a.
Cantia. 126, m
Cantianorum mart. reliquiæ. 414, m
Cantuaria diripitur 113, m. 114, a. 119. eccleſia à monachis poſſeſſa 127, a. n. Patriarchatus 123, m. 124, m. 125, a. Huc transfertur S. Elphegus 123, & ſeqq.
Cantuariæ archiepiſc. Dunſtanus 41, &c. Britvvaldus, Athelmus, Egelgarus 448, a. Egelnothus 123, a. Alfricus 61. Siricius 62, &c. Livingus 447, &c. Elphegus, Lanfrancus 113, &c. S. Anſelmus 363. &c.
Canutus ſeu Cnutus Danorum dux 122, m. fit rex Angliæ 123, a. & ſeqq. 447, & ſeqq. Ejus pietas 449, a. 450.
Carcaſſonæ epiſc. Giffredus. 312, &c.
Carnotenſis eccleſia reſtaurata 450, m. Ibi reliquiæ S. Odilonis. 677
Carnotenſ. epiſc. Odo 44, m. Theodericus 314, a. &c. Rodulfus, Fulbertus. 316, &c.
Carolus-Calvus imperator 337, m. Ejus codex Evangeliorum. 4, a
Caroli M. expeditio in Saracenos. 54, m
Carolomannus rex fit monachus. 399, a
Caroli-Martelli genus. 398, m
Caſimirus ex monacho rex Poloniæ. 670
Caſini abbates & viri pii ſæculo XI. 96
Caſſela Haſſiæ urbs. 249, a. n
Caſſianus monaſterii Maſſiliæ auctor 607, m. 610, a. m
Caſſinogilum palatium. 35, m. 54, m
Caſtor epiſc. Aptenſis. 95, a. n
Caſtriduni vicecomitiſſa Hildegardis. 317, a
Caſtri-Theoderici urbs. 194, m. n. 197, a
Catalauni epiſcopi Rogerus. 526, &c.
S. Catharinæ reliquiæ, &c. 368, m
Cellerarius regis. 265, m
Celſus Ariſtoteli ſuppar. 177, a
Cenomannica urbs 134, m. ſubdita comiti Andegavenſi. 135, m
Cenomann. epiſc. Gervaſius. 724, m
Charta S. Henrici pro Fructuaria 348, m. pro monaſt. Helmvvardeshuſen 383. pro monaſt. Nortvvaldenſi 480, a. pro monaſt. Paderbornæ 389, m. Conradi pro Fructuaria 349, a. pro monaſt. Piſcarienſi 487, m. Hugonis regis pro Floriacenſibus 34. Roberti regis pro Fructuaria 349, m. Henrici regis pro monaſterio Centulæ 501. Rodulfi regis pro monaſterio Beracenſi 651, a. Sancii regis pro reformatione monaſteriorum Hiſpaniæ 657, 658. S. Stephani regis Hungar. pro monaſt. S. Martini 73, m. Cnutonis regis pro monaſterio Glaſtoniæ 448. pro Croylandenſibus 449, m. Ermengardis reginæ pro Taluceriis 736. Petri archiep. Senonenſis &c. pro monaſt. S. Petri Vivi 266, a. S. Bernvvardi de fundatione monaſterii Hildesheim. 227. Brunonis epiſc. Lingonenſis pro Beſua 345, &c. S. Froilani epiſc. Legionis pro monaſterio de Domnos-ſanctos 60. Lamberti Lingonenſis epiſc. pro Fructuaria 350. Liberti epiſcopi Firmani 173. S. Meinvverci pro monaſterio Abdingoffenſe 391, a. Stephani epiſc. Claromont. pro Chavriaco 655, m. Theodaldi epiſc. Aretini pro Camaldulo 277, m. Vvalterii epiſc. Æduenſis pro monaſt. Magabrenſi 650. Vvolbodonis epiſc. Leodienſis pro Gemblaco 602. Arnulfi abbatis Carnotenſis 316, m. B. Guillelmi pro fundatione monaſt. Fructuariæ 347. S. Odilonis pro Cluniaco 633, m. fundationis Voltæ 634. Ejus & Odilonis prioris pro monaſt. Celſinianenſi 649, m. Ademari pro monaſt. S. Marcelli de Salciaco 656. Angelranni comitis pro monaſterio Centulenſi 500, a. Raynoldi comitis pro Juliaco 654, a. Richardi II. ducis Nortmanniæ pro monaſterio Centulæ 497, m. Richardi comitis Normanniæ 317, m. Helviſæ pro monaſt. Columbenſi 365, 366. Hildegardis vicecomitiſſæ Caſtriduni 317.

Digitized by Google

Hilſuindis pro monaſterio Thornenſi. 88, a
Chriſtianus epiſc. Patavii. 400, a
Chriſtina abbatiſſa Gandersheim. 209, a
Chriſti nominis invocatio dæmonem fugat. 111. a
Chunigundis auguſta 480, a. Ejus coronatio 222, m. 408, m. pietas 385, m. 389, m. Vita &c. 451, *& ſeqq.*
Chuno, Cono ſeu Conradus imp. & rex Burgundiæ, 646, m.
Ciceſtrenſ. epiſc. Egelgarus. 448, a
Cincius Cardinalis. 237, a. 244, a. 251
Cinerum dies. 694, a
Citienſis epiſc. Hugo. 210, a. 215, 221, a
Citizenſis epiſc, Hildevvardus. 413, &c.
Clarii chronicon. 254, *& ſeqq.*
Clari monachi geſta. 472
Clarus Viennenſis abbas. 473, m
Claudius Granerius epiſc. Genevæ. 737, a
Clementis papæ reliquiæ. 486, m
Clemens II. papa. 683, m. 688, a
Clerici noctu divinum officium perſolvunt. 105, a
Clia mons. 107, a
Colocenſis epiſc. Anaſtaſius. 74, m
Coloniam delatum corpus S. Pantaleonis, 542, m. Ejus eccleſiæ privilegium. 720, n
Coloniæ Archiepiſc. S. Anno 350, m. Bruno. 86, a. Evergerus 89. m. Henricus 444, a. Heribertus 18, &c. Herimannus 587, a. Piligrinus. 230, &c,
Columbanus. 165, a. 241, m. 452, a
Columbaria urbs. 187
Comenſis epiſc. Albericus. 699, n
Comes Palatinus. 380, m
Commaclienſis epiſc. Johannes. 508, m
Commerceii caſtri direptio. 525, a. 536, a. 542, m
Communio corporis & ſanguinis Domini. 146, a. 232, m. a Laïco 111, a. V. Viaticum.
Compendii palatium 517, a. Clerici &c. 718, m. 724, m.
Compoſtellæ archiepiſcopus excommunicatus. 724, a
Concilium Ænhamenſe 114, a. Anſanum 662, a. Aquiſgranenſe 388, a. Ariacenſe 349, m. Aurelianis 192, 193. Calcedonenſe 43, a. Claromontanum ſub Urbano II. 364, m. S. Dionyſii 35, 43, m. Francofordii 220, 221, 222, 223, m. 412, m. 413, Fridiſlarenſe 200, m. 221, m. Geizlicenſe 413, a. Lateranenſe 153, m. Lateranenſe 347, m. ſub Benedicto 153, m. 149, m. Lemovicenſe II. 368, a. Leodienſe ſub Innocentio II. 396, a. 432, m. Mogontiæ 410, a. 724, m. Palithi 218, m. 219, 221, m. 413, m. Remenſe ſub Leone IX. 701, *& ſeqq.* ſub Calixto II. 662, m. ſub Innocentio II. 396, a. 433, Romæ 70, m. 215, a. 722, Salegunſtadienſe 368, a. 599, a. Selingeſtadenſe 411, a. Trotmanni 92. m. Tuderti. 221
Confeſſio facta ſacerdoti. 11, a. 24, a moribundo 16, a. 295, a. 300, a. 561, alterna. 21, m.
Confeſſor Arnulfus abbas. 318
Confraternitas in honorem S. Godehardi. 444, m
Cono epiſcopus. 641, m
Cono epiſcopus Peruſinus. 70
Cono abbas Buſendorffenſis. 585, a
Cono abbas S. Vitoni. 518, a
Conradus S. Henrico ſuccedit 458, m. Coronatur 412, 491, a. Caſinum inviſit 102, a. Ejus cum Henrico Francorum rege pax 584, dicitur Chuno, rex Burgundiæ. 646
Conradus dux Lotharii regni. 26, m
Conradus archiepiſc. Moguntiæ. 251, a
Conradus ab Allenhauſem abbas Abdingoffenſis. 395, a
Conradus abbas Helmvvardeshuſen. 384, a
Conradus abbas Hildesheimenſis. 233, m
Conſeranenſis epiſc. Bernardus. 312, m. *&c.*
Conſtabilis abbas Cavæ 727, m. 729, a. epiſc. Policaſtri. 728
Conſtantiæ in Gallia epiſc. Joffridus 721, Ugo. 348, a.
Conſtantiæ in Germania epiſc. Ruodhardus. 200, a
Conſtantia regina uxor Roberti. 254, m. 255, m. 264, a.
Conſtantinopolitanus epiſcopus Univerſalis titulum ambit. 550, m
Conſtantinus epiſc. Aretinus. 278, m
Conſtantinus abbas Scandriliæ. 358, a
Conſtantinus abbas S. Simphoriani auctor vitæ Adalberonis II. epiſc. Mettenſis. 28, m
Conſtantinus monachus in Caſinum beneficus. 202, m
Conſtantius canonicus Remenſis. 719, a. n
Cornelii papæ reliquiæ. 718, m. 724, m
Corona ſuſpenſa in templo 207, a. ſuper altare 275, a. ad SS. ſepulcrum. 24, m
Cortram abbas Hibernus. 471, 472, a
Coſmas monachus. 376, a. n
Convenenſes epiſc. Arnaldus 312, m. Guillelmus. 313, a.
Creſcentius Romæ patricius 180, a. rebellio. 291, m
Crucifixus in eccleſia 407, a. aquam è latere emittit 534, a. alius benedicit orantem 539, a. moribundo oblatus. 688, m
Crucis particula celebris Hildesheimii. 287
Crucis ſignum 93, a. Ejus vis 154, m. *& paſſim.* ſignatio. 162, a
Crux in manibus moribundi. 182, m. 673, m. 689. 690.
Crux ſuper portas &c. prædiorum monaſterii. 393, a
Crux pectoralis epiſcopi. 122, m. 123, m
Crux ante Apoſtolicos legatos delata, & ante Stephanum regem. 74, m. 75, a
Cumæ epiſc. Albericus. 699, &c.
Cyclos corrigit Abbo. 50, a
Cyrici martyris reliquiæ. 578

D

D. Abbas Michelveldenſis. 467, a. n
Dacia, ſub apoſtolicæ ſedis tutela 237, a. An Dania n.
Dado epiſc. Virdunenſis. 541, a
Dæmoniacus occulta pandit 110, a. Tepidum monachum accuſat. 110, m
Daganus epiſc. Magdeburgi. 132, m
Dalmaticum regnum, ſeu Ducatus, id eſt Veneriarum. 283, m
Damaſus papa ex epiſc. Brixiæ. 715, a
Danamarca 124. *Dania*, Danicus cenſus 237, n. ibi perſecutio. 130, m
Dani Cantuariam diripiunt 115, a. 119. Eorum apoſtoli 132, a. V. Normanni.
Daventria cœnobium 204, a. urbs *ibid.* n.
Decimæ, de iis rixæ 35. laïcis, ac monachis. 43, m
Defuncti miſſâ celebratâ liberantur à pœnis 619, m. Eorum commemoratio inſtituta 665, 701, a. Decretum ea de re, &c. 666
Denia rex Alaïus. 624, a
Dertoſa rex Agaliſus. 624, a
Deſiderius abbas Caſini 729, m. 731, a. 734, a. V. Victor III.
Dieto dux Norici. 17, m
Dietricus epiſc. Mindenſis. 401, n
Dionyſii eccleſiam viſitat S. Bernvvardus. 223, m
Diſciplinæ uſus 513, 531, 592, a. V. *Præfat.*
Dithmarus epiſc. Merſeburg. 79, a
Dodo epiſc. Nuceriæ. 488, m
Dolenſis metropolis. 722, m. a
Dominicæ dies ad conſecrationem Epiſcopi. 29, a
Dominici abbatis Sorani vita. 355, *& ſeqq.*
Dominicus abbas Caſaurienſis. 493, m
Domnoſus abbas Petradæmonis. 357, a
Dormientes-ſancti. 73, m
Drogo epiſc. Bellovaci excommunicatus. 724, a
Drogo epiſc. Morinenſis ſeu Teruannæ. 503, a. 720, m. 722, a.
Druthmarus abbas Corbeïæ Saxonicæ. 384, m
Duduc epiſc. Wellenſis. 712, m. 721, m. n
Dunſtanus archiepiſc. Cantuariæ 41, a. 117, m. 121, a

Digitized by Google

152, m. 448, a.
Durandus præſul. 313, a
Durandus epiſcopus Leodii 183, m. 184, 497, m. 557, a. 603, m.
Durandus ex abbate Aptenſi epiſcopus Vencienſis. 94, a.
Durandus abbas Saviniaci. 657, m. 735, m
Durandus abbas Troarnenſis. 362, m
Duſtein 113, m. V. Elphegus.

E

EBALUS archiepiſcopus Remenſis. 497, m
Eberhardus archiep. Trevirenſis. 717, *ad* 722
Eberhardus epiſc. Bamberg. 412, m. 419, a. 452, a
Eberhardus epiſc. Ratiſponæ. 480, a
Eboraci archiepiſcopi, Alfricus 450, a, Oſvvaldus 41, a. Thomas. 449, m
Ebroïcenſes epiſc. Ugo 348, a. Rotrocus. 367, a
Eccleſia Chriſti eſt, non alterius cujuſlibet 43, m. Cur dicitur univerſalis 332, a. Eccleſiæ dominium an aliud ab altari 43, m. Eccleſiæ violatores divinitus puniti. 66, a
Edithæ ſanctitas vindicata. 449, a
Edredus rex Croylandiæ reſtaurator. 450
Edricus Angliæ proditor. 118, m
Edmundus rex Angliæ ſanctus. 447, m. 448, a
Egelgarus abbas, tum epiſc. Ciceſtrenſis, denique archiepiſc. Cantuariæ. 448, a
Egelnothi-Boni archiepiſc. Cantuariæ 123, *& ſeqq.* Geſta. 447, *& ſeqq.*
Eggar rex in Anglia. 131, m
Eginardus ſcriptor vitæ Caroli Magni. 54, m
Egilbertus epiſc. Friſingæ. 393, a
Eilbertus monachus S. Theoderici 575, 577, a. tum abbas Maricolenſis. 576, m. n
Eilbertus præpoſitus Goſlariæ legatus C P. 442, a
Eiſtetenſis epiſc. Willebaldus. 399, a
Ekkehardus epiſc. Sleſvvicenſis 212, m. n. 213, a. 214, 220, a. 226. 227, a. 229, a. 408, a.
Ekkehardus comes. 383, a
Eleazarus comes, vir ſanctus. 608, m
Elfricus epiſc. 61, a. V. Alfricus.
Elfvvardus epiſc. Londini, 450, m
Eligius fundator Sollemniaci. 45, a
Eliſgaugium regio. 581, m. n
Elizabeth abbatiſſa Balmæ. 671, a
Elo Palatii comes. 585, a. n
Elphegus archiep. Cantuariæ 62, m. 448, a. Vita, &c. 113, *& ſeqq.* Tranſlatio. 447, m. 449, a
Embricho epiſc. Ratiſponæ. 17, m
Emericus S. Stephani regis filius. 76, a
Emio archiep. Tarentaſiæ. 736, a
Emma regina Angliæ. 127, a
Emmelinus S. Vedaſto præficitur. 589, m
Emmerammi tranſlatio & baſilica. 17, a
Encoliſmæ epiſc. Roho. 654, 736, a
Eodaldi Tranſlatio. 254, *& ſeqq.*
Epiphanii Ticini epiſc. corpus. 410, a. n
Epiphanius abbas S. Remigii. 713, n
Epiſcopi dominicis diebus ordinandi 29, a. Eorum benedictio 155, m. Crux, ſandalia, 122, m. Virga paſtoralis 18, m. 225, m. 723. Veſtium vanitas notata 11, m. Iis profeſſio facta ab ordinandis 324, m. Non poſſideant monaſteriorum bona 10, m. Eorum conſenſus ad monaſt. exemtionem requiſitus 70, m. in pontificalibus ſepulti. 16, m
Epiſcopus-vicarius. 362, m
Epiſtola Agnetis auguſtæ 350, m. Aymonis prioris Silviniaci ad canonicos Carnotenſes 677, m. Balderici epiſc. de laudibus Fiſcamni 352. Burchardi monachi de commem. defunctorum 665. Cleri Cantuariæ 61. Cleri Gallicani de S. Remigio 727. S. Cunegundis ad Confugienſes 458. S. Guillelmi abbatis 330, a. 335, a. Ottonis III. pro S. Brunone 81, a. Poponis archiep. Trevirenſis ad Benedictum IX. 369, m. Silviniacenſium de extremo morbo & morte S. Odilonis. 673
Eppo epiſc. Auguſtenſis. 413, m
Eppo epiſc. Bambergenſis. 383, m
Eraclius epiſc. Leodienſis. 544, n
Erardus abbas Britegili. 319, a. m
Ercambaldus ex abbate Fuldenſi archiep. Mogontiæ. 409, a. 225, m. 266, a. 228, m. archicapellanus, 383, m.
Ercambertus abbas Altahæ. 400, n. 401, a
Ercamboldus abbas Floriaci. 32, a
Ercenfridus epiſc. Ratisponæ. 17, m
Erembertus epiſc. Friſingenſis. 399, a
Eremvoldus abbas S. Bavonis. 66, m. *ad* 69, m
Eremitæ prius ſub abbate profitebantur. 476
Eribaldus epiſcopus. 313, a
Ericus epiſc. Havelbergenſis. 383, m
Erluinus epiſc. Atrebati. 578, n
Erluinus abbas Gemblacenſis 599, m. 603, m. Item alter. 603, m
Ermenaldus abbas S. Petri Vivi. 254, m
Ermengardis regina Burgundiæ. 736
Ermengardis Godefridi filia. 584, m
Ermengardis comitiſſæ obitus. 661, m
Ermenricus abbas S. Vitoni. 27, m. 537, m
Ermentheus epiſc. Aurelian. 34, m
Ermuinus epiſc. Æduenſis. 644, a
Ernulfus epiſc. Aurelian. 34, m
Etheldagus archiepiſc. Bremenſis. 128, m
Ethelredus rex Angliæ imbellis. 118, m
Ethelvvoldus epiſc. Wintoniæ. 116. m. 117, n. 474, m.
Evangeliorum egregius codex. 3, m. 4, a
Euchariſtia ſervatur in pixide pendente 542, m. qui ſatisfaciendum pro effuſione ſanguinis. 531, a
Everardus abbas S. Martini. 348, a
Evergerus Coloniæ archiepiſc. 89, m
Everhelmus abbas Altimontis 569, m. 571, m. 585, a. 590, *ad* 596.
Evervinus abbas Trevirenſis. 367, m. *ad* 377, 528, a. n.
Evo abbas Brunvilarienſis. 585, a
Euraclus epiſcopus Leodii. 182, a
Euſebius epiſc. Andegavi. 717, 721, *ad* 723
Euſpicii abbatis Tranſlatio. 313, *& ſeqq.*
Excommunicationis vis. 429, m
Excommunicati mortui abſolvuntur 430, a. Eorum corpora non conſumuntur. 131, m. n
Exemtio monaſteriorum 48, 74, a. 347, 354. Eam tuetur Abbo 33, *ad* 42. Exigit epiſcopi conſenſum 70, m. Ejus damnum reſarcitur donatione 74, a. Cluniacenſibus conceſſa. 662
Exorciſmi. 247, m
Exorciſtæ ordo. 203, a
Expeditio in Terram-ſanctam. 238, a
Extrema-unctio. 182, &c.
Exuperantii mart. reliquiæ. 218, a
Exuperius martyr. 602, a. 604, m

F

FAMES valida in Ægypto 374, a. in Gallia 557, m. 604, a. 684, m.
Farulfus comes. 299, m
Feliculæ tranſlatio. 161, m
Felicis martyris corpus. 382, m. 390, m
Felix epiſc. Mettenſis. 30, a
Felix monachus Caſini pius. 102, m. 103, a
Feraldus epiſc. Vapinci. 643, m. 646, m
Ferdinandus Furſtembergius epiſcopus Paderbornæ. 388, m.
Feſtum S. Agathæ 146, m. S. Benedicti menſe Decembri apud Floriacum 56, m. Ejus Tranſlationis 521, a. S. Bricii 54, m. 57, a. S. Gereonis 148, m. S. Martini 54, a. Turonis celebre 42, a. S. Nicolai 110, m. SS. omnium 701. recens 499, a. tum defunctorum 666, 667, 701. S. Remigii 712, 726. Ejus baſilicæ dedicationis 720, a. SS. Trinitatis

Digitized by Google

170, a. V. *Cetera ſuis locis.*
Fingenius abbas S. Vitoni, & S. Felicis Mettis 187, m. 188, m. 520, a. 526, a. 537, *ad* 540. Ejus geſta 25, *& ſeqq.*
Firmani abbatis S. Savini geſta. 171
Firmani epiſcopi, Ubertus, Libertus, Grimoaldus, Buliganus, 173. Alii. 174, a
Firmini epiſc. reliquiæ. 27, a
Firminus abbas Ambianenſis, fictus. 172, a
Firmus abbas. 173, a
Flenccbi pagus. 208, a
Floridæ ſanctimonialis corpus. 338, a
Florinenſis pugna. 601, n
S. Flori epiſc. Raymundus. 656, a
Folehardus epiſc. Brandeburgi. 424, a
Folcmarus epiſc. Trajecti. 202, m. 204, a
Folcguardus epiſcopus in Slavania. 133, a
Formula *Regnante Chriſto.* 641
Forojulii epiſc. Gaucelmus ſeu Gocelinus. 653, m
Francia Teutonica. 319, m
Franciſcus-Saleſius epiſc. Genevæ. 736, 737
Franco epiſcopus. 646, m
Franconia dux, Godefridus. 137, a
Franci Orientales & Occidentales. 584, m
Frankemunſter caſtrum. 199, m. 200, a
Fratrum VII. martyrum reliquiæ. 382, m
Friedunenſis epiſcopatus. 653, m
Fridericus Cancellarius Rom. eccleſiæ Caſinum viſitat. 102, m
Fridericus ſeu Fritthericus Cardinalis legatus apoſtolicus, tum archiepiſc. Ravennas. 216, a. 218, m. 219, 221, m.
Fridericus archiepiſc. Moguntinus. 209, a
Fridericus archiepiſcopus Saltzburgi. 7, m. 400, n
Fridericus epiſc. Genevæ. 736, a
Fridericus abbas Hildesheimenſis. 396, m
Fridericus abbas Hirſaugiæ. 4. m
Fridericus comes Virduni & monachus 519, m. 520, 521, 524, m. 539, m. 540, m. 579, a. 671, m. parentes, 543. 544. Ejus geſta. 185, m. *& ſeqq.*
Fridericus Ænobarbus. 187
Fridericus dux Galliæ-medianæ. 29, a
Fridericus dux. 140, a
Friſingæ epiſcopi Egilbertus 393, a. Erembertus. 399, a.
Friſonum bellum. 181, a
Froila S. Froilani mater. 58, m
Froilanus epiſc. Legionenſis 82, *ad* 84, Ejus geſta. 58.
Frollandus epiſc. V. Rollandus.
Fulbertus epiſc. Carnotenus. 31, a. 192, m. 197, a. 316, a. 318, m. 361, m. 450, m. 496, a. 502, a. 523, m. 600, a. 670, m. 671, a. 686, a.
Fulbertus abbas S. Bavonis. 69, m
Fulco epiſc. Ambiani, 348, a. Excommunicatus. 724, a.
Fulco Centulæ abbatiam ambit 503, m. abbas Foreſtenſis. 504, a. 505
Fulco abbas Corbeiæ. 721, a
Fulco comes Andegavi. 133, m. 135, m
Fulcuinus abbas S. Vincentii Mettis. 598, m
Fulradus abbas S. Vedaſti. 578, m. n
Fumareth dæmonis nomen. 275, a
Furconenſis epiſc. Vvalterius. 488, m

G

GAIBALDUS epiſc Ratiſponæ. 399, a
Gallia-mediana dux Fridericus. 29, a
Gandavenſis eccleſia S. Johannis. 74, a. n
Gargani mons 45, m. V. S. Michaël.
Garſeas abbas Onienſis. 658, m
Garſias-Sancius, Navarræ rex. 169, a
Garſias rex Hiſpaniæ. 661, a. 665, a
Gaubaldus epiſc. Ratiſponæ. 17, a
Gaudentii punitio poſt mortem. 306, m
Gaudfridus-Hiro ſcriptor. 256, a
Gaufredus epiſc. Cabilonenſis. 642, a
Gaufridus prior Silviniaci. 677, m
Gaufridi de Colone ſcripta. 255, m
Gauſcelinus abbas. 610
Gauſlinus archiepiſc. Bituricenſis & abbas Floriaci 31, a. 32, m. 314, a. 348, a. 661, a.
Gauſlinus epiſc. Lingonenſis. 337, n
Gauſlinus epiſc. Matiſconenſis. 643, 644, 646, 662, 672, a.
Gauzerannus abbas S. Eugendi. 704, m
Gebehardus archiepiſc. Ravennæ. 513, m. n
Gebehardus I. epiſc. Ratiſponæ 18, m. 20, a. 22, m. Tres hujus nominis. 17, m
Geiza dux Hungariæ. 78, a
Gela filia Hugonis regis. 504, m
Gelduinus archiep. Senonum. 724, a
Gelduinus comes tum monachus. 525, 562, m
Genevæ epiſc. Hugo 651, &c. Fridericus, S. Franciſcus Saleſius 736, m. Claudius Granerius. 737, m
Geraldus de Turre fit monachus. 649, m
Gerardus epiſc. Cameracenſis 516, m. 517, a. 523, a. 575, m. & Atrebatenſis. 545, m
Gerardi epiſc. Canadienſis vita. 627, *& ſeqq.*
Gerardus epiſc. Hildesheimenſis. 204, n
Gerardus epiſc. Siſtaricenſis. 608, a
Gerardus abbas Auriliaci. 656, a
Gerardi abbatis Criſpeienſis, tum Fontanellæ geſta 361, m. 362, a.
Gerardus abbas S. Galli. 198, m
Gerardus abbas Silvæ-majoris. 495, a
Gerbaldus abbas S. Chriſtinæ. 328, m
Gerbertus papa. 215, a
Gerbertus abbas Moguntinus. 413, a
Gerbirga S. Adelheidis mater. 137, 139, m. 141, m
Gerburga abbatiſſa Gandersheim. 209, *ad* 211, 408
Gerburgis abbatiſſa Gandersheim. 208, m. 209, a
Gerdagus epiſcop. Hildesheimenſis. 204, m. 210, a. 408, a. n.
Gerlannus archiepiſc. Senonenſis. 261, a
Germanus abbas Rameſiæ. 40, m
Germani prioris Taluer. geſta. 735, &c.
Gero archiepiſc. Magdeburgi. 383, m
Gero comes occiſus. 401, a
Geroldus conſanguineus Caroli Magni. 388, m
Gertrudis. 88, a
Gervaſius epiſc. Cenomann. tum archiepiſc. Remenſis 724, m.
Gervinus monachus S. Vitoni 525, m. abbas Centulæ 494, m. 495, a. 505, a. 506, 516, 536, m. 537, a. 721, a.
Gerundæ epiſc. Petrus. 312, m. &c.
Gerungus abbas S. Paulinæ. 436, n
Gibuinus epiſc. Lauduni. 725, a
Giddo philoſophus, 79, m. 80, a
Giffredus epiſc. Carcaſſonæ. 312, m. 313, a
Girbertus abbas Brolii. 705, m. 706, a
Girberti abbatis Fontanellæ elogium. 362, *& ſeqq.*
Girbertus-ſcriptor. 342, m. 343, a
Giſilarius epiſc. Magdeburgi. 132, m
Giſla abbatiſſa Jotri. 255, a
Giſla imperatrix. 393, a. 415, a
Giſlebertus epiſc. Lexovienſis. 364, m
Giſlebertus epiſc. Pictavenſis. 134, a. 642, a
Giſlebertus abbas S. Cypriani Pictav. 52, m
Giſlebertus comes Luxeburgenſis. 524, a
Gizilerus archiepiſc. Magdeburgi. 128, m
Glabri-Rodulfi Hiſtoria in gratiam monachorum, 668, a.
Goaris miraculum. 460, a
Gocelinus epiſc. Forojulienſis. 653, m
Godefridus abbas Vezeliaci. 721, a
Godefridus dux Franconiæ. 137, a. 139, m
Godefridus frater S. Adelheidis. 140, m
Godefridus Lotharingiæ dux. 181, a. 601, m
Godefridus pater V. Friderici. 185, m. 186, a. 543, a
Godefridus frater V. Friderici. 185, m. 186, a. 189, m. 544, a.

Godefridus

Digitized by Google

Godefridus Gozelonis filius. 185, m. 186, a
Godehardus abbas Altahæ 22, a. tum epiſc Hildeſheimenſis 239, a. 390, m. 392, a. 394, a. 454, m. 476, 480, m. 481. 482. Ejus Vita, &c. 395, & ſeqq.
Goderamnus abbas Hildesheimenſis. 227, a
Godeſtenus abbas Lintburgenſis. 588, m
Godeſti abbatiſſa Herivordiæ. 385, a. m
Godo epiſc. Mettenſis. 30, a
Godricus Cantuariæ decanus. 125, a
Godvvinus epiſcopus Roffenſis. 63, a
Goericus epiſc. 29, m. 30, a
Goffridus abbas Angeriacenſis. 657, m
Gonor uxor Richardi comitis Normanniæ. 318, a
Gontardus archidiaconus Taurini. 347, m. 348, m. 350.
Gontramnus abbas S. Trudonis. 570
Gonzaga opidum. 162, m
Goſbertus abbas S. Juliani Turon. 348, a
Goſfridus epiſc. Cabilon. 349, m
Goſlatienſis eccleſia. 415, a. n
Goſlinus. V. Gauſlinus.
Gotafredus archiep. Burdigalæ. 736, a
Gotefredus archidiaconus Mediolan. fit monachus 340, m. tum Abbas. 341, a
Gotheſcalcus præpoſitus Leodii. 183, m
Gozelo dux. 185, m. 186, a. 544, a. 578, 579
Gozlinus epiſc. Tullenſis. 32, a
Græcorum cenodoxia 335, a. 330, n. Græco habitu vagantes. 411, a
Gratianopolis epiſc. Humbertus. 639, m
Gregorius M. papa 337, a. mitiſſimus Doctor 548, m. S. Benedicti Regulam præſcribit Anglis 39, m. Ejus dialogi. 561, a
Gregorii V. papæ laudes. 33, m. 47, m
Gregorius monachus archiepiſcopus in gentibus. 298, m.
Gregorius Turonenſis. 328, a. 338, a
Gregorius epiſc. Aretinus. 278, m
Gregorii Arimin. eccleſia. 81, m
Gregorius epiſc. Lingonenſis. 328, a. 337, *ad* 339
Gregorius abbas Mediolanenſis. 508, m
Gregorius archidiac. Leodii monachus. 185, m. 524, m. 543, a.
Gregorii duo monachi Caſinenſes, pii. 103, m
Grimoaldus epiſc. Firmanus. 173, m
Grimoaldus abbas Piſcariæ. 486, m
Grimoldus abbas S. Vitoni. 537, m. 563. n. 565, n.
Guaimarius princeps Salerni & filius cognominis, 107, m. Ejus ſigillum. 728
Gualeranus comes Mellenti. 365, m
Gualterius epiſc. Aretinus. 278, m
Guarinus abbas Lezatenſis. 313, a
Guarinus abbas S. Michaëlis de Coxano. 283, *ad* 287, 312, 313.
Guaſconia fines 53, m. dux Guillelmus. 52, a
Guato epiſc. Leodienſis. V. Vvatho.
Guerinus abbas S. Remigii Senon. 256, a
Guibertus abbas Gemblaci. 603, m. 606, m
Guido epiſc. Ambiani. 503, a. 507, a, 724, a
Guido monachus epiſc. Aretinus. 278, m
Guido abbas Foreſtenſis. 504, m
Guidonis abbatis Piſcariæ vita. 486, &c.
Guido Pompoſianus 172, m. Ejus vita. 508. & ſeqq.
Guido II. abbas Pompoſiæ. 513, a
Guidonis Aretini epiſtola emendata 508, m. Monachus fuit. *ibid.*
Guidonis comitis filii pia mors. 299, a
Guifredus archiepiſc. Narbonenſis. 312, m. 313, a
Guifredus epiſc. Carcaſſon. 313, a
Guifredus abbas S. Victoris Maſſiliæ. 607, n. 608, 611, a.
Guilabertus epiſc. Barcinonenſis. 313, a
Guillelmus epiſc. Aretinus. 278, m
Guillelmus abbas Divionenſis 454, m. 523, a. 632, m. 660, m. 676, m. 689, m. Dicitur Supra-Regulam 344, a. 349, a. 550, a. Ejus vita, &c. 320, & ſeqq.
Guillelmus de Roz abbas Fiſcamni. 352, a
Guillelmus Quatrantus abbas S. Petri-Vivi. 256, a
Guillelmus abbas Pompoſiæ. 510, m
Guillelmus abbas S. Vitoni. 518, a
Guillelmus Nothus dux Normanniæ, rex Angliæ 363, m. 364, a. 366, 367, a. Ejus devotio erga viros pios. 564, m
Guillelmus Burdegal. comes. 52, a
Guillelmus Conſalvus comes Galleciæ. 169, a
Guillelmus dux Aquitaniæ Malleaci fundator. 134, a
Guillelmus comes Pictavorum. 52, m. 376, a. n
Guillelmus, *vide* Willelmus.
Guirinus monachus doctus Gemblac. 598, m
Gumbertus abbas Limburgenſis. 588, a
Guntardi abbatis Gemetici geſta. 363, 364
Guntharius epiſc. Ratiſponæ. 17, m.
Guntherus cancellarius ſub S. Henrico. 383, m
Guntheri eremitæ Vita. 403, 475, & ſeqq.
Guntrannus rex. 337, m. 339, m
Gutlacus patronus Croylandiæ. 456, a

H

HACQUINUS rex Nordmannorum. 131, m
Hagano abbas Lintburgenſis. 588, a
Hago dux Danorum. 123, m
Habele regio. 131, a
Haimo abbas S. Clementis Mettis. 28, m
Halberſtatenſes epiſc. Arnoldus. 383, m. Brantous, 413, a.
Hammaburgi epiſcopi V. Bremenſes.
Hariulfus abbas Aldeburgenſis ſcriptor Chronici Centulæ. 494, m
Hartvvicus archiepiſc. Saliſburgi. 16
Hartvvicus abbas S. Emmerammi. 25, a
Haſbanienſe bellum. 572, a. regio *n*
Haſta Dominica in exercitu imperatoris 217, in coronatione. 222, m
Haſtopolis 20, m. 22, m. Vide Ratiſpona.
Hathamuda abbatiſſa Gandersheim. 407, m
Hathamoda abbatiſſa Bruneſteshuſen. 208, a. 209, a
Hato epiſc. Virdunenſis. 522, a. n. 541, a
Hatto archiepiſc. Moguntinus. 209, a
Hatula regio. 130, m
Havelbergenſes epiſc. Ericus. 383, m. Luizo. 413, a
Haulfus abbas Helmvvardeshuſen. 383, a
Hazeco epiſc. Wormatiæ. 413, a
Heimo epiſc. Virduni 27, m. 187, 190, 455, a. 518, a. 521, 523, a. 526, m. 533, a. 538, a. 550, a.
Heldemannus monachus archiep. Senon. 261, m
Helenenſis epiſc. Berengarius. 312, m. &c.
Heliæ abbatis Coloniæ geſta. 468, &c.
Heliſeus epiſc. Mantuæ. 168, m
Helizo epiſc. Hildesheimenſis. 422, a
Helmeradus epiſc. Regienſis. 653, m
Helviſæ elogium. 365, & ſeqq.
Henricus archiepiſc. Coloniæ. 444, a
Henricus archiepiſc. Treverenſis. 9, a
Henricus epiſc. Lauſanenſis. 651, m
Henricus epiſc. Vvirciburgenſis. 215, a. 383, m
Henricus abbas Abdingoffenſis. 388, m
Henricus abbas S. Audoëni. 317, a
Henricus abbas Cluniaci. 676, a
Henricus abbas Farfenſis. 487, a. n
Henricus abbas Helmvvardeshuſen. 384, a
Henricus Imp. S. 4, m. 22, m. 214, m. 330, a. genus 139, m. pietas 309, a. dux, Romæ intereſt Synodo 215, a. eligitur rex & ungitur 222, m. Caſinum inviſit 101, m. Ibi ſanatur 452, a. Cluniacum viſitat. Ejus dona, &c. 386, a. 660, a. Expeditio in Gandavenſes 66, a. Hiſtriones dimittit 580. Glorioſus dictus 178, a. Ejus profeſſio monaſtica 455, a. 516, n. 533. mors 411, m. memoria apud Cluniacenſes 686, m. Ejus geſta. 451, & ſeqq.
Henrici III. nuptiæ 560, a. Coronatio 413, a. Spiram transfert corpus S. Guidonis. 509, a. 514
Henricus Saxonius rex. 399, a

Henrici Franc. regis pax cum Conrado. 584
Henricus dux Bajoariæ S. Henrici pater 180, m. 399, a. rebellis deponitur, obiit &c. 401
Henricus dux Burgundiæ. 326, m. 336, m
Henricus comes Lovanii. 601, m
Herardus ſanctus ignotus. 57, a
Herbertus epiſcopus Lexovienſis. 318, a 721
Herculani mart. reliquiæ. 70, a
Herenfredus epiſc. Aretinus. 178, m
Heribertus archiepiſc. Coloniæ 18, m. 19, a. 144, a. 146, 178, m. 180, a. 220, a. 387, a 454, m. 523, a. 581, a. Ejus obitus 469. condidit monaſterium Tuitienſe. 470
Heribertus abbas S. Vincentii Mettis. 585, m
Heribrandus abbas Cellæ S. Giſleni. 585, a
Hericus Sueonum rex. 130, m. 131, m. 132
Herigerus abbas S. Pauli Trajecti. 585, a
Herigerus abbas Lobienſis. 599, m. n
Herimannus archiepiſc. Coloniæ. 587, a
Herimannus ſeu Hezelo comes 185, m. 186, a. 543, a. Fit monachus. 190, a. 191, m. 543, a
Herimarus abbas S. Remigii. 711, *ad* 726
Herivardus abbas Gemblaci. 599, m 603, m
Herivvard Saxonum liberator. 131, m
Hermannus epiſc. Tullenſis. 331, a
Hermannus epiſc. Vivarienſis. 647, m. 648, a
Hermannus epiſc. Wiltonienſis, Schireburnenſis & Sareſberienſis. 475, a
Hermannus Bernardi ducis pater. 132, m
Hermannus pius monachus Selginſtad. 473, a
Hermentrudis abbatiſſa Jotri. 254, m. 255
Herodis Attici factum. 179, m
Hetelo epiſc. Hildesheimenſis. 422, a
Herveus epiſc Trecenſis. 255, m. 256 a
Herveus S. Martini theſaurarius 57, a. 348, a Floriaci educatus. 37, a
Hervinus abbas S. Pauli Virdun. 520, m
Hiatoſpolis 11, a. V. Ratiſpona.
Hiberni monachi apud S. Symphorianum Mettis. 28, m.
Hiericho abbas S. Maximini Trevir. 582, m
Hieronymus, Orthodoxus dictus 238, m. laudatur 689, m. Ejus vita 38, a. Victorinum audit. 39, m. Regularis inſtitutio. 140, a
Hieronymus à Praga ſcriptor Camaldul. 277, 278
S. Hilarionis cellæ menſura 298, a. Vitæ rigor. 304, m.
Hilarion monachus, ſcriptor. 149, m
Hilarii ſenatoris corpus. 338, a
Hildefonſi eccleſia & reliquiæ. 85, a
Hildegardis vicecomitiſſa Caſtriduni. 317, a
Hildesheimenſis diœceſeos termini. 214, m
Hildesheimenſes epiſc. Altfridus 208, a. &c. Marcvvardus, Vvigbertus 208. m. Vvalbertus, Schardus, Thiotardus 209, a Berno 239, m. &c. Otvvinus 409, m. Helizo, ſeu Hetelo, 422, a. n. Azelinus 424, m. Bertholdus 430, m. Bruno 432, n. Bernvvardus 201, &c. Oſdagus 202, m. &c. Gerdagus ſeu Gerardus. 204, &c.
Hildevvaldus epiſc. Vvormaciæ. 209, m. 210, a
Hildevvardus epiſc. Citizenſis. 413
Hildinus epiſc. Virdunenſis. 522, a. n. 541, a
Hildolfus epiſc. Mantuæ. 413, a
Hilſundis S. Aufridi uxor 87, m. 88, pia mors 89, a
Hincmarus archiepiſc. Remenſis. 713, m. 714, a
Hincmarus abbas S. Remigii. 32, a 713, m
Hiſpania à Saracenis vexata. 169, m
Hiſtoriæ ſanctorum in officio divino recitatæ. 532, a
Honeſtus abbas Claſſenſis, tum epiſc. Ravennæ 279, 282, a. n.
Honeſtus epiſc. Peruſii. 70, a. 71
Honoratus epiſc. Maſſiliæ. 615, n
Hoya urbs Vveſtphaliæ. 233, m. n
Hoyenſium comes S. Aufridus 86, a. comitatum dat Leodienſi eccleſiæ. 87, m
Hubertus abbas S. Germani à Pratis. 362, m
Hubertus marchio 357, m. V. Ubertus.
Hucbertus abbas Foreſtenſis. 504, m
Hugo archiep. Remenſis. 713, m
Hugo archiep. Turonenſis. 317, m. 348, a
Hugo archiep. Veſontionenſis 647, m. 655, m. 717, *ad* 723.
Hugo epiſc. Abrincenſis. 721
Hugo epiſc. Autiſiodorenſis, comes 642, a. 647, a. Ejus parentes. 643, 652, 653
Hugo Bajocenſis epiſc. 348, a. 721
Hugo Citienſis epiſcopus. 110, a. 215, a. 221, a
Hugo epiſc. Conſtantiæ. 348, a
Hugo Ebroïcenſis epiſc. 348, a
Hugo epiſc. Genevæ. 651, m. 652, a
Hugo epiſc. Lingonenſis. 563, a. 721, *ad* 723
Hugo epiſc. Niverni. 717, *ad* 725
Hugo epiſc. Toloſæ. 312, m
Hugo nuntius Papæ. 312, m
Hugo abbas Cluniac. 699, m. 712, a. 718, m. 719, m. 721, a. 730, n. Ejus electio. 675
Hugo abbas Flaviniaci. 564, m
Hugo abbas SS. Trinitatis Rotomagi. 564, m
Hugo archidiaconus Rotomagi. 539, m
Hugo monachus pius Maſſiliæ. 608, m
Hugo rex Abbonis electioni conſentit. 32, a. 41, m
Hugo II. rex Franciæ 264, a. 348, a. dictus magnus. 330, m. n
Hugo Francorum dux. 32, a
Hugo magnus. 29, a
Hugo magnus Marchio. 283, m
Hugo marchio. 289, a
Hugo dux advocatus monaſt. Piſcariæ. 488
Hugo comes Cenomannenſis. 133, m. 134
Hugo cancellarius Conradi imp. 488, a
Hugo optimas in Aquitania. 44, m. 45
Humbertus epiſc. Gratianopolis. 639, m
Humbertus epiſc. Silvæ-Candidæ. 102, m
Humbertus epiſc. Valentiæ. 639, m
Humbertus abbas Epternaci. 585, a
Humbertus abbas S. Vitoni. 26, m. 27
Hunaldus abbas Tornodori. 339, m. 340, a
Hunfridus archiepiſc. Parthenopolis. 391, m. 392, a. 413, a.
Hunfredus conditor monaſt. Pratellenſis. 362, a
Hungari regem habere incipiunt 74, m. à Benedictinis ad fidem converſi 73, a. per S. Brunonem 81, a. Eorum devotio in B. Mariam 629, a. 630, a. V. Stephanus rex.
Hyacinthus martyr Caſini cultus. 106, m

I

Jacob epiſcop. Tullenſis. 342, m
Jacobi eccleſia in Gallicia 159, m. 168, a. Ejus archiepiſcopus. 724, a
Januarii martyris oſſa. 323, m
Jeroſolyma à Saladino capta. 237, m
Jeroſolymæ epiſc. Arſen. 149, a. &c.
Jeroſolymitana peregrinatio 98, m. Earum initia 45, m.
Ignatii cubiculum. 108, a
Ignis miraculoſus Sabbato ſancto. 553, m. n. 573
Imbertus epiſc. Pariſienſis. 343, a
Imbripolis, id eſt Ratiſpona. 5, a. 412, m. n
Immo epiſc. Aretinus. 278, m
Immo abbas S. Galli. 198, m
Imperator baculum paſtoralem dat electo epiſcopo. 7, m.
Imperatores monachorum precibus aſſociati. 349, a
Indulgentiæ 238, m. moribundis datæ 202, a. 417, m. perpetuæ ab epiſcopis datæ. 256, a
Ingelardus abbas Centulæ. 494, *ad* 502
Ingelbertus monachus archiepiſcopus gentium. 297, m
Ingelrannus. V. Angelrannus.
Ingo abbas S. Petri Vivi. 254, m
Ingobrandus abbas Lobienſis. 600, m
Ingulfus abbas Croylandenſis. 364, m
Innocentii papæ reliquiæ. 208, a. 407, m

Digitized by Google

Interemti cum veſtibus inloti ſepeliuntur. 56, m
Inveſtituræ epiſcoporum 178, a. per baculum. 130, a
Jocelinus abbas. 341, m
Joannes XV. papa 130. a. Ejus vitia. 47, a
Joannes XVIII. papa, ei S. Willelmus ſcribit 330, a. 335, a.
Joannes XIX. papa 701, m. 659, 683, m. pro Cluniacenſibus ſcribit. 659, m. 662
Joannes archiepiſc. Salzeburgenſis. 399, a
Joannes epiſc. Arimini. 81, m
Joannes epiſc. Commaclienſis fit monachus. 508, m
Joannes epiſc. Portuenſis. 702, a. 717, a. 721, a
Joannis epiſc. Itali elogium. 597, m. obitus, &c. 598
Joannes Primicerius. 106, a
Joannes-Capuanus abbas. 340, m
Joannes II. abbas Caſini 96, 99, m. Ejus obitus, &c. 97, a.
Joannes III. abbas Caſini ex Archidiacono Beneventano 97, m. Ejus pia opera 98. Obitus. 100, m
Joannes Rotundulus abbas Caſini. 100, m
Joannes abbas S. Dominici Soræ. 356, a
Joannes abbas Fiſcamni. 321, m
Joannes abbas Fiſcamnenſis. 363, m
Joannes ſeu Johannelinus abbas Fiſcamni 342, a. 349, a. 352, a.
Joannes abbas Fructuariæ. 341, a. 349, a
Joannes abbas Limburgi, & S. Maximini 585, a. m. 587, m. 588.
Joannes Angelus abbas Pompoſiæ. 511, a
Joannes abbas Ravennenſis. 340, m
Joannes abbas S. Vedaſti. 589, a
Joannes Camalduli prior. 178, m
Joannes decanus Aquenſis. 445, a
Joannes monachus martyr. 295, a
Joannes monachus pie obit. 109, a
Joannes pius monachus Selginſtad. 473, a
Joannes monachus Capuæ. 96, m
Joannis-Gradenicic onverſio, &c. 284, a. 286, 287. Obit. 288, a
Joannes Veneticus monachus Caſini. 105, a
Joffridus epiſc. Conſtantiæ. 721, 723
Jordanis epiſc. Lemovicum. 654, m
Joſcelinus epiſcopus. 653, m
Jotſaldus ſcriptor vitæ S. Odilonis, &c. 632, 633
Irregularitas ex homicidio. 653, m
Iſaac epiſc. Lingonenſis. 337, m. 338, a
Iſangrimus epiſc. Ratiſponæ. 17, m
Iſembertus epiſc. Pictonum. 642, a. 654, m
Iſlarius Magdeburgi archiepiſcopus. 210, a
Iſlo epiſc. Santonum. 736, a
Iſo epiſcopus Pragenſis. 485, n
Iſthmido monachus ſanctus. 736
Iſthmius monachus ſanctus. 736
Iterius abbas Saviniaci. 657, m. 735, m. 736
Judæi apud Lucam converſi 156, a. Mos ſuos ſepeliendi. *ibid.*
Judicium per ignem 456. aquæ & ferri igniti 385, m. per pugnam. 490, a
Judicium extremum fiet veſpere Sabbati. 394, a
Ivo epiſc Sagii. 711, 712, 721
Jutland regio. 133, a
Jutta ſeu Utha abbatiſſa Confugii. 459, m. 460, a

K

Karinthii. 22, m
Keltra inſula Hiberniæ. 471, m
Kenulfus epiſc. Wintoniæ. 118, n
Kerhardus abbas S. Galli. 198, m
Kiliani altare. 19, m. 21, m

L

L. Abbas Fuldæ. 33, a
Lambertus epiſc. Lingonenſis. 332, a. 343, a. 346, 350.
Lambertus abbas S. Vitoni. 27, m. 28, m. 537, m
Lambertus abbas Walciodori. 585, m
Lambertus comes. 596, a. 601, m
Lambertus vitæ S. Heriberti ſcriptor. 469, a
Lancea Domini in exercitu imperatoris. 217, n
Lancea imperialis deferri ſolita. 20, m
Landoaldi archipræſulis reliquiæ. 68, m. n
Landradæ reliquiæ. 68, n. 69, a
Landricus abbas Carnotenſis. 319, m
Landulfus epiſc. Taurinenſis. 700, a
Landulfus abbas S. Stephani Bononiæ. 266, m
Landulfus Salerni princeps monachus Caſini. 98, m
Lanfrancus archiepiſc. Cantuariæ. 113, 114, 115, 449, m.
Landunenſes epiſcopi Adalbero 661, a. Gibuinus 725, a.
Laurentium colit S. Henricus. 178, a. 180, a
Laurentius archiep. Amalfitanus. 688, a. 691, a
Lauſanæ epiſc. Aindricus ſeu Henricus. 651, m
Lectio refectionis tempore. 205, a
Ledbaldus epiſcopus & monachus. 669, a
Ledbaldus abbas Tornodori. 340, a
Leduinus abbas S. Vedaſti. 190, m. 548, a. 579, a
Leſſius epiſc. Vvicciorum. 450, m
Legati apoſtolici inſignia. 216, a. 218, m
Legionenſis epiſc. S. Froilanus. 58, *& ſeqq.*
Lemovicum epiſc. Jordanis. 654, m
Leonis Papæ IX. electio 715, dedicat eccleſiam S. Remigii &c. 711, *ad* 728
Leo Vercellenſis epiſc. 218, a. 331, a
Leo abbas Cavæ. 727, *ad* 733
Leo abbas S. Pauli Romæ. 106, m
Leo abbas Pompoſiæ. 513, a
Leodegarius epiſc. & Mart. 353, a
Leodegarius archiepiſc. Viennæ. 608, a. 645, m. 736, a.
Leodienſis eccleſia comitatu Hoyenſi donatur 87, m. Ibi recepta commemoratio defunctorum. 667, m
Leodii epiſc. Baldricus 175, &c. Vvolbodo 174, &c. alii 175, m. Durannus 557, a. Eraclius 544, m. Nico 587, a. Notkerus, 497, &c. Euraclus 182, a. Reginardus, 603, m. Vvazo. 589, &c.
Leofrona abbatiſſa &c. martyres. 115, a
Leonas abbas Piſcariæ. 486, m
Leotericus archiepiſc. Senonum. 195, m. 197, a. 254, m. 255, m. 263, m. 264. 265. m. 314, a. 348, a. 671, a.
Letaldus epiſcopus. 641, m
Letbaldus epiſc. Matiſconis. 641, m. 643, a
Lexovienſes epiſc. Rogerius 348, a. Giſlebertus 364, m. Herbertus. 721
Libentii epiſcopi Bremenſis vita &c. 128, *& ſeqq.* V. Lievizo.
Libertus epiſcopus Firmanus. 173, a
Lichefeldenſis epiſc. Briethmerus. 450, m
Lietardus abbas Gemblaci. 598, m
Lietardus ex comite monachus. 190, m. 516, m. 518, a. 523, m. n. obit. 524, a. 544, a.
Lievizo archiepiſc. Bremenſis 128, ſeu Hammaburgi, 218, m. 219, a. 413, m. V. Libentius.
Liezgo, ibi conventus procerum. 383
Lingon. epiſc. S. Gregorius 328, *&c.* Iſaac, 337, *&c.* Gautzelinus 337, n. Argrimus 338, a. Bruno 326, &c. V. Urbanus. 338, a. Hugo 563, &c. Lambertus. 332, *&c.*
Lintei Chriſti pars Caſini ſuſcepta. 101, a
Liſtrogaugium regio Flandriæ. 572, a. n
Livingus archiepiſc. Cantuariæ. 447, m. 448, m
Livingus abbas Taviſtokenſis. 449, a
Livini epiſc. & Mart. tranſlatio. 64, *& ſeqq.*
Liutius monachus Albanetæ conditor. 107, m. 108, a
Lodoïcus abbas S. Vitoni. 518, a
Londini epiſc. Elfvvardus 450, m. Ibi ſepelitur S. Elphegus. 122, *&c.*
Longobardorum, id eſt Italiæ rex Berengarius. 323, a
Lotharienſe regnum. 521, m
Lotharingia 23, a. Ejus dux Godefridus. 181, a
Lotharius Imp. cum Imp. CP. fœdus renovat. 442, a

Digitized by Google

Lotharii regni dux Conradus. 26, m
Lotharius rex Francorum. 335, m
Lucius monachus. 107, 108
Ludgerus frater Bennonis ducis. 131, a
Ludolfus archiepiſc. Trevirenſis. 210, a. 220, a
Ludovicus de Meloduno epiſc. Senonum. 256, a
Ludovicus-Pius natus Caſſinogili 54, m. Corbeïæ fundator 384, m. Herivordiæ. 385, a
Ludovicus imp. eccleſiam S. Michaëlis ædificat 104, a
Ludovicus imp. fundator monaſterii Caſaurienſis 486, m. 488, m.
Ludovicus comes, tum monachus. 190, m. 544, a
Ludovicus comes monachus S. Petri Vivi. 194, a
Lugduni archiepiſc. Burchardus 662, &c. Odelricus 663. Alienardus. 721, &c.
Luidolfus dux Saxoniæ. 208, a. 407, m
Luizo epiſc. Havelbergenſis. 413, a
Lunda civitas. 231, a
Lunenſis urbs. 156, m. n
Lupambulus 6, m. Vide Wolfgangus.
Lupus epiſc. Ratiſpon. 17, a. m
Lutbertus epiſc. Moguntiæ. 208, m. 209, a

M

Macrobii ſomnium Scipionis. 590, m
Madalveus epiſcopus abbas S. Vitoni 25, m. Ejus ſepulcrum 562, m. 563, m. 540, m. reliquiæ 27, a. 540, m.
Magalonæ epiſc. Arnaldus. 312, m. &c.
Magdalena Hundtin abbatiſſa Neoburgi. 454, m
Magdeburgi archiepiſc. Gero 383, m. Giſilarius, Daganus, Walthardus 132, m. Iſlarius 210, a. Hunfridus 390, &c. S. Norbertus 433, a. Vicedominus S. Wolfgangi. 11, m
Magenardus abbas Carnotenſis. 315, m. & *ſeqq.*
Mainardus abbas Fontanellæ, tum montis S. Michaëlis. 361, a
Maïolus abbas Cluniaci 325, *ad* 329, 336, a. 353, m. 632, *ad* 641, 650, *ad* 655, a. 661, m. 673, 677, 681, 688, m. 694, m. 706, a. 707, a. 710, m. 730, m. Ejus hereditas. 646, a
Malfiæ archiepiſc. Laurentius. 688, a
Malgerius archiepiſc. Rotomagi. 352, a. 362, n
Manaſſes epiſc. Aurelianenſis. 34, m
Manaſſes abbas S. Benigni. 335, m
Manaſſes comes Domni-Martini. 525, a
Mancuſus monachus Caſinas. 111, a
Manegaudus comes. 524, a
Manichæorum hæreſis renovata. 192, 193, 196, a
Manſo abbas Caſini. 98, a
Mantuæ epiſc. Heliſeus 168, m. Hildolfus. 413, a
Marcianus imp. concilio Calced. ſubſcribit. 43, a
Marcus abbas. 340, m
Marcvvardus epiſc. Hildesheim. 208, m
Maria. Devotio erga eam 93, a. Ei ſe mancipat Odilo 692, a. Ejus matutinarium officium 27, a. Hungarorum patrona. 629, a. 630, a
Mariæ-Ægyptiacæ vita. 532, m
Marianus-Scotus recluſus Fuldæ 471. Ejus chronicum aliunde ſupplendum. 471, m. 473, a
Marinus S. Romualdi magiſter 282, m. 283, a. m. 284, 312, a. Obit. 287, m
Marmoracenſe caſtrum in Alpibus. 241, m
Marſuppæ piſces. 40, m
Martialis Lemovicum apoſtolus 31, a. apoſtolatus 368, a.
Martiani abbatis vita. 93
Martinus epiſc. Turonenſis 445, a. Ejus elogium 160, a m. 617. Ejus eccleſiam viſitat S. Bernvvardus, reliquiæ 223, a. Turonum gloria 594, m. miracula 73, m.
Martinus prior Camalduli. 278, m
Martinus eremita. 341, a. 510
Martyrem quid faciat? 114, m
Maſcelinus abbas Gemblaci. 517, a. 598, m
Maſſiliæ epiſc. Pontius 608, a. Honoratus. 615, n
Mathildis abbatiſſa Quidelinburg. 202, a
Mathildis comitiſſa Saxoniæ 542, a. 185, m. 190, m. 524, a. epitaphium. 186
Matiſcon. epiſc. Letbaldus 641, &c. Theobaldus 643, a. Gauſlenus 661, &c. Valterius. 661, &c.
Maurilius archiep. Rotomagi. 363
Maurus epiſc. Quinqueccleſienſis. 76, a. 77, a. 628, m. n.
Mauri epiſc. reliquiæ. 550, a
Mauri reliquiæ 664, a. Caſini. 110, m
Maximini abbatis, alterius Maximini, &c. Inventio. 252
Maximus epiſc. Salonæ. 722, a
Mazolinus dux. 290, m
Mechtildis abbatiſſa. 128, m
Meginardus epiſc. Wirtzburgi. 412, m. 413, a
Megingoſus S. Adelheidis pater. 137, 139, m. 142, m
Meinvvercus epiſc. Paderbornæ 412, m. 413, a. 570, a. Ejus geſta. 382, & *ſeqq.*
Meldenſes epiſc. Bernerius 314, a. Vvillemus. 256. a
Menghardo dicata vita S. Godehardi. 396, a
Menſæ benedictio. 71, m. 72, m
Mercoriorum familia. 633, a. 676
Meridiana quies apud Caſinum. 112, m
Merſburgi epiſc. Bruno 413, &c. Thiemmo 383, m. epiſcopatus deſtructio. 400, m
Mettenſes epiſc. Æpletius, Pappolus, Arnulfus, Goëricus, Godo, Aptatus, Felix 30, a. Adalbero 25, m. &c. Theodericus 27, &c. Adventius, Robertus, Terentius. 29, m
Mettenſe xenodochium. 29, m
Michaëlis eccleſia ſeu Mons-Garganus 292, a. peregrinatio. 45, m. 105, m. 337, a. 567, a. m.
Michaël epiſc. Tarraconnenſis. 433, m. n
Michaël epiſc. Ratiſponæ. 5. m. 17, m.
Milo epiſc. Mindenſis. 209, m. 210, a
Milo abbas Dervenſis. 721, a.
Milo dominus Tornodori. 198, a
Milo comes. 32, a
Mimigardevordenſes epiſc. Sigifridus 413, &c. Theodericus. 226, &c.
Mindæ epiſc. Milo 209, m. &c. Bruno 421, a Sigibertus 392, &c. ſeu Sibertus 390. T. ſeu Thiethmarus, Dietricus ſeu Theodericus. 401
Miraculorum cauſæ 91, a. caute admittenda 422, a. neceſſaria ad ſancti canonizationem 466, a. non omnes ſancti edunt 38, a. S. Vvolbodoni defuncto interdicuntur. 185, a
Miſac abbas Gemblaci. 517, a. 598, m
Miſnenſis epiſc. Theodoricus. 413, a
Miſeco Boliſlai filius. 129, a
Miſſa quotidie ab Epiſcopo celebrata. 12, a
Moderamni eccleſia. 156, m. n
Modoaldi corporis Tranſlatio. 384, a
Moguntiæ archiepiſcop. S. Bonifacius 17, a. Aribo, Bardo 391, &c. Conradus 251, a. Erkambaldus 409, &c. Rabanus, Karolus, Lutbertus 208, m. &c. Sunderaldus, Hatto, Fridericus, Vvillelmus, Robertus 209, a. Vvilligiſus. 203, &c.
Molinis caſtrum. 710, m
Monachi proprietarii punitio 110, a. Alterius nimium parentibus & patriæ affecti 111, m. negligentis horribilis punitio 116, n. *Monachus* epiſcopus factus veſtem monaſticam retinet 11, a. Monachi viciſſim cum canonicis epiſcopi *Ratiſponæ*. 10, a

Monasteria.

Abbendonienſe. 61
Abdingoffenſe Paderbornæ 382, 384, a. Ejus fundatio &c. 386, & *ſeqq.* ad 395
S. Adelphi monaſt. 29, a
Æduenſe S. Johannis ſeu S. Mariæ, S. Andochii 680, m. n. S. Johannis. 633, m.
In Ægypto Ordinis Benedictini. 267, m
Albaneta. 107, m. 108, a
S. Albani. 61, a

Digitized by Google

Alſallum S. Michaëlis. 623, m
Altaha 22, a. 416, a. 425, m. 426, m. 454, m. 476, 480, m. 481, 397, a. 400. Ejus fundatio &c. 399, reſtauratio. 401, a. 403, 404
Altus-mons. 569, m. 585, a
Altum-Villare. 721, a
S. Amandi Elnonenſe. 526, 545, a. 578, a
S. Amantii. 558, a
Amberta. 687, m
Andegavenſe S. Albini. 135, a. n
S. Angeli Cacuminis. 359, m
S. Angeli ad Sangrum. 104, m
Angeriacenſe S. Johannis. 657, m
Aptenſe S. Euſebii. 93, m. 94, a. 95
Aqua-bella 302, m. An Camaldulum aut Fons-bonus *ibid.* n. 303, n.
Ariminenſe S. Gaudentii. 81, m. 82
In Armenia ad Araxium fluvium. 151, m
Aſnitha. 141, m. n
Atrebatenſe S. Vedaſti. 185, m. *& ſeqq.* 524, m. 545, m. 578, m. 579, 589, 590, a.
Avellana S. Petri. 359, a
Aurea-vallis ſeu Paredum 652, 653, a. 694, a. 706, a
Auriliacenſe. 656, a
Autiſiodorenſe S. Germani 169, 170, m. 261, m. 661, m
Bajocenſe S. Mariæ Magdalenæ. 551, a
Balma. 671, a
Bambergenſe S. Michaëlis Montis-monachorum 452, a. 454, m. 456, m. S. Stephani. 456, m
Barregenſe. 104, m
S. Bartholomæi de Triſaltu. 359. m. n
Bathonia 448, a. Ibi duo monaſteria & eccleſia Cathedralis. 116, a. n
S. Bavonis. 64, *ad* 69
Beel in Hungaria. 479, m. 627, m. 628
Bellus-locus Lemovic. 44, m
Bellus-locus ſeu Bellogium 525, m. 532, a. 545, m. 560, m. ſeu Vvaſloi in Argonna 75, m. n. 581, a
Belnenſe S. Martini 349, m. S. Stephani. 343, a
S. Benedicti in Anglia. 721, a. n
S. Benedicti de Hulmo. 449, m
S. Benedicti in monte Clio. 106, m. 107, a
S. Benedicti Montis-ferrei in Hungaria. 73
S. Benedicti Padolironenſis. 160, a. *& ſeqq.*
Beneventanum 452, a. S. Modeſti. 100. m
Beracenſe. 651
Bertholdirodenſe. 430, n
S. Bertini. 475, a. 545, a
Beſua. 326, m. 337, a. 345, 346
Bethleemitanum 610, m. S. Mariæ. 373, a
Bifurci. 296, m. 298, a. 308, m
Blandinienſe. 596, a
Bliſacenſe SS. Trinitatis. 29, m
Bolbonenſe. 312, a
Bononienſe, Jeruſalem, ſeu S. Stephani. 266, m. 267, a
Botavilla S. Pauli. 735, m
Bremetenſe. 669, m
Bretulienſe ſeu Britogili caſtri. 319, a. 545, a
Breunoviæ in Boëmia 72, 485, m. Ejus ſitus. 486, a
Brittiniaca-curtis. 342, m. n
Brolium. 705, m
Bruneſteshuſen. 208, a. 407, m
Brunvilarienſe. 585, a
Burgolienſe. 135, m. n. 136, a
Burtonienſe. 63, a
Buſendorfenſe. 585, a
Cabilonenſe S. Marcelli 652, 653, a. m. 696. S. Mariæ. 349, m.
Cajetanum S. Scholaſticæ. 112, m
Camaldulenſe 277, *& ſeqq.* ſitus. 278, m
Cantuariæ S. Auguſtini 712, m. 721, a. Chriſti. 63, a
Capuanum S. Benedicti 105, m. S. Laurentii 96, m. 97, a
Carnotenſe S. Petri. 31, a. 32, a. 315, *& ſeqq.*
Carrionenſe S. Zoili. 658, m
Carus-locus. 687, m
Caſæmarienſe. 355, m. 356, a
Caſaurienſe. 486, *ad* 494
Caſinenſe 286, m. 287, m. 288, a. 292, a. 452, m. 663, m. 664, a. 729, m. 731, a. à Pontificibus & principibus honoratum & viſitatum. 102, m
Catalaunenſe 721, a. S. Petri 525, m. 544, m. 545, m. 560, m.
Cavenſe SS. Trinitatis. 107, m. 727, *& ſeqq.*
Cellenſe. 100, a
Cella S. Paulinæ. 436, a. n
Celſinianenſe. 649, 655, m. 687, m
Centulenſe. V. S. Richarii.
Chauriacum. 641, m. 655, m
Chremmenſe. 403, a. n
S. Chriſtinæ in Italia. 158, a. *328, m. n
Civitatulæ S. Nicolai. 494, a
Claſſenſe S. Apollinaris 281, a. 288, *ad* 292, 301, 340, m. S. Severi. 286, m. 340, m. 510, m
SS. Claudii & Facundi. 58, m
Cluniacum 188, a. 325, 329, m. 336, a. 349, a. 353, m. 355, 386, 455, a. 520, m. 550, a. 631, *ad* 710, 730. Ejus privilegia. 662
Cluſenſe S. Michaëlis. 730, a
Colonienſe S. Mariæ in Capitolio 137, 140, a. 142, a. 145, m. S. Martini 468, m. S. Pantaleonis 227, a. 468, m. 470, a. 525, a. 536, a. SS. Urſulæ & Sociarum. 137, m. 140, a
Columbenſe. 365, *& ſeqq.*
Confugienſe. 451, *ad* 460
Conventrienſe. 447, m. 448, a
Corbeienſe S. Petri. 545, a. 721, a
Corbeiæ in Saxonia. 384, m. 385, a
Coxanenſe S. Michaëlis. 284, a. 286, a. 312
Crimanes SS. Petri & Pauli in Hiſpania. 60, a
Criſpeienſe. 361, m
Croylandienſe. 364, m. 449, m. 450
Daventriæ. 204, a
Degarenſe. V. Tegernſe.
Dervenſe. 721, 722, 723
S. Dionyſii in Francia. 261, m. 657. m. 697
S. Dionyſii de Strata ſeu S. Martini. 697, m. n
Dirheſt, ſeu Deorhuſta 116, a. n. prioratus S. Dionyſii, in Anglia. 116, n
Divenſe. 362, m
Divionenſe S. Benigni 326, 327, m. 332, *ad* 353, m. 660, m. 670, m. S. Stephani. 350, m
Dokkingenſe. 446, a
Domnos-ſanctos in Hiſpania. 59, a. 60, a
Eboracenſe. 466, m. n
S. Ebrulfi Uticenſe. 517, a
S. Edmundi in agro Suffolkienſi. 444, m
Einſidlenſe, Solitariorum. 6, a. n
Encoliſmæ S. Eparchii. 53, n
Epternacum. 585, a
Eſculanum. 300, a
Eſſendia monaſt. & opidum. 141, n
S. Eugendi. 704
Eyveshamenſe. 62, m
Fabriani S. Blaſii. 279, m
SS. Facundi, &c. ſeu de Domnos-ſanctos. 60, a
Fallium in Penedes. 623, n
Farfenſe. 487, a
Faſanaria S. Mariæ. 490, a
Ferrarienſe S. Benedicti. 508, a
Firmanum S. Savini. 171, m
Firmitas. 687, m
Fiſcamnenſe. 321, 334, 327, 341, m. 343, m. 344, a. 351, *ad* 355, 363, m.
S. Flaviani. 343, a
Floriacenſe. 30, *& ſeqq.* 38, m
S. Flori 655, m. Fit epiſcopatus. 656, a
Fontanella. 361, *ad* 365, 545
Fontis-vennæ. 346, m
Foreſtenſe. 504, m
Foſſatenſe. 664, a
Fructuarienſe. 329, a. 340, *ad* 351
Fulda. 33, a. 225, m. 396, m. 413, a. 478
Fulinga S. Silveſtri. 357, a. n
S. Galli. 198, *& ſeqq.* 585, a

Gandavenſe S. Bavonis. 64, *& ſeqq.*
Gandenſe S. Petri. 545, a
Ganderesheim. 141, a. 407; *ad* 413; 419, m. rixæ graves 207, m. *ad* 226. Fundatio. 208, a
Gellingenſe. 403, 404; 480, m. 481, a
Gellonenſe S. Guillelmi. 455, a
Gemblacenſe. 596, *ad* 607
Gemeticenſe. 340, a. 342, a. 363, a. 364, m
Genevenſe S. Victoris. 651, m. 687, m
Geſiacum. 317, a. 319, m
S. Giſleni-cellæ. 585, a
Glaſtonienſe. 447, 448, 473, m. 474, 475, a
Gorzia 29, a. m. 334, a. 342; m. 721, a. Dicitur Gurgitenſe. 29, a
Hailſbrunenſe. 466, m. n
Heiligenberg, ſeu Montis S. Mariæ. 90, 91, 92
S. Helenæ. 300, n
Helmvvardeshuſen. 382, m. 383. Ejus abbates. 384
Herivordiæ. 385, a
Herveldenſe. 391, a. 397, a. 402, a. 403, 405, a. 413, a. 414, a. 425, m. 480, m. 585.
Hildesheimenſe S Andreæ 418, m. 421, m. S. Bartholomæi 411, a. n. 431, m. S. Godehardi 396, m. S. Mariæ & S. Epiphanii 410, a. n. S. Mauricii in monte 420, 422, n. S. Michaëlis 226, m. *& ſeqq.* 406, a. 418, m. 421, m.
Hildevvardeshuſenſe. 219, m. 224, a. 382, m
S. Hippolyti in Hungaria. 77, a
Hirſaugienſe. 452, a
Hohorſt. 90, 91, 92
Holthuſen. 412, a. n. 419
S. Huberti. 545, a. 560, m
Humularienſe. 545, a
S. Januarii. 323, m. V. Luciacum.
S. Johannis V. Reomaenſe.
Jotrenſe. 254, m. 255
Ad Iſinum fluvium. 300, a
S. Judoci. 545, a
Juliacum. 654
Karrofenſe. 55, a
Lancheimenſe. 466, m. n
Latiniacenſe. 361, m
S. Laurentii in diœceſi Matiſcon. 646, m. 656, m
Laureſheimenſe. 413, a
Lemovicenſe S. Martialis. 31, a
Leodienſe S. Jacobi 178, a. 180, m. 597, a. 602, m. 606. S. Laurentii 175, m. 182, a. 183, a. 184, 525, m. 544, m. 545, a. 556, m. 597, a. Alia Ord. Cluniaci. 657, a
Levarinum S. Mariæ monaſt. 101, m
S. Liberatoris. 109, a. 112, m
Limburgum prope Spiram. 584, m. 588, a
Lingonenſe S. Amatoris. 343, a
Lirinenſe 613, m. Ejus direptio à Paganis 622, a. *& ſeqq.* reſtauratur. 625
Lobienſe. 523, a. 544, m. 599, m. 600, m
Londinenſe Weſtmonaſterium. 410, m
Lucedienſe 266, *& ſeqq.* ſeu Locedienſe, Luciacum, aut S. Januarii. 255, a. 320, m. 323, m. n. 325
Lucis-novæ S. Petri. 159, a
Luxovienſe, dictum Scaphus. 241, m
Magabrenſe. 639, m. 650
Malleacenſe. 133, *ad* 136
Malmeſburienſe. 474, a
Malmundarienſe. 545, m. 582, m. n. 586, m. 587
Maltacenna ſeu Burgetum. 651, m
S. Marcelli de Salciaco in diœceſi Valentina. 656, a
Marcianenſe. 590
S. Mariæ in Canneto. 454, a
S. Mariæ de Levarino. 101, m
S. Mariæ Petradæmonis. 357, a
Maricolenſe. 576, m. n
S. Marii de Utra... bra. 558, m
S. Martini in monte ſupra Pannoniam. 73, *ad* 77
Maſſilienſe S. Victoris. 607, *ad* 626
Maſſiliani-caſtri. 301, m
Mediolanenſe. 341, a
Meldenſe S. Faronis. 342, a
Meldunenſe. 475, a
Mettenſe S. Arnulfi 328, m. 340, a. S. Clementis 28, a. ſeu S. Felicis 25, *ad* 28, 520, a. 521, a. 537, m. S. Martini 29, a. 30, a. S. Symphoriani 25, m. 28, 29, 30, a. S. Vincentii Inſulæ. 545, m. 585, m
S. Michaëlis de Balneo. 289, a
S. Michaëlis de Monte. 342, a. 361, a
S. Michaëlis in Picheriano monte. 324. m. n
Michelveldenſe, ſeu Michaëlis-campi. 467, a. n
Miciacenſe S. Maximini. 252, &c. 313, *& ſeqq.*
S. Mildrithæ in Anglia. 115, a
Moiſſacenſe. 560, n
Molgonenſe S. Joannis. 654, m
Molundenſe. 337, a
Montis-Amiati. 309
Montis-Caprarii Peruſii. 70, a
Montis-Falconis. 519, n
Montis-ferrei in Hungaria. 73, 75, m
Montis S. Johannis. 654, a
Montis Majoris. 611, m. n
Montis-Mariæ. 92, a
Montis-Sinaï, montis Sion. 552, a
Morerola. 59, 60, a. 83, a
Moſomenſe. 721, a
Nantoacenſe. 703, 705, a
Nantoliacum. 53, a
Neoburgenſe. 454. m
S. Nicolai de Sumuſiano. 100, a
Nivernenſe S. Salvatoris. 657, a
Nortvvald. 480, a
S. Odiliæ. 181, m
Onienſe in Hiſpania. 657, m. 658, m
Orbacenſe. 715, a
Padolironæ. 150, m
Palatioli. 289, a
Parentii tria. 296, m. n
Papienſe S. Mariæ, ſeu cellæ S. Maïoli 665, 660, a. 687, m. 692, a. 702, a.
Paredum. V. Aurea-vallis.
Pariſienſe S. Germani à Pratis 599, m. 321, m. 342, a 362, m.
Paterniacum. 641, a. 651, a. 687, m. 696, a. 702, m
Peña S. Johannis. 658
Perei Camaldul. 292, m. S. Adelberti. 296
Perſorenſe. 450, m
Peruſinum S. Petri in monte Caprario. 70
Petræ-Caſtellanæ. 615, a. n
S. Petri ab Herveld. pendens. 402, m
S. Petri de Lacu. 358, a. 359, m
S. Petri in fundo Monteriano. 174, a
Pictavenſe S. Cypriani. 52, m
Piſcarienſe. 486, *ad* 494
Placentinum S. Sixti. 157, a n
Podiiodolini. 646, a
Pompoſianum. 508, *& ſeqq.*
Pratellenſe. 362, a
Prumienſe. 721, a
Pultarienſe. 721, a. m
Puteolis S. Petri. 343, a
Quedelenburg. 141, a. n. 202, a
S. Quintini de Monte. 545, a
Rameſiæ in Anglia. 31, a. 39, m. 40, m. 712, 721, n
Rameſloh. 129, m
Ramſola. 132, m. n
Ratiſbonenſe S. Emmerammi. 3. *ad* 25
Ravennenſe. V. Claſſenſe.
Regula. 35, 36, 51, m. ſitus, &c. 54, 57, m
Remenſe S. Remigii 32, a. 711, *ad* 727, S. Dionyſii 717, m. n.
Reomaenſe S. Johannis 169, 170, 337, a. 721, a. 343, m.
S. Richarii. 494, m. *ad* 508, 536, m. 545, a
Rinchnac. 479, m. 482, m
Rivis. 687, m
S. Rodulfi. 736, m
Romæ S. Alexii 72, a. B. Virginis in monte Aven-

Digitized by Google

tino 698, m. Monaſteria Romæ ſæculo XI. 20, m
Romanum. 687, m
Rotomagenſe S. Audoëni 342, a. 352, a. 499, a. SS. Trinitatis de Monte 564, m. ſeu S. Catharinæ 368, m. 369, a.
Rumbech, in Voſago. 527, a. n
Sahaguntinum S. Petri. 58, m
Salmacia S. Mariæ. 343, a
S. Salvatoris in plano Sennæ. 174, a
Sarianenſe. 654, m
S. Saturnini ſupra Rhodanum. 326, a. n. 687, m
Saviniacenſe. 657, m. 735, m. 736
S. Savini prope Firmum. 171, m
Saxonis-fontis. 343, a
Scaftiſburienſe. 62, m
Scandrilia S. Salvatoris. 358, a
Sceldiſe, ad canonicas tranſiit. 385, a
Schutterenſe. 454, m
Scorzon S. Johannis. 100, a
Selgenſtadienſe, duplex. 472, 473
Senonenſe S. Petri Vivi. 192, *ad* 197, 254, *& ſeqq.*
Seunenſis abbas Adalpertus. 22, a
Sigebergenſe. 350, m
S. Silveſtri Aſeri prope Fulingam. 357, a. n
Silvigiacum. 705, a
Silviniacum. 673, 676, m. 677, 687, m. 688. m. 705, *ad* 710.
Sinaï-Montis 368, 373, a. Aliud ibidem. 373, m
Sitrianum. 303, m. n. 308, m. 310, a
Solemniaci. 45, a
Solitariorum. 6, a
Soranum S. Dominici. 355, 359, m. 360
Spinalenſe caſtrum & monaſt. 29, m
Squirs. 36, a. 51, m
Stabulenſe 174, m. S. Remacli. 545, a. 569, *ad* 574, m. 581, *ad* 596.
Sueſſenſe S. Benedicti. 100, a
Sueſſionenſe S. Medardi. 721, a. 724, a
Sulithe S. Alexii, infectum. 388, a. 393, m
Sumuſianum S. Nicolai. 100, a
Tabarenſe in Hiſpania. 59, a
Taluerenſe. 735, *& ſeqq.*
Taluſatenſe S. Maximæ. 640, m
Tarraconenſe. 83, a
Taviſtokenſe. 449, a
Tegernſenſe. 403, a. n. 405, a. 454, m
Theanenſe S. Liberatoris. 101, m. 102, a
S. Theoderici prope Remos. 570, m. 571, a. 574, 575, m. 577, m. 721, a.
Thigernenſe. 653, a
Thornenſe, ſeu Thorenſe. 87, *& ſeqq.*
Thorneienſe in Anglia. 450, m
Tibure. 291, a
Tolonnis. 706, a
Toloſanum S. Columbæ. 657, a
Tornodori S. Michaëlis. 192, *ad* 198, 337, a. 340, a
Trajectenſe, ſeu Heiligenberg, ſeu Montis S. Mariæ aut S. Pauli. 90, 91, 92, a. 585, a
Trevirenſe S. Eucharii 585, m. S. Maximini. 4, a. 9, a. 524, a. 574, 582, m. 585, a. m. 587, m. 588, a. 591, m.
Troarnenſe. 362, m
S. Trudonis monaſt. 29, a. 570, a. 596, a
Tuitienſe. 469, m. 470
Tullenſe S. Apri. 26, m. 331, a. 340, m
Turonenſe S. Juliani 348, a. S. Martini, ſeu Majus-monaſterium. 348, a
In Tuſcia. 153. n. 269, a
Valciodorenſe. 545, m. 585, m
Valentiola. 653, m
Vallis in diœc. Veſontionenſi. 655, a
Vallis-bona. 308, a
Vallis-caſtri 279, m. 298, *ad* 300. Aliud puellarum, 299, a. 302, a. 310, m.
Venetiis S. Georgii. 627, a
Venuſianum SS. Trinitatis. 727, m
Verziacenſe. 326, m. 333, a
Veſenſe in Hiſpania. 58, m
Vezeliacenſe. 337, n. 721, a
Viennenſe S. Ferreoli. 608, a
Vilicenſe. 137, *ad* 140
Villa-Croſa. 619, m. n
S. Vincentii ad Candilianum fluvium. 301, m. 306, a. n.
Virdunenſe S. Mauri 530, a. 537, a. 550, a. S. Pauli 27, m. 520, m. n. 530, a. S. Vitoni 26, 27, 28, 185, m. 454, m. 455, a. 515, *ad* 568, 570, m. 577, m. 578, m. 580, m. 671, n. Aliud à S. Vitono. 188, a.
S. Viti. 470, a
S. Viventii. 333, a
Volta 633, 634, 654, m. 666, a. 687, m. 705, a. 633, m. Fundationis charta. 634
Volta monaſteriolum. 685, a. n
S. Urbani. 545, m. 560, m. 721, a
Urbis-veteris 299, m. 300, m. an B. Mariæ de Silva 299, n.
S. Wandregeſili. V. Fontanella.
Verthinenſe. 391, a
Willarium. 585, m
Weſtmonaſterium. 450, m
Wintonienſe novum-monaſterium. 448, a
Wirtzenburgenſe. 585, a
Wundſtorffenſe. 437, m. n
Žobor S. Hippoliti in Hungaria. 77, a
Monaſterium ſanctimonialium à S. Guilkelmo conditum. 341, m
Monaſt. exemtio 74, a. V. Exemtio. Eorum privilegia legitime conceſſa 48. ab Epiſcopis viſitanda 383, a. Eorum Bona ab epiſcopis invadi nefas eſt 10, m. Regalium conſuetudines 10, a. ingreſſus feminæ conceſſus ob ejus virtutem 550, a. Eccleſiæ ingreſſus mulieribus interdictus. 198, m
Monaſticus ordo perfectiſſimus. 658, a
Monaſtica veſtis, angelica. 90, m. 231, a
Monaſterienſes epiſc. V. Mimigardevord.
Mons-Gaudii Romæ. 86, m
Monticulus pagus. 162, a
Moribundi in terra ſtrati 236, a. unctio &c. data 417, m. Exſequiæ pro ejus abſolutione 378, m. V. Viaticum. Confeſſio.
Morini populi 40, a. Epiſc. Drogo. 710, &c.
Moriſſenus epiſcopatus in Hungaria. 628, a. 630, a. 631, a.
Moſa fons in Waſconia. 54, a
Moſella fons in Waſconia. 54, a
Motus terræ Caſinum vexat. 100, m
Muſiva opera. 205, m. 206, m
Mutinæ epiſc. Vvibertus. 168, m

N

NANNET. epiſc. Pudicus, Walterius. 721, *&c.*
Narbon. epiſc. Guifredus. 312, m. *&c.*
Naumene civitas. 589, a
Necrologii lectio in capitulo. 205, a. n
Negativum argumentum invalidum. 314, a
Neoburgi epiſc. *Vide* Citizenſes.
Neomagum urbs. 204, m
Neuſtria. 559, m
Nicæni canones in linguam Saxonicam verſi. 63, m
Nicaſius Remorum archiepiſc. & Mart. 532, a
Nico epiſc. Leodii. 587, a
Nicolai miſericordia in pauperes. 411, m
Nicolaus ducis Normanniæ filius, abbas S. Audoeni. 352, a.
Nicoſtrati mart. acta. 705, m
Nithardus comes. 341, a. 347, 348, m. 350
Nitria urbs Hungariæ. 77, a. n. 78, m
Niverni epiſc. Notrannus 261, m. Hugo 721, &c. Vvillelmus. 256, a
Nonnoſius monachus ſcriptor. 455, m
Norbertus archiepiſc. Magdeburgi. 433, a

Digitized by Google

Norbertus abbas S. Galli. 585, a
Norgaldus nobilis Burgundio. 255, a
Norgaudus epiſc. Abrincenſis. 348, a
Norgaudus abbas Altivillaris. 721, a
Noricus veteres habuit epiſcopos, tum à S. Bonifacio 17, a. dux Dieto. 17, m
Normannia comitatus 558, m. Normannorum regnum, primatus 342, a. rex Thruco 131. m. Eorum excurſiones 65, m. Caſinates vexant 112, m. Cantuariam diripiunt 113, m. Senones devaſtant 259, m. 260, a.
Norvvegia. 131, m. 132. m
Notgerus epiſc. Leodii 87, m. 88, 89, m. 181, a. 221, a, 497, 667, m.
Notkerus magiſter obit. 200, a
Notrannus abbas S. Petri-Vivi, tum epiſc. Nivernenſis. 261, m
Nuceriæ epiſc. Dodo 488, m. Romanus. 304, a
Numantiæ epiſcopi. V. Zamora.

O

O. Abbas Pompoſiæ. 508, a
Oblationes in miſſa. 212, a
Oculares circuli in eccleſia appenſi, ob miraculi memoriam. 14, m
Oda duciſſa 407, m. Saxoniæ. 208, a. m. 209, a
Odalricus cancellarius Conradi imp. 393, m
Odalricus præpoſitus Remenſis. 712, m
Odelgerius epiſc. Aurelian. 367, m
Odelgeri prioris Centulæ geſta. 495, a. 502, 504, m
Odelricus archiepiſc. Lugduni. 663, a
Oderiſius Caſinenſium prædo. 108, m
Odilardus abbas S. Petri Catalauni. 560, m. 561, m
Odiliæ virginis pia mors. 543, m
Odilo abbas Cluniac. 52, m. 56, m. 314, a. 343, m. 348, a. 329, m. 454, m. 514, a. 559, m. 569, m. 520, m. 523, a. 730, a. Cognominatur Pius 550, a. Ejus caritas, &c. 188, a. de S. Guillelmo teſtimonium 321, a. Ei ſcribit Abbo 50, a. Ejus elogium 631, *& ſeqq.* Vita, &c. 679
Odilo nepos S. Odilonis. 699, m
Odilo prior Celſinianenſis. 649
Odilo de Mercorio. 676, m
Odinkari duo Suconum apoſtoli 132, a. Junior Ripæ epiſcopus. *ibid.* m
Oddo electus epiſc. Bremenſis 128, m. ab Imp. rejectus. 129, m
Odo epiſc. Carnotenſis. 44, m
Odo abbas auctor Chronici. 668, m
Odo comes. 32, a
Odo comes Campaniæ 342, a. 525, a. 536, a. comes Palatinus. 318, m. 319, a
Odolricus epiſc. Aurelian. 253, 314, a. S. Theodoricum vexat. 192, *ad* 198
Odolricus abbas S. Martialis Lemovic. 31, a
Odorannus monachus 264, m. 265, a. ſcripta 254, 256, m.
Officii divini ordo monaſticus & canonicus 292, a. moribundi recitant, aut ipſis recitatur. 109, a
Olavius abbas Hiſpanus. 60, m
Olbertus abbas Gemblacenſis 181, a. Ejus vita 596, &c.
Olei infirmorum unctio extra morbum. 415, m
Oliba epiſc. Alſonenſis. 312, m. 313, a
Olibanus epiſc. & abbas Coxanenſis. 313, a
Olibani comitis converſio, &c. 286, 287, 312, 313, a
Olmucenſis epiſc. Severus. 485, n
Onexara fluvius Saxoniæ. 206, a
Onulfus monachus 596, a. an vitæ B. Popponis ſcriptor. 569, m. 571
Orarium 20, m. accipitur ad confeſſionem. 16, a
Orationum nova forma pro idiotis. 331, m
Ordinare permittitur Epiſcopo-monacho. 344, m
Ordo Cavenſis. 729
Orno epiſc. Ratiſponæ. 17, m
Oroſius laudatur. 397, a
Oſbernus monachus ſcribit Vitam & Tranſlationem S. Elfegi. 113, a
Oſdagus epiſc. Hildesheimenſis 202, m. 203, a. 209, m. 210, 408, a. n.
Oſmundus epiſcopus 348, a. monachus 341, m
Oſvvaldus archiepiſc. Eboraci. 39, m. 40, 41
Oſvvaldus epiſc. Vvigorniæ. 30, m. 32, a
Oſvvenda S. Vvolphemi ſoror. 137, m
Oſvvius abbas Thorneienſis. 450, m
Otgerius abbas. 671, m
Otmarus abbas S. Galli. 15
Otto electus Bremenſis. V. Oddo.
Otto epiſc. Bamberg. 452, 466, n. 467, n
Otto I. bona S. Felicis Mettenſ. confirmat 28, a. Ejus expeditio in Italiam 323, a. Romæ 86. Ejus elogium verſibus expreſſum. 49, m
Otto II. 18, m. Vvolfgango epiſcopatum donat 6, m. à S. Bernvvardo educatus 204, a. Ejus humilitas 19, m. 20, a.
Otto III. 18. Caſinum viſitat 99, m. Tiburtinos domat 216, m. & Romanos 217. S. Romualdum reveretur 290, a. Ejus pœnitentia, & affectus in monachos 292, a. monachus fieri volebat 292, 296, a. mors 222, a. 296. luctuoſa. 180
Otto-Vvillelmus 659, a. 661, m. &c. Ejus parentes 348, m.
Otto comes Matiſconis, ejus genus 643, a. 644, 646
Ottobianus epiſcopus. 347, a
Otvvinus epiſc. Hildesheimenſis. 209, a. 409, m
Oylardus abbas Catalauni. 711, a
Oylboldus abbas Floriaci. 32, a. 40, a. 41, 51, m. 52, a

P

Paderborn*æ* epiſc. Baduradus 384, &c. S. Meinvvercus 382, &c. Rhetarius 209, m. &c. Ruodo 585, a. Ferdinandus Furſtenbergius 388, m. Rotho. 394, m.
Palare locus Romæ. 215, a
Pallium à Romana ſede miſſum Archiepiſcopo. 49, a. 118, a. &c.
Pampilonæ epiſc. Sancius. 683, a
Pandulfus abbas Agauni. 454, m
Pandulfus Capuæ princeps Caſinates vexat. 101, m. 102, a. 112, m.
Panes benedicti. 71, m. 110, m. 120, a. &c.
Pantaleonis reliquiæ. 536, a. 537, a. 542, a
Pantheris proprietas. 9, a
Papia à S. Odilone liberata. 683, m
Papolus epiſc. Mettenſis. 30, a
Paraſceves die mos loca ſacra viſitandi. 233, a
Pariſienſis epiſc. Imbertus. 343, a
Parmæ epiſcop. Sigifredus. 161, m
Parthenopolis 11, a. V. Magdeburgum.
Paſchales feriæ cum ſtationibus. 418, a. 710, a
Paſchaſiæ virginis corpus. 337, m. 338, a
Patavienſes epiſc. Albertus 445, n. Benno 480, a. Chriſtianus 400, a. Piligrinus 6, &c. Alius. 429, m
Paternus recluſus. 388, m
Paternus abbas S. Johannis de Peña. 657, m. 658
Paulinus epiſc. Ratiſponæ. 17, n
Paulus monachus doctus &c. 341, a
Paulus monachus Capuæ 105, m. *pie obit.* 106, a
Peccatorum remiſſio miraculo declarata. 83, m
Perchtolfus Marchicomes. 22, m
Peregrinationum Jeroſolym. initia. 45, m
Perinza S. Guillelmi mater. 323, a. m. 324, a
Peruſini epiſc. Herculanus, Rogerius, Honeſtus, Cuno, Andreas. 70
Petragoric. epiſc. Arnaldus. 736, a
Petrus Aquenſis archiepiſc. 608, a
Petrus Rogerii archiep. Bituricenſis. 677
Petrus archiepiſc. Ravennas. 282, n
Petrus de Corbolio Senonenſis archiepiſc. 255, m. 256, a.
Petrus epiſcopus. 646, m
Petrus epiſc. Gerundæ. 312, m. 313, a
Petrus Damiani 508, a. ſcripſit vitam S. Odilonis 632,

Digitized by Google

632, m. S. Romualdi 277. Ejus locus de S. Arduino 82, a. anniverſarium. 676, m.
Petrus Siſtaricenſis epiſc. 608, a. 643, 646, m
Petrus Rogerii epiſc. Toloſæ. 657, a
Petrus epiſc. Vercellenſis. 268, a. 269, a
Petrus diac. Romanus. 717, *ad* 723
Petrus abbas Cavæ. 727, *ad* 734
Petrus abbas S. Johannis Senonenſ. 256, a
Petri Peruſini abbatis vita. 70 a
Petrus abbas Pompoſiæ. 513, a
Petrus Celtenſis abbas S. Remigii. 715, n
Petrus abbas Thigerni. 653, m
Petrus Dagninus Camalduli prior 278, a. An Petrus Bifurci. 298, a. n
Petrus Delphinus Generalis Camaldul. 279, m
Petrus Aretinus præpoſitus. 508. m
Petrus præpoſitus S. Maïoli Papiæ. 632, a. 702, a
Petrus monachus Caſinenſis. 104, a
Petri Malleacenſis monachi ſcripta. 133, a
Petrus rex Hungariæ. 627, 630, a
Petri-Urſeoli ducis Venetici converſio, &c. 283, 312, &c. Ejus filius æquivocus, dux. 285, a
Philippus abbas Zoboris in Hungaria. 77, a. 78, a
Philippi Macedonis dictum. 177, a
Philippus rex Germaniæ. 463, m. n
Pictavenſes epiſc. Giſlebertus 134, &c. Iſembertus 642, &c. dicitur pontifex Aquitanorum. 654, m
Piligrinus archiep. Coloniæ. 413, a. 454. a. 468, n. ex paupere 230, m
Piligrinus epiſc. Patavii. 6, a. 81, a
Piſcaria fluvius. 490, a
Plunſtede vicus Angliæ. 126, m
Pœnitentiæ habitus 241, a. Pœnitentes ferro conſtricti 147, m. 275, m. 274, m. 295, m. lorica ad nudum 437, m. Eorum privilegium Coxani. 312, m
Policaſtri epiſc. Conſtabilis. 728, a
Polonia à Brediſlao ſubjugata 484, inde digreſſi Zoërardus &c. 75, n
Pontiva provincia. 495, m
Pontivorum Comitum origo. 505, a
Pontius epiſc. Arelatenſis. 608, a. 614, m
Pontius epiſc. Maſſiliæ. 608, a
Pontius epiſc. Valentiæ. 656, a. m. 736, a
Poppo archiepiſc. Trevir. 369, 370. *ad* 376, m. 383, m. 585, m.
Poppo Sleſvvicenſis epiſcopus. 131, a
Poppo abbas Stabulenſis 182, a. 454, m. Vita 569, *& ſeqq.*
Porcipiſces. 40, m
Portuenſis epiſc. Johannes. 702, *&c.*
Poſſeſſio inita per funem campanæ. 497, a. 647, a
Poſſeſſor epiſc. Virduni. 27, a. 541, m
Potentiani Tranſlationes 195, m. 254, *& ſeqq.* In monaſt. Jotri. 255
Potto epiſc. Bambergæ. 465, m
Pragenſes epiſc. Severus, Iſo. 485, n
Preſbyteris concubinæ & arma interdicta. 712
Profeſſio facienda ab ordinandis. 68, 69
Proceſſio 324, m. die Dominica 460, 550, a. cum cruce. 101, m
Protus martyr Caſini cultus. 106, m
Pudicus epiſc. Namnetenſis. 721, 723
Pulcronius epiſc. Virduni. 27, a. 541, m.
Pulpitum in eccleſia. 8, m
Puppinga obit S. Vvolfgangus. 15
Purgatorii pœnæ in paſchatis feſto relaxantur. 271, m
Purchardus. V. Burchardus.

Q

QUADRAGESIMÆ duæ. 513, a. n
Querffurt familia nobilis. 79
Quinqueccleſienſis epiſcopus Maurus. 76, a

R

RABANUS archiep. Mogontiæ 208, m. 407, m
Radegundis corpus. 338, a
Raginerus comes Hannoniæ 598, m. Longicollus 601, m. 605, m.
Raïambaldus archiepiſc. Arelatenſis 608, a. 614, m. 646, a. 654, m. 655, a.
Raimbertus cellerarius Roberti regis. 265, m
Raimburga abbatiſſa. 101, m
Raimundus prior, tum epiſc. S. Flori. 656, a
Raimundus comes Barcinonæ conſul. 624, a
Rainaldus abbas Angeriacenſis. 657, m
Rainardus abbas S. Petri Vivi 192, a. 195, 196, 197, 198, a. 254, m. 255, m. 262, 263.
Rainerius abbas Firmenſis. 173, m
Rainerii monachi martyrium. 108, m
Rainerius Tuſciæ marchio. 301, a
Rainoldus abbas S. Medardi. 721, a. 724, a
Rambertus epiſc. Virdun. 413, a. 516, m. 530, n. 559, a
Rameſberienſis epiſcopatus. 475, a
Ramirus III. rex Legionenſis. 58, m
Ramſola locus celebris. 132, m
Ramuoldi abbatis vita. 3, *& ſeqq.*
Ratharius epiſc. Ratiſponæ. 17, a
Ratiſpona ab Ottone obſeſſa 22, m. nomina varia 7, n. Ejus epiſcopi monachi viciſſim ac canonici. 10, a
Ratiſponæ epiſcopi, Lupus, Ratharius, Sintpertus, Adalvvinus, Baturicus, Erchanfridus, Embricho, Aſpertus, Tuto, Iſangrimus, Guntharius, Michaël, Vvolfgangus, Gebhardus triplex, Orno 17. Eberhardus 480, a. Gaibaldus 399, &c. Paulinus 17, n. S. Vvolfgangus 3, &c. Michaël 5, m.
Ratmundus abbas Altahenſis 404, m. 416, a. 417, a. 418, a. m. 483, a.
Ravenberg caſtrum. 246, m. n
Ravennat. archiepiſc. Gebehardus 513, m. Fridericus ſeu Frithericus 216, &c. Leo, ſeu Neo 216, n. Honeſtus, Petrus. 279, &c.
Recluſæ prope monaſteria. 365, 366
Refectorii Caſinenſis ingreſſus laïcis interdictus. 102, a
Regienſes epiſc. Almeradus ſeu Helmeradus. 653, m
Regimbaldus. V. Raïambaldus.
Reginardus epiſc. Leodii. 603, m
Reginbertus epiſcopus in Slavania, Sueonia, &c. 133, a
Reginopolis, Ratiſpona 5, m. Regina. 7, m
Reimboldus abbas Loresheimenſis. 413, a
Reinboldus abbas Helmvvardeshuſen. 384, a
Reinerus monachus Leodii. 174, m
Reinhardus abbas Helmvvardeshuſen. 384, a
Reinoldus epiſc. Aldebergenſis. 413, a
Reliquiæ ſanctorum in marſupio incluſæ 554, m. Eas viſendi ſanctioribus ſolum licentia conceſſa 253, a. Reliquiæ, pulvis è crepidine altaris S. Benedicti 109, m. à viris nobilibus ad tutelam delatæ 601, n. igne probatæ 101, a. 390, m. Ad concilium delatæ 718, m. 724, m.
Remaclus apoſtolicus vir. 595, m
Remenſis academia celebris 33, a. 39, a. Palatium 717, m. Concilia. V. Concilia.
Remenſis eccleſiæ elogium 538. Primatus. 720, m. a
Remorum archiepiſc. S. Remigius 711, &c. S. Nicaſius 532, a. Hincmarus 713, &c. Vvido 714, &c. Hugo 713, m. Arnulfus 47, &c. Ebalus 497, m. Gervaſius. 724, m
Remigius Francorum Apoſtolus 711, 726. 727. Ejus miracula 714, 723, 725. Ejus baſilicæ dedicatio 711, &c. *ad* 727. Privilegia. 720, 726
Remigius Regulæ prior. 45, m. 57, m
Renco epiſc. Claromont. 655, m
Rhetarius epiſc. Patherbrunenſis 209, m. 212, m. 214, a. 220, a.
Richardus epiſc. Virdunenſis 518, a. 530, a. 544, a 559, *ad* 562.
Richardus epiſc. & monachus Cluniaci 669, m. 699, m. 700, m.
Richardus abbas Belliloci. 560, m. 561, m
Richardus abbas Gellonenſis. 415, a
Richardus abbas Floriaci. 32, a. 45, a. 52, a
Richardus abbas Fuldæ. 413, a
Richardus an abbas S. Maximini. 369, a
Richardus abbas S. Victoris, Cardinalis, &c. 608, m

Richardus ex decano Remenſi abbas S. Vitoni 18, a. 187, *ad* 191, 369, 375, m. 376, 454, m. 455, a. 505, a. 570, a. 573, m. 577, *ad* 581, a. 593, m. 597, m. 600, m. n. 603, a. 671, m. cognominatur Gratia-Dei 550, a. pacem componit inter S. Henricum & Robertum regem 517, a. ſcribit vitam, &c. S. Vitoni 565, m. Ejus Vita, &c. 515, *& ſeqq.* altera vita. 537, *& ſeqq.*
Richardus dux Burgundiæ pater Rodulfi regis. 259, m
Richardus comes Normanniæ 317, m. 318, m. 341, m. 342, 550, m.
Richardus II. dux Normanniæ 353, 354, 361. Princeps 368, m. 374, m. 376, m. n. filius cognominis 327, a. 355, a. 558.
Richarius abbas Centulæ 494, m. *ad* 508. Ejus feſta 499, m. 500, a. Vita & miracula. 502, a
Richelda Bonifacii ducis Mantuæ uxor. 161, a. 163, m
Richerius abbas Caſini. 102, a. 108, a. 111, m
Richerus epiſc. Virdunenſis. 518, a
Rigomeri tranſlatio. 133
Rihboldus abbas S. Emmerammi. 25, a
Ripa Epiſc. Odinkar. 132, a
Robertus archiepiſc Moguntiæ. 209, a
Robertus epiſc. Rotomagi. 316, m. 318, a. 362, a
Robertus archiepiſc. Trevirenſis. 86, a
Robertus epiſc. Mettenſis. 29, m
Robertus epiſc. Spirenſis. 210, a
Robertus abbas Columbenſis. 367, m
Robertus abbas Fontanellæ, tum S. Germani à Pratis 362, m. 365, m.
Robertus abbas Gemetici. 364, m
Robertus abbas Prumienſis. 721, a
Robertus archidiaconus Leodii. 184, m
Robertus rex, ſcientiarum cultor & ſtudioſorum fautor 44, m. Atavis regibus editus *ibid.* obſidet caſtrum S. Germani 661, m. reparat eccleſiam S. Aniani, &c. 314. à S. Abbone correptus 33, m. iter Romam. 264, a. 496, m. 659, m
Robertus Roberti regis filius 266, a. dux Burgundiæ 660, m.
Robertus filius Richardi comitis 319, a. dux Normanniæ 355, a. comes. 342, a. 558, m
Robertus pater S. Guillelmi monachus. 324, &c.
Rodingi vita & reliquiæ. 525, m. n
Rodulfus epiſc. Carnutenſis. 316, a
Rodulfus epiſc. Silvanecti. 314, a
Rodulfus epiſc. Flevvicenſis, ſeu Sleſvvicenſis. 413, a
Rodulfus abbas Moſomi. 721, a
Rodulfus abbas S. Vitoni. 563, a. n
Rodulfus monachus ſanctus. 736, m
Rodulfus rex filius Richardi ducis Burgundiæ 259, m. 218, m.
Rodulfus comes Arimini. 81, m
Rodulfus-Albus 340, a. Ex vicecomite Divionenſi monachus, Beſuam reſtaurat. 345
Roffenſis epiſcopus Godvvinus. 63, a
Rogationum diebus oblationes &c. ad cathedralem eccleſiam delatæ. 341, 346, a
Rogerius epiſc. Catalauni. 526, a. 544, m
Rogerius epiſc. Lexovienſis. 348, a
Rogerius epiſc. Peruſii. 70, a
Rohaldus abbas S. Vitoni. 27, m. 537, m
Roho epiſc. Encoliſmenſis. 654, m. 736, a
Rollandus epiſc. Silvanecti. 716, *ad* 713
Roma 698, m. Ejus ſtatus ſæculo XI. 10, m
Romania. 215, a. 221, a
Romani epiſcopi, id eſt de Romania. 215, a. 221, m
Romani Imperatoribus infideles 86, m. contra Ottonem rebellant. 216, m
Romanus 303, m. epiſc. Nucerinus. 304, a
Romarici-mons. 517, a. 535, a
Romualdus Camerinenſis. 172, m
Romualdus 341, a. 454, m. Ejus vita, &c. 277, *& ſeqq.*
Roſemburga vicecomitiſſa. 56, m
Roſvvitha abbatiſſa Gandersheimenſis. 209, a
Rothadus epiſc. Atrebati. 578, n
Rothardus præpoſitus S. Vedaſti. 546, a
Rothegardis abbatiſſa Hildevvardeshuſ. 219, 224, a
Rotho epiſc. Paderbornæ. 394, m
Rotomagi archiepiſcopi Robertus 348, &c. Malgerius. 352, a
Rotrocus epiſc. Ebroicenſis. 367, a
Rottenburc imperiale caſtrum. 462, m
Roverina fluvius. 166, m
Rumoldus abbas S. Bavonis. 69, n
Ruodhardus Conſtantiæ epiſcopus. 200, a
Ruodo abbas Hersfeldenſis, tum epiſc. Paderbornæ 585, a.
Rupertus ſcripſit vitam S. Heriberti. 469, m
Ruchvvinus pius monachus Selginſtad. 473, a
Rudolfus pius monachus Selginſtad. 473, a
Ruſſi ad fidem adducti 79, *& ſeqq.* eorum epiſc. Bruno 80, m.
Ruſticus epiſc. Trevirenſis. 460, a
Rutheni ad fidem adducti. 79, *& ſeqq.*

S

SABINIANI papæ epitaphium. 684, a
Sacerdotis teſtimonium ſub ſtola datum. 463, a. V. Preſbyter.
Sacramentorum codex egregius. 704, a
Sacrificium Miſſæ 67, m. in SS. honorem oblatum 67, m. ſacrificaſſe dicitur mulier. 460, a
Sagienſes epiſc. Siefredus 348, a. Ivo. 711, &c.
Saladinus Jeroſolymam capit. 237, m
Saliſburgi archiep. Hartvvicus 16, n. Fredericus 7, &c. Johannes. 399, a
Salomonis pœnitentia. 227, m. n
Salvini reliquiæ. 550, a
Salx villa. 52, m
Samſon abbas S. Petri Vivi 254, m. 259, m. 260, m. 264, a.
Sancius epiſcopus & monachus Cluniaci 669, a. Pampilonæ. 683, a
Sancius rex Hiſpaniæ 661, a. 683, a. monaſteria reformat. 657, n. 658
Sanctimoniales è clauſtro egrediuntur 146, a. 556, a. 561, 671, a. citatæ in curia 210, m. ad epiſcopi exſequias. 421, m
Sanctinus primus epiſc. Virduni. 26, a
Sanctio dux 52, a. alter. *ibid.*
Santonum epiſc. Iſlo. 736, a
Saraceni Hiſpaniam depopulantur 169, m. 170. In eos Caroli M. expeditio. 54. m
Sareſburienſis epiſcopatus. 475, a
Sarmatia Pannoniæ. 75, m
Saviniani & Potentiani tranſlatio 195, m. 254, *& ſeqq.*
Saxonia à barbaris vexata 205, m. 206, a. à piratis 130, m. mores corrupti 238, m. verbo Dei diu indomabiles. 398. m
Schirburnenſis epiſcopatus. 475, a
Scholæ Aurelianis 39, a. Floriacenſes 38, a. 39, pro clericis 88, a. Gemblaci 601, a. 605, Gorziæ 29. a. Hildesheimii 202, m. Magdeburgi 79, a. Pariſiis, 39, 599, Remis 39, a. Tricaſſibus 599, m. Vilicæ 144, a. publicæ in monaſteriis 327, m. in monaſterio virginum. 144, a
Scholaſtica. 452, m
Sconia. 132, a
Scientiæ, abſque illis bona ſunt inania. 30, m
Scoti monachi Mettis. 29, a
Scottorum rex. 131, m
Scottica-vaſa. 205, m
Sebaſtianus archiepiſc. Strigonii. 75, a. 76, a
Sebardus epiſc. Hildesheimii. 209, a
Seland. 132, a
Senecienſis epiſc. Amelius. 615, m
Senogalliæ epiſc. Adalbertus. 488, m
Senones à barbaris vaſtati 254, m. urbis obſidio à Normannis 260, a. Ejus eccleſiæ primatus. 44
Senonum archiepiſc. Gerlannus, Heldemannus, Ar-

chembaldus, 161, m. Anaſtaſius, 261, Sevvinus 197, &c. Ludovicus de Meloduno 256, a. Vvenilo, &c. Vvillelmus, Leothericus 254, &c. Petrus 255, &c. S. Savinianus 256, Gelduinus. 724, a

Sepulcrum Domini Chriſtianis interdictum. 237, m

Sanctorum tumuli divinitus in aëra levati. 65, m. Ab Angelis ſervantur. 65, m

Sepultura interemptorum. 56, m

Sepulturæ in eccleſiis. 147, a

Sequentia in Miſſa natalis Domini. 224, m

Sergius papa. 132, m

Sergius S. Romualdi pater 281, a. Fit monachus 286, m. obit 287.

Serotini reliquiæ. 254, *ad* 260

Severus epiſc. Olmucenſis, tum Pragenſis. 485, m. n

Sevvinus archiepiſc. Senonum 44, 197, a. 198, a. 362, 263.

Sibertus epiſc. Mindonenſis. 390, m

Siefredus epiſc. Saxienſis. 348, a

Siffredus abbas S. Victoris Maſſiliæ. 607, m

Sigafridus marchio. 131, a

Sigebertus epiſc. Mindenſis. 392, a. 412, m. 413, a

Sigebertus Gemblacenſis, an auctor libri de abbatibus &c. 596, m. 597, a.

Sigefridus epiſc. Auguſtæ. 215, a. 221, a

Sigefridus epiſc. Mimigardevord. 390, m. 392, a. 413, a

Sigefridus Parmæ epiſcopus. 161, m

Sigefridus abbas S. Emmeramni. 9, n

Sigefridus abbas Gorziæ. 342, m. 721, a

Sigehardus abbas Abdingoffenſis. 386, m. 392, a

Silentium meridianum. 198, m

Silvanectenſes ſibi attribuunt reliquias S. Vigoris. 498, m.

Silvanecti epiſc. Rodulfus 314, a. Rollandus. 720. &c.

Silveſtri papæ ſtatutum de jejuniis. 285, a

Silveſter II. amicus S. Odilonis 683, m. bene erga Cluniacenſes affectus. 659, a

Simeonis eremitæ in Italia Vita. 149, *& ſeqq.*

Simeon monachus 529, m. 552, a. 555, m. 557, m. recluſus Treviris. Ejus vita. 367, *& ſeqq.*

Simigenſis comitatus in Hungaria. 73, m

Simon abbas Cavenſis. 727, m

Simoniaca hæreſis curatu difficilis 299, a. 301, m. Ejus effugia 45, a. proſcribitur. 721, *& ſeqq.* Simoniacorum ordinationes validæ. 82, a

Sintpertus epiſc. Ratiſponæ. 17, a

Siriaudus abbas S. Symphoriani Mettis. 28, m

Siricius archiepiſc. Cantuariæ. 62, a. 448, a

Siſtaricenſes epiſc. Gerardus 608, a. Petrus. 643, &c.

Siviardus abbas S. Symphoriani. 29, a

Slavonia. 130, a

Sleſvvicenſes epiſc. Ekkehardus 220, &c. Poppo 132, a. Rodulfus. 413, a

Sollemnis eccleſia & reliquiæ Blæſis. 534, a

Sommerſchenburg caſtellum. 202, n. 221, a

Somniorum varia genera. 590, m

Somnus meridianus. 198, m

Sophia abbatiſſa Gandersheimenſis 209, *ad* 214, 220, a. 222, m. 408, a. m. n. 419, m.

Spira, ibi corpus S. Guidonis abbatis 509, a. Epiſcopus Robertus. 210, a

Spoleti epiſc. Beraldus. 488, m

Stadium urbs. 131, a. n

Stephani reliquiæ. 537, m

Stephanus epiſc. Agathenſis. 313, a. 610, a

Stephanus epiſc. Anicienſis. 633, a. 679, m

Stephanus epiſc. Aptenſis. 95, n

Stephanus epiſc. Arvernenſis. 635, a. 655, 659, m. 663, a.

Stephanus præpoſitus S. Laurentii Leodienſis 544, m. 556, tum abbas. 184, m. 185, a. 557

Stephanus abbas S. Vitoni. 518, a

Stephanus abbas S. Urbani. 560, m. 561, m. 721, a

Stephanus Veneticus monachus Caſini, pius, 104, m

Stephanus rex Hungariæ 479, m. 482, 628, a. 629, a. 630, a. 683, a. Ejus ſanctitas 76, a. antea dux 73, regium diadema obtinet & crucem 74, fuit legatus apoſtolicus. 75, a

Stolam aliter diaconi aliter preſbyteri portant. 373, m

Strambiatorum familia. 509, n

Strigoniæ archiep. Sebaſtianus, S. Anaſtaſius 75, &c.

Studia & ſtudioſos fovet rex Robertus 44, m. vitia carnis exſtirpant. 42, a. apud Cluniacenſes vigent, 667, m. in monaſteriis 262, m. Beneficiis juvanda. 177, a

Suein rex Danorum perſequitur Chriſtianos &c. 130, m. miſer perit. 131, m

Suein junior rex Danorum. 130, m. 131, m

Sueſſionenſ. epiſcop. Beraldus. 346, &c.

Sueonum rex Hericus 130, m. Apoſtolus Poppo. 132, a.

Suiradus eremita 76, m. V. Zoerardus.

Sundevaldus epiſc. Moguntinus. 209, a

Svvanus Danorum dux in Anglia. 118, a

Symmachi oratoris locus. 177, a

Syri eccleſia Papiæ. 158, a

Syrus abbas. 632, a n

T

TAGMO archiepiſcopus Magdeburg. 80, m

Tammo comes. 221, a

Tangmarus preſbyter 220, 221, a. 222, a. 237. auctor vitæ S. Bernvvardi. 201, 202, a

Tarentaſiæ archiepiſc. Emio. 736, a

Tarraconenſis epiſc. Michaël. 433, m. n

Taruannæ epiſc. Drogo. 503, &c.

Taurini epiſc. Landulfus. 700, a

Techildis regina. 261, m

Tempeſtatis indicia. 40, m

Terentii epiſc. Mett. reliquiæ. 29, m

Tetfordenſis epiſc. Arfaſtus. 449, m

Teutonica Francia. 139, m

Thammus Ottonis III. aulicus convertitur. 291, m. 292.

Theobaldus epiſc. Matiſconis. 643, a

Theobaldus abbas Caſini 101, m. 105, n. Obit 102, a. 663, m.

Theobaldus abbas Pompoſiæ. 513, a

Theobaldus comes Carnotenſis. 316, a

Theobaldus epiſc. Aretinus. 277, m

Theodebaldus præpoſitus Caſini. 99, m

Theodelinus abbas Malleaci. 133, *& ſeqq.*

Theodemiri inventio. 252

Theodericus epiſc. Aptenſis. 95, n

Theodericus I. epiſc. Aurelian. 34, m

Theodericus II. epiſc. Aurelian. 264, m. 496, n. Ejus Vita. 192, *& ſeqq.*

Theodericus epiſc. Baſilienſis. 563, a

Theodericus epiſc. Cameraci 65, m. 314, a. 316, a. 318, m. 319.

Theodericus epiſc. Mettenſis 342, m. 383, m. 585, m. Ejus vita laudata 27, m. 28, a 523, a. n. 538, a. monaſt. fundat. 29

Theodericus epiſc. Mimigardevordenſis 226, m. 383, m

Theodericus epiſc. Mindenſis. 401, m. n

Theodericus epiſc. Miſnenſis. 413, a

Theodericus epiſc. Virdunenſis. 518, a. 721, a

S. Theodericus abbas, luem exſtinguit 571, a. alia miracula. 574, a

Theodericus abbas. 318, a

Theodericus abbas S. Ebrulfi. 517, a

Theodericus abbas Gemetici. 340, a

Theodericus abbas Hildesheimenſis 237, m. 239, m. 243, m. 244, a. 251, m.

Theodericus abbas S. Huberti. 560, m

Theodericus abbas S. Maximini Trevirenſis 574, m. 591, m. n.

Theodericus abbas S. Remigii. 714, m. 715, a

Theodericus abbas Stabulenſis. 571, a

Theodericus abbas Willarii. 585, m

Theodoricus monach. Caſinas 110, m. ſcriptor 172, n

Theodoricus Saxonum rex. 454, a

Theodoricus cancellarius S. Henrici. 454, a

Digitized by Google

Theodoricus comes Gandavi. 181, a
Theodoricus comes 516, m. Virduni ſepultus. 544, a
Theodoricus nobilis Flander. 572, m. 574, 575, m
Thodorici nominis etymon. 194, m. n
Theo.dertus abbas. 348, a
Theodonis-villa. 524, a
Theodori martyris reliquiæ. 537, m
Theophana auguſta. 204, a. 209, m. 210, a
Thiſla villa Brabantiæ. 68, a
Theudaldus marchio monaſt. Padolyronenſis conditor. 160, a.
Thiadericus comes. 131, a
Thiemmo epiſc. Bamberg. 462, a. 465, m. n
Thiemmo epiſc. Merſburg. 383, m
Thietmarus epiſc. Mindenſis. 401, m. n
Thietmarus abbas Helmvvardeshuſen. 382, m. 383. ſcripſit Hiſtoriam tranſlationis S. Modoaldi, 384, a
Thiethmarus II. abbas Helmvvardeshuſen. 384, a
Thiotardus epiſc. Hildesheim. 209, a
Thomas archiepiſc. Eboraci. 449, m
Thrucco rex Nordmannorum. 131, m
Thurkilus Normannorum dux in Anglia 113, m. 118, a. 122, m. 124, a.
Tiburtina urbis obſidio. 216, 290, m
Ticini epiſc. S. Epiphanius. 410, a. n
Tigernahus abbas Scotus. 471, m. 472, a
Timothei mart. reliquiæ. 217, m
Toloſæ epiſc. Hugo 312, m. Bernardus 312, &c. Petrus-Rogerii, Amelius. 657, a
Tornodorum caſtrum. 193, m. pagus. 170, a
Trajani ſuſcitatio. 351, a
Trajectenſis eccleſia 174, m. 175, a. Ejus elogium 177, m. interdicta. 446, m
Trajectenſes epiſc. Folcmarus 202, m. Aufridus 85. Balduinus 89, a. Adelboldus 93, &c. Benno 413, a
Tranſalbiani populi. 129, a. 130, a
Tranquilli confeſſoris corpus. 338, a
Trecenſis epiſcop. Herveus. 255, &c.
Treneſtinæ reliquiæ. 134, a
Trevirenſes archiep. Bruno 384, a. Ebehardus 720, &c. Henricus 9, a. Ludolſus 210, &c. Poppo 585, &c. Robertus 86, a. Ruſticus 460, a. Vvernerus 371.
Treviri in Lotharingia 22, m. 23, a. Trevir. eccleſiæ primatus. 720, m. n
Treuva Dei. 559, m. 661, a
Trohannus epiſc. Aurelianenſis. 34, m
Tullenſes epiſc. Bruno ſeu Leo IX. 715, &c. Bertoaldus, Hermannus 331, a. Jacob 342, m. Goſlinus 32, a.
Turonum gloria Martinus 594, m. Metropolis 722, m. n.
Turonenſes epiſc. Arnulfus 252, &c. Hugo 317, m. Ugo. 348, a
Tuto epiſc. Ratiſponæ. 17, m
Tyrus urbs Saladino reſiſtit. 238, a

V

VALENTIÆ epiſc. Humbertus 639, m. Pontius 736, &c. Guigo. 656, m
Valerii martyris corpus. 337, a
Vapinci epiſc. Feraldus. 643, &c.
Ubertus epiſcopus Firmanus. 173, a
Uberti duo epiſcopi Arimini. 82, a
Udalricus epiſc. Auguſtenſis. 517, m
Udalricus abbas S. Emmerammi. 25, m
Venerandus abbas Padolironenſis. 160, a
Venerius abbas S. Gaudentii Arimini. 81, m
Venerius pie vivit & obit. 291
Venetorum patriarcha Urſus 334, a. Duces 283, m
Veranus abbas Floriaci. 32, m
Vercellenſes epiſc. Leo 331, &c. Petrus 268, &c. Ardericus. 269, m
Veroni vita. 605, m
Veſontionenſes archiepiſc. Vvalterius 645, &c. Hugo. 647, &c.
Viaticum moribundæ datum 16, 22, a. 92, m. 181, a. 224, a. 689, properantibus ad prœlium. 217, a
Vice-dominus eccleſiæ Ratiſponæ. 11, m
Victoris III. dialogi. 96, & ſeqq. 729, m
Victoris mart. Genevæ inventio. 651, m
Victorinus S. Hieronymi magiſter. 39, m
Viennæ archiepiſc. Burchardus 662, a. Leodegarius. 608, &c.
Vigoris epiſcopi reliquiæ. 498, 499, a
Vimmacus pagus. 506, m
Vincentius abbas de Domnos-ſanctos. 60, a
Vincianæ reliquiæ. 69, a. 68, n
Virdunenſis comitatus eccleſiæ datur. 187, 530, a
Virdunenſium epiſcoporum ſepultura 516, a. eorum inventio &c. 522, 540, m. 541
Virduni epiſc. Adalbero 185, m. &c. Albertus 187, a. Vvigfridus 188, a. SS. Vitonus, Pulcronius, Poſſeſſor, 541, &c. Berengarius 16, &c. Vvigfridus, Adalbertus, Heimo 27, &c. Hildinus, Atto, 522, &c. Madalveus 540, m. Dado &c. 541, a. Rambertus 516, &c. Richardus 518, &c. Theodoricus, Richerus. 518, &c.
Virginum velatio. 209, & ſeqq. 225, m
Vitalis abbas Pompoſiæ. 513, a
Vitalis-Candianus dux Veneticus. 283, m
Vitoni epiſc. Vita & miracula 565, m. reliquiæ. 27, a. 541, m. 560, a.
Vitreum Alexandrini generis. 700, a
Vivarienſis epiſc. Armannus 647, ſeu Hermannus. 648, a.
Viventii confeſſoris corpus. 326, m
Univerſalis titulus à CP. affectatur 330, n. 335, a. Romano pont. datur. 335, a
Unvanus archiepiſc. Bremenſis & Hamaburgi 128, a. ad 130, m. 227, a. 383, m. obit. 413, m
Vodo abbas. 27, a
Voladiſlaus ex monacho rex Poloniæ. 670, m
Volcvvardus epiſc. Brandeburgi. 424, a
Volmarus abbas Virtzenburgenſis. 585, a
Vorinholt arx. 206, a
Vota monachi diſſoluta. 670, m
Votum ponderatum ad corporis pondus. 241, a
Urbanus V. papa ex abbate S. Victoris. 608, m
Urbani epiſc. Lingonenſis corpus. 338, a. 339, a
Urſus patriarcha Venetorum. 334, a
Urſus eremitæ miniſtrat. 98, m
Wag fluvius Hungariæ. 78, a. n.
Waimarius. V. Guaimarius.
Wal abbas Corbeiæ Saxonicæ. 384, m. 386, m
Walaricus abbas. 503, a
Walbertus epiſc. Hildesheimenſis. 209, a
Waleranus ex comite Bretulii monachus, tum abbas S. Vitoni. 525, m. 537, m. 561, ad 563
Walthardus archiepiſc. Magdeburgi. 132, m
Walterius archiepiſc. Biſuntinus. 645, m. 655, m
Walterius epiſcopus. 648, a
Walterius epiſc. Æduenſis. 639, a. 650
Walterius epiſc. Aurelian. 34, m
Walterius epiſc. Furconenſis. 488, m
Walterius epiſc. Matiſcon. 662, m. tum monachus. 669, m.
Walterius epiſc. Namnetenſis. 721, n. 723, m
Walterus epiſc. Tornaci. 64, m
Walterii monachi pia mors. 669, 670, a
Waningus Fiſcamni fundator. 351, m
Warnerius abbas Lirinenſis. 653, m
Waſa comitiſſa. 276, a
Watho ſeu Waſo epiſc. Leodii, 589, 592, m. 533, 599, a. pie obit. 606, a
Wellenſes epiſc. Athelmus 448, a. Duduc. 712, &c.
Wenilo Senonum archiepiſcopus. 254, ad 256
Werdenſes epiſcopi Beringerus 212, &c. Bernarius 132, m. Wiggherus. 413, a
Weringerus abbas Montis S. Mariæ Trajecti. 92, a
Werla in Saxonia conventus. 383, m
Wernerus archiepiſc. Trevirenſis. 371, a
Wernerus epiſc. Argentorati, 412, m. 413, a. obit. m

Vverpitionis

Werpitionis modus. 648, m
Wibertus epiſc. Mutinæ. 168, m. V. Guibertus.
Wicciorum epiſc. Leſſius. 450, m
Wido archiep. Remorum. 714, *ad* 727
Vvido, *V.* Guido.
Widricus abbas S. Apri Tulli. 331, a. 340, m. 671, m
Vvifredus, *V.* Guifredus.
Vvigbertus epiſc. Hildesheimenſis. 208, m. 209, a
Vvigbertus patronus Herveldæ. 402, a. 403, m
Vvigfridus epiſc. Virdunenſis. 27, m. 188, a. 520, n
Vviggherus epiſc. Vverdenſis. 413, a
Vvigo epiſc. Vallavenſis. 641, a
Vvillebaldus epiſc. Eiſtetenſis. 399, a
Vvillegiſus archiepiſc. Mogontiæ 128, m. 203, m. 204, m. 207, m. 209, *ad* 225, 401. a. 402, m. 407, m. 408.
Vvilhelmus M. Ottonis frater epiſc. Moguntiæ. 209, a.
Vvillelmus archiepiſc. Senonum. 254, m. 255, m. 259, m.
Vvillelmus epiſc. Autiſſiodori. 256, a
Vvillelmus epiſc. Convenarum. 313, a
Vvillelmus epiſc. Meldenſis. 256, a
Vvillelmus Nivernenſis epiſc. 256, a
Vvillelmus abbas Floriacenſis. 33, a
Vvillelmus Hirſaugiæ abbas diſcipulus B. Ramuoldi. 4, m.
Vvillelmus eremita. 341, a
Vvillelmus S. Romualdi diſcipulus. 290, a
Vvillelmus Ducis Normanniæ filius, monachus. 352, a.
Vvillelmus dux Aquitanorum 657, m. 660, m. Magnus, ejus uxores & filii. 642
Vvillelmus dux Pictavienſis. 560, a
Vvillelmus comes Provinciæ. 646, a
Vvillelmus comes Toloſanus. 45, a
Vvillelmus-Otto comes Burgundiæ. 326, m. n. 329, 349, m. *& paſſim.*
Vvillelmus marchio. 276, a
Vvillelmus, V. Guillelmus.
Vvillermus-Sancius dux Navariæ. 169, a. m
Vviltonienſes epiſcopi S. Alfricus 61, m. Siricius 62, a. Britvvaldus 473, &c. Hermannus. Variæ eorum ſedes. 475, a
Vvino abbas Helmvvardeshuſen. 384, a
Vvintonienſes epiſc. Britvvoldus, ſeu Ethelvoldus. 474, &c. Elphegus 117, &c. Kenulſus. 118, n
Vvirinus abbas Helmvvardeshuſen. 384, a
Vvirraha fluvius. 131, a
Vvirzburgenſis epiſcopatus Bambergenſis erectione minutus. 452, a
Vvirſburgenſes epiſc. Henricus 383, &c. Meinhardus. 412, &c.
Vvltaldus abbas Floriaci 38, m. tum epiſc. Carnot. 32, a.
Vvlferii monachi elogium. 169, *& ſeqq.*
Vvlframnus archiepiſcopus. 503, a
Vvlframmus abbas S Emmeramni. 21, n
Vvlfricus abbas S. Auguſtini Cantuariæ. 712, 721, a
Vvlgerius Beſuæ abbas. 346, m
Vvlnothus abbas Vveſtmonaſterii. 410, m
Vvolbodo epiſc. Leodienſis 523, a. 525, a. 557, a. 58-, a. 597, a. m. 602, 603. Ejus vita 174, *& ſeqq.*
Vvolferus ſcriptor 475, m. an vitæ S. Godehardi auctor. 395, m
Vvolfgangus archiepiſc. Aquilegiæ. 382, m. 390, m
Vvolfgangus epiſc. Ratiſponæ 454, m. retinet veſtem monaſticam 8, &c. Miracula &c. 5. *ad* 18, *& ſeqq.*
Vvolframmus abbas S. Emmerammi. 23, a
Vvolperti abbatis Tuitii elogium. 469, 470, m
Vvolphelmus. 137, m
Vvormatiæ epiſc. Burchardus 598, &c. Hazeco 413, a. Hildevvaldus. 209, m
Vvulſgerus abbas Helmvvardeshuſen. 384, a

Y & Z

YDA ſanctimonialis. 145, m
Yſarni abbatis Maſſilienſis vita. 607, *& ſeqq.*
Yvo præpoſitus S. Dionyſii. 697, a
Zacharias papa epiſcopatus fundat in Bavaria. 399, a
Zamoræ epiſc. Attiliani duo. 59, m. 82, m
Zenonis eccleſia Veronæ. 515, a
Zoe uxor Nicoſtrat. 705, m
Zoërardi eremitæ vita. 75, *& ſeqq.*
Zozimus abbas 77, a. n. ſcripſit vitam S. Mariæ Ægyptiacæ. 532, m
Zuendiboldus rex. 88, a

INDEX MORALIS

PARTIS PRIMÆ

SÆCULI SEXTI BENEDICTINI.

A

ABBATIS pii exemplar 548. quî regat ſubditos 601, a. & corrigat 592, m. humilis ſit 612. ſibi ſeverus, aliis benignus. 387, m
Adulationes peſſimæ. 664, a
Adverſa ex delictis procedunt. 512, m
Amor Dei non eſt otioſus. 536, a

B

BENEFACTORUM defunctorum memoria quam ſollicite facienda. 549
Bona credere de Bonis præſtat, quam de malis mala. 19, 102.
Boni etiam malis bene utuntur. 9, m

C

CÆLIBE vita nihil prius aut melius. 263, m
Caritas mater virtutum 333, m. Ejus erga pauperes mirum exemplum 344. ſine ea dives pauper eſt 383, n. Ejus intenſio in ſæculo futuro 429, a.
Caritas in alterutrum, ſanctorum deliciæ. 552, a
Carnis afflictio, frequens meditatio 39, a. Ejus vitia ſtudiis litterarum retunduntur. 42, a
Caſtitas cum humilitate, angelica puritas eſt 245, a. Abſque illa impoſſibile eſt placere Deo. 263, m
Chriſtiani ex ſolis operibus malis erubeſcant. 16, a
Confeſſionis neceſſitas 427, a. 429, a. virtus 381, a. Eâ peccata dimittuntur. 511, m. 547, m. 594
Confraternitas in honorem S. Godehardi. 444, m
Continentia angelis æquiparat. 512, a

Digitized by Google

Correctio quì facienda. 592, m
Crucis ſigni vis. 590, m. & *paſſim.*

D

Disciplinæ uſus. 513, a. 531, a 592, a
Diſcretio mira S. Godehardi. 403, 404
Divinatores idololatræ ſunt, &c. 428, m
Divitias religio monachis parit, divitiæ non religionem deſtruant. 387, a

E

Ecclesiæ ornandæ, quo caſu res ſacra divendendæ. 604
Eleemoſynarum virtus. 391, m
Epiſcopatus qua mente ſuſcipiendus. 7, a
Epiſcopi in monaſteria viros ſolum graves ſecum introducant 387, a. Debita eis reverentia 430, a. Etiam ab exemtis. 384, m
Excommunicationis virtus. 429, m. 430. a
Exemplorum bonorum utilitas. 430, m. 729, a

F

Famæ ſuæ neglectus, crudelitas eſt. 456, a
Fidei rectæ neceſſitas in pœnitentibus. 45, a. Fidei conſtantia virginum Benedictinarum. 454, m
Fortitudinis definitio. 686, a

G & H

Gratiæ non differendæ. 548, m
Honores procreant vitia 612, a. Ii appetendi, quibus Deus non offenditur. 45, a
Hiſtriones à Chriſtianis eliminandi. 580
Humilitas cuſtos virtutum 477, a. fructifera eſt 230, a. excellentior eſt prudentiâ. 21, m

I

Jejunii quadrageſimæ collatio 694, a. comedendi hora canonica. 476, m
Incantationum pericula 511, m. ſacrilegia. 583, a
Infirmitatum proventus. 426, m
Invidentiæ deteſtatio. 664, a
Irregularitas ex homicidio. 431, a
Juſtitiæ definitio 682. Eſt mater & cauſa virtutum 512, m. ſi modum excedit, ſeveritas eſt. 142, a

L

Laboris manuum neceſſaria utilitas 402, a. monachorum 602, a. ſcriptio librorum. 605, a
Lectio refectionis tempore. 205, a
Leges pro circumſtantiis interpretandæ. 46, m
Ludentes in vigilia Natalis Domini dire puncti. 232, m

M

Maria, erga eam Odilonis devotio. 664, m
Mendacium peſtifer morbus. 685, m
Miraculorum utilitas 466, a. Infidelibus debentur. 435, a.
Miſericordiæ laudes 684. diſciplinæ adjungenda. 548, m.
Monachis Deum quærentibus nihil deeſt 388, a. nihil retinere debent 481. ſæculum fruſtra reliquunt, ſi ea quæ ſæculi ſunt faciant 190, a. ſæcularia negotia tractare recuſent 295, a. Sagimen, non carnes, aliquando iis permiſſum 307, m. Monachi negligentis horrida punitio 116, a. inobedientis 153, a. 586, a. Epiſcopo reſiſtentis 384, m. 394, a. etiam exemti epiſcopis diœceſanis reverentiam debent 384, m. Monachi & Clerici ſeſe invicem adjuvent 386, m. Eorum ſocietatem obtinet S. Henricus 455, a. Eorum capitulo in canonico habitu non licebat adeſſe. 405, a.
Monaſterii Cluniac. ingreſſus abbatiſſæ permiſſus. 550, a.
Monaſtica veſte donando barba & caput tondentur. 403, m. Veſtem non mutare ſanctius eſt, quam ſub veſte vitam negligere 116, a. Monaſtici habitus ſuſceptione morbus ſedatus. 615, a
Moribundus officium recitat 420, 591, m. præparatio ad mortem, Unctio & Viaticum, &c. 469, & *paſſim.*
Mors peccatoribus terribilis, juſtis deſideranda 427, a. Eam timet S. Adelheidis. 146, a
Mulieribus eccleſia monaſterii interdicta. 199, m
Mundus exſilium eſt ſapienti 555, a. Mundi deſideria & carnis ſi in corde retineantur, nil prodeſt patria bona, &c. reliquiſſe. 372, m
Murmurationis malum 664, a. punitio. 428, a

N & O

Nobilitas nulla ſine virtute 398, a. eſt ſuperbiæ fomentum. 245, a
Obedientia inter virtutes prima 108, m. quanta virtus 153, a. ejus mirus effectus 145, a. Obedientiæ neceſſitas monacho 291, a. Inobedientiæ terribilis punitio. 153, a
Obedientiam patri debitam violantis pueri terribilis punitio. 111, a
Obedientia Chriſti proſequenda devotione. 21, a
Oblationes SS. ſepulcro, candela ad menſuram ægri. 424, a.
Officium divinum quì celebrandum 285, m. recitatur coram ægris, ſi non poſſint recitare. 109, a
Orationis formulam laïcis tradit B. Richardus 551, m
Orationes multas impoſſibile eſt non exaudiri. 432, a

P

Pastores, an aliquando gregem deſerere poſſint? 46, m
Pauperum neceſſitati non ſubveniens, Chriſti membrum non eſt 117, m. Eccleſiæ theſauri in id diſtribuendi *ibid.* Pauperes è vaſis ſacris alendi 664, m. 684, m.
Peregrinationum quæ utilitas. 573, m
Perjurii punitio terribilis. 416, m
Pietas habet promiſſionem vitæ *præſentis & futuræ.* 466, a. ſcientiæ adjungenda. 549, m
Pœnitentiâ peccata remittuntur 511, m. 512, m. abſque recta fide vana. 45, a
Pœnitentia publica. 547, m
Prælatio ſubjectiorem reddit. 612, a
Proprietarius monachus à dæmone accuſatur. 110, a
Prudentiæ definitio. 682, m

Q & R

Quadragesimæ jejunii utilitas. 630, a
Reliquiæ ſanctorum non leviter movendæ 560, m. Falſas ſupponens divinitus punitur. 443, a

S

Sanctis reverentia præſtita in eorum Salvatorem redundat. 65, a
Sæcularis vita quantum à ſpirituali differt. 510, a
Sepulcra ſanctorum veneranda. 431, m
Sanguinis Chriſti effuſio in Miſſa pro ea gravis ſatisfactio. 531, a
Satisfactio non differenda. 531, a
Scientia ſine pietate inutilis. 549, m
Scripturarum utilitas. 430, m
Silentium cultus juſtitiæ, egregium decus monachorum 470, m. Ejus rigor in S. Romualdo 309, a. Silentium meridianum. 199, a
Simoniæ effugia damnantur. 45, a
Somnia ſpernenda. 590, m
Spectaculorum pericula. 580, m

Digitized by Google

Spiritus Dei ubi docet facillime diſcitur 399, m. Ei reſiſtendum non eſt. 539, m
Studiorum utilitas 601, a. 605, a. rectus uſus 605, m. Iis vincuntur carnis vitia 42, a. Profanorum ſtudia nociva. 594, m
Superbia vitiorum fomenta. 332, m
Superbi presbyteri terribilis punitio. 476, ad 479
Suſurriorum mala. 664, a

T & V

Temperantiæ definitio. 686, m
Timoris Dei efficacia. 612, a
Verbi Dei prædicatio qui facienda. 8, a
Veritas falſis narrationibus non obfuſcanda. 566, a
Vigiliæ temperandæ ſunt. 285, m
Virtutes aliæ aliis amicæ. 613, m. Virtus veram facit nobilitatem. 398, a
Viſiones an obſervandæ. 701, m
Vitæ ſanctorum quam utiles. 729, a
Vitia vitiis placent 613, m. qui ex honoribus oriuntur 612, a. Vitia, non homines, odio habenda. 417, a
Voluntas bona magnum Deo munus. 237, a

Z

Zelotypiæ mali effectus. 456, a

INDEX ONOMASTICUS

VOCUM BARBARARUM ET EXOTICARUM

PARTIS PRIMÆ

SÆCULI SEXTI BENEDICTINI.

A

Albæ, Dominica in Albis. 418, a. n
Analogium, tumulus. 516, 522, m
Apocriſiarius S. Vitoni. 525, a. 537, a
Apodex, evidens probatio. 566, m
Artavus inſtrumentum ad ſecandum. 261, a. n
Atqui, itaque. 7, a. 9, a. 12, a
Avis, inſtrumentum cæmentarii. 189, m

B

Biahors, vox ſeditioſa. 54, n
Bruſta. 454, a

C

Caballerii, equites. 312, a
Capitolium monachorum. 387, m
Capſum monaſterii. 253, a
Carabus, navicula. 617
Caſubula, Caſula.
Cauma, calor. 15, m
Cedula, Schedula. 163, m
Ciborium altaris 687, a. in eccleſia S. Vitoni. 541, m
Cluſoria ars. 203, m. 205, m
Comanda. 648, m
Cœnobium, eccleſia cathedralis. 409, m
Condamina, portio terræ. 647
Coppa, crater. 454, a
Cruces, proceſſiones Rogationum. 463, a
Cruciculæ, ſuſtentacula. 567, m
Cupa, dolium. 145, a
Cupha, Scyphus. 426, a
Cuppa, Schyphus. 513, m
Curſus, officium divinum. 719, a

D

Decantare, recitare. 27, a. 109
Dehabere, non habere. 579, &c. ad 586
Deſpotos. 18, m
Diapiſtin. 453, m
Diarodina. 454, m
Diaſprum. 453, m
Diœceſis, provincia eccleſiaſtica. 214, a
Dominica reſurrectio, quælibet Dominica. 225, a. n
Domus, eccleſia principalis. 378, a n
Dromones, navigia celerrima. 624, m
Ducibulum, Obturamentum. 145, a

E & F

Eræ, capitum ſectiones. 50, n
Eulogia, munuſcula. 415, a
Fabrateria. 44, m
Ferula apoſtolica, baculus. 215, m. 225
Frigoretica, febricitans. 272, m

G & H

Galilæa, navis eccleſiæ. 544, a
Gaſtrimargia, gula. 152, m
Heræ, capitum ſectiones. 50, n
Herman, homo errans. 331, a
Hipatos. 22, m
Holo-vitreus ſcyphus. 699, a
Huſcarles, milites. 124, m. 126, m

I

Iconia, imago. 24, m
Inantea, poſtmodum. 648, m
Ingenium, inſtrumentum. 703, a
Intentio, lis. 488, a
Judicatus, charta. 347, 348, m

L & M

Liſtæ, oræ. 453, m. 454, a
Mallatura. 488, a
Manzer, ſpurius. 32, m
Mapalia, Caſæ ruſticorum. 96, m
Marchicomes. 6, m. 22, m
Marchiſus, marchio. 578, m. &c.

Memoria, oratorium 66, a. reliquiæ. 67, a
Miſcere, infundere. 513, m
Miniſteriales eccleſiæ. 246, a. n
Minuti, venâ ſecati. 734, m
Monarchia, regio ſeu ejus dominium. 299, a. 301. a
Monaſterium, eccleſia cathedralis. 208, 224, a. 225, m. 378, a. 406, a. 424, m.

N & O

NIGELLUS. 687, a
Nummata vini. 236, a
Obedientia, villa monaſterii. 619, m
Oblationarius. 221, a
Opidum, civitas. 135, a

P

PALLIGER, archiepiſcopus. 209, &c. 223, a. 408.
Paranomarius, ſacriſta. 516, a. 522, m
Parciola, particula. 163, m
Parochia, diœceſis. 225, a. 226, a
Paſnagium, vectigalis genus. 353, m
Peciola campi, parvus campus. 637, a
Pedia paſtoralis, baculus. 7, m
Pilarium. 263, a
Plancæ, aſſeres. 289, m
Pollinctores, ſepulturæ curatores. 561, m
Polinctorium, ſepulcrum. 523, a
Prenſio. 648, m
Propitiatorii deſcriptio. 541, m
Propter, juxta. 464, a
Pulpiti deſcriptio. 541, a

R & S

RASCIA, terræ portio 644, a. Raxia. 645
Religio, ordo. 141, a. 147, a
Rumor, Rheuma. 419, m
Saccellarius, qui ſaccum defert. 13, m
Sagmarii & Saginarii equi. 134, m. n
Saumarius, mulus oneratus. 703, m
Scambium, commutatio. 637, m
Scotomia. 14, a
Scriptura-divina, libri SS. Patrum &c. 605, m
Sequentia, proſa in Miſſa. 224, m
Signa, campanæ. 514, m
Smalta. 453, m
Sonipes, equus. 695, m
Spinelbaum, arbor. 415, a
Staminia. 684, m
Suffraganea eccleſia. 734, n. 735, a
Symmiſta. 18, m

T & V

TENEBRÆ, matutinæ. 547, a
Teſtamentum, fundationis charta. 636, m
Tripoda, ſcabellum. 513, m
Venerantia abbatis. 52, m
Venetus color. 454, a
Venipeta, ſupplex. 14, a
Vicarius S. Donati, epiſcopus Aretinus. 277, m
Unciales litteræ. 253, a

FINIS.

Digitized by Google

APPENDIX AD I. PARTEM Sæculi VI. Benedictini.

ULTIMA ſanctorum hujus Sæculi actorum editioni imponebatur manus, cum Vitam beati Petri Peruſini abbatis, è codice mſ. monaſterii ab eo conditi deſcriptam accepimus, curante R. & eruditiſſimo patre domno Eraſmo à Cajeta ſacri monaſterii Caſinenſis priore, quare eam, ut in Elogio ejuſdem ſancti hujus voluminis pag. 70. polliciti ſumus, hic exhibemus.

INCIPIT VITA S. PETRI ABBATIS & Confeſſoris.

1. TEmporibus OTTONIS ſecundi Imperatoris, fuit quidam vir egregiæ, venerabiliſque vitæ PETRUS nomine ex Peruſino Comitatu, ex Agelione videlicet pago, qui ſex fere millibus diſtat à Peruſina civitate, ex nobili Vintioliorum familia ortus, Dei per omnia plenus gratia, qui à primævo ſuæ ætatis tempore, juſtitiæ callem ingrediens, Deo devotum pectus gerebat; quique cum ſolummodo ſex annorum eſſet, etiam invitis parentibus litteras cœpit diſcere ſcholarum utpote prudens clientulus. Quid plura? Sacris ab infantia eruditus litteris, collum jugo Dominici ſuppoſuit ſervitii, utpote non illius ignarus Evangelici dicti aſſerentis: Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde: jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve. Qui adhuc juvenculus bonis intentus operibus, electorum ut Dei ſortem adeptus, effectus eſt Clericus, & per omnes Eccleſiaſtici Ordinis gradus in ſacerdotali ad ultimum dignitate, ut verus ſacer eſt elevatus. Erat ſiquidem innocentia prædítus, actionis munditia fulgidus, caſtitate nitidus, longanimitate ſpei, & operis firmus, obedientia ſimplex; in prudentia ſerpentem, in ſimplicitate columbam, eſt imitatus, ſicut Dominus ſuis diſcipulis aïebat: Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ; eratque ſobrius, pudicus, providus, perfectum animal novi Teſtamenti, oculis ante & retro plenum, quem nec proſpera elevatum, nec adverſa umquam reddiderunt turbatum. Quippe ad ſuæ mentis aditum non mollem cuſtodiam, ut Iſboſeth Saulis quondam filius adhibuit, ſed robuſto virilique diſcretionis ſenſu ſui pectoris munivit ingreſſum; nec in inguine percuti valuit, ac proinde illum carnalis non poſtravit delectatio: quippe percutitur, ut beatus ait papa Gregorius, qui carnis delectatione luxuriæque ſorbetur voragine; tota namque virtute aditus eſt muniendus mentis, ne inſidiantes eam aliquando hoſtes foramine neglectæ cogitationis necent. unde Salomon ait: Omni cuſtodia ſerva cor tuum, quoniam ex ipſo vita procedit.

Petri patria, parentes, pia educatio &c.

2. Fuit etiam hic beatus Petrus vir eleemoſynarum virtute præditus, omnique caritate plenus; ſic ſatagebat Marthæ miniſterium, ut Mariæ ad Domini ſedentis pedes minime relinqueret deſiderium. Fuit pariter hic vir ſanctus amabilis Deo, caruſque hominibus. Potentum non formidavit aliquando perſonas delinquentes, ſed aſperis objurgationibus devios monendo ad gremium, quos poterat, ſanctæ revocabat Eccleſiæ: non ignorans delinquentes, non tantum palpandos, ſed etiam pungendos eſſe ut reſipiſcant, Salomone dicente: Verba Sapientum quaſi ſtimuli, & quaſi clavi in altum defixi. Nam tempore quo ſupradictus Imperator Otto ſecundus, rediens Romam, ſuſcepta jam corona Peruſiam veniſſet, illiuſque milites

Ottonem imp. monet.

Digitized by Google

Ann. Ch. MVII. Julii X. multa devaſtantes, ac cuncta deprædantes, comprovinciales pauperes ac divites affligerent, vir Domini nullo umquam territus pavore increpans Imperatorem dixit: Rex excelſus & cæleſtis, ô Imperator, terrenum tibi ad regendum, non deſtruendum commiſit regnum. Tu vero non gubernator, ſed potius es ejuſdem regni diſſipator. Qui beatus Chriſti confeſſor pauperum, pupillorum, atque viduarum lacrymis permotus ac repletus, ſupradicto Ottoni Imperatori minaciter improperavit dicens: Oh miſer, non vides quanta bona diſſipari, & devaſtari facis? Neſcis quia redditurus es coram ſummo judice in die judicii de omnibus rationem? quare non miſericordiam, ſed iram ejus mereberis, cum ante illum diſtricte judicandus veneris? Tunc eveniet tibi quod dictum eſt per Job prophetam loquentem de impio, ſcilicet: Divitias quas devoravit evomet, & de ventre ejus abſtrahet illas Deus, quoniam confringens pauperis domum rapuit, & non ædificavit eam, nec ſatiatus eſt venter ejus: Denique diſtrictus Judex in judicio, non rapientibus, ſed de ſuo nihil tribuentibus dicturus eſt: Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare; ſitivi, & non dediſtis mihi bibere; hoſpes eram, & non collegiſtis me, & reliqua, quæ habentur in Evangelio, pro qua culpa horribilis vox ſubintonat dicens: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis ejus. Si igitur, ô Rex, tanta pœna multatur, qui non de ſuo aliquid pauperibus dedit, qua pœna inferendus eris Tu, qui alienum, & maxime pauperum rapiendo quæris? Quibus verbis Imperator prius ira accenſus eum à ſe egredi præcepit; ſed poſt paullulum, auditis ejus continentiis, ac bonitate vitæ eum regredi juſſit, indulgentiam ab eo petiit, quam & recepit. Vir autem ſanctus prudenter illum redarguens, admonuit qualiter ſanctam gubernaret Eccleſiam, epiſcopos & preſbyteros luxuriantes, verbumque Dei adulterantes emendare, ſimoniacam labem & hæreſim damnaret & populum pie regeret, ſceleratos, ac noxios juſte judicans legaliter perderet. Qua admonitione roboratus Imperator de ſuo illi tribuens abſceſſit in Domino melior factus.

Monaſterium condit.

3. Illis vero temporibus epiſcopus quidam, HONESTUS nomine Peruſinam regebat eccleſiam, non longe autem à civitate eccleſia quædam ſita ad honorem beati apoſtoli Petri fuerat in loco dicto Monte-Calvario, in qua epiſcopatum priſcis fuiſſe temporibus nonnulli dicunt, quæ à paganis deſtructa fuerat, eamque ſanctus vir reædificare ſatagebat, ſi ſupradictus Præſul fineret. Sed ſatanæ quidam ſuccenſi malitia, ſicut mos eſt malorum, inſidiari vitæ bonorum, jam dictum Præſulem accuſationibus ſuis contra Dei ſervum incitarunt, aſſerentes eum ſimulatorem, & epiſcopi criminatorem eſſe. Quod epiſcopus prius audiens credidit, poſtmodum vero ex ſuggeſtione malorum clericorum id cognoſcens dictum, eo ad ſe accerſito, rogavit, ut ſupradictam ſtuderet reædificare eccleſiam, quam à paganis deſtructam invenerat. Beatus igitur vir Dei gaudio gaviſus magno, omnipotenti Deo gratias egit, quoniam congruum tempus eccleſiæ reædificandæ advenerat. Tunc fidem Præſulis accipiens, quod in eodem loco monaſterium conſecraret, accinctus fortitudine ſancti Spiritus, adjuvantibus plurimis religioſis viris, una cum epiſcopo præfatam reædificavit eccleſiam in honorem beati Petri apoſtolorum principis. Poſt hæc autem præfatus Præſul ad ſummum Romanæ urbis Pontificem Dei ſervum deducens, prædictam eccleſiam cum univerſis, quæ ipſius eccleſiæ erant illi commiſit, ac dono dedit; ut ab illo præſenti tempore in futurum, & in ſempiternum uſque Romanus ſummus Pontifex illam defenderet & regeret; atque Abbatem ibi ſecundum ſuum velle conſecraret; ſicque ſanctus vir à Johanne tunc ſummo pontifice Romano regimen hujus ſuſcepit loci, & eccleſiæ. Sed quoniam prolixus ſermo interdum faſtidium generat, totam ejus

Digitized by Google

piam vitam noſtris auribus pervulgatam, noſtra non explicabit narratio; non enim volumus, nec quidem poſſumus, niſi pro audientium ædificatione, ea de illo ſcribere, quæ novimus; ad virtutes igitur ſanctitatis ejus noſter ſtilus vertat articulum. ANN. CH. MVII. JULII X.

4. Igitur poſtquam monachus, & abbas ſanctiſſimus effectus eſt, utpote mortuus vitiis & concupiſcentiis mundi, tribulationibus carnem ſuam ampliori conſtrinxit afflictione, ſciebat enim id quod dicit apoſtolus, nempe quanto quis retributionis gaudium de æternitate colligit, tanto graviora pro illo præfert tormenta. nam cæleſte gaudium hic tribulationibus ſeminatur, illic poſtmodum retributione colligitur; hinc namque per Pſalmiſtam dicitur: Euntes ibant, & flebant, protinus ſubjunxit, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos, &, qui ſeminat in lacrymis, in gaudio metet. Et Apoſtolus: Si commorimur, & convivemus, & per multas tribulationes oportet nos introïre in regnum Dei. Igitur hic ſanctus vir plenius hoc cognoſcens, omni tempore vitæ ſuæ tres per hebdomadas jejunabat dies, videlicet, ſecunda, quarta & ſexta feria: ſiquidem ab adipe, omnique pinguedine jugiter ſe abſtinuit, pſalmodiæ, & orationi inceſſanter inſiſtens, obſervabat id quod dicitur: ſine intermiſſione orate. Vino utebatur modico, ne laboris exercitatione ſuccumberet, in diebus vero ſanctæ Quadrageſimæ, licet omni tempore illam cuſtodiret, ſolummodo aquæ ſumebat potum. Operatus eſt autem per illum Dominus miraculorum virtutes plurimas, quas illis referentibus, qui eas oculis viderunt, novimus. Multa patitur.

5. Quadam namque die artificibus parietem jam dictæ ſæpius eccleſiæ conſtruentibus panis defuit. Sanctus vero vir prophetico repletus ſpiritu dixit ad eos: Nolite, dilectiſſimi, ſolicitudinis anxietate turbari; adeſt quippe omnipotens Deus qui Moyſis tempore antiquos patres deſerti itinere feſſos manna cibavit, & in novo pariter Teſtamento quinque millia hominum quinque panibus ſatiavit cibo; & tempore glorioſiſſimi papæ Gregorii per beatum virum, Santulum nomine, uno pane per decem dies alere dignatus eſt artifices, quod nobis ſimiliter faciet. Nolite igitur timere. Hoc dixit, & protinus in urbem virum miſit, ut panes emeret, qui tres ſolummodo panes inveniens, emptoſque deferens rediit. Tunc vir Domini oratorium ingreſſus, manibus in cælum extenſis, fideliter Deum deprecabatur, ut ſuis operariis opem dignaretur afferre panis. Extemplo ante eccleſiæ fores ignorati nunciantur adeſſe homines cum equis, & frumento onuſtos, interrogantes de viro Dei, cupiebant enim loqui illi. Gratias omnipotenti Deo ſanctus vir referens, ut hoc audivit, artifices pavit, fratribuſque præcepit, ut hoc factum, quouſque viveret, nulli dicerent; ſed & ex ipſis artificibus unus, incaute aliquando gradiens, coram viro ſancto à cacumine parietis, qui in altitudinem elevabatur, corruit: ſed viri Dei munitus precibus, nullam pertulit læſionem. Auctoris ætas. Miracula.

6. Accidit etiam, ut dum in ædificio ejuſdem eccleſiæ marmoream artifices columnam erigerent, eaque retortis ligaminibus ſurſum in aëre jam elevata eſſet, vinculis omnibus repente ruptis, lapſum minaretur ad terram corruendi. Jamque ſpes ſalutis ejuſdem columnæ omniumque artificum receſſerat, cum vir Dei ſigno Crucis emiſſo, columnam à terra ſuſpenſam, immobilem integramque ſtare fecit.

7. Alio etiam tempore ſanctus Dei famulus cum juxta Tiberis fluvium cum aliquibus moraretur viris, qui molendinum in litore ipſius ædificabant fluminis, ſubito trabs miræ magnitudinis per alveum ipſius eſt viſa venire fluvii, quæ interitum præfato minabatur molendino. Tunc ſanctus vir facto crucis ſigno trabem ab incœpto divertit itinere, ne moleſtiam molendino, aut operariis illius inferret aliquam.

Digitized by Google

ANN. CH. MVII. JULII X.

8. Poſt paucos etiam dies quidam viri, quoniam alveus prædicti fluminis undis valde excreverat, naviculam aſcenderunt; ut ex illa parte litoris ad iſtam, in qua vir Dei ſtabat devenire potuiſſent: ſed immenſa inundatio fluctuum naviculam è recto itinere detorſit. Tunc viri illi verbis Dei famulum vociferantes inquiunt: Famule Dei Petre, nobis orando ſuccurre, quia perimus, miſerere. Ilico vir ſanctus Chriſtum invocans, virgam, quam in manu tenebat, elevavit, eiſque porrexit; factumque eſt ut navicula quæ ante paullulum in præcipitium mergebatur, beati viri præcepto ad ſalutare litus deducta, ſoſpites & incolumes ſuos depoſuit viros.

9. Aliud quoque miraculum ab eo factum, viris fidelibus & veridicis narrantibus agnovimus, quod hic fideliter cum reliquis ſcribentes ponimus. Supradictus namque epiſcopus pixidem illi edriano electuario plenam quadam die ad ſervandam dederat; ſed ipſe miſericordia plenus, caritate repletus, amore Regis æterni debilibus, & infirmis illud totum expenderat. Poſt multos autem dies Præſul illud requirens, ut cognovit quod vir ſanctus hoc totum ægris conceſſerat, nimis iratus eſt, miſitque nuntium, ut cito commendatum redderet electuarium. tunc vir beatiſſimus ingreſſus oratorium omnipotentem rogavit Deum, quatenus electuarium quod ſuo pro amore afflictis expenderat, divina dignaretur virtute reddere; ad hoc ut epiſcopi animum turbatum poſſet habere placatum; cumque poſt paullulum pixidem aperuiſſet, invenit illam multo meliori plenam quam antea fuiſſet electuario. Confeſtim igitur ſanctus vir magno repletus gaudio, Deo gratias referens, Epiſcopo illud per nuntium miſit. Epiſcopus vero ut illud vidit, ſatis miratus, ad Dei veniens virum diligenter inveſtigans quæſivit, unde prædictum electuarium prius expenſum, tam cito invenerit ita confectum; vir autem ſanctus occultare cupiens, ſed minime valens, miraculum, ad pedes illius procidens, rogavit ut nulli umquam palam faceret factum, quouſque in hac viveret vita, quoniam Rex inquit omnipotens, ſicut Bonifacio Terentinæ eccleſiæ præſuli, duodecim quondam, quos ſimili modo pauperibus expenderat aureos, orando à Deo miraculoſe impetravit, ac obtinuit, quos & proprio nepoti furenti, cujus erant, reddidit, ut ejus iram inſaniamque mitigaret; ita & mihi fecit de electuario.

10. Quadam autem die hoſpites ad monaſterii portas venientes eleemoſynam quæſierunt, tunc vir Dei accerſito cellerario præcepit dicens: Frater, hoſpitibus ne tardes dare eleemoſynam; ſed vade & da illis panem & vinum, ſi habes. Ille autem protinus fallaciter negans, dixit ſe panes minime habere. Vir autem ſanctus per ſpiritum illius mendacium agnoſcens, cellarium ingreſſus, quinque tantum panes in arca invenit, quos pro inobedientia illius canibus projici præcepit. quos ut canes viderunt, concurrentes, & odorantes eos tantummodo, proculque fugientes intactos reliquerunt. quod vir Dei expendens, panes collegit, frangenſque pauperibus dedit, monachumque fallentem & inobedientem vehementer increpavit, regularique diſciplina flagellavit; & confeſtim ante cœnobii fores quidam à quadam femina miſſus advenit, qui triginta panes, & alia fercula ſancto viro fratribuſque detulit.

11. Sed & aliud maximum veridicis referentibus viris illud feciſſe cognovimus miraculum, quod minime ſilendum arbitramur. Illis igitur temporibus quidam Teutonicus Comes à Rege fuerat miſſus, ut juſte, ac legaliter terram regeret, judicanſque conſtringeret, impioſque pœnis affligeret, atque premeret; qui Regi parens per omnia, ſceleſtos bene & viriliter noverat corrigere, latrones quoque numquam patiebatur vivere; ſed tali deprehenſos crimine, furcarum ſupplicio faciebat affligi. Die autem quadam duo deprehenſi ſunt viri, tali facinore iniqui, quos prædictus Comes

Digitized by Google

Comes ligatos, mox ſupradicto præcepit damnari ſupplicio; ſed vir ſanctus valde pro eis Comitem interpellans, ut non eos pœnaliter perderet, ſed potius illis vitam concederet, audivit hoc minime poſſe fieri. Interea Oceano jam rapiente die occaſus incumbebat ſolis, ideoque ſententia mortis pro ſequenti mane fuit illis pronunciata ac intimata, ſanctus autem vir illos condemnatos ad cuſtodiendum mane uſque quærit. Tunc Comes juſſit, ut ſecundum illius velle illi darentur ad cuſtodiendum, tali ſiquidem pacto, ut illos ſi perderet, mortem quam ipſi debebant, ſuo ſubiret corpore. quos vir ſanctus eo tenore ſuſcipiens, ſuum illos ad hoſpitium uſque deduxit, ſatiſque admonentes, ut à tanta ceſſarent nequitia, pavit, veſtivit, liberoſque nocte ipſa abire permiſit: mane autem facto miſſum eſt illi à prædicto Comite, ut commiſſos repræſentaret, ac redderet; ſin alias, pœnam condignam, quæ illis debebatur, ipſe ſubiens expenderet. Omnes autem noti viri Dei perterriti, atque pro tali flentes ſententia, una cum illo ad curiam acceſſerunt, Comitemque nimis turbatum adverſus Dei virum invenerunt: minabatur namque mortem illi pro dimiſſis latronibus; ſed cum multorum dictis comperiſſet, quod per illum Dominus virtutes plurimas egiſſet, ita ut inter cetera virtutum inſignia, ſi ſigno ſanctæ crucis aliquando panem benediceret, nullatenus canes hunc poſſent contingere. quod Comes audiens, dixit illum mortis ſententiam non poſſe evadere, niſi hoc ſuis oculis ſe vidente ageret; ſed cum viro Dei hoc relatum eſſet, ait: Ego ob hoc minime Deum tentabo, quia ſcriptum eſt: Non tentabis Dominum Deum tuum. In manibus ejus ſum, qualiter illi placet circa ſervum ſuum operetur. Tunc fideles & amatores viri Dei ſimul cum Comite, illo neſciente, menſam parari fecerunt, panem ſuper eam poſuerunt, Deique ſervum ut benediceret rogaverunt. Data autem à beato Dei viro benedictione, panes ilico canibus projecerunt, ut comprobaretur, quantis virtutum meritis ſervum ſuum Dominus decoraret. Confeſtim igitur ut canes projectos viderunt panes, concurrerunt, & odorantes, eos intactos dimiſere; longeque ululantes abierunt. quod factum Comes cum vidiſſet, maxima deinceps eum veneratus eſt admiratione.

12. Accidit etiam, ut die quadam cauſa monaſterii & obedientia fratrum cum per quamdam incederet viam, mulier quædam paupercula juxta iter illud degens hoſpitio, partus dolore periclitans, voces mittebat eximias: ſed vir Dei pietate commotus, ſanctæ crucis facto ſigno ſuper domum ejus, feminam à paſſionis illius liberavit ſupplicio.

13. Alio quoque tempore apoſtolorum Petri & Pauli ad limina cum pergeret, multi viri utriuſque ſexus & ætatis, pro nimia illius ſanctitatis benignitate & hoſpitalitate, ſanctum comitabantur virum: pluviarum vero tunc grandis immenſitas, aëre in nubibus collecto, eruperat; ſed miro illius nutu qui facit magna, & inenarrabilia, per totam viam unde vir Domini cum ſequentibus ibat, uſque ad ſupradicta apoſtolorum limina, ne una quidem pluviæ gutta, quamquam ex utroque latere procelloſa valde inundatio incumberet, minime ſuper eos cecidit, ſicut temporibus Gregorii papæ Cerbonio Populonienſi epiſcopo, & Fulgentio Utricolenſi accidiſſe legimus.

14. Hæc & alia plura, & majora, vir ſanctiſſimus Petrus, abbas præclariſſimus, faciens miracula, ante duodecimum obitus ſui diem, vigilia ſcilicet apoſtolorum Petri & Pauli, febre correptus elanguit, omnis autem populus una cum epiſcopo ad ejus concurrentes obitum, hanc prædicationem ab ejus meruerunt audire ore: Audite filii, ex uno patre editi, fratres dilectiſſimi, admonitionis verbum, in primis autem ſummum veſtrum moneo ſacerdotem, magna etenim ſacerdotis gloria eſt ſubjectorum rectitudo, unde egregius Prædicator inquit: Spes noſtra, gaudium &

ANN. CHR. MVII. JULII XI.

Ægrotat.

Digitized by Google

ANN. CH. MVII. JULII X. corona vos eſtis mihi ante Dominum. Debet itaque ſacerdos & paſtor factis implere, quæ verbis docet, ſicut de Domino noſtro Jeſu-Chriſto legitur: Cœpit Jeſus facere & docere. nam ſi non facit bona quæ loquitur, implebitur in illo, quod per Pſalmiſtam dicitur: peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis Teſtamentum meum per os tuum? tu vero odiſti diſciplinam, & projeciſti ſermones meos poſt te. Vos autem ſubjecti, arca æterni teſtamenti, ſponſa Regis ſuperni; vos membra corporis Chriſti, terrorem extremi judicii ante mentis oculos veſtros ſemper locate, ſicut per ſapientiam dicitur: In omni opere tuo memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis. Habete vinculum dilectionis & pacis; habete humilitatem; humiliamini ſub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore tribulationis; habete caritatem continuam, & mutuam in vobiſmetipſis, quia caritas operit multitudinem peccatorum. Viriliter agite, & confortetur cor veſtrum, ſperantes in Domino, & in potentia virtutis ejus, ut poſſitis reſiſtere adverſus inſidias diaboli, & ut coronam veſtri certaminis à Deo accipere mereamini. His dictis, oculis ac manibus ſurſum erectis, commendabat ſe, & omnem populum Domino, & ad ultimum perceptis Dominicis ſacramentis, fratribus pſallentibus, inter orationum verba ſexto idus Julii ſpiritum emiſit, receptus in æterna paradiſi requie, corpuſque ejus juxta præfatam honorifice reconditum fuit eccleſiam, ad laudem Domini noſtri Jeſu-Chriſti, qui cum Patre & Spiritu-ſancto, vivit & regnat Deus in ſæcula ſæculorum.

Pie obit.

Ejus feſtum.

15. Recurſo autem unius anni circulo, poſtquam vir ſanctus obiit, ut eum quanti apud Deum meriti eſſet, homines non lateret, Dei omnipotentis cuncta cognoſcentis diſponente clementia, plurimis virtutibus, diverſiſque miraculis illius declarata ſunt merita. Nam inter alia cum ejus anniverſarius minime cuſtodiretur dies obitus, vehementiſſimus repente ventus ſufflavit, qui plurimas radicitus arbores evellens dejecit, ſegetemque multam devaſtavit. Videns itaque populus tale miraculum, ſtatuerunt, ut quolibet anno Anniverſarium ejus ſollemniter celebraretur, & ſic uſque in hodiernam diem ab omni populo ejus tumulus veneratur, atque beneficia ſpiritualia, operante gratia divina, devote poſcentibus miniſtrantur.

CIRCA ANN. CH. MXLV. NOV. III.

VITA S. AMICI MONACHI CASINENSIS.

Auctore BERNARDO ejuſdem loci monacho,

Ex cod. mſ. Caſinenſi.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

VITAM beati Amici Caſinenſis monachi, quam loco ſuo dare non licuit, hic exhibere viſum eſt, quod ad Sæculi hujus medium pertineat. Hanc ſæculo XI. *exeunte, aut certe ſequentis initio ſcripſit Bernardus monachus Caſinenſis, ut monet Petrus diaconus capite 37. libri de viris illuſtribus Caſinenſibus. Porro etſi incertus ſit beati Amici mortis annus, duo tamen conſtitui poſſunt annorum termini, intra quos ejus obitus neceſſario locandus eſt. Narrat quippe Vitæ auctor num. 7. Amicum etſi abſentem, cognoviſſe Hu-*

gonis Farfenſis obitum, unde concludimus eum adhuc anno MXXXIX. *quo re ipſa Hugo è* CIRCA
vivis exceſſit, fuiſſe ſuperſtitem. Ex altera autem parte certi ſumus eum ad annum MLII. ANN. CH.
non pertigiſſe, nam Petrus Damiani in opuſculo VI. *quod eo anno ſcripſit, inter ſanctos viros,* MXLV.
qui à ſimoniacis epiſcopis ordinati fuerant, Amicum laudat jam defunctum, his verbis: Noſtra NOV. III.
ætate beati viri, videlicet Romaldus Camerinenſis, Amicus Ramibonenſis, Guido Pompoſianus, Firmanus Firmenſis & complures alii ſanctæ converſationis ſtudio floruerunt, ſuper quorum videlicet veneranda cadavera ex ſacerdotalis concilii auctoritate ſacra altaria ſunt erecta, ubi nimirum divina myſteria, miraculis exigentibus offeruntur. *Jam itaque anno* MLII. *pro ſancto habebatur Amicus, ac ſupra ejus tumulum altare erectum fuerat. cur vero* Ramibonenſis *à Petro Damiani appelletur, divinare non licet, niſi forte* Arabonenſis *ſeu* Arambonenſis *legendum ſit. nam Ferrarius in notis ait Amicum* Arabonæ *in Piceno fuiſſe ſepultum, quo in loco, qui etiam, ut Lubinus obſervat dicitur* Arambona, *ſeu* Monte-Melone, *abbatia poſtmodum condita fuit Ordinis Ciſtercienſis. Idem tamen Ferrarius Avellanæ Amicum obiiſſe dicit, ibique miraculis coruſcaſſe. Certe Vitæ auctor num. 7. ſacrum ejus corpus in monaſterio ſancti Petri Avellanenſis conditum fuiſſe diſertis verbis habet. Amici memoriam die 2. Novembris celebrat Ferrarius, alii die ſequenti.* Monachus Caſinenſis *à Petro Diacono loco laudato dicitur, & quidem circa hæc tempora monaſterium Avellanæ Caſino ſubjectum fuit.*

INCIPIT VITA ET OBITUS S. AMICI Sacerdotis & Confeſſoris.

1. BEATUS igitur AMICUS genere nobili ortus in finibus comitatus Camerini, in opido, quod Martis vocatur, eſt alitus, ac nutritus, qui litterarum traditus ſtudiis, cum jam plenius eſt inſtructus, ſacerdotii accepit gradum; dehinc non multo poſt tempore monaſticum adeptus eſt habitum. Cœpit ergo de virtute in virtutem proficere, & ſe ipſo quotidie robuſtior exſiſtere. Perluſtrans autem deſerta vaſtiſſima, montis aſſcenſo vertice, expetiit ſpeluncam divina ſibi providentia præparatam. Mox igitur oratione facta, crucis ſignaculo ſe circumſignans, præfatam introïvit ſpeluncam ubi per triennium manſit abſque ullius hominis ſolatio, divino tantum fulciebatur amminiculo. Fama itaque viri domini Amici creſcente, circumquaque ex omni parte homines ad eum confluebant, vitæ æternæ expetentes alimenta ab eo; quorum non parva multitudo, & hortaminibus largas in pauperes largiti ſunt eleemoſynas, nonnulli vero ſæculo relicto Domini ſervitio ſe devinxerunt.

Amici initia.

2. Interea dum quadam die ad comitatum pergeret Balluenſem in duos latrones incidit, qui confeſtim ut eum viderunt, de mula cui inſidebat, appropinquantes illum dejecerunt. Ille autem dum eos perſpiceret ſuper mulam ſedentes, poſt eos clamavit dicens: Tollite, filii, vobiſcum & noſtra calcaria, quibus hanc minare poſſitis mulam, ut velocius pergere valeatis itinera: At illi pertinaci inchoata perdurantes malignitate, applaudebant ſe lucrum non parvum reperiiſſe, unde valde incedebant gaudentes. Vir autem Dei ibidem paulliſper ſubſiſtit, depulſa omni à corde perpeſſi hujuſce damni moleſtia, & à propoſita ſe nequaquam ſubtraxit via. Cumque jam nimis fatigatus, aliquantulum à via divertens, ſub arbore quieſceret; & illi pertinaci intentione abirent, devenerunt ad torrentem quemdam, qui vocatur Vera: ſed dum abſque aliqua ambiguitate ſe tranſire putarent, mula cui latrones inſidebant, divino, ut credimus, tacta verbere, medio ſubſtitit amne. Illis autem latera ejuſdem mulæ nunc virgis, & nunc calcibus fundentibus, jam nimis fatigata, cœpit ſe ſubrigere, & calcibus aquam pulſare, donec in flumen eos decuteret: non autem eſt tantum contenta mula illos à ſe decuſſiſſe, niſi etiam eos poſt dejectionem in aquam calcibus ſubrueret. Illi autem infelices ab unda ſurſum elevati, ſed ab eadem miſerrima ratione aliquanto ſpatio fuerunt apportati. Poſtquam autem à fluminis evaſerunt alveo, ad invicem conferebant, & de hoc, quod illis acciderat admirabantur; tandem intellexerunt idcirco

Latrones mire convertit.

Digitized by Google

CIRCA ANN. CH. MXLV Nov. III.

hæc ſe perpeſſos fuiſſe, quoniam viro Dei Amico maximam injuriam feciſſent. Mula autem poſtquam latrones dejecit, & conculcavit, recto itinere, quaſi odore ſicut canis, poſt beatum virum abiit. Veniens vero ad Dei famulum, quaſi ab aliquo traheretur, & ipſa continuo à via divertens, atque ad beatum Amicum feſtina venit, & cum eo ſtetit. Latrones etiam & ipſi arrepto curſu mulam inſequebantur, quam prius conſequi nequiverunt, quam illuc devenerunt, ubi famulus Dei quieſcebat Amicus; mula ſiquidem tamquam applaudebat venerabili viro, lambenſque pedes ipſius tamquam lætabatur de latronum ſe evaſiſſe dominio. Quod videntes latrones, obſtupuerunt, & tunc tandem intellexerunt ipſum Dei famulum eſſe Amicum. Moxque coram eo proſtrati, cum lacrymis veniam poſtulabant, ſeque erraſſe, ſeque nequam geſſiſſe profitebantur: quibus vir Domini inquit: Ecce nunc, filii, quam prius rapuiſtis, cum benedictione habetote mulam, tantum à perverſitatis abſtinete rapina. At illi munus non acquieverunt ſuſcipere; à furto autem profeſſi ſunt deinceps cunctis, Domino annuente, temporibus abſtinere. Poſt hæc igitur vir Domini Amicus, eos ad ſe propius accedere juſſit, atque indicta pœnitentia, illos quidem remiſit ad ſua, ipſe vero cœptam pertendit viam.

Miles punitus ob rapinam.

3. Eodem tempore quidam miles iniqua ſubripiente cupiditate, cuidam ruſtico rapuit ſolum quem poſſidebat bovem: cumque ruſticus ille pedibus provolveretur militi, atque ut ſibi miſereretur oraret, & ille nullo modo acquieſceret; tunc nimio exagitatus cordis dolore, quid ageret, quo ſe converteret ignorans, ad ſolum confugit beati Amici ſolatium. Erat ſiquidem vir Dei ſanctus Amicus afflictis valde compatiens, & ſuper oppreſſos pia geſtans viſcera. Cum igitur ad virum Dei perveniſſet afflictus, cœpit eum rogare, ut bovem ſuum ſibi redderet. Cognito autem beatus Amicus, quod miles eum ipſi extorſiſſet, ad rogandum prece ſupplici feſtinus cœpit abire: pervenit autem ad militem; cumque illum fuiſſet intuitus, humiliter, ſatis illum ſtuduit exorare, atque exhortari, quatenus afflicto inopi bovem quem inique ſubripuerat, miſerans reſtitueret. At ille non ſolum ſanctis ejus admonitionibus minime acquievit, ſed etiam obſtinate atque præſumptuoſe reſpondit, dicens: Neque Epiſcopus, neque Preſbyter, neque monachus, neque laïcus, nec omnino aliquis mortalium, poterit umquam obtinere, quatenus iſtius hominis reſtituam bovem. Audiens hæc famulus Domini ſanctus Amicus, contriſtatus, non tam damno bovis, quam periculo miſeri militis, dixit ad eum præſaga voce: Scito, homo miſerrime, repentinam tibi imminere mortem, quoniam non es veritus omnes miniſtros Domini parvipendere; ideoque, crudelis, vita extorquetur à te hodie. Quibus ille auditis, non ſolum contemſit virum Dei, ſed etiam irriſit. Exorto autem poſt paullulum tumultu in eodem loco, dum putaret ſe aliquid fortiter acturum, accurrit; atque in eodem jurgio incaute agens vulneratus eſt, eodemque die, ut vir Dei prædixerat, merita obiit morte. Qui autem viri Dei Amici cognoverunt ſuper militem increpationem, eo defuncto, inopi homini, quem perdiderat reſtituerunt bovem.

Rupem transferri obtinet.

* *Aſcoli.*

4. Cum autem moraretur idem beatus Amicus in territorio Eſculano *, prope fluvium, qui nuncupatur Clarinus, longe ſemotus ab habitatione hominum, moleſtum ſatis viſum eſt fratribus commorantibus ſecum, quod nimis abeſſent ab oratorio. Venerabilis namque beatus Amicus, omnia factus omnibus ut omnes ſalvos faceret, fratrum non ſprevit preces, licet diu reluctaſſet; tamen quandoque præbuit aſſenſum. Repererunt ſiquidem cryptam à Dei hominis cellula ferme ſeptem millia paſſus disjunctam, quam decernebant oratorio congruam fore. Ingreſſus autem cryptæ vergens ad Orientem largum introeuntibus præbebat aditum, ſed

ſaxum

Digitized by Google

ſaxum ingens imminens tenebroſam [reddebat] & deformem. Beatus tamen Amicus invitans Eſculanum epiſcopum, dedicari fecit in prædicta crypta altare in honorem ſancti Archangeli Michaëlis. Cumque ſæpiſſime illuc cum fratribus conveniret, & de loci obſcuritate tractarent, vir Domini, cum virga quam manu gerebat, gyrum in circuitu prominentis rupis quodam die faciens, dicere fratribus cœpit: Utinam ſummæ Dei placeret potentiæ, quod hoc eminens ſaxum ſit abſciſſum, & nobis facilem præberet inceſſum, & cryptæ conſpiceretur lumen infuſum: quatenus ad divina celebranda myſteria ſupernæ lucis nobis non deeſſet lucerna. Quo dicto, fratribus ante januam relictis, ipſe ſeorſum paullulum ſeceſſit, & pro ſaxi hujus remotione, Dominum rogavit; divina autem pietas, ſicut quondam exaudivit voces cordis precantis Moyſi, ita etiam, nunc dilecti ſui Amici. Intuentes igitur illud poſtea ſaxum, quemadmodum beatus Amicus gyraverat cum virga, ingentem dedit crepitum, atque à ſuo corpore diviſum, ante januam deorſum in terra cecidit; deinde ſuper diſcipulos viri Dei, atque maximam multitudinem ruſticorum, qui ad prædicti loci venerant opportunitatem, quique etiam jentaculum capiebant, iis omnibus conſpicientibus, ruinamque vitare diffidentibus, dedit terribilem ſaltum, & uſque ad ima vallis cum fragore nimio, ingentem traxit ruinam. Qui autem aderant, poſtquam in ſe reverſi ſunt, ad fores cryptæ properantes, conſpiciunt locum illum, unde Saxum illud fuerat abruptum; & ecce apparebat planior atque politior omnibus parietibus, intrinſecus & extrinſecus. Mons autem, in cujus corpore hoc exſtat oratorium, Petra-Januæ vocatur à circummanentibus.

CIRCA ANN. CH. MXLV. Nov. III.

5. Cum quodam die idem venerabilis Dei Amicus cellulæ ſuæ cum non parva multitudine repararet parietes; dum ipſi ruſtici trabem traherent, minuſque caute, ut illorum moris eſt, ſe agerent, trabs quam attrahebant, ſuper pedem alterius tranſiit, quæ mox & ipſa oſſa contrivit. qui confeſtim acerrimo dolore conſtrictus, ingentibus Dei hominem vocibus inclamabat, ut illum faceret ſalvum. Vir autem Domini ejus compatiens dolori, feſtinus advenit, pedemque attriti hominis, impreſſo ſanctæ Crucis ſignaculo, ambabus manibus adſtrinxit; ſtatimque dolore fugato, hominem ſanum reddidit: iterumque illum ſignans, dicebat illi: In nomine Domini noſtri Jeſu-Chriſti, fili ecce ſanus effectus es; vade ad reliquum tibi perficiendum opus. qui continuo ſurgens, quaſi nil læſionis habuiſſet de inchoato ſollicitus opere, laudans Deum, atque famulum ejus Amicum, cœpit abire.

Hominem læſum ſanat.

6. Alio quodam tempore, quidam illuſtris vir alimoniam præbebat ſancto Dei Amico; dum panes, quos eidem Dei Amico dirigere deſtinaverat, apud ſe haberet, cœpit ſuo dapifero, ut canibus, quorum magna multitudine pollebat, cibum tribueret. At ille parvipendens, incaute de pane Dei homini dedicato, cani projecit. Ille vero, ut canum eſt aviditas, accurrit ut cibum accipere vellet ex panibus, atque in terram ſe proprio more extendens, circa eumdem panem cœpit mirari; & lingebat, & non mordebat: quaſi diceret & manducare ſe velle, & tamen viri Dei alimoniam comedere non audere. Quamvis enim animal brutum, malebat tamen divino monitu manere jejunus, quam ſancti hominis conſumere cibum. Miniſter autem hæc conſpiciens, admirans retulit univerſa domino ſuo. Quibus ille auditis, ilico intellexit hunc ex panibus fuiſſe domni Amici, cujus tactum refugiebat canis. Panis autem pars illa collecta, non parva veneratione ſervatur recondita. Cuncti autem hæc audientes, nam per cunctorum ora hæc fama volutabat, grates reddebant Domino, & ſancto Amico, fideli famulo ejus.

Canis erga eum reverentia

7. Quodam itaque tempore, cum idem ſanctus Amicus apud beati Petri

Digitized by Google

CIRCA ANN. CH. M.XLV. Nov. III.

monaſterium commoraretur, ubi nunc etiam, Domino proviſore, ſacratiſſimum ejus corpus requieſcit, dum haberet idem vir ſanctus ante ipſam eccleſiam, quamdam ſuam cellulam parvam, in ea die ac nocte jugiter ſanctis operibus exercebatur. In hac igitur cella conſtitutus, prophetiæ inſtinctus ſpiritu, Farſenſem quemdam abbatem, nomine UGONEM, venerabilis utique memoriæ virum aſpexit à medio exceſſiſſe mediæ circiter noctis, in Dominica ſcilicet Nativitate. Pulſata autem cellulæ feneſtra, quemdam fratrum convocat, qui aſſiduus ejus aſſecla fuerat. Rateri, inquit, frater accurre, & hanc chartulam Abbati, ceteriſque confratribus in capitulo porrige, & pro domino Ugone Farfenſi abbate eos orare commone. Hac enim nocte media, exceſſit è vita columna maxima. Quis ô Deus, benignitatem tuam non ſtupeat! Cum etiam in omnibus vitæ temporis partibus prophetiæ non abneges monſtrare prodigia. Longe enim ſemotus, & cellula incluſus, quod corporeis oculis denegabatur, viſibus eſt intuitus interioribus. quod non multo poſt claruit. Venientes namque quidam fratres, ejuſdem Farſenſis cœnobii, nuntiaverunt ſancti Amici ſociis fratribus pro abbate ſuo defuncto preces Deo caritative fundi; à quibus, cum dataria mortis inquireretur, itidem, ut dictum fuerat à Sancto, ab eiſdem fratribus intimatur.

Mortem Hugonis abbatis Farfenſis abſens agnoſcit.

Mira ejus abſtinentia.

8. Idem igitur Dei famulus Amicus periculoſum hominum fugiens aſpectum, antequam ſancti Petri monaſterium adiret, vitam ſolitariam peregit, in monte ſcilicet, qui vocatur Taurenus, ubi per viginti annorum ſpatia, nullo alio victu, niſi fungis aut pomis ſilveſtribus uſus eſt; itemque per quadraginta annos tanta abſtinentia maceravit corpus, ut neque pane, neque ſomno ſatiaretur. Quid autem de eleemoſynarum largitate diceremus? cum ſanctus vir Domini Amicus omnia neceſſaria erogavit: omnia itaque pauperibus erogavit, qui nihil ſibi retinuit. Præterea eidem ſanctiſſimo huic viro Amico talis erat mos, ex quo ſancti Petri Avellanenſis monaſterium adiit, ut à feſtivitate ſancti Martini uſque ad Paſcha, nullo alio victu uteretur, niſi pane & aqua; in hoc quoque tam parvum uſum tenebat, ut cuique credibile eſſe poſſit, magis illud angelico, quam humano cibo foveri. Denique Dominica quaque die tres tantum panes cellula ſua clauſus à fratribus accipiebat, ex quibus uno tantum contentus, duos eadem feria, qua alios tres accepturus erat egenorum ſtipendiis miniſtrandos reddebat. Contigit autem ut ex oblivione fratrum bis diebus ſtatutis panes non adminiſtrarentur eidem Dei famulo Amico. quo intervallo omnipotens Deus, qui numquam patitur ſervos ſuos male perire, delegavit Angelum ſuum, qui & illum Dei famulum, & cæleſti alimento pavit, & quouſque fratrum viſitatio adfuit, cum ipſo ſtetit. Poſt aliquantum temporis vero, rememorati fratres introïerunt ad eum, paſcendi, viſitandique cauſa. quos ut Dei famulus vidit, eo quod angelica cuſtodia privaretur, in illorum introïtu vultu triſtiſſimo apparuit.

9. Item dum quodam tempore iſte ſanctus vir Domini Amicus ſolitum iter ageret cum quodam ſuo diſcipulo, & itinerum ipſorum ſocio nomine Raterio, monaſterii ſancti Petri monacho, poſt comeſtionem, dum micarum fragmenta in ſuo ſinu cerneret, vultu hilari dixit: Utinam adeſſent qui has micas comederent. Mox ad hanc vocem hominis Dei, parvi volucres adfuerunt, & quod optaverat ſanctus, adimpleverunt.

Diſcipuli occultum ſcelus cognoſcit.

10. Alio quoque tempore idem vir Domini ſanctus, ad quemdam preſbyterum, gravi infirmitate laborantem, rogatus venit, & mox oratione pro eo ad Dominum fuſa, ſanitati protinus reſtitutus. Poſt paucos igitur dies ipſe preſbyter beato Dei famulo Amico unum par boum, equamque unam cum capribus, ovibuſque numero quadraginta, ac panni brachia quindecim, Domino & ſancto viro gratias agens, fideliter attribuit; quæ

omnia ſanctus vir jam ſuperius memorato monacho Raterio tradidit, ipſique hæc egenis diſpertiri præcepit. qui mucrone avaritiæ percuſſus, pannum ſibi retinuit, reliqua vero ut fuerat imperatum, diſpendit. quod virum Dei minime latuit. Mox autem ut illum vidit, percunctari cœpit de diſtributione prædictarum rerum quibus, & qualiter erogaſſet. Domine, inquit, omnia ut mihi juſſiſti, expendi. Cui homo Dei ſenſit arridens. At, inquit, de panno, quid? de quo tibi bracas ſuere putaſti? Quo audito, monachus ille valde erubuit, genibuſque ejus provolutus, veniam poſtulavit. Cui ſanctus Dei Amicus pœnitentiam indicens, ait: Vade, iterumque pauperibus pannum ipſum tribue, unicuique brachia dans quinque. CIRCA ANN. CH. MXLV. NOV. III.

11. Interea cauſa exſtitit, ut pro utilitate monaſterii domno PETRO venerandæ memoriæ ejuſdem loci abbate jubente, fornax calcaria conſtrueretur: quapropter Amicus Dei famulus è monaſterio egreſſus ad locum venit, in quo præfatus Abbas cum aliquantis fratribus morabatur, ibique ſecundum ipſam calcis machinam aſſedit. quo in loco grandia robora ruſticorum manibus per acclivia montis præcipitata confregerunt quemdam molarem lapidem, qui grandiſſimo impetu corruens, videbatur ipſum Dei famulum Amicum totamque calcariæ machinam comminuturus. Sed mirum in modum, dum præcipitando ad hominem Dei pervenit, cum admiratione omnium, eximium ſaltum faciens, ſine cujuſlibet læſione tranſivit. Periculum miraculo evadit.

12. Preſbyter quidam fuit in partibus Furconenſium, cujus viſcera impræviſo caſu ita crepuerant, ut omnia in unum collecta viderentur. Qui audiens opinionem ſancti viri Amici, nimium fidens; quodam die omnibus ſuis ignorantibus, ſolus arripuit iter; & vix tandem per decem dies ad ſancti viri mauſoleum nimium fatigatus devenit. Proſtratus igitur circa ſancti viri corpus, lacrymis & precibus Domini miſericordiam & ſancti Amici inceſſanter precabatur. Circa pullorum vero cantum fratribus in coacta Domino laudem referentibus, apparuit ſanctus Amicus eidem preſbytero in viſione dicens, ſuper tumulum ſuum ſedens: Quid, inquit habes, fili, & tantum cur lamentaris? Et ille: Domine, inquit, tanta infirmitate, tamque turpi detineor, quod mallem mori, quam vivere. Et ſanctus: Oſtende mihi, inquit. In ipſam autem ægritudinis oſtentionem applicans vir Domini Amicus, ut videbatur, albis indutus veſtibus, impreſſit tres ſuos digitos, ex parte qua crepitudo inerat, ac impreſſione in modum apis aculei pungentis facta abſceſſit. Mox preſbyter ille à ſomno exurgens ſanus & incolumis, Deo gratias reddidit & ſanctum Amicum ſuæ ſalutis auctorem, ſemper miro coluit affectu.

CORRIGENDA IN HOC TOMO.

PAg. 201. num. 3. ubi de anno mortis ſancti Bernvvardi epiſcopi Hildesheimenſis hæc adde. *Præferenda tamen eſt eorum ſententia qui beati Antiſtitis obitum anno* MXXII. *conſignarunt. Nam præter laudatos auctores qui id diſerte habent, favet etiam Vitæ auctor ubi ait Piligrinum recens factum epiſcopum primam Miſſam Coloniæ celebraſſe* XII. *Kal. Decembris, quo die obiit Bernvvardus. At Piligrinus ſtatim poſt ſuam electionem Henricum in Italiam ſecutus ſub finem anni* MXXII. *reverſus eſt, nec veriſimile eſt eum anno integro à Miſſæ celebratione abſtinuiſſe. Deinde anno ſequenti Godehardus Bernvvardi ſucceſſor circa feſtum Pentecoſtes concilio Mogontino interfuit.* Pag. 279. n. 6. lin. penult. lege. *quorum teſtimoniis Petrus Teuzonem eremitam ad officium, id eſt, ad obedientiam revocare conatur.* Pag. 311. nota à, *initio libri.* lege, *cap. 29. libri.* pag. 344. n. 27. lin. 21. lege *reſciturum.* pag. 367. num. 5. lin. 13. *Odelgerius*, lege *Odelricus.* pag. 456. lin. 2. *an* MXXX, lege MXXXIII. pag. 656. n. 89. lin. 3. lege *Faletrude.* lin. 8. lege *abbas quoque.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google